COMMENTARIA

IN

SCRIPTURAM SACRAM

R. P. CORNELII A LAPIDE


E SOCIETATE JESU,

SANCTÆ SCRIPTURÆ OLIM LOVANII, POSTEA ROMÆ PROFESSORIS,

ACCURATE RECOGNOVIT AC NOTIS ILLUSTRAVIT

AUGUSTINUS CRAMPON,

DIŒCESIS AMBIAN. PRESBYTER.



EDITIO NOVA

ACCURATE EXPURGATA MENDIS QUÆ IN PRIOREM IRREPSERANT.

TOMUS NONUS

IN ECCLESIASTICUM



PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM

13, VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13

—

M DCCC LXXIV

JESU UNI ET TRINO

JÈSU GEMINO SIRACH

JESU ANTITYPO CHRISTO

VOTUM.

Moyses et Prophetæ celebrant Jehova trinum in increata Deitatis S. Triade, Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, Siracides nobis hic exhibet Jesum trinum in creata hominum trium homonymorum ternione; Jesum Sirach libri auctorem, Jesum Sirach interpretem, et Jesum Christum utriusque antitypum. Illic ternio est Trinitatis personarum in eadem essentia Dei individua : hic triumviratus Jesu in eadem essentia hominis specifica. Illius mysterium est ἄῤῥητην καὶ ἀνεκφώνητον, ineffabile et inexplicabile, uti ostendi prologo in Isaïam : hujus pariter salus et redemptio admirabilis est et ineffabilis. Illic Jesus amor noster medius intercedit inter Patrem et Spiritum Sanctum : hic medius intercedit inter avum et nepotem. Jesum enim salvatorem nostrum uterque

Siracides et nomine, et doctrina, imo prophetia, et actione, sanctitateque, et passione, et resurrectione, posthumaque gloria, velut alter Job ad vivum præfigurat, uti ex decursu operis, præsertim cap. I, XXIV, XXXVI et LI, liquido patebit.

Quocirca unus Jesus noster in gemino Siracide spirat, loquitur, docet, prædicat, prophetat, ut ipse utriusque anima, mens et spiritus esse videatur.

Unus est sol, sed per condensationem radiorum in nube rotunda et spissa tralucens, binus et subinde trinus resplendet, ut parelius velut trinus sol appareat. Unus pariter est sapientiæ, ἥλιος id est sol, Jesus Christus; sed in utroque Siracide, velut in parelio, geminoque sole trinus refulget. Igitur hi sunt tres soles sapientiæ, imo unus sol in gemino parelio unius ternique Jesu coruscans. En tibi Jesus trinus et unus : binus enim est in Siracide, tertius in Christo : binus in typo, unus in antitypo : binus in imagine, unus in exemplari : binus in umbra, unus in corpore. Uterque enim Siracides Jesum Christum typice, velut umbra et imago, signat et repræsentat. Tu ergo, Jesu Siracide, a Jesu Christo, puta a Verbo Patris incarnando, et in Dei præscientia jam incarnato, cœlesti lumine collustratus, tuam in Deum fidem, pietatem et zelum testatus es, tuamque sapientiam, virtutem et spiritum Hebræis, et sæculorum omnium posteris aspirasti; nunc e cœlo tuis precibus eumdem omnibus aspira. Tu Jesu Siracide junior, velut germanus avitæ patrum fidei et zeli filius et hæres, interpretando hunc avi tui librum, Græcis, Latinis cæterisque gentibus ejusdem fidem, sapientiam et spiritum communicas, ac infidelium impiorumque quorumlibet perfidiam, perfidamque impietatem jugulas, erroresque et vitia sacris hisce gnomis extirpas. Dixisti enim cap. L, 27 : *Duas gentes odit anima mea : tertia autem non est gens, quam oderim : qui sedent in monte Seir, et Philistiim, et stultus populus qui habitat in Sichimis.* Odisti ergo Idumæos, Philistinos, et Sichimitas sive Simaritas, velut juratos Ecclesiæ et populi Dei hostes.

Uterque prælusistis Christo Jesu, qui pariter odit Saracenos, Paganos, Hæreticos : odit, inquam, non ipsos, sed eorum errores et hæreses : ipsos enim ad sui agnitionem, fidem et salutem traducere, sanguinis sui impendio satagit. Omnes Jerusalem terrestrem, et modo cœlestem, trinis, iisque perennibus vestræ gratiæ et gloriæ fulgoribus illuminastis, et jugiter illuminatis. Date huic ævo, quæso, ut eam a Saracenis occupatam postliminio vestræ fidei et Ecclesiæ restitutam aspiciamus et gratulemur. Terram sanctam pedibus calcastis, ore docuistis, manibus sanctificastis : nunc eam pollutis pedibus calcant Agareni, eamque sacrilego ore contaminant, et immundis manibus conspurcant. Restituite eam avitæ veritati et sanctitati, quam a vobis, velut a maternis uberibus, hausit et suxit, ut omnes ejus incolæ Deum verum, ejusque Filium unigenitum Jesum Christum, mundi redemptorem agnoscant, colant, celebrent. Ita ipsa postliminio reddetur suo Jesu et ישועה Jescua, suo, inquam, Salvatori (quem olim orbi peperit) et saluti. Amen.

ENCOMIUM

SAPIENTIÆ

EX PARALLELIS ETHICES NATURALIS ET DIVINÆ.

Summus ille rerum Opifex ab ipsis macrocosmi incunabulis, creatæ cuique naturæ suam statim regulam, normam ac legem associavit, qua quælibet suis inclusa terminis, illis constantissime se contineret, motibus sibi propriis perpetua serie ageretur, ac muniis cæteris sibi congruis stata ac perenni ratione perfungeretur; nimirum, ut universum hoc archetypum, unde ab auctore suo expressum est, quaquaversum, licet sciatica duntaxat imitatione, tenuique vestigio, referat tamen, pulcherque hic κόσμος speculum nobis sit, quo æterni illius et increati mundi pulchritudinem quadamtenus intueamur, vel certe solerti mentis indagine conjectando æstimemus. Uti enim ex ipsis hujus primordiis, et ex nihilo molimine, omnipotentem illius vim et energiam; ex multiplici adeo creatarum rerum discordi et variegata concordia, beneficam illius abyssum; ex amplo illo cæterorum omnium, tam spirituum, quam corporum complexu, æternitatem ejusdem immensitatemque metimur, et quodam modo per umbram pervidemus: ita ex pondere eorumdem, numero et mensura sapientissimam magni illius Architecti πρόνοιαν, numerosamque et mire concinnam in eo cujuslibet rei harmoniam, mirari et suspicere licet, quæ et primitus quamlibet universi hujus partem, immotis plane modis, et secum, et compari cuivis parti alteri amicissime devinxerit, et amicum hocce vinculum jugi sui influxu indivulse servet et tueatur: quo fit ut vel primum, vel præcipuum universi ornatum, et κόσμου decus, ipsa sapientiæ lex et norma jure sibi arroget, definiat et circumscribat. Idem ille Opifex, mundi melioris origo, microcosmo, homini dico, qui mole quidem universo est inferior, natura vero et ratione longe superior, ab ipsa jam olim ejus infantia, similem ei legem congrue adæquando indidit, nobilem illam, divinam, et ab æternis illis viventibusque in ipsomet Deo rationibus expressam; quæ proinde tanto cæteris omnibus præstat, quanto rationale hoc animal, cui propria est, cæteris omnibus corporeis eminet et antecellit: quo fit ut homini inter omnia naturæ cimelia, monile hoc sapientis ordinis et legis, maximo sit ornamento, pariter et commodo. Homini enim, qui rationale est animal, nihil æque dignum est, quam rectam rationem, quasi datam sibi a Deo facem, ubique viæ ac vitæ ducem sequi, hujus lege mores formare, honestas actiones colere, lædere neminem, Deo cultum, quem debeat, impendere; denique bene beateque vivere: « Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, » canit Psaltes *Psal.* IV. Porro hæc Ethices documenta cum sint, utique Ethicam humanæ naturæ æquævam, moderatricem et altricem, principes inter scientias allegendam perfacile censeret is, cui sanum a sana natura foret judicium.

Verum, quia operante illo, qui primum hominem de primo integritatis, vitæ et sapientiæ culmine dejecit, Satanico spiritu, mortales vitiatæ naturæ semina sectantes, a recto vivendi tramite magis magisque sua sponte declinant, ipsique se sauciant in dies gravius, cum naturam Protoplasti peccato sauciam, ipsi novis quotidie plagis additis plane hebetant, convulnerant et obruunt (tanto luitur vetita cupido), eo factum est ut fuscata, et nebulis errorum præstricta, sopita multis in rebus hæc sapientiæ cognitio jaceat, in diesque perstringatur magis, quando majus semper majusque rationi velum cupidinis appetitus prætexit, justaque læsi Numinis vindicta fit, ut pœnales cæcitates super illicitas cupidines spargantur; quo fit ut sapientiæ, ejusque legis ac dictaminis notio nunc magis quam ante sit necessaria; et tamen nobis, ceu noctuis ad patulam solis lucem caligantibus, minus hujusmodi appareat.

Quocirca Deus optimus maximus, lapsus et errores hominum miseratus, ex alto misit sapientiam, Ethicam, inquam, tum naturalem, tum sacram et divinam, ejusque doctores et magistros, qui hominibus verum suæ legis ac virtutis iter commonstrarent, illoque ipsos recto tramite ad felicitatem, beatamque in cœlis vitam quasi manu deducerent. Quare sapientiæ hujus divina est dignitas, æque ac necessitati compar utilitas. Quod ut plenius et clarius commonstrem, subjungam sextuplex sapientiæ encomium, ex septuplici sapientiæ, sive Ethicæ profanæ et sacræ parallelo depromptum. Si enim Ethica profana Philosophorum orbi tanto fuit splendori et commodo, quanto erit Ethica sacra et divina hagiographorum Salomonis et Siracidis, qui Philosophos omnes tanto intervallo transcenderunt, quanto Angeli homines, viri pueros, fides rationem, gratia naturam, cœli terram, virtus cœlestis terrestrem, res divinæ humanas superant et transcendunt!

Fructus et septem analogiæ ethices sacræ et profanæ.

Prima ergo sapientiæ, sive Ethices, laus est ab origine. Ethices naturalis origo est natura, nimirum, Deus, quatenus ipse, ut ille ait, est uti fortuna fortunans, ita et natura naturans, puta auctor et conditor naturæ. Plato in *Protagora* docet

I. Origo.

artes illas, quæ humanis serviunt usibus, ut vitam hanc sanam et incolumem tueamur, ab hominum sagaci industria adinventas fuisse; illas vero, quæ ad bene beateque vivendum mortales quasi manu ducerent, altiorem humana habere originem, diisque potius quam hominibus esse prognatas: cujus sententiam secutus Cicero lib. *De Oratore*, philosophiam, quam parentem omnium benefactorum, ac medicinam et culturam animi definit, matrem artium, et inventum deorum nuncupat: quia nimirum ipsa communis, æque ac privatæ vitæ optima est magistra, sine qua nemo rectam rationem intelligat, nemo felicitatem assequatur; ideoque sapienter homini a Deo præcautum fuisse admirabili hoc sapientiæ dono. Quare ad hoc excolendum oportere cuilibet, quantum negotia permittunt, philosophari, et hanc præcipuam vitæ functionem ducere. Hæc Plato de sapientia et Ethica naturali.

Sapientiæ vero, sive Ethices supernaturalis et divinæ origo est Deus, quatenus ipse est auctor gratiæ, virtutis, gloriæ cæterorumque bonorum supernaturalium et divinorum. Id initio operis palam prædicat noster Siracides: « Omnis sapientia, ait, a Domino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante ævum. » Idem proclamat primus Ethices sacræ doctor et scriptor, S. Job. XXVIII, 12. « Sapientia, inquit, ubi invenitur? et quis est locus intelligentiæ? Nescit homo pretium ejus, nec invenitur in terra suaviter viventium. Abyssus dicit: Non est in me; et mare loquitur: Non est mecum. Non adæquabitur ei aurum, nec topazius, etc. Deus intelligit viam ejus, et ipse novit locum illius. Et dixit homini: Ecce timor Domini, ipsa est sapientia; et recedere a malo, intelligentia. » Baruch vero eleganter et pathetice cap. III, 14. « Disce, ait, ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus, ut scias simul ubi sit longiturnitas vitæ et victus, ubi sit lumen oculorum, et pax. Quis invenit locum ejus? et quis intravit in thesauros ejus? Ubi sunt principes Gentium, et qui dominantur super bestias? Qui in avibus cœli ludunt, qui argentum thesaurizant et aurum, et non est finis acquisitionis eorum? Exterminati sunt, et ad inferos descenderunt, et alii loco eorum surrexerunt. Viam autem disciplinæ ignoraverunt. Non est audita in terra Chanaan, neque visa est in Theman, etc. Quis ascendit in cœlum, et accepit eam, et eduxit eam de nubibus? Quis transfretavit mare, et invenit illam? Non est qui possit scire vias ejus; sed qui scit universa, novit eam, et adinvenit eam prudentia sua; qui præparavit terram in æterno tempore: qui emittit lumen, et vadit; et vocavit illud, et obedit illi in tremore. Stellæ autem dederunt lumen in custodiis suis, et lætatæ sunt; vocatæ sunt, et dixerunt: Adsumus, et luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas. Hic est Deus noster, et non æstimabitur alius adversus eum. Hic adinvenit omnem viam disciplinæ, et tradidit illam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est; » quando, scilicet, Deus homo factus humanum os assumpsit, ut hanc sapientiam e cœlis allatam homines doceret, et eructaret abscondita a constitutione mundi. Quocirca Sapientia, quasi prima et princeps Dei filia, ita seipsam deprædicat *Eccli.* XXIV: « Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam. Ego feci in cœlis ut oriretur lumen indeficiens, et sicut nebula texi omnem terram. Ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis. » Et *Prov.* VIII, 22: « Dominus possedit me in initio (Hebr. *rescit*, id est initium, principium et principatus) viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. Ab æterno ordinata sum, et ex antiquis, antequam terra fieret, » etc.

II. Usus et fructus.

Secunda laus sapientiæ, sive Ethices, petitur ab ejus usu, commodis et fructu: naturalis enim format, componit, regit et dirigit actiones omnes naturales, tam proprias cujusque per Ethicam propriam, quam communes, sive domui et familiæ, per œconomicam; sive toti regno, vel reipublicæ ad illam rite gubernandam, per politicam. Tritum est illud Neoptolemi apud Ennium, « Philosophos principes esse oportere: » quod mature perspiciens adeo adamavit Marcus Antoninus imperator, ut, cum politiam, dignissimam Ethices partem, Lucio Volusiano præceptore didicisset, eique etiamnum existens Imperator accurate vacaret, Philosophi cognomine gloriaretur. Antoninum non ita multo post orbis monarcha secutus est Severus, qui eamdem philosophiam a Serbidio Scævola accepit. Post eum Alexander apprime hanc perdidicit, utpote cujus tutor ac præceptor fuerit Ulpianus, Ethices jurisque scientissimus. Denique magnus ille Trajanus, quo nemo Augustorum celebratur melior, juris divini humanique, præ sui ævi Imperatoribus, scientissimus, novique conditor, et antiqui custos, ait Victor, Neratium Jureconsultum, totius moralis disciplinæ peritissimum, successorem sibi legit. Quid? quod Imperator in Codice, ubi legum oracula firmat, Philosophum se indigitat?

Porro Philosophi nomen communi jam usu multis datum disciplinis scimus; at olim uni Ethico erat proprium: cæteri enim non Philosophi, sed Sophistæ nomine censebantur; qua phrasi Aristoteles subinde usus: « In Philosophia, ait, hoc diximus, » Ethicam intelligens. Cui vero in mentem veniat, aliam ab hac Platonem, quem in *Tusculanis Quæst.* sequitur Tullius, sua illa descriptione complexum, qua Philosophiam, meditationem mortis, divinorum humanorumque cognitionem, similitudinem Dei statuit et definit; aut Senecam, quando Philosophiam ait informare vitam, actiones regere, mores instruere? Hanc Persarum reges excoluisse argumento est, quod nullus apud eos eligebatur rex, qui non ante accurate Magorum præcepta et disciplinam per-

cepisset: quo factum, ut et ipsi reges Magi essent, ac dicerentur, Magosque domi forisque ad latus a consiliis haberent ac circumducerent. Porro Magi iidem sunt, qui apud nos Sapientes aut Philosophi, ab Hebræa voce הגה *haga* appellationem sortiti, et apud Isaiam, in Hebræo textu celebres: *haga* enim meditari, disquirere, contemplari Hebræis notat, maximeque moribus tribuitur. Hinc identidem in Scriptura obvium: « Os justi meditabitur sapientiam; in lege ejus meditabitur die ac nocte, » etc. Hebr. *haga*.

Quapropter apud Xenophontem Socrates generosum et heroicum asserit ingenium, cui cordi sint disciplinæ Ethicæ atque politicæ, cui et Cyrus subscribit: imo vero censet nulli convenire imperium, qui non melior sit iis quibus imperat; melior vero qui erit, quisquis quid melius, quid honestius ex Ethica non didicerit? Hac demum imbuti apud Græcos νομοθετῶν et legislatorum principes, Draco, Lycurgus, Solon, respublicas constituerunt, servarunt, propagarunt. Huic insudarunt apud Romanos Numa Pompilius, Cassii, Scævolæ, Scipiones, Catones, adeoque Pontifices, Flamines, Censores, Dictatores, Duces, omnisque magistratus, quando splendorem illum imperii, aquilasque late ab oriente in occiduum solem dominantes, disciplina morali et meruerunt, auctore S. Augustino, et vero hac ipsa potius quam armis quaquaversum propagarunt. Quid, quæso, Romana jura dilatavit magis quam priscorum illorum frugalitas, justitia, temperantia, fides in dictis et factis? Ecquid vero majorem iis venerationem, majestatem et apud omnes auctoritatem conciliavit? quæ major imperio gloria, quam metuendos orbi fasces æquitate, castitate, pietate in patriam, cives, amicos splendescere? Qui secus autumat, decusque bello magis quam virtute partum, audiat Romanæ historiæ parentem Titum Livium, causas exsurgentis declinantisque imperii in ipso operis limine vestigantem: « Ad illa, ait, mihi per se quisque acriter intendat animum, quæ vita, qui mores fuerint, per quos viros, quibusque artibus domi militiæque et partum et auctum imperium sit; labente deinde paulatim disciplina, velut decidentes primo mores sequatur animo; deinde ut magis magisque lapsi sint, tum ire cœperint præcipites. » Age jam, eodem dimetire circino moralis disciplinæ dignitatem, et Romani limites imperii; ac dispice quantam illam esse oporteat, qua culta tanto fulgore radiant imperia; qua neglecta, ceu vivido fraudata succo, marcida evanescunt et intereunt. Si igitur scientia hæc sui studiosum privatim publiceque illustrem efficit, si vere hominem Deo communione quam maxime devincit, utique eam et philosophiam, et sapientiam esse, atque adeo inter primas ejus species numerari necesse est.

Ex hoc naturalis Ethices fructu et præstantia, gradu facto, æstima quanta sacræ et divinæ sit majestas, pariter et utilitas: hæc enim actiones omnes per virtutes non tantum componit, uti naturalis; sed et sacras facit ac divinas: similiter regimen reipublicæ sacrum facit ac divinum, ut subditos a regno terræ modico ad amplissimum cœli regnum traducat et transcribat. Quocirca Ethica, juxta ac virtus, ornamentis non eget, miracula non poscit; ipsa sibi ornamentum, ipsa miraculum est. Vidit hoc mortalium omnium, Dei judicio et oraculo, sapientissimus Salomon, qui proinde optione sibi facta a Deo, ut posceret quid vellet, non aliud poposcit, quam sapientiam: poposcit, et impetravit non modo illam, sed et cum illa opes, delicias, honores et gloriam, quibus omnes omnium sæculorum reges longe superavit: « Quia postulasti, inquit Deus, sapientiam ad discernendum judicium, ecce feci tibi secundum sermones tuos, et dedi tibi cor sapiens et intelligens, in tantum ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit. Sed et hæc, quæ non postulasti, dedi tibi: divitias scilicet, et gloriam, ut nemo fuerit similis tui in regibus, cunctis retro diebus, » III *Reg.* III. 12. Causam a prima sapientiæ origine et prosapia assignat, *Sap.* VII, 25; «Vapor, ait, est virtutis Dei, et emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera; et ideo mihil inquinatum in eam incurrit; candor est enim lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius. Et, cum sit una, omnia potest: et in se permanens omnia innovat, et per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et Prophetas constituit: neminem enim diligit Deus, nisi eum qui cum sapientia inhabitat. Est enim hæc speciosior sole, et super omnem dispositionem stellarum luci comparata invenitur prior: illi enim succedit nox; sapientiam autem non vincit malitia. » Mox, cap. VIII, sapientiæ fortitudinem, amplitudinem, regimen et imperium fusius describens: « Attingit, ait, a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. Hanc amavi, et exquisivi a juventute mea, et quæsivi sponsam mihi eam assumere, et amator factus sum formæ illius. Generositatem illius glorificat, contubernium habens Dei; sed et omnium Dominus dilexit illam, doctrix enim est disciplinæ Dei, et electrix operum illius. Et si divitiæ appetuntur in vita, quid sapientia locupletius, quæ operatur omnia? Si autem sensus operatur, quis horum quæ sunt, magis quam illa, est artifex? Et si justitiam quis diligit, labores hujus magnas habent virtutes, sobrietatem enim et prudentiam docet, et justitiam, et virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus. Et si multitudinem scientiæ desiderat quis, scit præterita, et de futuris æstimat: scit versutias sermonum, et dissolutiones argumentorum: signa et monstra scit antequam fiant, et eventus temporum et sæculorum. Proposui ergo hanc adducere mihi ad convivendum. »

Fructus vero quos ex sapientia certo consecu-

turum se sperat, subjicit: « Habebo, inquit, propter hanc claritatem ad turbas, et honorem apud seniores juvenis; et acutus inveniar in judicio, et in conspectu potentium admirabilis ero, et facies principum mirabuntur me : tacentem me sustinebunt, et loquentem me respicient, et sermocinante me plura, manus ori suo imponent. Præterea habebo per hanc immortalitatem, et memoriam æternam his, qui post me futuri sunt, relinquam. Disponam populos, et nationes mihi erunt subditæ. Timebunt me audientes reges horrendi: in multitudine videbor bonus, et in bello fortis. Intrans in domum meam, conquiescam cum illa: non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam et gaudium.

Hæc considerans, pro ea vel primitus indenda, vel cœlitus augenda ardenter Deum invocat et supplicat, dicens: « Hæc cogitans, quoniam immortalitas est in cognatione sapientiæ, adii Dominum, et deprecatus sum illum, et dixi ex totis præcordiis meis: Deus patrum meorum, et Domine misericordiæ, qui fecisti omnia verbo tuo, et sapientia tua constituisti hominem, ut dominaretur creaturæ, quæ a te facta est; ut disponat orbem terrarum in æquitate et justitia, et in directione cordis judicium judicet: da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, et noli me reprobare a pueris tuis, quoniam servus tuus sum ego, et filius ancillæ tuæ, homo infirmus, et exigui temporis, et minor ad intellectum judicii et legum. Nam, et si quis erit consummatus inter filios hominum, si ab illo abfuerit sapientia tua, in nihilum computabitur. Tu elegisti me regem populo tuo, et judicem filiorum tuorum et filiarum; et dixisti me ædificare templum in monte sancto tuo, et in civitate habitationis tuæ altare, similitudinem tabernaculi sancti tui, quod præparasti ab initio: et tecum sapientia tua, quæ novit opera tua, quæ et affuit tunc cum orbem terrarum faceres, et sciebat quid esset placitum oculis tuis, et quid directum in præceptis tuis. Mitte illam de cœlis sanctis tuis, et a sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te: scit enim illa omnia, et intelligit, et deducet me in operibus meis sobrie, et custodiet me in sua potentia. Et erunt accepta opera mea, et disponam populum tuum juste, et ero dignus sedium patris mei. » Aurea hæc oratio Salomonis a Spiritu Sancto dictata, ejusque jussu ab eodem hoc fine nobis scripto est consignata, ut eam assidue pronuntiemus, similique affectu et spiritu a Deo sapientiam efflagitemus.

III. Auctores et doctores.

Tertia sapientiæ laus accedit ab auctoritate, puta ab ejus doctoribus et discipulis. De naturali res clara est, priscos Philosophos ita Ethicæ inter scientias palmam dedisse, ita ei mentem animumque applicuisse, ut cætera parvi pendere aut negligere viderentur. Auctor est Xenophon Socratem Philosophiæ nomen soli Morali dedisse. Idem solam mereri Ethicam censuit Timon Pyrrhonius, et e nostris Lactantius Firmianus, lib. III, cap. VII: « Transeamus, ait, ad Moralem, in qua totius Philosophiæ ratio continetur; ubi, si quid fuerit erratum, vita omnis evertitur. » Idem ibidem, cap. XV: « Seneca inquit: Philosophia nihil aliud est, quam recta vivendi ratio, vel honeste vivendi scientia, vel ars rectæ vitæ agendæ. Non errabimus, si dixerimus Philosophiam esse legem bene honesteque vivendi. Et qui dixit illam regulam vitæ, suum illi nomen reddidit. » Porro Ariston Chius ita Moralem solam amplexus est, ut cæteras Philosophiæ partes tanquam noxias convelleret atque damnaret. Cicero vero in *Tusculanis*, ait Lactantius, lib. III, cap. XIII, de ea exclamat: « O vitæ Philosophia dux, o virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum! quid non modo nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset? tu inventrix legum, tu magistra morum ac disciplinæ fuisti. »

Atque ut hæc prima ab origine pandamus, videamusque philosophicum illud sæculum, quod Anaxagoræ, Platonis et Aristotelis ætate decurrit, universum practicam hanc Philosophiam sedulo percoluisse; primi illi Sophi (quos, ceu divinos, venerabatur orbis) Ethicam non ita explicatam, et in sua membra concinno ordine digestam, uti nos; sed in breves acutasque quasdam sententias, quas γνώμας nuncupabant, arctatam tradebant, imitati haud dubie nostrum sacrum Sapientem, qui Ethicam per proverbia docet; easque, ceu oracula quædam, deorum etiam templis (quale illud, γνῶθι σεαυτόν in Delphico) inscribebant. Tales fuere septem illi Græciæ Sapientes, quos secuti sunt innumeri alii, Poetæ præsertim, Γνωμόλογοι dicti, quorum bona pars usque hodie manibus teritur: quo in genere pauca, sed divina scripserunt Epictetus Ponticus, Heraclides Speusippi et Aristotelis auditor, Zeno Stoicorum princeps, præsertim de perturbatione, et alii plurimi.

In hac Gnomologia tantum auctoritatis adepti sunt Lacones, ut Socrates apud Platonem Spartas reconditæ doctrinæ domicilium asserere non dubitarit. Thales ergo Milesius, vetustissimus Sapientum Græciæ, ut vult Tatianus apud Eusebium, quo tempore Judæi in Babylone captivi, Ezechiele et Daniele prophetis utebantur, Cyro Persas, Romanos Tarquinio Prisco, Solone Athenienses, Lydos Crœso regentibus; Thales, inquam, cum physica, tum ethica sapientia conspicuus, Gnomologorum parens, Ionicæ scholæ principium dedit: cui, si credimus Laertio, successit Anaximander, cujus auditor Anaximenes, quem subsecutus Anaxagoras, qui primus fertur primum illud beatæ vitæ principium, Deum videlicet, quem ipse mentem vel intellectum vocabat, esse mundi cunctarumque rerum opificem, Græcos docuisse; hic Archelao Socratis præceptori cathedram cessit ejus coævus Democritus, quem a Magis et Chaldæis, quos Xerxes apud patrem

ejus hospitatus reliquerat, Theologiam, moralem utique scientiam, didicisse perhibent. Archelaum excepit Socrates, qui physiologiæ, ut curiosæ magis quam necessariæ aut utili valedicens, ad privatam civilemque vitam informandam, et ad beatitudinem cognoscendam atque comparandam omnes ingenii nervos intendit: e cujus schola prodiit Sapientum ille flos Aristippus, auctor sectæ Cyrenaicæ; Antisthenes Cynicæ, ex qua ortus est Diogenes, vitæ hominumque sui ævi miraculum; Xenophon, politicæ facultatis princeps; Plato, Academiæ parens, cujus Dialogi plerique omnes sunt morales; quem secuti Speusippus sororis filius, Xenocrates, Polemon, Crantor, et Crates ille, qui aurum, sapientiæ obicem ratus, abjecit. Cratem audivit Zeno Citticus, Stoicæ disciplinæ caput, quæ multis in rebus, ut ait S. Hieronymus, christianis moribus est quam simillima. Et vero id cernere licet in eorum scriptis atque sententiis, ut Cleanthis, Chrysippi, Possidonii, Epicteti, Catonis, Senecæ, cujus severam de vitiis disciplinam Nero discipulus non ferens, præceptoris sui carnifex exstitit.

Zenoni æqualis, at opinione adversus Epicurus totum se vestigandæ beatæ felicique vitæ dedit. Atque erravit ille quidem, voluptatem hominis finem definiens, non tamen illam, quam passim autumant, si Laertio credimus, quæ corporea est, atque pecudum more sensibus hauritur, sed quæ animi sit, et cum virtute conjuncta, intellexit. Thaleti Milesio σύγχρονος, et tempore par fuit Pherecydes Scyrius, qui, ut inquit Aristoteles XIV *Metaph.* cap. VI, non fabulose, more antiquorum, sed graviter et serio philosophatus, primus immortalitatem animorum nostrorum, ingens ad virtutem calcar, statuit et propugnavit; cujus discipulus Pythagoras Samius, regnante Tarquinio Superbo, in Italiam venit, Italicæ philosophiæ auctor, cujus descriminatum Υ *Ypsilon*, virtutis et voluptatis fuit symbolum. Hujus sapientiæ tantum præjudicata valuit opinio, ut discipuli doctrinæ suæ rationem interrogati, aliam non redderent, quam: Αὐτὸς ἔφα, αὐτὸς, inquam, Pythagoras. Demum Aristoteles Peripateticorum antesignanus moralem disciplinam eo perpolivit, ut quæ sparsim a veteribus, Socrate maxime, acceperat, in scientiam methodicam, multa elimans, resecans, annectens, redegerit. Hic proinde in Alexandri, cognomento Magni, pædagogum est allectus, congratulante sibi, diisque gratias agente Philippo patre, quod eo tempore natus esset Alexander, quo formandis ejus moribus Aristoteles illi daretur præceptor; atque utinam præcepta Aristotelis per omnia factis expressisset! Porro Aristoteles in Logica, Physica, Metaphysica cæteros pene omnes Philosophos, in Ethica seipsum superavit; in Metaphysica ponit Aristoteles providentiam; sed quæ angustiis circumscripta, Deo aspergit labem: in Ethicis ad Eudemum de providentia ita explicat omnia, ut nulla causa sit cur quisquam post Aristotelem in hac re, si naturale duntaxat rationis lumen spectes, Clementes aut Arnobios desideret magistros: in Physicis ita statuit de animo immortali, ut videatur hærere: in Ethicis ita hæret, ut videatur statuere; ac, ut una comprehensione definiam omnia, Aristoteles in Physicis est homo; in Ethicis vero suis asseclis videtur Deus. Quæ causa est, cur quidam exquisiti ingenii Italus, admiratus illas præceptiones de Ethicis, Politicis, Œconomicis, quas scripsit Aristoteles puras, integras, et nulla externi erroris infectas labecula, semper in omni sermone dubitarit, in illis scribendis plusne haberet Jurisconsulti an Sacerdotis, plus Sacerdotis an Prophetæ, plus Prophetæ an Dei. Ita ille; sed nimis ample et auguste. Hæc de profana sapientia.

De sacra nemini dubium est, eam præcepta de vita recte instituenda divinitus accepta tradidisse, multis ante profanam sæculis: nam quo tempore apud Græcos prope infans erat philosophia et sapientia, eo tempore apud Hebræos pene erat decrepita; novissimi enim quasi sapientum et Prophetarum apud Hebræos, Ezechiel et Daniel, coævi fuere antiquissimis, atque adeo primis Græcorum sapientibus, Thaleti, Soloni, Pherecydi; ut non mirere, si tantopere laudata sit philosophia Hebræorum a Theophrasto; quin et Aristotelem multa didicisse a quodam Hebræo post Josephum asserit Eusebius, lib. IX *De Præparatione Evang.* cap. III, idque affirmat testimonio Clearchi peripatetici. Denique, ut revelatam sacramque Theologiam, ita et naturalem, adeoque artium plane omnium originem ab Hebræis fluxisse consentiunt Josephus, Justinus Martyr, Clemens, Eusebius, Cyrillus et Theodoretus in libris et apologiis, quas contra Gentes hoc argumento ediderunt. E quibus omnibus, quam in hoc moralis Philosophiæ lycæo jam indo ab initio, omni ætate, omni secta, ubivis gentium et locorum, Philosophorum examina decurrerint, nemo non videt. Equidem id præcipue priscis illis, tum poetis, tum sapientibus cæteris, studio et curæ fuisse liquet, ut tum pingendo, tum fingendo, tum ratiocinando mortalium rebus consulerent, ac a vitiis quidem et malis quoquo modo averterent; ad bona autem et virtutes jacentia hominum ingenia excitarent, atque nunc huc, nunc illuc fluctuantes voluntates; maximam autem partem, quæ humanarum rerum est infirmitas, in deteriora propendulas ad honesti formam traducerent.

Quocirca hæc Ethices sapientia coli cœpit primo mundi ævo, mox ab ipsa ejus creatione, scilicet ab Adam, Noe, Abraham, Lot cæterisque Patriarchis. Audi *Sapientiam*, cap. X, vers. 1: « Hæc illum, qui primus formatus est a Deo pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit, et eduxit illum a delicto suo, et dedit illi virtutem continendi omnia. Ab hac ut recessit injustus in ir-

sua, per iram homicidii fraterni deperiit. Propter quem, cum aqua deleret terram, sanavit iterum sapientia, per contemptibile lignum justum gubernans. Hæc et in consensu nequitiæ, cum se nationes contulissent, scivit justum, et conservavit sine querela Deo, et in filii misericordia fortem custodivit. Hæc justum a pereuntibus impiis liberavit fugientem, descendente igne in Pentapolim.»

Primus vero Ethices doctor, qui eam scripto ad posteros transmisit, fuit S. Job, ut patet ex ejus libro hagiographo : ipse enim Mosen antecessit, et sub ultima Jacobi patriarchæ tempora vixit. Hunc secutus Moses Decalogum cæteraque recte vivendi præcepta, Dei ore in Sina accepta, Israeli tradidit. Mosen post aliquot sæcula excepit David, regius Psaltes, qui Ethicam eleganti carmine pangit. Davidem patrem æmulatus est filius Salomon, sapientiæ oraculum, qui, licet Physices, Metaphysices, Mathematices, Medicinæ, omnisque litteraturæ esset scientissimus, nulla tamen (quæ exstent) nisi Ethices dogmata scripta posteris tradidit, idque quatuor voluminibus, Proverbiis, Ecclesiaste, Cantico, Sapientia. Atqui hi omnes multis sæculis omnes Gentilium sapientes et philosophos antecesserunt. Salomonis assectator fuit noster Siracides, æque ac Prophetæ, ac post Christum Dominum quatuor Evangelistæ, S. Petrus, S. Paulus, S. Jacobus, S. Judas, qui Christi sapientiam, Ethicamque christianam conscripserunt. Hos secuti e Græcis S. Basilius, S. Gregorius Nazianzenus, S. Chrysostomus, S. Athanasius, S. Ephrem : e Latinis S. Gregorius, S. Ambrosius, S. Augustinus, S. Hieronymus, S. Bernadus cæterique Patres, moribus Christianorum ad omnem virtutem efformandis, toto animo tam docendo, quam scribendo incubuerunt.

IV. Officia. *Quarta,* eaque insignis Ethicæ sapientiæ laus illique propria, est ab ejus materia, argumento, officiis. Naturalis enim hæ sunt partes et officia, quod sopita recti æquique semina suscitet, foveat, dirigat; quod voluptatem sensibilem, ut Circen et Sirenum scopulos, fugiendam doceat; quod facem toti humanæ vitæ præferat; quod omnia ad gnomonem et perpendiculum rectæ rationis exigat; quod florida virtutum agmina mentibus inserat. Jam vero quis non perspicit, quam praxis scepsi, actio speculationi, virtus eruditioni, honesta vita antestet doctæ et celebri? Quis non malit studiosam ex virtute vitam, quam altissimarum rerum aridam et sterilem vestigationem? Cui non placeat magis indocta simplicitas, quam docta malitia? Quod si ita est, quid morali disciplinæ præstituis, quid anteponis? Præclare Aristoteles : Qui mentis, ait, judicium sequitur, et mentem habet excultam, optimeque constitutam, Deo carissimus est. Nam, si quam curam agit Deus humanarum rerum (agit autem nostrum omnium sententia), delectatur eo quod existit optimum et divinitatis particeps, mente videlicet; nec non beneficiis ornat eos qui mentem amant et ornant, utpote rem Deo gratam magni ducentes, et honesto opere decorantes : ideoque sapiens non potest non esse Deo carissimus, eoque nomine beatissimus. Neque vero id assequare, si philosophare tantum de cursu siderum, elementorum mixtione, universi ambitu : neque etiamsi de ipsa virtute eleganter disserentem audias, ejus officia negligas; quemadmodum plerique stolide se bonos fieri autumant : haud absimiles ægris medici præcepta studiose excipientibus, cæterum nihil eorum usurpantibus; ut enim horum corpora minime convalescunt, ita nec illorum animi per otiosam Philosophiam emendantur.

Sed quod Ethicus docet, manum operi admovendam, qui virtutum usus paretur, qui vitiis obluctemur, hoc reipsa agendum est, hoc omni studio exercendum. Ad quod strenue obeundum excitat vel sola inhonesti et turpitudinis facies, si, subducta illecebrosa voluptatis larva, eam pressius nudam in Ethicis intueare : ipsa enim vel sola a vitio absterret, si ex adverso honesti et virtutis speciem, vultusque decorem cominus contempleris : hic enim natura sua ad se allicit et mirabiles excitat sapientiæ amores. Quemadmodum ergo in sole diutius inambulantes, colorem inde sibi conciliant; ita fieri non potest ut qui non parergos, sed accurato intuitu moralem hanc palæstram ingreditur, nisi distorto plane sit temperamento, in hac civili et communi vita non moderatius agat, nec majus adhibeat studium in omni genere officiorum. Potuit tantum apud S. Ludovicum, Franciæ regum decus, Blancæ matris impressa puero de peccati fœditate vox, imo lex, ut per omnem vitam lethalis criminis expers, nullo graviore scelere inter tot illecebras diadema regium commacularit. Non id poterunt scita Philosophorum omnium, sapientiæ lex, certa æternaque scientia? Age, quis honesti studiosus laudisque avidus non sibi tacitos subjici ignes sentiat, si legat cogitetve Darii matrem, Hephæstionem per errorem quasi Alexandrum salutantem, atque applaudentem audiat Alexandrum : « Et hic Alexander est,» ut amicitiam velut suavissimam vitæ consensionem colat? Quis non amicitiæ sanctionem hanc apud Ethicos exosculetur : « Amicus alter ipse? » Quis, si ebrietas, voluntaria ipsi ab Ethico commonstretur esse insania, eam non exhorreat? Quis edoctus pecus esse, qui vivit, ut edat, ut bibat; hominem, qui edit et bibit, ut vivat; temperantiæ non studeat? Quis patientiam non ambiat, si nullum nisi invito dolorem inuri posse, nullam nisi ab impatientia pœnam oriri pervideat? Quis non effrænes animi motus compescat, si vere magnum esse audiat animo dominari? ut

Latius regnes avidum domando
Spiritum, quam si Libyam remotis

Gadibus jungas, et uterque Pœnus
Serviat uni.

« Hæc in suggillationem nostri dicta sint, si non præstet fides, quod exhibuit infidelitas, » ait S. Hieronymus in *Epitaphio Nepotiani*. Si enim tanta docet, suadet et persuadet Ethica naturalis, quid non persuadebit supernaturalis et divina, quæ eo majores homini ad omne bonum stimulos facesque admovet, quo altius spectat objectum, altiorem habet finem, altiora docet officia? Fides, spes, charitas, pro objecto habent Deum. Quid non evincet, quid non audebit, quid non aggredietur summa Dei per fidem cognitio, excelsa per spem in Deum fiducia, cœlestis et seraphicus per charitatem Dei amor et ardor? « Sancti, ait S. Paulus *Hebr.* cap. XI, vers. 33, per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, ‹depti sunt repromissiones, obturaverunt ora eonum, exstinxerunt impetum ignis, effugerunt .ciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes acti sunt in bello, castra verterunt exterorum: acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos. Alii autem distenti sunt, non suscipientes edemptionom, ut meliorem invenirent resurrectionem; alii vero ludibria et verbera experti, nsuper et vinculo et carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt: circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, augustiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus; in solitudinibus errantes, in montibus et speluncis, et in cavernis terræ. »

Contemplare agones SS. Virginum, certamina Martyrum, martyria Apostolorum, labores Ascetarum, vigilias sanctorum Episcoporum, austeritatem Anachoretarum, et videbis quid quantumque possit Dei fides, spes et amor. Similis est religio, quam genuinam sola docet Christianorum Ethica, quæ proinde apud fideles duntaxat vera exstat; apud infideles vero et Philosophos, fucata et falsa, æque ac pœnitentia, patientia, fortitudo, prudentia, temperantia, justitia, cæteræque virtutes, quæ apud solos Christianos veræ sunt, apud Gentiles apparentes et fictæ. Audi S. Augustinum, lib. XIX *De Civitate*, cap. IV: « Si ait, veræ virtutes sunt, quæ nisi in eis, quibus vera inest pietas, esse non possunt, non se profitentur hoc posse, ut nullas patiantur miserias homines in quibus sunt; neque enim mendaces sunt veræ virtutes, ut hoc profiteantur: sed ut vita humana, quæ tot et tantis hujus sæculi malis esse cogitur misera, spe futuri sæculi sit beata, sicut et salva. Unde et Apostolus: « Spe salvi facti sumus, » *Rom.* VIII. Quanta ergo est laus patientiæ, beneficentiæ, fortitudinis, fidei, spei, charitatis omnisque virtutis; tanta est et laus Ethices: ejus enim argumentum, ejus studium, ejus palæstra propria est ipsa virtus.

Virtutis elogia ex philosophis.

Quid autem, qualis et quanta est virtus? Audi eam definientes Philosophos; audi et Theologos. Philosophi: « Virtus, inquiunt, est animi habitus, naturæ, modo et rationi consentaneus. »—« Virtus, ait Cicero II *Tuscul.*, a viro appellata est: viri autem propria maxime est fortitudo, cujus munera duo maxima sunt, mortis dolorisque contemptio. » Lactantius, lib. *De Opificio Dei*, in fine cap XII: « Vir dicitur, quod major vis est in eo, quam in femina; et hinc virtus nomen accepit. » Virtus enim est perferendorum malorum fortis et invicta patientia; et quoniam fortitudo cæteris omnibus virtutibus antecellit, hinc factum est, ut omnes rectæ animi affectiones, virtutes appellentur, ut quiquid vitio contrarium est, virtus appelletur. Hinc virtus Hebr. vocatur תמה *tumma*, id est perfectio, integritas. Antisthenes dicebat « virtutem sibi sufficere ad felicitatem, nec ulla re opus habere, nisi robore Socratico; virtutem enim esse armaturam, quæ detrahi non possit. Ensis enim et clypeus excutiuntur; sapiens autem ac virtute præditus nunquam non armatus est, eoque vinci non potest. Quare negabat sapientem vivere juxta leges ab hominibus institutas, sed juxta norman virtutis. » Ita refert Laertius lib. VI. Isocrates ad Demonicum asserit, « virtute nullam possessionem nec honestiorem esse, nec durabiliorem. » Epictetus apud Stobæum, *serm.* 1: « Anima, ait, dedita virtuti, similis est perenni fonti, cujus aqua est pura, imperturbata, dulcis, accepta, copiosa, ab omni noxa et pernicie aliena. Seneca apud Lactantium, lib. III, cap. XII: « Una, ait, res est virtus, quæ nos immortalitate donare possit, et pares diis facere. » Valerius Maximus, lib. V: « Nihil, ait, est, excepta virtute, quod mortali manu, et immortali animo quæri potest. » Sophocles in *Eriphile*: « Virtutis sola constans perpetuaque est possessio. » Silius Italicus, lib. II:

Explorant adversa viros, perque aspera duro
Nititur ad laudem virtus interrita clivo.

Juvenalis, *satyra* 8:

Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria, nobilitas sola est atque unica virtus.

Aristoteles I *Ethic.* cap. IX: « Virtutis merces ac finis, ait, optimum quiddam est, divinum et beatum. » Idem, lib. IX, cap. IV: « Est virtus, et vir bonus, mensura rerum omnium. » Socrates: « Virtus, ait, est statua quædam in sua basi. » Lyricus in *Laudib. virtut.*: « O virtus ardua laboriosaque generi humano, pulcherrima vitæ inventio! Tuam, o virgo, ob venustatem etiam mori, in Græcia optabilis habetur mors, ac labores vehementes et indefessos perpeti. Talem pectori inseris fructum immortalem, auro potiorem. Tua vero gratia Hercules Jove satus, Ledæque filii multa perpessi sunt, suis factis quid possent declarantes. Seneca, in *epist.*: « Omnia beneficia in luce se collocari volunt; sed nullum theatrum virtuti conscientia majus est. Quemadmodum minuta lumina claritas solis obscurat; sic dolores, mœstitias, injurias virtus magnitudine sua elidit atque opprimit; nec magis ullam portionem habent

incommoda, cum in virtutem inciderint, quam in mari. » Cicero *Tuscul.* ult. : « Virtus omnia, quæ cadere in hominem possunt, subter se habet, eaque despiciens casus contemnit humanos; culpaque omni carens, præter seipsam nihil censet ad se pertinere. At nos virtutem semper liberam volumus, semper invictam: quæ nisi sint, sublata virtus est. Atqui, si in virtute satis est præsidii ad bene vivendum, satis est etiam ad beate; satis enim est certe in virtute, ut fortiter vivamus; si fortiter, etiam ut magno animo, et quidem nulla re unquam terreamur, semperque simus invicti, tu nihil pœniteat, nihil desit, nihil obstet: ergo omnia profluenter, absolute, prospere; igitur beate. Satis autem ad fortiter vivendum virtus potest; satis ergo etiam ad beate. » Denique virtus amicat subditos, amicat et supernos.

Elogia christianorum Theologorum.

Quid est virtus? Audi Christianos, audi Theologos. S. Augustinus, lib. II *De Liber. Arb.* cap. XVIII et XIX, docet virtutes esse maxima bona. Addit-que: « Virtutibus nemo male utitur, cæteris autem bonis, id est mediis et minimis, non solum bene, sed etiam male quisque uti potest. Et ideo virtute nemo male utitur, quia opus virtutis est bonus usus istorum quibus etiam non bene uti possumus. Nemo autem bene utendo, male utitur. » Idem, lib. I *De Civit.* cap. XV, ait virtute beari tam civitates, quam homines. Et lib. V, cap. XII: « Virtus, ait, via est qua bonus nititur ad gloriam, honorem, imperium. Hinc Romani conjunctissimas constituerunt ædes virtutis et honoris, pro diis habentes, quæ dantur a Deo. » S. Ambrosius in *Officiis*: « Bonus circuitus est, si justitia quærit, prudentia invenit, fortitudo vindicat, temperantia possidet: ut justitia sit in affectu, prudentia in intellectu, fortitudo in effectu temperantia in usu. » Lactantius, lib. VII, cap. X. « Vitia, inquit, commotiones et perturbationes animi sunt: virtus e contrario, lenitudo et tranquillitas animi est: quia vitia temporalia et brevia sunt; virtus perpetua, et constans, et par sibi semper; virtus nunquam, nisi morte, finitur. » Idem, lib. VI, cap. IV: « Una est igitur virtutis ac bonorum via, quæ fert nos, non in Elysios campos, ut Poetæ loquuntur, sed ad ipsam mundi arcem:

At læva malorum
Exercet pœnas, et ad impia tartara mittit. »

Nihil ergo virtute nobilius, nihil utilius, nihil potentius. Ipsa est adamas indomabilis, qui omnia domat; ipsa est palma quæ contra omnia pondera eluctatur, et comam attollit:

Arx est ipsa sibi virtus, ipsa eruit arces:
Ipsa feras hominemque domat: non horret inermis
Ire per hostiles cuneos, inimicaque castra.
Aspice ridentem Siculi mandata tyranni
Zenonem, et regis versos in vulnera cives.
Regulus ad Libycas iterum freta navigat arces,
Impavidumque caput gravia ad tormenta reportat.
Prætereo Christi passos immania testes
Funera, Laurentique ignes, Paulique catenas.

S. Chrysostomus, *homil.* 6 in illud: *Modico vino utere*: « Non sic, inquit, flammæ natura in materiam delapsa, vicina semper ligna incendit, sicut virtutis zelus in paucas lapsus animas, ulterius procedendo omnes implere potest. » Philo, lib. *De Plant. Noe*: « Sicut sol, inquit, oriens totum cœlum radiis illustrat; sic virtutes suis in homine radiis, postquam mentem penetrant, totam eam reddunt lucidissimam. » S. Basilius, *in Psalm.*: « Flamma, inquit, quæ a proprio fumo supprimitur, aditum liberum non habet, sed circa illum volvitur; sic et virtute animas dirigente, tabescere, dejicique a magnis turbationibus non contingit, cum nullum ad exteriora respirationis exitum habeant. » Thalasius, *ad Paulinum* : « Sicut, inquit, anima corpus secundum naturam vivificat, ita et animam virtus et scientia. » Agapetus, *ad Justinianum Imperatorem* : « Sicut, qui scalas conscendere cœperunt, non prius desistunt ab ascensu, quam supremum attigerint gradum: sic virtutis studiosus semper altius scandendo excitabitur. » Id plenius docebit noster Siracides, qui adeo exacte omnium virtutum officia persequitur, ut inde cognominatus sit πανάρετος.

V. Vitiorum castigatio.

Quinta Ethices laus accedit a contrario, puta a vitio quod ipsa castigat, ejusque erroneum de agendis judicium corrigit et emendat. Sicut enim moralis hæc disciplina vim animi torpentem ad omne honestum rectumque exstimulat; ita et vim animi cognoscentem dirigit et illustrat: ut quid in moribus verum agendumque, quidque sequi ac deligere debeat, sciat et norit: facilis enim hic, olim præsertim, lapsus, quando mens iter hoc non ita tritum ingressa, cupiditate in malas ruente voluptates occæcata, aut in devium acta, illius ambitu, quæ mire animum mentemque perurget gloria, in turpes prolapsa labes exitium sibi conscivit. Quocirca recte ait Horatius lib. I *Epist.*:

Virtus est vitium fugere; et sapientia prima
Stultitia caruisse.

Et lib. III *Carminum*:

Virtus repulsæ nescia sordidæ
Intaminatis fulget honoribus.

Hic ergo Lucretiam damnabit pudicitia, quod infamiæ, quam minabatur adulter Sextus Tarquinius, fidem conjugii posthabuerit; damnabit et conscientia, quod injuriæ jam passæ impatiens manus sibi intulerit. Laudibus vero Susannam efferet, quod vitam et famam potius quam puritatem aleæ subjicere maluit. Hic omnes illi necis propriæ rei peragentur, qui sine summi Imperatoris jussu stationem suam deseruere, et infami facinore honorem morte propria expiare vel parare sat gerunt. Hic veritas pœnas exiget ab eis qui mendacio fortunis, gloriæ, vel etiam vitæ patrocinium quæsivere. Contra vero heroica virtus sua hic monstrabit officia, et ad omne decus et laudem prælucebit. Hic Galienus imperator laudabitur, quod in impostorem gemmarium

sibi injurium, ad leonem postulatum, in theatro publico caponem immiserit, leni hac censura per præconem et fraudem castigans, et noxam sibi factam clementer indulgens: « Imposturam fecit, imposturam passus est. » Hic continentia palmam dabit virginibus, quæ eximiam speciem complurium sollicitantem oculos vulneribus fœdarunt, deformitatemque sanctitatis suæ fidem, quam formam irritamentum alienæ libidinis esse maluerunt. Hic Socrates infractum docebit animum, si mors veritatis causa sit oppetenda; minusque, vel calumniis exterorum aut domesticorum movebitur; etiamsi malum amplexus necessarium, furente Xantippe, tonitrua sæpe in pluviam desinant. Nimirum, hæc sapientia, hæc Ethica efficiet ut homo non jam sensibus voluptatique deditus, sui aliarumque rerum servus, suis cupidinibus, seu vitio famuletur mancipium; sed ut sui rerumque omnium dominus, omnia sibi subdita calcet, ac caput imperterritum omnibus efferat, ut, etiamsi tractus illabatur orbis, impavidum feriant ruinæ. Quocirca Philosophi illustria hæc titulorum elogia Ethicæ dederunt. Cicero eam indigitavit « expultricem vitiorum; » alii: « philosophiam morum; » alii, « satricem virtutum; » Quintilianus: « actionum magistram; » Varro: « naturæ ornamentum; » alii: « affectionum dominam; » alii: « gratiæ fundamentum; » alii: « reipublicæ formam, animi animam, Theologiæ manum, fontem Jurisprudentiæ; » Arnobius denique: « florem Divinitatis. » Ethica enim, uti a Deo promanat, ita ad Deum redit, suos que asseclas reducit. Audi Epictetum *ad Arrianum*: « Oportet, inquit, ut omnia principia, quasi converso orbe, redeant ad unum principium, omnia pulchra ad unum pulchrum, omnia vera ad unum verum, omnia bona ad unum bonum, omnia divina ad unum Deum, omnia una ad unum ter unum. Nam unitas, principium, bonum, verum, Deus, eadem sunt, unum sunt. » O stuporem! Verba hæc sonant Evangelium, non Philosophiam moralem. Divinius Trismegistus, qui, dum derivat omnia ex mundo in Deum, ex Deo in mundum: dum colligit ex effectis facultatem, ex ordine divinitatem, ex multitudine unitatem; hunc Architectum appellat mundi patrem, principem, gloriam, naturam, finem, necessitatem, actionem omnis facultatis, facultatem omnis actionis, solum sanctum, solum non natum: solum, in quo sola æternitas; solum, per quem solus mundus, soli totum, toti solum, expertem nominis, meliorem omni nomine. O Divinitatem! In tuo tunc, Trismegiste, non tam ore videtur habitasse Plato, quam in pectore Paulus. Quid Socrates? Non satis illi fuit verbo fateri unum Deum; volebat consignare suo sanguine. Etiamne moralis Philosophia edit nobis martyres? Utique Socrates pro Ethica, Deique unius cultu occubuit. Martyr ergo fuit, non fidei, sed naturæ; non gratiæ, sed Ethicæ et Philosophiæ.

Longe verius et sincerius, Ethica sacra et christiana castigat, non tantum vitia quælibet, quantumvis occulta, quantumvis minuta; sed et ipsam Philosophorum Ethicam, ac virtutem: hanc enim damnat vanitatis, vanæque gloriæ, quæ ipsis unus fuit virtutis stimulus, unus laborum finis et merces: atque ex adverso docet virtutem in se non spectare nisi bonum honestum; extra se non spectare nisi Deum, Deique laudem et gloriam. Ita Diogenem, quasi gloriæ animal; ita Platonem, Socratem, Aristotelem, quasi popularis auræ mancipia redarguit S. Paulus, dum ait: « Mihi pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die; qui autem me judicat, Dominus est, etc., qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium; et tunc laus erit unicuique a Deo, » I *Cor.* IV, 3. Et: « Qui gloriatur, in Domino glorietur; non enim, qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat, » II *Cor.* X, 17.

Ethica christiana castigat philosophicam.

Ita Ethica christiana castigat et emendat Philosophicam, quod ignorarit virtutes Theologicas, fidem, spem, charitatem, æque ac religionem; quod nescierit quid sit humilitas, quid pœnitentia, quid paupertas spiritus, quid vera virginitas; quod censuerit virtutem non a Deo menti inseri, sed propriis naturæ viribus parari; quod non aliud virtuti præmium, quam temporariam hominum laudem statuerit, cum longe majora et ampliora Ethices ac virtutis sint merita. Audi *Sapientiam*, cap. X, 10, ea in patriarchis Jacob, Joseph, Mose et Hebræis demonstrantem et celebrantem: « Hæc (Sapientia), inquit, profugum iræ fratris justum deduxit per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei, et dedit illi scientiam sanctorum; honestavit illum in laboribus, et complevit labores illius. In fraude circumvenientium illum affuit illi, et honestum fecit illum; custodivit illum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum, et certamen forte dedit illi, ut vinceret, et sciret quoniam omnium potentior est sapientia. Hæc venditum justum non dereliquit, sed a peccatoribus liberavit eum; descenditque cum illo in foveam, et in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni, et potentiam adversus eos qui eum deprimebant; et mendaces ostendit, qui maculaverunt illum, et dedit illi claritatem æternam. » Deinde totius Hebræi populi libertatem sapientiæ assignans: « Hæc, ait, populum justum, et semen sine querela liberavit a nationibus, quæ illum deprimebant. Intravit in animam servi Dei, et stetit contra reges horrendos in portentis et signis; et reddidit justis mercedem laborum suorum, et deduxit illos in via mirabili, et fuit illis in velamento diei, et in luce stellarum per noctem. Transtulit illos per mare Rubrum, et transvexit illos per aquam nimiam; inimicos autem illorum demersit in mare, et ab altitudine inferorum eduxit illos. Ideo justi tulerunt spolia impiorum, et decantaverunt: Domine, nomen sanctum tuum, et victricem manum tuam laudaverunt pariter; quoniam sapien-

tia aperuit os mutorum, et linguas infantium fecit disertas. »

Trismegisti. Censuit Mercurius Trismegistus, teste S. Augustino lib. VIII *De Civit.* cap. XXIII, homines posse deos facere per artem quamdam arcanam: « Hos ergo, ait, spiritus invisibiles (dæmones) per artem quamdam visibilibus rebus corporalis materiæ copulare, ut sint quasi animata corpora illis spiritibus dicata et subdita simulacra; hoc esse dicit deos facere, eamque magnam et mirabilem deos faciendi accepisse homines potestatem. » Acriter hoc perstringit S. Augustinus: « Nescio, ait, quomodo illa obscuratione cordis ad ista delabitur, ut diis, quos confitetur ab hominibus fieri, semper velit homines subdi, et hæc futuro tempore plangat auferri, quasi quidquam sit infelicius homine, cui sua figmenta dominantur; cum sit facilius fieri deos colendo quos fecit, ne ipse sit homo, quam ut per ejus cultum dii esse possint, quos fecit homo. Citius enim fit ut homo, in honore positus, pecoribus non intelligens comparetur, quam ut operi Dei ad ejus imaginem facto, id est, ipsi homini opus hominis præferatur. Quapropter merito homo deficit ab illo qui eum fecit, cum sibi præficit ipse quod fecit. »

Senecæ. Seneca taxat et ridet idola; censet tamen ea esse colenda ob morem receptum, ut ea colens hunc cultum « in animi religione non habeat, sed in actibus fingat. » Ait enim : « Quæ omnia sapiens servabit tanquam legibus jussa, non tanquam diis grata. » Merito Senecam culpat S. Augustinus, lib. VII *De Civit.* cap. X: « Sed iste, ait, quem Philosophi quasi liberum fecerunt; tamen quia illustris populi Romani senator erat, colebat quod reprehendebat, agebat quod arguebat; quod culpabat, adorabat; quia, videlicet, magnum aliquid eum Philosophia docuerat, ne superstitiosus esset in mundo; sed propter leges civium, moresque hominum, non quidem ageret fingentem scenicum in theatro, sed imitaretur in templo; eo damnabilius, quod illa quæ mendaciter agebat, sic ageret, ut eum populus veraciter peragere existimaret. »

Stoïcorum. Stoici docebant sapientis esse seipsum occidere, cum ea ingruunt mala, quæ non possit, vel quæ non deceat eum sustinere, uti Cato se occidit ex animi infirmitate et mollitie, ne in manus Cæsaris veniens, probro esset et ludibrio; et tamen iidem pariter docebant sapientem esse beatum, nec quidquam mali ei accidere posse, quod eum miserum efficiat. Carpit hoc S. Augustinus, lib. XIX *De Civit.* cap. IV; irridens enim exclamat: « O vitam beatam, quæ, ut finiatur, mortis quærit auxilium! Si beata est, maneatur in ea; si vero propter ista mala fugitur ab ea, quomodo est beata? aut quomodo ista non sunt mala, quæ vincunt fortitudinis bonum? eamdemque fortitudinem non solum sibi cedere, verum etiam delirare compellunt, ut et eamdem vitam dicant beatam, et persuadeant esse fugiendam? Quis usque adeo cæcus est, ut non videat quod si beata esset, fugienda non esset? Sed, si propter infirmitatis pondus, qua premitur, hanc fugiendam fateantur, quid igitur causæ est, cur non etiam miseram fracta superbiæ cervice fateantur? Utrum, obsecro, Cato ille patientia, an potius impatientia se peremit? Non enim hoc fecisset, nisi victoriam Cæsaris impatienter tulisset. Ubi est fortitudo? Nempe cessit, nempe succubuit, nempe usque adeo superata est, ut vitam beatam derelinqueret, desereret, fugeret. »

Aristoteles, lib. VII *Polit.* cap. XVI, censet filios Aristotelis. mancos, cæcos, surdos, etc., esse abjiciendos; et si quis prole, quam alere nequeat, gravetur, procurandum aborsum : « Circa expositionem, inquit, vel educationem filiorum lex sit, nihil orbatum natura fore educandum. In aliis vero, si mores institutioque civitatis prohibeant natos exponere, ac multitudo tanta prolis alicui contigerit, ut duplicatus sit filiorum numerus (nam is definitus esse debet), ad multitudinem nimiam evitandam antevenire oportet, ut non concipiantur. » Ulterius provehitur Seneca, lib. I *De Ira*, cap. XV : « Portentosos fœtus exstinguimus, ait, liberos quoque, si debiles monstrosique editi sunt, mergimus: non ira, sed ratio est, a sanis inutilia secernere. » Vide Justum Lipsium, Centur. 1 *ad Belgas*, epist. 85, ubi Romuli, Quintiliani et aliorum similes sententias recitat. Hæc omnia homicidii et infanticidii, imo parricidii, damnat Tertullianus *Apol.* cap. IX: « Homicidii, ait, festinatio est prohibere nasci; nec refert natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet; homo est, et qui est futurus, et fructus hominis jam in semine est. » Et S. Ambrosius, lib. V *Hexaem.* cap. XVIII : « Divites, ait, ne per plures suum patrimonium dividatur, in utero proprios necant fœtus, et parricidalibus succis in ipso genitali alvo pignora sui ventris exstinguunt; prius aufertur vita, quam traditur. »

In infideli non est vera virtus. Denique S. Augustinus lib. IV *Contra Julianum*, cap. III, multis docet in infidelibus nullam veram, id est, plenam et omnibus numeris absolutam, esse virtutem : « Ego dixi, ait, pudicum non veraciter dici, qui non propter Deum veram connubii fidem conservat; » et mox: « Quomodo vera ratione pudicum corpus asseritur, quando a vero Deo ipse animus fornicatur? juxta illud *Psalm.* LXXII : Perdidisti omnes, qui fornicantur abs te ; » et inferius : « Sed absit ut sit in aliquo vera virtus, nisi fuerit justus. Absit autem ut sit iustus vere, nisi vivat ex fide; justus enim ex fide vivit. Quis porro eorum qui se christianos haberi volunt, nisi soli Pelagiani, justum dixerit infidelem, justum dixerit impium, justum dixerit diabolo mancipatum? sit licet ille Fabricius, sit licet Fabius, sit licet Scipio, sit licet Regulus. » Citat deinde Pythagoram et Platonem, « qui, multo excellentiore cæteris philosophia nobilitati, veras virtutes non esse dicebant, nisi quæ menti

quodam modo imprimuntur a forma illius æternæ immutabilisque substantiæ, quæ est Deus; » et mox : « Quomodo sunt vere justi, quibus vilis est humilitas viri justi? Quomodo est in eis vera justitia, in quibus non est vera sapientia? Porro, si veram justitiam non habent impii, profecto non alias virtutes, comites ejus et socias; quia, cum non ad suum referuntur auctorem dona Dei, hoc ipso mali his utentes efficiuntur injusti.» Veram virtutem vocat S. Augustinus eam, quæ ducit ad salutem et beatitudinem cœlestem, qualis est christiana fidelium, quæ proinde falsam Gentilium castigat, format, perficit.

VI. Principatus scientiarum.

Sexta Ethicæ laus obvenit a cæterarum scientiarum primatu ac regimine. Sextus Cheronæus Scepticæ familiæ philosophus, varia et eleganti simulitudine, quantum Ethica cæteris Philosophiæ partibus præstet, ostendit, et quasi intuendum oculis subjecit : « Philosophia, inquit, similis est areæ muro cinctæ, et omni fructuum genere luxurianti, in qua parietum firmitas refert Logicam, arborum proceritas Physicam, fructuum suavitas Ethicam. » Rursum : « Si Philosophiam ovo componas, testa, sive cortex, repræsentat Logicam, albumen Physicam, vitellus Ethicam. » Pulchrius vero Possidonius Philosophiam animali persimilem dictitabat: sanguini enim et carnibus respondere Physicam, ossibus et nervis Logicam, animæ Ethicam. Quantum ergo anima antecellit carni et ossibus, tanto Ethica antecellit Physicæ et Logicæ.

Theologia magna ex parte ethica.

Rursum Ethica, sicut omnes hominis actiones, ita et omnia ejusdem studia ac scientias dirigit ad suum finem: naturalis ad naturalem; supernaturalis ad supernaturalem. Quocirca Theologiæ, quæ disciplinarum omnium est princeps et regina, medulla est Moralis. Prima S. Thomæ parte agitur de attributis, virtutibus et moribus Dei et Angelorum; secunda, de virtutibus et vitiis hominum. Priore enim ejus sectione disputatur de hominis beatitudine, voluntario, libertate, electione, consilio, prudentia, vi concupiscibili et irascibili, habitibus, passionibus, peccatis, legibus ac gratia; posteriore, de fide, spe, charitate, justitia cæterisque virtutibus. Tertia Theologiæ parte agitur de Christo, ejusque dotibus, virtutibus et Sacramentis, quibus ipse nos a vitiis purgat, virtutes inserit, et ad beatam felicitatem perducit. Atque, ut reliquas artes et disciplinas prætream, Jurisprudentia, quæ in republica clavum tenet, eamque regit et moderatur, adeo nititur Ethica, adeo eam sibi incorporat, ut qui hanc sustulerit, illam everserit. Qua ratione, quæso, Jurisconsultus sese optimis ornabit moribus, honeste vivet, alterum non lædet, si hanc sapientiæ partem, quæ mores fingit, non calleat? Quid vero, si reipublicæ gubernaculis admoveatur, in republica se dignum fecerit, si Politicam, tertiam Ethicæ partem, ignoret? Quid denique de æquo, bono, honesto, justo, injusto, sive a causis, sive a consiliis sit, sine Ethica disseret? Quid enim est aliud Jurisprudentia, quam justi et injusti scientia? Ut non sine ratione, plerique Jurisprudentiam, partem Philosophiæ illius, quæ a moribus formandis nomen habet, autument. Unde enim, quæso, Jurisconsultus æqui, boni, honesti rationes derivabit, nisi ex Platonis legibus, nisi ex Ethicis Aristotelis, vel ipsa undecumque morali disciplina? ex quorum scriptis veteres Jurisperiti multa adeo deprompserunt, ut, si omnia suis reddantur auctoribus,

moveat cornicula risum
Furtivis nudata coloribus.

Juris prudentia sub alterna ethica.

Qui vero suis quemque pinget coloribus, improbos arcesset, probos defendet, nisi virtutum vitiorumque rationes et formas ex Ethica dispexerit? Ut urgente hac veritate adacti, Jurisprudentiam Ethicæ politicæ maxime subalternam esse, indeque sua petere principia, ut a Physica sua petit Medicus, ipsi æque Jurisperiti consentiant; neque enim imperatorum nuda auctoritate firmaris leges, nisi et auctoritatem justitia, ejusque principiis subnixam doceas. Id ad oculum videremus, si veteres Juris codices exstarent, nec eos magno illius damno concremassent illi, qui ex eis Justinianæas Pandectas conflarunt.

Quare adeo Jurisprudentia Ethicæ innixa et connexa est, ut illi plane subalterna, ex ejus principiis, velut fontibus, scita sua et leges velut rivulos, educat. Hinc est ut Ethicus et Jurisconsultus eodem se referant, dum, quas de virtutibus et vitiis notiones universas in doctrinæ formam includit Ethicus, illas Jurisconsultus locorum, temporum, negotiorum, personarum regionibus et cancellis percommode ad usum includit et circumscribit. Ethicus præscribit scelus vindicandum; Jurisconsultus hanc regulam ad certam pœnam revocat. Ethicus ponit legem, ut parentes curent filios; Jurisconsultus mulctat eum qui filii non vult esse curator. Ethicus justitiam commutantem ponit mediam inter lucrum et damnum; Jurisconsultus ex hoc notionis fonte conventiones justas, mutuum, commodatum, depositum, pignus, emptionem, venditionem, locationem, conditionem, tanquam rivulos, deducit. Ethicus edisserit summum jus esse summam injuriam; Jurisconsultus ad hujus præcepti normam temperat legem, ne sanguine pietur mors, quam amico infers invitus. Ethicus docet æquitatem non esse contrariam juri, sed jure meliorem, dum, quod tacet jus, æquitas loquitur; Jurisconsultus hinc colligit nihil facere contra legem non occidendi, qui majestatis violatæ reis pœnam irrogat securis. Porro, ut ex multis pauca delibem, quæ sunt per totum Juris corpus dispersa et fusa, ea si conferas cum moralis Philosophiæ præceptionibus, videbis clare Philosophiam (quæ morum profitetur conformationem) esse quamdam quasi naturæ thesim, et hujus

theseos Jurisprudentiam esse hypothesin. In quam sententiam videtur ivisse pedibus Ulpianus, dum lib. *Jus civile*, ff. *De just. et jure*, post pulchram de Jure civili disputationem uberi filo pertextam, tandem statuit Jus civile nihil aliud esse quam Juris naturalis, id est moralis Philosophiæ, quamdam moderationem.

VII. Finis beatitudo. *Septima* et maxima Ethices laus est a fine et scopo, puta a beatitudine, ad quam suos asseclas recto virtutum tramite deducit et perducit. Nemo est tam demens, quin cupiat beatus esse et felix; nemo est tam barbarus, cujus non gestiat animus, si felicitatis cogitatio et spes mentem subeat, si ejus potiundæ via et ratio ostendatur. Ostendit eam Ethica. Cleombrotum (quem S. Augustinus nuncupat Theobrotum), lecto Platonis *Phædone*, ubi de immortalitate animæ disputat, se præcipitem de muro, illicite quidem et perverse, dedisse tamen, atque ita ex hac vita emigrasse ad eam, quam credidit esse meliorem, auctor est idem S. Augustinus lib. I *De Civit.* XXII; de eo canit Callimachus :

Vita, vale, muro præceps delapsus ab alto,
Dixisti moriens, Ambraciota puer :
Nullum in morte malum credens ; sed scripta Platonis
Non ita erant animo percipienda tuo.

Ejusdem felicitatis amore violentas sibi manus intulisse Cleanthem, Chrysippum, Zenonem, Empedoclem, Catonem Uticensem memorat Lactantius lib. III *Instit.* cap. XVIII; nimirum, a Zenone immortales animas, et inferos, uti sentit S. Hieronymus *in cap.* I *Daniel.*, didicerant. Cicero vero lib. *De Senect.*: « Cum tanta, inquit, celeritas animorum sit, tanta memoria præteritorum, futurorum providentia, tot artes, tantæ scientiæ; sic mihi persuadeo non posse eam naturam, quæ res eas continet, esse mortalem. » Et anhelus ad beatam vitam : « O præclarum, ait, diem, cum in illud animarum concilium proficiscar, et cum ex hac turba et colluvione discedam! » Nimirum, ex Platone subobscura quædam et ambigua de futuris animarum præmiis et suppliciis hauserat. Cujus commentator et interpres Macrobius ex Platone geminam statuit portam hominum : primam descensus, quo purgentur animæ, et ad Lethæum deducantur flumen, ut inde oblivionem præteritorum malorum bibant, et ad supera conscendant. Hinc eas, ut canit Virgilius lib. VI *Æneid.*:

Lethæum ad fluvium Deus evocat agmine magno;
Scilicet, immemores supera ut convexa revisant.

Alteram deorum in Capricorno, qua pateat aditus ad lacteum in signifero circulum, qui locus Beatorum sit, quo priusquam pertingant, per erraticas oberrare stellas, ut in Saturno sapientiam, in Jove agendi vim, in Marte ardorem animi, in Sole sentiendi opinandique facultatem, in Venere voluptatum sensum, in Mercurio interpretandi vigorem, in Luna vim augurandi nanciscantur. Commentum risu et sibilis dignum: cui similis est illa Pythagoræ metempsychosis, qui merito vel demerito animarum, illas post mortem in alia nobilia vel ignobilia transmeare corpora opinatus est, commentus se Euphorbum militem fuisse, et Trojano bello a Menelao cæsum:

Ipse (ait) ego (nam memini) Trojani tempore belli
Pantoides Euphorbus eram, cui pectore quondam
Hæsit in adverso gravis hasta minoris Atridæ.
(Ovidius, lib. XV *Metamorph.*)

Insulsa hæc, et quæ Philosophus cœtu suo indigna contemnat; at quantos suspensa futurorum spes, et perennis animæ opinio, multis licet contaminata fabulis, asseclis eorum admovit stimulos, ut indomitas animi libidines, ceu ferocientis equi impetus, edomare conarentur et mansuefacere, quo rationis frenum admitterent, ejusque ductum non detrectarent!

Quid ergo Christianis Ethica non persuadeat, quando jam defæcata plane, certissimisque fidei subnixa principiis, nil, ubi erret, timeat? quando virtutis callem non sublustrem, sed præfulgidum edocet? quando animum nunquam intermoriturum, sed in omne ævum beatissima vel miserrima sorte perduraturum, tam clare, quam solem hunc nobis prælucere, demonstrat? quando veram hominis beatitudinem, non in terra, sed in cœlo, non in creatura quapiam, sed in ipso Creatore; ejusque per visionem et amorem possessione consistere, ut ipsomet Deo, ejusque bonis omnibus fruamur et beemur, certo liquidoque ostendit? Ignorarunt id Philosophi; aliquid tamen de eo per rimam vel umbram perspexerunt. Hinc illud Sibyllæ apud Virgilium, lib. VI. *Æneid.*:

Facilis descensus Averni;
Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est: pauci, quos æquus amavit
Jupiter, aut ardens evexit ad æthera virtus,
Diis geniti potuere.

Censebant illi, homines Ethices et virtutis studiosos post mortem cœlum conscendere, ibique in deorum numerum et consortium transcribi; imo nonnulli non alios putabant esse deos, quam qui heroicis virtutum actibus, divinitatis nomen et famam sibi parassent. Ita Ovidius lib. I *De Art.*:

Munus habe cœlum, cœlo spectabere sidus.

Seneca in *Oetavia*:

Hæc summa virtus, petitur hac cœlum via.
Sic ille patriæ primus Augustus parens
Complexus astra est.

Et rursum:

Virtus mihi
In astra, et ipsos fecit ad superos iter

Idem in *Herc. Octæo*:

Nunquam Stygias fertur ad umbras
Inclyta virtus: vivite fortes :
Iter ad superos gloria pandit.

Plinius in atheismum vergens, lib. II, cap. VII: « Quisquis, ait, est Deus (si modo est alius) et quacumque in parte, totus est sensus, totus visus, totus auditus, totus animæ, totus animi, totus sui. » Et inferius : « Deus est mortali juvare mortalem, et hæc ad æternam gloriam via. Hac proceres iere Romani; hac nunc cœlesti passu cum liberis suis vadit maximus omnis ævi rector, Vespasianus Augustus, fessis rebus subveniens. Hic est vetustissimus referendi bene merentibus gratiam mos, ut tales numinibus adscribantur. Quippe et omnium aliorum nomina deorum, et quæ supra retuli siderum, ex hominum nata sunt meritis. Jovem quidem, aut Mercurium, aliterve alios inter se vocari, et esse cœlestem nomenclaturam, quis non interpretatione naturæ fateatur? » Hæc ille Deum Numenque ignorans.

Longe verius, sublimius et divinus Theologi, ipsum Deum Numenque certissimo statuentes, illud ipsum sapientiæ ac virtuti præmium assignant. Audi S. Augustinum lib. *De Quantit. animæ*, in fine: « Virtutis præmium est Deus. » Audi Regium Psaltem: « Domine, apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen, » *Ps.* XXXV, vers. 10. « Ut sit Deus omnia in omnibus, » ait S. Paulus I *Cor.* XV, 28. Audi S. Joannem, I *Epist.* cap. III, 2: « Charissimi, nunc filii Dei sumus; et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est. » Et *Apocal.* cap. XXI, 22, describens cœlestem beatamque Jerusalem : « Templum, ait, non vidi in ea. Dominus enim Deus omnipotens templum illius est, et Agnus. Et civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea. Nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna ejus est Agnus. »

Quocirca merito exclamat S. Augustinus serm. 1 *in Festo omnium Sanctorum* : « O vere beata mater Ecclesia, quam sic honor divinæ dignationis illuminat, quam vincentium gloriosus martyrum sanguis exornat, quam inviolatæ confessionis candida induit virginitas; floribus ejus nec rosæ, nec lilia desunt. Certent nunc charissimi singuli ad utrosque honores, amplissimas accipere dignitatum coronas, vel de virginitate candidas, vel de passione purpureas. In cœlestibus castris pax et acies habent flores suos, quibus milites Christi coronantur. » Et inferius: « Ergo agite nunc, fratres, aggrediamur iter vitæ, revertamur ad civitatem cœlestem in qua scripti sumus, et cives decreti. Non sumus hospites, sed cives Sanctorum, et domestici Dei, etiam illius hæredes; cohæredes autem Christi. Hujus nobis urbis januas aperiet fortitudo, et fiducia latum præbebit ingressum. Consideremus ergo inclytam urbis illius felicitatem, in quantum considerare possibile est. » Et mox: « Verum super hæc omnia est consociari Angelorum et Archangelorum cœtibus, Thronis etiam et Dominationibus, Principatibus et Potestatibus, omniumque cœlestium supernarumque virtutum contuberniis perfrui, et intueri agmina Sanctorum splendidius sideribus micantia, Patriarcharum fide fulgentia, Prophetarum spe lætantia, Apostolorum in duodecim tribubus Israel orbem judicantia, Martyrum purpureis victoriæ coronis lucentia, Virginum quoque choros candentia serta gestantes inspicere. De Rege autem, qui horum medius residet, dicere vox nulla sufficit: effugit enim omnem sermonem, atque omnem sensum humanæ mentis excedit decus illud, illa pulchritudo, illa virtus, illa gloria, illa magnificentia, illa majestas; ultra enim omnem Sanctorum est gloriam, ipsius inæstimabilem aspicere conspectum, et splendore majestatis ejus irradiari: si enim quotidie oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennam parvo tempore tolerare, ut Christum videre digni essemus in gloria venientem, et Sanctorum ejus numero sociari, nonne erat dignum pati omne quod triste est, ut tanti boni tantæque gloriæ participes haberemur? » Denique concludens: « Ad hanc igitur operum salutarium, dilectissimi, palmam libenter ac prompte certemus, omnes in agone justitiæ Deo et Christo spectante curramus. Et qui sæculo et mundo majores esse cœpimus, a cursu nostro nulla sæculi cupiditate retardemur. Si expeditos, si celeres in hoc operis agone, si currentes dies ultimus invenerit, nusquam Dominus meritis nostris ad præmium deerit remunerator. Qui coronam in persecutione purpuream pro passione donavit, ipse in pace viventibus pro justitiæ meritis dabit candidam. »

DOMINE JESU CHRISTE, æternæ sapientiæ sol, Verbum Patris, splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus, amor noster, da nobis hanc tuam sapientiam, hanc prudentiam justorum, hanc scientiam Sanctorum. Tu enim per generationem æternam es ipsa Sapientia increata, per generationem temporalem nobis factus es ipsa Sapientia incarnata. Ad hoc enim e sinu Patris in uterum Virginis Matris, e summis cœlorum montibus in imum hoc terræ antrum centrumque descendisti, ut nos eamdem, tam exemplo, quam verbo doceres. Tu eamdem Prophetas Sanctosque omnes docuisti; tu eamdem nostro Siracidi inspirasti. Da ergo sapientiam ejus παγάρετον intelligere, omnemque ejus virtutem, tam voluntate, quam mente complecti, ut eam tam effectibus, quam operibus et moribus exprimamus, ut valedicamus vanitati, serviamus veritati, vivamus ÆTERNITATI. Tu enim es lux mentium, rex spirituum, dux cordium; tu es via, veritas et vita : via in exemplo, veritas in promisso, vita in præmio. Gradiamur ergo in te, per te, ad te; ut, sicut jam per umbram eminus, ita post hanc vitam facie ad faciem cominus te intueamur, te fruamur, te beemur in omne ævum. Imple animas nostras tuis splendoribus; imple et ardoribus Sanctorum, ut cito ad te tuamque gloriam pervenire valeamus, quem hujus itineris ducem, salutis auctorem,

lucis principem, lætitiæ largitorem habemus; quia tu es nostra sapientia, sapiens veritas, vera charitas, chara felicitas, felix ÆTERNITAS.

Quam sapiens, qui vivit sapientiæ, qui sapit ÆTERNITATI!

Quam felix, quem in æternum ipsa beat FELICITAS!

Fin de l'aperçu

La suite du livre est en qualité visuelle diminuée. Le livre est toutefois complet.

Il est possible de se procurer à prix abordable une édition papier du livre en visitant le site suivant :

canadienfrancais.org

Ce PDF peut être distribué librement. Plus de détails à la dernière page.

IN ECCLESIASTICUM

PROLEGOMENA.

Inscribitur hic liber in Græcis Bibliis, Σοφία Ἰησοῦ, υἱοῦ Σιρὰχ, *Sapientia Jesu, filii Sirach,* ut distinguatur a *Sapientia Salomonis;* in Latinis, *Ecclesiasticus.* De eo nonnulla præmittenda sunt: primum, de ejus auctoritate; secundum, de auctore; tertium, de interpretibus; quartum, de argumento; quintum, de methodo; sextum, de stylo. Quibus succedent septimo ordine Canones, qui facem toti libro præferant.

CAPUT I.

Auctoritas Ecclesiastici.

Non esse canonicum censent hæretici.

Nonnulli olim dubitarunt, imo negarunt, *Ecclesiasticum* esse librum Canonicum: Judæi enim non habent eum in suo Canone librorum S. Scripturæ. Unde Concilium Laodicenum, *can.* 59; Melito Sardensis apud Eusebium, lib. IV *Hist.* cap. XXVI; S. Gregorius Nazianzenus, Amphilochius, et Hilarius, *Præfatione in Psalmos,* texentes catalogum Sacrarum Scripturarum, omittunt Ecclesiasticum. Et S. Hieronymus, *Præfat. in libros Salomonis,* asserere videtur Ecclesiasticum non valere ad auctoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam. Idipsum aperte negant hæretici moderni. Lutherus in *Colloq. Latinis,* tom. II, cap. *de lib. Vet. Testam.,* ait: « Ecclesiasticus verus est Legista et Jurista, non Propheta; nihil scit de Christo. Quid est Jesus Sirach (quamvis liber sit optimus) ad Christi et Apostolorum verba? Tantum est legalis liber. Est sicut Thalmud ex variis libris collectus; loquitur de jure et œconomia. Hoc miratur mundus, et verba Christi excellentissima negliguntur. » Guilielmus Witakerus in *Disp. de S. Script.,* controv. I, q. 4, cap. XII *de Ecclesiastico:* « Non esse, inquit, canonicum librum, ex eo colligi potest, quod græce scriptus fuerit. » Calvinus, in *Antidoto,* Ecclesiasticum odit, quod ex eo multa fidei dogmata, quæ ipse negat, confirmentur: « Unde, inquit, melius fœcem haurient? »

Canonici libri duplices.

Suppono libros canonicos S. Scripturæ esse duplicis generis; alii enim sunt Protocanonici, alii Deuterocanonici. Protocanonici, sive primi canonis vocantur, de quorum fide nulla unquam inter Catholicos fuit disceptatio, sed ab omnibus habiti sunt quasi libri S. Scripturæ, dictati a Spiritu Sancto. Deuterocanonici, sive secundi canonis vocantur, qui, licet vere canonici sint, tamen de eorum auctoritate aliquando ab orthodoxis dubitatum fuit; tales sunt Esther, Baruch, Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus, Machabæorum uterque, Epistola ad Hebræos, Epistola S. Jacobi, S. Judæ, secunda S. Petri, secunda et tertia S. Joannis, et Apocalypsis; cæteri omnes sunt Protocanonici.

Hoc est, quod de Sapientia et Ecclesiastico agens, ait Damascenus lib. IV *Orthodox. fidei,* cap. XVIII: « Qui omnium virtutum genere ac doctrina referti sunt, hoc est, Sapientia Salomonis, et Sapientia Jesu, quam Sirach pater (puta Jesus senior, et minoris avus; hic enim fuit pater Sirachi, de quo inferius) composuit, et græce interpretatus est nepos Jesu, et Sirachi filius, præclari et elegantes libri sunt; non tamen aliis annumerantur, neque in arcu siti erant; » quia scilicet non numerantur inter Protocanonicos, neque erant in Canone Hebræorum, sive S. Scripturæ ab Hebræis receptæ, quem ipsi posuerunt in arca.

Ecclesiasticum esse canonicum probatur Primo.

Nunc dico: De fide est *Ecclesiasticum* esse librum canonicum S. Scripturæ. Patet hoc, *primo,* ex definitione Concil. Trid. *sess.* IV, et Concil. III Carthag., *can.* 43, et Concil. Florent. in *Instruct. Armenorum.* Concil. quoque Ephesinum, anno Christi 430, Ecclesiasticum citat ut S. Scripturam; sic enim ait epist. *ad Synodum Pamphyliæ:* « Cum consilio omnia fac, dicit divinitus inspirata Scriptura. » Hæc autem verba sunt *Eccli.* cap. XXXII. Conc. Tolet. VIII, cap. IX: « Dicit, ait, Scriptura: Qui spernit minima, paulatim decidet, » *Eccli.* cap. XIX. Synodus Francfordiensis, anno Domini 794, epist. *ad Præsules Hispaniæ:* « Item, ait, in libro *Sapientiæ,* ipsa dicente Sapientia, id est, Filio Dei: Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam, » *Eccli.* XXIV, Idem liquet ex S. Athanasio in *Synopsi,* sive *Catalogo lib. S. Script.,* qui et lib. *De Virgin.* : « Ait enim, inquit, Scriptura Sacra: Qui attingit picem, inquinabitur; et qui communicat superbo, similis illi efficietur; » quæ sunt verba *Eccli.* XIII. Idem liquet ex Synodo Alexandrina, quæ exstat apud S. Athanasium, *Apolog.* 2 *contra Arian.,* et Innocentio I, anno Christi 407, epist. *ad Exuperium,* cap. VII, qui recensens libros S. Scripturæ: « Salomonis, ait, libri quinque; quintus autem est Ecclesiasticus. Sic et Cassiodorus, lib. I *Instit.* cap. XIII, et Gelasius, tom. II *Concil.,* in Concil. Romano habito anno Christi 494, inter libros S. Scripturæ recenset librum Jesu, filii Sirach. Sic et Isidorus, lib. VI *Etymol.* cap. I; Rabanus, lib. II *De Institut. Cleri,* cap. LIII, quin et Epiphanius in *Hæresi Anomœorum,* numerant inter sacros et divinos

libros Sapientiam Salomonis et filii Sirach, id est Ecclesiasticum. Quare, cum idem Epiphanius, lib. *De Mensur. et Pond.*, ait hos libros non esse receptos, intellige a Judæis, eorumque sequacibus.

Secundo, ex Patribus Græcis.

Secundo, idipsum docent Patres Græci, qui sententias Ecclesiastici, perinde ac cæteros S. Scripturæ libros citant, ut S. Clemens, anno Christi 90, *epist.* 1, ex *Eccli.* cap. XXVIII, citat hæc verba: « Impone, homo, tuæ linguæ ostium et seram. Cessa cornu in altitudinem extollens, et loquens adversus Deum iniquitatem,et proximum tuum.» Sic et S. Ignatius, anno Christi 100, epist. *ad Heronem,* citat illud *Eccli.* cap. XIX: « Qui cito credit, levis est corde.» Sic et Clemens Alexandrinus, anno Christi 200, lib. I *Pædag.* VIII, et lib. V *Strom.* cap. V; Origenes, anno Christi 230, citans Ecclesiasticum, ait se citare S. Scripturam, ut patet homil. 8 *in Num.;* homil. 1 *in Judic.;* hom. 9 *in Ezech.* Sic et Eusebius, anno Christi 320, lib. VIII *Præpar.* cap. II; S. Basilius, anno Christi 370, *in cap.* VIII *Isaiæ:* « Ait, inquit, Scriptura: Cum consummaverit homo, tunc incipiet: et cum quieverit, tunc indigebit; » quæ sunt verba *Eccl.* cap. XVIII. Idem in *Regulis fusius disp.*, resp. 104: « Dicunt, ait, divinæ Litteræ: Sine consilio nihil fac; » quæ sunt verba *Eccli.* XXXII. S. Ephrem, anno Christi 370, adversus improbas mulieres: « Dictum est, ait, a Sapiente: Brevis omnis malitia super malitiam mulieris; » quæ sunt verba *Eccli.* cap. XXV. Idem, tract. *De Patientia:* « Ait, inquit, Scriptura: Fili, accedens ad servitutem Dei, dirige cor tuum, et sustine.» Cyrillus Jerosolymitanus, *Catech.* 6, citat illud *Eccl.* III: « Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris. » Macarius Ægyptius, anno Christi 370, *hom.* 10, citat illud *Eccli.* XXIV: « Qui edunt me, adhuc esurient. » S. Gregorius Nazianzenus, anno Christi 380, orat. 2 *Contra Julianum:* « Qui potentes, ait, de sedibus deponit, et insuspicabilem diademate ornat. Nam id quoque a Scripturis accipio,» puta *Eccl.* XI, 5. S. Gregorius Nyssenus, anno Christi 380, hom. 3 *in Eccl.*, citat illud *Eccli.*XL : « Vinum lætificat cor. » S. Epiphanius, anno Christi 380, in *Ancorato:* « Reprehendit nos, ait, Scriptura divina, dicens: Quæ tibi præcepta sunt, ea considera; » et: « Non est opus tibi occultis; » et: « Altiora te ne quæras, et profundiora te non expendas,» *Eccl.* III. S. Chrysostomus, anno Christi 400, hom. 33 *ad Popul.:* « Audi, ait, Scripturam dicentem: Sicut qui occidit filium coram patre, ita qui offert sacrificium ex pecuniis pauperum; » quæ sunt verba *Eccli.* XXXIV, 24. Sic et Cassianus, anno Christi 430, *Collat.* I, cap. XIII, et *Collat.* VI, cap. XVI, et Palladius illi coævus, in *Dialogo de Vita S. Chrysost.* S. Cyrillus Alexandrinus ejusdem ævi, *hom.* quam Ephesi habuit: « Quibus rationibus, ait, patientia comparetur, id divina nos Scriptura edocet: Fili, ait, accedens ad servitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem, et dirige cor tuum, et constans esto, » *Eccli.*II. Isidorus Pelusiota, discipulus S. Chrysostomi, anno Christi 440, lib. I *epist.* 106: « Loquere, inquit Scriptura, in aures audientium, » *Eccli.* XXV. Joannes Maxentius, anno Christi 500, Præfat. *in Dial. contra Nestorianos:* « Divina, ait, Scriptura admonet: Ne confundaris loqui verum pro anima tua, et pro veritate certa usque ad mortem, » *Eccli.*IV. Anastasius Antiochenus, anno Christi 580, lib. IX *Hexaem.:* « Dicit, ait, Scriptura, quod vinum et mulieres separant a Deo, » *Eccl.* cap. XXV. Damascenus, orat. 3 *de Dormit. Deiparæ,* citat quasi verba Scripturæ: « Altiora te ne quæsieris, » *Eccli.*III. Denique Josephus Hebræo-Græcus, lib. II *Contra Apionem,* Ecclesiasticum inter libros Legis (id est, sacros) reponit, ait Genebrardus lib. II *Chronol.;* citat enim quasi dictum a lege divina, illud *Eccli.* XLII, 14: « Melior est iniquitas viri, quam mulier benefaciens, » ut ibidem ostendam.

Tertio, idem probatur ex Patribus Latinis. Tertullianus, qui floruit anno Christi 200, lib. *De Exhort. castitatis,* cap. II, ex *Eccl.* cap. XV, citat illud: « Ecce posui ante te bonum et malum. » S. Calixtus Pontifex, anno Christi 218., *epist.* 1 : « Dicit, ait, S. Scriptura: Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere; » quæ sunt verba *Eccli.* cap. XVIII. Fabianus Pontifex, anno Christi 237, *epist.* 2: « Fili, ait Salomon, in mansuetudine serva animam tuam, et da honorem illi, cui honor competit, » *Eccli.*X et XI. S. Cyprianus, anno Christi 250, *De Opere et Eleemos.:* « Loquitur, ait, in Scripturis divinis Spiritus Sanctus, et dicit: Eleemosynis et fide peccata purgantur, » *Eccli.* cap. III. Eusebius Pontifex, anno Christi 315, citat quasi S. Scripturam illud *Eccl.* cap. XIV, 11 : « Fili, si habes, benefac tecum, et Deo dignas oblationes offer. » S. Hilarius, anno Christi 350, citat *Eccli.*XXVIII 28. S. Ambrosius, anno Christi 370, *De Bono mortis,* cap. VIII : « Scriptura ait: Ante mortem non laudaveris quemquam, » *Eccli.*XI. S. Hieronymus, anno Christi 390, *epistola* 33 : « Divina, ait, Scriptura loquitur: Musica in luctu, intempestiva narratio,» *Eccli.* XXII. Ruffinus, anno Christi 390, citat illud *Eccl.* XXI: « Sapiens audiens verbum, collaudabit, et adjiciet ad illud. » Ita ipse in Benedictione Benjamin. S. Gaudentius, anno Christi 400, *tract.* 13: « Loquitur, ait, Scriptura divina: Conclude eleemosynam in corde pauperis, et ipsa pro te exorabit Deum, » *Eccl.* XXIX. S. Augustinus, anno Christi 400, lib. II *De Doctrina Christ.* cap. VIII : « Illi libri duo, ait, qui Sapientia Salomonis, et alius, qui Ecclesiasticus inscribitur, quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter Propheticos numerandi sunt. » Et *epist.* 248, ac lib. VII *De Genes. ad litt.* cap. XXVIII, et *De Cura pro mortuis,* cap. XXVIII, et *ad Orosium contra Priscill.,* Ecclesiasticum vocat divinam Scripturam. S. Paulinus, anno Christi 420, apud S. Hieronymum, tom. X, *epist.* 14, cap. I : « Veteris, ait, Scripturæ celebrata sententia est, esse pudorem, qui gloria

inveniatur et gratia; et esse rursus pudorem, qui soleat parere peccatum, » *Eccli.* IV. Maximus Taurinensis, anno Domini 430, hom. 1 *de Eleemosyna*: « Dicit, ait, divina Scriptura: Sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna exstinguit peccatum, » *Eccli.* III. S. Leo, anno Christi 450, serm. 8 *de Jejunio 7 mensis*: « Dicit, ait, Scriptura: Post concupiscentias tuas non eas, » *Eccli.* XVIII. S. Prosper, lib. II *De Vita contempl.* cap. VIII: « Ait, inquit, in Ecclesiastico Spiritus Sanctus. » Sic Ecclesiasticum vocant S. Scripturam Salvianus, anno Christi 480, lib. III *Ad Ecclesiam Catholicam;* Gelasius, anno Christi 490, *epist.* 5; S. Fulgentius, anno Christi 500, lib. I *De Remiss. peccat.* cap. XII; S. Benedictus, anno Domini 500, in *Regula*, cap. VII; S. Gregorius, anno Domini 600, *in Psalm.* IV *Pœnitent.*; Alcuinus, anno Domini 750, *De Virtut. et vitiis*, cap. *de Pœnitentia*, et cap. *de Castitate;* Haymo, anno Christi 820, *in cap.* I *Epist. ad Rom.* et *in cap.* I *ad Corinth.*; Angelomus, anno Christi 830, *in lib.* I *Reg.* cap. I; Paschasius Ratbertus, anno Christi 900, lib. *De Corp. et Sang. Domini*, cap. II; S. Bernardus, anno Domini 1130, *De Gradibus humilitatis;* Innocentius III, anno Domini 1200, serm. 2 *de Adventu;* S. Laurentius Justinianus, anno Christi 1430, lib. *De Ligno vitæ*, tract. *de Patientia*, cap. III.

CAPUT II.

Auctor.

Ecclesiasticum esse Salomonis, censent aliqui.

Nonnulli censuerunt Ecclesiastici auctorem esse Salomonem, eo quod multi veterum illum citent nomine Salomonis. Ita Anacletus Pontifex, *epist.* 2, illud *Eccl.* cap. XXVII: « Qui fodit foveam, incidet in eam, » citat nomine Salomonis. Alexander I, *epist.* 3, illud *Eccli.* cap. XXXV: « Sacrificium salutare est, attendere mandatis, » attribuit Salomoni. Sixtus I, epist. 1, arguens hæreticos, dicit quod in Salomone Scriptura loquitur, dicens: « Sicut in conspectu eorum magnificatus es in nobis; » quæ sunt verba *Eccl.* cap. XX, VI. Sic Quietus Episcopus in Concilio Carthaginensi; Felix I, *epist.* 3; Innocentius I, epist. *ad Exuperium*, cap. ult.; Concilium Carthaginense III, *canon.* 47; Origenes, qui floruit anno Domini 230, hom. 8 *in Numer.*: « In libro, ait, qui apud nos quidem inter Salomonis volumina haberi solet, et Ecclesiasticus dici; apud Græcos autem Sapientia Jesu filii Sirach appellatur, scriptum est: Omnis sapientia a Deo est. » Et hom. 1 *in Ezech.*: « Vide, ait, Salomonem sapientissimum omnium, quid de Dei correptionibus suspicetur: Fili, noli esse pusillanimis in disciplina Dei, neque deficias correptus ab eo; » quæ verba sunt *Eccli.* cap. VII. Sic et S. Basilius in *Regulis fusius disput.*, resp. 17, verba *Eccl.* cap. XXI citat quasi Salomonis. S. Chrysostomus *in Psalm.* CXXXIV: « Salomon, inquit, ait: Continens aquam in vestimento, » *Eccli.* cap. XLIII. Isychius Hierosolymitanus presbyter, anno Christi 600, lib. VI *in Levit.*: « Dixit, ait, Salomon: Ante mortem ne laudes quempiam hominem, » *Eccli.* cap. XI, 30. Fabianus Pontifex, *epist.* 2: « Fili, ait Salomon, in mansuetudine serva animam tuam, » *Eccli.* cap. X. S. Cyprianus, *epist.* 45, sive lib. III *Epist.*: « Sed et Salomon, ait, in Spiritu Sancto constitutus testatur, et docet quod sit sacerdotalis auctoritas et potestas, dicens: Ex tota anima tua time Deum, et sacerdotes ejus sanctifica, » *Eccli.* cap. I. Sixtus II Pontifex, anno Christi 257, *epist.* 1: « Quod pater est, ait, id est etiam filius, Salomone dicente: Ego ex ore Altissimi prodii, primogenita ante omnem creaturam, » *Eccl.* cap. XIV. S. Marcellinus Pontifex, anno Christi 296, citat quasi Salomonis illud *Eccli.* cap. XIV: « Ego sapientia habitavi in altissimis, et thronus meus in columna nubis. » S. Hilarius *in Psalm.* CXLIV: « In eo libro, ait, qui nobiscum Salomonis inscribitur; apud Græcos autem et Hebræos, Sapientia Sirach habetur, ita monemur: Ecce circumvalla possessionem tuam spinis, argentum et aurum tuum constitue, et ori tuo fac ostium et seram, et verbis tuis jugum et mensuram, » *Eccli.* cap. XXVIII. S. Ambrosius, lib. *Ad Virginem devotam*, cap. XXVIII: « Non legisti, ait, Salomonem dicentem: Bonis bona creata sunt ab initio, similiter impiis et peccatoribus bona et mala? » *Eccli.* cap. XXXIII. Optatus Milevitanus, anno Christi 370, lib. III *Contra Donatum*: « Illud, ait, a Salomone discere noluisti, quod ait: Absconde panem in corde pauperis, et ipse pro te rogabit, » *Eccli.* cap. XXIX. S. Hieronymus *in cap.* X *Eccli.* « Salomon, inquit, ait: Qui statuet laqueum, capietur in illo, » *Eccli.* cap. XXVII. S. Maximus, hom. 2 *de festo Paschæ*, *Eccli.* cap. XXIV citat nomine Salomonis. S. Leo ejusdem nomine citat *Eccli.* cap. XII, serm. 1 *de Quadrages.* cap. III. Sic et Sedulius *in cap.* XII *ad Rom.*, et Hormisda Pontifex, *epist.* 6; Cassiodorus *in Psalm.* LV; Pelagius, *epist. ad Vigilium;* S. Gregorius, hom. 1 *in Ezech.*; Haymo *in cap.* I *Epist. ad Roman.*; Paschasius, lib. II *De Corpor. Domini*, cap. II; Petrus Damianus, serm. 2 *de vitio linguæ;* S. Bernardus, *Epist.* 10.

Verum certum est auctorem Ecclesiastici non esse Salomonem, sed Jesum, filium Sirach.

Primo. Probatur *primo*, quia sic inscribitur, hicque Ecclesiastici est titulus in omnibus codicibus Græcis.

Secundo. *Secundo*, id docet Eusebius lib. VII *De Præparat. Evangel.* cap. II: « Simonis tempestate, ait, fuit Jesus, filius Sirach, fama celebris, qui Sapientiam, titulo omnium virtutum genera profitentem, composuit. » S. Athanasius in *Synopsi de Ecclesiastico*: « Hic itaque, ait, Jesus, cum esset Salomonis sectator, haud minus illo in illustranda sapientia, et pietatis disciplina strenuum se gesse sit, vere multiscius existens et doctus. » Procopius Gazæus, *Præfat. in Gen.*: « Laudanda est, ait, illa Sirach admonitio: In supervacaneis operum tuorum ne sis curiosus; plura enim intellectu hominum ostensa sunt tibi, » *Eccli.* cap. III. An-

tiochus, *hom.* 7 : « Jesus, ait, Sirach filius dicit : Insomnia extollunt imprudentes. » Cassiodorus, lib. I *Instit.* cap. XIII, enumerans S. Scripturæ libros : « Salomonis, ait, libri quatuor : Jesu, filii Sirach, liber unus. » S. Hieronymus *in cap.* IX *Danielis* : « Jesus, ait, filius Sirach, scripsit librum qui græce Πανάρετος appellatur, et a plerisque Salomonis falso dicitur. » Sic et Isidorus Pelusiota, lib. IV, *epist.* 228; S. Epiphanius, lib. I, tom. I, *hæresi* 8.

Tertio. *Tertio*, idipsum evincit præfatio Ecclesiastici, quam aliqui censent habere auctoritatem Scripturæ, alii ad eam proxime accedere. In præfatione enim diserte ait Jesus Siracides junior, Ecclesiasticum esse compositum ab avo suo Jesu, filio Sirach; a se vero esse traductum.

Quarto. *Quarto*, idipsum demonstratur ex cap. L, 29, ubi sic dicitur : « Doctrinam sapientiæ et disciplinæ scripsit in codice isto Jesus, filius Sirach, Hierosolymita, qui renovavit sapientiam de corde suo. » Unde patet idipsum esse de fide. Hæc enim sunt verba S. Scripturæ et Spiritus Sancti, ideoque fide credenda. Denique, cap. LI, titulus est : « Oratio Jesu, filii Sirach. »

Quinto. *Quinto*, quia in fine Ecclesiastici recensentur elogia Salomonis, Roboam, Ezechiæ, Josiæ, Isaiæ, Jeremiæ et cæterorum Prophetarum, qui diu post Salomonem vixerunt.

Dices : Cur ergo Origenes, Isychius et alii paulo ante citati Ecclesiasticum attribuunt Salomoni?

Tribuitur tamen Salomoni quinque de causis. Primo. Respondeo : Variæ sunt causæ. *Prima*, quia Ecclesiasticus imitatur Salomonem; habet enim similes morales sententias. Hanc causam dat S. Athanasius in *Synopsi*, et præfatio Ecclesiastici Græcanica : « Sane, inquit, hic Jesus Salomonis fuit sectator, nihil minus illo sapientiæ et eruditionis nomine probatus, ut qui multiscius vere fuerit, et sit appellatus. » Jesus ergo, filius Sirach, sive Siracides, fuit quasi alter Salomon, imo verus ævi sui Salomon.

Secundo. *Secunda*, qui nonnulla deprompsit ex Salomone, partim edita, partim non edita; Salomon enim plurima dixit et dictavit, quæ non sunt edita, ut patet III *Reg.* IV, 32. Sparsas ergo Salomonis sententias collegit et digessit Siracides, suisque additis librum hunc conflavit. Simili enim modo ex sparsis Salomonis sententiis in unum collectis, conflatus est liber Proverbiorum, ut colligitur ex *Prov.* cap. XXV, 1. Edita a Salomone, quæ citat vel imitatur Siracides, inferius colligam. Hanc causam post Driedonem, lib. I *De Scriptoribus Eccl.* cap. III, dat Bellarminus lib. I *De Verbo Dei*, cap. XIV, et Thomas Waldensis, lib. II *Doct. fidei*, art. 2, cap. XX : « Ecclesiasticus, ait, dicta antiquorum Patrum collegit, sicut ipse refert : Qui renovavit, inquit, sapientiam de corde suo. »

Tertio. *Tertia*, quia Ecclesiasticus, utpote sapientialis et moralis, solet annecti libris Salomonis, puta Proverbiis, Ecclesiastæ, Canticis et Sapientiæ. Unde hi quinque libri censentur unus tomus S. Scripturæ, puta Sapientia, sive sacra Ethica. Quia ergo cæterorum quatuor auctor est Salomon, hinc et quintus ei attributus est, omnesque nuncupati sunt Sapientia, sive Libri Sapientiales Salomonis, a præcipuo et potissimo auctore. Hanc causam dat Origenes initio citatus, et Innocentius I, epist. *ad Exuperium*, cap. VII, enumerans S. Scripturæ libros : « Salomonis, ait, libri quinque. »

Quarto. *Quarta* : « Ecclesiasticus, inquit Rabanus lib. V *De Universo*, cap. III, propter nimiam sensus similitudinem et eloquii parilitatem, Salomonis titulo prænotatur. Constat autem hunc librum sub Jesu, filio Sirach, editum fuisse, et inter reliquos S. Scripturæ libros pari habitum veneratione. » Sic et S. Augustinus, lib. II *De Doctrina Christiana*, cap. VIII : « Duo, ait, libri, quorum unus Sapientia, et alius Ecclesiasticus inscribitur, de quadam similitudine Salomonis esse dicuntur, » id est, propter similitudinem argumenti, styli et phrasis, ut idem ait lib. *De Cura pro mortuis*, cap. XV. Sic invectivæ Ciceronis in Antonium, subinde Antoninæ, sæpius Philippicæ vocantur; quia similes sunt Philippicis Demosthenis, quas ipse contra Philippum, Alexandri Magni patrem, declamavit.

Quinto. *Quintam* dat Paulus a Palacio hic in præfatione; censet enim Jesum, filium Sirach, vocatum alio nomine Salomonem; aut (quod verisimilius est) quod Jesus hic titulum Salomonis suo libro præfixerit, ut quem Salomonis nomine faciebat, uti fecit Plato, qui nomine Socratis dialogos scripsit; et Cicero, qui nomine Catonis et Lælii, quosdam libros intitulavit. Tandem credibile est librarios hujus libri nomen imposuisse; auctor quippe S. Hieronymus est, titulum Ecclesiastici apud Hebræos esse, *Misle*, id est, Parabolas seu Proverbia; quo titulo etiam insigniuntur Proverbia Salomonis. Cum igitur librarii incidissent in hunc titulum, putarunt esse Salomonis, et eum nomine illo venditarunt. Hæc Palacius. Quocirca post Siracidem, Deo duce, dabo Salomonem tomo uno, puta Proverbia, Ecclesiastem, Sapientiam, et forte Cantica. Supererunt deinde duo tomi, alter librorum historialium, alter Psalmorum et Job, quibus omne Vetus Testamentum complectar. Claudet agmen quartus Evangeliorum tomus, quo universam S. Scripturæ periochen, si vitam viresque Deus dederit, absolvam, orbemque sacræ encyclopædiæ concludam : qua de causa brevis, more meo; sed nervosus, exactus et succulentus sim oportet, ne et tomi nimis multiplicentur, et vita me citius quam opus deserat. Sunt et erunt, qui partitis inter se libris, desiderantibus prolixiora, singuli in singulos Commentaria scribant.

Jesus, filius Sirach, quis? Respondeo primo. Quæres, quis fuit hic Jesus, filius Sirach? Respondeo *primo*, fuit civis Hierosolymitanus, ut patet cap. L, 29; atque hæc est ejus prosapia : Sirach genuit Jesum seniorem, qui composuit Ecclesiasticum; Jesus senior genuit Sirach juniorem, cui

moriens Ecclesiasticum consignavit; Sirach junior genuit Jesum juniorem, qui Ecclesiasticum ab avo compositum ex Hebræo in Græcum idioma traduxit.

Secundo. *Secundo,* Jesus senior, auctor Ecclesiastici, fuit vir eximie sapiens, ut patet cap. LI, 18 et sequent., adeo ut sui ævi Salomon vocaretur, uti paulo ante ostendi : qua de causa per varias regiones peregrinatus est; hoc enim ipse sapienti faciendum præscribit cap. XXXIX, 5; unde videtur fuisse vir magnus et princeps; ait enim cap. LI, 13 : « Exaltasti super terram habitationem meam. »

Tertio. *Tertio,* idem fuit Propheta; eum enim Prophetam vocat S. Anacletus, *epist.* 2; S. Evaristus, *epist.* 1; S. Chrysostomus *in cap.* VI *Genes.;* Optatus Milevitanus, lib. IV *Contra Donatistas;* Gildas in *Excidio Britanniæ;* Cæsarius Arelatensis, qui floruit anno Christi 470, *hom.* 15 : « Per Prophetam, ait, clamat Spiritus Sanctus : Sicut aqua exstinguit ignem, sic eleemosyna exstinguit peccatum, » *Eccli.* III. Procopius Gazæus *in cap.* XXXV *Isaiæ* : « De se, ait, in Prophetis dixit Christus : Ecce ego inclino ad eos, tanquam fluvium pacis, » *Eccli.* XXV. Quocirca S. Augustinus, lib. II *De Doctrina Christ.* cap. VIII, Ecclesiasticum numerat inter libros Propheticos. Sic et S. Prosper, lib. *De Prædict. et Promiss.* part. II, cap. XXXV; et patet, quia Ecclesiasticus prophetat de Elia et Henoch venturis in fine mundi, cap. XLIV, 16, et cap. XLVIII, 10. Item de Christi descensu ad inferos, cap. XXIV, 45 : « Penetrabo, ait, omnes inferiores partes terræ, et inspiciam omnes dormientes, et illuminabo omnes sperantes in Domino. » Idipsum confirmat S. Anselmus *in* II *Cor.* XIV, ex cap. XXIV *Ecclesiastici,* vers. 46, ubi ipse de se ait : « Adhuc doctrinam quasi prophetiam effundam. »

Quarto. *Quarto,* peregrinando per varias regiones devenit in Ægyptum, ubi videtur Ecclesiasticum composuisse; ibi enim eum nepos invenit, ut ipse ait in Prologo; Ægyptus enim tunc erat sapientiæ et sapientum domicilium. Unde sub idem tempus facta est Alexandriæ in Ægypto versio S. Scripturæ ex Hebræo in Græcum per Septuaginta Interpretes.

Quinto. Vixit sub Ptolemæo Philadelpho, 250 annis ante Christum Probatur primo. *Quinto,* Jesus, auctor Ecclesiastici, vixit paulo post Alexandrum Magnum, tempore Ptolemæi Philadelphi, qui, evocatis e Jerusalem Doctoribus, S. Scripturam ex Hebræo curavit verti in idioma Græcum per LXX Interpretes, ut ea ornaret suam bibliothecam, quam copiosissimam Alexandriæ instruebat. Id liquet *primo,* ex eo quod nepos ejus, puta Jesus junior, qui Ecclesiasticum ab avo, puta Jesu seniore, compositum, ex Hebræo in Græcum vertit, in Prologo dicat se id fecisse tempore Ptolemæi Evergeti; hic enim Ptolemæo Philadelpho, quasi fratri frater, in regno Ægypti successit. Unde colligas Jesum seniorem vixisse tempore Philadelphi et Septuagintæ Interpretum; ideoque Genebrardus in lib. II *Chronol.* et alii probabiliter conjiciunt eum fuisse unum e Septuaginta Interpretibus. Hinc et Aristæas in *Hist. Septuaginta Interpretum,* recensens eorum nomina, recenset et Jesum; quin et addit Ptolemæum instruxisse regale convivium septuaginta Interpretibus, in quo more veterum eisdem totidem quæstiones morales, ethicas et politicas proposuit, cuique scilicet unam; additque singulorum responsa et sententias, quæ plane similes, et subinde eædem sunt cum hisce Siracidis. Ac forte occasione harum propositionum regalium Siracides librum hunc ethicum conscripsit; junior vero Jesus, puta nepos, qui vixit sub Evergete, floruit paulo ante tempora Machabæorum.

Secundo. *Secundo,* idipsum liquet ex S. Hieronymo *in cap.* IX *Daniel.,* dum ait : « Post mortem Jaddi sacerdotis, qui sub Alexandro Magno templo præfuit, suscepit pontificatum Onias, etc.; post Oniam præfuit Judæis Pontifex Eleazarus. Quo tempore septuaginta Interpretes S. Scripturas Alexandriæ dicuntur in græcum vertisse sermonem; post quem alter Onias, cui successit Simon; quo regente populum, Jesus, filius Sirach, scripsit librum, qui græce Πανάρετος appellatur, et a plerisque Salomonis falso dicitur. Cui successit in pontificatum alius Onias, quo tempore Antiochus Judæos diis Gentium immolare cogebat. Quo mortuo, Judas Machabæus purgavit templum. » Ubi nota ex Josepho, lib. XI *Antiq.,* in fine, et lib. XII, cap. II, III, IV, V; hæc fuit series Pontificum Judæorum illius ævi : Jaddo Pontifex, qui occurrit Alexandro Magno, genuit Oniam; Onias genuit Simonem Justum, et ejus fratrem Eleazarum, qui misit septuaginta Interpretes ad Ptolemæum Philadelphum; Simon Justus genuit Oniam secundum, cognomento Avarum; Onias Avarus genuit Simonem secundum; Simon secundus genuit Oniam tertium, cognomento Sanctum, qui vixit tempore Machabæorum; unde eum defunctum vidit Judas Machabæus orantem pro populo, ac ostendentem Jeremiam, qui Judæ porrigebat gladium sanctum, quo debellaret hostes Israel, de quo II *Machab.* cap. III et IV, et cap. ult., vers. 12.

Series Pontificum.

Tertio. *Tertio,* idipsum colligitur ex ipso Ecclesiastico, qui elogia Patriarcharum et Pontificum concludit cap. L : elogiis Simonis Pontificis, qui fuit frater Eleazari, sub quo facta est versio septuaginta Interpretum; ita enim de eo scribit cap. L, ac si viderit eum pontificalibus indutum in cœtu populi hostias offerentem. Hic enim Simon non fuit secundus, scilicet, Oniæ Avari filius, uti putavit Eusebius in *Chron.,* et ex eo Beda, lib. *De Sex ætatibus mundi,* in Ptolemæo Evergete, ac Lyrano; sed fuit primus cognomento Justus, ut colligitur ex dictis et ex dicendis cap. L. Hic enim paulo ante erat defunctus, cum Jesus senior hæc scripsit sub Eleazaro, qui Simoni fratri in pontificatu successit. Et hic Simon adeo fuit sanctus, ut, teste Josepho lib. XII, cap. II, cognominationem habuerit Justi : « Eo quod et Deum, inquit, pie coleret, et cives

summa prosequeretur benevolentia. » Jesus ergo senior scripsit Ecclesiasticum sub idem tempus, quo septuaginta Interpretes ederunt suam versionem post Alexandrum Magnum sub Ptolemæo Philadelpho, 250 annis ante nativitatem Christi. Ita Torniellus in *Annal.*, ad annum mundi 3798, et Genebrardus, anno mundi 3797, Beda et alii. Jesus vero junior Ecclesiasticum in Græcum transtulit sub Ptolemæo Evergete, fratre Philadelphi. Quare errat Isidorus lib. I *De Eccles. Officiis*, cap. XII, qui Jesum juniorem facit auctorem Ecclesiastici, quasi ille ex avi scriptis eum composuerit, cum ille duntaxat libri ab avo compositi fuerit interpres. Sed fefellit Isidorum, quod corrupte in prologo Ecclesiastici legerit : « Volui et ipse scribere aliquid horum, » cum legendum sit : « Voluit et ipse, » scilicet, avus meus, « aliquid scribere. »

Ex dictis sequitur Jesum seniorem, auctorem Ecclesiastici, non fuisse nepotem Eleazari Pontificis, qui misit Septuaginta Interpretes ad Ptolemæum Philadelphum, uti contendit Jansenius, ex eo quod cap. L, 29. Græca nonnulla habeant : « Doctrinam sapientiæ et disciplinæ scripsit in codice isto Jesus, filius Sirach, filii Eleazari; » nam τὸ *filii Eleazari* expungunt codices Græci Romæ correcti, et Latini omnes. Cum enim Jesus senior scripserit Ecclesiasticum tempore Ptolemæi Philadelphi, quando Pontifex erat Eleazarus, fieri nequit ut Jesus hic Eleazari fuerit nepos; debuisset enim sub Ptolemæo et Eleazaro esse puer, ideoque ineptus ad scribendum Ecclesiasticum : nisi dicas Eleazarum fuisse admodum senem 70 et amplius annorum, ita ut nepos ejus Jesus triginta circiter annorum existens composuerit Ecclesiasticum. Fuit enim Jesus præcoci ingenio, et a juventute orando et studendo quæsivit sapientiam, ut ipse ait cap. LI, vers. 18 et 19. Igitur Ecclesiasticus hebraice a Jesu Sirach seniore scriptus est initio regni Ptolemæi Philadelphi, vel certe sub finem regni Ptolemæi Lagi; nam scriptus est paulo post mortem Simonis Justi Pontificis : illius enim quasi recens defuncti laudes decantat cap. LI, 1 : « Simon, inquit, Oniæ filius, sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsit domum, et in diebus suis corroboravit templum. » Simon autem hic defunctus est quatuor annis ante finem regni Ptolemæi Lagi; nam anno 37 Lagi successit ei in pontificatu frater Eleazarus, qui post sex annos misit LXXII Interpretes ad Ptolemæum Philadelphum, ut S. Scripturam ex Hebræo verterent in Græcum; Ptolemæus enim Lagi vita functus est anno regni 40, cui mox successit filius Ptolemæus Philadelphus, qui anno tertio regni evocavit Septuaginta duos Interpretes. Quæ omnia tradit Eusebius in *Chronico*. Ex quibus liquet Ecclesiasticum conscriptum esse sub idem tempus, quo Septuaginta duo Interpretes ederunt Græcam S. Scripturæ versionem, quod fuit Olympiadis CXXIV anno tertio, post Alexandri Magni mortem anno 43, qui fuit Græcorum sive Seleucidarum annus 31.

Sexto, Jesus hic per multas et horrendas tribulationes probatus a Deo, deductus est ad culmen perfectionis. Unde ipse, cap. LI, generatim eas recensens, ab iis quasi per miraculum se liberatum gratulatur, et exultans Deo gratias agit; ac tandem post superatas miserias feliciter in pace requievit. Ibidem enim ait : « Modicum laboravi, et inveni mihi multam requiem. » Sexta dos Jesu Sirach.

Denique, cum sermo sit mentis imago, atque ex abundantia cordis os loquatur, ex hoc ejus opere de virtutibus quibuslibet absolutissimo liquet eum iis omnibus excelluisse, suaque de iis sensa hic expressisse, adeoque se ad vivum hic depinxisse, vivamque suæ mentis ideam efformasse. Quocirca hic Jesus sua patientia, doctrina, prophetia, æque ac nomine, typum gessit, et repræsentavit Jesum Christum patientem, docentem, prophetantem. Septimo.

Ubi nota : Tres fuere viri celebres, qui hoc nomen prætulerunt : primus fuit ante captivitatem Babylonicam, scilicet Josue, successor Mosi in ducatu populi; hunc enim Septuaginta vocant Jesum; hebraice enim *Josue* idem est quod *Jescua*, id est *Jesus;* secundus fuit in captivitate, scilicet Jesus, filius Josedec Pontificis, *Zachariæ*, cap. III, 1; *Aggæi* I, 1; tertius fuit post captivitatem, scilicet Jesus, auctor Ecclesiastici. Sicut ergo Josue repræsentavit Christi ducatum et regimen, quo suos fideles in terram promissam, puta in regnum cœleste, deducet; Jesus vero, filius Josedec, utpote Pontifex, repræsentavit sacerdotium et pontificatum Christi, ut patet *Zachar.* III, 1; ita pariter hic Jesus noster repræsentavit Christum, quatenus ipse fuit Doctor et Propheta mundi. Hinc patet errare eos qui, ex Isidoro, lib. I *De Eccles. Officiis*, cap. XII, Jesum hunc nostrum eumdem esse censent cum Jesu, filio Josedec; nam Jesus Josedec cum Zorobabel, Aggæo, Zacharia et Esdra floruit sub Dario Hystaspis, ut patet *Aggæi* I, 1. Darius autem 200 annis præcessit Alexandrum Magnum; Alexandro autem successit Ptolemæus Lagi, ac post eum Lagi filius, Ptolemæus Philadelphus, sub quo Ecclesiasticum conscripsit noster hic Jesus. Probabile tamen est, quod censet Genebrardus in *Chron.*, Jesum hunc prognatum de stirpe Jesu, filii Josedec Pontificis, ejusque proinde nomen usurpasse, idque omnino dicendum est, si cum Jansenio asseramus Jesum hunc fuisse nepotem Eleazari Pontificis; hic enim recta serie a Jesu filio Josedec prognatus descendit. Tres vocati Jesus.

CAPUT III.

Interpretes.

Scriptus est hic liber idiomate Hebræo a Jesu seniore, sed a nepote ejus Jesu juniore in Græcum traductus, ut ait S. Epiphanius lib. *De Ponderibus;* imo ipse Jesus junior in Prologo : « Deficiunt, inquit, verba Hebraica, quando fuerint translata ad alteram linguam. » S. Hieronymus Hebræum se vidisse testatur *Prologo in libros*

Salomonis. Suspicantur nonnulli Hebræum originale esse illud ipsum, quod ab Hebræis colitur nomine Ben-Sira, adeoque Jesum Sirach esse Ben-Sira, cujus apud Hebræos exstant cum scholiis Proverbia, tum quia Ben-Sira pene easdem habet sententias cum Ecclesiastico; tum quia Ben-Sira hebraice idem est quod filius Sira vel Sirach, puta Jesus Siracides. Verum librum Ben-Sira diversum esse a libro hoc Ecclesiastici liquet utrumque conferenti.

Jesus Sirach alius a Ben-Sira.

Rursum diversum esse Jesum Sirach a Ben-Sira, quatuor rationibus probat noster Serarius in *Notis ad Epist. 1 S. Bonifacii*, et ex eo Gretserus, lib. I *Defens. Bellarmini*, cap. XIV.

Prima est, quia Ben-Sira hebraice ultimam litteram habet א; Sirach autem habet ח.

Secunda, quia communiter Hebræi tradunt Ben-Sira vixisse altera post Jeremiam ætate; Jesus Sirach autem vixit diu post, tempore Ptolemæi Philadelphi.

Tertia, quia Ben-Sira dicitur filium habuisse Uzielem, et nepotem Josephum; Jesus Sirach autem filium habuit Sirach, et nepotem Jesum. Porro Uziel iste et Josephus, velut eximii sapientes, citantur ab Hebræo Scholiaste Proverbiorum ejusdem Ben-Sira.

Quarta, quia Ben-Sira multa habet, quæ non habet Ecclesiasticus; rursum Ecclesiasticus multa habet, quæ non habet Ben-Sira, adeoque liber Ben-Sira totus alius et diversus est ab Ecclesiastico. Quis credat eumdem auctorem de iisdem pene rebus, et eodem pene modo ac phrasi adeo diversos scripsisse libros, nec ullam hujus rei dare significationem?

Adde *quinto*, quod Ben-Sira habeat nonnulla, quæ minus sana et vera videntur, certe male sonant; quale est illud *Alphabeto* 2, littera *Ain* : « Oculos tuos absconde a muliere vidua, et ne concupiscas pulchritudinem ejus in corde tuo; quia filii ejus filii scortationum sunt. » Videtur enim hic damnare viduitatem et matrimonium cum vidua; aut certe utitur similitudine longissime petita, qua viduam ad novas nuptias aspirantem comparat cum meretrice, quæ multos viros admisit : nisi dicas sensum esse, *q. d.* Ne in uxorem ducas viduam; quia, si id feceris, molestiam et probrum tibi accerses ob ejus filios, qui, cum patrem non habeant, et matrem non timeant, libere agunt quod lubet, ac scortationi indulgent : horum enim scortationes et scelera tibi quasi vitrico, vel adscribentur, vel infamiam afflabunt; qui sensus sane verus est et commodus.

Dicendum est ergo, Ben-Sira alium esse a Jesu Sirach, sed unum ab alio plura esse mutuatum. Si prior fuit Ben-Sira, ut volunt Hebræi, oportet dicere ex eo Jesum Sirach multa deprompsisse. Hæc omnia plane constabunt ex *Alphabeto* Ben-Sira, quod sub finem capitis quinti attexam. Sane vidi in Bibliotheca Vaticana Ben-Sira manuscriptum chaldaice; sed longe imparem, imo disparem nostro Siracidi; nam statim in ipso limine prologi reperi nænias Judaicas et indigna quædam, quæ Jeremiæ prophetæ affinguntur. Porro *Sirach* hebraice idem est quod superfluens, abundans, luxurians, scilicet sapientia, sententiis et proverbiis : סָרָה *sarach* enim est superfluere, luxuriare : aut *sirach*, id est, explicans implicata et obscura; vel circumflectens sermones suos : שְׂרוֹךְ *seroch* enim est corrigia; inde מְשֻׂרֶכֶת *mesarechet* (*Jeremiæ* II, 23) est implicans, vel circumflectens vias suas, uti corrigia ligatur in circuitu calcei. S. Hieronymus vertit, *explicans;* et hoc forte vult Syrus, dum pro *sirach* vertit *asiro*, id est ligatus, *q. d.* Colligatas et arcanas sententias enuntians et explicans : nisi malis ligatum dici, eo quod a Ptolemæo Lagi inter cæteros Judæorum captivos ligatus fuerit et ipse, vinctusque abductus in Ægyptum. Nam a Chaldæis in captivitate Babylonica ligari non potuit, utpote ea 270 annis posterior. Captivitas enim Babylonica duravit septuaginta annis usque ad Cyrum, qui eam solvit; a Cyro autem usque ad Alexandrum Magnum, cui successit Ptolemæus Lagi, fluxerunt anni ducenti.

Favet, quod *Sirach* per *caph*, in fine, syriace idem est quod corruptus, læsus, damno affectus, noxam passus : סרך *sarach* enim est corrumpere, lædere, nocere : sin per *chet* scribatur *sirach*, syriace idem est quod adhærens : *sarach* enim per *chet* significat adhærere. Denique *sirach*, per ש initio, syriace idem est quod superstes, reliquus, residuus. Igitur titulus hujus libri in Syriaco sic habet : « Liber Jesu, filii Simonis *Asiro* (id est ligati, vincti), qui vocatur liber Sapientiæ filii Asiro. » Ex quo liquet *Asiro* syriace idem esse quod hebraice *Sirach*, illudque non esse nomen proprium (cum proprie vocetur Simon, sicuti Ben, vel Bar-Jona, puta S. Petrus, proprio nomine vocatus est Simon), sed cognomen, vel agnomen. Verum cognomen hoc usu in nomen proprium transiit; nam et nepos avum suum libri auctorem in Prologo; et Ecclesia ac Ecclesiastici scriptores eum non alio nomine, quam Jesum filium Sirach nuncupant.

Denique, si *sirach* per *tsade* scribatur, idem est quod vociferator, præco, concionator, doctor; צרח *tsarach* enim, vel *sarach* (quia Septuaginta, S. Hieronymus cæterique Interpretes *tsade* Hebræum reddunt per Latinum *s*), idem est quod elata et contenta voce clamare, vociferari. Talis *sirach*, id est præco, fuit S. Joannes Baptista, juxta illud de eo oraculum : « Vox clamantis in deserto; » *Isaiæ* XL, 3 et 9 : « Exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Jerusalem; exalta, noli timere. »

Probabile est Ecclesiasticum non puro sermone Hebræo, sed corrupto, quali utebantur Judæi post reditum e Babylone (sui enim ævi Judæis eum conscripsit Siracides), puta Syriaco esse conscriptum. Ita Bellarminus, lib. II *De Verbo Dei*, cap. IV, censet hunc librum primitus sy-

Syriace scriptus Ecclesiasticus

riace esse editum, æque ac Evangelium S. Matthæi et Epistolam ad Hebræos. Unde Widmanstadius et Guido Fabricius, qui nuper tam Evangelium hoc, quam Epistolam syriace ediderunt, censent illum ipsum Syriacum textum esse autographum. Pari ratione de Syriaca editione Ecclesiastici quis suspicari posset illam ipsam esse originalem, qua hic liber scriptus sit a Siracide? Verum, *Præfatione in Epist. ad Hebr.*, ex dialecto et idiotismi Syriacæ linguæ modernæ, valde differentibus ab idiotismis linguæ Syriacæ tempore Christi, et multo magis tempore Siracidis, ostendi idipsum parum videri probabile : quare Syriacam versionem esse recentiorem ; præsertim quia illa in Ecclesiastico valde differt a textu Græco, et magis a Latino, eoque concisior est : subinde etiam multa addit paraphrastice, quæ nec in Græco, nec in Latino habentur, ut patet intuenti caput primum. Sed de ea mox plura.

Jam vero sicut certum est Jesum nepotem avi librum, puta Ecclesiasticum, ex Hebræo in Græcum convertisse; ita incertum est quis eum ex Græco vel Hebræo in Latinum transtulerit, quisque sit auctor Vulgatæ versionis latinæ Ecclesiastici : certum enim est non esse S. Hieronymum; licet enim ipse sit auctor versionis Vulgatæ, ab ea tamen excipiendi sunt *primo,* Psalmi : hos enim habemus ex versione Septuaginta, a qua versio S. Hieronymi plane diversa est, ut patet utramque conferenti. *Secundo,* Novum Testamentum : hoc enim non vertit, sed prius versum emendavit S. Hieronymus. *Tertio,* Ecclesiasticus, Sapientia et uterque Machabæorum : hos enim nos non habere ex versione S. Hieronymi, sed ex antiqua translatione, cujus auctor ignoratur, tribus argumentis evincit Bellarminus lib. II *De Verbo Dei,* cap. IX.

Interpres ejus Latinus, antiquior S. Hieronymo.

Primum est, quia B. Hieronymus nusquam affirmat se transtulisse hos libros, neque ullæ exstant præfationes ejus in hos libros, cum tamen in epist. *ad Augustinum,* Quæst. XI, inter *Epistol.* Augustini, dicat se singulis libris præfatiunculas præfixisse.

Secundo, quia B. Hieronymus hos libros arbitrabatur apocryphos, ut patet ex Prologo Galeato, et ex præfatione Proverbiorum : proinde verisimile est eum neglexisse horum librorum interpretationem.

Tertio, quia multa citantur ex his libris a B. Cypriano, præsertim in lib. *De Exhortatione martyrii,* et aliis Patribus B. Hieronymo antiquioribus, eo modo prorsus, ut nos in nostra Vulgata editione habemus, ut patet, si conferas verba Tertulliani, Cypriani, Sixti, Calixti, Fabiani, Eusebii, Hilarii, Marcellini et aliorum, quæ citavi cap I et II, cum verbis Vulgatæ versionis Ecclesiastici. Sane Lucius Pontifex et martyr sub annum Domini 257, *Epist. sua decretali,* citat magnam partem cap. X et XI, plane ad verbum ex Latina versione Vulgata.

Adde *quarto,* S. Hieronymum aliter vertere nonnulla, quam habeat Vulgata versio, ut illud *Eccli.* cap. XXIV, 14 : « Ab initio, et ante sæcula creata sum; » ipse scribens *in Ps.* LXXIII, sic vertit : « Condidit me in initio viarum suarum, ante sæcula fundavit me. » Sic illud *Eccli.* cap. XI, 29 : « Malitia horæ oblivionem facit luxuriæ magnæ, » S. Hieronymus *in cap.* LXV *Isaiæ,* vertit : « Afflictio horæ oblivionem facit deliciarum. » Sic illud *Eccli.* cap. VII, 6 : « Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, » S. Hieronymus *in cap.* III *Isaiæ* vertit : « Ne quæras fieri judex, ne forte non possis auferre iniquitates. » Sic illud *Eccli.* XX, 31 : « Xenia et dona excæcant oculos judicum, et quasi mutus in ore avertit correptiones eorum, » S. Hieronymus *in cap.* III *Michææ* vertit : « Munera excæcant oculos etiam sapientum, et quasi frenum in ore avertunt increpationes; » et illud *Eccli.* XXVII, 28 : « Qui in altum mittit lapidem, super caput ejus cadet, » S. Hieronymus *in cap.* III *Sophoniæ* vertit : « Qui mittit lapidem in excelsum, super caput suum mittit; « et illud *Eccli.* XXVII, 29 : « Qui laqueum alii ponit, peribit in illo, » S. Hieronymus *in cap.* X *Eccles.* vertit : « Qui statuet laqueum, capietur in illo. » Sic illud *Eccli.* cap. XXVIII, 29 : « Verbis tuis facito stateram et frenos, » S. Hieronymus *in caput* XLV *Ezechiel.* vertit : « Sermonibus tuis facies stateram et appendiculum. »

Quinto, idem liquet ex stylo : phrasis enim latina Ecclesiastici est durior et discrepans a versione et phrasi aliorum librorum canonicorum, cujus auctor est S. Hieronymus, uti patebit ex canonibus, quos subnectam, ubi proferam verba prisca, quæ usurpavit priscus Interpres Ecclesiastici, quasi suo ævo latina, quæ ævo S. Hieronymi et nostro sunt obsoleta.

Antiquitas Syriacæ versionis.

Tradunt Syri nonnulli versionem Syriacam librorum Veteris Testamenti, qui tunc conscripti erant, factam esse ex Hebræo, jussu Salomonis, ad instantiam Hiram regis Tyri, sui amici : cæterorum vero posteriorum, ac præsertim Novi Testamenti, factam esse a Thaddæo apostolo, cum is missus fuit ad Abagarum, regem Edessæ in Syria, licet alii a S. Marco traductam velint. Georgius Michael Omiras, Maronita Edeniensis, lib. *De Chaldaicæ linguæ utilitate,* prælud. 4, Syram translationem Novi Testamenti tradit editam ab Apostolis, vel ab Apostolorum discipulis : Veteris vero Testamenti, inquit, translatio in linguam Syriacam, tempore S. Thaddæi apostoli, et Abagari Syrorum regis, facta fuit, ut traditur in prologo quodam Syriaci Psalterii ; additque Syriacam versionem Veteris Testamenti summa in veneratione apud Orientales haberi, et publice in omnibus eorum Ecclesiis antiquissimis constitutis in Syria, Mesopotamia, Chaldæa, Ægypto, et denique in universis Orientis partibus dispersis ac disseminatis, lectam hactenus, et legi assidue.

Verum alii censent modernam Syriacam versionem ævo S. Marci et S. Thaddæi posteriorem esse; idque ex dialecto diversa, et idiotismis pro-

priis, quos habet Syriaca moderna diversos a Syriaca quæ fuit tempore Christi, exstatque in nominibus propriis Novi Testamenti: quod verum esse ostendi *Præfat. in Epist. ad Hebræos.*

Ephrem Syrus aliam citat Syriacam.

Accedit quod Ephrem Syrus, qui syriace scripsit, aliter citet sententias, quam modo habeantur in versione Syriaca, ut tract. *de Timore Dei*, initio tomi III. Ita legit Ecclesiasticus cap. III: « Fili, in mansuetudine opera tua perfice, et ab homine acceptabili diligeris. » Pro quo moderna Syriaca sic legit: « Fili mi, in divitiis tuis cum humilitate ambula, et præ largiente dona diligent te. » Et mox S. Ephrem legit: « Quanto major es, tanto magis te humilia; et coram Deo invenies gratiam, quoniam magna est potentia Domini, et ab humilibus honoratur. » Pro quo moderna Syriaca legit: « In omni, quod magnum est in mundo, humilia te ipsum, et coram Domino invenies misericordiam; quia multæ sunt misericordiæ Dei, et humilibus arcana revelantur. » Et paulo post pro eo quod *Eccli.* cap. III, vers. 30, nostra versio habet: « Synagogæ superborum non erit sanitas: frutex enim peccati eradicabitur in illis, et non intelligetur; » S. Ephrem legit: « Obductioni superbiæ non est sanatio; frutex enim peccati radicavit in illa. » Syrus vero modernus sic habet: « Plaga illusoris non habet medelam, quia a planta prava planta ejus. »

Plura talia ibidem et alibi habet S. Ephrem diversa a moderna Syriaca, quæ plane arguunt, alia antiquiore versione Syriaca esse usum. Nam S. Ephrem non scripsisse lingua peregrina, et, ut nonnulli volunt, sibi incognita, puta Græca; sed Syriaca, utpote patria, diserte docet S. Hieronymus lib. *De Scriptoribus Eccles.*, in *Ephrem.*; Cardinalis Baronius, et S. Ephremi interpres, Gerardus Vossius, initio tomi II. Hinc et in monte Libano syriace exstant Commentarii manuscripti S. Ephrem (atque similes magni illius S. Jacobi Nisibis Episcopi, qui interfuit Concilio Nicæno) in universam S. Scripturam, uti Romæ a Maronitis accepi: quæ utinam quispiam in Latinum converteret et ederet! Ad hoc tamen quis respondere posset, interpretem, qui S. Ephrem ex Syro in Græcum transtulit, pro Syriaca versione S. Scripturæ S. Ephrem substituisse versionem Græcam, utpote Græcis, quibus scribebat, cognitam: sicut Evangelistæ recensentes S. Scripturæ sententias citatas a Christo hebraice, utpote apud Hebræos, recitant eas juxta versionem Græcam Septuaginta, utpote Gentibus, quibus scribebant, notiorem? Sed nec hoc per omnia satisfacit. Nam S. Ephrem citans Ecclesiasticum aliasque Scripturas nunc consentit cum Græco, nunc cum Latina Vulgata, nunc ab utraque dissentit, ut patet intuenti, et idipsum annotavit interpres S. Ephremi Gerardus Vossius, *Annot.* ad centum capita, sive *Apophthegmata* S. Ephremi.

Vulgata Latina Græcis et Syris verior.

Denique Vulgata Latina versio Græcis omnibus, Syris et Arabicis plane est anteferenda, tum quia eam præ omnibus suo calculo probavit Concilium Tridentinum *sess.* IV; tum quia est antiquissima, uti jam ostendi; tum quia magis pura et incorrupta est, et immediate ex Hebræo (uti et cæteræ Scripturæ) in Latinum traducta, ut videtur: idque ex eo colligitur, quod in multis discrepet a Græco; multa enim addit, multa demit, multa variat, ac imprimis præfationem continet Jesu junioris, qui avi librum in Græcum traduxit, quæ sane ex Græcis Complutensibus aliisque pluribus excidit, et in Latinis codicibus reperitur; tum quia Latina in tanta exemplarium copia ubique est eadem, sibique constans: Græca autem exemplaria mire variant, inter quæ correctissimæ sunt, editio Complutensis, utpote opera Cardinalis Ximenii, magno multorum eruditorum virorum labore et industria elaborata; ac editio Romana, utpote ingenti cura ac studio a Cardinali Caraffa emendata: quas proinde præ aliis sequar.

Nec mireris hanc dissonantiam Latini textus a Græco; similis enim est *Esther* cap. X et seq., ubi laciniæ illæ attextæ in Latino, nec in Græco nec in Hebræo reperiuntur. Et *Daniel.* totum cap. XIII et XIV in Hebræo non reperitur, sed ex Theodotione se transcripsisse fatetur S. Hieronymus, quin et versio Græca Septuaginta Interpretum in multis dissidet a Latina Vulgata, uti omnes norunt. Similis dissonantia est in Canonibus Apostolorum: alii enim quinquaginta duntaxat numerant, alii 84; et in Canonibus Concilii Nicæni, quos alii viginti, alii longe plures recensent. Nam S. Hieronymus, S. Ambrosius, Concilium Carthaginense et alii nonnullos citant, qui inter viginti vulgatos non continentur, uti ostendit Baronius anno Christi 325, et Bellarminus lib. *De Roman. Pontif.* cap. XXV, quin et unum eumdemque canonem varii recitant varie, ut patet in canone, quo comparatur Patriarcha Alexandrinus cum Pontifice Romano, de quo Catholicis litem movent hæretici.

Porro tanta Græcorum exemplarium varietas videtur partim manasse ex varietate et oscitantia scriptorum, ea per tot sæcula varie et corrupte describentium; partim, quod prisci permulti censuerint Ecclesiasticum esse quidem librum pium, sed non canonicum, ideoque liberius nonnulla ejus verba vel omiserint, vel mutarint, vel in compendium redegerint, vel paraphrastice explicarint, uti subinde explicat S. Ephrem; sicut facere solent ii qui scripta aliorum transcribunt animi causa; ideoque liberius nonnulla ejus verba omittunt et immutant, imo ad libitum iis utuntur ad sua sensa significanda.

Commentatores Ecclesiastici.

Commentatores in Ecclesiasticum pauci exstant.

Primus fuit Rabanus Maurus, episcopus Moguntinus, sub Ludovico Pio imperatore, anno Domini 835. Hic more suo moralis est magis quam litteralis, scripsitque in totam S. Scripturam: unde ex ejus scriptis Glossam ordinariam contexuit Stra-

bus Fuldensis monachus, Rabani discipulus, sub annum Domini 840. Ita Bellarminus lib. *De Script. Eccl.*, in *Rabano* et *Strabo*.

Exstant quoque, qui in totam reliquam S. Scripturæ commentati sunt, Lyranus, Hugo, Dionysius. Insuper in Ecclesiasticum scripsere Nicolaus Gorram, Alexander ab Alexandria, Robertus Holcot, Robertus Carmelita, Paulus de Palatio, Robertus Jorius, Robertus Bosæus, ac Cornelius Jansenius. Ederus tabulis suis partitiones et argumenta Ecclesiastici more suo repræsentat, *tabula* 132, 133, 134. Ex hæreticis scripsere Joachimus Camerarius, J. Drusus, David Hœschelius.

Ex his aliisque collegi ea quæ olim Lovanii, Ecclesiasticum prælegens, breviter annotavi: nunc vero jussus eadem typis vulgare, locupletabo, sequarque Ecclesiasticum de se dicentem cap. XXXIII, 18 : « Respicite, quoniam non mihi soli laboravi, sed omnibus exquirentibus disciplinam; » quin et Sapientem, qui de sua sapientia ait cap. VII, 13 : « Quam sine fictione didici, et sine invidia communico, et honestatem illius non abscondo; et ponam in lucem scientiam illius. » Quocirca suis quibusque locis interseram aliorum versiones, præsertim Syriacam et Arabicam, uti feci in Prophetis. Romæ Arabicam accepi ab illustrissimo et reverendissimo Domino Sergio Risio Maronita, archiepiscopo Damasceno ; Syriacam, partim ab eodem, partim a pererudito viro, R. P. Hilarione Rancato, Ordinis Cisterciensis, Sancti Officii theologo, Abbate S. Crucis in Jerusalem. Illis eas acceptas ferat, gratesque referat gratus, qui eis gratis fruitur, lector. Arabicam parcius citabo, tum quia sæpe cum Syra vel Græca consentit, tum quia minus accurata et sincera est, ideoque minoris auctoritatis.

Addidi et versionem Tigurinam, a Censoribus Romanis et Hispanis castigatam, eo quod multis locis multum afferat lucis. In qua tamen duo, uti alias monui, advertas velim.

Prius, auctores ejus fuisse Tigurinos in fide heterodoxos, nimirum Leonem Juda ex Judæo Zuinglianum, et Theodorum Bibliandrum. Notationes vero marginales attribui Vatablo: quia, videlicet, e scriptis Vatabli concinnatæ; sed ab hæreticis ad sua sensa detortæ et depravatæ fuere: qua de causa Vatablus Robertum Stephanum, qui ea nomine Vatabli typis vulgarat, acriter reprehendit; quin et apud judices reum falsi peragere cogitarat, ni Robertus, id præsentiens, fuga sibi consuluisset, uti refert Genebrardus in *epistola ad Origenem præfatoria*. Manifestiores quidem depravationes, quibus hæresi favet, a Censoribus castigatæ et abolitæ sunt: obscuriores vero et occultiores plane aboleri nequivere. Quare hæc versio caute legenda est, nec nisi a lectore contra hæresim præmunito.

Posterius, quod versio hæc liberior sit, nec verbum verbo, sed sensum sententiæ, quem auctor sibi in mente statuit, reddat; ita ut sæpe textus autographi non tam versio, quam commentarius et explicatio, qualem edidit Glossa Lyranus et alii, esse videatur; auctorque non tam interpretem, quam commentatorem agat, uti in decursu hujus operis ad oculum intuenti patebit. Quocirca Genebrardus *epist.* jam citata eam graviter incusat, quod « velut de industria a littera et sensu discedat: » « Ut mihi videar, ait, non sacras Litteras legere, sed farragines e verbo Dei, et humanis cogitationibus consarcinatas, quæ non tam ad veritatem, quam vertentis opinionem pertineant. » Vide nostrum Gretserum *Admonitione de Bibliis Tigurinis*.

Porro Tigurina in Ecclesiastico, etsi de more Græca moderna sequatur; tamen ubi illa præ Latina Vulgata, uti sæpe fit, concisiora sunt, ex Vulgata suis verbis supplet ea, quæ in Græcis nunc desunt. Fidelior et tutior, ac Vulgatæ vicinior est versio Sanctis Pagnini, utpote Hebræo-Christiani, imo Religiosi Ordinis S. Dominici; qui fideliter verbum verbo reddit: sed et hæc illud incommodi habet, quod rabbinizet, ac in significatis vocum Hebræarum assignandis recentiores Judæorum Rabbinos, non tantum infideles et infidos, sed et amusos ac imperitos sequatur, potius quam veteres peritissimos Septuaginta, Hieronymum et cæteros, ut ait ibidem Genebrardus. Verum in Ecclesiastico desideratur versio propria Pagnini: ipse enim in eo Vulgatam pro sua substituit. Vulgo Tigurina versio Vatabli nomine citatur, quia ex Vatabli scriptis excerpta; unde, quod in ea boni est, Vatablo et orthodoxis; quod mali, hæreticis depravatoribus adscribatur: Vatablus enim fuit vir catholicus et eruditus clarusque.

Apologi Cyrilli.

Prodierunt nuper *Apologi morales S. Cyrilli*, in libros quatuor partiti, et in quatuor virtutes cardinales distributi, elegantes sane, festivi, eruditi, eloquentes, et ad mores sapienter formandos appositi ac perutiles, ideoque diu a me quæsiti. Reperti sunt in Bibliotheca Budensi, quam instituit Matthias Corvinus, rex Hungariæ famosissimus, in antiquo codice manuscripto, hoc titulo: *Apologi morales S. Cyrilli*. Edidit eos noster P. Balthasar Corderius, Viennæ Austriæ S. Scripturæ professor, et S. Theologiæ doctor: eosdem sæpius citat Dionysius Carthusianus commentans in Proverbia, ac *Proverbia Cyrilli* indigitat. Sane redolent acumen, leporem gravitate mixtum, variam eruditionem et pietatem S. Cyrilli Alexandrini: stylus tamen magis latinam, quam græcam elegantiam phrasimque redolet, præsertim in acutis argutisque antithetis et homioptotis, quibus crebro rem probat, et adversarium stringit conficitque. Unde Cyrillus hic Latinus potius fuisse videtur quam Græcus, ac S. Cyrillo Alexandrino ætate posterior, utpote crebro citans Aristotelem et Hippocratem, cum S. Cyrillus cæterique Patres Platonici magis fuerint quam Aristotelici. Adhæc auctor sæpius Siciliam celebrat : unde nonnulli Siculum fuisse suspicantur. In hisce partim apologis, partim

proverbiis, partim similitudinibus, Cyrillus plures Ecclesiastici gnomas docte, pie et eleganter explicat, imo singulas per apologos festive illustrat, et, ut ita dicam, exhilarat. Quare in lectorum gratiam suo loco singulos intexam, præsertim quia hactenus omnibus pene incognitus, invisus et inauditus hic ejus liber, in antro quasi delituit, ac anno demum Domini 1630, lucem aspexit. Citabo Cyrillum ad verbum, resectis nonnullis, quæ minus decora vel minus apposita videbantur. Illi persimilis nuper Romæ prodiit liber nomine S. Cyrilli Alexandrini de plantarum ac animalium proprietate, editus a nostro P. Hieronymo Brunello. Certe quisquis tam hujus quam illius sit auctor, cum priscis authenticisque scriptoribus conferri potest, sive orationis elegantiam et leporem, sive rerum varietatem et gravitatem, sive sententiarum acumen, sive dogmatum sensatam sapientiam, sive morum institutionem spectes. Singulos enim apologos variis gravibusque S. Scripturæ sententiis, proverbiis, ethicis similitudinibus, scitisque gnomis, æque ac rationibus physicis acutis et argutis, instar apis mella constipantis glomeratim densat et confirmat; ideoque longe superat apologos Phædri, Æsopi, Alciati et cæterorum omnium.

Apologis utitur Ecclesiasticus et S. Scriptura.

Porro apologis, ob leporem et acumen morale, blande et jucunde in aures animasque influens, non raro uti S. Scripturam, ac nominatim nostrum Siracidem, ostendam cap. XIII, 3, ad illa : « Quid communicabit cacabus ad ollam? quando enim se colliserint, confringetur; » et vers. 21, ad illa : « Si communicabit lupus cum agno, » etc. Causam dat Cyrillus in apologorum suorum procœmio, quod ex rebus naturalibus et animantibus, quasi ex vivis imaginibus, petere liceat ideam humanæ vitæ virtutibus omnibus adornatæ. Ad hoc enim Deus illas creavit, ut homini essent speculum recte vivendi. Totus enim mundus hic visibilis, homini quasi quædam schola sapientiæ est, in qua divinis prudentiæ rationibus plena sunt omnia: ex iis ergo per festivos rerum apologos documenta vitæ S. Scriptura colligit, ut lector ea intelligat clarius, addiscat facilius, gustet suavius, reminiscatur tenacius. Idem faciunt S. Basilius et S. Ambrosius in *Hexamer.*, S. Epiphanius in *Physiologo*, ac Theodoretus *De Providentia*. Notus est apologus olivæ, ficus, vitis et rhamni, *Judic.* IX, 8; cardui et cedri, IV *Reg.* XIV, 9; lupi et agni, pardi et hædi, leonis et ovis, vituli et ursi, *Isaiæ*, XI, 6; leænæ et leunculorum, *Ezech.* XIX; Oollæ et Oolibæ mulierum, *Ezech.* XXIII ; aquilarum duarum ingentium, *Ezech.* XVII; Luciferi, *Isaiæ*, XIV, 12; Cherubinorum, *Ezech.* I; amphoræ, in qua sedet impietas; *Zachar.* V; et plures alii hisce persimiles.

Cur?

Olim Ethica docebatur per apologos.

Jam vero apologationem esse antiquissimam, atque olim Ethicam doceri solitam per fabulas et apologos ad mores appositos, liquet ex *Baruch.* cap. III, 23, ubi priscos fabulatores, id est fabularum concinnatores vocat « exquisitores prudentiæ. » Unde apologis usi sunt Orphæus, Pythagoras, Menander, Apuleius, Homerus, Hesiodus (quem Quintilianus lib. V, cap. XI, ubi apologis gratiam inesse docet, primum facit apologorum auctorem), Plato lib. II *De Republ.*; Demosthenes, Macrobius lib. I *De Somn. Scipionis*, post initium; Horatius, Gellius, Cicero, lib. III *Offic.*, de Gygis annulo. Hinc Aristoteles, lib. II *Rhetor.*, apologos ponit inter rhetoricas demonstrationes. Aphthonius, initio *Progym.*: « Apologi, ait, delectant vehementius, et persuadent efficacius. » Delectant, quia morum faceta quadam imitatione, simplicium capiunt animos. Fidem faciunt, quia verum quasi ante oculos ponunt. Ideoque magnam vim habent ad permovendum et persuadendum. Apollonius Tyaneus apud Philostratum, lib. V: « Ego, inquit, Æsopi fabulas ad sapientiam accommodatiores, quam cæterorum esse censeo; » quas a Mercurio docet acceptas, Æsopumque in numero sapientum habitum; unde illud Aristophanis in *Avibus* vetus adagium, quod citat Suidas : « Ne Æsopum quidem tristi, » dici solitum de homine plane rudi et imperito; quod qui Æsopi apologos nesciret, nil scire videretur. Præclare Plutarchus in *Moral.*: « Sicut iris, inquit, nil est, nisi relucentia solis refracti in nubibus; ita fabula quædam est veri repræsentatio. » Rursum Aristoteles lib. II *Rhetor.* cap. XXI : « Apologi, ait, ad populum maxime accommodati sunt, habentque hanc præstantiam (præ exemplis), quod, cum difficile sit res præteritas similes adinvenire, apologos fingere est facillimum. »

Illis usi Philosophi.

Neque vero prisci duntaxat Gentium philosophi, poetæ, oratores, principes, apologis usi sunt; sed et Ecclesiæ Doctores, primique Patres Græci ac Latini, non tam philosophos, quam ipsam sacram Scripuram, ac præsertim Salomonem, Siracidem ac Hebræos imitantes et assectantes.

Et Patres Græci.

E Græcis præter S. Basilium, S. Epiphanium ac Theodoretum, quos paulo ante citavi, S. Gregorius Nazianzenus crebro apologos usurpat, ut patet ex epist. 1 *ad Celeusium*, ubi perelegantem cycnorum et hirundinum apologum suo silentio adaptat: ex apologo concilii gruum et anserum, quem recitat in carmine *de Diversis vitæ generibus ;* ex apologo pavonis caudæ syrma pompose explicantis ; item Pandoræ et Promethei, quos recenset tract. *Adversus mulieres ambitiosius se ornantes;* Synesius, serm. 1 *de Providentia*, asserit pueros et rudes docendos esse per fabulas et apologos. S. Irenæus in symbolicis Valentini Æonibus recensendis multus est, sed et ipse suis utitur apologis, ut lib. I, cap. I, apologo gemmarii, imaginem regis gemmeam in similitudinem canis et vulpeculæ deformantis; ibidem cap. X, ex Homero citat fabulam de *orci* sive inferni *galea*, quæ ea tectos faciebat invisibiles; et cap. XXXIV, fabulam hydræ Lerneæ, sive feræ mul-

torum capitum, Valentini scholæ attribuit. Idem lib. II, cap. XII, Valentiniani « similes, inquit, sunt cani Æsopi, qui panem quidem reliquit, in umbram autem ejus impetum fecit, et perdidit escam. » Et cap. XIX citat apologum Pandoræ, quam Hesiodus fingit et pingit omnibus dotibus a diis adornatam. Clemens Alexandrinus, ut Gentes suis ipsorum armis et gnomis confutet, symbola et apologos ex Orphæo, Lino, Homero, Platone, Pythagora agglomerat. S. Cyrillus, cujus nomine liber *Apologorum* jam citatus inscribitur, symbolis et apologis gaudet. Unde, lib. IX *Contra Julian.*, Ægyptiorum hieroglyphica et Pythagoræ symbola recenset et ethice explicat. Idem commentans in Leviticum (quanquam multi verius hunc commentarium tribuant Origeni) omnes Levitici figuras et symbola fuse pertractat. Idipsum quoque facit lib. *De Adorat. in spiritu et veritate.* Magis hoc ipsum liquet ex catalogo parabolarum et similitudinum, qui operum ejus indici subjicitur.

Et Latini. E Latinis Tertullianus parœmiis et apologis abundat; unde lib. *Contra Valentinum*, cap. XII, citat Æsopi graculum, qui alienis plumis se ornans, iis spoliatus erubuit fuitque ludibrium; et cap. III, citat *lamiæ turres;* et lib. *De Anima*, cap. VI : « Thales, inquit, in puteum, » scilicet cadens, dum cœlum intuetur, irrisus fuit a femina. Idem, lib. IV *Contra Marcion.* cap. XXIII : « De Æsopi, inquit, puteo asinus, » scilicet modo apparuisti, *q. d.* Obscurus, et ex angulo prodiens subito te velut eximium jactas; et lib. *De Pudicitia*, cap. VIII : « Nihil ad Andromacham, » quæ tragica erat fabula; et plura alia, quæ collegit Pamelius et Tertulliano præfixit. S. Augustinus, lib. *Contra Mendacium* ostendit apologos, qui per res fictas significant veras, non esse mendacia, sed veracitatem : « Sicut in speculo falsus homo (qui in speculo apparet) est vera hominis imago; » ut idem ait lib. II *Soliloquiorum*. Apologis pariter utitur S. Ambrosius lib. III *Offic.*, et S. Isidorus lib. I *Etymol.*

S. Hieronymus, *in cap.* XVIII *Matth.*, assignat causam cur Christus assidue per parabolas, quibus similes sunt apologi, concionaretur ad turbas : « Familiare, ait, est Syris, et maxime Palæstinis, ad omnem sermonem suum parabolas jungere, ut quod per simplex præceptum teneri ab auditoribus non potest, per similitudinem exemplaque teneatur. » Idem, *in cap.* VIII *Ezech.*, sub finem, apologum Adonidis fuse recitat et ethice explicat. Idem. *Ad Aglasiam*, Quæst. VI : « Interpretemur, ait porabolam, hoc est similitudinem, quæ ab eo vocatur, quod alteri παραβάλλεται, hoc est assimilatur, et quasi umbra prævium veritatis est. »

Et Indi. Ex Indis quoque S. Barlaam apud Damascenum, in historia Josaphat, regis Indorum, cui nomen Adenner, filium, mysteria fidei, ac præsertim mundi vitæque hujus vanitatem, et futuræ veritatem, docet per apologos rhinocerotis hominem insequentis, ac duorum murium arborem, cui homo adhæserat, rodentium, ut in barathrum draconibus refertum corruat. Rursum, per apologum lusciniæ hominem deludentis, ac amicorum amicum in mortis agone deserentium.

Et Hebræi. Ex Hebræis præter Ezechielem, Isaiam, Zachariam, et alios initio citatos, Salomon mortalium sapientissimus per apologum duarum mulierum, unius stultæ, alterius sapientis, ipsam sapientiam et insipientiam repræsentat, *Proverb.* cap. IX, quem secutus noster Siracides toto cap. XXIV, apologum sapientiæ perorantis, seseque cedro, olivæ, palmæ, viti et fluminibus paradisi adæquatis, in scenam producit. Similes a Salomone apologi sanguisugæ, aquilæ, colubri, formicæ, lepusculi, locustæ, stellionis, leonis, galli, arietis et regis proponuntur *Proverb.* cap. XXXI, 15 et sequent. Jam Canticum Canticorum continuus est sponsi et sponsæ apologus. Demum Salomonis antitypus, imo verus Salomon, Christus Dominus non nisi per parabolas et apologos in Evangelio concionatur ad populum. Testis est S. Matthæus, cap. XIII, 34 : « Hæc omnia, ait, locutus est Jesus in parabolis ad turbas, et sine parabolis non loquebatur eis, ut impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem : Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione mundi, » *Psalm.* LXXVII, 2. Christum Dominum secutus S. Joannes in *Apocalypsi* redundat symbolis et apologis, adeoque cap. IV, per Agnum Christum, per quatuor animalia voce humana Deum laudantia, puta per leonem, vitulum, aquilam et hominem, quatuor Evangelistas Christi gloriam celebrantes graphice depingit.

Ratio a priori. Ratio a priori est, quod exempla et apologi ob historiæ novitatem, raritatem, facilitatem ac jucunditatem maxime accommodata sint hominum ingeniis, eorumque curiositati et sciendi cupiditati cum lepore satisfaciant : quare illico in aures mentesque subeunt, ac eas delectando docent, et simul ad sui imitationem movent longe suavius et efficacius quam præcepta. Audi Aristotelem, *Problem.* 18, num. 3 : « Cur, ait, homines in perorando exemplis et fabulis potius gaudent quam commentis? An gaudent, quia et discunt, et celeriter discunt? atqui per exempla et fabulas facilius discitur : sunt enim quæ explorata habeantur, et particularia sint. Ratio autem commentandi, demonstratio ex universalibus est, quæ minus quam partes novimus. Ad hæc iis credere magis solemus, quæ plurimum testimoniis confirmantur. Exempla autem et fabellæ testimoniorum speciem gerunt; fides autem perfacilis est, quam testimonium fecerit. Additur quod verisimile quisque libentius discit. Exemplum autem et fabellæ rem non nisi similem docent. » Huic consona sapientum omnium vox est : « Melius docere et persuadere exempla quam præcepta; » nimirum :

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.

Sicut ergo saccharum catapotiis sive pilulis circumlitum, eorum amaritiem obtegit et edulcorat: sic asperum et odiosum legis vel jubentis imperium, exemplum, viam præeundo, et quasi complanando, dulce facit et amabile; quod enim mandans dure et imperiose præcipit: Ite, servi, et facite; hoc exemplum blande alliciendo reipsa dicit: Eamus, socii, et faciamus. Denique exemplis et apologis parce, velut sale, ad condiendam orationem utendum; hi enim sunt sales orationis: quare si quis iis sobrie, ac congruo tempore, loco et modo utatur, gratiam suis dictis conciliabit, ac perficiet illud Apostoli: « Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, » *Coloss.* IV, 6; idque hoc fine et fructu, ut « det gratiam audientibus, » *Ephes.* IV, 29.

CAPUT IV.

Argumentum.

Jesus Sirach hoc libro omnem moralem philosophiam per breves sententias, quasi gnomas et axiomata tradit et complectitur, æque ac Salomon in Proverbiis; sed iis longe uberior est Ecclesiasticus: unde et 51 capita continet. Tradit enim virtutes non tantum ethicas, quæ personam cujusque concernunt et perficiunt; sed et œconomicas, quæ ad familiam, et politicas, quæ ad rempublicam gubernandam, vel utiles sunt, vel necessariæ, quas sigillatim recensens S. Athanasius in *Synopsi*, plures implet paginas. Hinc a Græcis vocatur πανάρετος, *q. d.* omnivirtuosus, omni virtutis genere refertus; quia de omni virtute præcepta continet, ita Rabanus. Unde Damascenus, lib. IV *De Fide*, cap. XVIII, ait sapientiam Jesu Sirach omni virtutum genere ac doctrina refertam. Audi S. Hieronymum, *Præfat. in libros Salomonis*: «Fertur et panaretos Jesu, filii Sirach, liber, et alius pseudepigraphus, qui Sapientia Salomonis inscribitur. Quorum priorem Hebraicum reperi, non Ecclesiasticum, ut apud Latinos; sed Parabolas, prænotatum, cui juncti erant Ecclesiastes, et Canticum Canticorum, ut similitudinem librorum Salomonis, non solum librorum numero, sed etiam materiarum genere coæquaret. » Alioqui sapientia Salomonis πανάρετος, id est omni virtute referta, proprie sunt ejus Proverbia; sicque appellantur ab Irenæo, Hegesippo, et aliis apud Eusebium, lib. IV *Hist.* cap. XXII. Et inferius: « Hæc duo volumina legit Ecclesia ad ædificationem plebis. »

Ecclesiasticus πανάρετου, id est, omni virtute plenus.

Quocirca et a Latinis inscribitur *Ecclesiasticus*, tum ad imitationem simul et distinctionem libri Salomonis, qui *Ecclesiastes* dicitur, id est, concionator vel convocator et collector; ut enim ab eo distinguatur, *Ecclesiasticus* vocatur, non *Ecclesiastes*, esto etymon et significatum sit idem, vel pene idem; tum quia in Ecclesia legi solebat et solet, ut plebem per omnia, quæ officii et virtutis sunt, erudiat. Audi Rabanum, lib. V *De Universo*, cap. III: «Dictus est, ait, Ecclesiasticus pro eo, quod in medio cœtu populi, id est, coram Ecclesia fuerit habitus. » Et Hugo Cardinalis hic: « Hic liber, ait, apud Græcos Πανάρετος, apud Hebræos *Parabolæ*, apud Latinos *Ecclesiasticus* appellatur, eo quod Ecclesiæ sit utilis, sicut et Ecclesiastes. Per hos enim duos libros maxime instruitur Ecclesia. » Unde *Ecclesiasticus* dicitur, quasi ad Ecclesiam, id est, totum cœtum fidelium, singulosque fideles pertinens, eorumque mores ad norman divinæ legis et virtutis informans et efformans. Hinc Ecclesiasticus uberius virtutes singulas pertractat, et de singulis quasi integras exhibet conciones: qua in re differt a Proverbiis Salomonis, quæ a cap. X, ad finem libri sententias continent plane concisas et disparatas, ita ut una cum altera non cohæreat; sed singulæ novum contineant argumentum. Utilior ergo est Ecclesiasticus Proverbiis, ac uberiorem meditandi, sancte vivendi, dicendi et concionandi materiam suppeditat.

Ecclesiasticus id est, conciona-torius.

Quocirca S. Apostoli in Canone ultimo Apostolorum dicunt et edicunt: «Ut adolescentes addiscant etiam sapientiam eruditi Sirach. » Sic et Clemens, Alexander, Calixtus, Fabianus aliique jam citati Summi Pontifices citant et commendant dogmata Ecclesiastici. Pontianus sæpe *epist.* 1, citat Ecclesiasticum, et *epist.* 2, totum caput XXIII *Ecclesiast.* et magnam partem cap. V et VI, in eam epistolam conjecit. Fabianus, cum sæpius citasset Ecclesiasticum in *epistol.* 1 et 2, in epistolam suam tertiam multa transtulit ex ejus cap. XXVII. Lucius mutuatus est ex Ecclesiastico bonam partem cap. X et XI. Mutuatus est et Stephanus totum cap. XIII *Ecclesiast.* in sua *epist.* 1, ut etiam Eutychianus grandem partem cap. V et VI. Adducunt demum testimonia ex Ecclesiastico Dionysius, cap. VII *Eccles. Hierarch.*, et cap. VIII *de Divinis Nom.*; Ignatius, epist. *ad Heronem*; Hieronymus, epist. *ad Minerium*, et Alexander, epist. *ad Rusticum, ad Salvinam, ad Celantiam.*

Tres libri partes.

Tres libri sunt partes: *prima*, cap. I, continet encomium sapientiæ, sive sacræ Ethices. Deinde a cap. II usque ad cap. XXIV, subjungit Siracides ejus præcepta et dogmata de quibuslibet virtutibus; *secunda*, cap. XXIV, Siracides ipsam sapientiam se suaque prædicantem inducit, ac deinde ethica ejus documenta persequitur usque ad cap. XLII, 15; *tertia*, a cap. XLII, 15, usque ad finem continet harum virtutum et documentorum exempla. Unde, præmisso encomio Dei, Deique operum, librum concludit elogiis Patriarcharum, Prophetarum et principum illustrium veteris Testamenti. Porro inchoat sua præcepta juxta seriem Decalogi. Incipit enim a timore et cultu Dei: inde cap. III, progreditur ad honorem parentibus debitum; ac deinceps officia cæteris vel ex charitate, vel ex justitia præstanda prosequitur.

Accipe brevem singulorum ex ordine capitum synopsin, ut sententias de qualibet virtute statim reperias.

Synopsis capitum omnium Ecclesiastici.

Cap. I, agit de sapientiæ origine.

Cap. II, de timore et amore Dei, vers. 11; de tentatione ejusque remediis, scilicet animi præparatione, humilitate, patientia, resignatione, spe et amore Dei.

Cap. III, de honore parentum, vers. 1; de humilitate et mensuetudine, vers. 19.

Cap. IV, de eleemosyna, vers. 1 et seq.; de sapientia Sanctorum, vers. 12; de pudore malo, vers. 24.

Cap. V, de detestatione peccati et pœnitentia, vers. 1 et sequent.; de constantia et sinceritate, vers 10.

Cap. VI, de amicitia vera, vers. 1; de sapientia ardua, vers. 18.

Cap. VII, de pietate et officiis debitis Deo, sacerdotibus, parentibus, filiis, amicis, potentibus, infirmis, afflictis, mortuis, quin et pecoribus.

Cap. VIII, de tranquillitate et concordia.

Cap. IX, de castitate et vitando mulierum consortio, vers. 1 et seq.; de vitandis amicis novis, potentibus, injustis, loquacibus et temerariis, vers. 14.

Cap. X, de prudentia principum et magistratuum, vers. 1 et sequent.; de superbia, vers. 18; de regentium virtutibus et vitiis, vers. 23.

Cap. XI, de modestia, vers. 1; opes parari cultu Dei, vers. 10.

Cap. XII, beneficium præstandum esse justo, non impio, vers. 1; de cavendis inimicis, vers. 8.

Cap. XIII, de cavenda familiaritate potentum : amicitiam esse inter pares et similes.

Cap. XIV, de liberalitate et avaritia, ac vanitate stulta avarorum, vers. 1 et seq. ; beatum esse sapientem, vers. 22.

Cap. XV, sapientiæ fructus, et qui eorum expertes.

Cap. XVI, non esse lætandum in filiis impiis, vers. 1; de Dei vindicta in impios, vers. 7; de Dei sapientia in creatione et dispositione universi, vers. 24.

Cap. XVII, de hominis creatione et perfectione, præsertim sapientiæ, vers. 1 ; de pœnitentia et conversione ad Deum, vers. 20.

Cap. XVIII, laus magnalium, puta potentiæ et misericordiæ Dei, vers. 1; de memoria divini judicii, vers. 24.

Cap. XIX, de vino, meretricibus, ac moderamine linguæ.

Cap. XX, de linguæ virtutibus et vitiis; deque fatuis et imprudentibus.

Cap. XXI, de vitando peccato, vers. 1; de stulti moribus et immodestia, vers. 14.

Cap. XXII, stultos esse insupportabiles et incorrigibiles, vers. 1; de vitiis, quæ violant amicitiam, vers. 23.

Cap. XXIII, orat pro sapientia practica, vers. 1; de juramento alisque linguæ vitiis, vers. 7; de fornicatione, vers. 24.

Cap. XXIV, sapientiæ encomium ab origine, officiis, domo, pulchritudine, fructibus.

Cap. XXV, tria, quæ placent Sapientiæ ; tria, quæ displicent, vers. 1; decem beatitudines, vers. 9; de nequitia mulierum, vers. 17.

Cap. XXVI, de muliere bona et mala, puta sensata et insensata.

Cap. XXVII, de falsitate, fraude aliisque linguæ vitiis, vers. 1; de revelatione secreti, vers. 17; de dolo et iis qui lapsu gaudent alieno, vers. 25.

Cap. XXVIII, recenset damna iræ et vindictæ, ac vers. 15, linguæ duplicis, sive bilinguis.

Cap. XXIX, de mutuo dando, vers. 1; de eleemosyna, vers. 11; de fidejussione, vers. 19; de miseria peregrinorum et hospitum, vers. 28.

Cap. XXX, de filiorum castigatione, vers. 1; de bono sanitatis, vers. 14; de bono lætitiæ et malo tristitiæ, vers. 21.

Cap. XXXI, de sollicitudine opum vitanda, vers. 1; de honestate et temperantia in mensa servanda, vers. 12.

Cap. XXXII, docet quid in mensa faciet rector, juvenis, senex, vers. 1; de Dei timore et legis custodia, vers. 18; de consilio et ratione ubique adhibendis, vers. 24.

Cap. XXXIII, docet Deum discrevisse bonos a malis, magnos ab abjectis, vers. 8; ne quis ante mortem opes aliis cedat, vers. 20; de regimine servorum, vers. 25.

Cap. XXXIV, de somniorum vanitate, vers. 1; de utilitate tentationis, vers. 9; de utilitate spei in Deum, vers. 14; de fraudatione mercedis pauperum, vers. 21.

Cap. XXXV, de virtute religionis et oblationum, vers. 1; de efficacia orationis pauperum et afflictorum, vers. 17.

Cap. XXXVI, orat pro Judæis jam subditis Ægyptiis, vers, 1; de diligenda bona uxore, vers. 23.

Cap. XXXVII, de amicis fictis, vers. 1; quale, et cum quibus ineundum consilium, vers. 7; de sapientia, vers. 21; de frenanda gula et concupiscentia, vers. 30.

Cap. XXXVIII, de utilitate et usu medicinæ, vers. 1; infirmum instituit, vers. 9; quid in morte amicorum faciendum, vers. 16; de usu agriculturæ, artis fabrilis, figulinæ et similium, vers. 26.

Cap. XXXIX, sapientiam acquiri oratione, lectione et studio, vers. 1; laus Dei, ejusque potentiæ, beneficentiæ et vindictæ, vers. 16.

Cap. XL, de ærumnis hujus vitæ ex peccato, vers. 1; docet quæ sint magis eligenda, per varias gradationes, vers. 17; de fugienda inopia, vers. 29.

Cap. XLI, mors, quibus amara, quibus jucunda, vers. 1 ; de filiis probrosis, ac cura famæ, vers. 8.

Cap. XLII, de quibus non erubescendum, vers. 1; de filia custodienda, vers. 10; laus sapientiæ et omniscientiæ Dei, vers. 16.

Cap. XLIII, laudat magnificentiam Dei ex pulchritudine cœlorum, stellarum, iridis, nivis, grandinis, gelu, maris et insularum.

Cap. XLIV, laudat Patriarchas et viros sapientes in genere, vers. 1; laudat Henoch, Abraham, Isaac et Jacob, vers. 16 et seq.

Cap. XLV, laus Moysis, Aaronis et Phinees.
Cap. XLVI, laus Josue, Caleb, Judicum et Samuelis.
Cap. XLVII, laus Nathan, Davidis et Salomonis.
Cap. XLVIII, laus Eliæ, Elisei, Ezechiæ et Isaiæ.
Cap. XLIX, laus Josiæ, Jeremiæ, Ezechielis, duodecim minorum Prophetarum, Zorobabel, Josedec, Nehemiæ, Seth, Sem et Adam.
Cap. L, laus Simonis Pontificis.
Cap. LI, oratio Jesu, filii Sirach, qua *primo* Deum laudat, eique pro liberatione ex gravibus malis gratias agit; *secundo*, vers. 18, docet, se oratione et studio adeptum sapientiam; *tertio*, vers. 31, ad eam omnes hortatur et invitat.

Hæc summatim, præcipua duntaxat capitum argumenta assignando, perstrinxi : multa enim alia sparsim hic liber pertractat, quæ suis locis indicabo, adeoque omne cujuslibet virtutis officium particulatim percenset, quæ ipsius propria est dos et laus, qua cæteros omnes S. Scripturæ libros antecellit, ideoque πανάρετος dicitur, « quasi omnis virtutis receptaculum, cujus tanta est claritas, ut ipse sibi sit commentator, » ait Rabanus. Cunctas enim moralis doctrinæ partes absolutissime tradit : Ethicam, Œconomicam, Politicam. Nam major pars ad Ethicam, minor ad Œconomicam, non minima ad Politicam spectat. Scopus enim et finis Jesu scribendi hujus libri fuit, ut ait Siracides in prologo, instruere eos, « qui volunt animum intendere et discere quemadmodum oporteat instituere mores, qui secundum legem Domini proposuerint vitam agere. » Quare christiani omnes, virtutis et perfectionis avidi, avide hunc librum volvant, legant et relegant, uti nonnullos præsules fecisse et facere scio, qui proinde hunc librum, quocumque proficiscantur, secum, quasi domesticum viæ et vitæ ducem, circumferunt, de eo suis dicentes illud, quod S. Cyprianus assidue lectitans Tertullianum, eum poscens dicebat : « Da magistrum. » Hoc est quod ait Rabanus lib. V *De Universo*, cap. III: « Ecclesiasticus morum pene omnium disciplinam, et sanctæ religionis conversationem affatim et copiose descripsit. »

CAPUT V.

Methodus.

Methodus nostri Siracidis est, sapientiæ practicæ, et singularum virtutum præcepta tradere per breves gnomas et sententias prudentum et sapientum : ita tamen, ut singulis sæpe longius insistat, multaque earum, æque ac vitiorum contrariorum, officia et actus percenseat. Qua in re miscet similitudines, adagia, ænigmata, parabolas, quibus sua prudentiæ dogmata tum ornat, tum explicat, ut hisce quasi salibus condita magis legenti sapiant, magisque in ejus cor, stomachum et mentem descendant, concoquantur, et per animæ venas et potentias spargantur, ut illam virtutibus alant, augeant, roborent, impinguent, perficiant. Hac de causa Basilius Imperator instituens filium Leonem, cognomento Philosophum, hoc ultimum ei dat præceptum : « Revolve Jesu Sirach documenta, e quibus multum civilis et regiæ prudentiæ haurire poteris. » Exstat in fine tomi V *Biblioth. SS. Patrum.*

Qua in re Siracides imitatur Salomonem et priscos Hebræos: simili enim modo Salomon suam ethicam brevibus sententiis tradit; ideoque librum *Misle*, id est *Proverbia* vel *Parabolas* inscripsit : qua ratione et Ecclesiasticus noster a nonnullis inscribitur Proverbia, teste S. Hieronymo, *Præfat. in libros Salomonis*. In praxi enim consultissimum est illud Poetæ :

> **Quidquid præcipies, esto brevis, ut cito dicta**
> **Percipiant animi dociles, teneantque fideles.**

Quocirca similes Siracidis gnomas aliorum sapientum, Ben-Sira, Hebræorum, Syrorum, Arabum, quin et Philosophorum gentilium subinde, sed parcius, nec nisi ubi lucis et nervi aliquid afferunt, citabo, idque varias ob causas. *Prima*, quia hoc facit ad veritatis dignitatem, utpote quæ ita certa sit, ut non tantum fideles, sed et infideles ei testimonium perbibeant. Qua de causa Christus a Moyse et a Joanne Baptista, fidelibus quidem, sed longe se inferioribus, testimonium accipere dignatus est. *Secunda*, quod commentarius hic ab hæreticis et infidelibus forte, qui Siracidi non credunt, legetur, ut hi saltem per Hebræos et Philosophos convicti, eidem credere condiscant. *Tertia*, quia ratio fidei, natura gratiæ, Philosophia Theologiæ subservit et ancillatur. Cujus rei symbolo jussit Deus, filias Gentilium a Judæis bello captas, post tonsionem et lustrationem in consortium et torum Hebræorum fidelium admitti, *Deuter.* XXI, 11. Qua de causa crebro S. Hieronymus, S. Cyrillus, S. Nazianzenus, S. Basilius, S. Augustinus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, quin et subinde S. Paulus, sententias Gentilium citant. Vide de hac re egregie disserentem S. Hieronymum, epist. 84 *ad Magnum*, et S. Basilium, tractatu *de Utilitate ex Gentilium libris capienda*. *Quarta*, quia Siracides ethicam non tantum supernaturalem, sed et naturalem pertractat, quam pariter pertractavit Socrates, Aristoteles, Seneca cæterique Ethici. Horum ergo gnomæ gnomis Siracidis sunt parallelæ. Adde quod Siracides hæc omnibus, non solum Judæis, sed et Gentibus conscripserit, ut patet ex prologo, et ex cap. XXXIX, 1, 14. *Quinta*, quia Philosophi suam ethicam et sapientiam hauserunt a Moyse et Hebræis, uti fuse demonstrat Eusebius lib. IX *Præparat. Evangel.* IV, et lib. X, cap. II; Clemens Alexandrinus, lib. I *Stromat.*; S. Augustinus, lib. XVIII *De Civitat.* XXXIX. Dum ergo philosophos cito, Moysen et Hebræos cito, eorumque gnomas suis assigno fontibus, ac eorum sapientiam primævis suis reddo auctoribus; quo quid æquius et justius fieri potest ?

Hac etiam de causa sententiæ Siracidis a variis

varie congestæ et dispositæ sunt. Nam sententiæ quæ in Vulgata Latina habentur cap. XXXIV, in Græco Romæ correcto habentur cap. XXXI; et quæ in Vulgata habentur cap. XXXVI, in Græco Romano habentur cap. XXXIII. Sic in sequentibus cap. XXXII, XXXIII, XXXV, etc., ordo in Vulgata plane est alius ab eo qui est in Græco Romano. Idem accidit in Proverbiis Salomonis : nam quæ in Latina Vulgata habentur cap. XXX, in Græca Septuaginta exstant cap. XXIV, et ita de cæteris.

Salomonem ergo et Hebræos imitatus est non tantum noster Siracides Hebræus, sed et gentiles Poetæ et Philosophi ethici, tam Græci quam Latini, quorum primi et principes fuere Phocylides et Pythagoras, qui eodem tempore floruerunt et docuerunt in Græcia, quo Jeremias in Judæa; sed Phocylides paulo ante Pythagoram claruit: ille enim olympiade LX, hic LXIII, adeoque ille hujus fuit magister, teste Eusebio in *Chron.*; Suida, Plutarcho in *Vita Numæ*, et Cicerone *Tuscul* IV. Hos secuti, imo his coævi fuere Theognis, Simonides, Anacreon tempore Cyri; deinde Hesiodus, postea Socrates paulo ante Alexandrum Magnum; ac demum inter Romanos Cato et Seneca, qui omnes totam ethicam, sive recte vivendi rationem paucis sententiis et carminibus complexi sunt. Hinc Plato in *Protagora* scribit : « Antiquorum doctrinam nihil aliud fuisse, quam breviloquim quoddam ; idque esse viri absolute sapientis, paucis videlicet multa complecti. » Hac ratione Hippocrates composuit Aphorismos, Pythagoras quoque Symbola, et Proverbia Salomon: quo enim altior intellectus est in Angelis, eo formis paucioribus plura comprehendit et agit. Hierotheus igitur post S. Paulum S. Dionysii doctor, et Apostolis excellentia proximus, theologiam summulis mira profunditate conclusit, scripsitque expiatissimis mentibus atque doctissimis. Dionysius autem, et Hierothei jussu, et Timothei rogatu, universales illas summulas Hierothei in notiones singulas derivavit *De Divin. Nomin.* cap. II, sub fin.

Phocylides sic orditur :

Furtivam vita venerem, tædasque viriles.
Mitte dolos, servaque manus a sanguine puras.
Ne male ditescas, de justis vive paratis.
Principio venerare Deum, cole deinde parentes.
Fac juste cunctis, ne te favor abstrahat ullus.
Ne spernas inopem, aut personæ deditus esto.
Judicio si quid falles, Deus ipse rependet.
Sis castus, rebusque fidem servato gerendis.
Utere mensuris (ornat modus omnia) justis, etc.

Hisce synchronis, tempore Cyri, septem Græciæ sapientes suam ethicam, suaque prudentiæ et vitæ honestæ præcepta paucis complexi sunt sententiis, quas hisce versibus expressit Ausonius :

ETHICA BIANTIS PRIENÆI.

Quænam summa boni ? mens, quæ sibi conscia recti.
Pernicies homini quæ maxima ? solus homo alter.
Quis dives ? qui nil cupiat Quis pauper ? avarus.
Quæ dos matronæ pulcherrima ? vita pudica.
Quæ casta est ? de qua mentiri fama veretur.
Quod prudentis opus ? cum possit, nolle nocere.
Quid stulti proprium ? non posse, et velle nocere.

ETHICA PITTACI MITYLENÆI.

Loqui ignorabit, qui tacere nesciet.
Bono probari malo, quam multis malis.
Demens superbis invidet felicibus.
Demens dolorem ridet infelicium.
Pareto legi, quisque legem sanxeris.
Plures amicos re secunda compara.
Paucos amicos rebus adversis proba.

ETHICA CLEOBULI LINDII.

Quanto plus liceat, tam libeat minus.
Fortunæ invidiæ est immeritus miser.
Felix criminibus nullus erit diu.
Ignoscas aliis multa, nihil tibi.
Parcit quisque bonis, perdere vult malos.
Majorum meritis gloria non datur.
Turpis sæpe datur fama minoribus.

ETHICA PERIANDRI CORINTHII.

Nunquam discrepat utile a decoro.
Plus est sollicitus magis beatus.
Mortem optare malum, timere pejus.
Faxis, ut libeat, quod est necesse.
Multis terribilis, caveto multos.
Si fortuna juvat, caveto tolli.
Si fortuna tonat, caveto mergi.

ETHICA SOLONIS ATHENIENSIS.

Dico tunc beatam vitam, cum peracta fata sint.
Par pari jungatur conjux; quidquid impar, dissidet.
Non erunt honores unquam fortuiti muneris.
Clam coarguas propinquum, quem palam laudaveris.
Pulchrius multo parari, quam creari nobilem.
Certa si decreta sors est, quid cavere proderit ?
Sive sint incerta cuncta, quid timere convenit ?

ETHICA CHILONIS LACEDÆMONII.

Nolo minor me timeat, despiciatque major.
Vive memor mortis, ut sis memor et salutis,
Tristia cuncta exsuperans, aut animo, aut amico.
Tu bene si quid facias, non meminisse fas est.
Quæ benefacta accipias, perpetuo memento.
Grata senectus homini, quæ parilis juventæ.
Illa juventa est gravior, quæ similis senectæ.

ETHICA THALETIS MILESII.

Turpe quid ausurus, te sine teste time.
Vita perit, mortis gloria non moritur.
Quod facturus eris, dicere sustuleris.
Crux est, si metuas vincere quod nequeas.
Cum vere objurgas, sic inimice juvas.
Cum falso laudas, tunc et amice noces.
Nil nimium satis est, ne sit et hoc nimium.

ETHICA PYTHAGORÆ.

Jam ut ad Pythagoram, ejusque asseclam Isocratem, exactiores ethicæ doctores, redeam, pauloque fusius agam, S. Hieronymus *Præfat. in Proverbia* : « Pythagoras, inquit, omnem doctrinam moralem hoc symbolo claudit : Fugare decet omni studio, ferroque et igne abscindere ab anima ignorantiam, a corpore et animo morbum, a victu luxum, a domo discordiam, a civitate seditionem, et ab omni negotio intemperantiam. »

Sic Epictetus totam ethicam his duobus verbis et præceptis complexus est : « Sustine et abstine. »

Porro magis speciatim singula de singulis virtutibus dicta et præcepta Pythagoræ colligit Augustinus Dathus lib. II, epist. 2 *ad Alexandrum Bononium* : Accipe paucis ea, sane in gentili aurea : « Immortales primum deos, sicut lege sancitum est, venerare. Cole jusjurandum : legitima serva. Parentes reverere, et qui propissime illos nati sunt. Reliquorum vero quisquis virtute maxime antecedit, tibi amicum para. Comis sis in sermonibus, frugi in rebus gerendis. Noli amicum tractare molestius, si parva te ac levi affecerit injuria. Imprimis ventris, somni, crapulæ, iræ abstine. Turpe aliquid neque tecum agas, neque cum altero contrahas. Justitiam et opere complectere et verbis. Nihil temere, nihil inconsulto agas, intelligens mortis fatum cunctis mortalibus impendere. Pecunias alias servare contende, alias profundere. Quæcumque tibi vivendi sors obvenerit, eam feras æquo animo : neque graviter patiaris, sed medere adversis pro viribus. Nullius impulsu, aut agas quid, aut dicas, quod tibi ipsi non conducat. Consulta ac delibera prius quam opus aggrediare. Ea perfice, quorum te factorum postmodum non pœniteat. Nihil prorsum geras, quod tibi exploratum non sit. Quod si te lateat, cura aliunde, ut discas quodcumque factum necessarium contigerit. Hoc namque pacto vitam vives jucundissimam. Tuere bonam valetudinem, et iis quæ corporis sunt adhibe diligentiam. Itaque et potionis ubique et exercitationum modum quemdam serva. Est autem is modus optimus, qui nihil afferet detrimenti. Ita te para, ut non delicato ac molli, sed simplici victu cultuque delecteris. Cave quidquam aggrediare, quod invidiosum sit. Nec pecuniam intempestive profundas, sed neque parcus nimium atque illiberalis sis. Optima omnibus in rebus mediocritas. Ea conare, quæ tibi frugifera sunt. Et priusquam aggrediare, etiam atque etiam cogita. Neque somno indulgeas, quin prius tecum commemores trifariam diei gesta : quid egi ? quid dixi ? quid relictum opportunius est ? Turpia agere grave sit, bona ac modesta jucundum. Hæc si sectaberis, aiebat Pythagoras, divinæ virtutis consequeris vestigia. » Huc spectant symbola Pythagoræ, quæ fuse recensui, et in tres classes, puta in Theologica, Ethica, et Politica, distribui procœmio in Prophetas Majores, *canone* 56 ; quare ea hic non repetam.

ETHICA ISOCRATIS.

Pythagoræ suppar est Isocratis, qui Demonico aurea honeste vivendi dat præcepta, et prudentia dictamina suis subnixa rationis principiis. Sic
Primo. ergo præscribit et sancit : « Primum res cole divinas, non sacrificans solum, verum etiam stans juramentis. Nam illud divitiarum signum est, hoc probitatis atque æquitatis indicium. Deum venerare, tum semper alias, tum potissimum cum civitate : ita enim videberis simul et rem facere divinam, et legibus obtemperare. Talis esto in parentes, quales in teipsum cupis esse liberos. Exercitationes corporis, eas amplectere, quæ ad bonam valetudinem tuendam, non quæ ad robur valeant ; quod utique consequeris, si adhuc laborare sufficiens desinas. Neque cachinno infreni delecteris, neque sermonis audaciore petulantia ; et illud quidem stultum est, hoc autem furiosum atque inane. Quæ facere turpe est, hæc tu quoque dicere indecorum puta. Ita te consuefacias, ut non difficilis, non tristis ; sed cogitabundus, sed severus esse videaris : illud te contumacem et fastidiosum indicaret, hoc prudentem esse demonstrat. Decus, verecundiam, justitiam, modestiam decere te existima ; his namque in rebus maxime ineuntis ætatis mores versantur. Si forte quid turpe facias, ne id confidas diutius obscurum fore : quod si alios lateas, certe tibi ipse eris conscius. »

« Parentes cole. Deos metue. Amicos observa. Secundo.
Legibus pare. Voluptates eas tibi ascisce, quæ cum laude sunt : etenim voluptas cum honestate quidem optimum, pessimum sine illa est. Calumnias etiam falsas devita : multitudo namque et ignorat veritatem, et opinioni maxime adhærescit. Tunc probaberis maxime, si illa caveas, quæ alii si facerent, reprehendas. Si fueris discendi studiosus, multorum quoque pollebis scientia. Quæ scis, usu atque exercitatione conserva. Quæ vero ignoras, effice ac labora ut intelligas. Multum vero disciplinarum, multis existima præstare pecuniis : hæ quidem celeriter decidunt, illæ vero perpetuo ac semper durant : sola namque sapientia possessionum omnium immortalis.

« Morum comitas adsit, sermonis affabilitas. Tertio.
Facilem te omnibus præsta. Utere autem quos optimos noveris : ita enim et bonis amicus, et improbis eris nequaquam infestus. In laboribus teipsum exerce voluntariis, quo et non voluntarios subire queas. A quibus teneri animum turpe ac flagitiosum est, eorum abstine omnium, quæstus, iræ, voluptatis, doloris. Diligentius verborum sermonumque, quam pecuniarum tuere deposita. Decere puta tam improbis fidem non esse adhibendam, quam habendam probis. Neminem tibi amicum compares prius, quam investiges, quo pacto et ipse prius fuerit amicis usus ; ac spera perinde eum in te fore, qualis et erga illos exstiterit. Sero amicus fias, factus autem persevera. Periclitare adversis rebus amicos : nam aurum quidem igne probamus, amicos vero in adversa fortuna cognoscimus. Optime uteris amicis, si non rogatus, sed sponte tua et deferas beneficium, et gratificeris in tempore. Amicum fac tibi, qui non modo res tuas adversas condoleat, sed etiam non invideat secundis. Absentium te amicorum memorem præsta coram præsentibus, ne et illos, cum forte absint, floccipendere videaris.

« Amictus compara, qui ornatum afferant, non Quarto.

qui modum excedant. Præsentium bonorum non affluentia major tibi chara sit, sed moderatus usus. Despice, qui cumulandis intendunt pecuniis, partis autem uti nesciunt. Nemini calamitatem objicias, quod et communis fortuna sit, et futurum incognitum. Assentatores fuge, ut qui fallunt homines ac decipiunt. In primis evita compotationum conventus: sin tempus te ad illos detruserit, ante ebrietatem exurge : nam intellectus quidem vino corruptus, ejus qui aurigam perdiderit, currus similis est: ille namque temere fertur rectore orbatus, et animus turpiter labitur corrupta mente.

Quinto. « Moderatum sermonem tanto existima loquacitate meliorem, quanto quidem solent cætera quæ turpia sunt, pleraque luctum afferre. Loquacitas magnis habentes afficit detrimentis. Quodcumque dicturus sis, prius mente voluta : in plerisque enim menti lingua præcurrit. Duplex eligendum est in loquendo tempus: aut quibus de rebus perspicue noveris, aut quæ diu necessitas ipsa coegerit: solis enim in his sermo taciturnitati præstat, in reliquis vero satius est silere quam loqui. In consultando fac tibi præteritas res exempla futurarum. Consulta quidem tarde; perfice autem celeriter quæ videntur. Arbitrare optimum esse a diis quidem felicitatem, a nobis vero ipsis sapiens consilium.

Sexto. « Quem tibi socium deligis capiendi consilii, illum considera prius, quo pacto sese suis in rebus habuerit: etenim qui male res suas gesserit, nunquam recte procurabit alienas. Ex publicis muneribus labora, non ut cumulatiores divitias, sed ut majorem tibi compares gloriam: multis namque pecuniis præstabilior fama popularis. Justam potius suscipe inopiam, quam injustas divitias: eo enim amplius pecuniis justitia antecedit, quod hæ quidem viventibus solum conducant, illa etiam mortuis gloriam parit. Sed et pecuniarum quidem vel improbi participes sunt, at justitiæ omnino exsortes.

Septimo: « Existima nihil esse stabile in humanis rebus, nihil ratum: sic enim nec erit successibus lætitia effusior, nec calamitate tristitia major. Probrum magis quam discrimen devita; metuendum namque necesse est esse et formidabilem, improbis quidem vitæ exitum, bonis autem ignominiam. Tunc plurimum juvet te honesta sectari, cum ex his intelliges, magnas ingentesque fluere atque oriri voluptates: siquidem nequitiæ, ac libidinum voluptatumque illecebris, permultum quoque intercedit ægritudinis: at virtutis exercitatio, ac moderatio vitæ, tum veram, tum firmissimam quoque jucunditatem præstat : et illic quidem primum oblectati, magnis porro angoribus urgemur; hic vero laboribus defuncti, incredibili afficimur voluptate. »

ETHICA CATONIS.

Trita sunt Catonis de moribus carmina:

Si Deus est animus, nobis ut carmina dicunt,
Hic tibi præcipue pura sit mente colendus, etc.

Quis hic fuerit Cato, non disputo, an scilicet, priscus ille Censorius, an potius quis alius, qui prisci illius adinstar, morum censuram sibi arrogarit, eamque hisce versibus dictarit: idipsum enim stylus humilior et rudior arguere videtur. Adde, quod inter opera Censorii hi versus non exstent.

Hæc Ethnici ex solo naturæ lumine, ac proinde naturales duntaxat virtutes prosecuti, veram Dei fidem, religionem et cultum non attigerunt: cum ex adverso noster Ecclesiasticus a Spiritu Sancto illustratus, imo directus, hosce omnes transgressus, veram erga Deum pietatem, fidem, spem, timorem, charitatem ubique sanciat; nec naturales duntaxat, sed et supernaturales virtutes, quibus ad Deum quam proxime accedimus, ab eoque ad æternam felicitatem, regnumque cœleste directo tramite et cursu dirigimur, edoceat, idque succincte, et per breves gravesque gnomas et sententias, quæ facile et edisci, et mente retineri, et actionibus singulis adhiberi ac prælucere, quidque facto opus sit, commonere et commonstrare valeant. Unde Plato in *Protagora* scribit, antiquorum doctrinam nihil aliud fuisse, quam breviloquium quoddam, idque esse viri absolute sapientis, paucis videlicet multa complecti.

Siracidi nostro, sive Ben-Sirach, consonat, et quasi ἀντιφώνως respondet homonymus illi Ben-Sira, qui sua morum præcepta tradit paucis sententiis hebraicis, inchoando singulas ab alphabeti litteris ex ordine. Illas hic subjungam, quia Siracidi lucem afferunt, brevesque sunt ac raræ.

ALPHABETUM I ETHICUM BEN-SIRA.

Aleph.: « Ama et honora medicum, dum non indiges ejus. » Idem sancit Siracides cap. XXXVIII, vers. 1. Mystice Scholiastes Hebræus Ben-Sira hoc refert ad Deum, *q. d.* Cole et precare Deum qui est malorum omnium archiatrus, antequam ejus auxilio tibi opus sit. Aleph.

Beth: « Ben, i. filium, non filium (hoc est, filium, qui non se gerit ut filium, puta filium procacem, rebellem et perversum) sine ut aquæ summo remiget. » Nam sæpe remus emendat, quem non potuit paterna castigatio. Beth.

Gimel: « Os, quod cecidit in sorte tua, rode, » *q. d.* Uxore, et sorte, quæ tibi obtigit, contentus vive. Gimel.

Daleth: « Aurum tundi debet, et puer verberari. » Hoc est, ut explicat Scholiastes: «Uti aurum, si illud tundas, magis fulget: sic puer, si eum verberes, evadet melior. » Daleth.

He: « Esto bonus, et manum tuam a bono ne prohibeas. » «Bonus,» id est, benignus, beneficus. He.

Vau: « Væ malo, et væ illis, qui adhærent ei. » Aut, « væ improbo, et væ vicino ejus. » Im- Vau.

probus enim suam culpam et pœnam vicinis afflat.

Zain. *Zain:* « Sparge panem tuum in superficie aquarum, et in arida; et in fine dierum invenies eum, » *q. d.* Esto liberalis in omnes promiscue, sive pauperes sint, sive divites; ac tandem justam mercedem a Deo accipies.

Chet. *Chet:* « Vidisti asinum nigrum? Neque nigrum, neque album. » Scholiastes: « Doce linguam tuam, ut dicat semper: Nescio: ne quando in responso capiaris. »

Thet. *Thet:* « Bene malo ne facias, et malum non continget tibi. » Simile est dogma Siracidis, cap. XII, vers. 4, 5 et 6: quod, quo sensu accipiendum sit, ibi aperiam.

Iod. *Iod:* « Manum tuam a beneficentia ne abstrahas. »

Caph. *Caph:* « Sponsa conscendit thalamum: sed nescit quid sibi eventurum sit, » *q. d.* Futura omnia incerta sunt, rerumque eventus ignorantur, etiam cum in propinquo sunt.

Lamed. *Lamed:* « Sapientem nutu, et stultum fuste; » supple, erudi et castiga.

Mem. *Mem:* « Qui honorat contemnentes se, similis est asino, qui inservit ei a quo cæditur. »

Nun. *Nun:* « Ignis ardens comburit multos acervos frugum, » *q. d.* Ex parvo initio maxima oriuntur mala: sicut ex una scintilla grande incendium; ex uno verbo aspero, multa verbera et cædes, juxta illud *Jacob.* III, 5: « Ecce quantus (quantulus, quam modicus) ignis, quam magnam sylvam incendit! Et lingua ignis est, universitas iniquitatis. »

Samech. *Samech:* « Senex in domo, bonum signum in domo. » Tum quia senium signum est probæ et temperantis vitæ, huic enim et a natura, et a Deo, præmii loco, datur longævitas; tum quia senes rerum usu et prudentia pollentes, docent juvenes, quæ familiæ profutura vel obfutura sunt. Senex ergo in domo, signum et causa est, quod in domo sit bona disciplina et œconomia.

Ain. *Ain:* « Merces si communes habueris cum aliquo, a bono centies frustra repetes, a malo millesies. »

Phe. *Phe:* « Mensam appara, contentio sublata est. » Tum quia, sopita contentione, in concordiæ et amicitiæ redintegratæ symbolum instrui solet mensa; tum quia vina et convivia animos iratos mulcent, leniunt, exhilarant, et ad concordiam alliciunt. Sic hodie videmus, per symposia multas rixas litesque sopiri.

Tsade. *Tsade:* « Si necesse est ut contrahas accipiendo et dando, esto sors tua cum viro bono, » *q. d.* Negotiare cum probo, non cum improbo.

Coph. *Coph:* « Propinqua negotiatio comeditur a domino suo: longinqua comedit dominum suum, » *q. d.* Qui in locis sibi vicinis negotiantur, hi ditantur: qui in remotis, hi depauperantur. Sic Hebræi nonnulli explicant illud *Proverb.* XVII, vers. 24: « Oculi stultorum in finibus terræ, » *q. d.* Qui extremas orbis regiones obit negotiandi causa, hic stultus est.

Resch: « Amicum veterem ne abnegato. » Idem monet Siracides cap. IX, vers. 14. Resch.

Schin: « Sexaginta consiliarii si fuerint tibi, tamen consilium animæ tuæ ne deseras. » Idem consulit Siracides cap. XXXVII, vers. 18. Schin.

Thau: « Tam liberalis sit tibi manus, quasi semper satur fueris; et non quasi modo demum satur factus, antea vero esurieris, » *q. d.* In dando esto benignus et liberalis, non tetricus et avarus: nihil enim ita gratiam conciliat, ut benignitas et liberalis hilaritas. Thau.

ALPHABETUM II BEN-SIRA.

Aleph: « Animum tuum ne des tristitiæ: multos enim occidit tristitia. » Idem habet Siracides cap. XXXVIII, vers. 21. Aleph.

Beth: « Bellæ mulieris specie multi pessumdati fuerunt, et robusti omnes interfecti ab ea. » Idem tradit Siracides cap. IX, vers. 9. Beth.

Gimel: « Secretum tuum revela uni e mille, licet multi fuerint, qui pacem (hoc est, salutem, incolumitatem, bonum) tuam quærant. » Gimel.

Daleth: « Abstrahe carnem tuam a muliere gratiosa, tanquam a carne prunarum. » Quia caro ejus ignita est, ac instar prunarum te comburet, *Proverb.* VI, 29. Daleth.

He: « Absconde oculos tuos a muliere gratiosa, ne capiaris reti ejus. » He.

Vau: « Væ ei, qui vadit post oculos suos, quos novit esse filios scortationum; » id est, scortationi addictos. Vau.

Zain: « Ne esto ex iis, qui raram aut densam barbam habent: nam nescis quid sit decretum, » *q. d.* Noli esse ex eorum numero, qui vel perverse callidi, vel plane stulti sunt. Nam, ut ait R. Aquila (quem ferunt, magistrum fuisse Aquilæ Pontifici, qui S. Scripturam ex Hebræo in Græcum convertit) in *Gemara:* « Homo rara barba, callidus est: densa barba, stultus. » Zain.

Chet: « Chari sunt cuivis homini mares: sed væ patri feminarum. » Filiæ enim sunt continua sollicitudo, ac non raro dedecus et probrum parentum: unde sequitur: Chet.

Thet: « Thesaurus vanus est filia patri suo, cui dum metuit, noctu non dormit. » Idem dicit Siracides cap. XLII, 9. Thet.

Iod: « Dormit (dormiens), non dormit custos puellæ parvulæ: forsan in adolescentia sua decipietur, et adultior facta scortabitur. » Idem habet Siracides cap. XLII, 14. Iod.

Caph: « Cum nupta erit filia, tu anxius eris de ea valde, dicens: Forte liberos habebit, forte non habebit: et cum senuerit, ne forte veneficia exerceat. » Omnia hæc explicant τὸ *væ patri feminarum*, littera *Chet*. Caph

Lamech: « Ne dormias in juventute tua, et in senectute tua ne ducas vetulam: nam uxor vetula debilitabit vires tuas, etiamsi fueris juvenis: uxor Lam.

autem virgo addet tibi vires et robur. » Exemplum est in Davide sene, quem calefaciebat Abisag Sunamitis, III *Reg.* I, 3.

Mem. *Mem* : « Aquæ mulieris, quæ virgo juvenis est, dulces sunt, et augent vires; sed aquæ mulieris vetulæ, amaræ sunt ut absinthium, et debilitant vires : ut cisterna, quæ aquas habuit, quas ventus hauriendo absorpsit. » Vide *Prov.* V, vers. 15.

Nun. *Nun* : « Excute teipsum a muliere mala, quæ lingua sua in te dominatur : mulier enim mala similis est canibus rabidis ; cui ideo fores clausæ sunt, licet verba mollia proferat ore suo, cum respondet. »

Samech. *Samech* : « Scriba docens alios ducat virginem, et ne ducat eam quæ maritum habuit : nam aquæ virginis tibi soli erunt; aquas vero ejus quæ maritum habuit, antea alius præter te hausit. » *Prov.* V, vers. 17.

Ain. *Ain* : « Oculos tuos absconde a muliere vidua, et ne concupiscas pulchritudinem ejus corde tuo : quia filii ejus, filii scortationum sunt; » non quia ex scorto nati, sed quia scortationi addicti : nam patrem non habentes, et matrem non curantes, suæ concupiscentiæ libere indulgent.

Phe. *Phe* : « Averte faciem tuam a sociis malis; ne habeto cum eis iter : cohibe pedem tuum ab eis, ne capiaris reti ipsorum. » Sumpsit hoc ex *Proverb.* I, 15, et cap. III, 26.

Tsade. *Tsade* : « Reconde, fili mi, opes tuas in vita tua, et absconde illas : et hæredibus tuis usque ad diem mortis tuæ ne dederis illas. » Ut hæredes pendeant a te, non tu ab illis; ne habitis tuis opibus te spernant, et egere sinant, uti multis contingit.

Coph. *Coph* : « Compara tibi opes, et uxorem bonam Dei timentem : multos quoque filios procreato, etiamsi centum fuerint. » Quia si boni fuerint, et probe educati, non erunt multi, licet centum fuerint.

Resch. *Resch* : « Procul recede a vicinis malis, ut ne annumereris societati eorum : nam pedes eorum ad malum currunt, et properant effundere sanguinem. Nihilominus misereat te vicinorum tuorum, licet mali sint; et da illis de cibo tuo : quia eo tempore, quo ad judicium stabis, pro te testimonium dicent. »

Schin. *Schin* : « Audi, mi domine, sermones meos, et inclina aurem tuam ad verba mea. Supersede, mi domine, litigare cum vicinis tuis : et si animadverteris in sociis tuis rem malam, ne profer infamiam ipsorum lingua tua. »

Thau. *Thau* : « Compara tibi aureos nummos et quaslibet opes; et ne indica uxori tuæ ubi sint, licet ipsa bona sit : » bonitate, scilicet, Judaica : nam christianus conjux conjugi fideli non tantum opes, sed et liberos ac seipsum credit.

His adde duas alias ejusdem Ben-Sira.

« Ne te cruciet ærumna diei crastini : quia nescis quid paritura sit dies. » Sumpsit id ex *Proverb.* XXVII, 1. Idemque docet Christus *Matth.* VI, 34.

« Dies brevis, et opus multum. » Cui simile est illud Hippocratis initio Aphorismorum de arte medendi : « Vita brevis, ars longa, occasio præceps, judicium incertum, experientia periculosa. » Et illud R. Simonis in lib. *Avoth* : « Dies brevis, et opus multum, et operarii pigri, et merces copiosa, et paterfamilias urget. » Et illud Salomonis *Eccles.* IX, 10 : « Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare : quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas, » *q. d.* VIVE ÆTERNITATI, non inferæ et miseræ, sed superæ et beatæ : quia modicus labor exigui et irrevocabilis temporis, magnum et æternum tibi pariet præmium. Plures sententias conscripsit Ben-Sira, sed vix inveniuntur Hebraice; eas manuscriptas reperi in vetusto codice bibliothecæ Vaticanæ. Forte eas Latine redditas attexam fini Ecclesiastici, si Commentarium videro non nimium excrescere.

ETHICA CHRISTI, PAULI ET APOSTOLORUM.

Siracidem, et Ben-Sira, æque ac Salomonem secuti sunt Apostoli et viri Apostolici, imo Christus Dominus, qui totam Ethicam Christianam paucis sententiis complexus est, quas recenset S. Matthæus tribus Evangelii sui capitibus, puta cap. V, VI et cap. VII. Christum Dominum imitatus S. Paulus, officia christiani hominis recensens, ea uno cap. XII *ad Romanos* comprehendit, æque ac S. Petrus, Jacobus, Joannes eadem una eaque brevi epistola percensent. Paulum et Apostolos æmulatus S. Basilius, paucis gnomis ideam vitæ christianæ sanctæ et perfectæ describit epistola *ad Canonicam*, quæ habetur pag. 337.

At S. Gregorius Nazianzenus paucis distichis et monostichis, quæ habentur in fine operum ejus, omnia vitæ honestæ præcepta concludit. Monosticha, quia breviora sunt, hic appono. Sic ergo se habet hoc ejus vitæ christianæ alphabetum.

ALPHABETUM ETHICÆ S. GREGORII NAZIANZENI.

Agendorum initium sit et finis, Deus.
Beata lucra vitæ, quotidie mori.
Cognoscere hominum facta egregiorum stude.
Durum est egere ; pejus ditem esse improbe.
Eris si beneficus, imitaberis Deum.
Fac sis benignus, ut benignum habeas Deum.
Geras cave carni morem, sed eam doma.
Habenis retine iram, ne te occupet furor.
Inhibeto visum : quædam linguæ norma sit.
Clavem auribus obde : risum lascivum fuge.
Lucerna sit ratio vitæ tibi totius.
Missam fac opinionem, remque amplectere.
Noscenda cuncta putato ; sed quæ fas, age.
Omnem exhibe hospiti honorem, cum hospes ipse sis.
Procella timeri cursu debet prospero.
Quæcumque dat Deus, animo grato accipe.
Virga justi potior est, quam honos mali.
Sapientum mihi fores, non locupletum tere.

Tibine pusillum est, unde quid ingens provenit?
Vir magnus esse potes, frenans petulantiam.
Probe tibi cave: alterius lapsum haud riseris.
Gratum invideri; at invidere, ingens probrum.
Præstat animum, quam cætera offerri Deo.
O quam beatus, hæc quisquis servaverit!

ETHICA S. BASILII.

« Studiose operam dato, ut omnium novissimus sis, ac servus omnium, quando ista una ratione veram tibi ac solidam gloriam paries, non autem illam vanam cassamque. Aures assidue ad audienda ea quæ imperentur attentas habeto: itemque manus ad ea quæ jussa sint exequenda expromptas. Sit tibi taciturnitas in ore, circumspectio in corde. Futiles, qui habeantur, sermones tu magnopere ne attendito: sed, si quæ ex divinis litteris ad salutem animæ pertinentia memorare audieris, tum vero ad ea audienda doceto, te intellectu esse et scientia præditum. Acerba gustatu tibi ea sunto, quæcumque de mundanis rebus memorentur: contraque favis mellis assimilia, quæ a pietatis colentibus viris narrentur. Enitere porro ut eos imitere qui, ut animi sui sedatas affectiones componerent, priores te in eo vitæ genere elaboraverunt: neque exspectes, dum singula doceare. Studeto ut majorum virtutum compos efficiare; neque minores tamen negligito. Nullum omnino sit erratum, quod parvi pendas, quamvis illud tenuissima bestiola minutius sit, potiusque eo magis sedulo contende, ut per pœnitentiam illud emendes. »

Et inferius: « Nolito alienorum te erratorum judicem constituere. Ab hominibus tibi majore aliqua propinquitate conjunctis abditor quantum potes, atque in Dei conspectum te frequentissime dato. Egressus es e cella tua? Ibi continentiam reliquisti, in mundum introspexisti. Difficilibus ac morosis senibus aures libenter præbeto, qui proverbiorum sententiis adolescentes ad recta studia exhortantur. Omni custodia serva cor tuum. Aures tuas cave, ne quibusvis garrientibus aperias, neque temere negantibus respondeas. Cave curiosus sis: aspectionem, auditionem, locutionem, responsionem, omnia ista utilitate metitor. Interrogatus de re aliqua, gravi ac submissa voce responde. Ad orationem quotiescumque vocaris, libenter succinat os tuum; in eaque permaneto, donec canoni satisfeceris; magnamque jacturam te facere arbitreris, si ante inde discesseris: siquidem ea cœli quasi imago est quædam. In ministeriis pro communi re fratrum, ad laborem corporis, verborum quoque lenitatem adhibeas, ut ii, quibus ministras, charitatem te habere erga illos intelligant. Ne patiare, ut quæ propria muneris tui sunt, ea alius faciat. Assignato tibi ministerio cum modestia fungitor sedulitateque, perinde ac si Christo ipsi ministrares. Opta ut sis de numero paucorum: violentorum est enim regnum cœlorum, et violenti rapiunt illud. Noli in eo properare, ut fratribus præsis, ne alienorum peccatorum onere cervices aggraves tuas. Quæ singulis diebus feceris, ea vespere tecum ipse commemora, studioseque operam dato, ut melior in dies evadas. Processum in virtutibus facito, ut hoc modo Angelis efficiare propinquior. Intra cellam tuam te contineto, ibique continenter Deum laudato, et Cherubim imitator. Hæc S. Basilius Ascetarum princeps, tract. de *Abdicatione.*

ETHICA S. AMBROSII.

S. Ambrosius *serm.* 58: « Christianus, inquit, dicitur, qui castitatem diligit, ebrietatem fugit, superbiam detestatur, invidiam velut venenum diaboli respuit. Ille vere bonus christianus est, qui furtum non facit, falsum testimonium non dicit; qui non mentitur, qui adulterium non committit, qui ad Ecclesiam frequentius venit, qui de fructibus suis non gustat, nisi prius ex ipsis Deo aliquid offerat; qui decimas Deo annis singulis erogandas pauperibus reddit; qui sacerdotibus suis honorem impendit; qui omnem hominem, sicut seipsum, diligit; qui nullum hominem odio habet. Ille vero non solum bonus christianus est, sed et ipse Christus in illo habitat, qui stateras dolosas, et mensuras duplices, velut gladium diaboli, pertimescit.

Ille bonus christianus est, qui, quando ad Ecclesiam venit, et oblationem quæ altari debetur, exhibet; et pauperibus, secundum quod vires habet, aut argentum, aut buccellam porrigit; qui peregrinos in domum suam recipit; qui hospitum pedes lavat; qui non solum lites non excitat, sed etiam discordes ad concordiam revocat; qui majoribus et parentibus honorem, et veræ charitatis amorem impendit; qui et ipse caste vivit, et filios suos vel vicinos ut caste et sobrie vivant, et verbis admonet, et exemplis docet. Ille bonus est christianus, qui quoties Sanctorum solemnitates veniunt, ut securius communicet, castitatem cum propria uxore, etiam plures dies, ante custodit; sicque sincera conscientia ad altare Domini casto corpore et mundo corde præsumit accedere; qui Symbolum et orationem Dominicam memoriter tenet, et filios vel filias, ut et ipsi memoriter teneant, fideliter docet. « Ethicam fusiorem, eamque plenam et exactam conscripsit S. Ambrosius lib. *De Officiis.*

ETHICA S. AUGUSTINI.

S. Augustinus *De Vita Christiana*, tom. IX, cap. XIV : « Christianus, ait, ille est, qui omnibus misericordiam facit; qui omnino non movetur injuria; qui opprimi pauperem, se præsente, non patitur; qui miseris subvenit; qui indigentibus succurrit; qui cum mœrentibus mœret; qui dolorem alterius, sicut proprium, sentit; qui ad fletum fletibus alienis provocatur; cujus omnibus communis est domus; cujus janua nemini claudi-

tur; cujus mensam pauper nullus ignorat; cujus donum panis cunctis offertur; cujus bonum omnes norunt; a quo nemo sentit injuriam; qui Deo diu noctuque deservit; qui ejus præcepta indesinenter meditatur et cogitat; qui pauper mundo efficitur, ut Deo locuples fiat; qui inter homines habetur inglorius, ut coram Deo et Angelis ejus gloriosus appareat; qui in corde suo nihil videtur habere simulatum vel fictum; cujus simplex et immaculata est anima; cujus conscientia fidelis et pura est; cujus tota mens in Deo est; cujus omnis spes in Christo est; qui cœlestia potius quam terrena desiderat; qui humana spernit, ut possit habere divina. »

Porro Ethicam particularem, et singulis hominum statibus adæquatam, minutim, solerter, acute et eleganter conscripsit S. Hieronymus in variis epistolis. Officia virginis aureis gnomis descripsit epist. *ad Eustochium*, et *ad Demetriadem*; conjugis, epist. *ad Celantiam*; viduæ, epist. *ad Furiam*, et *ad Salvinam*; Clerici et Sacerdotis, epist. *ad Nepotianum*; monachi, epist. 1 *ad Heliodorum*, et epist. 4 *ad Rusticum*, et epist. 13 *ad Paulinum*; pueri et adolescentis, epist. 7 *ad Lætam*, et epist. 12 *ad Gaudentium*. Denique S. Ephrem tomo I, tract. *de Recta vivendi ratione*, sententiis 91, et tract. *de Vita spiritali*, sententiis 96, omnem vitæ Evangelicæ Ethicam complectitur. Idem, tract. *de Timore*, et de *Beatitudinibus angelicis*, gnomis perpaucis, omnem vitæ perfectæ normam ad vivum repræsentat. Gnomas Ethicas S. Athanasii vide tract. *de Virgin.*, et *Exhort. ad Monachos*.

ETHICA S. GREGORII, ROMANI PONTIFICIS.

S. Gregorius, lib. X *Moralium* cap. XVI: « Sapientia, inquit, justorum est, nil per ostentationem fingere; sensum verbis aperire; vera, ut sunt, diligere, falsa devitare, bona gratis exhibere, mala libentius tolerare quam facere; nullam injuriæ ultionem quærere; pro veritate contumeliam lucrum putare. » Et mox: « Mentem verbis ostendere; nil callida machinatione simulare; nullis injuriis contumelias reddere; pro maledicentibus orare; paupertatem quærere; possessa relinquere; rapienti non resistere; percutienti maxillam alteram præbere. »

Et cap. XVII: « Electus quisque, etc., honorari metuit, despici non refugit, corpus continentia afficit, sola in animo dilectione pinguescit, mentem semper ad patientiam præparat, et erectus pro justitia de perceptis contumeliis exultat; afflictis ex corde compatitur; de bonorum prosperitatibus, quasi de propriis lætatur; sacri verbi pabula in mente sollicitus ruminat; et inquisitus quodlibet, eloqui dupliciter ignorat. »

Ethicam S. Bernardi vide in *Formula vitæ*, et lib. *De Modo bene vivendi*, ad sororem virginem: qui libri utilissima vitæ honestæ continent documenta; sed non videntur esse S. Bernardi, tum quia stylo ab eo discrepant, tum quia S. Bernardus unicam habuit sororem, eamque conjugatam, non virginem, uti recte advertit Bellarminus lib. *De Script. Ecclesias.* in *S. Bernardo*.

ETHICA S. THOMÆ AQUINATIS.

Angelici Doctoris Angelicæ gnomæ Ethicæ sunt hæ : Paupertas juncta impatientiæ est sumptus sine lucro. Religiosus orationis spiritu destitutus, similis est militi gladio carenti et inermi. Religiosus solus incedens est dæmon solitarius. Capere nequeo, qua ratione existens in peccato mortali possit ridere et lætari. Item, qua ratione Religiosus possit aliud, quam Deum cogitare : unitus enim Deo, despicit omnia, quæ Deo minora sunt: Passio Christi est instar radii et caloris solaris, qui licet creatus sit in utilitatem omnium, non tamen prodest omnibus.

Rogatus, cur adeo fugeret feminas, cum ex matre femina natus esset, respondit: Ideo fugio omnes, quia ex una prognatus sum. Rogatus, quibus signis colligi possit, quempiam profecisse in vita spiritali, esseque perfectum, respondit: Duobus. Priore, si abstineat a verbis jocosis et otiosis. Posteriore, si se despici non ægre, sed patienter ferat, imo gaudeat, si enim doleat se contemni, scito eum non esse perfectum, etiamsi miracula patret; quia caret vero virtutis et sanctitatis fundamento, quod est humilitas.

Moriens rogatus, num qua re indigeret, respondit: Nulla, quia brevi habebo omnia, inquit, potiarque summo omnique bono. A sorore interpellatus, *primo*, quomodo salvari posset, respondit: Volendo, si, scilicet, salvari velis efficaciter: hæc enim voluntas efficax finis, puta salutis, impellet te ut media omnia ad eam necessaria ultro capessas. *Secundo*, quid maxime in hac vita desideraret, respondit: Bene mori. *Tertio*, quid esset paradisus, respondit: Id sciri nequit, donec quis reipsa meritis suis illum consequatur, ejusque bona ineffabilia actu gustet et sapiat.

A monachis rogatus, quomodo hæc vita sine errore et lapsu transigi posset, respondit : Si in qualibet actione quis itat agat, ut rationem reddere possit, cur eam faciat: sic enim non sinet se transversum agi a cupiditate, passione, casu, aliave re, quæ eum in errorem inducat. Rogatus, cur per triennium, navans operam Alberto Magno, tacuisset, respondit: Quia necdum didiceram bene loqui coram Alberto. Otium est hamus diaboli, per quem omnis esca et illecebra sapit. Si vis evadere doctus, unum duntaxat lege librum. Hæc Apophthegmata ethica S. Thomæ Aquinati assignant, tum alii, tum Ferdinandus Castiglius in *Histor. S. Dominici*, p. 1, lib. III, cap. XXXVII.

ETHICA S. BONAVENTURÆ.

S. Bonaventura in Opusculis, tom. II, sub initium, epistolam scripsit, continentem 25 memorialia ethica. — *Primum* est, spem tuam totam fige

in Domino, ut de omnibus hujus mundi consolationibus penitus desperes. — *Secundum,* emunda cor ab omnibus vitiis et concupiscentiis, quoad potes. — *Tertium,* dissolve omnem colligationem extrinsecam, ut sana et pura mente possis Deo colligari. — *Quartum,* omnes tribulationes patienter, imo hilariter feras, ut solum in Christi passionibus oerecteris. — *Quintum,* de nulla re vel creatura conqueraris, memor te Creatorem tuum offendisse. — *Sextum,* despice te, et opta ab aliis despici; cæteros vero honora. — *Septimum,* fuge sæculi honores, favores et auras vanæ gloriæ, quasi mortiferas pestes. — *Octavum,* humilia te, ac omnium te servum effice et reputa, ut sequaris Christum, qui, cum esset Deus, formam servi propter te assumpsit. — *Nonum,* nulli rei te implices, ubi non invenis animæ tuæ lucrum.— *Decimum,* custodi sensus et linguam, ut nihil velis sentire, audire vel dicere, nisi quod utile est animæ tuæ. — *Undecimum,* sectare sanctam solitudinem, ut vaces orationi. — *Duodecimum,* divinum officium tam devote et reverenter persolve, ac si inter Angelos coram Deo consisteres. — *Decimum tertium,* summe venerare B. Virginem. — *Decimum quartum,* fuge consortia virginum et mulierum. — *Decimum quintum,* fuge acediam et tristitiam, ut serenus semper et tranquillus existas; ideoque nulli resistas, vel contradicas, nisi Dei honor, vel salus animæ tuæ id exposcat. — *Decimum sextum,* in omnibus conforma te voluntati Dei: omnia te ædificent, nulla re offendaris. — *Decimum septimum,* omni custodia custodi cor tuum. — *Decimum octavum,* esto beneficus in omnes, ut Deum imiteris. — *Decimum nonum,* continue mentem habeas ordinatam cum Deo, ut omnia opera tua, licet humilia, tanto facias charitatis fervore, ac si ea Christo corporaliter exhiberes. — *Vigesimum,* obedito, non solum superioribus, sed et æqualibus et inferioribus, ut semper studeas alterius facere voluntatem, nullum offendas, nulli obmurmures, vel detrahas, nullique murmurandi vel detrahendi fias occasio. — *Vigesimum primum,* virtutes, gratias, consolationes, æque ac tentationes et tribulationes celato, nec revelato nisi Patri spiritali, vel speciali ac probato amico, ut ejus consilium vel auxilium exquiras. — *Vigesimum secundum,* Deum semper et ubique in memoria menteque habeto, cogitans te in ejus præsentia versari, ab eoque aspici, ut eum timeas et ames. — *Vigesimum tertium,* esto vigil, ut diaboli laqueos prævideas et caveas. — *Vigesimum quartum,* quotidie conscientiam examina, et errata humiliter confitere, ut puritatem animæ conserves vel recuperes, fugiendo omnes peccandi occasiones, memor mortis, judicii, cœli et inferni. — *Vigesimum quintum,* cum hæc omnia feceris, te servum inutilem et peccatorem recognosce

CAPUT VI.

Stylus.

Stylus Ecclesiastici, tam auctoris quam interpretis, Græci æque ac Latini, planus est, simplex, candidus, non involutus, non fucatus, non ornatus. Quare in Interprete Latino, veritati et simplicitati studenti, phrasis neglecta subinde est, incultior et inelegantior, adeo ut barbarismos et solœcismos admittat. Idem videre est in Latina versione Novi Testamenti, et Psalmorum, quam emendans S. Hieronymus tantum detulit venerandæ antiquitati, ut phrasim hanc mutare, et latiniorem reddere sibi religioni duxerit: quare eam intactam reliquit, malens canæ veritati et versioni, quam proprietati sermonis, et candori orationis curam tempusque impendere: sententiarum enim gravitas verborum lenocinia respuit. Idem fecit subinde in propria versione, qua Scripturam Hebraicam in Latinum convertit. Audi illum in cap. XL *Ezech.*: « Illud sæpius monuisse sufficiat, nosse me, cubitum, et cubita, neutrali appellari genere; sed pro simplicitate et facilitate intelligentiæ, vulgique consuetudine, ponere et genere masculino. Non enim curæ nobis est, vitare sermonum vitia, sed Scripturæ sanctæ obscuritatem quibuscumque verbis disserere. » Idem in cap. XLVII.: « Quod cubitos genere masculino, et non neutrali cubita dicimus, juxta regulam grammaticorum, non ignorantia id facimus, sed consuetudine, propter simplices quosque et indoctos, quorum in congregatione Ecclesiæ major est numerus. » Idem fuit sensus cæterorum Patrum. S. Augustinus, lib. VI *De Doctrina Christiana,* cap. XI: « Bonorum, ait, ingeniorum insignis est indoles, in verbis verum amare, non verba. » Et S. Prosper, lib. III *De Vita contempl.* cap. XXXIV : « Mihi, ait, pudori non est disputatio mea, quæ forte probatur in rebus, si aliquos verborum inanium sectatores horrore incomptæ orationis offendat; cum sententiarum vivacitatem sermo ex industria cultus enervet, et totam vim dictionum splendor elaboratus evacuet, etc. Prudentibus viris non placent phalerata, sed fortia: quando non res pro verbis, sed pro rebus enuntiandis verba sunt instituta. »

Idem dicat interpres: interpretem ago, non oratorem: interpretem, inquam, S. Scripturæ, quæ gravior est, quam ut flosculis ornatæ orationis comi velit. Hic enim verum est illud Horatii :

> **Ornari res ipsa vetat, contenta doceri.**

Et illud Satyrici, *satyra* 5 :

> **Non equidem hoc studeo, bullatis ut mihi nugis**
> **Pagina turgescat, dare pondus idonea fumo.**

Et Cicero « indisertam mavult sapientiam, quam stultam loquacitatem, » ait Joannes Picus, comes Mirandulæ, epist. *ad Hermolaum.* Quocirca S. Gregorius *Præfatione in Job,* epist. *ad Leandrum,* in fine, protestatur se simplici facilique stylo usurum,

ut S. Scripturam quam explicat, quæ illo gaudet, imitetur. « Quæso, inquit, ut hujus operis dicta percurrens, in his verborum folia non requiras: quia per sacra eloquia ab eorum tractatoribus infructuosæ loquacitatis levitas studiose compescitur, dum in templo Dei nemus plantari prohibetur. Et cuncti procul dubio scimus, quia quoties in foliis male lætæ segetis culmi proficiunt, minori plenitudine spicarum grana turgescunt. Unde et ipsam loquendi artem, quam magisteria disciplinæ exterioris insinuant servare despexi. Nam sicut hujus quoque epistolæ tenor enuntiat, non metacismi collisionem fugio; non barbarismi confusionem devito; situs, motusque, et præpositionum casus servare contemno: quia indignum vehementer existimo, ut verba cœlestis oraculi restringam sub regulis Donati. Neque vero hæc ab aliis interpretibus in Scripturæ sacræ auctoritate servata sunt: ex qua, nimirum, quia nostra expositio oritur, dignum profecto est ut quasi edita soboles speciem suæ matris imitetur. » B. Petrus Chrysologus, *serm.* 18 : « Qui maturitatis, ait, fructum quærit, despicit amœna camporum: violæ siquidem, lilia, rosæ, narcissus, grati flores, sed gratior panis : et quod est odor naribus, hoc est auribus sermonis ornatus. Quod ergo panis confert hominum vitæ, hoc scientia dat hominum saluti. »

Insuper Interpres Ecclesiastici, quia vetustus, vetustas usurpat phrases, nomina et verba suo sæculo usitata, jam vero antiquata et obsoleta : quæ altera est causa cur versio ejus nobis videatur incultior et illatinior, cum suo sæculo habita fuerit culta et latina : quæque enim ætas, et quodque sæculum suam habuit latinitatem, suum stylum, suam elegantiam, dictiones et phrases sibi proprias, quæ a sequenti sæculo novum quid parturiente fastiditæ, visæ sunt minus latinæ et inelegantes. Verum enim est illud M. Varronis, lib. IV *De Lingua Latina* : « Vetustas non pauca depravat, multa tollit. Quem puerum vidisti formosum, hunc vides deformem in senecta. Tertium sæculum non videt eum hominem, quem vidit primum. » Et illud Horatii, epist. *de Arte Poetica* :

Ut sylvæ foliis pronos mutantur in annos,
Prima cadunt; ita verborum vetus interit ætas,
Et juvenum ritu florent modo nata, vigentque.

Et mox :

Multa renascentur, quæ nunc cecidere; cadentque,
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,
Quem penes arbitrium est, et vis, et norma loquendi.

Novæ voces Ecclesiastici.

Rursum, unum idemque vocabulum volvente sæculo, volvitur, mutatque significationem, ut aliud priore ævo, aliud posteriore significet. Hinc Interpres Ecclesiastici, æque ac Sapientiæ, voces nonnullas in peculiari significato usurpat. Sic *primo*, « traductionem » vocat correptionem aut punitionem; *secundo*, « allocutionem » vocat consolationem; *tertio*, « honestas, » id est, opes et divitiæ : « honestare, » id est ditare; *quarto*, « infrunitus, » id est, impudens et inexplebilis; *quinto*, « replere, » id est, plenum afferre : « implere, » id est, accumulare; *sexto*, « generatio, » id est, fructus aut proventus in agro aut vinea geniti; *septimo*, « scandalizari, » id est, offendere, impingere, ruere; *octavo*, « indoctus, » id est insipiens; *nono*, « certari, » id est, certare, contendere; *decimo*, « nequitia, » vel « malitia, » id est, afflictio; *undecimo*, « fœnerari, » id est, mutuare; *duodecimo*, « monstra, » id est, prodigia; *decimo tertio*, « implanatus, » id est, deceptus; *decimo quarto*, « natio, » id est, progenies et res natæ in mundo, etiam animalia, et herbæ ac plantæ; *decimo quinto*, « sensus, » id est, prudentia; *decimo sexto*, « tabitudo » id est, tabes, corruptio; *decimo septimo*, « reverentia, » id est, pudor, confusio : « revereri, » id est, confundi, pudore affici; *decimo octavo*, « obductio, » id est, tentatio, calamitas, ærumna, qua totus homo quasi obducitur et obnubilatur, ait Hesychius; *decimo nono*, « mulieres viratas » vocat viriles, puta viragines; *vigesimo*, « pessimare, » id est, pessime tractare, affligere; *vigesimo primo*, « continens, » id est, compos, vel particeps; *vigesimo secundo*, « defunctio, » id est, mors, qua vita defungimur; *vigesimo tertio*, « incredibilis, » id est, incredulus, diffidens; *vigesimo quarto*, « illius, » id est suus; *vigesimo quinto*, « placor, » id est, placabilitas, favor; græce, εὐδοκία; *vigesimo sexto*, « homo acharis, » id est, sine gratia, vocatur homo insulsus, insipidus, ineptus. Denique Franciscus Lucas in *Notis ad Eccles.* censet Interpretem Latinum Ecclesiastici fuisse hominem natione Græcum, ideoque græcizare, et phrasibus minus latinis uti. Idem de Interprete Latino Novi Testamenti, et Psalmorum autumant nonnulli.

CANONES QUI FACEM PRÆFERANT

ECCLESIASTICO

CÆTERISQUE LIBRIS SAPIENTIALIBUS.

Primus. *Primus :* Hic liber moralia tradit præcepta, honeste recteque vivendi; non tamen omnia obligant sub peccato, ut qui contrarium agit, mox peccet in Deum: nonnulla enim ad propriam duntaxat utilitatem et commodum, ac præsertim ad tranquillam et commodam vitam, referuntur. Tale est illud cap. VIII, 1 : « Non litiges cum homine potente, ne forte incidas in manus illius; » et vers. 2 : « Non contendas cum viro locuplete, ne forte contra te constituat litem tibi; » et vers. 4 : « Non litiges cum homine linguato, et non strues in ignem illius ligna; » et vers. 5 : « Ne communices homini indocto, ne male de progenie tua loquatur. »

Secundus. *Secundus :* Operæ pretium est studioso, præsertim doctori et concionatori, notare hic locos communes et succulentos passim occurrentes, et fuse pertractatos de singulis virtutibus et vitiis contrariis, ut de amicitia, fidelitate, castitate, vindicta, etc., quos proinde in argumento cujusque capitis, per versus sigillatim indicabo et prænotabo.

Tertius. *Tertius :* Siracides valde imitatur Salomonem, præsertim ejus Parabolas sive Proverbia, tum quoad rem, tum quoad verba, ut patebit ex parallelis utriusque, quæ post Canones subjiciam.

Quartus. *Quartus :* Interpres Latinus hic admodum græcizat: forte et ipse fuit Græcus, nec latine admodum peritus. Ergo vis vocis Græcæ, et subinde Hebrææ (quantum eam ex aliis Scripturæ locis rimari et conjectare licet; nam Ecclesiasticus jam hebraice non exstat), hic accurate perpendenda est et examinanda. Hinc disces quanta sit cognitionis linguæ Græcæ et Hebraicæ utilitas, quantique intersit fontes Hebræos et Græcos in Scripturis scrutari, atque ex illis genuina S. Scripturæ sensa mentemque rimari et interpretari : qua de re vide S. Augustinum, lib. II *Doctrinæ Christianæ,* cap. XI.

Quintus. *Quintus :* Sapientia hic, uti et *Proverb.* VIII, et *Sapient.* VII, generatim sumitur, prout competit creatæ et increatæ; ac maxime significat practicam ethicam Sanctorum, puta judicia et dictamina prudentiæ practica de obediendo Deo, Deique legi, illiusque executione, timore et amore: hæc enim sapientia practica est cognitio Dei, et ultimi finis ac mediorum, puta legum eo ducentium, eorumdemque pius affectus, amor et desiderium. Hinc sapientia copiæ causa, nunc vocatur intellectus, nunc prudentia, nunc disciplina, nunc doctrina, nunc scientia, nunc astutia, nunc correptio, nunc eruditio : quæ omnia in re idem sunt et significant, licet etymo, connotatione, propria et præcisa notatione et significatione differant, ut patet etymon cujusque intuenti.

Sextus. *Sextus :* Sæpissime, more Hebræo, hic subticetur verbum *est,* aut *sunt.* Rursum multa alia subticentur, ac sæpe ipse finis et scopus sententiæ. Sic *Proverb.* XX, 12, dicit Salomon : « Aurem audientem, et oculum videntem, Dominus fecit utrumque. » At quorsum? Subaudi et supple : Domino ergo factori utriusque, gratiæ agendæ sunt, et utrisque utendum ad Dei honorem et beneplacitum, quia ipse est oculus lucidissimus, qui omnia videt; et auris acutissima, quæ omnia audit. Et *Proverb.* cap. XXII, vers. 2 : « Dives et pauper obviaverunt sibi: utriusque operator est Dominus. » Subaudi et infer : ergo, cum sint pares creatione, licet dispares opibus; nec diviti superbiendum est in iis, nec pauperi mœrendum in earum defectu; sed quisque sua sorte contentus alteri adminiculetur, et Deo serviat, tum quia Deus has sortes ita dispertire voluit ad hoc, ut mutuis auxiliis et officiis hæc vita contineretur: non enim voluit omnes esse divites: sic enim nemo vellet laborare, agros colere, etc.; nec vicissim voluit omnes esse pauperes, quia hac ratione non possent sese alere ; tum quia tam paupertas donum Dei est, quam sunt divitiæ: nam sicut Deus divitibus dat divitias ad charitatis et eleemosynæ, ita pauperibus dat paupertatem ad laboris et patientiæ materiam, exercitium et meritum, cum gratia utrique proportionata.

Septimus. *Septimus :* Gnomæ et Proverbia non significant quid semper fiat, sed quid plerumque; subinde etiam eventum duntaxat, licet infrequentem et rarum. Sic cap. XXVII, 28, dicitur : « Qui in altum mittit lapidem, super caput ejus cadet; et qui foveam fodit, incidet in eam; » et vers. 32 : « Laqueo peribunt, qui casu delectantur alieno; » et cap. XII, 18 : « In oculis suis lacrymatur inimicus, et quasi adjuvans suffodiet plantas tuas; » et *Eccli.* X, 20 : « In cogitatione tua regi ne detrahas, et in secreto cubiculi tui ne maledixeris diviti; quia et aves cœli portabunt vocem tuam; et qui habet pennas, annuntiabit sententiam. »

Octa *Octavus :* Bona temporalia, quæ promittuntur hic sapientibus, et probe viventibus, proprie spectant ad Judæos, et Vetus Testamentum; bona vero spiritualia ad Christianos, et Novum Testamentum.

Nonus. *Nonus* : Est hic congeries sententiarum de qualibet re agibili, quibus qualibet occasione, loco et tempore utamur contra occurrentia vitia, eorumque pericula et tentationes, ut iis actiones metiamur, et dirigamus secundum præscriptum quarumlibet virtutum. Quare non est hic quærendus earum ordo et connexio: promiscue enim ponuntur, ut gnomæ, uti ostendi cap. v. Sæpe tamen Siracides de eadem virtute, aut vitio plures sententias congerit, ejusque varias species, modos, fructus recenset; ac subinde subjicit ejus contraria, ut eam per illorum antithesin illustret: quo facto, non raro transit ad id quod ei vicinum est et affine. Sic cap. I, agit de sapientia; mox vers. 11, transit ad timorem Dei, sapientiæ affinem. Sic cap. VI, agit de amicitia vera et falsa; ac vers. 18, transit ad sapientiam, quæ veræ amicitiæ est conciliatrix. Sic cap. VII, agit de pietate debita Deo; ac mox transit ad pietatem debitam sacerdotibus, parentibus, filiis, amicis, potentibus, afflictis, infirmis et mortuis.

Decimus. *Decimus:* Varia hic traduntur præceptorum et monitorum genera, quædam ethica et privati hominis, quædam œconomica, alia politica, alia denique theologica. Rursum quædam didascalica et doctrinalia, nonnulla consolatoria, alia parænetica et exhortatoria.

Undecimus. *Undecimus:* Crebræ sunt antitheses inter sapientem et stultum; sapientem enim vocat Ethicum practicum : ex adverso stultum indigitat hujus Ethices ignarum, pravum et perversum. Sapiens ergo est vir probus; stultus est improbus. Per sapientiam enim hic ethica et practica, puta bonitas et virtus, intelligitur. Unde *Proverb.* I, 1, et cap. VII, vers. ult., sapientiæ opponitur malitia.

Duodecimus. *Duodecimus:* Conjunctio *et* sæpe idem est quod *sic* vel *sicut;* similia enim connectit; ideoque quasi comparationis nota ea inter se confert et comparat, ut cap. XIX, 26 : « Ex visu cognoscitur vir; et (id est, sic) qui pungit cor, profert sensum; » cap. XXI, 29: « In ore fatuorum cor illorum; et (id est, sic ex adverso) in corde sapientum os illorum. » *Prov.* XXV, 3 : « Cœlum sursum, et terra deorsum; et (id est, sic) cor regum inscrutabile; » et vers. 23 : « Ventus Aquilo dissipat pluvias; et (id est, sic) facies tristis linguam detrahentem; » et vers. 25 : « Aqua frigida animæ sitienti; et (id est, sic gratus et jucundus est) nuntius bonus de terra longinqua. » Talia crebra sunt in Proverbiis, adeoque in singulis subinde sententiis occurrunt.

Decimus tertius. *Decimus tertius* : Sapiens volitionem, initium, conatum operis solet nobis vel creaturis tribuere, velut facilem cum concursu Dei ordinario, quem præsupponit et subintelligit: finem vero et exitum felicem adscribit Deo, tum quia exitus hic difficilior est, ob multa obstacula, quæ in executione occurrunt, et ob causas alias concurrentes, quas Deus vel generali, vel speciali sua providentia ordinat et disponit; tum quia finis in opere est id quod maxime optatur et intenditur, ideoque primæ et summæ causæ attribui solet: abstrahit enim ab operibus gratiæ, quam certum est in actibus supernaturalibus primas, medias et ultimas tenere.

Decimus quartus. *Decimus quartus* : S. Cyrillus, lib. IX *Contra Julianum*: « Mos, ait, est S. Scripturæ pedis gressum, et interdum totum pedem ænigmatice accipere pro eo, quod ostendit viam ejus, quod unicuique faciendum est, ut *Prov.* XXIII : Rectos gressus fac pedibus tuis, et vias tuas dirige; » et *Psal.* CXVIII : « Converti pedes meos in testimonia tua. Itaque pes per figuram via est in unoquoque opere. »

Decimus quintus. *Decimus quintus* : Hebræi *Misle*, id est Proverbia, vocant sententiam quamlibet illustrem, quasi prædominantem et excellentiorem cæteris (radix enim משל *mascal* significat præcellere, dominari), sive ea adagium sit et proverbium, sive parabola et ænigma, sive quid aliud: quo factum est ut in Scriptura sæpe confundantur et pro eodem sumantur hæc nomina : parabola, proverbium, parœmia, ænigma, etc.

Decimus sextus. *Decimus sextus* : Græcus textus hic multo concisior est Latino: hinc pleræque sententiæ, quæ in Latino sunt trimembres, in Græco sunt bimembres, ut patet intuenti cap. I, vers. 2 et 3 et 8 et 9, etc. Quocirca subinde Græcus non videtur integras Siracidis sententias ponere, sed eas abbreviare et quasi in compendium redigere; unde et nonnullas omittit, eo quod aliis antea dictis sint similes. Quod enim Jansenius opinatur, sententias, quæ in Græco non habentur, esse alicujus Commentatoris, qui ad marginem, explicationis gratia, eas scripserit; alium vero putantem eas esse Siracidis, ex margine in textum illas transtulisse, plane videtur improbabile. Multæ enim sunt hic sententiæ in Latinis codicibus, quæ desiderantur in Græcis, ac proinde omnes illæ essent irreptitiæ, nec haberent auctoritatem S. Scripturæ; quod repugnat Concilio Tridentino, *sessione* IV, ubi sancit Vulgatam versionem Latinam per omnia habendam esse authenticam, et canonicam Scripturam. Accedit quod Græci codices mire inter se varient, et nonnulli consentiant cum Latinis. Illis ergo magis credendum, quam Græcis ita variantibus, præsertim quia Latinis, non Græcis consentiunt et adstipulantur S. Augustinus in *Speculo*, S. Cyprianus *De Bono patientiæ*, et alii veteres. Quare Vulgata versio Latina, non ex Græco textu corrigenda est, illique adaptanda, uti censet Isidorus Clarius, sed potius Græca Latinis accommodanda sunt.

Sane ex dictis liquet a Græcis variis varie hunc librum fuisse coagmentatum, sententiis aliis additis, aliis demptis, aliis mutatis, idque partim vitio scriptorum, partim libertate Commentatorum, qui, cum censerent librum hunc non esse canonicum, liberius ejus sententias paraphrastice exposuerunt, vel suis conceptibus adaptarunt;

partim etiam, quod Siracides nepos avi sententias sparsas varie transcripserit, nunc aliquas addendo, nunc demendo, nunc ex uno loco in alium transferendo, nunc novum earum sensum afferendo: sic enim solent auctores, dum libros suos recognoscunt, aut iterum describi vel recudi curant, quædam addere, quædam demere, quædem immutare. Simili modo, videmus in Proverbiis apud Septuaginta et Nostrum exstare aliquot sententias, quæ non sunt in Hebræo, uti videre est in fine captis IV et initio VII. Ut ut est, sententiæ Siracidis Græci textus, quæ non exstant in Latino, non habent certam et canonicam auctoritatem (nisi quibus a Patribus eas citantibus illa datur); quia Concilium Tridentinum Vulgatam versionem Latinam probavit, non Græcam.

Decimus septimus. *Decimus septimus:* Eædem sententiæ subinde iterantur, et inculcantur aliis et aliis verbis. Simili modo S. Gregorius, quod dixit una phrasi, mox alia dicere solet, replicare et inculcare. Quædam non sunt eædem, sed affines et similes. Pari modo similes de eadem re sententias conglobant et coacervant S. Maximus, Antiochus, Antonius in *Melissa*, Isaias Abbas, S. Nilus, S. Ephrem cæterique ethici et gnomologi, tam profani quam sacri.

Decimus octavus. *Decimus octavus*: Interpres Latinus admodum est vetustus, præcessit enim tempora S. Hieronymi; quare multa habet verba illo ævo prisco usitata, jam vero obsoleta: pleraque illorum recensui et collegi cap. VI, in fine.

Decimus nonus. *Decimus nonus:* Cum præcepto alicui subditur pari tenore imperativus, vel futurum; fructum, vel damnum ex observatione vel prævaricatione præcepti sequentem significans, tunc imperativus, vel futurum per modum subjunctivum exponendus est, ut non aliud præceptum, sed præcepti jam dati fructus et pœna, vel præmium significetur: quare tunc copula *et* accipienda est pro *ut*. Exempla sunt cap. I, vers. 1, 2, 3, cap. VIII, vers. 4, 13: « Non incendas carbones peccatorum, arguens eos, et ne (id est, ut non) incendaris flamma ignis peccatorum illorum. Et alibi sæpe.

Vigesimus. *Vigesimus* : In Vulgata versione Ecclesiastici subinde unus idemque versus Græcus, quia ambiguus et plura significans, duobus Latinis redditur: aut certe idem versus Græcus latine diversimode redditus, utroque modo, ut plenior esset versio, in Latinam Vulgatam transcriptus est. Cujus rei exemplum clarum dabo cap. XXXVI, vers. 10 et 11. Idem fecere subinde Septuaginta in Proverbiis, uti ostendam *Proverb.* XXIX, 25.

Porro, more meo succinctus, methodicus, perspicuus, genuinus et exactus esse conabor, ut Siracidem, tot capitibus, gnomis, materiis copiosum prolixumque, uno tomo complectar; præsertim quia, Deo duce, propediem luci dabo Salomonem, qui idem tractat argumentum, cui, ut fonti, multa et magna jure reservo.

COMMENTARIUS

IN ECCLESIASTICUM

PROŒMIUM.

In Græcis codicibus habetur Proœmium, quod in Latinis desideratur: proinde illud hic transcribam ex Bibliis Vatabli; sic enim se habet: « Jesus hic Sirach quidem fuit filius; sed cognominis sibi, Jesu nepos; vixit autem temporibus citerioribus captivitatem et restitutionem secutis; adeoque post omnes fere Prophetas. Porro avus ejus, Jesus, ut et ipse testatur, industrius vir fuit inter Hebræos, et prudentissimus, qui non solum aliorum ante se prudentium virorum sapienter dicta collegit; sed etiam ipse quædam privatim multa, scientia sapientiaque plena pronuntiavit. Postquam igitur hoc libro fere collectitio relicto primus ille Jesus de vita decessit, Sirach hic, post eum rursus acceptum, eumdem filio suo Jesu reliquit. Is tandem hunc nactus, concinne totum coegit in unum volumen, et Sapientiam eum suo et paterno, adeoque avi nomine inscripsit: nempe, ut ipso sapientiæ nomine auditorem ad ipsum librum majori desiderio meditationeque pertractandum alliceret. Ergo dicta Sapientiæ, et ænigmata similitudinesque continet; et peculiares quasdam antiquas ac divinas de viris Deo probatis historias; tum orationes et hymnos ejusdem; atque insuper, quibus beneficiis Deus populum suum sit dignatus, quibusque malis inimicos ejusdem cumularit. Sane hic Jesus Salominis sectator fuit, nihil minus illo sapientiæ et eruditionis nomine probatus, ut qui multiscius vere fuerit, et sit appellatus. »

Nota: Hoc proœmium additum est ex S. Athanasio in *Synopsi S. Scripturæ in Ecclesiastico*; ibi enim ad verbum in Græco eædem sunt sententiæ, imo eadem plane verba, quæ hic: contuli verba verbis, et ita deprehendi. Quare hoc proœmium non est Jesu Sirach senioris, vel junioris; sed longe post eos, imo post Christum, transcriptum ex S. Athanasio, quasi præludium et argumentum Ecclesiastici; sicut in cæteris S. Scripturæ libris præfiguntur proœmia ex S. Hieronymo, quibus ipse præfando libri cujusque auctorem, materiam et stylum describit. Qua de causa editio Græca Bibliorum, correcta a Romanis, hoc proœmio caret, tantumque ponit prologum qui habetur in Bibliis Latinis, de quo paulo post. Unde rursum colligas editionem Latinam Ecclesiastici esse antiquiorem S. Athanasio, uti superius pluribus demonstravi: si enim esset posterior, utique qui transtulit Ecclesiasticum ex Græco, transtulisset et prologum ei præfixum ex S. Athanasio.

Nonnulli, inter quos est Paulus a Palacio, proœmium hoc quasi pseudepigraphum falsitatis insimulant, duobus indiciis: prius est, quod proœmium hoc asserat Jesum juniorem, sive nepotem, Ecclesiasticum a Jesu seniore et avo conscriptum concinnasse, et in ordinem redegisse: quo videtur nepoti arrogare librum, quasi ipse ejus sit auctor, cum constet auctorem esse Jesum avum, non nepotem; posterius, quod proœmium hoc asseveret librum hunc ab avo relictum patri, et ab eo nepoti traditum, cum in vero nepotis prologo, qui in Latinis Bibliis exstat, nepos ipse dicat se hunc librum invenisse in Ægypto, post diutinam ibidem commorationem. Verum, cum hoc proœmium sit S. Athanasii, non magis de ejus veritate et fide dubitare licet, quam de proœmiis cæteris S. Hieronymi.

Quare ad prius respondeo materias et sententias omnes hujus libri a Jesu seniore esse conscriptas, ideoque ipsum libri esse auctorem: easdem vero a Jesu juniore in Græcum esse conversas, et juxta materias in ordinem digestas, et in capita distributas: quocirca ipse libri est interpres duntaxat et digestor, non auctor; eum enim hæc non tantum interpretatum esse, sed et digessisse ac concinnasse, unumque ex iis codicem confecisse censet S. Athanasius præfationis auctor: licet ipse Jesus junior in præfatione sua asserat duntaxat se ea interpretatum esse, et vertisse in Græcum. Simili modo viri Ezechiæ transtulerunt, id est in ordinem digesserunt, Parabolas Salomonis post cap. XXIV: qui tamen Parabolarum non sunt auctores, sed Salomon. Unde *Prov.* XXV, 1, dicitur: « Hæ quoque Parabolæ Salomonis, quas transtulerunt viri Ezechiæ, regis Juda; » ubi acute advertit noster Salazar hosce viros non tam sparsas Salomonis sententias in unum Parabolarum codicem redegisse, ut volunt Cajetanus, Vatablus et alii, quam Parabolarum ordinem mutasse. Cum enim Salomon post cap. XXIV, immediate posuisset verba Agur sive Congregantis, et Lamuelis regis, quasi dialogistarum et interlocutorum secum in hoc sapientiæ convivio, quod descripsit *Prov.* IX (ut colligitur ex eo quod Septuaginta hæc annectant capiti XXIV, ponantque ante caput XXV *Proverb.*): viri Ezechiæ, ut omnia dicta Salomonis conjungerent, ea, quæ Salomon

post dicta Agur et Lamuelis interlocutorum posuerat, præposuerunt et transtulerunt ad cap. XXV; dicta vero Agur et Lamuelis postposuerunt et rejecerunt in cap. XXX et XXXI, ut patet ea intuenti: unde pro *transtulerunt*, Tigurina vertit, *huc retulerunt*.

Ad posterius respondeo librum hunc ab avo in Ægypto esse conscriptum, relictumque filio, qui eum in sua, vel cognatorum et amicorum bibliotheca reposuit, ubi inter cæteros avi patrisque libros eum reperit nepos; ideoque ei a patre hic liber traditus dicitur, quia bibliothecam omnem, uti et hæreditatem cæteram, pater filio de more testamento reliquit: in bibliotheca autem erat hic avi liber. Aut certe pater librum reliquit amicis tradendum filio; sed ipsi vel demortui, vel alio migrantes, vel obliti, eum tradere distulerunt, donec filius scrutando eorum libros, inter eos ipsum invenit.

IN ECCLESIASTICUM

JESU, FILII SIRACH,

PROLOGUS.

Ex hoc titulo liquet prologum hunc Ecclesiastico additum a Jesu juniore, qui Ecclesiastici fuit interpres. Quæres, an hic prologus habeat eamdem auctoritatem, quam habet Ecclesiasticus, sitque Scriptura canonica Aliqui respondent affirmative, probantque ex eo quod in editione Bibliorum Clementis VIII, hic prologus præfigatur Ecclesiastico, cum in proœmio eorumdem dicatur in editione illa nihil non canonicum intexi. Ita censet noster Gretserus, tom. I Defensionis Bellarmini, *lib. I, cap.* XIV, *pag.* 268. *Verum probabilius alii respondent negative. Ratio est, quia Jesus junior tantum fuit libri interpres, non auctor; interpretes autem non condunt S. Scripturam, sed duntaxat interpretantur. Unde prologus hic in multis Græcis codicibus, ut Complutensibus, Græce desideratur; æque ac in versione Arabica et Syriaca: atque Rabanus, Dionysius, Palacius, qui in Ecclesiasticum commentantur, prologum non attingunt. Pluribus idipsum demonstravi* Thren. I, *in argumento, ubi simili modo prologum Threnorum non esse Scripturam canonicam ostendi. Ita Jansenius et alii. Errat ergo Abulensis in* Præfat. I Paralip. *cap.* VII, *ubi asserit eumdem esse auctorem prologi et libri Ecclesiastici, scilicet, Jesum juniorem: unde sequeretur tam prologum, quam librum, habere auctoritatem S. Scripturæ. Idem sensisse videtur Isidorus, lib. I* De Eccles. Offic. *cap.* XII. *Causam erroris indicavi in Prolegomenis, cap.* II. *Nunc breviter prologum elucidemus, ut deinde ad auctorem ipsum hagiographum transeamus.*

Multorum nobis et magnorum, per Legem et Prophetas, aliosque qui secuti sunt illos, sapientia demonstrata est: in quibus oportet laudare Israel doctrinæ et sapientiæ causa, quia non solum ipsos loquentes necesse est esse peritos, sed etiam extraneos posse, et dicentes, et scribentes doctissimos fieri. Avus meus Jesus, postquam se amplius dedit ad diligentiam lectionis Legis, et Prophetarum, et aliorum librorum, qui nobis a parentibus nostris traditi sunt, voluit et ipse scribere aliquid horum, quæ ad doctrinam et sapientiam pertinent: ut desiderantes discere, et illorum periti facti, magis magisque attendant animo, et confirmentur ad legitimam vitam. Hortor itaque venire vos cum benevolentia, et attentiori studio lectionem facere, et veniam habere in illis, in quibus videmur, sequentes imaginem sapientiæ, deficere in verborum compositione. Nam deficiunt verba Hebraica, quando fuerint translata ad alteram linguam. Non autem solum hæc, sed et ipsa Lex, et Prophetæ, cæteraque aliorum librorum non parvam habent differentiam, quando inter se dicuntur. Nam in octavo et trigesimo anno, temporibus Ptolemei Evergetis regis, postquam perveni in Ægyptum, et cum multum temporis ibi fuissem, inveni ibi libros relictos, non parvæ, neque contemnendæ doctrinæ. Itaque bonum et necessarium putavi et ipse aliquam addere diligentiam et laborem interpretandi librum istum: et multa vigilia attuli doctrinam in spatio temporis, ad illa, quæ ad finem ducunt, librum istum dare, et illis qui volunt animum intendere, et discere quemadmodum oporteat instituere mores, qui secundum legem Domini proposuerint vitam agére.

MULTORUM NOBIS ET MAGNORUM. — Clare hæc ex Græco sic vertas: « Cum multa magnaque nobis per Legem et Prophetas, aliosque qui eos secuti sunt, tradita sint ob quæ merito laudes Israelitas nomine eruditionis ac sapientiæ, et unde non solum ipsi lectores possint docti evadere; sed, si sint studiosi, etiam exteris tam dicendo, quam scribendo utiles esse queant, avus meus, cum se multum dedisset lectioni Legis et Prophetarum, etc., voluit et ipse aliquid horum scribere. » Ita Vatablus, Jansenius et alii. Omnia ergo hæc connexa sunt, nec sensum explent, nisi usque: « Voluit et ipse aliquid horum scribere. » Dat enim causam cur avus librum hunc scripserit, nimirum exemplum præcedentium, qui similia scripserunt, quæ magnam Judæis laudem, æque ac utilitatem attulere; ita ut non tantum ipsi, legendo eos, docti evaserint; sed et extranneis, id est gentibus ea audientibus vel lectitantibus, dicendo et scribendo utiles fuerint. Nota: Pro *loquentes*, Jansenius censet legendum, *legentes*: hoc enim significat Græcum ἀναγενώσκοντας; sed eodem redit sensus, *q. d.* Non tantum ex hisce Hebræorum libris proficiunt Hebræi, qui intelligentes et loquentes hebraice, Hebræa legere possunt; sed per eos proficiunt et Græci, cæterique qui hebraice loqui et legere nesciunt; quia Hebræi Hebræos legentes, ipsos Græcis dicendo, vel scribendo, interpretari possunt, ut et Græci ex iis doctissimi evadant. Insuper pro *necesse est esse doctos*, clarius vertas, *fieri*, vel *evadere doctos oportet*. Græce enim est γενέσθαι, quod tam *esse*, quam *fieri*, significat: hic melius vertas *fieri*. Rursum pro *discentes*, corrigendum est *dicentes*, uti correxerunt Romani: hoc enim significat Græcum λέγοντας.

VOLUIT ET IPSE. — Ita legendum cum Romanis; hoc enim significat Græcum προήχθη. Perperam ergo nonnulli codices legunt, *volui et ipse*: quæ lectio nonnullis imposuit, ut censerent Jesum juniorem, sive nepotem, esse auctorem libri; quasi ipse ex avi scriptis et doctrina sparsim tradita eum collegerit et composuerit, uti dixi cap. II Prolegom.

UT DESIDERANTES DISCERE, ET ILLORUM PERITI FIERI. — Clare vertit Vatablus: *Unde studiosi, et qui se his dedidissent, multo majorem ad legitime vivendum profectum facerent.* Pro *periti* græce est ἔνοχοι, quod Noster et alii accipiunt positum pro μέτοχοι, id est *participes*, scilicet, per doctrinam et disciplinam, hoc est, *docti et periti*. Vatablus vero ἔνοχοι proprie vertit, *obnoxii*, id est *addicti, dediti*.

HORTOR ITAQUE VENIRE VOS, etc., ET VENIAM HABERE, — puta, veniam dare, ignoscere; hoc enim significat Græcum συγνώμην ἔχειν. Sic vulgo dicimus: gratias alicui habere, id est, agere.

IN QUIBUS VIDEMUR, SEQUENTES IMAGINEM SAPIENTIÆ, DEFICERE IN VERBORUM COMPOSITIONE. — Græca clare: *Ignoscatis nobis, sicubi videamur, dum in interpretatione elaboravimus, quarumdam dictionum vim non esse assecuti.* Sequi ergo imaginem sapientiæ, est conari exprimere eam sapientiam, quæ sese clarius exhibet in autographo, et textu originali, puta Hebræo, conscripto a Jesu seniore: hanc enim assequi et adæquare Interpreti est difficile, ob causam quam subdit. Ita Vatablus, Jansenius et alii.

NAM DEFICIUNT (Græce, οὐκ ἰσοδυναμεῖ, id est *non eamdem vim habent*) VERBA HEBRAICA, QUANDO FUERINT TRANSLATA AD ALTERAM LINGUAM.

QUANDO INTER SE DICUNTUR, — « inter se, » id est in se, scilicet in propria lingua, *q. d.* Autographa auctoris verba, puta Hebraica, multum differunt a Græcis, vel Latinis, in quæ convertuntur ab Interprete.

NAM IN OCTAVO ET TRIGESIMO ANNO, TEMPORIBUS PTOLEMÆI EVERGETIS. — Nota: Post Alexandrum Magnum, ejus duces diviserunt imperium, et Ptolemæus, Lagi filius, occupavit Ægyptum, ibique regnavit quadraginta annis, a quo posteri omnes nuncupati sunt Ptolemæi; sed cognomen aliud et aliud quisque sibi adscivit. Unde Ptolemæo Lagi successit filius Ptolemæus Philadelphus, id est, amator fratris, utpote cui regnum reliquit, qui regnavit annis 38. Hic accivit e Judæa septuaginta Interpretes, per eosque curavit verti Vetus Testamentum ex Hebræo in Græcum. Philadelpho successit frater, ait Justinus lib. XXVII (licet S. Hieronymus dicat fuisse filium, non fratrem). Ptolemæus Evergetes, qui fuit pater Ptolemæi Philopatoris, ac præcessit Judam et Machabæos, circiter quinquaginta annis. Dictus est Evergetes, id est benefactor, eo quod deos Ægypti, puta idola, quæ Cambyses, Cyri filius, ex Ægypto in Persidem transtulerat, Ægyptiis restituit, ac Syriam Ægypto subjecit, pluraque alia in Ægyptios et Græcos contulit beneficia. Ita Eusebius, Isidorus, Marianus Scotus in *Chronic.*, et Strabo, lib. XVII, pag. 754.

Hinc patet ætas utriusque Jesu, scilicet senioris et avi, qui fuit auctor libri, et junioris, scilicet nepotis, qui libri fuit interpres: nepos enim hic ait se vixisse sub Ptolemæo Evergete: unde necesse est avum vixisse sub Ptolemæo Lagi et Philadelpho.

Quæres, unde arcessendus sit hic trigesimus octavus annus, quo nepos ait se venisse in Egyptum, et hunc librum esse interpretatum? Annus 38 Evergetis, quis? Respondeo.

Primo, aliqui suspicantur eum arcessendum ab initio regni Ptolemæi Evergetis, quia eum hic nominat nepos; sed errant, quia Evergetes non 38, sed 26 annos duntaxat regnavit; unde solerter addit nepos: « temporibus Ptolemæi Evergetis. » Primo.

Secundo, Josephus Scaliger lib. V *De Emendat. temp.*, cap *de initio regni Philadelphi*, censet arcessendum hunc annum trigesimum octavum ab initio regni Ptolemæi Philadephi, cui successit Evergetes: Philadelphus enim regnavit annis 38, eique mox successit Evergetes, *q. d.* Exactis annis 38 Philadel- Secundo.

phi, initio regni Evergetis, veni, et transtuli hunc librum. Sed ethic errat: cur enim a Ptolemæo Philadelpho, potius quam Lagi, qui primus fuit Ægypti rex, anni hi numerentur? Adde Philadelphum superasse in regno annos 38, et pertigisse ad 39, teste Josepho lib. XII *Antiq.* cap. II, et aliis. Quocirca falsum est quod Evergetes regnare cœperit anno 38 Philadelphi, cum cœperit 39.

Tertio. *Tertio*, alii verisimilius censent hos annos inchoandos ab exordio vitæ Jesu junioris, libri interpretis, *q. d.* Anno 38 vitæ meæ, veni in Ægyptum, et hunc librum transtuli. Ita Lyranus.

Quarto. *Quarto*, alii probabiliter hunc trigesimum octavum inchoant ab anno quo avus hunc librum primo composuit (hujus enim proxime præcessit mentio); ita ut ab eo numerando annos 38, nepos eum in Græcum converterit.

Quinto. *Quinto*, valde verisimile est hos annos inchoandos esse a libertate Judæis data per Ptolemæum Philadelphum: Ptolemæus enim Lagi, pater Philadelphi, dolo occupatis Jerosolymis, cum reliqua Judæa, multos inde captivos in Ægyptum traduxit. Hos Philadelphus, dum e Judæa Septuaginta Interpretes evocat, liberos in patriam dimitti jussit. Fuere ii numero centum viginti millia; in quos a servitute ab heris, qui eos coemerant, redimendos, impendit Philadelphus 460 talenta, inquit Josephus lib. XII *Antiq.* II: quæ talenta, si fuerunt auri, conflant summam duorum millionum, et septingentorum sexaginta millium aureorum, sive coronatorum Francicorum: sin fuerunt argenti, duodecimam summæ jam dictæ partem constituunt. Talentum enim Atticum constabat sex millibus drachmarum: drachma autem auri est coronatus Francicus; drachma argenti est julius Romanus, sive regalis Hispanicus; drachma enim una auri valebat olim duodecim drachmas argenti. Quare Judæi, ob tantum e captivitate Ægyptia libertatis beneficium, constituerunt æram sive epocham, ut ab ea cœperint supputare annos, perinde ac Daniel omnes suæ historiæ et prophetiæ annos numerat et supputat a soluta captivitate Babylonica per Cyrum. Igitur annus hic trigesimus octavus, juxta vulgarem et celebrem tunc computum, numeratur a soluta captivitate Ægyptia Judæorum per Philadelphum: ita Augustinus Torniellus in *Annalibus*, anno mundi 3898.

EVERGETIS. — Hebr. נָדִיב *nadib*, id est liberalis, beneficus. Sic Christus ait *Lucæ* XXII, vers. 25: «Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos, benefici,» Hebr. *nedibim*, id est *evergetæ*, «vocantur:» nulla enim virtus ita principem decet et commendat, ac beneficentia et liberalitas.

CUM MULTUM TEMPORIS IBI FUISSEM. — Vatablus, *ibique diu moratus*: hoc enim est, συγχρονίσας. Aliqua Græca legunt: ἐπ' ὀλίγον χρόνον συγχρονίσας, id est, *ad breve tempus commoratus*.

INVENI IBI LIBROS NON PARVÆ, NEQUE CONTEMNENDÆ DOCTRINÆ. — Pro *libros*, græce est ἀφόμοιον, id est exemplar, ut vertit Vatablus. Aliqui codices habent ἐφόδιον, id est viaticum, adjumentum, subsidium. Alii ἀφορμὴν, id est, occasionem eruditionis. Invenit enim in bibliotheca Philadelphi libros toto orbe exquisitos, et inter eos versionem Græcam Septuaginta Interpretum, recenter ante 38 annos a eis editam, quæ utique magno ei usui fuit ad traductionem Ecclesiastici in idioma Græcum concinnandam: versionem enim Septuaginta ipse hic sequi solet. Hinc patet Septuaginta Interpretes non vertisse Ecclesiasticum ex Hebræo in Græcum, sed id fecisse Jesum juniorem: cujus tamen versio addita fuit versioni Græcæ Septuaginta cæterorum S. Scripturæ librorum, æque ac ei addita fuit versio Græca librorum Machabæorum, qui utique posteriores fuerunt Septuaginta Interpretibus.

ADDERE DILIGENTIAM (προσενέγκασθαι, id est, afferre, adhibere diligentiam; unde et subdit), ET MULTA VIGILIA ATTULI DOCTRINAM. — Græca clare: πολλὴν ἀγρυπνίαν, καὶ ἐπιστήμην προσενεγκάμενος, id est, *multam vigiliam et studium adhibui*. Ita Vatablus.

IN SPATIO TEMPORIS, — ἐν διαστήματι τοῦ χρόνου, id est, *illo temporis intervallo*, quo, scilicet, in Ægypto fui, et tantam opportunitatem librorum ad discendum et interpretandum nactus eram.

AD ILLA QUÆ AD FINEM DUCUNT, — ut, scilicet, hæc præcepta et documenta ederem, quæ ad finem hominis cognoscendum et adipiscendum nos manu ducant. Jam Græca passim, quin et Romana editio a Card. Caraffa correcta sic legit: πρὸς τὸ ἐπὶ πέρας ἄγοντα τὸ βιβλίον ἐκδόσθαι, id est, *ad finem perducentem me*; hoc est, *ut ad finem perducens librum ederem*. Græca insuper addunt: καὶ τοῖς ἐν τῇ παροικίᾳ βουλομένοις φιλομαθεῖν, id est, *etiam his qui in paræcia*, id est, *vicinia habitant, suntque studiosi, et volunt discere*. Ubi nota: παροικία significat et viciniam, et incolatum peregrini, et exilium; quæ omnia huic loco congruunt, *q. d.* Verti hunc librum ex Hebræo in Græcum, ut darem eum studiosis et discendi avidis, tam vicinis Græcis, quam Judæis in Ægypto peregrinantibus, vel exulantibus (hi enim omnes sunt parœci), qui inter Græcos versantes, Hebraicæ linguæ desueverunt, ejusque fere obliti græce loquuntur et legunt potius, quam hebraice. Multi enim Judæi illo ævo in Ægypto et Græcia peregrinabantur et exulabant. Igitur τὸ *et illis* connectendum est cum *dare*, *q. d.* Ut darem eum etiam illis qui Hebraice nesciunt, et tamen discendi sunt avidi: superius enim dixi libros Hebræorum non tantum prodesse Hebræis, sed et exteris, si videlicet, quis Hebræus illos eis interpretetur, vel verbo, vel scripto. Unde Tigurina vertit: *Utque studio se dedere volentes exules, moribus prius instituti, secundum legem viverent*. Græce est προκατασκευαζομένους, id est *præparati*; quod Tigurina vertit, *instituti*: quia præparatio ad recte vivendum in lege, est institutio sive instructio in lege, quam per Ecclesiastici interpretationem legentibus daturum se pollicetur Interpres.

Citabo subinde gnomas sapientum Hebræorum,

Syrorum, Græcorum, Latinorum, gnomis Siracidis persimiles, et forte ab eo acceptas: citabo et centurias binas Proverbiorum Arabicorum, arabice editas, cum translatione Latina. Exstant eadem syriace in codice manuscripto (uti oculis meis conspexi) collegii Maronitarum Romæ, collecta a Gregorio monacho Syro ante 400 fere annos, qui nonnulla ex iis a Pythagora accepta affirmat. Pythagoras enim peregrinatus est per Ægyptum et Syriam; ac Proverbia hæc plane similia sunt symbolis Pythagoræ. Porro verisimile est illa, uti et plura alia, Arabes accepisse a Syris: Syrorum enim libri perplures versi sunt in idioma Arabicum, pauci vero in Syriacum Arabici. Quare Proverbia hæc Syriaca aut Pythagorica sunt potius, quam Arabica.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Assignat et describit originem sapientiæ, quæ est Deus. Inde, vers. 11, *ac deinceps, ostendit quomodo paretur sapientia, nimirum, timore et amore Dei : hæc duo enim sapientiam omnemque virtutem creant, comitantur, conservant et augent; unde, vers.* 33, *docet sapientiam acquiri per justitiam.*

1. Omnis sapientia a Domino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante ævum. 2. Arenam maris, et pluviæ guttas, et dies sæculi quis denumeravit? Altitudinem cœli, et latitudinem terræ, et profondum abyssi quis dimensus est? 3. Sapientiam Dei præcedentem omnia quis investigavit? 4. Prior omnium creata est sapientia, et intellectus prudentiæ ab ævo. 5. Fons sapientiæ, verbum Dei in excelsis, et ingressus illius mandata æterna. 6. Radix sapientiæ cui revelata est? et astutias illius quis agnovit? 7. Disciplina sapientiæ cui revelata est et manifestata? et multiplicationem ingressus illius quis intellexit? 8. Unus est altissimus Creator omnipotens, et Rex potens, et metuendus nimis, sedens super thronum illius, et dominans Deus. 9. Ipse creavit illam in Spiritu Sancto, et vidit, et dinumeravit, et mensus est. 10. Et effudit illam super omnia opera sua et super omnem carnem secundum datum suum, et præbuit illam diligentibus se. 11. Timor Domini gloria, et gloriatio, et lætitia, et corona exultationis. 12. Timor Domini delectabit cor, et dabit lætitiam, et gaudium, et longitudinem dierum. 13. Timenti Dominum bene erit in extremis; et in die defunctionis suæ benedicetur. 14. Dilectio Dei, honorabilis sapientia. 15. Quibus autem apparuerit in visu, diligunt eam in visione et in agnitione magnalium suorum. 16. Initium sapientiæ, timor Domini; et cum fidelibus in vulva concreatus est, cum electis feminis graditur, et cum justis et fidelibus agnoscitur. 17. Timor Domini, scientiæ religiositas. 18. Religiositas custodiet et justificabit cor, jucunditatem atque gaudium dabit. 19. Timenti Dominum bene erit, et in diebus consummationis illius benedicetur. 20. Plenitudo sapientiæ est timere Deum, et plenitudo a fructibus illius. 21. Omnem domum illius implebit a generationibus, et receptacula a thesauris illius. 22. Corona sapientiæ, timor Domini, replens pacem et salutis fructum. 23. Et vidit, et dinumeravit eam : utraque autem sunt dona Dei. 24. Scientiam et intellectum prudentiæ sapientia compartietur : et gloriam tenentium se exaltat. 25. Radix sapientiæ est timere Dominum, et rami illius longævi. 26. In thesauris sapientiæ intellectus, et scientiæ religiositas : execratio autem peccatoribus sapientia. 27. Timor Domini expellit peccatum. 28. Nam qui sine timore est, non poterit justificari : iracundia enim animositatis illius, subversio illius est. 29. Usque in tempus sustinebit patiens, et postea redditio jucunditatis. 30. Bonus sensus usque in tempus abscondet verba illius, et labia multorum enarrabunt sensum illius. 31. In thesauris sapientiæ significatio disciplinæ. 32. Execratio autem peccatori, cultura Dei. 33. Fili, concupiscens sapientiam, conserva justitiam, et Deus præbebit illam tibi. 34. Sapientia enim et disciplina timor Domini : et quod beneplacitum est illi, 35. Fides, et mansue-

tudo, et adimplebit thesauros illius. 36. Ne sis incredibilis timori Domini, et ne accesseris ad illum duplici corde. 37. Ne fueris hypocrita in conspectu hominum, et non scandalizeris in labiis tuis. 38. Attende in illis, ne forte cadas et adducas animæ tuæ inhonorationem. 39. Et revelet Deus absconsa tua, et in medio Synagogæ elidat te. 40. Quoniam accessisti maligne ad Dominum, et cor tuum plenum est dolo et fallacia.

Novem elogia sapientiæ.

NOTA : Siracides hic novem dat elogia sapientiæ : *primum* est, vers. 1, quod originem ortumque habeat a Deo ; *secundum*, vers. 3 et seq., quod sit innumera et immensa ; *tertium*, vers. 4, quod prior sit omnium rerum creatarum ; *quartum*, ibidem, quod sit ab ævo, id est, æterna ; *quintum*, vers. 5, quod ipsa sit Verbum Patris excelsi ; *sextum*, ibidem, quod ingressus, id est, viæ ejus et rationes, sint mandata et decreta æterna Dei ; *septimum*, vers. 7, quod hominibus sit incomprehensibilis ; *octavum*, vers. 9, quod Deus eam crearit in Spiritu Sancto ; *nonum*, vers. 10, quod effuderit illam super omnia opera sua, sed maxime eam præbuerit diligentibus se.

Quatuordecim elogia timoris Dei.

Deinde pari modo quatuordecim dat elogia timori Dei, qui est comes, imo via et initium sapientiæ : *primum*, vers. 11, quod timor Dei pariat lætitiam et gloriam ; *secundum*, vers. 13, quod timenti Dominum bene erit in extremis ; *tertium*, vers. 15, quod timor sit dilectio Dei, quæ sola sui specie omnes rapiat in sui amorem ; *quartum*, vers. 16, quod sit initium sapientiæ ; *quintum*, ibidem, quod fidelibus in vulva concreatus sit ; *sextum*, ibidem, quod cum fidelibus feminis graditur ; *septimum*, vers. 16, quod sit ipsa religiositas ; *octavum*, vers. 19 et 20, quod timentes Deum impleat suis fructibus et donis spiritualibus ; *nonum*, vers. 22, quod sit corona sapientiæ, plenam afferens pacem et sanitatem ; *decimum*, vers. 23, quod videat et dinumeret sapientiam, ut actus et gressus hominis sapienter dimetiatur et dirigat ; *undecimum*, vers. 24, quod suis discipulis et asseclis det scientiam et prudentiam ; *duodecimum*, vers. 25, quod eos faciat longævos ; *decimum tertium*, vers. 27, quod expellat peccata præsertim quæ per iram et impatientiam committuntur ; *decimum quartum*, vers. 29, quod usque ad tempus patienter adversa sustineat, sed postea reddatur ei lætitia, celebritas, laus et gloria.

PRIMA PARS CAPITIS.

Vers. 1.

1. OMNIS SAPIENTIA A DOMINO DEO EST, ET CUM ILLO FUIT SEMPER, ET EST ANTE ÆVUM. — Hæc sententia, trimembris, in Græco jam est diminuta et bimembris ; sic enim habet : Πᾶσα σοφία παρὰ Κυρίου, καὶ μετ' αὐτοῦ ἐστιν εἰς τὸν αἰῶνα, id est, *omnis sapientia a Domino est, et cum illo est in ævum*. Ita Complut. et Roman. Latina ergo versio hic uberior et plenior est Græca, æque ac Syriaca et Arabica, quæ cum Græcis fere consentiunt, et ex iis traductæ videntur ; sic enim habet Syriaca : « Omnis sapientia ab ante Dominum est, et ipsa cum eo est a seculis ante Dominum, » id est, a Domino est. Est Syrismus. Similis est *Dan.* II, vers. 6. Arabicus : « Omnis sapientia est a Domino, et est cum illo ex antiquo seculi. »

Alludit ad id quod Salomon de sapientia ait *Sapient.* VIII, 3 : « Contubernium habens Dei, » *q. d.* Sapientia est familiaris, imo contubernalis Dei ; et cap. VII, vers. 25 : « Vapor est virtutis Dei, et emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera, » *q. d.* Sapientia est quiddam subtile et odoratum, quod a Deo efflatur, hominemque divino quodam vapore et odore recreat, ut oleat Deum, ejusque vita et sermo spirent quid divinum. Unde subdit Sapiens de eadem : « Candor est enim lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius, » *q. d.* Sapientia est radius divini Numinis, quasi Solis increati.

Sapientia hic indefinite et generatim ponitur ; unde sub ea quamlibet comprehendas, omnesque ejus species accipias. Sapientia Dei duplex.

Primo ergo intelligas Sapientiam increatam, tum essentialem, quæ communis est Patri, Filio et Spiritui Sancto ; hæc enim manat ab essentia deitatis : unde cum Deo trino et uno fuit semper, et est ante ævum ab omni æternitate. Manat dico, anthropopathōs, et nostro modo concipiendi res divinas, juxta ea quæ videmus in rebus creatis, in quibus attributa et proprietates, qualis est intellectus, sapientia, bonitas, manant ab ipsa rei essentia ; cum in Deo proprie ab ea non manent aut fluant, sed sint unum idemque cum ea, uti docet D. Thomas I p., q. 28. Hac sapientia Deus sapienter cuncta produxit, creavit, conservat, cognoscit, disponit atque gubernat. Essentialis.

Rursum per sapientiam hic accipias notionalem, sive personalem et genitam, quæ propria est Verbo, sive Filio Dei : hic enim per generationem proprie manavit a Deo Patre, et cum illo fuit semper, et est ab æterno : propria enim Filii Dei ratio et notio est, quod ipse sit Sapientia, Verbum, Conceptus mentalis, Notitia, Intellectio ; quia, scilicet, Filius est Verbum per cognitionem Patris Et personalis.

productum. Ita Rabanus et Paulus a Palacio. Filio enim proprie competit illud vers. 6 : « Fons sapientiæ, Verbum Dei in excelsis. » Unde huc allusisse videtur S. Joannes initio Evangelii, dicens : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. » Trimembris enim illa S. Joannis sententia respondet huic trimembri Ecclesiastici, idque clarius significat hic versio Tigurina, quæ sic habet : « A Deo manat omnis sapientia, apud eum semper fuit, et eidem perpetuo conjuncta est. » Sapientia enim Patris est Verbum, puta Filius. Hoc erat in principio : quia ab æterno a Deo Patre emanavit, ab eoque fuit genitum. Hoc quoque semper fuit apud Deum, tanquam persona ab eo distincta, illique coæva, intima, æqualis et compar : hæc enim omnia significat τὸ *apud*. Hoc denique Deo Patri perpetuo est conjunctissimum ; quia eamdem numero cum eo habet essentiam et deitatem, quod S. Joannes ait : « Et Deus erat Verbum. »

In trimembri ergo hac sententia tria prædicata, juxta tria prædicamenta, S. Joannes de Verbo, et Ecclesiasticus de Sapientia enuntiat, quibus totam ejus naturam et vim complectitur. *Primo* enim membro : « In principio erat Verbum, » sive, « Omnis sapientia est a Deo, » notat Verbi *quando* et æternitatem ; ut si roges : Quando genitum est Verbum a Deo Patre ? respondeat : « A principio, » puta, ab æterno ; ab ipsa, inquam, origine, vel potius ab origine Divinitatis, si ita loqui fas est : nam Divinitatis proprie nulla est origo ; sed origo hic vocatur ejus antiquitas et æternitas per catachresin. *Secundo* membro notat Verbi *ubi*, et a Patre distinctionem ; ut, si quæras : Ubi erat Verbum, cum nondum creatus esset mundus ? respondeat : « Verbum erat apud Deum, » erat in sinu Patris. *Tertio* membro significat Verbi essentiam, et essentiæ cum Patre identitatem : ut, si quæras : Quid est Verbum ? cujus est essentiæ ? respondeat : « Deus erat Verbum, » id est, Verbum erat Deus ; puta, habens divinam essentiam, ipsamque Patris deitatem : vox enim *Deus*, licet præcedat, vim tamen habet prædicati, non subjecti. Ita Rabanus : « Principium, inquit, istius libri de æterna Dei Sapientia (quæ est Christus) narrat, quod semper cum Patre sit ante secula ; et concordat Evangelio Joannis, quod ita inchoat : In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum : hoc erat in principio apud Deum. Omnis ergo sapientia a Domino Deo est : quia Christus, qui est fons vitæ, et lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, a Deo Patre natus est, et omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Quisquis autem hujus sapientiæ lumine caret, in tenebris ambulat, et nescit quo vadat : quoniam tenebræ excæcaverunt oculos ejus. Et quidquid huic sapientiæ adversatur, stultitia magis dicenda est, quam prudentia. Unde Paulus ait : Sapientia enim hujus mundi stultitia est apud Deum. Et item : « Prudentia enim carnis, mors est ; prudentia autem spiritus, vita et pax. Quoniam sapientia carnis inimica est Deo : legi enim Dei non est subjecta, nec enim potest. »

Verbi quando.

Ubi.

Essentia.

Porro sapientiam hanc notionalem, puta Dei Verbum, hisce elogiis et aphorismis celebrat S. Hierotheus apud S. Dionysium, *De Divin. Nomin.* cap. II, sub finem : « Jesu, inquit, divinitas, quæ omnium causa est, et implet omnia, ac partes consonas universitati conservat, neque pars, neque totum est ; rursumque et pars est, et totum : utpote quæ partem omnem, et omne totum in seipsa comprehenderit, et eminenter habeat atque præhabeat : perfecta quidem est in rebus imperfectis, utpote perfectionis princeps ; in rebus vero perfectis imperfecta : quippe cum perfectionem excellentia origineque præcedat. » Et post nonnulla : « Essentia etiam totis procul a contagione essentiis insidens ; atque super essentiam exstans, ab omni essentia penitus absoluta : universa principia ordinesque determinans ; et super omne principium ordinemque locata, mensura entium est et ævum : atque super ævum et ante ævum ; plena quidem in rebus egenis ; in plenis autem exuberans : ineffabilis, non pronuntiabilis ; super intellectum ; super vitam ; super essentiam ; supernaturale munus supernaturaliter habet, superessentiale superessentiali etiam ratione. Quamobrem quando usque ad naturam ob summam benignitatem venit, vereque substantiam nostræ carnis accepit, summusque ille Deus vir est appellatus, tunc quoque in his supernaturale et superessentiale munus emicuit. »

Sapientia creata multiplex.

Secundo, accipi potest hæc sententia de sapientia creata, quæ multiplex est. Primas in ea tenet Sapientia incarnata, puta Christus homo, ejusque in carne œconomia. Hæc enim fuit opus Dei sapientissimum, adeoque Christus homo miram in incarnatione, passione, resurrectione, missione Spiritus Sancti, legatione Apostolorum, fundatione Ecclesiæ, institutione Sacramentorum, conversione orbis, distributione donorum et gratiarum, adeoque in omnibus suis dictis et factis cœlestem ostendit sapientiam, cunctisque fidelibus se in speculum, et exemplar sapientiæ intuendum et imitandum præbuit.

Secundas tenet sapientia pure creata, qualis est omnium Angelorum et hominum. In his enim sapientia est habitus, vel actus sciendi et sapiendi. Habitus creatur et inditur a Deo ; actus elicitur ab habitu et potentia, cooperante Deo per suum concursum : licet enim hæc sapientia in se formaliter non sit antiquior rebus creatis, puta Angelis et hominibus, quibus inest originaliter ; tamen eadem causaliter fuit in Deo ab æterno, quia Dei Sapientia increata, quæ sapientiæ creatæ est causa efficiens et exemplaris, fuit in Deo ab æterno. Sicut enim ab essentia immensa Dei, tanquam a fonte, origine, et causa efficienti ac exemplari, manant omnes rerum creatarum naturæ et essentiæ ; ac

ab æternitate Dei manat omne ævum, omne tempus, omnis duratio; atque ab immensitate Dei manat omnis locus et situs; a Dei omnipotentia manat omnis vis et potestas; ab ejus sacratissima sanctitate manat omnis virtus et sanctitas : ita pariter ab ejus omniscientia et sapientia manat omnis creata scientia et sapientia, uti docet S. Dionysius *De Divin. Nomin.* et passim Theologi.

Practica hic intelligitur.

Per sapientiam hic, tum speculativam, qualem a Deo infusam merito abstinentiæ cum sociis accepit Daniel, cap. I; tum potius practicam accipe, quæ principium est rerum agendarum, quæque mores cujusque, vel personæ, vel familiæ, vel reipublicæ sapienter dirigit, et juxta normam divinæ legis, honestatis et virtutis format et componit, uti dixi canone V. Hac ergo sapientia homo de Deo et creaturis recte sentit et sapit, ac sapienter suas actiones novit disponere, ut ad beatum finem, ad quem a Deo conditus est, perveniat.

Quin et artes.

Origenes homil. 24 *in Numer.* sapientiam hanc extendit ad artes quoque mechanicas, ut architectonicam, fabrilem, nauticam, etc. Nam et hæ originem habent a Deo, manantque ab arte increata, quæ est in mente Dei. Artes ergo sunt a Deo; corruptelæ vero artium sunt a dæmonibus et hominibus, ait Origenes. Sic Beseleel dicitur a Deo accepisse « sapientiam, » id est, « artem ad excogitandum quidquid fabrefieri potest ex auro, et argento, et ære, » ad fabricandum tabernaculum, *Exod.* XXXI, 3. Idem Origenes homil. 18 *in Num.*,« Omnis sapientia, hoc est, inquit, omnis ars, ut Musica, Geometria, Medicina, Physica, etc., a Deo est et manat. » Unde et Ecclesiasticus, cap. XXXII, 5, disserit de musica; cap. XXXVIII, vers. 26, de agricultura, arte fabrili, figulina, et similibus.

Physica in Deo.

Denique sapientia hæc practica in Deo est duplex, scilicet physica, qua sapienter creavit, conservat, mutat, producit, gubernat res omnes creatas, uti docet Ecclesiasticus cap. XXVIII, vers. 6, et cap. XXXIX, vers. 21; et moralis, qua honeste, juste et sancte facit omnia, utque idem faciant Angeli et homines, sancit, decernit et efficit.

Et moralis.

Tertio, valde apposite sapientiam hic accipias, non tam pro habitu vel actu, quam pro objecto et dictamine sapientiæ. Dictat enim sapientia Deum esse timendum; honorandos esse parentes; sobrie, juste, caste esse vivendum; non esse mentiendum; colendam esse amicitiam, patientiam, charitatem, etc. Hæc dictamina sunt æternæ veritatis, ideoque ab æterno fuerunt in mente Dei, in qua vivunt sempiternæ rerum omnium rationes, ait S. Augustinus. Manant enim ab æterna et immensa perfectione, æquitate et sapientia Dei; et ab ea profluxerunt ad homines et Angelos. Sicut enim omnis lex hominum et Angelorum manat ab æterna lege, quæ est in mente Dei: ita pariter hæ veritates et sapientiæ dictamina manant a prima veritate et sapientia Dei; adeo ut si per impossibile non esset illa prima veritas et sapientia Dei, nulla esset veritas, nihil verum, nullum sapientiæ dictamen esset in hominibus et Angelis; sicut, si non esset deitas, nulla esset creaturarum entitas : omnis enim entitas creata essentialiter manat, et pendet in suo esse et conservari ab entitate infinita et increata Dei, sicut radius manat et pendet a sole, lumen a luce, calor ab igne.

Si non esset prima veritas Dei, nihil esset verum.

In Deo igitur, ut recte docet noster Lessius lib. VI *De Attrib. divinis*, cap. I, est sapientia, qua omnia novit per supremas causas; nimirum, per notitiam essentiæ suæ, quæ est omnium suprema causa efficiens, finalis, exemplaris et fundamentalis. Comprehendendo enim essentiam suam, hoc ipso ex vi illius comprehensionis cognoscit distinctissime et clarissime omnia possibilia (sub quibus continentur etiam omnium possibilium complexiones), quæ nimirum ipse per se facere potest; et illa comprehendendo, cognoscit ulterius omnia in particulari, quæ singula eorum facere vel pati possunt, et in quibus deficere. Neque hoc solum, sed etiam quid singula in quavis occasione essent factura, si talis vel talis occasio daretur. Neque in his sistit; sed etiam clare intuetur quid reipsa in omnem æternitatem sit eventurum, quibus momentis, quibus locis, quibus occasionibus et aliis circumstantiis. Ratio est, quia in Deo cognitio abstractiva possibilium, cum sit infinitæ perfectionis et efficaciæ in attingendo objecto, hoc ipso quod objecta illa reipsa sunt futura, fit intuitio existentium; nec opus est alia vi aut conatu.

Unde patet omnem intuitum futurorum esse ex vi comprehensionis essentiæ, nec aliud requiri, quam positionem objectorum. Tunc enim cognitio quæ prius, seu in priori signo rationis, erat abstractiva, transit in intuitivam ex vi suæ perfectionis. Docet hoc aperte S. Dionysius *De Divin. Nomin.* cap. VII : « Non enim, inquit, ex rebus ipsis res discens, novit eas divina mens; sed ex seipsa, et in seipsa, secundum causam, omnium scientiam, et notionem, et essentiam præhabet, et ante comprehendit; non singulis secundum cujusque speciem intendens, sed secundum unicam causæ complexionem cuncta sciens et continens; sicut et lux secundum causam in seipsa tenebrarum notionem anticipat, non aliunde quam ex luce tenebras noscens. » Hic manifeste tradit Deum ex vi cognitionis essentiæ, tanquam causæ omnium, scire cætera; quod confirmatur verbis sequentibus : « Seipsam igitur divina Sapientia noscens, sciet omnia; materialia sine materia; et indivise divisibilia, et unice multa, ipso uno omnia et cognoscens et producens. Nam, si secundum unam causam Deus omnibus esse impertit; secundum eamdem unicam causam sciet omnia, tanquam ex se existentia, et in seipso ante præexistentia.»Unde concludit:«Hac igitur Deus res cognoscens, non scientia rerum, sed scientia sui ipsius ipsas novit. » Et S. Augustinus lib. XI *De Civit.* cap. X : « Neque enim multa, sed una sa-

pientia est, in qua sunt immensi quidam atque infiniti thesauri rerum intelligibilium; in quibus sunt omnes invisibiles atque incommutabiles rationes rerum, etiam visibilium et mutabilium, quæ per ipsam factæ sunt; quoniam Deus non aliquid nesciens fecit. » Ex quibus infert Augustinus, « quod iste mundus nobis notus esse non posset, nisi esset: Deo autem nisi notus esset, esse non posset; » quia Deus per sapientiam suam est auctor mundi, qui sua specie externam nobis sui notitiam ingerit.

Hac ergo sententia initio libri sui sapientialis docet Siracides originem, antiquitatem, ideam et causam sapientiæ esse Deum per essentiam sapientem et æternum, quæ sane prima et summa est sapientiæ laus et dignitas, ut per eam omnes ad sapientiæ admirationem, amorem et studium invitet et impellat, *q. d.* Omnis sapientia, id est, omnis habitus, omnis actus, omne objectum, omne dictamen, omnis veritas sapientiæ, quæ est in hominibus et Angelis, manat a Deo, fuitque cum eo ab æterno, vel formaliter, vel causaliter; quare agnoscite divinam ejus originem, antiquitatem et præstantiam, eamque suppliciter a Deo poscite et flagitate. Omnis enim sapientia est a Deo, apud Deum, et cum Deo ab æterno : licet enim a Deo manet ad creaturas; ita tamen manat, ut Deum non deserat, sed in eo velut radice et fonte remaneat, et fixe resideat; perinde ac lux a sole manans et sparsa in mundum, manet in ipso sole; et calor manans sparsusque ab igne, manet et residet in ipso igne.

Hoc est quod ait S. Jacobus cap. I, 5 : « Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat; et dabitur ei. » Nam, ut subdit vers. 17 : « Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus. » Vide ibi dicta. Eamdem originem Sapientiæ, puta Deum, assignat Sapiens *Prov.* VIII, 22 : « Dominus, inquit, possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. » Et Job cap. XXVIII, 12, sapientiæ locum et originem operose vestigans, tandem resolvit ac respondet vers. 23 : « Dominus, ait, intelligit viam ejus, et ipse novit locum illius. » Et Baruch, cap. III, 14, post longam ejus vestigationem concludit vers. 32 : « Qui scit universa, novit eam, et adinvenit eam prudentia sua. »

Idipsum per umbram viderunt Gentiles. Unde Poetæ, ait Servius, finxerunt Prometheum, post factos a se homines, auxilio Minervæ in cœlum ascendisse, et adhibita facula ad rotam solis, ignem esse furatum, quem hominibus communicavit. Ignis hic sapientiam repræsentat, quam e cœlis attulit noster Prometheus prudentissimus, Jesus Christus. Unde et Prometheus dictus est ἀπὸ τῆς προμηθείας, id est, a providentia. De Christo enim ait S. Joannes cap. I, 16 : « De plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia; quia lex per Mosen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est. Deum nemo vidit unquam: unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit. » Simili modo finxerunt Minervam, sive Palladem, deam sapientiæ, esse Jovis filiam, et virginem, adeoque ex cerebro, id est, mente et ingenio, Jovis progenitam sine matre. Unde Lucanus, lib. IX :

Hanc et Pallas amat, patrio quæ vertice nata est.

Et Ovidius III *Fast.*:

An, quia de capitis fertur sine matre paterni
Vertice, cum clypeo prosiluisse suo?

Secuti, nimirum, sunt, sed non assecuti illud *Eccli.* XXIV, 5 : « Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam. »

Dices : Etiam dilectio, timor, spes, charitas manant a Deo, ejusque sunt dona; cur ergo de sola sapientia hic dicitur, quod sit a Deo? Resp. *primo*, quia de sapientia ejusque virtutibus Ecclesiasticus agit, agetque toto libro; unde ejus originem et antiquitatem præmittit, ut inde ei laudem et pretium conciliet. *Secundo*, quia primum et maximum, quod a Deo processit, est sapientia; primum enim, quod Pater produxit et genuit, fuit Verbum, quod est ipsa Patris conceptio et intellectio notionalis, ideoque Sapientia genita. Ita Palacius. Denique ex eo quod sapientia in Deo, a Deo, et ad Deum sit, Lactantius lib. III, cap. IX, redarguit Anaxagoram sapientem, qui, rogatus « cujus rei causa natus esset, » respondit : « Solis, ac cœli videndi. » Nam « non ideo, ait Lactantius, nascimur, ut ea quæ sunt facta videamus; sed ut ipsum factorem rerum omnium contemplemur, id est, mente cernamus. Quare, si quis hominem, qui vere sapit, interroget, cujus rei gratia natus sit, respondebit intrepidus ac paratus se colendi Dei gratia natum, qui nos ideo generavit, ut ei serviamus. » Et mox : « Nam ipsa humanitas quid est, nisi justitia, nisi pietas? Pietas autem nihil aliud est quam Dei parentis agnitio. » Et cap. XII : « Idcirco, ait, soli animantium ad aspectum cœli erecti sumus, ut summum bonum nostrum in summo esse credamus. Ideo religionem soli capimus, ut ex hoc sciamus humanum spiritum non esse mortalem, quod Deum, qui est immortalis, et desiderat, et agnoscit. »

Rursum ex eo quod sapientia sit Dei filia, sequitur sapientes cognationem habere cum Deo, esseque filios Dei. Hinc de S. Basilio fratre suo scribit Gregorius Nyssenus in *Orat. funebr.*: « Basilii, inquit, genus erat familiaritas et necessitudo cum Deo; patria vero virtus, etc., sobrietas illi pro domicilio erat; sapientia loco prædii; justitia, veritas et puritas pro splendidis ædificiis. » Denique S. Bernardus serm. 13 *in Cant.*: « Ad locum, ait, unde exeunt, revertuntur flumina gratiarum, ut iterum fluant; remittatur ad suum principium

Minerva est sapientia.

Sapientes sunt Dei filia, hinc sapientes sunt Dei filii.

Prometheus quis?

cœleste profluvium, quo uberius terræ refundatur. Qualiter, inquis? Qualiter dicit Apostolus: In omnibus gratias agentes; quidquid sapientiæ, quidquid te habere virtutis confidis, Dei virtuti et Dei sapientiæ deputa, Christo. »

ET EST ANTE ÆVUM, — ante seculum, *q. d.* Sapientia est ante omne tempus, et, ut S. Paulus ait ad *Titum* I, 2: « Ante tempora secularia. » Αἰώνων enim, unde Latinum *ævum*, significat quamlibet durationem: esto Theologi æternitatem approprient Deo, ævum Angelis, tempus hominibus et corporibus, ut, sicut tempus mensura est corporum, ita ævum mensura sit spirituum. Aliter ergo sumitur ævum vers. 4, ubi dicitur fuisse « Sapientia ab ævo, » id est, ab omni æternitate. Unde et Græca hoc vers. 1, habent εἰς τὸν αἰῶνα, *q. d.* Sapientia cum Deo est, duratque « in seculum, » id est, in æternum.

Vers. 2. 2. ARENAM MARIS, ET PLUVIÆ GUTTAS, ET DIES SECULI QUIS DINUMERAVIT? — Græce ἐξαριθμήσει, id est, *enumerabit*.

ALTITUDINEM COELI, ET LATITUDINEM TERRÆ, ET PROFUNDUM ABYSSI QUIS DIMENSUS EST? — Τὸ *dimensus est* deest in Græco.

Vers. 3. 3. SAPIENTIAM DEI PRÆCEDENTEM OMNIA QUIS INVESTIGAVIT? — ἐξιχνιάσει, id est, *investigabit, pervestigabit*. Alludit ad Isaiæ XL, 12: « Quis mensus est pugillo aquas, et cœlos palmo ponderavit? quis appendit tribus digitis molem terræ, et libravit in pondere montes et colles in statera? Quis adjuvit spiritum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit, et ostendit illi? » et cap. XLVIII, vers. 13: « Manus mea fundavit terram, et dextera mea mensa est cœlos; » et *Jerem.* XXXIII, 22: « Sicut enumerari non possunt stellæ cœli, et metiri arena maris; sic multiplicabo semen tuum; et *Job.* cap. XXXVIII, 4: « Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ? Quis posuit mensuras ejus? vel, quis tetendit super eam lineam? » et vers. 37: « Quis enarrabit cœlorum rationem? »

Laudat sapientiam a præstantia, quæ tanta est, ut sit incomprehensibilis; estque argumentum a comparatione: quare tres hi versus nectendi sunt; duo enim primi sunt comparata tertii, in quo proinde ut nectantur et expleantur, intelligenda est nota comparationis, *sic, similiter, pariter;* unde Arabicus eam exprimens vertit: « Velut mare et arenam maris, etc. » Idque significat conjunctio *et*, quæ est in Græco, juxta can. XII, comparat enim sapientiam tribus quæ numerari non possunt, scilicet, arenæ maris, guttis pluviæ, et diebus sæculi; ac tribus quæ mensurari non possunt, scilicet, altitudini cœli, latitudini terræ, et profunditati abyssi, id est, aquarum et maris: quia in his sex maxime elucet Dei sapientia, æque ac potentia. Nam, ut cætera omittam, in quibus id perspicuum est, quis non admiretur Dei sapientiam in tanta arenularum multitudine (adeo ut nonnulli censuerint eas vere esse infinitas, uti refert et refellit Archimedes lib. *De Arenæ numero*) et parvitate, tantam in singulis naturæ integritatem, perfectionem, similitudinem, ordinem, unionem, successionem, vim et potentiam, qua validissimis maris fluctibus resistit eosque sorbet, ut vasti indomitique maris vilis et exilis arena limes et frenum esse videatur? Vere

Eminet in minimis maximus ipse Deus.

Sensus est ergo, *q. d.* Sicut hæc sex, scilicet arenæ, guttæ, dies, cœli, terra et mare ab homine numerari aut mensurari nequeunt, sed duntaxat a Deo; sic pariter (imo multo minus) nemo sapientiam Dei, quæ omnia præcedit, Tigurina: *quæ rerum omnium est prima*, comprehendere potest, præter solum Deum, tum quia sapientia Dei in se quaquaversum est immensa et infinita; tum quia ad infinita facta, facienda et possibilia se extendit, in iisque infinitos sapientiæ suæ modos et rationes ostendit, vel ostendere potest, quos homo vel Angelus ex se non videt, nec concipit, nisi a Deo ei pandantur. Unde Rabanus: « Si, inquit, illa, quæ tamen omnia certo numero, mensura et pondere a Creatore suo condita sunt, nemo dinumerare et metiri potest; quomodo sapientiam Dei, quæ sine fine et initio constat, et inenarrabilis atque inæstimabilis semper manet, ullus investigare potest? »

Quocirca *Psal.* XVII, vers. 10 et 12, et alibi Deus dicitur habitare in nube et caligine, ad quam cum Mose nos ascendere debere docet S. Dionysius, eamque ita describit Epist. 5 *ad Hierotheum*: « Divina caligo, inquit, est inaccessibile lumen, in quo habitare Deus dicitur, et invisibilis existens propter excedentem claritatem, et inaccessibilis idem propter excessum supersubstantialis luminis effusionis. In hac fit omnis, qui Deum cognoscere et videre est dignus habitus, per ipsum non videre, neque cognoscere, in eo qui est vere super visionem et cognitionem, factus hoc ipsum cognoscens, quod post omnia est sensibilia et intelligibilia, et prophetice dicens: Mirabilis facta est scientia tua ex me, fortis facta est, non potero ad eam. »

Confirmat idipsum ex sancto Paulo, dum subdit: « Ut etiam divinus Paulus cognovisse Deum dicitur, cognoscens ipsum super omnem existentem intellectum et cognitionem. Propter quod et investigabiles esse vias ejus dicit, et inscrutabilia judicia ejus, et inenarrabilia dona ejus; et pacem ejus excedentem omnem mentem, sicut qui invenit existentem super omnia; et hunc super intellectum cognovit, quoniam ultra omnia est, omnium causa existens. »

Idem *De Divinis Nominibus*, cap. I, de Deo loquens: « Ipsa, ait, superessentialis immensitas omnes essentias superat. Ipsa quoque unitas intellectu superior omnes supereminet intellectus; ipsum denique unum cogitatione præstantius, nullis cogitationibus potest excogitari; atque bo-

num excelsius omni verbo, verbis est ineffabile. Unitas unitatis omnis unifica, superessentialis essentia, intellectus nequaquam intelligibilis, ineloquibile verbum. »

Dies sæculi innumerabiles.

Dices *primo* : Dies seculi facile est dinumerare ex annis seculi, qui præterierunt ab initio mundi : multiplica enim annos mundi per 365 (quot sunt dies in anno), habebis numerum dierum mundi.

Primo.

Resp. *primo* : Sicut numerus annorum mundi incertus est; de iis enim omnes pene Chronologi inter se dissentiunt : alii enim censent ab origine mundi elapsos esse annos 4500, alii 5000, alii plures, vel pauciores ; ita pariter incertus, ac consequenter certo numerabilis non est dierum seculi præteritorum numerus. Adde : esto anni certo et præcise numerari possent, non posse tamen præcise numerari dies, quia anni alii completi fuere, alii incompleti. Cum enim, v. g. Adam dicitur vixisse 930 annis, David regnasse 40 annis, etc., verum est eos tot annos vixisse et regnasse, etiamsi aliquot dies defuerint, aut superfuerint; pauci enim dies in anno non computantur ; quare dies tot Patriarcharum, principum et regum, qui ab initio mundi hucusque fuerunt, et sibi ex ordine successerunt, præcise numerare est impossi-

Secundo.

bile. Respondeo *secundo*, dies seculi futuri esse innumerabiles, quia nescimus quot anni usque ad finem seculi superfuturi et fluxuri sint. Porro dies seculi, quos imaginamur, ut seculum, id est mundum, permansurum in æternum commensuremus æternitati, sunt revera infiniti, ideoque innumerabiles. Unde pro « dies seculi, » aliqui vertunt : « Dies æternitatis quis enumerabit ? » Græce enim est αἰῶνος ; sed rectius vertit Noster, « dies sæculi. »

Et arenæ.

Dices *secundo* : Mathematici, et inter eos noster Christophorus Clavius in *Sphæra*, lib. I, numerat non tantum arenas maris, sed et totius mundi ; mensurat quoque altitudinem cœli, et latitudinem terræ ; omnia enim hæc sunt finita, ideoque numerabilia et mensurabilia. Dividunt enim mathematici orbem sive ambitum terræ, æque ac cœli in 360 gradus, ac deprehenderunt uni gradui in orbe terræ respondere 700 stadia, quæ multiplicata per 360 gradus faciunt 252000 stadia, qui est numerus et magnitudo totius ambitus terræ. Hæc stadia efficiunt milliaria Italica mille passuum, triginta et unum millia ac quingenta ; stadium enim continet 125 passus, estque octava pars milliaris. Iidem per astrolabium aliaque instrumenta docent concavam superficiem cœli octavi, sive firmamenti, distare a terra octoginta millionibus milliarium : convexam vero superficiem distare a terra 160 millionibus, uti dixi *Genes.* I, 16.

Rursum Clavius ibidem, p. 120, ex Archimede et aliis ostendit numerum arenarum, quæ in toto mundo usque ad concavam firmamenti contineri possent, fore 10000000000

in tam immensa rerum multitudine, sicut impii homines solent existimare, in quorum persona dicitur *Job*. XXII : « Quid enim novit Deus? et quasi per caliginem judicat : nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, et circa cardines cœli perambulat. » Hos monet Sapiens *Eccli*. XVI : « Non dicas : A Deo abscondar, et ex summo quis mei memorabitur? In populo magno non agnoscar; quæ est enim anima mea in tam immensa creatura? Ecce cœlum, et cœli cœlorum, abyssus, et universa terra, et quæ in eis sunt, in conspectu illius commovebuntur, montes simul et colles, et fundamenta terræ, cum conspexerit illa Deus, tremore concutientur. »

Ratio a priori.

Ratio a priori est, quia, sicut essentia ipsius et potentia in singulis punctis loci et spatii est tota, et tam perfecte, quam si tota immensitas ad punctum esset contracta; ita etiam vis intelligendi et sapientiæ ipsius, tam perfecte et efficaciter versatur circa res singulas, ac si uni soli intenta esset. Lumen enim sapientiæ ipsius non solum est infinitum extensive, nimirum, quia se extendit ad infinita objecta; sed etiam intensive, ut circa singula objecta habeat actum infinitæ perfectionis et claritatis.

Vers. 4.

4. PRIOR OMNIUM (Vatablus, « prima omnium ») CREATA EST SAPIENTIA, ET INTELLECTUS PRUDENTIÆ AB ÆVO. — Laudavit Siracides sapientiam ab origine et prosapia, quod, scilicet, eam ducat a Deo, versu primo: tribus sequentibus laudavit eam ab amplitudine et immensitate, quod, scilicet, instar (imo magis) arenæ, guttarum et dierum sit innumerabilis, et instar cœli, terræ et maris immensurabilis : hic laudat eamdem ab antiquitate, quam licet insinuarit vers. 1, hic tamen clare et diserte eam exprimit, dicens eam fuisse priorem omnibus, et « ab ævo, » id est ab æterno. Alludit, imo citat illud *Proverb*. VIII, 22 : « Dominus possedit me in initio (hebr. ראשית *rescit*, id est initium, principium, principatus) viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. Ab æterno ordinata sum. » Ubi Septuaginta vertunt : « Dominus creavit me initium viarum suarum in opera sua. » Septuaginta sequitur hic Siracides, dum sapientiam dicit priorem creatam esse ab ævo. Jam triplex est hic sensus, juxta triplex significatum sapientiæ quod assignavi v. 1; ample enim hic sumitur sapientia, prout communis est creatæ et increatæ; ideoque quædam dicuntur, quæ magis conveniunt increatæ, ut quod fuerit ab æterno; quædam, quæ magis creatæ, ut quod prior sit creata.

Sapientia est ab æterno. Primo.

Primus est de increata Sapientia; tum essentiali, quæ communis est sanctissimæ Trinitati; tum notionali, quæ propria est Filio : utraque enim fuit prior rebus omnibus creatis ab ævo, id est, ab æterno; prior, inquam, tum origine et tempore, tum consequenter dignitate et principatu, tum causalitate et efficientia : per sapientiam enim Deus creavit omnia. Utraque hic creata dicitur. Essentialis quidem, quia concepta et elicita a Deo. Sicut enim mens nostra creat intellectionem, dum actum intelligendi elicit et concipit; ita et Deus dicitur creasse sapientiam, dum actum intelligendi et sapiendi elicuit et concipit nostro modo intelligendi. Omnis enim actus sapientiæ in nobis et Angelis est elicitus, ac similem vere ab æterno Deus habuit actum, quo se et omnia intellexit, concepit et ordinavit sapientissime: esto enim hic actus in Deo proprie non sit elicitus, sed substantialis, quia deitati intrinsecus; adeoque cum ea reipsa unum quid idemque; tamen anthropopathos, et nostro modo concipiendi, uti jam dixi vocatur elicitus, quasi manans ab ipsa substantia et perfectione deitatis, sicut lux manat a sole. Nam creandi verbum ab Hebræis amplissime sumitur pro facere, elicere, concipere; ut cum ait Isaias, cap. XLV, 6 : « Ego Dominus formans lucem, et creans tenebras, faciens pacem, et creans malum, » id est faciens, eliciens malum et tenebras; hæ enim, cum sint mera privatio, proprie creari nequeunt. Et *Psal*. L, 12: « Cor mundum crea, » id est, effice, elice « in me, Deus. » Nec enim cor jam creatum proprie creari potest; nec ejus mundities, cum sit accidens.

Porro hæc Sapientia increata, creata, id est concepta, fuit a Deo prior, non tantum creaturis, sed et cæteris attributis, quia Deus est purus spiritus et animus. Sicut ergo ex animo primo manat intellectus, deinde voluntas et potentia; hæc enim nihil velle aut agere possunt, nisi quod intellectus prius volendum aut agendum intellexerit et judicarit; ita pariter ex deitate, Deique mente, nostro modo concipiendi, primo prodiit intellectus ac sapientia, deinde voluntas et amor : ratione cujus prior origine fuit in Deo Patre generatio Verbi, quæ est opus et conceptio intellectus, quam spiratio Spiritus Sancti, quæ est opus voluntatis et amoris.

Rursum hæc exponi possunt de sapientia genita, quæ omnino eadem est cum Verbo et Filio, ac proinde relativa et notionalis, uti docet S. Augustinus lib. VII *De Trinit*. cap. II; Magister in I, *dist*. XXVIII, lit. F, et ibi Bonaventura et D. Thomas in I, *dist*. XXXII, art. 2. Hinc ex hoc loco, et ex cap. XXI, 14, inferebant Ariani Sapientiam genitam vere esse creatam, ac proinde filium Dei non esse Deum, sed creaturam. Verum respondet S. Athanasius serm. 3 *contra Arian*. et S. Cyrillus lib. V *Thesauri*, cap. VI, Sapientiam dici creatam, id est genitam. Creare enim in Scriptura sæpe idem est quod gignere, imo facere quomodolibet; adeoque hæc tria promiscue pro eodem sæpe usurpat S. Scriptura, uti per exempla ostendit S. Athanasius et Cyrillus. Addit S. Hilarius lib. *De Synodis*, anathematismo 5, quod Filii Dei productio nunc dicitur generatio, quia est productio in eadem substantia; nunc creatio, ut significetur productio sine mutatione creantis; vox *creavit* enim significat generationem Patris factam sine passione,

decisione, diminutione gignentis: « Sapientia, inquit, quæ se dixit creatam, eadem in consequenti se dixit et genitam, creationem referens ad parentis indemutabilem naturam, quæ extra humani partus speciem et consuetudinem, sine imminutione aliqua, ac demutatione sui creavit ex seipsa, quod genuit. Creantis enim opus non habet passionem, aut permixtionis, aut partus. Esse enim aliquando incipit, quod creatur ex nihilo. Et qui creat, efficit pro potestate, quod condit; et est opus virtutis creatio, non naturæ, ex natura gignente nativitas. At vero nativitas, legitimæ originis et genuinæ naturæ profectus est: ex natura enim generante naturam sumpsit genita natura. Sed, quia Dei Filius non corporalis partitudinis est genitus exemplo, sed ex perfecto Deo perfectus Deus natus est; idcirco ait creatam se esse Sapientia, omnes in generatione sua corporales passiones excludens. »

Denique Palacius Sapientiam ait dici creatam, id est, possessam a Deo, et, ut exponit Jansenius, apud Deum in rerum natura extitisse et substitisse; Siracides enim sequitur Septuaginta, qui, *Prov.* VIII, 22, pro *Dominus possedit me*, ut habent Hebræa et Noster, vertunt: *Dominus ἔκτισε*, id est, *creavit, me*, quasi τὸ *creavit*, idem sit quod *possedit*, per metalepsin; quæ enim creata et comparata sunt, eadem a creante et comparante possidentur. Est igitur hæc tertia sapientiæ laus, quod ipsa sit tota possessio Dei; digna illa quidem tanto possessore; dignus ille tanta possessione. Igitur ab æterno Deus tanta possessione fuit dives et felix. Verum de hoc dicendum *Prov.* VIII, 22.

Secundo. *Secundo*, Sapientia creata proprie, *prior* fuit *creata ab ævo*, id est, ab initio seculi et temporis, quando Deus eam condidit, indiditque Angelis et Adæ; item cœlis, terræ, elementis, omnibusque rebus creatis: omnia enim in numero, pondere et mensura creanda disposuit. Ita S. Augustinus lib. XII *Confess.* cap. XV, per sapientiam accipit Angelos primo a Deo creatos: « Sapientia, inquit, quæ creata est, intellectualis est natura, quæ contemplatione luminis lumen est; dicitur enim et ipsa, quamvis creata, sapientia, etc. Ergo, quia prior omnium creata est quædam sapientia, quæ creata est mens rationalis et intellectualis castæ civitatis tuæ, matris nostræ, quæ sursum est, et libera est, et æterna in cœlis; etsi non invenimus tempus ante illam, quia et creaturam temporis antecedit, quæ prior omnium creatura est; ante illam tamen est ipsius Creatoris æternitas, a quo facta sumpsit exordium, quamvis non temporis, quia nondum erat tempus; ipsius tamen conditionis suæ. » Videtur hic sentire S. Augustinus Angelos creatos esse ante mundum et tempus, quod olim plures Patres Græci senserunt; sed jam ex Concilio Lateran. certum est eos non ante, sed simul cum mundo creatos esse, ut ostendi *Genes.* cap. I.

Rursum et potius sapientia *ab ævo*, id est, ab æterno, *creata*, id est, creari decreta est; prædestinata enim a Deo fuit ejus creatio ab æterno: hanc enim, ut derivatam a sua prima et increata Sapientia, ac suo tempore creationi applicandam, et creaturis communicandam ab æterno intellexit, suoque intellectui ac voluntati objecit Deus, volens eam creare juxta rationes et modos ab intellectu sibi propositos. Ita D. Thomas I p. *Quæst.* XLI, art 3. Sic enim Hebræi sæpe usurpant verba realia pro mentalibus aut verbalibus: ut, cum Apostolus, II *Timoth.* I, vers. 9, ait gratiam Christi ante tempora sæcularia nobis esse datam, id est, dari decretam et prædestinatam. Et Jeremias, cap. I, 10, ait se constitutum super regna, ut ea evellat, destruat et disperdat, id est, evellenda, destruenda et disperdenda prænuntiet et quasi vice Dei decernat. De sapientia creata accipere videtur Syrus, dum vertit: « Super hæc omnia (puta, super arenam maris, pluviæ guttas, dies sæculi, altitudinem cœli, latitudinem terræ, ac abyssum, de quibus sermo præcessit) multiplicata est sapientia, et roborata est (vel prævaluit) fides ab ante,» vel ab initio. Ubi sapientiam videtur interpretari fidem, sicut noster interpretatur intellectum prudentiæ; quia fides docet et suggerit dictamina sapientiæ et prudentiæ. Arabicus Syro consentit, vertitque: « Magis quam hæc omnia multiplicata est sapientia, confirmata est fides. »

Maxime vero creata, id est, creari prædestinata est Sapientia incarnata, puta, Christus homo. Huic enim proprie competit esse creatum in tempore secundum humanitatem, et ab æterno esse genitum secundum divinitatem. Ita Rabanus hic, ac S. Athanasius serm. 3 *Contra Arian.*; Nazianzenus orat. 4 *De Theol.*; Cyrillus lib. V *Thesauri*, cap. IV, et S. Augustinus lib. V *De Trinit.* cap. XII. Rursum, Christus prior omnium creatus est, et, ut ait Sapiens *Prov.* VIII, 22, fuit *initium*; hebr. *rescit*; græce, ἀρχὴ, id est, principium et principatus, « viarum Domini; » quia Dominus Christo operum suorum primatum addixit, fecitque ipsum caput omnium suarum prædefinitionum, prædestinationum et prædestinatorum, effectorum, creaturarum, donorum, gratiarum et virtutum, quas ab illo et per illum in cæteros Sanctos, quasi per influxum capitis in membra derivat. Unde S. Ambrosius lib. *De Interpellatione Job*: « Soli Christo, inquit, servabatur magnarum prærogativa virtutum, quia ipse est virtutum principium, sicut dixit: Dominus creavit me principium viarum suarum. » Et S. Basilius in *Apolog. ad Cæsarianos*: « Christus, inquit, principium Evangelicarum viarum nominatur, quæ nos deducunt ad regnum, » ut per nos ruinæ Angelorum, æque ac hominum, instaurentur et reparentur.

Tertio, sapientia, id est, sapientiæ objecta et dictamina ab æterno fuere creata, id est, elicita et dictata a mente Dei; ac decreta, ut in tempore crearentur, ac communicarentur Angelis, hominibus, cæterisque creaturis. Tertio.

Rursum aliqui sic exponunt: Sapientia creata est prior omnium, hoc est, sapientia facta est prior omnium; sapientia præfecta est omnibus; sapientia donata est hac dignitate, ut esset prior et princeps omnium; ut, scilicet, ipsa esset idea, exemplar, et architecta omnium rerum creandarum; verbum enim *creo*, subinde idem est quod *præficio*, ut cum dicimus: Rex creat principes, duces, magistratus. Unde Syrus vertit: Super omnia hæc multiplicata est sapientia, et prævaluit. Sic illud *Prover.* VIII, 22: «Dominus creavit me initium viarum suarum; » juxta Septuag. S. Athanasius *ad decreta Nicænæ Synodi* sic exponit: « Dominus præfecit me operibus suis incipiendis rebusque inchoandis. » Huncque maxime genuinum esse loci illius sensum, censet noster Salazar. Sed ille huic loco non ita congruit. Nam explicans subdit Siracides: « Et intellectus prudentiæ ab ævo. » Agit ergo de prioritate ævi et temporis, non præeminentiæ et præfecturæ. Sensus ergo jam datus potius est ætiologicus et causalis, quam proprius et formalis. Causa enim et finis, cur prior creata sit sapientia, fuit, ut ipsa esset cæterorum omnium creandorum et agendorum idea, exemplar, causa et architecta.

ET INTELLECTUS PRUDENTIÆ. — Vatablus : « Et prudens intelligentia. » Jam dixi can. V, sapientiam nunc vocari intellectum, nunc prudentiam, nunc scientiam, etc. Sapientia enim vocatur, quatenus sapit res veras et cœlestes, vereque facit sapientem. Eadem dicitur intellectus, vel intelligentia, quatenus sublimis est, et non nisi intellectu ab Angelis et hominibus intelligentibus percipitur. Eadem dicitur prudentia, quatenus prudenter dirigit actiones hominis et Angeli ad bonum, honestum et debitum finem. Unde Platonici, quos sequitur S. Augustinus, dicebant rationem nostram, cum contemplatur summa, vocari rationem et sapientiam; dum vero curam habet de infimis, vocari prudentiam. Sensus ergo est, *q. d.* Dei sapientia non solum divina aspicit, ut sapientia; sed etiam ad humanam miseriam et ignorantiam se demittit, ut eam doceat prudenter agere, eaque ratione prudentiæ rationem et nomen induit. Rursum Palacius : Intellectus, ait, idem est quod acumen; *q. d.* Sapientia est acumen prudentiæ quod fuit ab æterno; sapientia enim est sublimitas et immensitas prudentiæ. Sic dicitur, vers. 24 : « Scientiam et intellectum prudentiæ sapientia compartietur, » id est, sapientia dat scientiam et acumen prudentiæ.

AB ÆVO. — Id est, ab omni æternitate, vel ab omni tempore imaginario, quod mente fingimus æternitati coexstitisse, id est, ut Apostolus loquitur, a temporibus æternis, *Rom.* XVI, 25. Fuit enim ab æterno sapientia increata in Deo formaliter; creata vero fuit in eo eminenter, objective, exemplariter et efficienter, sive ut in causa exemplari et efficiente, uti jam dixi. Hæc est quarta sapientiæ laus, scilicet, quod sit æterna.

Futura non sunt realiter præsentia æternitati.

Ex dictis liquet Dei sapientiam non cognoscere futura, quæ necdum in tempore existunt, ex eo quod illa realiter præsentia sint ævo, sive æternitati : hæc enim realis presentia aliud esse nequit, quam realis coexistentia cum æternitate. Atqui res futuræ non coexistunt æternitati, antequam existant in seipsis secundum esse suum creatum; coexistere enim alteri supponit existere in se, tanquam quid prius. Unde non coexistunt æternitati, nisi suis temporibus, dum singula suo ordine promuntur, et suas essendi vices subeunt. Quare hæc coexistentia nihil juvat ad illa intuenda tanquam præsentia, priusquam fiant, et multo minus ut videantur ab æterno; oportet enim illa non solum coexistere æternitati, sed coexistere ab æterno, ut ab æterno tanquam præsentia videri possint.

Nec obstat, quod æternitas ambiat totum tempus; quia non ambit simul toti tempori coexistendo: coexistit enim illi successive, non successione sui, sed temporis. Allabuntur enim novi dies prioribus præterlabentibus; et dum hic dies præsens est, coextitit æternitati secundum aliquid indivisibile sui, sed cras non coexistet, sicut nec heri coextitit : sicut in flumine allabuntur novæ aquæ, et tangunt rupem flumini insidentem; sed statim transeunt, nec redeunt amplius. Totus rerum cursus ab initio mundi usque ad finem, est instar fluminis, sub æternitate, tanquam sub rupe quadam immobili, transeuntis. Itaque, sicut rupes illa non simul coexistit, nec simul tangit omnes fluminis partes, sed successive: sic nec æternitas simul rebus omnibus coextitit, sed successive, prout illæ successive esse accipiunt.

Radix ergo et origo, cur Deus omnia videat et prævideat, est infinita efficacitas oculi divini, cujus radius se extendit per totum tempus, tangens et incurrens in omnia, quæ in aliqua parte temporis existunt: quo enim vis visiva est major, eo longius se extendit. Sicut igitur oculus corporeus maximæ acrimoniæ in altissima specula constitutus, simul videret totam viam, et omnes in principio, medio, vel fine viæ constitutos : ita oculus divinus, super omnia temporalia et mutabilia elevatus, fertur in totum temporis decursum, et in omnia, quæ per totum tempus fiunt, singula ab æterno quasi tangens, secundum loca et tempora, quibus esse accipiunt. Nec aliter illa videt, cum jam sunt, quam antequam essent, aut cum esse desierint; sed semper eodem modo illa intuetur, secundum omnem statum, quem toto temporis successu habent. Quare, etsi continua in rebus sit variatio, in visione tamen illius non est ulla successio, sed summa immutabilitas. In hac visione, quam et *præsentiam* vocamus, omnia sunt facta, quæ futura sunt : « Ordo temporum, inquit D. Prosper *sentent.* 57, in æterna Dei sapientia sine tempore est, nec aliqua apud illum sunt nova, qui fecit

quæ futura sunt. » Ita noster Lessius *De Attrib. divin.*, lib. *De Æternitate Dei*. Deus enim, ex altissima æternitatis specula, omnes seculorum temporumque decursus prospicit, et eminus quasi cominus intuetur.

Vers. 5. Fons sapientiæ, verbum Dei quod?

5. FONS SAPIENTIÆ, VERBUM DEI IN EXCELSIS. — *q. d.* Verbum Dei excelsi in cœlis excelsis habitans, est fons sapientiæ. Solet in Script. sapientia comparari aquæ, flumini, mari, ob multas ejus cum his analogias; quia scilicet, sicut aqua aridam, plantas et homines sitientes; sic sapientia mentes aridas et sitientes irrigat, saturat, inebriat, vivificat, lætificat, imprægnat, fecundat. Unde illud cap. XXIV, 40 : « Ego sapientia effudi flumina; ego quasi trames aquæ immensæ de fluvio; ego quasi fluvii Dioryx, et sicut aquæductus exivi de paradiso. » Ita hic eidem illam comparat Siracides, *q. d.* Sicut aqua in visceribus terræ collecta erumpit in fonte, ibique primo se ostendit et communicat, ut sit et vocetur fons aquarum, ex quo hinc inde rivuli derivantur : ita sapientia primitus collecta in Deo (in eo enim suam habuit originem et collectionem, ut dixi vers. 1), primo se communicavit et quasi erupit in Verbo, illudque constituit fontem sapientiæ, ex quo omnes ejus rivuli in homines, Angelos, cæterasque creaturas derivarentur. Verbum Dei est duplex : essentiale, commune toti S. Trinitati; et notionale, proprium Filio. Verbum enim mentis est ipsa mentis conceptio et intellectio. Sicut ergo conceptio et intellectio in divinis est duplex : essentialis, qua intelligit omnia Pater, Filius et Spiritus Sanctus; et notionalis, qua dicitur et prodicitur Filius, sic prorsus est et Verbum.

Respondeo Primo.

Magis tamen proprie accipias Verbum notionale, sive Filium cum S. Augustino lib. XV *De Trinit.* cap. XI, quia hic proprie dicitur Verbum, estque fons sapientiæ manans a Patre. Ejus vero meminit, ut significet sapientiam homini petendam a Christo, qui est Verbum Dei cœleste, ab omni impuritate terrestri alienum, rectum, sanctum et perfectum, a quo proinde manant mandata æterna, quæ scilicet in se firma et constantia sunt, durantque semper, ac sui observantem deducunt ad beatam æternitatem. Verbum ergo essentiale est ipsa conceptio, et jussio Dei, qua scilicet omnia in sapientia dixit, jussitque fieri dicens : Fiat lux, sol, sidera, homines, animantia, etc. Genes. I, ac illico facta sunt. Simile est Verbum notionale : utrumque increatum est. Divine S. Dionysius *De Divin. Nomin.* cap. VII : « Verbum, inquit, Deus cum laude appellatur a Scriptis divinis, non solum propterea quod et verbum, seu rationem, et mentem, et sapientiam suppeditet; sed etiam quod omnium causas in se æquabiliter anticipatas habeat, quodque per omnia vadat, pertingens, ut scriptum est (Sapient. VIII), usque ad finem omnium. » Ac post pauca subdit : « Hoc verbum est simplex vereque existens veritas : circa quam ut puram, et nusquam aberrantem universorum cognitionem fides divina consistit, stabile credentium firmamentum; quæ quidem hos in veritate collocat, atque in ipsis collocat veritatem identitate quadam nunquam dissuasibili. » Hæc est quinta sapientiæ laus, quod ipsa sit intellectio et verbum mentis divinæ, quo Pater se et omnia cognoscendo, se et omnia dixit. Eructavit enim Pater verbum bonum, *Psalm.* XLIV. 1.

Secundo

Posset secundo hic accipi verbum creatum, puta, lex creaturis omnibus decreta, dataque a Deo; lex, inquam, tum naturalis, uti est lex cœlorum, aquæ, ignis, id est, status eorum, cursus et ordo eis præfixus et inditus a Deo, juxta illud : « Ordinatione tua perseverat dies, » Psal. CXVIII, 91. Et : « Statuit ea in æternum, et in seculum seculi, » *Psal.* CXLVIII, 6. Tum moralis, uti est lex naturalis et positiva data hominibus et Angelis : hæc enim eos deducit ad fontem sapientiæ, imo est eis fons et scaturigo sapientiæ. Ita Pineda lib. III *De Rebus Salom.* cap. XXVI, n. 6. « Fons, inquit, sapientiæ Verbum Dei in excelsis : et ingressus (viæ, aditus, itinera) illius, mandata æterna » (quæ perpetuo servanda præcipit supremus legislator Deus) : sicut enim eadem via est, iter idem, idemque impetus humanæ mentis per mandatorum custodiam ad promerendam sapientiam, et videndum primum illum atque celsissimum divinæ lucis fontem : ita idem ejusdem a Deo sapientiæ hominibus communicatæ effluxus est et cursus, per eadem mandatorum itinera spatientis et excurrentis, et nunquam a Deo, id est, a sua scaturigine aberrantis; sicut scriptum est *Joan.* VI : « Omnis, qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me. » Quod si sapientiæ rivulus totus insumatur, vel in quærendis terrenis opibus, vel in consectandis vitæ animalis voluptatibus, vel in ambiendis vanissimis honoribus, ac nihil divinum quærat : « non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. Quæ autem desursum est sapientia, plena fructibus bonis, » etc. *Jacob.* cap. III, 15.

Tertio.

Denique Palacius explicat, *q. d.* Verbum Dei est fons, puteus, mare et oceanus sapientiæ : Nam, ut ait S. Augustinus serm. *De Samaritana*, « Omnis puteus fons est : ergo Verbum Dei, quod mare est sapientiæ, utique et fons erit sapientiæ. » S. Gregorius Nazianzenus vero orat. *De Theolog.* « Hæc tria inquit, distinguuntur, fluvius, fons, oculus fontis. Fluvius manat ex fonte; fons efficitur ex oculo; ex oculo bullit aqua, quæ facit fontem; e fonte prodit aqua, quæ efficit rivum. » Apte ergo Verbum nuncupatur fons ex oculo, id est, ex mente Patris emanans : mens enim Patris est quasi oculus semper apertus ad intuendum se, et intelligendum omnia. Ex hoc fonte, puta Verbo, manant rivi, id est, creaturæ omnes.

Scrutati sunt veteres per multa annorum sæcula fontem seu originem Nili, nec potuere reperire. Unde Lucanus lib. X:

> Arcanum natura caput non prodidit ulli,
> Nec licuit populis parvum te, Nile, videre,
> Amovitque sinus, et gentes maluit ortus
> Mirari, quam nosse tuos.

Origo Nili in Congo. Nostro tandem sæculo cognitum est, Nilum oriri apud Æthiopes, puta, in quodam Africæ lacu in regno Congensi, uti observarunt Lusitani, qui illa loca lustrarunt.

Magis scrutati sunt Philosophi fontem sapientiæ, sed irrito conatu. Illum ergo hic Siracides designat, indicatque esse Verbum Dei in excelsis; ut significet, frustra quæri in terris, cujus scaturigo est in cœlis : in Æthiopia, inquam, hoc est, in splendore et ardore divino SS. Trinitatis, juxta illud *Psalm.* CIX, vers. 3: « Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum : ex utero ante luciferum genui te. » Ait ergo : « Fons sapientiæ, Verbum Dei in excelsis, » *q. d.* Verbum Dei Patris æternum, fons est omnis sapientiæ, a quo omnes creaturæ, omnes Angeli et homines suos sapientiæ rivulos hauriunt et mutuantur. Porro fons hic sapientiæ divinæ suum habet in Deo et Verbo objectorum ordinem, juxta nostrum modum intelligendi. In *primo* enim signo rationis, fertur in divinam essentiam et personas divinas : in *secundo*, in omnia possibilia : in *tertio*, in omnia opera possibilia rerum possibilium : in *quarto*, in omnia futura ex hypothesi : in *quinto*, in omnia futura absolute. Unde merito dictum a Propheta : « Sapientiæ ejus non est numerus. »

Quocirca omnes res creatæ, vel creandæ et possibiles, sunt in divina essentia, tanquam in primordiali rerum fundo et fundamento; in potentia, ut in causa effectrice ex nihilo; in sapientia formaliter et objective, et velut in causa exemplari.

Ordo cognitorum in Deo. Sapientia primo, in essentiam conversa, eam omnino comprehendit, se illi exæquans, et prorsus commetiens. Ex vi hujus comprehensionis sequitur immediate omnium possibilium conceptio, seu effictio: ex hac omnium operum et effectuum, quæ a creatura, tam possibili quam existente, fieri possunt, distincta notitia : hinc omnium eorum, quæ quavis hypothesi futura essent, clara intuitio : denique omnium reipsa, vel præsentium, vel præteritorum, vel futurorum æterna visio. Hoc modo et ordine sapientia Dei in quinque velut sphæras objectorum et intelligibilium procedit; et quidquid attingit reliquorum, ex vi comprehensionis essentiæ attingit, quæ omnium possibilium ratio prima est et fundamentum. Itaque in Deo est non solum universitas sapientiæ et intelligentiæ, sed etiam universitas objectorum et intelligibilium.

Moraliter S. Augustinus in *Psalm.* XXXV, vers. 10: « Quoniam apud te est fons vitæ : et in lumine tuo videbimus lumen. Quis est, ait, fons vitæ, nisi Christus? Venit ad te in carne, ut irrigaret fauces tuas sitientes. Satiabit sperantem, qui irrigavit sitientem. Quoniam apud te est fons vitæ : et in lumine tuo videbimus lumen. Hic aliud est fons, aliud lumen : ibi non ita. Quod enim est fons, hoc est et lumen. Fons est, quia satiat sitientes : lumen, quia illuminat cæcos : ibi non fatigaberis, quia fons est : non tenebraberis, quia lumen. » Idem in *Psal.* XLI, 1: « Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Eia, fratres, ait, aviditatem meam capite, desiderium hoc meum communicate, simul amemus, simul in hac siti exardescamus, simul ad fontem intelligendi curramus. Desideremus ergo velut cervus fontem. » Et inferius : « Curre ad fontes : desidera aquarum fontes. Apud Deum est fons vitæ, et insiccabilis fons : in illius luce lumen inobscurabile. Lumen hoc desidera; quemdam fontem, quoddam lumen, quale non norunt oculi tui : cui lumini videndo oculus interior præparatur, cui fonti hauriendo sitis interior inardescit. Curre ad fontem, desidera fontem : sed noli utcumque; noli, ut qualecumque animal currere : ut cervus curre. Quid est, ut cervus? Non sit tarditas in currendo, impigre curre, impigre desidera fontem. Inveniemus enim insigne velocitatis in cervo. » Et post nonnulla, suggerit obicem hujus cursus ad sapientiam tollendum, scilicet, concupiscentias : « Quomodo inquit, concupiscis fontem sapientiæ, cum adhuc laboras in veneno malitiæ? Interfice in te quidquid contrarium est veritati : et cum te videris tanquam vacare a cupiditatibus perversis, noli remanere, quasi non sit quod desideres : est enim aliquid quo te tollas, si jam egisti in te, ut non sit impeditor contra te. »

IN EXCELSIS. — Potest hoc accipi quasi epithetum Dei, *q. d.* « Verbum Dei qui celsissimus est, » ita Tigurina; aut ut epithetum sapientiæ, indicans ejus situm et locum, *q. d.* Fons sapientiæ non oritur in imis terræ vallibus, sed in excelsis cœlorum montibus, indeque in terram defluit : quia fons hic non est terrenus, sed cœlestis et divinus, puta, Verbum Dei.

Ingressus sapientiæ, mandata æterna, quo sensu? Respondeo Primo. ET INGRESSUS EJUS (πορείαι αὐτῆς, id est, viæ ejus, scilicet, sapientiæ, per quas ipsa incedit et egreditur, sunt) MANDATA ÆTERNA. — Persistit in metaphora aquæ et fontis, *q. d.* Sicut fons per certas vias, semitas, alveos et canales labitur et defluit in vicinos agros et vineas; ita fons sapientiæ, puta, Verbum Dei, per certas vias et canales sapientiam eructat et derivat in homines, Angelos, omnesque creaturas : viæ hæ, sive canales, sunt mandata Dei æterna, puta, æternæ Dei ordinationes et constitutiones; et, ut S. Augustinus ait lib. IX *Civit.* XXII, sunt æternæ Dei leges, quæ in ejus sapientia et Verbo vivunt, in quibus Angeli cursum et ordinem mundi, suumque et hominum legunt, discuntque, quid sibi, quid hominibus

facto sit opus, ut sapienter secundum Dei legem vivant, quo sancte vitam transigant, et beatam vitam ac æternitatem cœlestem assequantur. Sicut enim vers. præc. ostendit sapientiæ originem et statum; ita hic ostendit ejusdem ad creaturas progressum et profluxum. Hæc est sexta laus sapientiæ.

Secundo. *Secundo,* Jansenius sic explicat, *q. d.* Ingressus, sive viæ, id est, modi et rationes, juxta quos sapientia in gubernandis creaturis procedit, sunt fixæ et perpetuæ instar mandatorum æternorum; quia ipsæ sunt perpetuæ Dei ordinationes, mandata et decreta, quas Deus homini, Angelo et singulis creaturis quasi legem vivendi et agendi præstituit et præfixit, juxta quas sapientia ingrediendum et vivendum exigit. Hic sensus ex parte convenit cum primo.

Tertio. *Tertio,* alii, *q. d.* Ingressus, id est, viæ, quæ ducunt ad sapientiam, sunt mandata Dei in æternum duratura. Vis ergo sapientiam consequi? vis iter ad eam nosse et capessere? serva Dei mandata: hæc te recta ad illam ducent. Sicut enim via vitæ vocatur via ad vitam: sic via sapientiæ vocatur via ad sapientiam. Unde Tigurina non tam ad verbum quam paraphrastice vertit: « Fons sapientiæ, sermo Dei excelsissimus est; et aditus, sempiterna ejus præcepta. » Sic et Palacius.

Quarto. *Quarto,* Lyranus: Fons, ait, totius sapientiæ creatæ est Verbum Dei, quod ingrediens in montem Sina dedit Judæis mandata Decalogi, quæ sunt æterna; quia juris naturæ, ideoque semper obligant et durant.

Allegor. Allegorice Rabanus, et S. Bernardus serm. *in Nativit. B. Mariæ,* de Aquæductu: Fons sapientiæ Evangelicæ est Verbum incarnatum. Unde, cum Verbum per carnem assumptam ingressum est in orbem, dedit ei mandata æterna, puta, præcepta Evangelii. Lex enim Evangelii post legem naturæ et Mosaicam est tertia et ultima; nec ei alia succedet, sed durabit in æternum, suosque cultores transcribet cœlo, et beatæ æternitati. Unde S. Fulgentius lib. *Ad objectiones Arian.* in III resp.: « Quod, inquit, initium viarum Domini creatus est Filius, quid est aliud, nisi quod ipse via nobis est factus, ut eo duce et rectore per adoptionis, quam recepimus, gratiam, ad virtutum nobis profectum pateret ingressus. » Quocirca S. Justinus philosophus et martyr sub annum Christi 130, cum, quærens sapientiam, varias philosophorum sectas pererrasset, et nullibi eam invenisset, a sene quodam sibi apparente audivit: « Id quod tam anxie quæris, non nisi in schola Christi fas est reperiri. At tu votis et precibus tibi ante omnia lucis portas aperiri opta: neque enim ab aliquibus perspiciuntur aut intelliguntur, præterquam si Deus et Christus eis concesserit intelligentiam. » Huic credens et obediens Justinus, et christianus, et philosophus, et martyr effectus est. Ita ipse refert *Dialogo* cum Tryphone.

Et Origenes, homil. 3 *in Josue*: « Incarnatio, inquit, Salvatoris non nobis merum ingessit et integrum deitatis aspectum; sed tanquam per fenestram fecit nos per incarnationem suam lumen deitatis aspicere. » Accedit Hugo, qui minutim multiplices hos Sapientiæ incarnatæ, puta, Christi, ingressus recenset. Primus, inquit, est in uterum Virginis Deiparæ per incarnationem; secundus est in mundum, per nativitatem; tertius in Jordanem, per declarationem: baptizatus enim a Joanne in Jordane, eo indicante, et Patre e cœlis detonante: « Hic est Filius meus dilectus; » agnitus fuit esse Dei Filius, et Messias; quartus in infernum, ad patrum liberationem; quintus in cœlum, per ascensionem.

Tropologice multiplices, varii et incomprehen- Tropol.
sibiles sunt Dei ingressus in animam, quibus eam ad se trahit, illuminat, immutat, evehit, inflammat. Sic S. Paulum vocavit per se visibiliter, eum fulgure siderans et prosternens, *Act.* IX, 3. Cornelium vocavit per Angelum, *Act.* X, 3. Eunuchum Candacis reginæ vocavit per Philippum, *Actor.* VIII, 29. Alios vocat per flagella, alios per beneficia: hos per præceptores et concionatores; illos per libros et exempla Sanctorum, uti vocavit S. Augustinum. Sancti et contemplativi miros Dei ingressus, instinctus, elevationes, raptus, quibus eos docet praxes omnium virtutum, modos orandi, contemplandi, etc., sentiunt, nec eos comprehendere possunt.

6. RADIX (Syrus vertit, *radices*; et Arabicus, Vers. 6.
fundamenta, in plurali) SAPIENTIÆ CUI REVELATA EST, ET ASTUTIAS ILLIUS QUIS AGNOVIT? — *q. d.* Nemo sapientiæ originem, rationes et modos plene cognoscit: quia radix sapientiæ est Deus, quem nemo perfecte intelligit; licet ramos quosdam sapientiæ a Deo in se derivatos, aliquo modo quisque cognoscat. Unde Lactantius lib. III *De Falsa sapientia,* cap. VI: « Ubi ergo, inquit, sapientia est? ut neque te omnia scire putes, quod Dei est; neque omnia nescire, quod pecudis: est enim aliquid medium, quod sit hominis, id est, scientia cum ignoratione conjuncta et temperata. Scientia in nobis ab anima est, quæ oritur e cœlo: ignoratio a corpore, quod est e terra. Unde nobis et cum Deo, et cum animalibus est aliqua communitas. Ita, quoniam ex his duobus constamus elementis, quorum alterum luce præditum est, alterum tenebris; pars nobis data est scientiæ, pars ignorantiæ: per hunc quasi pontem transire sine cadendi periculo licet. » Alii per radicem sapientiæ intelligunt timorem Domini: hic enim statuitur initium sapientiæ: pauci enim illo ævo cognoverunt Deum, Deique timorem, id est, religionem et cultum.

« *Astutias,* » vel, ut Vatablus, *calliditatem,* Græce πανουργεύματα, in bonum capit Siracides, æque ac Septuaginta in Proverbiis: hos enim sequitur. Ita D. Thomas I II, *Quæst.* XIX, art. 7, ad 2: « Dicendum, inquit, quod timor Dei comparatur

ad totam vitam humanam per sapientiam Dei regulatam, sicut radix ad arborem. Unde dicitur *Eccli.* I: Radix sapientiæ est timere Dominum. Rami autem illius longævi. Et ideo, sicut radix virtute dicitur esse tota arbor: ita timor Dei dicitur esse sapientia. »

« *Astutias,* » ergo vocat rationes sapientes, cautelas, circumspectiones, quas Deus ubique in operibus suis faciendis et gubernandis adhibet: has enim nemo plene pervestigare et comprehendere potest. Unde Syrus vertit, « arcana intelligentiæ quis cognoscit? » Idipsum repræsentarunt Ægyptii hieroglyphico Isidis, sive Minervæ Saitanæ, in cujus templo hæc erat inscriptio: « Ego sum omne quod fuit, est, et erit; et meum peplum nullus adhuc mortalium evolvit: quem peperi fructum, sol est, » uti ex Plutarcho et Proclo refert noster Nicolaus Causinus lib. I *Parabol. hist.* cap. LVI: hæc enim Isis, sive Minerva, erat symbolum sapientiæ cœlestis. Hoc est, quod de sapientia canit Baruch cap. III, 15: « Quis invenit locum ejus, et quis invenit thesauros ejus? Ubi sunt principes Gentium, qui in avibus cœli ludunt? qui argentum thesaurizant, et aurum, etc. Viam autem disciplinæ ignoraverunt. Non est audita in terra Chanaan, neque visa est in Theman. Filii quoque Agar, qui exquirunt prudentiam, quæ de terra est, etc.; viam autem sapientiæ nescierunt. »

Quocirca Lactantius lib. III *De Falsa sapientia,* impugnat Philosophos, qui se sapientiam invenisse jactitabant; ac inter alia cap. XVI: « Quando, inquit, Philosophi esse cœperunt? Thales (ut opinor) primus: recens hæc quidem ætas. Ubi ergo apud antiquiores latuit amor iste investigandæ veritatis? » Et mox: « Seneca, nondum sunt, inquit, mille anni, ex quo initia sapientiæ nota sunt. Multis ergo seculis humanum genus sine ratione vixit. Quod irridens Persius: Postquam, inquit, sapere urbi cum pipere et palmis venit: tanquam sapientia cum saporis mercibus fuerit invecta; quæ secundum hominis naturam est, cum homine ipso cœperit necesse est: si vero non est, nec capere quidem illam posset humana natura. Sed, quia recepit; igitur a principio fuisse sapientiam necesse est. Ergo Philosophia, quia non a principio fuit, non est eadem vera sapientia: sed, videlicet, Græci, qui sacras veritatis Litteras non attigerant, quemamodum depravata esset sapientia, nesciverunt. Et ideo cum vacare sapientia humanam vitam putarent, Philosophiam commenti sunt, id est, latentem atque ignotam sibi veritatem disserendo eruere voluerunt, quod studium, per ignorantiam veri, sapientiam putaverunt. » Septima est hæc sapientiæ laus, scilicet, quod ipsa hominibus et Angelis sit incomprehensibilis.

Allegor: Radix sapientiæ B. Virgo est.

Allegorice, radix sapientiæ est B. Virgo Deipara: hæc enim est mater Sapientiæ incarnatæ, puta, Christi. Unde a Patribus vocatur, et in Litaniis invocatur *radix sapientiæ,* quam Deus creavit in Spiritu sancto, ut dicam vers. 9. Hujus enim admirabilem conceptionem, nativitatem, præsentationem, vitamque angelicam in templo, annuntiationem, partum Verbi, etc., virtutes, dotes, prærogativas, excellentias, prudentiam et sapientiam nemo comprehendit; præsertim, quia ipsa sola Verbi incarnationem, nativitatem, infantiam, sapientiam, vitam et gesta per experientiam ocularem, auritam, sensibilem, et multo magis mentalem, puta, per illustrationem intellectus, et ardores voluntatis sibi a Verbo intra se concepto, et jugiter sibi præsente assidue immissos cognovit, eaque S. Lucæ, ut ea in Evangelio conscriberet, ac Apostolis et fidelibus revelavit. Unde S. Thomas I *part., Quæst.* XXV, art. 6, ad 4, quærens, an Deus possit creare creaturas perfectiores quam crearit, et illis rursum alias et alias perfectiores in infinitum, respondet posse; sed excipit tria, scilicet, incarnationem Verbi, maternitatem Virginis Deiparæ, et beatitudinem nostram, quæ sita est in visione et fruitione Dei: hæc tria enim, cum Deum involvant, imo pro objecto habeant, hinc nihil iis potest a Deo fieri melius; alioqui enim Deo aliquid esset præstantius. Quare sicut non potest esse perfectior homo, quam Christus, utpote homo Deus; nec perfectior felicitas, quam visio et possessio Dei: sic nec perfectior potest a Deo fieri mater, quam mater Verbi, utpote, Dei. « Quare hæc tria, inquit, habent quamdam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus: ex hac parte non potest aliquid fieri melius eis, sicut non potest aliquid melius esse Deo. » Denique ipsa est radix sapientiæ: quia illam supereminentem a Deo sibi infusam, Apostolis, cæterisque fidelibus communicavit, et indies se invocantibus communicat, uti communicavit S. Gregorio Thaumaturgo, jubens S. Joanni, ut illi traderet Symbolum formulamque fidei, quam Origeni, Ario et hæreticis opponeret. Item Alberto Magno, Ruperto Abbati Tuitiensi, S. Thomæ Aquinati, aliisque pluribus. De hoc plura cap. XXIV, vers. 6 et sequent.

7. DISCIPLINA SAPIENTIÆ CUI REVELATA EST, ET MANIFESTATA? ET MULTIPLICATIONEM INGRESSUS ILLIUS QUIS INTELLEXIT? — Idem dicit aliis verbis, quod dixit vers. præcedenti: unde hic versus deest in Græcis Complut. Romanis, et cæteris, ac nonnullis Latinis. *Disciplina* ergo *sapientiæ,* est ipsa ordinata sapientiæ methodus, dispositio et ratio, qua cuncta sapienter et ordinate agit, constituit et disponit. *Multiplicationem ingressus,* sive viarum ejus vocat multiplices providentiæ ejus vias et rationes, quas tam variis creaturis varias, sed cuique congruas et proprias adhibet et adaptat. Pro his omnibus Syrus et Arabicus habent duntaxat, « Arcana, *vel* secreta, intelligentiæ quis cognovit, *vel* comprehendit? » Vers. 7.

8. UNUS EST ALTISSIMUS CREATOR OMNIPOTENS, ET REX POTENS, ET METUENDUS NIMIS, SEDENS SUPER THRONUM ILLIUS, ET DOMINANS DEUS. — « *Illius,* » Vers. 8.

non sapientiæ; Græce enim est masculinum, αὐτοῦ, sed Dei altissimi; « *illius* » ergo, id est, suum. Hebræi enim idem habent pronomen absolutum et reciprocum. Unde interpres Latinus unum cum altero sæpe permutat, ut dixi in procemio. Jam subaudi, *agnovit, intellexit,* nam quæstioni propositæ : Quis cognovit radicem, disciplinam, ingressus et vias sapientiæ? respondet, Solus Deus altissimus. Rationem addit a posteriori, et quasi indicium ex effectu, quod, scilicet, ipse sit *primo,* « creator omnium: » per sapientiam enim sapienter creavit omnia; *secundo,* quod sit « omnipotens: » omnipotentiæ enim directrix est sapientia; quia quidquid sapientia dictat sapienter posse fieri, hoc omnipotentia Dei efficere potest; *tertio,* quod sit « rex potens: » regi enim ad regendum opus est sapientia, eoque majori, quo majus est ejus regimen et potentia; *quarto,* quod sit « metuendus nimis,» puta, tremendus, venerandus et latria colendus, quem adorant Dominationes, et tremunt Potestates tanquam Numen, quod sapientissime et justissime omnia videat, provideat, præmiet, et puniat etiam gehenna et æternis ignibus : unde quasi judex et vindex sedet in throno suæ majestatis et gloriæ, quem describit Daniel cap. VII, 9, et S. Joannes *Apoc.* IV, 2, et Ezechiel cap. I, 26 : vide quæ illis locis annotavi; *quinto,* quod sit « dominans Deus, » ubique et semper, puta, in cœlo et in terra per omnia secula. Ad hunc enim immensum dominatum immensa requiritur sapientia et providentia, ut omnia combinet, adæquet, disponat juxta cujusque et totius Universi bonum.

Græca hic de more concisa sunt, sicque habent : « Unus est sapiens (in se et per essentiam) metuendus nimis, sedens super thronum suum.» Sic et Syrus : « Unus est et terribilis solus Deus, quia ipse dominator est super omnes thesauros ejus, » scilicet sapientiæ. Et Arabicus : « Unus est metuendus solus ipse, Deus dominans universis thesauris illius. » Septima ergo hæc est sapientiæ laus, quod, scilicet, tanta, tam sublimis, ampla et vasta sit, ut a nemine, nisi a solo Deo omnisciente et omnipotente, comprehendi possit. « Deus enim,» ait S. Anselmus in *Monologio*, cap. XV, « est summa essentia, et summa vita, summa ratio, summa salus, summa justitia, summa sapientia, summa veritas, summa bonitas, summa magnitudo, summa pulchritudo, summa immortalitas, summa incorruptibilitas, summa immutabilitas, summa beatitudo, summa æternitas, summa potestas, summa unitas. » Et S. Cyprianus, lib. *Quod idola non sunt* : « Mundi unus est rector, qui universa quæ sunt, verbo jubet, ratione dispensat, virtute consummat. Hic nec videri potest, visu clarior; nec comprehendi, tactu purior est; nec æstimari, sensu major est : et ideo sic eum digne æstimamus, dum inæstimabilem dicimus. » Et S. Bernardus, lib. V *De Consider.*:« Quid est Deus? Voluntas omnipotens, benevolentissima virtus, lumen æternum, incommutabilis ratio, æterna beatitudo. » Et infra : « Amat ut charitas, novit ut veritas, judicat ut æquitas, dominatur ut majestas, regit ut principium, operatur ut virtus, tuetur ut salus, revelat ut lux, assistit ut pietas, etc. »

9. IPSE CREAVIT ILLAM IN SPIRITU SANCTO. — Græca non habent τὸ *in Spiritu Sancto,* sed tantum : « Dominus ipse creavit illam. » Nonnulla Latina legunt : « Ipse creavit illam Spiritus. » Vers. 9.

CREAVIT. — Id est, elicuit, genuit, produxit, ut dixi vers. 4. Sed quomodo *in Spiritu Sancto?* nam Deus Pater non genuit Sapientiam, puta, Verbum, in Spiritu Sancto; sed potius per Verbum (ut ait S. Cyrillus lib. XII *in Joannem,* cap. LVI), et cum Verbo produxit et spiravit Spiritum Sanctum. Sapientia creata in Spiritu sancto, quo sensu?

Respondeo primo, creata sapientia, de qua magis hic loqui videtur Siracides, creata est in Spiritu sancto : quia Deus Pater per Spiritum, et per amorem, quo volebat se suaque bona communicare creaturis, eas creavit in sapientia, et cum sapientia, quam eis indidit. Hanc enim quasi architectam creationis constituit, « et effudit illam super omnia opera sua, » uti subdit vers 11. Rursum hanc sapientiam Deus « creavit » ab æterno, id est, creare decrevit et prædestinavit, concipiendo, scilicet, ideam mundi creandi, rerumque creandarum numerum et mensuram, ordinem et legem, præsertim quam Angelis et hominibus erat præscripturus, idque « in Spiritu Sancto, » id est, ex dilectione et amore creaturarum, Angelorum et hominum, qui amor attribuitur Spiritui sancto; quia Spiritus sanctus per voluntatem, et actum amoris notionalem Patris et Filii spiratur et producitur. Unde S. Athanasius, *Disput. contra Arium,* ex hoc loco probat Spiritum sanctum esse Deum. Hic sensus, uti facilis, obvius et congruus; ita valde appositus est et genuinus : Siracides enim, æque ac Salomon, de sapientia loquitur confuse et generatim. Unde quædam dicit de ea, quæ magis conveniunt increatæ, quædam quæ magis creatæ; et tale est hoc. Vult enim docere Deum ab æterno decrevisse creare creaturas in sapientia ex amore, qui appropriatur Spiritui Sancto, non autem ob proprium aliquod commodum; ideoque hunc Dei amorem fuisse purum et sanctum; ac proinde opus hujus amoris, puta, mundum, Angelos, homines, legesque et præcepta eis a Deo præstituta et præfixa esse pura, sancta et omnino irreprehensibilia. Quocirca Syrus et Arabicus,pro *creavit eam,* vertunt, *manifestavit eam.* Respondeo Primo:

Secundo, increata Sapientia, tam essentialis quam notionalis, creata, id est, producta et genita, est a Patre in Spiritu Sancto, id est, primo, ex spiritali sanctaque divinitate, et naturæ divinæ fecunditate quasi prodiit et emanavit : proprie enim essentialis Sapientia a Deo non est producta, nec genita, cum sit unum idemque cum Deo; sed nostro modo concipiendi dicitur producta Secundo:

eo sensu, quem jam assignavi. Nos enim concipimus et metimur divina quæ non videmus, ex humanis et creatis quæ videmus. In his autem videmus sapientiam creatam prodire et produci ex spiritali natura, et præstantia intellectus angelici et humani. Igitur simili modo concipimus Sapientiam increatam quasi prodire ex immensa excellentia divinitatis, ita Jansenius, nam Spiritus Sanctus dupliciter accipitur : *primo*, notionaliter, quasi proprium tertiæ personæ sanctissimæ Trinitatis; secundo, essentialiter, quomodo Deus Pater est Spiritus Sanctus : si est enim ipse Spiritus, est et sanctus. Unde quidam codices τὸ *Spiritum Sanctum* scribunt minusculo *s*. Romani tamen, Plantiniani, et cæteri scribunt majusculo, quasi sit nomen proprium Spiritus Sancti. Quare *secundo*, increata Sapientia (puta, Verbum) creata, id est, producta, est in Spiritu Sancto, « non principative, quia Spiritus Sanctus non est principium Filii, sed comitative, » ait Lyranus. Itaque *in Spiritu Sancto*, id est, cum Spiritu Sancto, hic enim a Patre Filioque producitur et procedit, ut intelligamus Spiritum Sanctum fuisse ab æterno simul cum Patre et Filio : Hebr. enim יב, id est, *in*, sumitur pro אם *im*, id est, *cum*, *apud*, *juxta*, cæterisque præpositionibus. Vel *in Spiritu Sancto*, quasi in fine et termino, *q. d.* Creatio, id est, productio Sapientiæ, id est, Verbi, non ibi stitit, sed ulterius processit, ac finita et terminata est in productione Spiritus Sancti; Pater enim gignendo Verbum, simul dedit ei fecunditatem spirativam, ut secum possit spirare et producere Spiritum Sanctum; hæcque vis in ratione Verbi includitur, adeo ut ipsum plane et per omnia perfectum non sit, donec spiret Spiritum Sanctum : in Spiritu Sancto enim terminatur omnis activitas, omnis productio interna deitatis, puta, Patris et Filii. Sic S. Augustinus lib. VI *De Trinit.* ait Patrem et Filium se invicem amare Spiritu Sancto, scilicet, amore, non essentiali et formali; sed notionali et producto, qui est finis et terminus amoris essentialis : « Nam Spiritus Sanctus, ait, est summa charitas, utrumque conjungens, nosque subjungens. » Et lib. V: « Communio quædam consubstantialis Patris et Filii, est amborum Spiritus Sanctus. » Sic idem Augustinus lib. LXXXIII *Quæst.* ait Patrem esse sapientem sapientia genita, non formaliter : sic enim sapiens est, sapitque et intelligit sapientia essentiali et ingenita, sed effective et terminative; quia, scilicet, ejus intellectio notionaliter producit sapientiam genitam, sive Verbum, in eoque terminatur. Unde idem Augustinus lib. XV *De Trinit.* et lib. I *Retract.* cap. XXVI, docet proprie dicendum esse, Patrem non esse sapientem sapientia genita (quia Pater non accepit sapientiam a Verbo, sed potius Verbum eam accipit a Patre), sed propria et ingenita.

Tertio. *Tertio*, Palacius sic exponit, *q. d.* Pater creavit, id est, possedit Filium, qui est in Spiritu Sancto, scilicet, cum quo est illi una natura : sicut enim Pater est in Filio, ita Filius est in Spiritu Sancto, ut significetur hic trium divinarum περιχώρησις, sive circuminsessio, de qua ex Damasceno alibi dixi. Cum enim una sit essentia trium personarum, hinc fit, ut Pater sit in Filio et Spiritu, et Filius sit in Patre et Spiritu, et Spiritus Sanctus sit in Patre et Filio, idque non tantum quoad essentiam unam et eamdem, quæ tribus personis communis est, uti voluit Durandus in I, *dist.* 19, et alii nonnulli; sed etiam quoad ipsam personam. Quia enim eadem prorsus et individua est tribus personis essentia, hinc fit ut non sola essentia, sed et per eam persona quælibet alteri inexistat, uti docent S. Bonaventura, Marsilius, Scotus, et alii passim in I, *dist.* 19; qua de re alibi plura dixi.

Quarto. *Quarto*, Theologi multi sic exponunt : Pater creavit, id est, genuit Sapientiam, puta, Verbum, ex cognitione Spiritus Sancti; quia genuit illud ex cognitione et comprehensione suæ essentiæ, et omnium quæ in ea sunt : in ea autem est fecunditas spirandi Spiritum Sanctum, et possibilitas creandi omne possibile : quare ex cognitione Spiritus Sancti, et creaturarum possibilium, pariter ac essentiæ divinæ, producitur et procedit Verbum, uti docet probabiliter Franciscus Suarez lib. IX *De Deo trino et uno*, cap. IV, V, VI, et alii, licet Gabriel Vasquez cum nonnullis id neget.

Allegor. Allegorice Sapientia incarnata creata est in Spiritu Sancto : quia incarnatio fuit opus, non viri, sed Spiritus Sancti. Unde in Symbolo dicimus : « Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine. » Quocirca Angelus conceptum annuntians, Virgini quærenti : « Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? » respondit : « Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. » *Luc* I, 35. Ita Rabanus. Rursum Sapientia, imo Sapientiæ æternæ mater, est B. Virgo : hanc creavit Deus in Spiritu Sancto, quia simul creata et repleta Spiritu Sancto fuit, uti decebat matrem Dei mox futuram, ideoque in gratia omnes homines et Angelos superavit : quare ejus gratiam solus Deus « dinumeravit et mensus est, » juxta illud *Prov.* ultim.: « Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas. » Ita S. Bernardinus tom. II, *serm.* 1, *art.* 3, cap. I. Hæc est octava sapientiæ laus, scilicet, quod Deus eam crearit in Spiritu Sancto.

Ex dictis liquet, hunc locum non favere Græcis, qui dicunt et docent Spiritum Sanctum non procedere a Filio, sed a solo Patre : ob quem errorem ipso festo Spiritus Sancti, puta, Pentecostes, capta a Mahomete Turcarum Imperatore Constantinopoli, eversum est imperium Græcorum anno Domini 1453. Maluerunt Græci cum Latinis de Spiritu Sancto otiosis falsisque disceptare verbis, quam seriis contra barbaros decernere armis. Itaque justo Dei judicio ejusdem Spiritus sancti

festo illa acceperunt vulnera, quæ eorum dominis extrema fuerunt funera : ut, sicuti Constantinus primus ante mille annos, natus S. Helena, religione Catholica, et in Romanum Pontificem observantia eximius, conditor Constantinopolis, novæ Romæ dictæ, maximopere clarus exstitit; sic Drogates, Constantinus alter, Helena etiam natus, sed religionis Catholicæ desertor, et Pontificis Romani inimicus, Constantinopoli amissa, fuerit extremus, inglorius et infamis in omne ævum.

ET VIDIT, ET DINUMERAVIT, ET MENSUS EST. — Hæc tria antistropha sunt, et alternis respondent tribus interrogatis vers. 2, ibi enim interrogavit : « Quis sapientiam investigavit, dinumeravit, et dimensus est? » hic respondet, Deus « eam vidit, et dinumeravit, et mensus est, » *q. d.* Deus plane pleneque ab æterno cognovit sapientiæ naturam et quantitatem, tum discretam, puta, numerum; tum continuam, puta, molem et mensuram; Deus perspexit quæ et quanta esset sapientia; Deus ab ævo omnes sapientiæ rationes et modos numeratos et mensuratos habuit, secundum quos in tempore omnia creaturus et facturus erat, juxta illud *Sap.* XVI : « Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti. » Loquitur enim de sapientia Dei architectonica, quam quasi ideam Deus architectus ab æterno in mente concepit et efformavit, ut juxta eam in tempore omnia in mensura, numero et pondere conderet. Licet ergo Dei sapientia in se sit infinita, et homini innumerabilis et immensurabilis; a Deo tamen, Deique mente, quæ pariter infinita est, quæque est fons et origo sapientiæ, numeratur, mensuratur et comprehenditur.

Nota τὸ *vidit*, id est, intime, penitus et funditus ejus naturam, proprietates et dotes introspexit et circumspexit, quasi captus ejus specie et pulchritudine: τὸ *mensus est*, non est in Græco.

Vers. 10. 10. ET EFFUDIT ILLAM SUPER OMNIA OPERA SUA, ET SUPER OMNEM CARNEM SECUNDUM DATUM SUUM (prout, scilicet, cuique eam dare et communicare voluit; Vatablus, « pro sua munificentia »), ET PRÆBUIT ILLAM DILIGENTIBUS SE. — Nona est hæc sapientiæ laus, *q. d.* Deus sapientiam ab æterno in mente sua reconditam, in tempore communicavit omnibus creaturis, etiam inanimis, sed magis animalibus, præsertim hominibus carne præditis; maxime vero hominibus et Angelis diligentibus se : τὸ *effudit*, significat largitatem beneficentiæ Dei, quod se suaque dona et sapientiam instar imbris vel torrentis copiosissime effuderit in mundum, præsertim in homines se diligentes : quia hos donavit fide, gratia et sapientia supernaturali, ut Deum cognoscant, ament et colant, itaque ad ejus visionem et fruitionem, in qua consistit perfectio et consummatio sapientiæ, perveniant. Hinc disce, magnam Dei sapientiam inditam esse cœlis, elementis, arboribus, plantis, avibus, piscibus, etc.; hinc illa solertia avium in construendis nidis, educandis fœtibus, cavendis noxiis, parando cibo; piscium in natando, comedendo, generando; animalium in vita sua et suorum tuenda, propaganda et propugnanda.

Sicut ergo artifex effundit artem suam in opus, quod ab arte producit: pictor enim, v. g. pingendo imaginem, similem suæ arti et ideæ quam mente concepit, ideam quasi in picturam confert et transfert: sic Deus quasi artifex et pictor universi, sapientiam et ideam suam quasi in illud contulit et transtulit, cum illud juxta illam, illique simile condidit. Unde Syrus vertit: « Manifestavit eam, et divisit eam omnibus operibus suis : cum carne secundum voluntatem suam dedit eam, et multiplicavit eam omnibus timentibus se; » Arabicus : « Patefecit eam, et revelavit eam, tum comprehendit eam, et præbuit illam : distribuit eam inter universam creaturam suam, super omnem virum ex hominibus secundum voluntatem suam, et multiplicavit eam in omnibus timentibus se. »

Dei notiones sunt quædam sigilla rerum formandarum.

Contemplare hic, mirare et reverere sapientiam divinam esse primævum fontem, et primævum signaculum rerum omnium, quod omnia penetrat sua puritate et subtilitate, intrinsecus format et disponit omnia in omnibus. Considera ergo divinam sapientiam plenam esse notionibus et conceptibus rerum, veluti sigillis quibusdam, formandis creaturis secundum speciem cujusque idoneis. Sunt enim res creatæ veluti impressiones quædam et ἀποσφραγίσματα divinæ sapientiæ : quam ob causam dicitur : « Et effudit illam (sapientiam suam) super omnia opera sua. » Et quemadmodum sigillum aquæ, vel alteri rei fluxæ impressum, si amotum fuerit, statim forma perit : ita nisi divinæ sapientiæ signaculum assidue formet et consignet creaturam, tota species et substantia rei evanescet. Itaque cuilibet rei creatæ suum hoc sapientiæ divinæ sigillum, quo ejus essentia ab intrinseco assidue formetur et conservetur, semper est intime præsens.

Ubi nota dignationem Dei creatoris, qui creaturas omnes, sed maxime homines, præsertim sanctos, evexit ad tantam dignitatem, quanta est similitudo Dei : omnes enim creaturæ sunt similes sapientiæ Dei; quia sunt similes suis ideis et exemplaribus, quæ vivunt in mente Dei, suntque ipse Deus. Si omnes creaturæ, ergo multo magis justi et sancti, de quibus proinde ait : « Et præbuit, » scilicet, se ipsam, et quasi se totam, « diligentibus se. » Nam, ut ait Ecclesiasticus c. III, 1 : « Filii sapientiæ, ecclesia justorum, » id est, justi et sancti sunt filii sapientiæ, ac proinde justi participative sunt ipsa quasi sapientia; sicut filius hominis oportet sit homo. Hoc est, quod admiratur S. Joannes, cap. I, vers. 12 : « Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui non ex sanguinibus, etc., sed ex Deo nati sunt. » Jam occasione horum Deum timentium et diligentium, quorum quasi propria est sapientia, Siracides transit ad timorem Dei, secu-

tus Salomonem dicentem: « Timor Domini, principium sapientiæ, » ut doceat viam et modum assequendi sapientiam, ita hactenus laudatum, esse timorem, sive amorem Dei: timor enim filialis idem est cum amore, vel certe actus amoris et charitatis.

SECUNDA PARS CAPITIS,

QUÆ DOCET TIMORE ET AMORE DEI PARARI SAPIENTIAM.

Vers. 11. 11. TIMOR DOMINI GLORIA, ET GLORIATIO, ET LÆTITIA, ET CORONA EXSULTATIONIS. — Syrus : « Timor Domini gloria, et honor, et majestas, et corona gloriæ ; » Arabicus : « Timor Domini in illa (sapientia) et honorificentia et majestas ipsius, et corona gloriæ et laudationis illius. » Est hic altera pars capitis, qua transit Ecclesiasticus a sapientia ad timorem et cultum Dei, tanquam unicum medium comparandæ sapientiæ. Jam « timor Dei, » est « gloria, etc. » non formaliter, sed causaliter. Est enim metonymia, *q. d.* Timor Dei est causa gloriæ, parit et conciliat gloriam æternam, tum in cœlo, tum in terra ; tum apud Deum et Angelos, tum apud homines. Timor quoque parit gloriationem ut, scilicet, de eo gloriari possit homo, sed in Domino : item affert lætitiam, quia affert bonam conscientiam, æque ac fiduciam in Domino, quæ duo sunt causa summæ lætitiæ. Insuper conciliat divinas consolationes et gaudia, quæ expertus Psaltes jubilabat : « Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te ! » *Psal.* XXX, 20. Denique hic timor ornat hominem instar coronæ, sive diadematis exultationem afferentis : corona enim datur sacerdoti, sive pontifici, regi et triumphanti. Timens ergo Deum est quasi sacerdos coronatus et consecratus Deo.

Timens Deum est quasi sacerdos consecratus Deo.

Est ut rex. Idem destinatur, ut sit rex in cœlo per gloriam ; quod regnum in terra inchoat per gratiam ; per hanc enim fit filius Dei, ideoque hæres regni ejus cœlestis ; ac proinde majus et certius per gratiam acquirit jus in regnum cœli, quam primogenitus regis habeat ad regnum patris terrenum. Hic enim ex hominibus jus habet, ille ex Deo. Unde ait S. Petrus *epist.* I, cap. II, 9 : « Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. » Denique timens Deum est triumphator, ideoque coronatus : triumphat enim de peccato, mundo, carne et dæmone. Unde R. Simeon aiebat, « tres esse coronas, coronam legis, coronam sacerdotis, et coronam imperii : verum coronam bonæ famæ (ex sapientia et vita honesta) illustriorem longe et pretiosiorem his omnibus esse. » Quocirca S. Chrysostomus homil. 69, *ad Pop.* : « Si Dei timorem, ait, habeamus, nihil nobis est opus : si vero hunc non habeamus, et si regnum ipsum possideamus, sumus omnium pauperrimi. Nihil æquale Deum timenti : timor enim Domini omnia superat ; hunc itaque possideamus : omnia propter hunc faciamus, ut hunc assequamur timorem. » Plura vero homil. 15, *ad Pop.* in eamdem sententiam scripsit : « Nisi bonum (ait) esset timor, non multos impendisset Christus sermones et longos de pœna et supplicio loquens. Timor nil aliud est quam murus, et munimentum, et turris inexpugnabilis. Etenim multa nobis munitione opus est, quia multæ sunt undique insidiæ, » Denique S. Isidorus lib. II *Sent.* cap. I ; « Omnis, ait, qui secundum Deum sapiens est, beatus est. Beata vita, cognitio divinitatis est. Cognitio divinitatis, virtus boni operis est. Virtus boni operis, fructus æternitatis est. »

Et triumphator.

Timor Dei hic intelligitur, Dei non tantum metus, sed et reverentia, observantia et cultus, seu θεοσέβεια, et *religio*, ut vertit Vatablus, quæ est initium sapientiæ, ac nascitur ex amore. Est enim filialis, non servilis : quia enim fideles quasi filii summe amant Deum quasi patrem, hinc eum timent et reverentur ; omnes ejus leges, imo nutus observant ; in omnibus ei placere satagunt, caventque quam maxime, ne quid committant, quo vel in minimo eum offendant. Quocirca hic timor est causa gloriæ, lætitiæ et coronæ. Quapropter Lactantius, toto lib. III et IV, docet Philosophos omnes non habuisse veram, sed falsam sapientiam, eo quod caruerint vera Dei cognitione, cultu et religione, in qua sita est vera sapientia ; ac inter alia cap. II : « Naturam hominis, ait, hanc Deus esse voluit, ut duarum rerum cupidus et appetens esset, religionis et sapientiæ : sed homines ideo falluntur, quod aut religionem suscipiunt omissa sapientia, aut sapientiæ soli student omissa religione, cum alterum sine altero esse non possit verum. Cadunt ergo ad multiplices religiones, sed ideo falsas, quia sapientiam reliquerunt, quæ illos docere poterat, deos multos esse non posse : aut student sapientiæ, sed ideo falsæ, quia religionem summi Dei omiserunt, qui eos ad veri scientiam potuit erudire. Sic homines, qui alterutrum suscipiunt, viam deviam, maximisque erroribus plenam sequuntur : quoniam in his duobus inseparabiliter connexis et officium hominis, et veritas omnis inclusa est. » Unde, lib. III concludens ait : « Qui vult sapiens ac beatus esse, audiat Dei vocem, discat justitiam, sacramentum nativitatis suæ norit, humana contemnat, divina suscipiat, ut summum illud bonum, ad quod natus est, possit adipisci. Dissolutis religionibus universis, et omnibus quæcumque in earum defensionem dici, vel solebant, vel poterant, refutatis ; deinde convictis Philosophiæ disciplinis, ad veram nobis religionem sapientiamque veniendum est ; quoniam est (ut docebo) utrumque conjunctum. » Hinc timor Dei a Septuaginta *Proverb.* I, 7, voca-

tur εὐσέβεια, id est, pietas et religio, ut vertit Clemens Alexandrinus, II *Strom.* de quo plura vers. 16. Sic Abraham ait *Gen.* XX, 11 : « Forsitan non est timor Dei in loco isto, » id est, forsitan in hoc loco non est Dei cultus et religio. Sic illud *Deut.* VI, 13 : « Dominum Deum tuum timebis, » Christus explicat *Matth.* IV, 10 : « Dominum Deum tuum adorabis. » Nam, ut Poeta ait,

Primus in orbe deos fecit timor.

Sic Job cap. I, 1, vocatur « vir simplex et rectus, ac timens, » id est, colens, « Deum. » Similia sunt *psalm.* XXI, vers. 24, 25, 26, et alibi passim.

Dotes 14 timoris Dei. Prima dos. Porro Siracides hic mire commendat Dei timorem, ejusque quatuordecim elogia et dotes recenset. Prima est hoc versu, quod timor Dei sit gloria, lætitia et corona exsultationis.

Vers. 12. 12. TIMOR DOMINI DELECTABIT COR, ET DABIT LÆTITIAM, ET GAUDIUM, ET LONGITUDINEM DIERUM, — tum in hac vita, tum magis in futura. Ita Rabanus. Explicat quod dixit vers. præced. : « Timor Domini gloria, et lætitia, et corona exsultationis. » Causas delectationis et gaudii ibidem recensui. Syrus vertit : « Timor Domini lætificat cor, et lætitia et exsultatio et vita æterna ; » Arabicus : « Timor Domini lætificat cor, et est lætitia, et exsultatio et vita permanens. » Vide Damascenum lib. I *Paral.* cap. IV, ubi inter alia citat auream gnomen Didymi : « Fieri non potest, ut qui timore Dei præditus est, meticulosus sit, cum illud monumentis proditum sit : præter eum ne quemquam alium timeas. » Nam, ut ait Nazianzenus *Iamb.* XV, « Lætitia est mentis diffusio; metus, ejusdem contractio; tristitia, morsus et turbatio. » Lætitia ergo excludit metum.

Nota τὸ *longitudinem dierum* : nam, ut præclare ait S. Augustinus *in Ps.* XCIII : « Venale est quod habeo, dicit Dominus : tibi eme illud. Quid habet venale? Requiem, regnum. Quantum valet? Pretium ejus labor est. Quantus labor? Æterna requies æterno labore recte emitur : certe tantus debuit esse. Item sempiternus labor pro requie sempiterna. Decies centena millia annorum in labore quid valent? habent finem. Quod tibi dabo, ait Dominus, non habet finem. Qualis misericordia Dei! Nec dicit, Decies centena millia annorum labora : non dicit, Vel mille annos labora : non dicit, Quingentos labora : sed, Cum vivis, labora paucis annis. Inde jam requies erit, et finem non habebit. Ecce quantum pretium : damus quodammodo unam siliquam, ad accipiendos thesauros sempiternos : siliquam laboris, ad requiem sempiternam. »

Vers. 13. 13. TIMENTI DOMINUM BENE ERIT IN EXTREMIS.—Nove Tigurina : « Religionem Domini colenti bene erit in extremis ; » Syrus : « Qui timet Deum, bonus fiet finis ejus. Timenti ergo Dominum bene erit in extremis, » puta in morte, judicio et gloria cœlesti : hæc enim sunt tria justi extrema sive novissima. Hæc secunda est dos timoris Dei. O quantum est bene et feliciter nobis aleam salutis cadere in illis extremis ! In hoc enim puncto temporis jacimus aleam de tota æternitate, eaque vel felicissima, vel miserrima. Quam ergo gaudebit in extremis timens Deum, cum videbit aleam sibi cadere æternitatis beatæ ! O quanta felicitas est ea potiri ! o quantum est regnum cœlorum, imo Deum possidere in æternum !

Secunda dos.

Præclare S. Gregorius X *Moral.* cap. XII : « Peccatoris, ait, lumen in die, est obscuritas in vespere ; quia in præsentis vitæ felicitate attollitur, sed adversitatis tenebris in fine devoratur : justo autem meridianus fulgor ad vesperum surgit; quia quanta sibi claritas maneat, cum jam occumbere cœperit, agnoscit; hinc namque scriptum est : Timenti Deum bene erit in extremis. » Ita in extremis gavisa fuit anima Lazari, dum ab Angelis elata fuit in cœlum, cum dives Epulo demersus sit in tartara, *Luc* XVI : de quo pulchre S. Chrysostomus hom. *de Divite et Lazaro* : « Factum est, ait, ut portaretur ab Angelis, et adduceretur, ne saltem ambulans laboraret. Portabatur post tot labores, quia defecerat : et portabatur ab Angelis ; non suffecerat ad portandum pauperi unus Angelus ; sed propterea veniunt plures, ut chorum lætitiæ faciant. Et portaretur ab Angelis : gaudet unusquisque Angelorum tantum onus tangere : libenter talibus oneribus prægravantur, ut adducant homines ad regna cœlorum. »

Justi in morte jubilant. Exempla. Ita in extremis bene fuit S. Ambrosio, cum moriturus confidenter dixit : « Non sic vixi, ut me pudeat inter vos vivere ; sed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus, » uti refert Possidius in Vita S. Augustini, cap. XXVII; et S. Gerardo, fratri S. Bernardi, qui, ut ipse refert serm. 26 *in Cant.* in morte jubilabat : « Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis ; » et Ven. Bedæ qui canens : « Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, » animam Deo reddidit, ut habet ejus Vita.

S. Franciscus moriens, cum gravissimis arderet totius corporis doloribus, non nisi divinas laudes canebat, et alios canentes audiebat; cumque F. Elias eum increparet, dictitans illud tempus dandum esse lacrymis et pœnitentiæ, respondit, « non licere sibi aliter facere, cum sciret se brevi cum Deo fore. » Ita S. Bonaventura in ejus Vita.

S. Bernardus, primus S. Francisci socius, moriens : « Nunc, ait, sentio quid sit in Dei timore vixisse. Nunc enim pro toto mundo nollem me aliam vitam instituisse. Nunc gaudeo et exsulto, quod mundum spreverim, quod in humilitate et paupertate Deo servierim. » Ita habent ejus acta in *Chronic.* S. Francisci.

S. Eligius, Noviomensis Episcopus, animam agens, discipulis osculo valedicens : « Jam non ultra, ait, loquar vobiscum, valete in pace. Redeat terra in terram. » Ac erectis in cœlum oculis : « Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum

verbum tuum in pace. Memento mei, Christe redemptor, salvum me fac in regnum tuum cœleste. Tu semper fuisti protector meus. In manus tuas commendo spiritum meum: manus tua me deducat in mansionem, quam præparasti timentibus te. » Ita refert B. Audeonus Rhotomag.episco. in ejus Vita.

S. Antoninus, Archiepiscopus Florentinus, in extremo vitæ spiritu canebat: « Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos, » uti refert Mainardus in ejus Vita.

S. Antonius de Padua jubilando B. Virgini: « O gloriosa Domina, excelsa super sidera,» etc.; ac intentis in cœlum oculis: « Video Dominum meum, » ei animam resignavit anno Domini 1231. Ita habet ejus Vita, cap. XXXVII.

S. Nicolaus Tolentinas, sex mensibus ante mortem, singulis noctibus audiebat concentum Angelorum, ut diceret: « Cupio dissolvi, et esse cum Christo. » Moriturus vero exsultabat; rogatus causam, dixit: « Dominus meus Jesus Christus, suæ matri, et nostro Patri Augustino innitens, dicit mihi: Euge, serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui. » Ita habet ejus Vita.

Sic hoc seculo B. Petrus de Alcantara Ordinis S. Francisci, vir miræ orationis et austeritatis, flexis genibus moriens, exsultans ait: « Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi; in domum Domini ibimus. » Et noster Edmundus Campianus, damnatus ad mortem, cecinit: « Te Deum laudamus. »

ET IN DIE DEFUNCTIONIS (mortis et obitus, quo vita hac defungetur transiturus ad meliorem et beatam; unde Syrus vertit, « in ultimo dierum;» Arabicus, « in extremo vitæ suæ, ») BENEDICETUR, — tum ab homnibus, tum a Deo, cum audiet a Christo judice: « Veni, benedicte Patris mei; posside paratum tibi regnum a constitutione mundi, » *Matth.* XXV, 34.

Benedicetur ergo tum vocaliter, tum realiter; id est, benefiet ei: quia bonum felicitatis et regni æterni accipiet, quod est maximum. Unde Tigurina vertit: « In die obitus sui beabitur.» Quidam Græci codices legunt: εὑρήσει χάριν, id est, *inveniet gratiam*, scilicet, coram Deo, ac per eam inveniet gloriam sempiternam. Quocirca in Scriptura benedictus dicitur, imo « beatus vir qui timet Dominum, » *Ps.* CXI, 1. Audi S. Chrysostomum *in Psal.* LXII: « Si dixeris mihi ex Psalmis illud: Beatus, qui timet Dominum, et potueris scire quidnam sit id quod dicis; non divitem, non principem, non formosum, non eum qui valet viribus, non eum qui ædes possidet magnificas, non eum qui gerit magistratus, non eum qui regnum obtinet; nullum denique alium, nisi eum qui est pius et religiosus, qui studio sapientiæ tenetur, qui Deum timet, beatum dices, non solum propter futura, sed etiam propter præsentia: nam etiam in hac vita hic quoque est illo potentior. » Igitur Prosper lib. II *De Voc. Gent.* cap. IX: « De timore (ait) Dei et sapientia in Ecclesiastico legitur: Corona sapientiæ, timor Domini: utraque autem sunt dona Dei. » Et paucis interjectis: « Beatus (ait) cui donatum est habere timorem Domini. »

14. DILECTIO DEI, HONORABILIS SAPIENTIA. — Liberius suo more Tigurina: « Amor Dei præclara est sapientia.» Sensus est, *q. d.* Hic timor est, Dei dilectio et amor, in quo consistit vera, honoranda et summa sapientia. Qui amat Deum, hic sapit præ omnibus Philosophis et Theologis; hic enim sapit et cognoscit Deum practice et sapide, non speculative et aride. Unde S. Bernardus serm. 85 *in Cantic.*: « Quidquid, inquit, virtus elaborat, sapientia fruitur; et quod sapientia ordinat, deliberat, moderatur, virtus exsequitur, etc.: et si quis sapientiam, virtutis amorem definierit, non a vero deviare videbitur. Ubi autem amor est, labor non est, sed sapor. Et forte sapientia a sapore denominatur, quod virtuti accedens quoddam veluti condimentum sapida reddat, quæ per se insulsa et aspera sentiebantur; nec duxerim reprehendendum, si quis sapientiam, saporem boni definiat. » Sapientia enim est sapida scientia, ait S. Gregorius, juxta illud: « Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus, » *Psal.* XXXIII, 9. Hæc est sapientia, non quæ inflat, sed quæ beat. Vers. 14.

Vides hic ut sapientiam constituat nunc in amore, nunc in timore filiali; quia hic timor oritur ex amore, imo est amor. Ita Rabanus. Hic amor, hæc sapientia nos facit filios Dei, ut sicut Sapientia increata est Filius Dei per naturam; ita sapientes et amantes Deum sint filii ejus per gratiam, imo sint « divinæ consortes naturæ, » et quasi dii quidam terrestres, ut ait S. Petrus *Epist.* II, cap. I, 4. Nota rursum metonymiam, qua sapientia dicitur esse amor et timor Dei, non formaliter, sed causaliter; nam sapientia est in intellectu; amor et timor sunt habitus et actus in voluntate: sed hi involvunt et præsupponunt sapientiam, quasi sui originem et causam. Ex hoc enim dictamine sapientiæ: Deus est summa pulchritudo, summus honor, summa opulentia, summa voluptas, summa gloria, summum bonum; ergo Deus est summe amabilis; oritur ejus amor et timor. Hinc ille vocatur, et revera est sapientia practica, de quo plura vers. 16.

Quocirca vere et eleganter S. Augustinus tract. *De Laudibus charit.* tom. IX: « Tene, ait, charitatem, et in ea invenies omnem scientiam; » et inferius: « Totam magnitudinem divinorum eloquiorum et latitudinem secura possidet charitas;» et mox: « In eo quod in scripturis intelligis, charitas patet; in eo quod non intelligis, charitas latet. Ille itaque tenet et quod patet, et quod latet in divinis sermonibus, qui charitatem tenet in moribus. » Deinde charitatem describens: « Charitas, inquit, est recta voluntas, ab omnibus terrenis prorsus aversa, juncta Deo inseparabiliter

et unita, igne quodam Spiritus Sancti, a quo est, et in quem refertur, incensa, inquinamenti extranea, corruptionis nescia, nulli commutabilitati obnoxia, super omnia quæ carnaliter diliguntur excelsa, affectionum omnium potentissima, divinæ contemplationis avida, in omnibus semper invicta, summa actionum bonarum, salus morum, finis cœlestium præceptorum, mors criminum, vita virtutum, virtus pugnantium, palma victorum, arma sanctarum mentium, causa meritorum, præmium perfectorum, sine qua nullus Deo complacuit; fructuosa in pœnitentibus, læta in proficientibus, gloriosa in perseverantibus, victoriosa in martyribus, operosa in omnibus omnino fidelibus, ex qua quidquid est boni operis, vivit. »

Porro Syrus et Arabicus pro « dilectio Dei, honorabilis sapientia, » habent : « Initium sapientiæ, timor Domini; » quam sententiam deinde secundo et tertio hoc capite repetunt, quasi basin et centrum omnium dictorum et dicendorum.

Denique dilectio hæc sapiens maxime resplendet in martyribus, ac similibus, qui pro Deo et sapientia graves obeunt labores, aut atroces subeunt dolores. Unde SS. Savinus et Cyprianus, martyres Brixiani, cum atrociter cæderentur, in ignitam fornacem projicerentur, super rotas extenderentur et dilacerarentur, gratias agentes Deo, jubilantesque dicebant : « Quam dulcis est dilectio tua, Domine! » Ita Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ad diem 2 julii.

S. Vitus puer cum Modesto et Crescentia gloriosum obiens martyrii agonem, cum Diocletianus ei ingentes promitteret opes et honores, si Deos coleret, animose respondit : « Ego regnum, honores et divitias parvi pendo, totusque ex uno Christo, solo Deo et immortali dependeo. »

S. Felicula, virgo et martyr Romana, collactanea S. Petronillæ, cum in eculeo torqueretur, exsultabat dicens : « Ego Christum sponsum video, qui tanta pro me passus sustinuit. »

S. Marcus et Marcellianus stipiti clavis affixi, cum judex diceret : « Resipiscite, miseri, et vos ab his cruciatibus liberate, » alacres responderunt : « Nunquam tam jucunde epulati sumus, quam libenter hæc Christi causa perferimus, in cujus amore nunc fixi esse cœpimus. Utinam nos tamdiu hæc pati sinat, quamdiu corruptibili hoc corpore vestiti erimus! » Ita habet eorum Vita, et Acta S. Sebastiani. Ita cruces omnes dulcorat Sanctis dilectio et amor Christi, ut amorem amori, ac mortem morti rependant. Quam dulce ergo eis erit frui Christo ejusque gloria in cœlo! Tunc vere dicent cum Sponsa : « Dilectus meus mihi, et ego illi. »

Vers. 15. 15. QUIBUS AUTEM APPARUERIT IN VISU (id est, quibus se videndam et cognoscendam obtulerit hæc Dei dilectio, quæ est sapientia practica, quibus seipsam manifestarit); DILIGUNT EAM IN VISIONE (puta, per solam hanc visionem et ostensionem dilectionis et sapientiæ), ET IN AGNITIONE MAGNALIUM SUORUM, — id est, per agnitionem magnificorum operum ejus, quæ ab ipsa mirabiliter esse peracta discunt et audiunt, *q. d.* Adeo speciosa, adeo amabilis est dilectio Dei, quæ est vera sapientia, ut sola sui ostensione, solo sui aspectu, omnes in sui amorem et admirationem rapiat; ac proinde nemo eam odit, nemo despicit, nisi qui eam non cognoscit. Vetustus codex citatus in editione Græca Romana, sic habet : Ἀγάπησις Κυρίου, ἔνδοξος σοφία, οἷς δ' ἂν ὀπτάνηται, μερίζει αὐτην εἰς ὅρασιν αὐτοῦ, id est : « Dilectio Dei, honorabilis sapientia; quibus autem apparuerit (sapientia), distribuet eam (dilectionem) ad visionem ejus, » *q. d.* Sapientia, cum alicui se suumque auctorem, puta Deum, ostendit, illico in Dei dilectionem eum rapit.

Tertia dos.

Hæc est tertia timoris laus.

Sic Abraham, Isaac, Jacob, Moses et Prophetæ viderunt Deum, Deique Verbum in corpore assumpto, et audiebant ejus magnalia, atque illico in ejus amorem rapiebantur. In illis enim visionibus apparuit et ostendit se Filius Dei, ut ait Concil. Sirmiense; ut præluderet et significaret se quandoque verum corpus assumpturum, ut in eo sapientiam nobis ore tenus prædicaret et communicaret. Ita David, videns opera sapientiæ Dei, v. g. cœlos, exclamat : « Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! » *Psal.* VIII. Ita intuens hanc mundi machinam jubilat : « Delectasti me, Domine, in factura tua, » Ps. XCI.

Ita Sapientia apparuit S. Gregorio Nazianzeno quasi virgo speciosa, cui astabat castitas simili specie. Cumque ille, utpote castus, formam feminarum refugeret, ab ea audivit : « Ne mireris, o juvenis, sociæ et sorores sumus, tibique familiares, quia nobis jucundum in tuo corde habitaculum præparasti; una nostrum Sapientia, altera Castitas vocatur. » Quo viso in utriusque amorem accensus est Nazianzenus, uti refert Rufinus, Baronius, et alii in ejus Vita.

Ita pariter Sapientia apparuit D. Henrico Susoni, qui, Doctor Theologus anno Domini 1350, magna sapientiæ et sanctitatis laude floruit, multaque conscripsit, in quibus spirat amorem Sapientiæ æternæ, adeoque Horas composuit de æterna Sapientia : unde et ejus minister est appellatus. Audi auctorem Vitæ ejus, cap. IV : « Dum, inquit, his flagraret desideriis videndi et alloquendi Sapientiam, illa tali schemate se illi visendam præbuit. Longe supra ipsum ferebatur in columna nubis, residens in throno eburneo, micans instar luciferi, et tanquam sol lucens in virtute sua. Corona ejus erat æternitas, amictus felicitas, sermo suavitas, complexus omnis bonsatietas. Prope erat et longe aberat, sublimis et humilis, præsens et occulta; familiarem se præbebat, nec tamen apprehendi poterat. Excelsis cœli fastigiis erat altior, et abysso profundior :

Sapientia visio et imago corporea.

attingebat a fine usque ad finem fortiter, et disponebat omnia suaviter. Dum elegantis puellæ specie teneri videbatur, mox pulcherrimi juvenis præ se ferebat imaginem. Nonnunquam ceu artium omnium peritissimam, se præbebat amicam cunctis amabilem. Itaque dulcissime ad eum se convertens, et comiter, non tamen sine quadam divina majestate illi arridens, benigne his eum verbis affata est : Præbe, fili, cor tuum mihi. Tum vero vestigiis illius advolutus, medullitus ac humillime gratias illi egit. Sapientia deinde nonnunquam animæ illius se communicabat, quasi totius boni fons et profluvium, et omnium desiderabilium abyssus, in qua simul reperit, quidquid pulchrum, amabile, vel concupiscibile esset; siquidem id omne in ea modo ineffabili existebat. »

Et inferius: « Neque sane dici possit quoties gratissimam illam amicam lacrymantibus oculis, et in immensum expanso cordis sinu circumplexus sit, et suo pectori suaviter astrinxerit. Erat tum sæpenumero illi, perinde ut solet infanti, ad matris, ipsum suis ulnis complectentis, ubera pendenti, atque in ejus gremio delitescenti. Ut enim ejusmodi puerulus capite, et totius corporis motu ad parentis suæ pectus sese applicat, et amicabilibus et blandis id genus gestibus cordis sui lætitiam declarat: ita cor illius cum sensibili quadam inundatione, erga jucundissimam æternæ Sapientiæ præsentiam ferebatur, cogitabatque: Si mihi desponsa foret, Domine Jesu, Regina potens, esset id mihi gaudio. Nunc igitur, æterna Sapientia, tu mei cordis Imperatrix, et totius gratiæ parens es. In te divitiarum, honoris, potentiæ affatim mihi suppeditat. Nihil præterea appeto, quidquid hic mundus habet. Sub his meditationibus vultu exhilaratus, oculis micantibus, corde in jubilum sublato, et cunctis internis sensibus exsultantibus, in hæc verba prorupit: Super salutem et speciem dilexi sapientiam, et proposui pro luce habere illam, et venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. »

Vers. 16. Initium sapientiæ timor Dei, quo sensu?

16. INITIUM SAPIENTIÆ TIMOR DOMINI. — Græce: « Initium sapientiæ, timere Dominum, » hoc est, « timor Domini. » Infinitivus enim de more ponitur pro nomine. Sapientiam hic creatam accipe; arctius ergo hic illa accipitur, quam vers. 1. Citat *psal.* CX, 10; *Proverb.* cap. I, 7, ubi pro *initium*, hebr. est ראשית *rescit* (græce, ἀρχὴ), quod deducitur a ראש ros, id est caput, *q. d.* capitale. Unde « *rescit* » *primo* vertas initium, ut sensus sit, *q. d.* Initium sapiendi est Dei timor, cultus et religio; a religione et Dei cultu incipit vera sapientia et philosophia fidelium, quæ in actione consistit; si vis sapientiæ studere, eamque nancisci, incipe a Dei timore et cultu; si vis sapere, Deum time et cole. Sapientia enim hæc practica intelligitur, quæ in actione sita est, eamque imperat et complectitur, *q. d.* Si vis actiones moresque recte componere, si vis honestam vitam instituere, incipe a timore, id est, vera religione et cultu Dei; hic te reliqua docebit, hic ad cæteras virtutes te manu ducet. Unde Septuaginta, *Prov.* VIII, 7, *timorem* Dei interpretantur pietatem et religionem. « Pietas in Deum, inquiunt, principium sensus; » vel, ut vertit Clemens Alexandrinus, II *Strom.*: « Sapientiæ initium est religio; » idque verum esse docet S. Augustinus lib. *De Vera religione*, et Lactantius libr. III et IV; quia, sicut homo per ætates crescit et adolescit; ita idem in virtute adolescit, dum ex timore in fidem, et ex fide in dilectionem accrescit. Hæc est mystica ætas virtutis, et virtute præditi. Ita Clemens. Quocirca S. Basilius *in cap.* I *Isaiæ* : « Attenta, ait, cogitatio arcanorum, nobisque formidabilium timor, pædagogus est ad exercendam pietatem, etc. Quasi quidam janitor, timor necessario ad pietatem condiscendam, admittitur. » Ubi sapientiam interpretatur pietatem.

Respondeo primo.

Secundo.

Secundo, *rescit* vertas *principatum*, *q. d.* In sapientia morali, puta in virtutibus vitaque honesta primas tenet religio; caput virtutum est timor et cultus Dei; honestatis, probitatis et sanctitatis arcem principatum sibi vindicat religio. Unde *rescit* Vatablus vertit *caput*; Palacius, *summa sapientiæ est religio*, quia, ut docet S. Cyrillus libr. II *De Recta in Deum fide*, si ex omnibus virtutibus corpus mysticum componas, capitis locum obtinebit religio: sicut enim caput in cætera membra spiritus vitales et animales, ac per eos sensum et motum influit, ita religio suum pietatis spiritum, vitam et motum influit in cæteras virtutes. Quocirca recte S. Ambrosius *super Leviticum* : « Præferenda est, inquit, religio necessitudini, pietas propinquitati. Ea enim demum vera est religio, quæ præponit divina humanis, perpetua temporalibus. « Sic *initium* pro summo et principatu sumitur cap. XI, 3 : « Brevis in volatilibus est apis, et initium dulcoris habet fructus illius, » *q. d.* Fructus parvæ apis est mel, quod summum habet dulcorem, quod in dulcedine obtinet principatum.

Tertio.

Tertio, *rescit* vertas *primitias*, *q. d.* Timor Dei sanctus obtinet honestatis et pietatis primitias, quæ Deo offerendæ sunt; sicut enim arborum frugumque, sic et virtutum primitiæ Deo debentur; has Deo offert redditque religio. Hæc enim tota Deum Deique cultum spectat; cæteræ virtutes in proximum tendunt, vel in ipsum operantem diriguntur et reflectuntur. Virtute ergo præditus ex bonis actionibus quasi fructibus, quos quasi arbor frugifera assidue profert, primitias dat Deo, cum eas orditur a religione, offerendo eas Deo quasi victimas et holocausta.

Quarto.

Quarto, S. Thomas II, II, *Quæst.* 19, art. 7 : « Initium, inquit, hoc est, primus sapientiæ effectus, timor Domini. Cum enim ad sapientiam pertineat, quod humana vita reguletur secundum rationes divinas; hinc oportet sumere principium, ut homo Deum revereatur, et se ei subjiciat; sic enim consequenter in omnibus secundum Deum regulabitur. »

Quinto. *Quinto*, noster Benedictus Fernandius *in Genes.* cap. III, sect. 20, numer. 3, per sapientiam accipit pœnitentiam; hæc enim est resipiscentia. Unde Clemens Alexandrinus: « Pœnitentia, ait, est magna intelligentia. » Pœnitentiæ enim initium et stimulus solet esse timor Dei.

Timor Dei est finis sapientiæ, quomodo

Dices: Si timor est initium sapientiæ, quomodo alibi idem dicitur sapientiæ finis et consummatio? ut hic vers. 18 : « Plenitudo sapientiæ, est timere Deum; » et vers. 21 : « Corona sapientiæ, timor Domini; » et *Job*, cap. XXVIII, 28 : « Ecce timor Domini, ipsa est sapientia. »

Respondet *primo*, S. Augustinus mox citandus, et ex eo Beda *in Proverb.* cap. VIII, 7, timorem initialem, sive servilem, esse principium sapientiæ, id est charitatis, de qua dixit vers. 14: « Dilectio Dei, honorabilis sapientia. » Timorem vero filialem et amore perfectum esse consummationem sapientiæ, id est charitatis; quia hic timor est actus perfectæ charitatis: timor enim servilis est auspicium, initium, clavis, seta charitatis, et, ut ait S. Basilius *in cap.* I *Isaiæ*, « pædagogus; » vel, ut Origenes *in cap.* VIII *ad Rom.* vers. 15 : « Tutor et procurator parvulorum, deducens eos ad charitatem. » Audi S. Augustinum, tract. in illud I *Joan.* IV, 18: « Perfecta charitas foras mittit timorem. » « Quando aliquid suitur, seta prius intrat; sed nisi exeat, non succedit linum : sic timor primo occupat mentem, non tamen ibi remanet; quia ibi intravit, ut induceret charitatem. » Et paulo ante : « Initium sapientiæ, timor Domini, inquit, quia timor locum præparat charitati; cum autem cœperit charitas habitare, pellitur timor, qui ei præparavit locum; quantum enim illa crescit, ille decrescit, et quantum illa fit interior, timor pellitur foras. Major charitas, minor timor; minor charitas, major timor. Si autem nullus timor, non est qua intret charitas. »

Idem docet D. Thomas, I II, Quæst. 19, art. 10, ubi asserit, crescente charitate, crescere timorem filialem pari mensura; sed decrescere timorem servilem : « Quia, inquit, quanto aliquis magis diligit Deum, tanto minus timet pœnam. Primo quidem, quia minus attendit ad proprium bonum, cui contrariatur pœna; secundo, quia firmius inhærens Deo, magis confidit de præmio, et per consequens minus timet de pœna. » Hæc divus Thomas. Timor Dei ergo facit ut homines, quos nondum delectat pulchritudo virtutis, dolorum et pœnarum divinarum metu a peccatis coerceantur. Hæc sententia vera est; sed huic loco non satisfacit. Nam timor hic potius filialis, quam servilis intelligitur; vocatur enim a Septuaginta εὐσέβεια, id est pietas, imo vers. 14, vocatur « dilectio Dei; » et vers. 17, « scientiæ religiositas; » et vers. 21, « corona sapientiæ : » ubique enim agit de eodem timore; Siracides enim maxime nobis inculcare satagit timorem filialem, et hunc passim vocat « timorem Domini; » servilis enim potius est timor inferni, quam Domini.

Respondeo. Pro responsione nota, solere ethicos et philosophos inchoare scientiam et disciplinam suam a principiis scientiæ, juxta Aristotelem, I *Poster.* cap. I et II. Unde sicut Aristoteles I *Ethic.* in auditore ethices suæ requirit ut sedatis sit animi affectionibus, ideoque vir, ac principium suæ ethices ponit passionum dominium, et inde consequenter dictamen rectæ rationis non perturbatæ: ita Salomon, *Proverb.* I; et eum secutus Siracides hic, suarum, sententiarum suæque sapientiæ et sacræ ethices principium statuunt timorem Domini, eumque in discipulo, ut disciplinæ suæ sit capax, requirunt: quia stulti, qui timorem Dei non habent, despiciunt sapientiam, *Prov.* I, 7.

Primo. Dico ergo *primo:* Sapientia hic intelligitur divina et practica, sive ethica sacra, ut dixi vers. I, cumque ea sit duplex: formalis, hoc est habitus vel actus sapientiæ; et objectiva, sive objectum hujus habitus, vel actus; utraque hic accipi potest, sed melius objectiva.

Secundo. Dico *secundo*, per timorem hic generatim accipi omnem metum et reverentiam divinæ majestatis, inclinantem animum ad hoc, ut illi per omnia obediat et summe caveat, ne uspiam illam offendat, tum quia ipsa severissimus est judex et vindex malorum; tum quia suavissimus est amicus, pater, finis et summum bonum nostrum. Unde Septuaginta timorem vocant « pietatem, » *Prov.* I, 7.

Tertio. Dico *tertio*, hunc timorem esse initium sapientiæ proprie et formaliter; quia, sicut principium se habet ad conclusionem in scientia et demonstratione; ita se habet timor Dei ad sententias hasce practicas in hac sapientia: timor enim Dei ut finis ultimi, et summi boni nostri, est principium omnium practicarum conclusionum, tum discendarum, tum faciendarum, quas in Proverbiis, et in hoc libro, quasi in sua sapientia explicant Salomon et Siracides, quæque media sunt ad Deum ultimum finem assequendum: finis enim in ethicis et actionibus humanis est principium, quia est primum in intentione, ex quo media velut conclusiones inferuntur.

Quarto. Dico *quarto*, hic timor etiam est completa sapientia, non proprie et formaliter, sed metonymice et causaliter, tum quia sicut omnis conclusio continetur in suo principio; ita perfecta sapientia in timore Dei latet, quasi in suo semine, causa et principio; vera enim et perfecta, vereque omnem et totum hominem beans est sapientia, non speculativa, sed practica hæc, quæ ex timore Dei manat, et sic in se et sua essentia perfecta est hæc sapientia; tum quia timor hic, cum rei sit quæ tanti est momenti, seipsum acuit et auget, et quo magis crescit hic timor, eo majorem parit sapientiam; atque adeo perfectus timor, perfectam parit sapientiam; sicut perfecta cognitio principiorum perfectam gignit scientiam conclusionis; et perfecta finis intentio, quæ est principium in moralibus, perfectam et efficacem imperat et producit volitionem mediorum: et sic intentione, modo et accidente perfecta est hæc sa-

pientiá, quam gignit perfectus Dei timor et amor.

Quinta. Denique Siracides non loquitur philosophice et præcise, sed ethice et ample, Unde per sapientiam non tantum intelligit ipsum actum intellectus quo sapit, sive dictamen prudentiæ jam dictum, sed etiam actum voluntatis ei obsequentem; sapientia enim hæc magis in actione, quam in speculatione consistit; unde timor et amor, sive dilectio Dei, vers. 14, vocatur sapientia. Timor ergo hic includit amorem et charitatem; charitas autem est perfectio sapientiæ, id est omnis honestatis et virtutis, *q. d.* Timor et amor Dei in incipientibus sunt initium sapientiæ, id est inchoata virtus et charitas; in proficientibus vero et perfectis sunt proficiens et perfecta charitas; in charitate enim consistit hujus viæ et vitæ perfectio. Timor Dei ergo hic ample capitur pro omni Dei cognitione, metu, observantia et cultu: quare includit fidem, spem, charitatem et religionem; hisce enim quatuor virtutibus tendimus in Deum, eumque timemus, id est credimus, speramus, amamus, reveremur et colimus.

Quarta timoris Dei dos et laus. Hic igitur timor et reverentia erga Deum, cujus causa peccatum horremus, uti est fundamentum et initium, ita est et finis ac culmen vitæ christianæ: nascitur enim ex notitia et dilectione Dei; ideo enim reveremur Deum, quia agnoscimus et diligimus ejus majestatem, quam offendere pertimescimus. Atque hæc est quarta timoris laus. Et hoc est quod ait Job cap. XXVIII, 28 : « Ecce timor Domini, ipsa est sapientia. » Simili phrasi et sensu ait noster Thomas Theodidactos *De Imitatione Christi*, lib I, cap. I: « Ista est summa sapientia, per contemptum mundi tendere ad cœlestia regna. »

Mystice et symbolice Galatinus ex R. Isaac Ben Hola *in psalmum* CX, censet hic adumbrari mysterium Sanctissimæ Trinitatis; per *initium* enim significari Deum Patrem, qui est origo et principium divinitatis, puta duarum cæterarum personarum; per *sapientiam* notari Filium; hic enim est Sapientia genita; per *timorem* notari Spiritum Sanctum, qui est auctor sancti timoris et amoris.

Tropologice, Salomonem et Siracidem secutus S. Thomas Aquinas, per Dei timorem et pietatem omnem suam sapientiam et scientiam acquisivit. Unde ab amico rogatus de modo scientiam quamlibet comparandi, ita epistola ad eumdem respondet : « Quia quæsisti a me, in Christo mihi, carissime, qualiter te studere oporteat in thesauro scientiæ acquirendo; tale a me tibi super hoc traditur consilium, ut per rivulos non statim in mare eligas introire, quia per faciliora ad difficiliora oportet devenire. Hæc est ergo monitio mea, et instructio tua. Tardiloquum te esse jubeo, et tarde ad locutorium ascendentem; conscientiæ puritatem amplectere; orationi vacare non desinas; cellam frequenter diligas, si vis in cellam vinariam introduci. Omnibus te amabilem exhibe; nihil quære penitus de factis aliorum; nemini te multum familiarem ostendas, quia nimia familiaritas parit contemptum, et subtractionis a studio materiam subministrat. De verbis et factis sæcularium nullatenus te intromittas. Discursus super omnia fugias. Sanctorum et bonorum imitari vestigia non omittas. Non respicias a quo audias; sed quidquid boni dicatur, memoriæ recommenda. Ea quæ agis et audis, fac ut intelligas; de dubiis te certifices, et quidquid poteris in armariolo mentis reponere satage, sicut cupiens vas implere. Altiora te ne quæsieris. Illa sequens vestigia, frondes et fructus in vineam Domini Sabaoth utiles, quandiu vitam vixeris, proferes ac produces. Hæc si sectatus fueris, ad id attingere poteris quod affectas. »

Via ad scientiam ex S. Thoma.

Quocirca præclare S. Bernardus in tract. *De Donis Spiritus Sancti*, cap. I : « Prima, inquit, gratia est timor Domini. Qui hanc habet gratiam, omnem odit iniquitatem, juxta illud Psalmistæ : Iniquitatem odio habui, et abominatus sum. Et alio loco : Omnem viam iniquitatis odio habui. Scriptum namque est : Timor Domini odit malum. Et iterum : Time Deum, et recede a malo. Et de Job dicitur : Vir timens Deum, et recedens a malo. Sine hac gratia, prima gratiarum, quæ totius religionis exordium est, nullum bonum pullulare vel manare potest. » Quantopere autem hic timor sit necessarius, luculenter docuit S. Cyprianus, serm. *de Laps.* cum ait : « Deus quantum patris pietate indulgens semper et bonus est, tantum judicis majestate metuendus est. » Et S. Augustinus serm. 17 *de Sanctis* : « Quis potest (ait), nisi Deum timeat, servare justitiam? dicit enim Scriptura alio loco : Nam, qui sine timore est, non poterit justificari. » Denique S. Bernardus loco supra citato : « Sicut enim securitas, vel desidia, causa est et mater omnium delictorum; sic timor Domini radix est et custos omnium bonorum. Unde scriptum est : Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua. Omne namque virtutum ædificium illico vergit in præcipitium, si hujus gratiæ amiserit præsidium. » Quapropter S. Ambrosius *in psalm.* CXVIII : « Initium sapientiæ, ait, timorem Domini dicit Propheta. Quid est autem initium sapientiæ, nisi seculo renuntiare? Quia sapere secularia, stultitia est. Denique sapientiam hujus mundi, stultitiam esse apud Dominum, Apostolus dicit. » Hac de causa Tertullianus libro *De Cultu femin.* in principio, timorem vocat « salutis fundamentum. » Et S. Cyprianus lib. III *Ad Quirin.* cap. XX, timorem nuncupat « fundamentum et firmamentum spei. »

ET CUM FIDELIBUS IN VULVA CONCREATUS EST, — scilicet timor Domini: licet enim græce sit verbum φοβεῖσθαι, id est, *timere Dominum;* tamen hic infinitivus ponitur pro nomine φόβος, id est *timor Domini*, uti initio hujus versus dixi. Alii ex Græco vertunt, « concreata est, » scilicet sapientia; vel, « concreatum est, » scilicet initium sapientiæ. Ita Romani. Sed eodem redeunt hæc tria; quia ipsa

Timor Dei fidelibus concreatus, quæ est quinta timoris laus.

sapientiæ est timor Domini. Est hic quinta timoris Dei laus, quod fidei et justitiæ sit individuus comes, et fidelium ac sanctorum fidus Achates, per omnem vitam eis assistens, comitans et deducens. Per fideles enim accipe justos et sanctos, in quibus, scilicet est fides, non nuda et informis, sed charitate formata. Sed quomodo eis concreatur

Primo. in vulva? *Primo*, aliqui pro ἐν μήτρᾳ, id est, in vulva, legunt, ἐν μέτρῳ, id est, *in mensura;* sed vera

Secundo. lectio est, ἐν μήτρᾳ. *Secundo*, Calvinus ejusque asseclæ, ex hoc loco et similibus docent filios fidelium, puta eos qui nascuntur a parentibus fidelibus et justis, non contrahere peccatum originale, aut certe id eis non imputari, ac consequenter ad id tollendum non egere baptismo; hanc enim esse benedictionem Abrahæ, id est fidelium, semini, id est filiis, promissam, *Genes.* XIII, 15. Sed hæc est hæresis, quam refutat fuse Bellarminus lib. IV *De Amissione gratiæ*, cap. XIV.

Tertio. *Tertio*, Jansenius sic explicat, *q. d.* Plerique fideles etiam in utero accipiunt a Deo donum quoddam, quo ad pietatem proclives sint præ aliis, uti Job, qui de se ait cap. XXXI : « Ab infantia crevit mecum miseratio, et de utero matris egressa est mecum. » Sicut ex adverso Chananæorum *malitia* dicitur fuisse *naturalis*, id est innata et quasi a parentibus ingenerata, *Sapientiæ* XII, 10. Et de similibus dicitur *psalm.* LVII : « Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero, » *q. d.* Adeo dediti sunt malitiæ, ut malitia eis videatur ingenita esse et naturalis, de quibus est vulgare proverbium : « Carduus, qui aliquando punget, tener adhuc cum spinis nascitur. » Verum id huic loco non sufficit, tum quia multis hoc donum non datur; tum quia hoc donum cum peccato originali consistit, ac proinde videtur tantum quædam bona indoles naturæ, quæ eos facit proclives ad virtutem, de qua Stoicorum fuit axioma : « Virtutis principium esse bonam indolem, » teste Plutarcho, lib. *De Homero:* quare hoc donum non est timor Dei sanctus et sanctificans. Unde

Quarto. *Quarto*, idem respondet timorem Dei concreatum esse fidelibus in vulva, non actu et reipsa; sed per Dei præparationem et prædestinationem, qua ab initio in eorum creatione, puta, in utero materno, Deus illis destinat suo tempore dare timorem sui et sapientiam : unde Arabicus pro, « concreatus in vulva, » vertit, « firmata ante secula, » scilicet Sapientia : quomodo Paulus *Galat.* I, 15, dicit se segregatum in Evangelium ab utero matris suæ; et nonnulli sic explicant illud *Jerem.* I, vers. 5 : « Antequam exires de ventre, sanctificavi te. » Sed aliud est esse concreatum in vulva, aliud prædestinatum, vel segregatum ab utero. Rursum longe verius est Jeremiam vere in utero fuisse sanctificatum, non tantum prædestinatum ad sanctitatem.

Quinto. *Quinto* ergo genuinus sensus est, *q. d.* Timor Dei ita adhæret et affixus est fidelibus, ut videatur eis simul cum fide et sanctitate concreatus : timor Dei fidei et sanctitati est connatus, et connaturalis; quia, ut paulo ante dixit : « Initium sapientiæ (practicæ, id est, sanctitatis) est timor Domini. » Explicat enim quomodo « initium sapientiæ sit timor Domini; » per hoc quod dicit cum sapientibus, id est fidelibus et justis, quasi concreatum esse ab utero, *q. d.* Simul ac fides et fidelis creatur, creatur et timor; in eodem utero gignuntur; ab eodem pariuntur; gemelli sunt fratres. Nam, ut docet Concil. Trident. sess. VI, hic justificationis est modus et ordo. Deus, cum peccatorem vult a peccato ad justitiam traducere, in ejus animam, velut in vulvam, semen verbi divini, et sanctarum inspirationum de peccati fœditate, de ira Dei, de pœnis inferni projicit; unde mox anima concipit timorem, qui eum adigit ad contritionem, qua peccatum aboletur, et gratia ac justitia inducitur; atque tum timorem filialem induit anima, quo Deum quasi patrem summe reveretur, serioque proponit ei per omnia placere, et in nullo eum offendere. Vides ergo ut cum fide et fideli ac justo creetur timor. Sic baptismus est quasi *vulva et uterus Ecclesiæ*, quo ipsa nos regenerat, ac gratia et spiritu timoris Dei imbuit et vivificat, uti docet S. Ambrosius et alii tract. *de Baptismo*, ac Rabanus hic. Denique nonnullis eximiis Sanctis timor hic vere in vulva concreatus est, quia ex speciali privilegio in vulva sanctificati sunt. Tales fuere B. Virgo, S. Joannes Baptista, *Lucæ* I, 44; Jeremias, cap. I, 5.

Sexta timoris Dei laus.

CUM ELECTIS (Vatabl. *eximiis*) FEMINIS GRADITUR. Timor Domini, cum concreatus sit fidelibus, tam viris quam feminis, hinc pariter cum utrisque graditur, id est utrosque comitatur et deducit per viam mandatorum in patriam cœlestem : sicut ergo pædagogus graditur cum puero, eumque deducit; ita timor Domini graditur cum fidelibus, eosque per omnia adversa et prospera securos deducit ad portum salutis. Meminit tamen feminarum præ viris, tum quia proprie feminas uti decet pudor, ita et timor, qui comes est pudoris : cum enim femina sit viro fragilior, et ad lapsum pronior, necesse est ut magis timeat; necesse pariter est, ut magis a timore Dei fulciatur; tum quia feminæ solent esse magis timentes, id est, magis religiosæ et devotæ quam viri; uti fuere S. Magdalena, Martha, Marcella, Praxedes, Pudentiana, Paula, Eustochium, Pulcheria, et aliæ perplures. Hæc est sexta timoris Dei dos et laus.

Pro *feminis*, aliqui censent legendum *seminis*, *q. d.* Timor graditur cum electo semine, id est, cum electis suis filiis; idque, ut Græca, quæ hic dissonant a Latinis, iis accommodent. Sic enim habent Græca in editione Romana : Μετὰ ἀνθρώπων θεμέλιον αἰῶνος ἐνόσσευσε, καὶ μετὰ τοῦ σπέρματος αὐτῶν ἐμπιςευθήσεται, id est, « cum hominibus fundamentum seculi nidificavit, et cum semine eorum fidem habebit. » Ita Complut. Romana, « concredetur; » Jansenius, « fidelis erit, » vel « *fideliter*, » id est

firmiter, « *persistet;* » Syrus vertit : « Cum hominibus veritatis est, et ipse a seculo ordinatus, » id est, stabiliter firmatus est; « cum semine eorum constituta est misericordia ejus; » Arabicus : « Ipsa (sapientia, individua comes timoris Dei) est cum incedentibus, in beneplacito Domini sui, firmata ante secula, et cum semine bonorum excellentia illius. » Porro Vatablus nove vertit « Nidum fundavit æternum inter homines, eorumque progeniei se concredidit, » *q. d.* Dei sapientia veluti nidum, id est, sedem et domum æternam sibi delegit inter homines, jam inde ab initio seculi, cum scilicet fundaretur hic mundus : tunc enim Adamo fuit indita ejusque posteris, *Genes.* II, vers. 19, eosque nunquam deseret; sed cum eis fideliter, id est fixe et stabiliter, permanebit. Domum hanc vocat *nidum;* quia sapientiam comparat avi, v. g. aquilæ, columbæ, gallinæ : sicut enim hæc in nido pullos excludit, alit et fovet, cum eisque semper permanet, eos protegens, nutriens, volare docens, etc.; ita et sapientia in hac sua mundi schola, velut in nido, suos filios, puta fideles et sanctos, parturit, alit, perficit, cum eisque persistit providens et protegens illos, donec cum eis in cœlum evolet. Alludit ad illud *Proverb.* VIII, 22 : « Dominus possedit me in initio viarum suarum; » pro quo Epiphanius, *hæresi* LXIX, legit : *Dominus* ἐνόσσευσε, id est, *velut pullum exclusit me;* » quia pro קנני *hanani*, id est, *possedit me,* » alio puncto legit קננני *kinnani,* id est, *nidificavit me,* vel, *in nido, ut pullum, exclusit me* (νεοσσὸς enim est pullus), hoc est, genuit et generavit me, quod optime competit Sapientiæ increatæ, puta Verbo et Filio Dei, ac mystice ejus posteris et filiis, puta fidelibus et Sanctis. Idque apte respondet ei, quod paulo ante dixit de sapientia et timore Dei : « Et cum fidelibus in vulva concreatus est; » hoc est, quod ait Sapientia de se, *Proverb.* VIII, 31 : « Deliciæ meæ esse cum filiis hominum. »

Hinc moraliter disce *primo,* quanto et quam tenero amore Sapientia prosequatur homines, præsertim fideles et Sanctos, nimirum tanto, quanto gallina prosequitur suos pullos, uti Christus de se asseverat *Matth.* XXIII, 37, ac de Deo, Deique in Israelem cura Moses, *Deuter.* XXXII, 11 : « Sicut aquila, inquit, provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans, expandit alas suas, et assumpsit eum, atque portavit in humeris suis. »

Secundo, hic disce Dei sapientiam a puero, instar matris, curare, regere et promovere suos fideles, puta, mox ut baptismo regenerati ejus filii esse incipiunt : quocirca plerosque illustres Sanctos a puero Spiritus Dei direxit, effecitque ut etiam in puerili ætate illustria darent argumenta, et quasi radios ac præludia futuræ sanctitatis. Sic de Samsone legimus eum ab utero consecratum esse Nazaræum, ac destinatum liberatorem vindicemque populi Israel, *Judic.* XIII, 7. Unde de eo dicitur vers. 24 : « Crevitque puer, et benedixit ei Dominus; cœpitque Spiritus Domini esse cum eo in castris Dan. » Unde mox cap. seq. vers. 6, dicitur : « Irruit Spiritus Domini in Samson, et dilaceravit leonem quasi hædum, in frusta discerpens, nihil omnino habens in manu; et hoc patri et matri noluit indicare. » Plura similia Sanctorum, qui a puero cœperunt, exempla recensui *Jerem.* I, 9.

Tertio, disce quanta sit fidelitas, constantia et fortitudo sapientiæ et timoris Domini : quia inter homines dicitur sibi fecisse, imo fundasse nidum, quasi fundamentum æternum, eorumque progeniei esse fidelis, quin et se iis concredidisse. Quocirca S. Ambrosius *in psalm.* CXVIII, explicans illud vers. 38 : « Statue servo tuo eloquium tuum in timore tuo, » ac nomine Sapientiæ intelligens Verbum Dei : « Basis, ait, quædam verbi est timor sanctus; sicut enim simulacrum aliquod in basi statuitur, et tunc majorem habet gratiam, cum in basi fuerit collocatum, et standi accipit firmitatem : ita verbum Dei in timore sancto melius statuitur, et in pectore timentis Deum fortius radicatur. » Subdit autem : « Accipite de verbo Dei lectum in Canticis; crura ejus, columnæ marmoreæ, fundatæ super bases aureas : significans, scilicet, columnas esse Apostolos, qui fundati sunt in timore sancto. » Nec basin tantum eloquiorum Dei appellavit; sed etiam eorumdem tribunal et thronum. Addit enim : « Christi igitur eloquio et Apostolico sermoni tribunal est timor justi. » Est autem similitudo appositissima : si enim verbum Dei timorem sanctum in animo nanciscitur; eidem quasi solio et tribunali insidens judex, inde carnis et spiritus lites dirimit, pro spiritu contra carnem sententiam fert, sceleratam et perditam passionum atque perturbationum turbam compescit, omnibusque virtutibus jura dicit. Ita noster Salazar *Proverb.* I, vers. 7.

ET CUM JUSTIS ET FIDELIBUS AGNOSCITUR. — Vatablus : « Apud justos et fideles visitur. » Quia in illis, quasi in nido, imo templo, habitat, facitque ut ubique timorati sint, ac timorate operentur et vivant. Sicut ergo anima invisibilis agnoscitur et videtur per opera vitalia corporis, quæ operatur in ore, oculo, aure, etc., puta per locutionem, motum, sensationem, etc.; ita timor Dei agnoscitur per opera humilitatis, custodiæ sui, patientiæ, pœnitentiæ, charitatis, etc., quæ exterius operatur : hic enim timor est quasi anima fidelis et sancti. Quod ergo operatur anima in corpore, hoc operatur et timor in justo. Ita agnitus est timor Domini in Abele, cum ex timore et reverentia obtulit meliora gregis Deo; in Noe, cum timore diluvii fabricavit arcam; in Abraham, cum obediens reverensque Deum, obtulit Isaac in holocaustum; in Joseph, cum timens Deum repulit adulteram; in Mose, cum restitit Pharaoni; in Davide, cum lacrymis peccatum diluit.

Vers. 17. 17. TIMOR DOMINI, SCIENTIÆ RELIGIOSITAS.—Hinc patet quod timor Dei sit θεοσέβεια, id est, Dei cultus est religio; *q. d.* Timor Domini est *scientia*, id est sciens, prudens et vera religio et pietas, sive pius Dei cultus. Vis nosse quid sit timor Domini? Est quædam scientia religiosa, hoc est, est ipsa religio et reverentia erga Deum, ex Dei agnitione et æstimatione nata. Philosophi habuerunt scientiam, sed non religiosam. Multi hodie sunt scientes, Jurisperiti, Physici, Theologi; sed carent religione et devotione, quia carent timore Dei. Ex adverso Mahumetani, Pagani, Idololatræ, aliique superstitiosi habent religiositatem, sed carentem scientia, id est, imprudentem et falsam; ideoque religiositas eorum non est religio, utpote quæ veræ Dei cognitioni et scientiæ quasi fundamento innititur; sed est mera vanaque superstitio; at fidelium et justorum religio est sciens et prudens, ac vicissim eorum scientia est religiosa, adeoque est devota religio, quia prædíti sunt timore Dei. Unde Vatablus vertit: « Religio Domini, sanctitas est scientiæ. » Hinc vicissim sancta scientia, sive sapientia vocatur mystes, id est, sacerdos Dei; quia docet Deum vera religione et sacrificiis colere. Ita *Sapient.* VIII, vers. 4: « Doctrix enim est disciplinæ Dei; » pro *doctrix*, græce est μύστης, *q. d.* Sapientia est mystes, id est, sacerdotissa, interpres et doctrix arcanorum Dei.

Sapientia est sacerdos Dei.

Religionis etymon triplex.

Porro religio, ait D. Thomas II II, Quæst. 81, artic. 2, est virtus debitam exhibens reverentiam et cultum uni veroque Deo, tanquam primo creationis et gubernationis rerum omnium principio. Unde religio, *primo*, a Cicerone libr. II *De Natura Deor.* et ab Isidoro X *Etymol.* cap. XVII, dicitur is qui relegit, revolvit et retractat ea quæ ad cultum Dei pertinent, juxta illud *Proverb.* III: « In omnibus viis tuis cogita illum. » *Secundo*, religio dicitur a reeligendo, quod Deum reeligere debeamus, quem amiseramus negligentes per peccatum, ait S. Augustinus lib. X *De Civit.* cap. IV. *Tertio* et genuine, religio dicitur a religando, quod religet nos uni omnipotenti Deo, cum quo prius conjuncti fueramus, et a quo defluentes distare cœperamus, ait idem S. Augustinus libr. *De Vera religione*, sub finem. Hinc religio post tres Theologicas virtutes, fidem, spem et charitatem nobilissima est virtus, caputque et princeps moralium omnium.

Jam vero, ut docet D. Thomas eadem quæst. art. 8, religionis flos est sanctitas, quam ita definiunt Theologi, ut ejus proprium sit munus, mentem nostram ab omni labe purgatam, integram et sine macula Deo offerre, eamque et vires ejus omnes illi conservare. Cujus quidem muneris amplitudo primum ex eo apparet, quod aliæ virtutes morales uni illi omnes, tanquam ministræ ac famulæ inserviunt, aliæ purganda voluntate, aliæ ratione illuminanda, aliæ etiam appetitu coercendo. Apparet item ex effectu: ejus enim, ut docet S. Thomas loco cit., duo quasi sunt partus, oratio ac devotio; quarum altera in Dei familiaritatem atque amplexus inducit; altera promptitudinem et alacritatem tribuit ad omnia quæ Dei cultus requirit: qui fervor ac studium voluntatis tanti est, ut, si is absit, ipsa munera nostra multo minus ei grata sint; si adsit, ea etiam majorem in modum commendet, et gratiora reddat.

Hæc autem religio est forma, et quasi anima religiosi status: unde ejusdem cultoribus, sive Religiosis, nomen religionis attributum et appropriatum est. Igitur Siracides commendat timorem Dei, quod omnium quidem virtutum, sed maxime veræ sanctæque religionis sit parens et nutrix. Qui enim timet Deum, utique eumdem religiose sancteque veneratur et colit. Ad hunc enim cultum eum exstimulat castus Dei timor. Id experiuntur Religiosi, puta veri monachi et cœnobitæ; unde S. Bernardus homil. *de Negotiatore, bonam margaritam* (per quam ipse Religionem monasticam accipit) *inquirente*: « In religione, inquit, homo vivit purius, cadit rarius, surgit velocius, incedit cautius, quiescit securius, irroratur frequentius, moritur confidentius, purgatur citius, præmiatur copiosius. » Vide sequentia. Denique Salvianus lib. II *Contra Avaritiam*: « Religio, ait, scientia est Dei, ac per hoc omnis Religiosus, hoc ipso quod Religionem sequitur, Dei se voluntatem nosse testatur. »

Hæc est septima dos timoris Domini. Septima dos timoris Dei.

Hic versus 16, et sequens 17, desunt in Græcis Complut. et aliis plerisque: olim tamen in Græcis exstitisse liquet, non tantum ex nostro interprete, sed etiam ex S. Augustino, qui ea legit in *Speculo;* et ex versione Tigurina, quæ hunc versum habet, eumque ex Græco, uti et cætera, transtulit, licet eum anteponat versui præcedenti. Quare perperam suspicantur nonnulli hosce versus, qui in Græco desunt, esse alicujus Commentatoris, qui eos explicationis gratia annotarit in margine, indeque in textum irrepsisse: hinc enim sequeretur permultas Ecclesiastici sententias Vulgatæ versionis Latinæ esse subreptitias, nec canonicas, sed apocryphas, eo quod desint in Græco: hoc autem repugnat Concilium Tridentinum sess. IV. Vide dicta in Prolegom. cap. III, et can. 16.

Tropologice et anagog. Rabanus: « Timor Domini, inquit, cum fidelibus in vulva matris Ecclesiæ renatus atque nutritus est, et cum electis feminis graditur, quia sanctis animabus sociatur; et cum justis fidelibus agnoscitur, quando in die novissima cum cæteris Sanctis a dextris Judicis collocatus, ab ipso Domino audiet: Euge, serve bone et fidelis; quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui, » *Matth.* XXV.

Vers. 18. 18. RELIGIOSITAS CUSTODIET ET JUSTIFICABIT (Dionysius legit, *vivificabit*) COR, JUCUNDITATEM ATQUE GAUDIUM DABIT. — Religio enim et reverentia cor, id est, animam, mentem et voluntatem sacro quo-

dam divini Numinis metu percellit, ut nihil cogitet, velit aut faciat, quod oculos tantæ majestatis offendat, ideoque ipsa est animæ justitia et sanctitas: facit enim ut anima caute et studiose omnibus suis desideriis et operibus invigilet, necubi labatur; sed ut omnia sancte peragat, itaque sollicite ambulet cum Deo suo, uti monet Michæas cap. VI, 8. Vide ibi dicta. Ex hac autem sui custodia et sanctitate sequitur gaudium et exsultatio: nihil enim ita gaudet et exsultat, uti sancta conscientia et mens sibi conscia recti. Hæc enim est « domesticum et verum tribunal,» ait Nazianzenus in *Plaga grand.* « Secura mens, quasi juge convivium, » ait Salomon *Proverb.* XV, 15; et noster Siracides cap. XXX, 17: « Non est oblectamentum supra cordis gaudium. » Vere S. Cyprianus *De Oper. et Eleem.*:« Præclara res, ait, et divina est salutaris operatio, monumentum spei, grande solatium credentium, nostræ servitutis præsidium, tutela fidei, medela peccati. »

Dices: Charitas et gratia sunt, quæ formaliter justificant hominem: quomodo ergo religiositas justificat? Resp. *primo,* quia religiositas imperat, et adducit secum charitatem et gratiam, cæterasque virtutes, uti docet D. Thomas II II, *Q.* 81, art. 8. Resp. *secundo,* justitiam formalem consistere, non in sola charitate et gratia, sed etiam in cæteris virtutibus; inter quas tamen eminet charitas: unde in ea præcipue consistit justitia. Ratio est, quia justitia est reformatio totius interioris hominis: hæc autem fit per omnes virtutes, non per solam charitatem. Audi Concilium Trident. sess. VI, cap. VII: « Justificatio, inquit, non est sola peccatorum remissio ; sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum. » Et paulo post: « Unica formalis causa est justitia Dei; non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit; qua, videlicet, ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostræ; et non modo reputamur, sed vere justi nominamur et sumus: justitiam in nobis recipientes, unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem. » Ex quibus concludit: « Unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur per fidem, spem et charitatem. » Hinc in Scriptura justitia nunc tribuitur fidei, ut cum Christus dicit: « Fides tua te salvum fecit: nunc spei, nunc eleemosynæ, nunc pœnitentiæ, nunc aliis virtutibus per synecdochen: quia, scilicet, hæ virtutes sunt partes justitiæ, quæ est complexio omnium virtutum, juxta illud:

Justificamur per omnes virtutes.

Justitia in sese virtutem amplectitur omnem.

Maxime vero tribuitur religioni, ob causas dictas versu præcedenti; præsertim, quia per religionem homo se offert et dedicat Deo, itaque quasi consecratur et sanctificatur: unde religio ipsa est sanctitas, uti docet D. Thomas loco jam citato.

19. TIMENTI DOMINUM BENE ERIT (præsertim in extremis; unde sequitur): ET IN DIEBUS CONSUMMATIONIS ILLIUS (id est, defunctionis et mortis suæ; pronomen enim absolutum *illius,* ponitur pro reciproco *suæ,* ut dixi can. 18) BENEDICETUR. — Repetit et inculcat, verbis nonnihil immutatis, id quod dixit vers. 13: « Timenti Dominum bene erit in extremis, et in die defunctionis suæ benedicetur. » Quare minus recte Complut. et alii, pro *consummationis,* legunt *consolationis;* sicque explicant, *q. d.* Hujus vitæ tempus non est consolationis, sed tentationis et passionis, uti fuit vita Christi; at tempus futuræ vitæ timentibus Deum erit consolationis et gaudii, quia erit tempus beatæ æternitatis. Ita Palacius. Vers. 19.

PLENITUDO SAPIENTIÆ EST TIMERE DEUM. — Dixit vers. 16: « Initium sapientiæ, timor Domini: » hic vero addit *plenitudinem* quoque, id est, perfectionem, *sapientiæ* esse timorem Domini; quia, scilicet, per *sapientiam* intelligit practicam, quæ consistit in actione sancta, cujus parens est timor Domini. Quare quantum crescit timor Domini, tantum crescit et sapientia: inchoatus ergo timor est inchoata sapientia; proficiens timor est proficiens sapientia; plenus et perfectus timor est plena et perfecta sapientia: nihil enim aliud est vere sapere, quam Deum timere, id est, revereri et pie colere. Timor ergo est initium sapientiæ, est plenitudo sapientiæ, est corona sapientiæ; ut sit sapientiæ principium, medium et finis. Vide dicta vers 16. Unde Tigurina vertit: « Revereri Deum, uberrima sapientia est, quæ hominem fructibus suis exsaturat. » Vere Rabanus: « Quanto, inquit, quis magis Deum timet, tanto sapientior apparet; et quanto sapientior, tanto plenior fructibus bonorum operum. Non enim timor Dei est otiosus, sed donis virtutum replet vitam hominis, et thesauris scientiæ spiritalis cor ejus illustrat. » Unde sequitur: Vers. 20.

ET PLENITUDO A FRUCTIBUS ILLIUS. — Græce, μεθύσκει, id est, *inebriat eos a fructibus suis, q. d.* Plenitudo sapientiæ inebriat timentes. Sicut ergo timor Domini affert sapientiæ plenitudinem; ita vicissim sapientia timentibus Deum affert plenitudinem gratiarum, eosque replet fructibus suis. Porro fructus sapientiæ sunt fructus Spiritus Sancti (hic enim est Spiritus sapientiæ), quos recenset Apostolus *Galat.* V, 22, dicens: « Fructus Spiritus est charitas gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. » Unde Syrus vertit: « Felicitas inebrians præ multitudine frugum ejus; « Arabicus: « Et abundantia illius (timoris) implet sapientia universa repositoria sua, et thesauros suos frugibus suis. » Rursum fructus sapientiæ sunt fructus fidei (hæc enim est fidelium sapientia) per dilectionem ope-

rantis, quos Paulus recenset *Hebr.* XI, toto capite.

Nota hebraismum: *inebriat*, id est, saturat et replet, quomodo Plautus dixit in *Captivis*: « Unde saturitate ego sæpe exii ebrius. » Et S. Hieronymus, *Quæstion. in Genes.*: « Idioma, ait, linguæ Hebraicæ est, ut ebrietatem pro satietate ponat. » Sic Joseph dicitur cum fratribus inebriatus, id est, satiatus et exhilaratus, *Genes.* XLIII, 34. Sic *psal.* LXIV, 11: « In stillicidiis ejus lætabitur germinans; » Hebr. *inebriabitur*, hoc est, terra pluviis irrigata, et quasi inebriata abunde germinabit, ut metaphorice lætari et ridere videatur. De hac spiritali sapientiæ ebrietate multa dixi *Actor* II, 13: vide et S. Dionysium, *epist.* 9; Origenem, hom. *in Cant.*; S. Augustinum, lib. XVI *Civit.* XII; S. Ambrosium, serm. 13 *in psal.* CXVIII; S. Gregorium, in cap. I lib. *I Reg.*

Paulo aliter hoc explicat noster Pineda lib. III De Rebus Salom. cap. XXVI, num. 6: « Plenitudo sapientiæ est timere Deum, et plenitudo a fructibus illius, » *q. d.* inquit, tunc tandem in ipsum pelagus plenissimum revertitur et influit sapientia, cum Deum quærit repetens suam originem: sapientia enim suo quasi pondere et impetu in Deum tendit, nisi per vim quamdam stultitiæ et stultæ cupiditatis humanæ de itinere rectoque suo cursu ad creatas illecebras avertatur. Explicat vero subtilius *plenitudinem* hanc esse *a fructibus sapientiæ*, id est, sapientiæ effecta, atque actiones, absolutionem, plenissimamque perfectionem sapientiæ et cognitioni tribuere, quæ sine pietatis et bonorum operum fructu manca futura sit. Ita Pineda.

Vers. 21. 21. OMNEM DOMUM ILLIUS (id est, *suam*, puta, animam timentis Deum; unde Complut. habent αὐτῶν, id est, *ipsorum*, puta, timentium Deum), IMPLEBIT A GENERATIONIBUS, ET RECEPTACULA A THESAURIS ILLIUS, — id est, *suis*, *q. d.* Sapientia omnem suam domum, omniaque ejus receptacula (puta, cubicula et cellaria), implet suis fructibus et thesauris. Nota primo: Generationes vocat fructus, quos sapientia generat et producit. Legit Interpres, γεννημάτων, id est, *generationibus*: jam legunt, ἐπιθυμημάτων, id est, *desideriis*, hoc est, rebus desideratis. Secundo, *thesauros* suos vocat proventus suos, ut habent Græca, puta, fructus suos: idem enim dicit aliis verbis hemistichio posteriori, quod dixit priori, uti fit in Psalmis et rhythmis. Porro domus sapientiæ est anima justi, juxta illud *Sap.* VII: « Sedes sapientiæ anima justi. » Receptacula, sive cellæ et cameræ hujus domus sunt ejus sensus et potentiæ, præsertim intellectus, memoria et voluntas: has sapientia, sive timor Domini implet suis fructibus, puta virtutibus, consolationibus, desideriis et operibus sanctis. Unde Vatablus vertit: « Omnem domum ipsorum deliciis suis implet, et suis item cellas proventibus; » paulo aliter Syrus: « Omnes thesauros ejus, inquit, implebit sapientia, et gratia ejus de frugibus ejus. » Hæc est octava timoris Dei laus, quod timentes impleat bonis spiritalibus, et consequenter temporalibus, juxta illud Christi promissum *Matth.* VI, 33: « Quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus; et hæc omnia adjicientur vobis. » Unde Græca addunt: « Utræque vero res sunt dona Dei, quæ faciunt ad prosperitatem. » Dos octava timoris Dei.

Anagogice, *receptacula* timentium Dominum, sunt domus cœlestes, de quibus ait Christus *Lucæ*, XVI, 9: « Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. » Has timentes Deum implent suis bonis operibus et meritis, quæ in illas transmittunt, ibique recondunt: perinde ac apes conficiunt et recondunt mel in cellis alvearii, ut eo pascantur et delicientur in hieme.

O æterna Sapientia! o tranquilla et serena lux! Deus meus, animam meam tuis illustrationibus irradia. Junge me tibi vicinius, o sol rutilantissime, ut ad calorem virtutis tuæ flores et fructus sanctæ dilectionis progerminet terra cordis mei. Eia, honor meus, gaudium meum et sincera voluptas mea, Jesu; tantam, quæso, amoris tui flammam in penetralibus cordis mei excita, ut deinceps nihil sub sole eligam, nihil concupiscam præter te. O Domine mi, cœlum, terra et omnia, quæ in his continentur, sine te sint mihi velut hibernum gelicidium. Tu solus me afficias, solus lætifices, tui solius amor in intimis meis vivat et ardeat, ac vivus atque ardens permaneat. Illucesce mihi, o lux fulgida et gratiosa, ut in meridiem clarissimam vertantur tenebræ cæcitatis meæ. Exorna, o bone Jesu, animam meam illo charitatis decore, quem diligis: impingua eam illo amoris adipe, quo delectaris: aufer ab ea quidquid oculis tuis minus placet, et eam redde per omnia tibi placentem.

Vers. 22. 22. CORONA SAPIENTIÆ, TIMOR DOMINI, REPLENS PACEM, ET SALUTIS FRUCTUM. — Est hæc nona timoris Dei laus. *Replens*, id est, plenam afferens; græce, ἀναθάλλων, id est, *germinans*. Sic sæpe inferius sumitur τὸ *replens*. Græca Complut. sic habent: « Corona sapientiæ timere Dominum, germinans pacem et sanitatem incolumitatis; » paraphrastice Tigurina: « Religio Domini est corona sapientiæ tranquillitatem pariens, et salutarem incolumitatem, cujus amatores gloria effuse exhilarat. » Ex quibus liquet, timorem Domini vocari *coronam sapientiæ*: non quod ipse sapientiam coronet, sed quod suos, puta, timentes Deum, coronet et ornet corona sapientiæ, puta, ipsa sapientia, quæ instar coronæ hominem condecorat, ideoque timentes Deum facit locupletes et nobiles, imo reges, juxta illud I *Petr.* II, 9: « Vos genus electum, regale sacerdotium. » Et illud Philosophi: « Rex eris, si ratio te rexerit. Reges multos, si sapientia regaris. » Unde Syrus vertit: « Multiplicat pacem, et vitam, et sanitatem. Baculus est roboris, et locus accubitus, gloria (posset melius Nona dos

in regimine verti, *locus recubationis gloriæ*), et honor æternus omni qui ambulat post eam;» Arabicus: «Ex ea (sapientia) multiplicatur doctrina, et vita, et sanitas: et est virga utilitatis, et sustentaculum laudis, et honor perpetuus cuilibet illam quærenti.»

Rursum sapientia est corona triumphi: hanc enim affert et imponit capiti timentium Deum; quia eos per Dei timorem facit vincere omnes tentationes, ac triumphare de peccatis, mundo, carne et dæmone. Ita Palacius. Si ergo sapiens vult de hostibus triumphare, ac victoriæ coronam reportare, timeat Deum. Si vult in regno animam regnare, et regni sui coronam nancisci, timeat Deum. Si vult cœli regnum adipisci, et cœlestis regni corona redimiri, timeat Deum. Timor enim via est ad regnum, via ad coronam, via ad triumphum.

Secundo, et profundius videtur hic Siracides: illustrare et exaggerare illud quod dixit vers. 20: «Plenitudo sapientiæ, est timere Deum,» per emblema et hieroglyphicum coronæ, *q. d.* «Corona sapientiæ, timor Domini,» id est, absoluta et perfecta sapientia uno timore Domini continetur: corona enim est summitas, fastigium, culmen, apex, finis, consummatio, absolutio rei. Unde Isidorus lib. IX Originum, XXX, coronam a choro dici putat, eo quod initio circum aras curreretur, atque ad imaginem circuitus vel chori formata sit corona. Festus vero coronam dictam putat, eo quod cohonoret eum, cui imponitur. Verum, sic vocanda fuisset cohorona, non corona. Melius ergo Carolus Paschalius, lib. I *De Coronis*, cap. I, coronam dictam putat a Græco χορωνὶς et χορώνη, id est, summitas arcus, hoc est, sphæricum illud et rotundum in semicirculo, vel curvatum, quod est rei fastigium, apex et perfectio. Sic *Eccli.* XXV, 8, dicitur: «Corona senum multa peritia;» græce, πολυπειρία, id est, multa experientia, *q. d.* Consummatio senilis ætatis est prudentia collecta ex multa experientia. Et *Prov.* XII, 4: «Mulier diligens, corona est viro suo,» *q. d.* Marito hæc summa votorum est, hæc ejus perfectio et felicitas, ut habeat conjugem strenuam et sedulam. Sic ait Herodotus *De Hom. gen. et vita*: «Viri quidem corona sunt liberi; turres vero urbis,» juxta illud *Prov.* XVII, 6: «Corona senum, filii filiorum.» Et *Psal.* CXXVII, 3: «Filii tui sicut novellæ olivarum, in circuitu mensæ tuæ.» Cum enim coronam dicimus, summa præmia et fastigium felicitatis, et quidquid eo pertinet, dicimus. Sic *Proverb.* XVI, 31, dicitur «corona (id est, consummatio) dignitatis senectus;» et cap. XXVII, 24: «Corona tribuetur tibi;» et cap. IV, 9: «Corona inclyta proteget te.» Similia crebra sunt in Script. Hunc esse sensum patebit ex eo, quod sequitur: «Vidit, et dinumeravit eam.» Denique Arabicus intelligit coronam victoriæ et triumphi de domitis vitiis cæterisque hostibus, ut patebit ex verbis ejus, quæ recitabo vers. 25.

Coronæ etymon.

Porro coronam hanc sapientiæ explicat ex fructu, dum addit *replens*, id est, plenam afferens *pacem et salutis* (græce, ὑγιείας, id est, sanitatis) *fructum*, *q. d.* Sapientia est corona, quia omnibus bonis hominem coronat et circumdat: nam pacem animo, sanitatem corpori conciliat, tum in hac vita, tum magis in futura, ubi erit plenissima pax, æque ac sanitas et salus. *Pax* Hebræis significat non tantum tranquillitatem, sed et omne bonum; hoc enim ex pace nascitur, sicut pax ex sapientia, hæc ex Deo. Huc facit illud Pindari in *Nemeis*, ode 8: «A Deo satæ divitiæ hominibus durabiliores.» Jam sapientia parit pacem et sanitatem, tum quia prudens est, et prudenter declinat ea, quæ pacem et sanitatem auferre queunt; tum quia dominatur concupiscentiis, ac passiones mortificat: harum autem mortificatio pacem et salutem, tum animæ, tum corpori affert.

Sapientia mater sanitatis.

Illustre hujus rei exemplum exstat in Vita B. Laurentii Justiniani, primi Venetorum Patriarchæ; huic enim sapientia per visum apparens pacem impertivit. Cum enim ageret annum undevicesimum, qui ætatis flexus lubricus esse solet ac periculosus, apparuisse ei dicitur Dominus Jesus, virginis specie, cujus splendor solis splendorem facile superaret, vultuque placidissimo hæc ei dixisse: «Cur, adolescens, cor tuum effundis, et pacem sectando, te ipsum per multa spargis? Quod quæris penes me est. Ego, si me sponsam accipere decreveris, pacem hanc certissime polliceor.» Ille et tanta pulchritudine, et tanto promisso delectatus, quæsivit, «quod ei nomen, quod genus esset.» Tum illa: «Ego sum Dei sapientia, quæ ad homines reformandos humanam formam indui.» Quare cum Laurentius, se vero eam libentissime accipere respondisset; illa dato osculo læta et gaudens, ut videbatur, abscessit. Ipse autem non multo post in monasterium ab oblatas nuptias se contulit, in quibus abunde id expertus est, quod diximus, non modo nihil se perdidisse, sed multo plura ac meliora, quam in sæculo habuerat, acquisisse.

Visio sapientiæ, S. Laurentii Justin.

Iisdem de causis sapientia et timor Dei pariunt sanitatem, tum animæ, tum corporis. Quibus accedit, quod timentes Deum sua pietate et precibus sanitatem a Deo emereantur et impetrent; aut certe vires et alacritatem, ut morbos vigore animi superent, et nihili ducant.

Exempla.

Refert Theodoretus in *Philotheo*, cap. XXII, Thalassium anachoretam oratione et signo crucis curasse suos colicos dolores, et viperæ morsus: «Cum hoc morbo colluctans, inquit, et tot tantisque doloribus cruciatus, non medicinæ accepit auxilium, non lectum ingredi sustinuit, non a medicamentis aut cibis est recreatus; sed in tabula humi jacente sedens, oratione et crucis signaculo est curatus, et carmine divinæ appellationis sopiit cruciatus.» Subdit deinde eum calcando viperam, decem morsibus ab ea fuisse vulneratum: «Sed neque tunc, inquit, passus

est uti arte medicinæ; sed vulneribus adhibuit sola fidei medicamenta, crucisque signaculum et orationem, et Dei invocationem. »

Et cap. XVIII, narrans Eusebii anachoretæ asperam austeramque vitam, subdit : « Hoc autem subiit certamen, cum vixisset plusquam nonaginta annos; imbecillitate autem quæ narrari non potest, esset affectus : sed imbecillitatem superabat animi alacritas, et Dei amor omnia facilia reddebat et expedita. »

Et cap. XXI, de Jacobo anachoreta, qui sub dio degens urebatur æstu solis, ac glacie et nive congelabatur : « Adversus omnia, inquit, se fortiter et constanter gerit, tanquam in alieno certans corpore, et contendens vincere naturam corporis alacritate animi. Mortali enim hoc et patibili corpore vitam agit tanquam impatibilis; et vitam incorpoream in corpore meditans, clamat cum S. Paulo : In carne ambulantes, non secundum carnem militamus. » Similia habet cæteris capitibus, præsertim cap. XXIV et XXIX, ubi narrat ascetas illos priscos, velut sanctitatis heroes, ægrotos, eosdem subiisse labores et agones, quos sani capessebant, quasi morbum nihili penderent : quod et de S. Antonio scribit S. Athanasius in ejus Vita.

Simili modo S. Ignatius, fundator Societatis nostræ, ex tot laboribus et pœnitentiis afflicta valetudine sæpius ægrotans, cum negotium aliquod arduum ad Dei gloriam tractandum occurreret, vigore animi morbum et dolorem omnem excutiebat, uti refert Ribadeneira lib. V Vitæ ejus, cap. IX.

Vers. 23. 23. ET VIDIT, ET DINUMERAVIT EAM. — Explicat, quomodo timor Domini sit corona sapientiæ; quia, scilicet, sicut corona totum caput ambit, cingit et metitur, ita ut, si viva esset, oculosque haberet, omnia quæ in capite sunt, videret et numeraret : ita timor Domini ambit et cingit sapientiam. Timor enim adæquatur sapientiæ; quia, quanta illa fuerit in homine, tantus erit et timor. Timor ergo videt et enumerat sapientiam non omnimodam, quæ est in Deo, hoc enim negavit vers. 3, sed determinatam : quæ, scilicet, est in timente Deum. Timor enim evolvit omnes animæ et sapientiæ propriæ sinus, ne quid in ea sit insipientiæ, ignorantiæ, labis aut vitii. Timor animam, ejusque sapientiam quasi Argus centum oculis circumspicit et circumlustrat; omnes ejus angulos, sinus, motus, vias, actiones et opera inspicit et indagat, ut undequaque sit sana, illibata, integra, perfecta, sancta. Græca hic mire variant, ut videas eis non esse fidendum, sed Latinis codicibus, qui unanimes et constantes hic, æque ac alibi sunt. Igitur Græca nonnulla hæc legunt, plura omittunt; quædam priorem partem legunt, posteriorem non legunt. Alia, ut Complutens, pro verbis jam dictis legunt : « Dilatat autem gloriatio diligentibus ipsum. Dilatat, » scilicet, cor et mentem. Unde Tigurina vertit : « Cujus amatores gloria effusa exhilarat; » alia, « dilatat autem gloriationem diligentibus ipsum, » *q. d.* Timor diligentibus Deum latam et magnam affert gloriandi materiam. Est hæc decima timoris Dei laus, quod actus et gressus hominis sapienter dimetiatur et dirigat. Dos tia moris decima.

Vers. 24. 24. UTRAQUE AUTEM (scilicet, sapientia et timor Domini, æque ac pax et salutis fructus, quem secum afferunt) SUNT DONA DEI.

SCIENTIAM, ET INTELLECTUM PRUDENTIÆ, SAPIENTIA COMPARTIETUR, — id est, inter suos discipulos, puta, timentes Deum, dividet et distribuet; græce, ἐξώμβρισεν, id est, instar imbris effundet et dispertiet; large, scilicet, et liberaliter; quare minus apte aliqui vertunt, *distillabit*, stilla enim est parca, rara et modica. Per *scientiam* Jansenius intelligit cognitionem credendorum; per *intellectum* cognitionem agendorum; utramque enim præstat sapientia. Rabanus per *scientiam* accipit cognitionem fugiendorum, per *intellectum* cognitionem agendorum, juxta illud : « *Declina a malo, et fac bonum*; » in his duobus enim omnis lex et sapientia, sanctitasque consistit. Planius per *scientiam* accipias cognitionem rerum naturalium, non speculativam, sed affectuosam et ardentem; qua Sancti, esto non sint philosophi, per lumen sapientiæ et Spiritus Sancti sapienter contemplantur, et ratiocinantur de sole, luna, stellis, cœlis, elementis, animalibus, plantis, arboribus, pomis, tritico, floribus, pratis, etc., in omnibus laudando Dei sapientiam et providentiam, atque ex singulis utilia haurientes prudentiæ et vitæ recte instituendæ documenta; per *intellectum prudentiæ* accipe intelligentiam et prudentiam in rebus practicis, puta, acumen intelligendi, et prudenter judicandi de agendis. Unde Tigurina vertit : « Scientiam et intelligendi artem; » Vatablus : « Peritiam effundit sapientia. » Ita Palacius.

Talem scientiam habebat S. Franciscus, qui, teste S. Bonaventura, de Deo et rebus divinis ita sapienter, sublimiter et ardenter disserebat, ut Theologos omnes superaret, cunctique dicerent hanc ejus scientiam non esse humanam, sed cœlitus acceptam. Sicut enim apes et formicæ miram habent scientiam conficiendi alvearia, favos, mella, etc., per instinctum naturæ a Deo eis inditum, et quia diriguntur ab intelligentia non errante : sic multo magis Sancti diriguntur a Spiritu Sancto, ejusque unctio illos docet de omnibus.

Est hæc undecima timoris Dei laus, quod suis dedet scientiam et prudentiam. Undecima dos.

Vers. 25. 25. ET GLORIAM TENENTIUM (id est, possidentium, SE, EXALTAT, — id est, altam et excelsam efficit; Tigurina : « Et amplectentes se gloria extollit, » scilicet, facit illos gloriosos et celebres. Ita sapientia sancta gloriosos fecit SS. Antonium, Hilarionem, Macarium, Arsenium, Pachomium, etc., simplices alioqui, et sæpe illitteratos.

RADIX SAPIENTIÆ, EST TIMERE DOMINUM. — Tigurina:« Revereri Dominum, radix est sapientiæ. » Dixit vers.16,timorem Domini esse initium sapientiæ : hic addit, eumdem esse radicem sapientiæ ; quia, sicut ex radice pullulat tota arbor, ejusque rami, frondes, flores et fructus, ut qualis et quanta sit radix, talis et tanta sit arbor, rami et fructus : ita pariter ex timore Dei pullulat omnis sapientia practica, puta, omnis virtus, omnis honestas, omnis actio præclara, omnis vita et conversatio sancta. Sicut ergo agricolæ, dum arborem excolere volunt, excolunt ejus radicem, stercorando, irrigando, ablaqueando, etc., ex radice enim pendet tota arboris fertilitas et felicitas : ita pariter, si sapientiam, omnemque virtutem vis excolere et augere, excole et auge timorem Domini ; hic tibi dabit omnem virtutem, omnemque fertilitatem et felicitatem spiritualem.

Aliter habet Syrus, nimirum, « radices ejus (timoris Domini) vita æterna, et rami ejus longitudo dierum. Beatus vir, qui in eo meditatur; quia ipse est melior illi, quam omnes thesauri. Beatus vir, qui appropinquat ad illum, et mandatis ejus inservit. Coronam æternam imponet illi, et victoriam æternam inter Sanctos. Lætabitur in eo (timore), et ipse (timor) lætabitur in eo (homine timente), et non abjiciet eum in sæcula sæculorum. Angeli Dei lætabuntur in eo, et numerabunt omnes laudes Dei. Liber iste totus verba vitæ : Beatus vir, qui audit et facit eum. Audite me, timentes Dominum, et attendite et intelligite verba mea. Quis est ille, qui vult hæreditare vitam, hæreditatem æternam, et lætitiam magnam? omnia verba mea audi, et fac, et scriberis in libro vitæ. » Hæc Syrus paraphrastice potius quam ad litteram interpretans: nec enim hæc sunt in Codicibus Græcis aut Latinis; sicut vice versa, quæ in iis sequuntur usque ad vers. 36. Omittit Syrus.

Simili modo Chaldæus interpres, qui lingua pene idem est cum Syro, in veteri Testamento sæpe longas interserit paraphrases, ideoque Paraphrastes appellatur. Syrum de more imitatur Arabicus, dum ita vertit paraphrastice : « Radices illius (sapientiæ, et consequenter timoris) vita æterna, et arbor illius prolongat dies. Beatitudo illi qui posuit curam suam in ea; quia illa ipsi est magis utilis, quam universa repositoria (apothecæ). Beatitudo homini, qui locutus est in ea, et deductus est in mandatis illius; quia ipsa est coronans corona perpetua, et adveniet illi victoria inter Sanctos in perpetuum. Lætabitur in ea, et lætabitur in eo, et non derelinquet eum in seculum seculorum. Angeli Dei lætantur in ea, et præparant omnes laudationes Domini. Et sic liber totus plenus est vita. Beatitudo viro (beatus est vir) qui audivit, et operatus est, quod in eo est. O plebs timentium Deum, audite, et attendite ad eloquium meum, et intelligite. » Hicque Arabicus finit caput primum; quare omittit cætera, quæ habentur in Latinis et Græcis Bibliis, imo et in Syriacis.

ET RAMI EJUS LONGÆVI. — Græce significantius, μακροημέρευσις, id est, *longitudo dierum, longævitas;* Tigurina, « longævæ ætates, » *q. d.* Sicut ex radice, vel trunco arboris oriuntur et succrescunt ejus rami : sic ex timore Domini oritur longa vita, tum præsens, tum futura. Timor enim Domini, qui est vera sapientia, suos asseclas facit longævos, ac deinde eos transcribit beatæ æternitati. Rursum rami timoris sunt virtutes, gratia et gloria, quæ sunt longævæ, tum quia durant in æternum; tum quia timor per eas semper novos, indiesque plures et majores bonorum operum fructus producit, sicut arbor per ramos sua poma progignit. Timor enim Domini, qui est amor et charitas, imperat, et imperando producit actus cæterarum virtutum omnium. Unde, si ex Dei timore et amore te humilias, obedis, pateris; hæc humiliatio, obeditio, tolerantia, est fructus charitatis productus per ramos humilitatis, obedientiæ et patientiæ. Harum enim virtutum sunt actus eliciti, sed imperati a timore et amore Dei.

Nota : Longævitatem congrue tribuit timori ; quia timor est custos et conservatio omnium virtutum. Si vis ergo virtutes diu et constanter possidere, time. Si vis perseverare in bono, time, juxta consilium Apostoli : « Cum metu et tremore vestram salutem operamini, » *Philip.* II, 12. Qui enim non timent, cito ex præfidentia, levitate, imprudentia, arrogantia perdunt sanctitatem, quam habent, uti perdidit Adam, David, Salomon.

Timor Dei facit longævos.

Nota : Timor Dei facit timentes longævos, etiam in hac vita, ob causas, quas dedi vers. 22. Ita sanctus Paulus, primus eremita, ex timore Dei fugiens mundum, vixit in spelunca 98 annos, mortuusque est anno ætatis 113. Sanctus Antonius defunctus est anno ætatis 105; S. Romualdus 120, Pachomius 118, Arsenius 120. Plures vide apud Cassianum, *Collat.* XI, cap. IV, quin et cæteri plerique anachoretæ longævi fuere, uti etiamnum sunt Religiosi et Religiosæ, quæ in monasteriis sine curis et sollicitudine quiete, pie et sancte Deo usque ad decrepitam ætatem deserviunt; quia timore Dei mortificant bilem, gulam, cæterasque passiones, quæ vitam abbreviant, ac sobrietate et lætitia vitam prolongant. Unde Hippocratis est aphorismus, τὰ ἄχολα μακροβία, id est animalia, quæ carent bile, sunt longæva uti cervus, de quo exstat epigramma Virgilii de ætatibus animalium, in quo longæva recenset et dimetitur; sic enim canit : Exempla

Ter binos deciesque novem superexit in annos,
Justa senescentum quos implet vita virorum :
Hos novies superat vivendo garrula cornix ;
Et quater egreditur cornicis sæcula cervus ;
Alipedem cervum ter vincit corvus ; at illum
Multiplicat novies phœnix, reparabilis ales :
Quem vos perpetuo decies prævertitis ævo,
Nymphæ Hamadryades, quarum longissima vita est.

Sed audi Plinium, lib. VII, cap. XLVIII : « Hesiodus fabulose, ut reor, multa de hominum ævo referens, cornici novem nostras attribuit ætates, quadruplum ejus cervis, id triplicatum corvis. Et reliqua fabulosius in phœnice, ac nymphis. » Idem, lib. VIII, cap. XXXII : « Vita cervis, inquit, in confesso longa post centum annos aliquibus captis, cum torquibus aureis, quos Alexander Magnus addiderat, adopertis jam cute in magna obesitate. Febrium morbos non sentit hoc animal : quin et medetur huic timori. Quasdam nos principes feminas scimus, omnibus diebus matutinis carnem ejus degustare solitas, et longo ævo caruisse febribus. »

Mansuetudo ergo, æque ac sobrietas et lætitia, religiosos et sanctos facit longævos. Unde sanctus Chrysostomus, lib. II *Contra vituperat. vitæ monast.* docet monachos vivere sanos, ac ob victus temperantiam, agrestium, ut ait, instar animantium vigere, ac vegeto esse corpore ; cum e contrario divites et delicati, qui vulgo habentur beati, velut in cœno jacentes, molliores sint, podagræ, chiragræ, catarrhis, aliisque morbis obnoxii, ideoque brevis ævi. Et S. Hieronymus lib. II *Contra Jovin.* docet abstinentiam corpori tuendo conferre, vitamque prorogare, idque ex medicorum aphorismis confirmat.

Duodecima timoris dos.

Est hæc duodecima timoris Dei dos et laus, quod timentes faciat longævos; quia arcet tres brevis ævi radices, scilicet, gulam et utramque bilem, flavam et atram, puta, choleram et melancholiam : hæc enim multos immature enecat et occidit.

Vers. 26.

26. IN THESAURIS SAPIENTIÆ INTELLECTUS (id est intelligentia), ET SCIENTIÆ RELIGIOSITAS, — id est, scientia religiosa, sive religio sciens et prudens, non ignorans et errans, qualis est superstitio, ut dixi vers. 16. Hic versus non est in Græco, sed ei similis subditur vers. 31. Sensus est, *q. d.* Sapientia est locuples et opulenta, ingentes habet thesauros : thesauri ejus sunt spiritales, puta, intelligentia, qua ornat, locupletat et replet intellectum, ac omnes virtutes (has enim secum quasi comites et pedissequas adducit religio, Deique cultus), quibus ornat repletque voluntatem, atque ex thesauris hisce suis utraque depromit, eaque suis studiosis affatim elargitur.

Nota : Siracides hæc tria, scilicet : *sapientiam, timorem Dei,* et *religionem,* quasi pro uno et eodem sumit; quia intelligit sapientiam practicam, quæ in honesta actione et vitæ sanctitate, puta, Dei cultu consistit, uti jam sæpius dixi : unde illi per antithesin opponens peccata et peccatores, subjicit :

EXSECRATIO AUTEM PECCATORIBUS SAPIENTIA. — Quocirca hanc antithesin clarius Tigurina ita vertit : « Thesauris sapientiæ inest intelligentia, scientiæque sanctitas; sed scelerosis exsecrationi est sapientia. » Hinc eamdem antithesin diserte exprimens subdit Noster :

27. TIMOR DOMINI EXPELLIT PECCATUM. — « Sive quod jam admissum est, sive quod tentat intrare. Expellit sane illud quidem pœnitendo, hoc resistendo, » ait S. Bernardus *De Diversis affectionibus animæ.* « Timor enim Domini expellit peccatum, » tum præteritum per contritionem, ad quam excitat timor, id est metus et reverentia Numinis; tum præsens et futurum : cavet enim, ne Numen tantum offendat, quod acerrime judicat et vindicat omne peccatum. Ita Rabanus. Maxime vero expellit peccatum impatientiæ et murmuris, ne homo, cum in hoc mundo affligitur, et multa tristia patitur, impatiens fiat, Deoque obmurmuret; sed ei cum submissione et metu et reverentia se subdat et resignet. Unde timorem ita definit Clemens Alexandrinus, II *Strom.* : « Timor est cautio rationi consentanea, et ejus quod lædit declinatio, » juxta illud *Isaiæ* XXVI, 17 : « A facie tua, Domine, concepimus, et quasi parturivimus, et peperimus spiritum. » Pro quo Sanctus Cyrillus vertit : « Propter timorem tuum, Domine, nos uterum gessimus, et parturivimus, et gravidi fuimus super terram. » Vers. 27.

Græca habent : « Timor Domini expellit peccata; perseverans autem avertit iram; » Tigurina : « Religio Domini peccata depellit; et quandiu præsens est, arcet iram. » Nam, ut ait S. Basilius *in initium Proverb.* : « Sicut cruci affixus movere nec manus potest, nec pedes : sic qui timore Domini configitur, extra illius nutum nequaquam movetur. » Timor ergo Dei est crux vitiorum. Et Tertullianus, I *De Cultu feminarum* : « Qui præsumit, inquit, minus veretur, minus præcavet, plus periclitatur; timor fundamentum salutis est. » Quidni ergo pariat salutis fructum ? « Præsumptio impedimentum timoris; utilius ergo, si speremus (id est, timeamus, ait Pamelius) nos posse delinquere; sperando enim timebimus, timendo cavebimus, cavendo salvi erimus. » Causam subdit :

NAM QUI SINE TIMORE EST, NON POTERIT JUSTIFICARI. — Vers. 28.
Sic quoque legit Clemens Alexandrinus, I *Pædagog.* cap. VIII, pro quo Græca habent : ἀνὴρ θυμώδης (alii, θυμὸς ἄδικος, id est, *iracundia injusta*) οὐ δυνήσεται δικαιωθῆναι, id est, *vir iracundus non poterit justificari,* id est, in justitia conservari. Audacia enim, eique affinis ira, opponitur et contraria est timori, ut docent Ethici. Igitur, *qui sine timore est,* idem est quod audax, animosus, iracundus. Sicut ergo timor frenat et coercet impatientiam, murmura, cæteraque peccata : ita audacia et ira frenos disrumpens in impatientiam, murmura et quælibet peccata, velut equus indomitus, prorumpit et ruit. Hoc est, quod subdit :

IRACUNDIA ENIM ANIMOSITATIS ILLIUS, SUBVERSIO ILLIUS EST. — Græca, « nam ruinam ei creat ipsius ad iram proclivitas; » ruit enim audax et iracundus quasi effrenis in sua damna, puta, in maledicta, jurgia, blasphemias, etc., quibus sibi pœnas ingentes conciliat. Unde sanctus Ephrem, tract. *De Panoplia* : « Ira, ait, est velut anceps gladius :

uno momento perimit eum, quem percutit, sicut scriptum est: Momentum enim furoris, ruina illius.» Græcum enim ῥοπη multa significat, scilicet, declinationem, devergentiam, proclivitatem; item momentum, puta, lancis ad imum vergentis inclinationem, nutum, declivitatem, propensionem: proprie enim de lancibus stateræ dicitur. Porro dicitur momentum, ira; quia ira parum durat, juxta illud: « Ira furor brevis est. » Sed eadem creat ruinam longam, ut patet si quis in ira aliquem vulneret, occidat, etc. Huic opponens patientem, subdit: « Usque in tempus sustinebit patiens. »

Possunt tamen hæc generalius accipi, et cuivis peccato adaptari, *q. d.* Qui nimis afficitur suis peccatis et concupiscentiis, videns legem Dei sibi obsistentem, illi irascitur: quæ ira facit eum animosum ad peccandum, ut suis cupediis indulgeat; sed hæc animositas subversio ejus est, quia præcipitat eum in ruinam, puta, in mortem animæ præsentem et æternam. Ita Palacius et Rabanus.

Decima tertia timoris dos, quod expellat peccata.

Moral. Hic nota hanc esse decimam tertiam timoris Dei vim et laudem insignem, quod expellat peccatum, ut licet nos validissimi hostes, puta, mundus, caro et dæmon, ad peccata propellant; nos tamen ab iis cohibeat, et hæc omnia vincat timor Dei; quia eum summe reveretur: *primo*, ut Deum; *secundo*, ut summum omnium dominum; *tertio*, ut amantissimum patrem; *quarto*, ut sponsum charissimum; *quinto*, ut amicum fidelissimum; *sexto*, ut judicem et vindicem severissimum.

Quocirca timens Deum, dum ad peccandum sollicitatur, dicit cum Joseph: «Quomodo possum malum hoc facere, et peccare in Deum meum? » Gen. XXXIX, vers. 9. Nam, ut sapienter ait Symmachus epist. *ad Imperatores* (quæ habetur lib. II, epist. S. Ambrosii): «Plurimum valet ad metum delinquendi, præsentia religionis urgeri.» Et cum Susanna: « Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini,» *Daniel.* XIII, 23. Et cum Psalte *Psal.* CXVIII, 101: « Ab omni via mala prohibui pedes meos, ut custodiam verba tua. A judiciis tuis non declinavi; quia tu legem posuisti mihi. » Et cum Job cap. XXXI, 1: « Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. Quam enim partem haberet in me Deus desuper, et hæreditatem Omnipotens de excelsis? Nonne ipse considerat vias meas, et cunctos gressus meos dinumerat? » Et vers. 14: « Quid enim faciam, cum surrexerit ad judicandum Deus? et cum quæsierit, quid respondebo illi? » Et vers. 23: « Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, et pondus ejus ferre non potui.

Hinc Theodoretus lib. I *De Curand. Græc. affect.* timorem Dei comparat cum potione amara, sed purgativa: illo enim peccatorum morbidi humores, præsertim flatus superbiæ et animositatis, exhauriuntur, et sanitas menti restituitur. « Timor Dei, inquit, medicamentum est optimum, quod ex malis (suppliciis) et ex bonis conficitur, sicut in theriacis accidit. » Beda *in Proverbiis*: « Ubi, inquit, non est timor Dei, ibi regnum est peccati: ubi vero est timor Dei, ibi est regnum Dei et sanctitatis. » Quocirca S. Joannes Baptista, vox clamantis in deserto, non nisi timorem Dei clamabat, ut eum hominibus imprimeret. *Matth.* III, 7: « Progenies viperarum, inquit, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira? » Quin et Christus apud Matthæum, x, 28: « Timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam. » Quapropter sapienter dixit Clemens Alexandrinus lib. II *Strom.*: « Fides est prima ad salutem inclinatio, post quam timor est, et spes, et pœnitentia. » Et aliquanto post: « Qui timorem damnant, ii legem etiam insectantur; quod si legem, clarum est, quod et Deum, qui legem dedit. »

His consentiunt ea, quæ apud B. Athanasium loquitur S. Antonius: « Formido (inquit) judicii, et pœnarum timor horridus, lubricæ carnis incentiva dissolvit, et ruentem animam quasi ex aliqua rupe sustentat. » Idem sentit S. Basilius homil. 8 *in Psalm.* XXXII: « Necessario, inquit, velut introductorius ad pietatem timor assumitur; dilectio vero deinceps succedens a timore scientifice adoptatos perficit. » Plenius homilia 9 *in Psalm.* XXXIII: « Timor, ait, salutaris, et timor sanctificationem faciens, qualis sit, vis exponam? Cum ad peccatum aliquod progredi voles, cogita mihi horrendum illud et non ferendum Christi judicium, » et cætera, quæ deinceps subdit, cum concludit: « Hæc time, et hoc timore eruditus animam a concupiscentia ad hæc mala, velut freno quodam relide. » Porro Chrysostomus, hom. 15 *ad Pop. Antioch.*, gehennæ metum etiam in anima hominis justi, militem ait esse fortem et armatum, qui fures et latrones, omnesque hostes longissime a domo arceat.

Quocirca Ambrosius in psal. CXVIII, *serm.* 21, scribit beatos martyres inter ipsa carnificum supplicia positos, timore gehennæ ante oculos mentis propositæ, earum pœnarum vicisse timorem, qui a carnificibus incutiebatur. At sanctus Hieronymus, epist. 22 ad Eustoch. *de Custod. virg.* se ait gehennæ metu solitudinem ac durissimæ vitæ genus elegisse. Nec dubitat sanctus Augustinus, lib. *De Grat. et lib. arb.* cap. XVIII, hunc timorem gehennæ, Dei donum appellare. Certe Cassianus, *Collat.* 11, cap. XXVIII: « Est, inquit, gradus cujusdam profectus, ut dum vel pœnarum metu, vel præmiorum spe incipimus vitia declinare, ad charitatis gradum transire possimus. » Omnes vero Gregorius, homilia 26 *in Evang.*, hortatur, ut futurum judicium timeant, antequam veniat. Rursus, hom. 34: « Prava mens, ait, si non prius per timorem evertitur, ab assuetis vitiis non emundatur. » Nec frustra toties timoris dignitas ac præstantia in sacris Litteris extollitur: « Beatus vir, inquit David, qui timet Dominum; in man-

datis ejus volet nimis. Potens in terra erit semen ejus; generatio rectorum benedicetur. Gloria et divitiæ in domo ejus; et justitia ejus manet in seculum seculi. »

Vers. 29. 29. USQUE IN TEMPUS SUSTINEBIT PATIENS. — Græce, ἀνέξεται, id est, *sustinebit;* pro quo Romani legunt, ἀνθέξεται, quod *primo,* sumi potest pro ἀνέξεται, id est, sustinebit, tolerabit, perferet, perdurabit. *Secundo,* verti potest, resistet, reluctabitur, scilicet, tentationi. *Tertio,* adhærescet, velut unguibus affixus, scilicet, suæ patientiæ, eamque mordicus retinebit. *Quarto,* complectetur, mutuoque complexu sibi astringet, tum suam crucem, tum suam patientiam, quasi sponsam sibi electam et dilectam. Opponit θυμώδη, id est, audaci, impatienti, iracundo, μακρόθυμον, id est, longanimem et patientem; quod hic ad tempus sustineat adversa quælibet, spe gloriæ cœlestis; ille illico iis resistat, eaque excutere satagat, ideoque lites et rixas concitet. Unde de patiente ait :

ET POSTEA REDDITIO JUCUNDITATIS. — Legit Interpres, ἀνάδωσις εὐφροσύνης, jam legunt, ἀναδώσει εὐφροσύνη, id est, *pullulabit,* et quasi de terra exorietur, ac germinabit *ei lætitia*; ἀναδιδωμι enim, id est, reddo, capitur pro ἀναβλαστάνω, id est, pullulo, germino. Est metaphora apposita et elegans ab arboribus, quæ in hieme patiuntur gelu, nives, frigora, iisque spoliatæ foliis et frondibus quasi canescunt et emoriuntur; sed tunc introrsum vires suas recipiunt, ut omnis calor cogatur in radicem, qua e terra humorem sugant : itaque radix fœta et gravida, in vere quasi radiis solis vivificata germinet, et in lætas frondes, flores et fructus erumpat. Pari enim modo patiens in adversis, quasi in hieme, introrsum per patientiam se recipit in animæ penetralia, ibique vires succumque patientiæ, humilitatis, cæterarumque virtutum colligit, quæ mox parient ei meritos lætitiæ et gloriæ fructus. Hisce enim Deus remunerabitur et præmiabit ejus dolores et patientiam. Justus est ergo instar palmæ plantatæ « secus decursus aquarum, quæ fructum dabit in tempore suo, » id est, in tempore novissimo, ait S. Augustinus *in Psal.* I. Unde Tigurina vertit : « Qui patiens est usque ad tempestivitatem, præstabit tolerantiam, et postea exorietur ei lætitia, » *q. d.* Vir justus tentatus et afflictus patiendo sustinebit, usquequo transeat afflictionis tempus; tunc pro illa succedet tempus hilaritatis : sicut enim nocti succedit dies, hiemi ver, tempestati tranquillitas, pluviæ et caligini serenitas; ita tentationi jucunditas.

Patiens est quasi arbor hiberna.

Congrua ergo et illustris est hæc metaphora ab arbore, cujus truncati rami, exusta folia, vix remanet stipes, ut putetur exsuccus, et non nisi ignibus aptus hiemali tempore; at eadem appetente vere revirescit ac repullulat. Nullus igitur animo cadat, etiam hibernis oppressus et velut sepultus tribulationum rigoribus; Deo iterum flante, ac bene prosperante, repullulabit, duplo amplioribus bonis cumulatus, ut contigit S. Job. Exemplo apum apposite idipsum illustrat Urbanus IV, Pont. *in Psal.* L qui exstat tom. I Biblioth. SS. Patrum : « David, inquit, de persecutoribus suis dicit, *Psal.* CXVII : Circumdederunt me sicut apes. Apes enim, etsi inferant punctionis dolorem, amantur tamen; quia mellis dulcedinem administrant : sic et persecutores meos, Domine, amare volo, et punctiones, quas mihi amaris conatibus inferunt, contribulato spiritu tolerare, ut mellita jucunditas subsequatur. Nam per quemdam Sapientem audio, Domine, te dicentem, quod usque in tempus sustinebit patiens, et postea redditio jucunditatis. »

Alludit Siracides ad Habacuc II, 3 : « Si moram fecerit, exspecta illum; quia veniens veniet, et non tardabit. Ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso : justus autem in fide sua vivet. » Et ad *Isaiæ* LXI, 3, ubi Christus ait se missum et unctum Spiritu sancto : « Ut consolarer, inquit, omnes lugentes in Sion, et darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. » Vide ea quæ utrobique dixi. Hoc est, quod canit Psaltes : « Exspecta Dominum, viriliter age : et confortetur cor tuum, et sustine Dominum, » *Psalm.* XXVI, 14. Et Aggæus cap. II, 7 : « Adhuc unum modicum est, etc., et veniet desideratus cunctis gentibus. » Et Christus vadens ad mortem, *Joan.* XVI, 17 : « Modicum, et jam non videbitis me; et iterum modicum, et videbitis me. » Et vers. 22 : « Vos igitur nunc quidem tristitiam habetis : iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum : et gaudium vestrum nemo tollet a vobis. » Quocirca sapienter Tertullianus libr. *De Patientia* : « Idoneus, inquit, patientiæ sequester Deus : si injuriam deposueris penes eum, ultor est : si damnum, restitutor est : si dolorem, medicus est : si mortem, resuscitator est. Quantum patientiæ licet, ut Deum habeat debitorem! » Hoc significat *et redditio.*

Vers. 30. 30. BONUS SENSUS (id est, vir sensatus et patiens) USQUE IN TEMPUS ABSCONDET VERBA ILLIUS (id est, sua, *q. d.* Reprimet suam iram et impatientiam, ne in verba iracunda et maledica prorumpat) : ET (id est, idcirco) LABIA MULTORUM ENARRABUNT SENSUM ILLIUS, — *q. d.* Multi laudabunt et celebrabunt ejus prudentiam et sapientiam, quam in patientia ostendit. Unde Græca habent, « idem (patiens) verba sua tempestive supprimet, et labia multorum (hoc enim est πολλῶν, pro quo Romana legunt πιστῶν, id est, *fidelium*) consilium ejus prædicabunt. »

Hæc est decima quarta timoris Dei laus.

Ita S. Monica, ait S. Augustinus, IX *Confess.* cap. IX : « Noverat non resistere irato viro, non tantum facto, sed ne verbo quidem. Jam vero refracto et quieto, cum opportunum videret, rationem facti sui reddebat, si forte ille inconsideratius commotus fuerat. » Hac patientia et silentio jugem cum eo habuit pacem, tandemque eum ad Christum convertit.

Vers. 31. 31. IN THESAURIS SAPIENTIÆ SIGNIFICATIO DISCIPLINÆ, — scilicet, *est*; græce παραβολαὶ ἐπιστήμης, id est, *in thesauris sapientiæ sunt parabolæ scientiæ.* Parabolæ ab Hebræis vocantur sententiæ graves, abditæ, doctæ, prudentes, quæ docent et dictant, quomodo vita honeste, prudenter et sancte juxta Dei legem et disciplinam sit instituenda. Has quasi res pretiosas et gemmas in suis thesauris habet sapientia, indeque eas promit, et suis doctoribus communicat.

Vers. 32. 32. EXSECRATIO AUTEM PECCATORI, CULTURA DEI. — Græce, θεοσέβεια, id est, religio, pietas, cultus Dei, quem docet sapientia et disciplina, quique consistit in timore et amore Dei, uti dixi vers. 26 (et sic patet antithesis hujus hemistichii cum præcedenti: disciplina enim est cultura Dei): hic enim versus cum illo, licet verbis nonnullis discrepet, re tamen et sensu est unus et idem. Unde Tigurina vertit: « In thesauris sapientiæ latet scientia (Vatablus, *allegoria;* alii, *ænigmata;* alii, *parabolæ*, græca enim est παραβολαί) : sceleroso vero est pietas exsecrabilis. » Vox parabolæ significat, qualis fuerit, et esse debeat sermo et doctrina sapientum, nimirum, *parabola scientiæ*, id est, scita, prudens, arguta: hac enim in supellectile sapientiæ, et in illius thesauris reconditissimis nihil est pretiosius vel illustrius.

Dicitur autem, *significatio disciplinæ*; quia non debet parabola rem aperte ostendere, sed tantum sub obscure significare. Et hujus obscuritatis causam subjicit; quia peccator exsecrabitur sapientiam, et occludet aures, si clare illi salutaria de moribus probis consilia ingeras: qua de causa Christus suam sapientiam Pharisæis, eorum taxans vitia, et carnalibus Judæis ingerebat per parabolas, *Matth.* XIII. Sic Salomon suam sapientiam conscripsit et inscripsit:« Parabolas, quæ succinctis brevibusque sententiis ingentes et perfectos continent sensus, » inquit Origenes *Prol. in Cantica.*

Post hanc sententiam in vetusto codice Græco subjungitur ista: « Timor Domini, donum a Domino; etenim eximiæ dilectionis vias constituit. » Ut appareat multis modis hunc librum fuisse coagmentatum: prior enim sententiæ jam dictæ pars continetur vers.23 , posterior vers, 14.

TERTIA PARS CAPITIS,

QUA DOCET SAPIENTIAM ACQUIRI PER JUSTITIAM.

Vers. 33 33. FILI, CONCUPISCENS(legit Interpres, uti et S. Augustinus in *Speculo*, ac Complut. ἐπιθυμήσας,cum accentu in penultima: sed Romana editio Græca, S. Hieronymus in cap. X *Osee*, S. Hilarius in *Psal.* I, et S. Augustinus XXII *Contra Faust.* cap. LIII, legunt, ἐπιθύμησας,cum accentu in antepenultima: id est, *concupisti*, cum nota interrogationis: sed eodem redit sensus) SAPIENTIAM, CONSERVA JUSTITIAM (græce ἐντολὰς, id est, præcepta, mandata, *q. d.* Fili, si concupiscis ambisque sapientiam, observa Dei mandata; hæc te recto calle ducent ad sapientiam). ET DEUS PRÆBEBIT ILLAM TIBI, — tanquam sibi fideli amico, pio et obsequenti. Nam « in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis, » *Sap.* I. Justitia ergo hic generalis intelligitur, quæ consistit in observatione omnium mandatorum Dei: hæc enim hominem facit et denominat justum. Sic Psaltes toto *psal.* CXVIII, docet veram sapientiam sitam esse in lege Dei, ejusque custodia.

Id symbolice significatum fuit in matrimonio Jacob, qui prius duxit Liam, deinde Rachelem: Lia enim significat laboriosam justitiam : Rachel speciosam intelligentiam. Ita docet. S. Augustinus XXII, *contra Faustum*, cap. LIII: « Prior est, inquit, in recta hominis eruditione labor operantis quæ justa sunt, quam voluptas intelligendi quæ vera sunt. Ad hoc valet, quod scriptum est: Concupisti sapientiam? serva mandata, et Dominus præbebit illam tibi. Mandata utique ad justitiam pertinentia: justitia autem, quæ ex fide est, quæ inter tentationum incerta versatur, ut pie credendo quod nondum intelligit, etiam intelligentiæ meritum consequatur. » Et mox: « Proinde in his, qui flagrant ingenti amore perspicuæ veritatis, non est improbandum studium, sed ad ordinem revocandum, ut a fide incipiat, ut bonis moribus nitatur pervenire quo tendit. In eo quippe quo versatur, virtus est laboriosa: in eo vero quod appetit, luminosa sapientia. Illi ergo respondeatur: Pulchrum est quidem quod desideras, et amari dignissimum; sed prius nubit Lia, et postea Rachel. Ardor ergo iste ad id valeat, ut ordo non recusetur; sed potius toleretur, sine quo non potest perveniri ad id quod tanto ardore diligitur. Cum autem perventum fuerit, simul habebitur in hoc sæculo, non solum speciosa intelligentia, sed et laboriosa justitia. » Sic S. Marcella, ait S. Hieronymus, ep. *ad Principiam*, sequebatur illud Psaltis *Psal.* CXVIII: « A mandatis tuis intellixi, ut, postquam mandata complesset, tunc se sciret mereri intelligentiam Scripturarum. »

Est hic tertia capitis pars, qua post encomium sapientiæ et timoris Dei, modum ea assequendi præscribit, puta, justitiam, quæ sita est in observatione mandatorum Dei : timor enim Dei parit justitiam; justitia parit sapientiam. Causam subdit dicens:

Vers. 34. 34. SAPIENTIA ENIM ET DISCIPLINA (supple, est) TIMOR DOMINI, — *q. d.* Via et modus acquirendi sapientiam est justitia, sive observatio mandatorum Domini; quia sapientia est timor Domini, vel certe connexa cum timore Domini, ex quo ori-

tur justitia et observatio mandatorum. Ubi nota: Hæc tria, sapientia, timor Domini, observatio mandatorum, ita inter se connexa sunt, ut ubi est unum, ibi sint reliqua duo, et quantum crescit unum, tantum crescant reliqua duo: crescente ergo timore crescit observatio mandatorum, crescit et sapientia practica: « Quia mandatum lucerna est, et lex lux, et via vitæ increpatio disciplinæ. » *Prov.* VI, 23. Et: « Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua, » *Psal.* CXVIII, 18; et vers. 105: « Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis. » Vice versa, quantum crescit observatio mandatorum, tantum crescit et timor amorque Dei, ac proinde tantumdem crescit et sapientia, juxta illud: « Bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me; quia mandatis tuis credidi, » *Psal.* CXVIII, 66. Quocirca Job cap. XXVIII, 28: « Ecce, ait, timor Domini ipsa est sapientia: et recedere a malo, intelligentia; » quia, scilicet, sapientia practica, cum sita sit in actione honesta, sita pariter est in timore Dei, qui excitat ad omne honestum, ut vere sit sapiens, qui timet Deum, ejusque legi obedit.

Sapientia, timor Dei, et custodia legis, quem inter se habeant ordinem? Respondeo.

Nota: Hæc tria, scilicet, sapientia, timor Domini, observatio mandatorum, si proprie et per se sumantur, distinguuntur, sicut pater, filius, nepos; aut sicut prudentia, virtus, et ipsa actio virtutis. Nam sapientia est dictamen sapientiæ, quod dictat timendum esse Deum, ejusque mandata observanda. Timor deinde timet Deum, ac stimulat timentem Deum, ut ejus mandata observet. Unde tertio, timens Deum impulsus hoc timore mandata observat. Sic prudentia dictat amandam vel exercendam esse virtutem. Ex quo dictamine homo excitatur ad eam amandam, ut eam habitualiter possideat. Virtus deinde habitu possessa movet et stimulat eam possidentem ad exercendas actiones virtuosas. Igitur sapientia generat timorem Dei, timor generat observationem mandatorum: sicut prudentia generat virtutem, virtus generat actiones virtuosas; et sicut pater generat filium, filius gignit nepotem.

Hinc sequitur *primo*, hæc tria inter se esse connexa ita ut unum quodlibet sine aliis duobus consistere nequeat.

Dices: Potest esse sapientia sine timore, et prudentia sine virtute, ut patet in impiis; hi enim prudenter judicant esse sobrie vivendum, imo in particulari hic et nunc temperandum sibi esse a vino, ne se inebrient; et tamen dulcedine vini illecti intemperanter bibunt, seseque inebriant.

Resp. Hi habent prudentiam quamdam speculativam, et quasi in abstracto; non tamen habent veram sapientiam et prudentiam practice practicam, quæ actu imperat et elicit opus virtutis. Sicut enim pater dicitur, non qui potest generare filium, sed qui actu generat; et sicut gratia efficax non dicitur, nisi quæ persuadet voluntati consensum: sic pariter sapientia et prudentia vera, efficax et actualis non est, nisi quæ persuadet voluntati, ex eaque elicit actum virtutis. Causa enim in actu, et effectus in actu semper sunt simul: implicat enim causam causare effectum, et tamen effectum ab ea non produci. Igitur, ubi est vera et practica sapientia, ibi est timor Dei, et observatio mandatorum; atque ubi est vera et practica prudentia, ibi pariter est virtus et exercitium virtutis.

Sequitur *secundo*, ex eo quod hæc tria ita connexa sint, ut semper pari passu incedant, quod quantum crescit unum, tantum crescant et reliqua duo; quantum ergo crescit sapientia, tantum crescit timor et amor Dei; et quantum crescit timor et amor, tantum crescit observatio mandatorum.

Sequitur *tertio*, ex hac indissolubili horum trium connexione, quod sicut sapientia et prudentia crescens producit majorem timorem et virtutem, atque hæc majores virtutum actus: ita vice versa majora virtutum opera faciant crescere, et intendant habitum timoris et virtutis; et hic intendat habitum sapientiæ. Unde commune Philosophorum et Theologorum axioma est, actus intensos intendere habitum virtutis. Ac fides docet actus præsertim intensiores virtutum supernaturalium mereri, et secum affere augmentum gratiæ, charitatis et virtutum: sic fumus producit flammam, et flamma vicissim auget fumum. Quare non mirum, Siracidem hic nunc docere, quod sapientia pariat timorem et justitiam; nunc vice versa quod timor et justitia pariant sapientiam; quia, scilicet, ejus augmentum merentur et secum afferunt.

Sequitur *quarto*, licet hæc tria præcise sumpta distinguantur modo jam dicto, tamen propter intimam eorum connexionem commisceri, confundi et sæpe pro eodem sumi; sic enim prudentia ab Ethicis sæpe sumitur pro ipsa virtute, quam dictat et imperat: tunc enim prudentia vocatur non tantum dictamen prudentiæ, sed ipsa actio prudens, quæ non est alia quam virtus. Est synecdoche, vel metonymia. Simili modo Siracides hic sæpe commiscet et confundit sapientiam cum timore et justitia: quia sapientiam dilatat, et sumit non tantum pro dictamine sapientiæ, sed pro sapienti opere timoris et amoris Dei, quod ipsa imperat et producit. Unde vers. 20 ait: « Plenitudo sapientiæ est timere Deum; » et hoc vers. ait: « Sapientia et disciplina timor Domini, » et multa similia. Hæc valde nota, ut videas hic non committi circulum a Philosophis damnatum, atque concilies multa loca, quæ alioqui videntur esse contraria et inextricabilia.

Siracides hanc sententiam, uti et alias multas, mutuatus est a Salomone *Proverb.* XV, ubi cum dixisset Salomon, vers. 32: « Qui abjicit disciplinam, despicit animam suam: qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis; » causam sui dicti subjicit vers. 33, dicens: « Timor Domini, disciplina sapientiæ; » Hebr. « Timor Domini, eruditio sapientiæ; » Septuaginta

quos sequitur Siracides : « Timor Domini, disciplina et sapientia, » *q. d.* « Qui acquiescit increpationibus, possessor est cordis, » id est cordatus est et sapiens, suæque mentis dominus, quia talis habet timorem Dei : hic enim timor hominem disciplinæ et eruditioni subjicit, *q. d.* Nihil aliud liberam et sui juris humanæ mentis naturam, disciplinæ, id est directioni, correctioni et correptioni legis aut rectoris, cui cura et custodia legis incumbit, subdere et subjicere potest, nisi Dei timor. Hic enim « super omnia se superposuit, » *Eccli.* XXV, 14, adeoque mentem ipsam sibi, legique Dei subjugat : hanc vero ut occupavit, arbitrio suo regit et impellit, itaque fit id quod subdit Salomon : « Et gloriam, » quam affert Dei lex et sapientia, « præcedit humilitas, » quia quis humiliter se subjicit Dei legi et disciplinæ.

Vers. 35. 35. ET (id) QUOD BENEPLACITUM EST ILLIS (est) FIDES ET MANSUETUDO. — Græce clarius et brevius : καὶ εὐδοκία αὐτοῦ πίστις καὶ πραότης, id est *grata sunt ei fides et mansuetudo ;* quia in his duobus quasi cardinibus vertitur omnis Dei lex, timor, cultus, sapientia et prudentia. *Fides,* id est fidelitas, in actione consistit, eamque dirigit; quia facit ut fideliter præstemus officia, quæ tam Deo et proximis, quam quæ nobis ipsis debemus; *mansuetudo* in passione cernitur, ut scilicet mansuete omnia adversa, quæ patimur, toleremus. Εὐδοκία Græcis est benevolentia, beneplacitum, voluntas, puta, id quod Deus vult, in quo sibi complacet, quod ei gratum est, de quo delectatur, et quasi pascitur.

Unde, ET DEUS ADIMPLEBIT THESAUROS ILLIUS, — qui hæc duo habet, ut ostendat quam illa ipsi sint grata et beneplacita; *implebit,* id est, plenos ei afferet thesauros bonorum, tum spiritualium, tum corporalium; sic enim τὸ *implere* pro plenum facere, vel plenum afferre, passim hoc libro sumitur, uti dixi vers. 22. Hoc est quod ait S. Jacobus cap. III : « Quis sapiens et disciplinatus inter vos? Ostendat bonam conversationem in mansuetudine sapientiæ. » Vere Rabanus : « Omnis bonorum vita, ait, tranquilla est. Unde virtus et sapientia Dei, Christus suos docuit dicens : Discite a me, quia mitis sum et humilis corde; et invenietis requiem animabus vestris, *Matth.* XI. Et apte dicitur, quod implet thesauros illius : quia qui vere timet Deum, non potest esse sine fide et bonis operibus, quæ timentem Deum sacris virtutibus implent, et faciunt eum acceptabilem esse Deo. Unde in Ecclesiaste, cap. II, scriptum est : Homini bono in conspectu suo dedit Deus sapientiam, et scientiam, et lætitiam; peccatori autem dedit afflictionem et curam superfluam. »

Vers. 36. 36. NE SIS INCREDIBILIS (id est, incredulus, hoc est, primo, inobediens, rebellis, contumax) TIMORI DOMINI, — ut respuas ea quæ timor Dei agenda esse dictat. Unde aliqui legunt : « Contumax ne sis et incredibilis. » Ubi τὸ *contumax* irrepsit ex interpretatione et commentario alicujus interpretantis τὸ *incredibilis;* secundo, *ne sis* incredulus, id est, diffidens, *q. d.* Ne diffidas, cum in difficultates aliquas incideris, vel egestate premeris (unde Regia addunt, ἐνδεὴς ὢν, id est, *cum es egens*), te per timorem Domini inde liberandum, protegendum et salvandum, quasi Deus nolit, aut non possit tibi succurrere, ideoque ad opem dæmonis, puta, ad sagas et magos, vel ad hominum auxilia et solatia Deo diffisus confugias. Tigurina vertit : « Religioni Domini parere ne recuses, inops, nec ad eam ficto animo accesseris. »

ET NE ACCESSERIS AD ILLUM (timorem Domini, et consequenter ad ipsum Dominum) DUPLICI CORDE, — hoc est, non sincere, sed ficte et hypocritice, simulans exterius coram hominibus te velle Deum colere, illi fidere et obedire; cum interius in corde illi diffidas, et obstrepas. Patet ex sequentibus. De duplici corde plura dicam cap. II, 14. Transit a timore et sapientia ad ejus contrarium scilicet hypocrisin, ut illam per contrarium illustret; dixerat enim vers. 33, viam ad sapientiam esse justitiam, id est, observationem mandatorum Dei; nunc qualis ea esse debeat, ostendit, scilicet vera et sincera, non ficta et hypocritica; hypocrisis enim omnem veritatem, veramque justitiam, obedientiam et virtutem enervat et elidit.

37. NE FUERIS HYPOCRITA IN CONSPECTU HOMINUM (ut fingas te timere Deum, religiosum esse, devotum et sanctum, ac glorieris te ab iis talem haberi et prædicari. Quidam ex græco vertit : « Ne sis actor tragœdiæ seu comediæ, ne sis histrio, nec mimus ad ora hominum. » Hypocrita enim, dum aliam et aliam personam induit, est velut mimus et histrio. Tigurina more suo libere vertit : « Ne te conformes ad sermones hominum »), ET NON SCANDALIZERIS IN LABIIS TUIS. — Græce : « Attende labiis tuis, » ne, scilicet, per ea loquendo, tuamque sanctitatem ostentando, et prædicando, scandali et ruinæ tibi sis causa, quod Noster vertit : « Et (id est, ut) non scandalizeris in labiis tuis; » scandalum enim est offendiculum, casus et ruina. Vers. 37.

Hypocrisis symbolum est struthio, de quo hunc apologum scitis gnomis variegatum texit Cyrillus lib II. *Apolog. moral.* cap. XXII, cujus titulus : *Contra eos qui gaudent tantum videri, cum non sint :* « Struthio, inquit, positus inter aves, gloriæ cupidus, sed existentiæ vacuus, ostentationis vento mox alarum altioribus sparsis velis, majores se pennas habere gloriabatur. Cui aves dixerunt : Vanus quidem apparentiæ cortex, quem substantiæ medulla intus non implet, et propter hoc si alarum sublimium pennosa jactantia sursum corde levaris, earumdem potentia ventilatus, jam corpore nos præcede majori. Quo dicto, illis avolantibus, cum ipse terrestrior mole prægravatus in terra retineretur, subridens pomposum desuper corvus clamavit et dixit : Struthio frater, ubi est pennarum superbia? At ille respondit : Nimirum pedum gravitas impedit, cum volandi vis adsit. Cui corvus : Etsi asininus pes ponderat, cur tamen

tantilli capitis levitas et colli gracilitas non te levant? Siquidem apparentia, et non substantia est in causa; quare sic ergo gloriaris de sarcina? ala enim sine volatu est barda. Et sicut sextus digitus manum fœdat, sic ala te onerat. Igitur fœda res, et vanitas onerosa est pompa. Nimirum nunc vides te imitari naturam stellarum micantium, et earum nutu aut similitudine formari, quæ, cum apparent in cœlo, desinunt. Tota namque structura tua ad ostentationem spectat. »

Deinde idipsum duobus novis apologis, primo muris et talpæ, secundo muli et equæ confirmat. « Verum non audisti quid mus responderit talpæ de oculis glorianti, scilicet habere oculum et non visum, non minus esse quam monstrum. Unde apparere et non esse, monstrosa cæcitas est. Nam cum in oculis adsit pompa, tenebris tamen ipsa perfunditur, et visione privatur. Similiter superbientem ex sexu mulum taliter equa confudit, dicens : Apparentiæ quidem sexum habes, sed cares existentiæ fructu, adulterina conjunctione plasmatus. Sic orbata fructu, pompositas cernitur, quia est superbiæ perversæ nequam bardus. Nescis quod speculum, dum ex una parte lucidum apparet, ex altera inimica luci opacitate obscuretur? Apparentia certe sine existentia mendax est. Quibus auditis, struthio obmutuit. »

Et talpa.

Et mulus.

Vers. 38. 38. ATTENDE IN ILLIS, NE FORTE CADAS (græce : « Non extollas teipsum, ne cadas; » S. Ephrem tract. *de Humilitate* : « Non exaltes teipsum, ne forte cadas, ») ET ADDUCAS ANIMÆ TUÆ INHONORATIONEM, — puta infamiam, probrum et dedecus; modum subjicit dicens :

Vers. 39. 39. ET REVELET DEUS ABSCONSA TUA (absconditam in corde tuo hypocrisin, impietatem et scelera); ET IN MEDIO SYNAGOGÆ (id est, magnæ multitudinis; Tigurina, « in medio cœtu; » Vatablus, « in media concione ») ELIDAT TE. — Græce, καταβαλεῖ σε, id est, dejiciat, prosternat te. Nota hic condignam hypocritarum pœnam congrue a justo Dei judicio eis irrogari solitam, *q. d.* Ne te simules, ostentes, prædices religiosum et sanctum, cum sis irreligiosus, impius et hypocrita; quia solet Deus hypocrisin detegere, ac hypocritas, qui apud populum falsum sanctitatis et religionis nomen aucupati sunt, prodere, ut omnes videant eorum fictionem et nequitiam, itaque infamia, probro et dedecore publico eos notare et mulctare, uti ordinarie fieri videmus in hac vita; sed certissimo id fiet in futura : Christus enim in die judicii omnem hypocrisin aperiet, et hypocritas publica et horrenda ignominia afficiet, dum ob scelera, quæ pandet, eos damnabit ad tartara.

Deus hypocrisin detegit.

Ita Christus patefecit et confudit coram populo hypocrisin Pharisæorum : « Attendite, inquit, a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis, » *Lucæ* XII. Ita pariter Christus elisit hypocrisin, nomen et factum Simonis Magi, qua se Prophetam divinum, imo Deum simulans, ut talis a Nerone et Romanis colebatur, cum eum superbe per aera in cœlum ope dæmonis volantem, ad preces S. Petri, spectante Nerone et toto populo, ex alto præcipitavit, ejusque crura saxo allidens confregit; unde Simon confusus, præ pudore ex Urbe fugiens, mox dolore et mœrore animam infelicem exhalavit. « Tunc igitur, inquit S. Maximus homil. 5 *in Natali Apost. Petri et Pauli*, Petrus velut vinctum illum de sublimi aere deposuit, et quodam præcipitio in saxo elidens ejus crura confregit, et hoc in opprobium facti illius; ut qui paulo ante volare tentaverat, subito ambulare non posset ; et qui pennas assumpserat, plantas amitteret. »

Exempla

Quocirca vere Isidorus Pelus. lib. II, Epist. 24, hypocritam vanæ gloriæ cupidum opponens humili, ait « hypocritam vitrum veri margariti loco ponere, » id est, vanam gloriam pro vera æstimare, ac opera inania et fucata pro magnis, magnique valoris et meriti apud Deum ostentare (in quem quadrat illud adagium : « Tanti vitrum, quanti margaritum, teste Tertulliano lib. IV *Contra Marcionem*) ; e contrario humilem veras margaritas sua æstimatione pro vitreis ducere, » tum quia suas virtutes et opera bona parvi æstimat, et imbecillia ac fragilia instar vitri; tum quia per ea quasi per vitrum in Deum prospicit, omnia Deo, Deique gratiæ attribuens et resignans.

Ita detexit Deus occulta scelera Dioscori, qui, æque ac Nestorius, specie humilitatis et sanctitatis occultans internam arrogantiam et scelera, irrepserat in episcopatum Alexandrinum ; cum effecit ut in Concilio Chalcedonensi adversus eum darentur libelli, quibus ipse convincebatur Origenista, arianus, homicida, incendiarius, vitaque turpissimus. Nihil enim magis Dei Ecclesiæ obesse compertum est, quam cum sub involucro sanctitatis iniquitas tegitur, et impietas horrenda visu, fuco religionis picta progreditur, fallens oculos intuentium. Facile namque est cavere, quos manifestos intelligas hostes ; occultos autem quis effugiet? « Quis revelabit faciem indumenti ejus? portas vultus ejus quis aperiet? » ait Job cap. XLI.

Ita Alfonsus rex Aragoniæ, teste Parnormitano lib. II *De Gestis* ejus, cap. IX, cum audisset Antonium Picentem, qui nomine abstinentiæ et sanctitatis Italiam et Hispaniam compleverat, ac cum Angelis versari et colloqui ferebatur, in morte suam prodidisse hypocrisin, atque a vermibus comestum misere interiisse, sapienter dixit : « Propterea Deus in hypocritas tantopere sævit, quod, dum homines decipiunt, interponunt Deum ipsum tanquam sceleris mediatorem, ideoque ut plurimum viventes adhuc plectuntur in hominum oculis, quos Dei nomine fefellerunt : ut intelligant mortales a tali monstro maxime sibi cavendum esse, quod Deum ipsum non tantum post mortem, sed etiam in vita ipsa indubitatum habet ultorem. »

Ita mendicum illum simulantem se mortuum,

ut socius ejus pro ipso sepeliendo pecuniam a S. Epiphanio impetraret, vera morte Deus punivit, uti refert *Tripart. Histor.* lib. IX, cap. XLVIII. Ita hypocrisin monachi cujusdam revelavit Deus S. Euthymio, cum Angelum vidit horrenda specie, tridente gravi, animam illius e corpore extrahentem, teste Nicephoro lib. XIV, LII. Ita hypocrita monachus fingens se abstinere cibis, cum occulte comederet, in morte coactus est idipsum publice confiteri, atque addere : « Ecce nunc ad devorandum draconi traditus sum, qui cauda sua mea genua pedesque colligavit; caput vero suum intra meum os mittens, spiritum meum ebibens extrahit; » uti refert S. Gregorius IV, *Dialog.* 38.

Ita hypocrisin suam detexit Doctor Parisiensis; cum enim in vita ab omnibus probus haberetur, mortuus ex feretro proclamavit : « Justo Dei judicio accusatus, judicatus et condemnatus sum.» Qua voce perculsus S. Bruno cum sociis Ordinem Carthusiensium instituit.

Ratio a priori. Porro facit id Deus, quia ipse est cardiognostes, eique soli patent cordis arcana. Ejus ergo, qui prima est Veritas, quæ exsecratur omnem fallaciam, est cordis falsitatem aperire. Ejus, qui est ipsa fidelitas bonorum provida, est fraudes in corde latentes detegere, ne per eas in hæreses et errores deducantur cæteri fraudis ignari. Ejus, qui est ipsa justitia sincera et integra, est hypocrisin aperire, judicare, damnare : ipse enim solus est inspector mentium, et judex cordium. Hoc est quod ait Apostolus *Hebr.* IV, vers. 12 : « Vivus est enim sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti ; et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis. Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus; omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus. » Vide ibi dicta. Hinc in Scriptura viri religiosi et sancti dicuntur ambulasse cum Deo, conversati esse in oculis Dei, vixisse in conspectu Dei ; quia, uti ore, ita et corde sinceræ studentes sanctitati, simpliciter serviebant Deo. Unde in Scriptura vocantur *simplices.* Sic Job, cap. I, 1, vocatur vir *simplex,* hebr. תם *am,* id est, perfectus; simplicitas ergo est perfectio, et hominem facit perfectum.

Tropol. Rabanus, et ex eo Palacius : Simplex est, inquiunt, qui uni servit Deo; duplex, qui vult gaudere cum seculo, et regnare cum Christo. Qui Dei est per fidem, mundi per amorem: Deo dedit intellectum, mundo affectum. Hi sunt quos Elias dicit claudicare in duas partes, colentes simul Deum et Baal. Hi sunt Samaritani, servantes legem Dei, et simul servientes idolis suis. At esse Samaritanum, erat tunc injuria summa. Hi sunt hypocritæ; ostentantes se esse Christianos exterius, cum longe ab ea vita absint interius. Quis enim non videt te hypocritam vocandum, si, cum Christianum te verbis, fatearis, factis te Christianum non esse ostendas? Plane, si libere loqui liceat, magnam Christianorum partem vocabimus hypocriticam : utpote quam scimus aliud dicere verbis, aliud factis confiteri. Vis ergo esse sincerus, sapiens et simplex? opere præsta, quod verbo profiteris : « ne scandalizeris in labiis tuis; » scandalizatur enim, id est, impingit et offendit in labiis, qui fidem et legem, quam labia ejus sonant, prævaricatur et violat; qui aliud labiis loquitur, aliud corde et opere exsequitur. Hic sibi parat dedecus in die judicii : quia tunc Deus « revelabit omnia absconsa tua. » Tunc enim libri aperientur, et intelligent omnes te alium fuisse exterius, alium interius. Tunc patebunt omnia scelera tua in conspectu totius mundi. Et « in medio » illius « synagogæ, » et conventus universalis Deus « elidet te, » projiciens in voraginem (tunc enim terra aperietur), et inde in infernum, ubi elisus ardebis in æternum. Cur ita? Cur tanto misero pœna?

40. QUONIAM ACCESSISTI MALIGNE AD DOMINUM, ET COR TUUM PLENUM EST DOLO ET FALLACIA. — Debueras accedere ad Deum simplici animo; at duplicem animum adduxisti. Debueras accedere vere et sincere; accessisti hypocritice, fallendo hominum oculos, qui credebant te esse Christianum intus et extra. Ideo pœnam patieris sempiternam. Veritas vere coli vult, non falso. Hucusque Palacius. Quocirca Theodoretus in *Hist. Patrum,* cap. XXI, refert Jacobum Anachoretam, cum minister scyphum ejus absconderet, ne ab adventantibus videretur, id prohibuisse, ac dixisse : « Absit, o fili, ne celes homines ea quæ sunt aperta Deo universorum : illi enim soli volens vivere, nullam humanæ gloriæ curam gero. Quid enim me juverit, si hi quidem magis me laborasse, et majori exercitatione usum esse sciverint; Deus vero minori? Non enim sunt hi datores mercedis pro laboribus, sed Deus est suppeditator. » Vers. 40.

QUONIAM ACCESSISTI MALIGNE AD DOMINUM. — Sic quoque legit S. Augustinus in *Speculo. Maligne,* id est dolose, ficte, dupliciter. Nam græce est : « Quia non accessisti in veritate, » id est vere et sincere, « ad timorem; » quia accedendo ad timorem Domini, accedimus ad ipsum Dominum; Tigurina : « Eo quod ad religionem ejus non accesseris sincere, sed animum dolosum attuleris. »

Denique Syrus hæc omnia a vers. 36, hucusque paraphrastice ita vertit : « Dilige timorem Domini, et confirma cor tuum, et ne timeas; accede, et ne tardes, et invenies vitam spiritui tuo; et cum fueris appropinquans tanquam gigas et robustus, fili mi, ne mentiaris in timore Domini, et ne accedas ad eum duplici corde, et ne honorem quæras de illo in oculis hominum, et in labiis tuis esto cautus ad verum, ne spernas eloquium ejus, et ne movearis, et ne multiplices animæ tuæ ignominiam; ne forte multiplicet Dominus vincula tua, et in medio Ecclesiæ dejiciat

te; quia nominatus fuisti in timore Dei, et internum cordis tui plenum est fraude. »

Ex dictis liquet principium, radicem et quasi rationem a priori omnium quæ hoc capite dicta sunt, esse augustam præstantiam, sanctitatem, et majestatem Sapientiæ primæ et increatæ, quæ est ipsa deitas, ipseque Deus. Quia enim Deus summe sapiens, summe sanctus, summe potens et immensus quaquaversum est; hinc omni timore, amore, cultu, reverentia dignissimus est: quæ deinde ipse sapientiæ creatæ suo modo communicat, sed limitate.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Cap. I. *Siracides sapientiæ encomia celebravit, ut ea omnibus commendaret, modumque eam acquirendi præscripsit, scilicet, justitiam et custodiam legis. Nunc ejus dogmata et præcepta tradit, et sigillatim percenset. Primum ergo hoc cap. tradet dicens:* « *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem.* » *Hic itaque locus illustris est de tentatione, cujus et remedia assignat. Primum est præservativum, scilicet, eam exspectare et ad eam se præparare, vers.* 1. *Secundum, humiliare et deprimere cor suum, vers.* 2. *Tertium est sapientia:* « *Sustine,* » *ait vers.* 2. *Quartum est, audire consilia sapientum, vers* 2. *Quintum, non trepidare, vel nutare; sed esse firmum et constantem:* « *Ne festines in tempore obductionis,* » *ait vers.* 2. *Sextum est, jungere se Deo, illique firmiter adhærere, vers.* 3. *Septimum est, resignare se in voluntatem Dei:* « *Omne, ait vers.* 4, *quod tibi applicitum fuerit, accipe et in dolore sustine.* » *Octavum est, firma in Deum fiducia:* « *Crede Deo, ait vers.* 6, *et recuperabit te: et dirige viam tuam, et spera in illum.* » *Nonum est, constans Dei timor et amor:* « *Serva timorem illius, et in illo veterasce,* » *ait vers.* 6, *usque ad finem capitis eumdem commendat, estque parænesis et adhortatio ad spem, timorem, cultum et amorem Dei.*

1. Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore; et prepara animam tuam ad tentationem. 2. Deprime cor tuum, et sustine: inclina aurem tuam, et suscipe verba intellectus; et ne festines in tempore obductionis. 3. Sustine sustentationes Dei: conjungere Deo, et sustine, ut crescat in novissimo vita tua. 4. Omne, quod tibi applicitum fuerit, accipe: et in dolore sustine, et in humilitate tua patientiam habe. 5. Quoniam in igne probatur aurum et argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis. 6. Crede Deo, et recuperabit te: et dirige viam tuam, et spera in illum. Serva timorem illius, et in illo veterasce. 7. Metuentes Dominum, sustinete misericordiam ejus, et non deflectatis ab illo, ne cadatis. 8. Qui timetis Dominum, credite illi: et non evacuabitur merces vestra. 9. Qui timetis Dominum, sperate in illum: et in oblectationem veniet vobis misericordia. 10. Qui timetis Dominum, diligite illum, et illuminabuntur corda vestra. 11. Respicite, filii, nationes hominum: et scitote quia nullus speravit in Domino, et confusus est. 12. Quis enim permansit in mandatis ejus, et derelictus est? aut quis invocavit eum, et despexit illum? 13. Quoniam pius et misericors est Deus, et remittet in die tribulationis peccata: et protector est omnibus exquirentibus se in veritate. 14. Væ duplici corde, et labiis scelestis, et manibus malefacientibus, et peccatori terram ingredienti duabus viis! 15. Væ dissolutis corde, qui non credunt Deo, et ideo non protegentur ab eo! 16. Væ his qui perdiderunt sustinentiam, et qui dereliquerunt vias rectas, et diverterunt in vias pravas! 17. Et quid facient, cum inspicere cœperit Dominus. 18. Qui timent Dominum, non erunt incredibiles verbo illius: et qui diligunt illum, conservabunt viam illius. 19. Qui timent Dominum, inquirent quæ beneplacita sunt ei: et qui diligunt eum, replebuntur lege ipsius. 20. Qui timent Dominum, præparabunt corda sua,

et in conspectu illius sanctificabunt animas suas. 21. Qui timent Dominum, custodiunt mandata illius, et patientiam habebunt usque ad inspectionem illius, 22. dicentes : Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, et non in manus hominum. 23. Secundum enim magnitudinem ipsius, sic et misericordia illius cum ipso est.

PRIMA PARS CAPITIS.

Vers. 1. 1. FILI, ACCEDENS AD SERVITUTEM DEI, STA IN JUSTITIA ET TIMORE, ET PRÆPARA ANIMAM TUAM AD TENTATIONEM. — Arabicus : « O fili mi, si adhæsisti timori Dei, commuta animæ tuæ omne malum ; Syrus : « Fili, si accedes ad timorem Dei, exposuisti animam tuam omni tentationi. Adhære illi (timori Dei), et ne dimittas eum, ut sapiens fias in viis tuis ; » Tigurina : « Fili, cultum Dei aggressurus, fac in justitia sollicite persistas, et animum tuum pares adversus tentationem. »

Siracides, dans sapientiæ dogmata et præcepta, sequitur ordinem Decalogi et naturæ ; unde incipit a Deo Deique cultu. Primum ergo hoc est ejus dogma et præceptum, sed trimembre. Tres enim continet partes, et tria præcepta ; *primum* : « Accede ad servitutem Dei, » servi Deo ; *secundum* : « Sta in justitia et timore ; » *tertium* : « Præpara animam tuam ad tentationem. » Pari modo sapientes Ethici, tam sacri, quam profani, suam Ethicam ordiuntur a Deo, Deique religione. Unde S. Isidorus, II *Sentent.* cap. I : « Primum, inquit, sapientiæ studium est quærere Deum, deinde honestatem vitæ cum innocentiæ opere. » Servitus Dei non est vilis et coacta servorum, sed nobilis (servire enim Deo, regnare est) et religiosa Dei cultorum, puta, Dei cultus et religio. Hæc enim passim in Script. præsertim in Levitico et Numeris vocatur אבודה *aboda*, id est, servitus, cultura, ministerium. Ibi enim officia, ritus et cæremoniæ Levitarum in tabernaculo vocantur *aboda*.

Porro occasio hæc scribendi Siracidi fuit, quod sub hoc tempus Judæi graviter afflicti fuerint a Ptolemæo Lagi, qui Alexandro Magno in regno Ægypti successit. Hic enim dolo cepit Jerosolymam, Judæos acerbe et inclementer tractavit, multos captivos in Ægyptum traduxit, ibique eos sedes figere jussit. Ulcus ei succedens Ptolemæus Philadelphus, in gratiam Eleazari et Septuaginta Interpretum, centum viginti millia Judæorum manumisit, et ex Ægypto in Judæam remisit, uti narrat Josephus, lib. XII *Antiq.* cap. I et II. Hæc ergo gravis fuit Judæorum tentatio, ob quam nonnulli a judaismo ad gentilismum transierunt. Unde videtur sub hoc tempus, ad eos in Dei servitute et religione confirmandos, hæc scripsisse Siracides. Accessit et alia tentatio Samaritarum schismaticorum, de qua dicam vers. 14.

Præclare S. Ephrem tract. *de Patientia* : « Qui Deo placere cupit, ait, ejusque hæres per fidem evadere, ut et ipse filius Dei appelletur, et Spiritu Sancto genitus, ante omnia longanimitatem apprehendens ac patientiam, debet fortiter obvias quasque sufferre tribulationes, angustias, atque necessitates, sive corporales morbos ac passiones, sive improperia atque injurias ab hominibus, sive etiam diversas invisibiles anxietates, quæ a spiritibus malignis inferuntur animæ. »

STA IN JUSTITIA ET TIMORE. — Hæc verba desunt in Græcis modernis ; sed ea legit S. Augustinus in *Speculo*, et Cyprianus tract. *De Mortalite*. Unde patet olim ea fuisse in Græco, et Interpretem nostrum esse pervetustum, qui pleniora habuerit exemplaria Græca, quam modo sint. Per *justitiam* intellige observationem mandatorum Dei : hanc enim exigit Dei servitus, imo in hac consistit, ut dixi cap. I, 33. Sensus est, *q. d.* Si vis Deo servire ejusque obsequio te mancipare, constanter observa ejus jussa et mandata, ac fuge peccata omnia, quæ eis repugnant : hæc enim ille odit et vetat, sicut illa amat et mandat.

Nota τὸ *sta*, *q. d.* Persiste firmus, constans et immobilis quasi rupes, contra omnes hostes et tentationes, quæ mox ingruent et te invadent, uti sequitur : ideoque justitiæ huic constanti misce timorem, ne tibi præfidens deseraris a Deo, sinarisque in tentationem ruere et consentire, juxta illud : « Qui se existimat stare, videat, ne cadat, » I. Cor. X. Rursum Dei *timor*, id est, metus et reverentia, te in tua justitiæ statione confirmet, dum te cautum facit et sollicitum, ne Deum offendas, et justitiam excedas. Optimus enim gratiæ et justitiæ custos est metus. « Animus vereri qui scit, scit tuto ingredi, » ait Seneca in *Sentent.* littera *A*. S. Ephrem tract. *De Patient.* citans hæc verba Ecclesiastici : « Si porro, inquit, fortiter strenueque non perfert, sustinendo quamlibet tentationem ac tribulationem ; verum tristatur ac tædio afficitur, indignatur et angitur, parumque de certamine laborat ; vel etiam desperat, quasi non sit unquam liberanda, quod ipsum malitiæ ipsius est inventum ac artificium, in socordiam atque ignaviam pusillanimitatemque conjicientis animam, et spei compotem non effectam, qua semper misericordiam exspectet Domini in fide certa, nihilque hæsitante. Cujusmodi quidem anima vitam in futuro non promeretur, quoniam cunctorum se Sanctorum sequacem non præbuit, neque Domini vestigia est prosecuta. Considera ac cerne quo pacto ab initio Patriarchæ, Prophetæ et Apostoli ac Martyres per tribulationum atque tentationum vias pertranseuntes, ita potuerint placere Deo : qui for-

titer quamcumque perferentes tentationem atque tribulationem, etiam inter angustias gavisi sunt, propter spem retributionis mercedis, quæ exspectatur; sicut ait Scriptura: Fili, accedens ad servitutem Dei, dirige cor tuum, et sustine. Rursusque Apostolus dicit: Quod si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes; ergo adulterini et non filii estis. Alibique iterum: Omnia, quæ superinferuntur tibi, tanquam bona amplectere, sciensque absque Deo nihil fieri. » Denique qui timore Domini imbui et perfici cupit, legat S. Ephrem, qui spiritu timoris et compunctionis cæteros Patres antecellit, et non nisi timorem, amorem et vitam cœlestem spirat.

ET PRÆPARA ANIMAM TUAM AD TENTATIONEM — sustinendam et superandam. Tentabit enim te caro, mundus et dæmon: hos enim hostes lacessis et provocas, qui lacessiti et irritati acrius in te insurgent, tum per prospera, tum per adversa: hi enim duo sunt tentationum omnium fontes. Vide S. Gregorium XXIV *Moral.* XIII. Primum Siracidis monitum est: « Præpara te ad tentationem. » Causam dat S. Leo serm. 1 *de Quadrag.* cap. III: « Vir enim, ait, sapientia Dei plenus, sciens studium religionis laborem habere certaminis, cum prævideret pugnæ periculum, ante admonuit pugnaturum; ne forte, si ad ignorantem tentatio accederet, imparatum citius vulneraret. » Præpara ergo te ad tentationem, *primo* per orationem, juxta illud Christi *Matth.* XXVI: « Vigilate et orate, ne intretis in tentationem; » *secundo*, per fugam occasionum: nam « qui tangit picem, inquinatur ab ea, » *Eccli.* XIII; *tertio*, per providentiam prævidendo futura pericula et certamina, ac contra ea arma accersendo; *quarto*, per animi firmitatem, obfirmando te contra omnes tentationes venturas, juxta illud *Psal.* CXVIII: « Juravi, et statui custodire judicia justitiæ tuæ. » Ita Palacius. Hinc S. Hieronymus hac sententia, *Epist.* 34, consolatur Julianum, qui filiabus simul et uxore erat orbatus: « Fili, inquit, accedens ad servitutiem Dei, præpara animam tuam ad tentationem, et cum omnia feceris, dicito: Servus inutilis sum; feci quod facere debui. Tulisti liberos, quos ipse dederas. Recepisti ancillam, quam mihi ob breve solatium commodaveras. Non contristor, quod recepisti: sed gratias ago quod dedisti. »

Causa cur servi Dei tentantur. Prima.

Quæres: Cur accedenti ad servitutem Dei parata est tentatio? Resp. Causæ sunt multæ. *Prima*, quia talis recedit a servitute diaboli, qui indignans se suo peculio et jure herili privari, eum ut servum fugitivum et apostatam persequitur, tentatque, ut ad sua castra, ad suum jus et dominium reducat. Talis ergo fixum habeat, certoque sibi proponat, se diabolum omnesque dæmones ad bellum, imo duellum perpetuum provocare et excitare. Audi Origenem homil. 9 *in lib. Judic.*: « Venisti, inquit, ad aquam baptismi; istud est certaminis et pugnæ spiritualis initium: hinc tibi adversus Zabulum nascitur pugnæ principium. » Quod etiam luculenter explicat Gregorius *in Job* cap. III, ad illa verba: « Qui parati sunt suscitare Leviathan. » « Omnes, ait, qui ea, quæ mundi sunt, mente calcant, et quæ Dei sunt, plena intentione desiderant, Leviathan contra se suscitant; quia ejus malitiam instigatione suæ conversationis inflammant. Dolet contra se captum reniti, et mox zelo accenditur, mox ad certamen movetur, mox ad tentationes innumeras contra rebellantem mentem se excitat. » Et alibi *Job.* XL, ad illa verba: « Absorbebit fluvium, et non mirabitur. » « Illos magnopere rapere nititur, ait, quos, despectis terrenis studiis, jungi jam cœlestibus contemplatur. Itemque toto nunc annisu in illorum mortem se erigit, quos contra se regeneratos tabescit. Jordanem sitit, et toties in os illius Jordanis fluit, quoties christianus quisque ad iniquitatem defluit. »

S. Hieronymus ita ad Eustoch. *de custod. virgin.* scribit: « Non quærit diabolus homines infideles; de Ecclesia Christi rapere festinat; escæ ejus, » secundum Habacuc cap. I, « electæ sunt. Job subvertere cupit, et devorato Juda ad cribrandos Apostolos expetit potestatem. » Idem docet S. Gregorius lib. IV *Moral.* cap. II, citatque hunc locum Ecclesiastici. Porro, quo quis magis virtuti et sanctitati studet, eo magis infestat eum diabolus. « Quanto enim quis, ait Rabanus, se a mundi errore avertere certat, et ad servitutem Dei coadunare festinat, tanto graviora bella ac certamina ab hostibus tolerat. Quisquis enim accingi in divino servitio properat, quid aliud quam contra se antiqui adversarii certamen parat? ut liber in certamine ictus suscipiat, qui quietus sub tyrannide in captivitate serviebat. » Unde S. Hilarius in cap IV S. Matth.: « In sanctificatis nobis, inquit, maxime diaboli tentamenta grassantur. » Ut enim idem Hilarius ait: « Victoria ei est magis exoptata de sanctis. » Et Euthymius *in Matth.* IV: « Ubi, inquit, divitias videt, ibi aciem ex adverso instruit. »

Quam ob causam merito Chrysostomus homil. 31 *in Genes.*, dæmones ait similes esse piratis: « Quemadmodum, inquit, piratæ, quando vident navem multis mercibus oneratam, et plurimas adducentem divitias, tum potissimum variis moliuntur insidiis, ut possint mercibus omnibus navigantes illos spoliare: ita sane diabolus, cum videt spirituales divitias coacervatas, alacritatem fervidam, mentem vigilem, et quotidie divitias augeri, cruciatur, et dentibus frendet, et quasi pirata circuit, et innumeras excogitat artes, ut si qua vel parvum inveniat aditum, quidquid in nobis est spiritualium divitiarum deprædetur. » Et in eamdem sententiam S. Leo serm. 1 *de Quadrag.*: « Intelligamus, ait, quanto studiosiores pro nostra salute fuerimus, tanto nos vehementius ab adversariis impetendos. » Sic etiam loquitur Isidorus lib. III *De Sum. bono*, cap. V: « Quia diabo-

lus in sanctis intrinsecus non regnat, contra eos extrinsecus pugnat; et qui intrinsecus amisit dominium, exterius commovet bellum. »

Secunda. *Secunda* causa cur fidelis mox a conversione debeat tentationes exspectare, et parare se ad multas afflictiones, est, quia vitia cuncta eum impugnant, adeoque cum concupiscentiis omnibus sibi innatis, et indulgentia prioris vitæ adauctis, planeque inolitis, jugiter ei dimicandum est : cupiditates enim, dum mortificantur, acrius exsurgunt, et caput exerunt, instar aspidis. Ita S. Hieronymus *Epist.* 1 : « Erras, frater, erras, si putas unquam christianum persecutionem non pati. » S. Leo serm. 9 *de Quadrag.*: « Nunquam deest tribulatio persecutionis, si nunquam desit observantia pietatis. » Egregie vero Chrysostomus homil. 8 in II *ad Timoth.*:« Nemo certans requiem quærit : nefas est pugilem Dei vacare deliciis; non licet epulari luctantem. Luctamen quidem sunt præsentia omnia, certamen, bellum, stadium; aliud est quietis tempus; hoc ærumnis deputatum est atque sudoribus : nullus, ubi ad certamen se exuit unctusque est, requiem quærit. » S. Bernardus sermone 1 *de Convers. S. Pauli* : « Videbatur, ait, jam cessasse persecutionis tempus; sed, ut palam factum est, nunquam deest persecutio christiano. »

Undique imminent nobis certamina, quin etiam intra nos ipsos intestino bello oppugnamur. Ita Chrysostomus homil. 24 *in Act. Apostol.* « Vides, inquit, nunc majorem esse persecutionem, invadentibus nos undique affectionibus tanquam bestiis? Nunc est gravis persecutio, vel ob hoc, quod non putatur esse persecutio : etenim etiam hanc difficultatem habet bellum, quod pax putatur, ut ne contra illud arma sumamus, vel insurgamus, nullus formidat, nullus tremit. » Et in eamdem sententiam S. Hieronymus *Epist.* 1 : « Tunc, ait, maxime oppugnaris, si te oppugnari nescis. » Enumerat deinde vitiorum oppugnationen : « Inde, inquit, me persequitur luxuria; inde avaritia conatur irrumpere; inde venter meus vult mihi Deus esse pro Christo; compellit libido, ut habitantem in me Spiritum Sanctum fugem, ut templum ejus violem. »

Id olim in Ismaele, qui, ut ait Paulus *Galat.* IV, 29, Isaacum persequebatur, fuisse significatum longa oratione docet Origenes homil. 7 *in Genes.*: « Si caro, inquit, cujus personam gerit Ismael, qui secundum carnem nascitur, spiritui blandiatur, qui est Isaac, et illecebrosis cum eo deceptionibus agat, et delectationibus illiciat, voluptatibus molliat; hujusmodi ludus carnis cum spiritu Saram maxime, quæ est virtus, offendit; et hujuscemodi blandimenta acerbissimam persecutionem judicat Paulus. Et tu ergo, o auditor, non illam solum persecutionem putes, quando furore Gentilium ad immolandum idolis cogeris; sed si forte te voluntas carnis illiciat, si tibi libidinis alludat illecebra; hæc, si virtutis es filius, tanquam persecutionem, maxime fuge. Sed, si injustitia blandiatur, et gratia ejus flexus non rectum judicium feras, intelligere debes, quia sub specie ludi blandam persecutionem ab injustitia pateris. Verum et per singulas malitiæ species, etiamsi molles et delicatæ sint, et ludo similes, has persecutionem spiritus dicito. » Quocirca vere Beda in *Proverbiis* : « Ante conversionem, inquit, præcedit turba peccatorum; post conversionem sequitur turba tentationum. Amor enim seculi contemptus est Dei; et vicissim amor Dei, contemptus est seculi. » Rursum : « Diu jacens in peccatis, diu quoque, si converti voluerit, diabolicæ tentationis molestias sustinebit. »

Tertia causa est, quia socii et amici, videntes se ab eo, qui statuit pie vivere, deseri, in eum insurgunt, sicut Ismael insurrexit in Isaacum, Esau in Jacob, fratres in Josephum. Ita S. Augustinus tract. 12 *in Joannem* : « Quam lusionem, inquit, dicit Scriptura vidisse Saram, hanc persecutionem dicit Apostolus; plus ergo vos persequuntur, qui vos illudendo seducunt. » Et post multa : « Illa lusio, illusio erat; illa lusio deceptionem significabat; nam magnum sacramentum attendat charitas vestra. Persecutionem illam vocat Apostolus ipsam lusionem, ipsum lusum persecutionem vocat, » et multa deinceps. Tertia.

Eodem spectant, quæ scribit Gregorius lib. IX *Reg.* epist 39; malorum enim societatem esse persecutionem ait ipse : « Ego, inquit, Abel esse non suspicor, qui Cain non habuerit; boni enim, si sine malis fuerint, perfecti esse boni non possunt, quia minime purgantur; ipsa autem malorum societas, purgatio bonorum est. Tres in arca filii Noe fuerunt : unus irrisor patris exstitit, qui, etsi in se benedictus fuit, maledictionis tamen sententiam in filio suscepit. Duos Abraham, prius quam uxorem Cethuram duceret, filios habuit; sed tamen carnalis ejus filius est repromissionis filium persecutus; quod magnus Doctor exponit dicens : Sicut autem is, qui secundum carnem est, persequebatur eum qui secundum spiritum; ita et nunc. »

Bernardus vero, sermone 1 *de Convers. Pauli*, deplorat Ecclesiæ conditionem, in qua reperiuntur qui non modo christianos, sed ipsum etiam Christum persequuntur. Alibi vero serm. 6 *in Psal. Qui habitat*, explicans Davidis verba : « Non timebis a timore nocturno, a sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu et dæmonio meridiano, » quatuor recenset persecutionum genera, quibus, tum privatim singuli, tum universa Ecclesia maxime oppugnatur. Præclare S. Augustinus serm. 78 *de Temp.*:« Sicut duo parvuli, inquit, in utero Rebeccæ collidebantur; sic in utero Ecclesiæ duo sibi populi jugiter adversantur : in ventre spiritalis Rebeccæ, Ecclesiæ, duo populi colliduntur; humiles, scilicet, et superbi; casti et adulteri. »

Quarta causa, sunt hostes et æmuli qui, virtuti Quarta.

ejus quem oderunt invidentes, eum insectantur maledictis, acribus verbis, et subinde verberibus. Id suos præmonuit Christus *Matth.* x, 17 : « Cavete, ait, ab hominibus; tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos. » Et paulo post, vers 21 : « Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium, et insurgent filii in parentes, et morte eos afficient, et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. » Denique vers. 23 : « Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. » Et alibi *Joan.* xv, 19 : « Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis; mundus, quod suum erat, diligeret; quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. » Et post nonnulla cap. xvi, 32 : « Ecce venit hora, et jam venit, ut dispergamini unusquisque in propria. » Et mox : « In mundo pressuram habebitis. » Adde illa cap. xvi, 1 : « Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini: absque synagogis facient vos; » et quæ deinceps sequuntur. Denique S. Paulus II *Timoth.* III : « Omnes, inquit, qui volunt pie vivere in Christo, persecutionem patientur. » Unde S. Bernardus serm. 64 *in Cant.* in illud Cant. II : *Capite nobis vulpes parvulas.* « Vulpes, ait, tentationes sunt. Necesse est ut veniant tentationes. Quis enim coronabitur, nisi qui legitime certaverit? Aut quomodo certabunt, si desit, qui impugnet? »

Quinta. *Quinta,* quia Deus æterna lege sanxit, ut sui fideles, quasi virtutis pugiles et athletæ, adversis probentur, exerceantur, corroborentur, illustrentur, perficiantur. Hanc dat Moyses *Deuter.* XIII, 3 : « Tentat, inquit, vos Dominus Deus vester, ut palam fiat utrum diligatis eum an non, in toto corde, et in tota anima vestra. » Et David *Psal.* XVI, 3 : « Probasti cor meum, et visitasti nocte; igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas. » Et *Psal.* XXV. 2 : « Proba me, Domine, et tenta me; ure renes meos et cor meum. » Et *Psal.* LXV, 10 : « Quoniam probasti nos, Deus; igne nos examinasti, sicut examinatur argentum. » Et Salomon *Sapient.* III, 5 : « Quoniam Deus tentavit eos, et invenit illos dignos se; tanquam aurum in fornace probavit eos. » Quocirca S. Gregorius homil. 35 *in Evang.*, et lib. III *Dialog.* cap. XXVI : « Duo, ait, sunt martyrii genera: unum in mente, aliud in mente simul et actione. Itaque esse martyres possumus, etiamsi nullo percutientium ferro trucidemur; mori quippe a persequente, martyrium in aperto opere est; ferre vero contumelias, odientem diligere, martyrium est in occulta cogitatione. » Et post nonnulla : « Et nos ergo sine ferro esse possumus martyres, si patientiam veraciter in animo custodimus. »

Exempla. Et paucis interjectis, cujusdam Stephani admirabilem patientiam prædicat : « Virtus, inquit, patientiæ in eo vehementer excreverat, ita ut eum sibi amicum crederet, qui sibi molestiæ aliquid irrogasset; reddebat contumeliis gratias; si quod in ipsa sua inopia damnum fuisset illatum, hoc maximum lucrum putabat; omnes suos adversarios nihil aliud quam adjutores existimabat. » Ita Abbas Orsitius in *Vitis Patr.* lib. V, libello XV, num. 51 : « Sicut, inquit, later crudus mox aqua dissolvitur, igne vero coctus duratur, ut lapis; sic, qui non est igne tentationum decoctus, ut Joseph, mox aqua tribulationis enervatur, et liquescit, et perditur. » Et S. Syncletica, lib. V, libello VI, num 16, docet in tentatione nos debere esse ambidextros : « Si ferrum es, inquit, per ignem tibi adhibitum amittes æruginem. Dic ergo : Castigans castigavit me Dominus, et morti non tradidit me. Si aurum es, per ignem probatior eris. Exsulta ergo, quia similis factus es Paulo, memor istius : Transivimus per ignem et aquam; residuum est quod sequitur : ut inducamur in refrigerium. » Et num. 17 : « Hæc, ait, est magna virtus, quando in infirmitate tolerantia fuerit, et gratiarum actio mittitur ad Deum. Si amittimus oculos, non feramus graviter : extollentiæ enim instrumentum amisimus; sed interioribus oculis gloriam Domini speculemur. Surdi facti sumus? non contristemur; quia auditum vanum amisimus. Manus ex aliqua passione debilitatæ sunt? sed interiores paratas habeamus adversus inimici tentationes. Infirmitas totum nostrum corpus tenet? sed nostro interiori homini sanitas crescit. » Denique : « Sicut igne probatur argentum, et aurum camino; ita corda probat Dominus, » *Prov.* XVII, 3. Et : « Vasa figuli probat fornax; et homines justos tentatio tribulationis, » *Eccli.* XXVII, 6. Quare acute Beda in *Prov.* : « Abel, inquit, esse renuit, quem Caini malitia non exercet. » Vere S. Franciscus, ut habet *Speculum Vitæ* ejus, in doctrina ipsius, cap. XII, dixit : « Annulus est victa tentatio, quo Deus animam servi sui sibi desponsat. Nemo enim servum Dei se æstimet, donec per tentationem et tribulationem transierit. Illa enim probatur virtus perfecta. Amplioris gratiæ signum est, nihil in servo suo impune relinquere, quamdiu vivit in hoc mundo. »

Solerter advertendum est quod S. Gertrudis lib. II *Revelat.* cap. XI, sibi cœlitus revelatum scribit, scilicet : « Dæmonem in ea re et concupiscentiæ specie majorem tentandi occasionem accipere vel arripere, in qua quis aliquando ei præstitit consensum; id enim decorem divinæ justitiæ ad consensus castigationem, congrue et decore permittere. » Qui ergo sapit, fortiter se cunctis dæmonis tentationibus, statim ut eas sentit, opponat. Idem tradunt Sancti in Vitis Patr. Exemplum clarum est in Vita S. Mariæ Ægyptiacæ, quæ per septemdecim annos in eremo graviter tentata fuit spiritu luxuriæ, quia totidem annis prius illi consenserat et servierat : « A quo enim quis superatus est, hujus et servus est, »

ait S. Petrus *epist.* I, cap. II, 19. Talem ergo diabolus quasi servum fugitivum insequitur, ut ad pristinam suam servitutem reducat.

Sexta. *Sexta,* quia Christus suos asseclas, quasi milites, crucis suæ tessera insignit, vultque ut secum per tentationes et tribulationes mereantur immensum et æternum gloriæ pondus in cœlis. Si enim « oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam, » *Luc.* XXIV, 26, cui tamen illa jure naturali filiationis erat debita; multo magis nos christianos, qui ex nobis nullum ad eam jus habemus, decet per luctas et certamina tantam gloriam promereri, ac « per multas tribulationes intrare in regnum Dei, » *Act.* IV, 21. Hoc est quod Christus iturus ad mortem Apostolis dixit, *Luc.* XXII, 20 : « Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis. » Mox vero subjicit præmium : « Et ego, ait, dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo, et sedeatis super thronos judicantes duodecim tribus Israel. » Et *Joan.* XVII, 24 : « Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi. » Et Paulus II *Corinth.* IV, 10 : « Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali. » Et *Rom.* VI, 5 : « Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus. » Denique II *Timoth.* II, vers. 11 : « Nam, si commortui sumus, et convivemus; si sustinebimus, et conregnabimus. » Hoc sapiebat S. Augustinus cum diceret : « Nolo sine vulnere esse; quia te, Domine, video vulneratum. » Et Apostoli, qui, ut dicitur *Actor.* V, 41, « ibant gaudentes a conspectu concilii; quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. » Et S. Jacobus cap. I, 2 : « Omne gaudium existimate, fratres, cum in tentationes varias incideritis. » Ubi plura hac de re dixi. S. Joannes vero gloriam patientium videns et admirans *Apoc.* VII, 14 : « Hi sunt, inquit, qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni; ideo sunt ante thronum Dei, et serviunt ei die ac nocte in templo ejus. » Ita Abbas ille in *Vitis Patr.* lib. V, libello VII, n. 43, vidit Angelum adornantem septem coronas discipulo suo, eo quod septies somni tentationem illa nocte superasset : « Regnum enim cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud, » *Matth.* XI.

Denique S. Augustinus in psal. LXXXIII, qui inscribitur : *Pro torcularibus,* per torcularia accipit Ecclesias, et animas fidelium qui tentatione premuntur : « Uva, inquit, pendet in vitibus, et oliva in arboribus; his enim duobus pro fructibus solent torcularia præparari. Et quamdiu pendent in frutetis suis, tanquam libero aere perfruuntur; at nec uva vinum est, nec oliva oleum ante pressuram. Sic sunt et homines, quos prædestinavit Deus ante secula conformes fieri imaginis unigeniti Filii sui, qui præcipue in passione magnus botrus expressus est. Hujusmodi ergo homines, antequam accedant ad servitutem Dei, fruuntur in hoc seculo, tanquam deliciosa libertate, velut uvæ, aut olivæ pendentes; sed quoniam dictum est : Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore; et præpara animam tuam ad tentationem; accedens quisque ad servitutem Dei, ad torcularia se venisse cognoscat, contribulabitur, conteretur, comprimetur, non ut in hoc seculo pereat, sed ut in apothecas Dei defluat. Exuitur carnalium desideriorum integumentis, quasi vinaceis; hoc enim ei contigit in desideriis carnalibus. Propter quæ et Apostolus dicit : Exuite vos veterem hominem, et induite novum; hoc totum non fit nisi de pressura; propterea torcularia nominantur Ecclesiæ Dei hujus temporis. »

Quocirca hujus sententiæ, tentationis et duelli specimen, imo auspicium suis omnibus dare et præire voluit Christus Dominus, qui orditurus suam prædicationem, quasi suam servitutem et obsequium Dei, abiens in desertum, ibique jejunans, tentari voluit a diabolo, triplici, id est omni, tentationis genere. Unde S. Hieronymus in cap. IV S. Matth.:« Nisi, ait, jejunare cœpisset Dominus, tentandi occasio non fuisset diabolo, juxta illud : Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore; et præpara animam tuam ad tentationem. »

2. DEPRIME. — Jam Græca legunt, εὔθυνον, id est, *dirige cor tuum.* Et sic legit S. Ephrem tract. *de Patientia,* et S. Cyrillus homil. quam Ephesi habuit; Tigurina : « Recte institue cor tuum, » *q. d.* Dirige cor tuum recta ad Dei legem et voluntatem, illudque rectum effice, et in hac rectitudine conserva, ne illud per tentationem ad dextram, vel sinistram flecti, curvari et obliquari sinas. *Primum* remedium ad vincendam tentationem est animi ad eam præparatio, quod assignavit vers. 1. *Secundum* est animi depressio et humilitas; vel, ut Græca habent, rectitudo : quia tunc rectus est animus, cum legi, æque ac gratiæ Dei humiliter se subjicit, sub eaque se deprimit et humiliat; hac enim humilitate sub potenti manu Dei, profitetur suam ad resistendum infirmitatem, imo impotentiam, ideoque tacite postulat opem et gratiam Dei, eamque humilitate hac provocat et emeretur.

Vers. 2. Remedia tentationum. Primum. Secundum.

Unde moraliter Palacius : « Ante conversionem, inquit, tuam anima tua erat corde elato; carebat illa jugo; carebat sessore et domitore. In conversione vero vult Deus sedere in throno suo; vult sedere super asina et pullo suo; vult ascendere super Cherub suo; vult equitare super pennas venti, seu spiritus sui. Deprime igitur te. Humilia te, Deum supra te recepturus; nullo modo superbiam admiseris. » Ita S. Antonius, teste S. Athanasio, vidit totum mundum laqueis tentationum, quos tendebant dæmones, plenum; cumque suspirans diceret : « Domine, quis omnes hos laqueos

evadere poterit? » audivit: « Humilitas. Humilitas enim solvit omnem virtutem inimici, » uti ipsi dæmones sæpius confessi sunt. Hac de causa Deus permittit in Sanctis, qui magnas tentationes vicerunt, nonnullas exiguas; ut, dum ab illis vincuntur, sentiant suam infirmitatem, seque humilient, atque victoriam majorum, non sibi, sed Deo attribuant. Ita Rabanus.

ET SUSTINE. — Tigurina: « Age fortiter; » græce, καρτέρησον, id est tolera, sustine; sicut discipulus tolerat et sustinet flagella magistri. Rursum: *Sustine,* inquit Palacius, id est, ubi Deum super te admiseris, eum, quamvis videatur gravis, ne excusseris, sed sustine. Dictum est: « Viriliter age, confortetur cor tuum, et sustine Dominum. » Ponderosus tibi videbitur non raro. At, ne excusseris tam nobile pondus; dabit ipse vires ad sustinendum, qui vult pondus in onere, dicetque: « Sufficit tibi gratia mea. »

Tertium. Hoc est *tertium* tentationis remedium, scilicet, patientia et sustinentia, qua patienter toleres tentationis molestias, dolores, metus, sollicitudines et angores. Vere Seneca in *Sentent.*: « Cuivis dolori remedium est sapientia. » Idem, lib. *De Provident.* cap. I: « Deus, inquit, virum justum in deliciis non habet, experitur, indurat, sibi illum præparat. » Post nonnulla cap. II: « Omnia adversa (vir bonus) exercitationes putat; quis autem vir, modo erectus ad honesta, non est laboris appetens justi, et ad officia cum periculo promptus? Cui non industrio otium pœna est? Marcet sine adversario virtus; tunc apparet quanta sit, quantum valeat polleatque, cum quid possit, patientia ostendit. » Et multa ille deinde congerit, quæ multo verius in hristianum hominem cadunt; nihil enim viro justo optabilius est, quam in rebus adversis patientia: « Hæc, inquit Tertullianus lib. *De Patientia,* fidem munit, pacem gubernat, dilectionem adjuvat, humilitatem instruit, pœnitentiam exspectat, exomologesim assignat, carnem regit, spiritum servat, manum continet, tentationes conculcat, scandala pellit, pauperem consolatur, divitem temperat, infirmum non extendit, valentem non consumit, fidelem delectat, Gentilem incitat; servum domino, dominum Deo commendat; feminam exornat, virum approbat; amatur in puero, laudatur in juvene, suspicitur in sene; in omni sexu, in omni ætate formosa est. »

ET INCLINA AUREM TUAM, ET SUSCIPE VERBA INTELLECTUS. — Tigurina: « Admove aurem tuam, verbaque consulta percipe. » Quartum. *Quartum* est hoc tentationis remedium, nimirum, audire consilia et consolationes, tum S. Scripturæ et librorum piorum, tum virorum spiritalium, quibus tentatus partim instruatur, quomodo, puta, quam prudenter et patienter se in tentatione gerere debeat; partim roboretur, ut eam fortiter patiatur et sustineat. Significat ergo Siracides tentatum debere excipere instructiones et consolationes, tum hominum, tum Dei, sive eas suggerat per inspirationes internas, sive per S. Scripturam et libros pios. Quocirca tentatus illico recurrat ad lectionem et meditationem eorumdem.

Ita faciebat S. Paula, quando in omni tentatione volvebat verba S. Scripturæ illi tentationi opportuna, quasi pharmaca efficacissima. Audi S. Hieronymum in ejus *Epitaphio*: « In tentationibus, Deuteronomii verba volvebat: Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligatis Dominum Deum vestrum de toto corde vestro, et de tota anima vestra. In tribulationibus et augustiis, Isaiæ replicabat eloquia: Qui ablactati estis a lacte, qui abstracti ab ubere, tribulationem super tribulationem exspectate, spem super spem: adhuc pusillum propter malitiam labiorum, propter linguam malignam. Et Scripturæ testimonium in consolationem suam edisserebat: Ablactatorum esse, eorum scilicet, qui ad virilem ætatem pervenissent, tribulationem super tribulationem sustinere, ut spem super spem mereantur accipere, scientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit. Et: Quod si is, qui foris est homo noster, corrumpatur; ille, qui intus est, innovetur. Et: In præsentiarum leve et momentaneum tribulationis vestræ, æternum gloriæ pondus operatur in vobis; non aspicientibus, quæ videntur, sed quæ non videntur: quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna. Nec longum fore tempus, etiamsi humanæ impatientiæ tardum videatur, quin Dei statim videatur auxilium, dicentis: Tempore opportuno exaudivi te, et in die salutis auxiliatus sum tibi.

ET NE FESTINES IN TEMPORE (minus recte aliqui legunt, *in tempus, q. d.* Ne tua impatientia te præcipites in tempus, *obductionis,* id est tentationis, ne sponte te conjicias in tentationem, et consequenter in mortem præsentem et æternam; ita Palacius) OBDUCTIONIS. — Græce εἰσαγωγῆς, id est, ut Complut., *inductionis,* et illationis pœnarum; Tigurina, *impetus;* Vatablus, *incursionis;* Palacius, *obsidionis,* puta tentationis, afflictionis, calamitatis, quæ tibi inducitur, quaque mens et totus homo quasi tenebris obducitur et obnubilatur. Noster vers. 4, vertit: « Omne quod tibi applicitum fuerit; » græce enim est idem verbum, ὃ ἐὰν ἐπαχθῇ. Ita Hesychius. Tigurina: « Ne quid impetus tempore trepides; sed Deum sustine patienter; » Vatablus: « Ne præcipites, » etc.; Arabicus: « Esto tranquillus, innitens, in viis tuis. » Sensus ergo est, *q. d.* Dum tentaris, ne sis festinus et præceps in impatientiam, murmurationem, vindictam, pusillanimitatem, desperationem, apostasiam, etc.; sed esto longanimis, tolerans et constans. Hebræum enim חפז *chappaz,* id est, festinare, sæpe significat trepidare; unde חפזון *chippazon* est trepidatio, pavor, fuga; qui enim trepidat, fugit. Alludit ad *Isaiæ* XXVIII, 16: « Qui crediderit,

non festinet. » Et Habacuc, II, 3 : « Si moram fecerit, exspecta illum. » Omnia enim tristia, æque ac læta temperat, incidit, et tandem aufert tempus. Dolores omnes leniuntur tempore, imo tandem non sentiuntur et evanescunt. Morbi tempore franguntur et dissipantur dissipata eorum causa, v. g. humore noxio consumpto. Idem plane fit in tentationibus. Verum est illud : « Optimus malorum omnium medicus est tempus. » Tempus mitigat iram, odium, concupiscentiam; tempus aperit secreta, et latentem veritatem in lucem producit. Tempus affert experientiam, consilium et prudentiam :

Saxa etiam longum fecit putrescere tempus.

Hinc Poetæ fingunt Saturnum, Temporis deum, saxum Jovis loco suppositum devorasse. Unde Ovidius lib. IV *De Ponto* :

Gutta cavat lapidem ; consumitur annulus usu ;
Et teritur pressa vomer aduncus humo.

Alii passim exponunt, *q. d. Ne festines,* hoc est, ne per impatientiam, *obductionem,* id est mortem, inclames, vel acceleres, tibique accersas : in morte enim omnia videntur contegi, obvolvi et obduci, ita Lyranus. « Ne festines in tempore obductionis, id est, divisionis sensuum, inquit, quod fit tempore mortis; id est, non desideres mortem, fractus propter adversitatis prolixitatem. » Genuine alii, *q. d.* « Ne festines in tempore obductionis; » id est, ingruente passione vel odii, vel amoris, vel doloris, si vehemens sit, offunditur quodammodo rationis lumen, et quasi cœlum animæ obductum non sinit mentem probe despicere, quid melius, quid justius, quid decentius, imo et quid utilius sit. Ergo in tanta mentis caligine non temere irruendum est in ea quæ primo sese offerunt, instigante, nimirum, passione, quæ, cum cæca sit, ducet ipsam nebulis offusam mentem in præcipitia, in voragines, in exitia. Exspectandum ergo, donec subsidente passione nebulæ hæ discutiantur. Tempus enim veritatem aperit. Nam, ut ait Comicus : « Veritas temporis filia; lupus mendacio tempus, » quia tempus consumit mendacium, sicut lupus devorat ovem.

Vers. 3. 3. SUSTINE SUSTENTATIONES DEI, — hoc est, ne festines, sed *exspecta exspectationes Dei,* quibus Deus Deique auxilium et liberatio exspectatur, *q. d.* Patienter exspecta Deum Deique opem, sicut in urbe obsessi exspectant suppetias, ut ab obsidione liberentur. Unde Tigurina : « Deum sustine patienter. » Ille enim non sinet te tentari supra vires, sed tempore opportuno aderit et auxiliabitur, facietque cum tentatione proventum, I Corinth. X. Sic sumitur sustentatio pro exspectatione, patientia, longanimitate, Rom. III, 26 : « In sustentatione Dei ad ostensionem justitiæ ejus. » Hæc verba jam desunt in Græco. Sic S. Antonius acriter a dæmonibus tentatus et flagellatus, post sustinentiam videns Jesum : « Ubi, inquit, eras, bone Jesu? ubi eras? quare non a principio adfuisti, ut sanares vulnera mea? Et vox ad eum facta est dicens : Antoni, hic eram; sed exspectabam videre certamen tuum. Nunc autem, quia dimicando viriliter non cessisti, semper auxiliabor tibi; et faciam te in omni orbe nominari, » uti refert S. Athanasius in ejus Vita. Hoc est quod monet Psaltes : « Exspecta Dominum, viriliter age, confortetur cor tuum, et sustine Dominum, » *Psal.* XXVI, 14.

Minus genuine Palacius sic interpretatur : *Sustine sustentationes,* id est, sustine onera et pondera tentationum, tibi sustentanda; nimirum, quæ Deus tibi imponit, et quibus tibi quasi gravis et ponderosus incumbit, quæque vult te pati et sustinere, imo in quibus ipse te sustentat, ait Lyranus, juxta illud I *Cor.* 10 : « Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. »

Quintum est hoc tentationis remedium, scilicet, in ea non trepidare, nec esse præcipitem; sed fortem, longanimem et constantem. Omnis enim tentatio fere oritur ex mentis infirmitate et instabilitate, uti docet S. Gregorius in illud I Reg. II : « Pedes Sanctorum suorum servabit. » Pedes autem Sanctorum sunt fides et amor, vel humilitas et fortitudo, quibus fortes et invicti contra omnes tentationes consistimus. Ita « S. Paula, inquit S. Hieronymus in ejus *Epitaphio,* constanter in mœrore cantabat : Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei et Deus meus. In periculis loquebatur : Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Et iterum : Qui vult animam suam salvam facere, perdet eam. Et : Qui perdiderit animam suam propter me, salvam eam faciet. Quando dispendia rei familiaris, et eversio totius patrimonii nuntiabatur, aiebat : Quid enim prodest homini, si totum mundum lucrifecerit, et animæ suæ damnum habuerit? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Et : Nudus exivi de utero matris meæ, nudus et redeam. Sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum. » Sapienter Abbas Pastor in *Vitis Patr.* lib. VI, libello IV, n. 9 : « Ad hominem, ait, in tentatione constitutum pertinet illud Christi, *Matth.* VI : Nolite cogitare de crastino. Ut non cogitet quantum temporis in ea futurus sit, sed potius quod hodiernum est et quotidianum libenter suscipiat. » Nam, ut ait Christus : « Sufficit diei malitia (afflictio) sua. Crastinus dies sibi sollicitus erit. » Ita Religiosus ille tentatus per novem annos, ut congregationem Fratrum relinqueret, « facto vespere sibi dicebat : Crastina die hinc discedo. Et mane : Extorqueamus a nobis hic stare et hodie propter Dominum. Qui cum implesset novem annos, de die in diem ita faciens, abstulit Dominus ab eo tentationem. » Ibidem lib. V, libello VII, n. 39.

Quintum

Quocirca vere S. Chrysostomus, homil. 4 *in Epist. ad Philip.*:« Pro Christo pati, inquit, munus est majoris admirationis, quam sit revera mortuos excitare, et signa miranda patrare; nam illic quidem debitor sum, hic vero debitorem habeo Christum. » Alibi vero hom. 1 *ad Pop. Antioch.*: « Si corpus, inquit, recte dicimus beatum, quod potest absque sui offensione ferre frigus, et calores, et famem, et inopiam, et viæ difficultates aliasque ærumnas; quanto magis beatam oportet vocare animam, quæ viriliter et fortiter omnes omnium molestiarum incursus ferre potest, et cor suum per omnia nulli servituti obnoxium servare? » Nec discrepat Gregorius Pontifex homil. 34 *in Evang.*;sic enim scribit : « Vere radix omnium custosque virtutum est patientia, cujus proprium munus aliena mala æquanimiter perpeti, et contra eum quoque, qui mala irrogat, nullo dolore morderi; et quod ait Apostolus, non vinci a malo, sed vincere in bono malum. Quanto autem culmine virtus patientiæ polleat,Salomon indicat dicens: Melior est patiens viro forti; et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. Minor est ergo victoria, urbes expugnare; quia extra sunt, qui vincuntur. Majus autem est, quod per patientiam vincitur; quia ipse a se animus superatur, et semetipsum sibi subjicit, quando eum patientia in humilitate tolerantiæ sternit. »

Denique præclare Cassianus *Collat.* VI, cap. XII, docet mentem justi patientis debere esse non mollem, ut ceram; sed fortem et duram, ut adamantem : « Itaque mens viri justi, inquit, non debet esse similis ceræ, vel alterius cujusque materiæ mollioris, quæ semper characteri signantium cedens pro ejus forma atque imagine figuratur, quamque in se tamdiu retinet, donec alio rursus superimpresso signaculo reformetur; atque ita fit, ut nunquam in sua qualitate persistens, ad formam eorum quæ imprimuntur, semper convertatur ac transeat; quin potius debet esse velut quoddam adamantinum signatorium, ut inviolabilem mens nostra figuram sui semper custodiens characteris, universa, quæ incurrerint sibi, ad qualitatem sui status signet atque transformet; ipsa vero insigniri nullis incursibus possit. »

CONJUNGERE DEO. — Græce significantius, κολλήθητι, id est, *conglutinare Deo*, scilicet, per arctissimum orationis, affectus et adhæsionis constantis et perdurantis vinculum.*Et sustine*,græce,μὴ ἀποστῇς, id est, *ne desciscas*, ita Tigurina, ne, scilicet, ullo tentationis impetu, divellaris a Deo, ne ab eo recedas, ne apostates. Sed dic cum Psalte : « Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam, » *Psal.* LXXII. Qui enim per spem et amorem conjungitur Deo, hic ab eo roboratur, liberatur, protegitur. Deus enim illi est hyperaspistes et scutum, qui omnia hostium tela in se prius excipit, quam ad sperantem in se, et sub suæ providentiæ scuto latitantem penetrent. Dicit ergo cum Psalte : « Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos, » *Psalm.* V, 13. Sanctitas sita in unione cum Deo

Rursum, qui Deo conjungitur, conjungitur ipsi puritati et sanctitati : hæc autem elidit omne vitium, omnemque tentationem; hæc enim sollicitat ad impuritatem et peccatum. Omnis enim sanctitas sita est in amore et conjunctione cum Deo: quare sicut Deus extreme odit peccatum et tentationem; sic et is, qui Deo est conjunctus : sanctitas enim est puritas. Sicut autem impuritas nascitur ex contactu inferiorum, ut cum facies aut vestis luto aspergitur, vel cum anima per affectum inferioribus inordinate inhæret; ita puritas oritur ex contactu superiorum, cum affectus ad sublimiora et nobiliora assurgit, et iis inhæret. Supremum autem omnium, et simplicissimum et purissimum est Deus; unde summa puritas consistit in adhæsione cum Deo. Qui ergo in tentatione ad Deum confugiunt, similes sunt avibus; qui vero ad humana auxilia respiciunt, similes sunt piscibus. Si quis enim ex ripa in flumen projiciat lapidem, pisces, qui in summo natabant, ad ima se demergunt, planeque a flumine absorbentur; aves vero vicinæ in altum evolant. Sic qui in tentatione ad homines confugiunt, magis in eam immerguntur et absorbentur sicut pisces: qui vero ad Deum confugiunt, tentationem quasi aves volando superant; quia in cœlum ad Deum per fidem et spem evolant.

Sextum hoc est efficax tentationis remedium. Sextum.
Hæc enim conjunctio cum Deo mentem super res omnes elevat, eamque in Deo defigit; in quo defixa videt et ridet hoc terræ punctum, omniaque tam adversa, quam prospera, vilia et exilia sub se posita aspicit et despicit, dicitque : « Mens mea in Deo fundata est, et in Christo solidata. » Ita Abbas Moyses in *Vitis Patr.*, lib. VI, libell. IV, n. 6, rogatus : « Quid faciet homo in omni tentatione venienti super se? » respondit : « Flere debet in conspectu bonitatis Dei, ut adjuvet eum; et requiescet velociter, si rogat in scientia; scriptum est enim : Dominus mihi adjutor, et non timebo quid faciat mihi homo. » Et Abbas Joannes, lib. III, n. 208 et 209, ait : Sicut homo videns feras ascendit in arborem, ut evadat; ita et homo videns tentationes irruentes confugiat per orationem ad Dominum, et salvabitur. Et sicut aqua exstinguit ignem: «Sic quandocumque cogitatio turpis succensa fuerit ab inimico, tunc aquam orationis effundat, et exstinguat illam. » Et Abbas Hyperichius lib. V, libello VII, n. 20 : « Hymni, inquit, spiritales sint in ore tuo, et meditatio assidua sublevet pondus tentationum supervenientium tibi: sic enim viator, sarcina oneris prægravatus, flando et respirando oneris et viæ paulatim laborem imminuit. » Et num. 22, Religiosus ille, fame et despectu tentatus, « in his omnibus gratias agebat Deo: videns autem Deus patientiam ejus, abstulit bellum tentationis ab eo. »

S. Ephrem., serm. *ad pietatem athletam* exercente: « Quæcumque et quantacumque pulset tentatio, inquit, sua tamen in Deum fiducia homo nequaquam excidat; imo eo magis soli Christo et misericordi, et qui animæ infirmitates curare potest, assidue inhæreat, semper eum amans, ac meditans, sicque apud se cogitans statuensque : Quod si a Deo recessero deflectens a vero virtutis tramite, ad quem abire potero ? nisi forte in perditionem me ipsum præcipitem, et in manus fraudulenti hostis. Idcirco, licet infinitis gladiis igneorum telorum, et malitiæ passionum, nec non absurdarum cogitationum quotidie malignus impugnet; licet impetum faciat, ac in desperationem inducat; tanto magis ad Deum confugere oportebit, et in eo spem defigere. Sic enim suos probari vult Deus, ut constet quod ipsum solum diligant. » O Domine, protector animæ meæ, robur meum et salus mea, sic me tibi conjunge, sic tibi agglutina, ut nulla tribulatione a te separari possim. Sic te mihi præbe, sic communica, ut deliciis dulcedinis tuæ saturatus, vanas omnes mundi carnisque delicias abominer. Scribe in tabula cordis mei jucundissimam memoriam tui, nulla unquam tentatione delendam, ut tui desiderio semper æstuem, igne spei et amoris tui ardeam, et diluvio charitatis tuæ penitus absorbear.

Vers. 4. 4. UT CRESCAT IN NOVISSIMO VITA TUA. — *Novissimum* in Scriptura significat non præcise ultimum et extremum, sed id quod posterius est et sequitur, licet propinque. Hebr. enim אחרית *acharit.* quod Noster vertit, *novissimum*, idem est quod posterius, sequens, consequens. « In novissimo » ergo, id est, post toleratam tentationem « crescat vita tua, » tum præsens per lætitiam et felicitatem, qua Deus te victorem præmiabit; tum in futura, quæ æterna gloria te coronabit. Nota: « Vita » vocatur lætitia et felicitas, tum quia vivere in miseriis et mœrore non est vita, sed longa mors. « Non est vivere, sed valere, vita, » ait Poeta; tum quia lætitia et felicitas vitam conservant, prolongant faciuntque longævos. Hoc est quod promittit Deus patienti et speranti in se, *Psal.* XC : « Eripiam eum, et glorificabo eum; longitudine dierum replebo eum. »

OMNE QUOD TIBI APPLICITUM (ἐπαχθῇ, id est, *inductum;* Complut. *adductum*) FUERIT, ACCIPE. — Græce δέξαι ἀσμένως, id est, *suscipe libenter;* Arabicus : *Tolera id, quod intulit tibi Deus, cum gratiarum actione ;* Tigurina : *Quidquid invaserit te, libens excipe, q. d.* Quidquid tibi ingruerit, quidquid adversi acciderit, prompte, imo gaudenter accepta de manu Dei. Quidquid enim ille tibi applicuerit, applicat ut tuus et rerum omnium dominus, cui te submittas oportet. Applicat ut pater amantissimus, quem, licet castigantem, redames oportet. Applicat ut medicus peritissimus, quem tuæ animæ vulnera sanantem, acriore licet medicina, vel ustione, avide excipias oportet, ut dicas cum S. Job cap. II, 10 : « Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus? » Et cap. I, 21 : « Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc. Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est : sit nomen Domini benedictum. » Quin et Pindarus, licet Gentilis, ode 3 *Python.* « Semper, inquit, ad eam fortunam, quæ me amplectetur, me in animo accommodabo, juxta meam facultatem colens eam. » Sapientis enim est se fortunæ, vel potius fortunam sibi accommodare. Hinc Stoicorum axioma : « Cede fato. Sapientis est præbere se fato; fata enim volentem ducunt, nolentem trahunt. »

Porro Rabanus : « Sciendum, inquit, quod tribus modis patientia exerceri solet. Alia namque sunt, quæ a Deo; alia, quæ ab antiquo adversario ; alia, quæ e proximo sustinemus. A proximo namque persecutiones, damna et contumelias; ab antiquo adversario tentamenta; a Deo autem flagella toleramus. Sed in omnibus tribus his modis vigilanti oculo semetipsam debet mens circumspicere, ne contra mala proximi pertrahatur ad retributionem mali. Ne contra tentamenta adversarii seducatur ad delectationem, vel consensum delicti. Ne contra flagella opificis ad excessum proruat murmurationis. Perfecte enim adversarius vincitur, quando mens nostra, et inter tentamenta ejus servatur a delectatione atque consensu; et inter contumelias proximi custoditur ab odio, et inter flagella Dei compescitur a murmuratione : nec hæc agentes, retribui nobis præsentia bona requiramus. Nam pro labore patientiæ bona speranda sunt sequentis vitæ, ut tunc præmium nostri laboris incipiat, quando omnis labor jam funditus cessat.

ET IN DOLORE SUSTINE. — Hæc verba jam desunt in Græco. Sensus est, *q. d.* Noli conari per impatientiam dolorem excutere, quia sic magis eum excitabis et augebis : sed per patientiam sustine, quia sic eum minues. Omnibus enim malis remedium est patientia, præsertim quia patientia meretur jugum amoveri, vel imminui, quod impatientia meretur aggravari. Denique dolorem omnem effugere est impossibile; est enim hæc vita tribulationum et dolorum, atque sine dolore non vivitur in amore.

ET IN HUMILITATE TUA PATIENTIAM HABE. — *Humilitas* hic non virtutem significat, sed humiliationem, dejectionem, afflictionem et dolorem, de quo præcessit. Unde Græce est ἐν ἀλλάγματι (alii legunt in plurali, ἀλλάγμασι, id est, *in mutationibus,* τα πεινώσεως σου μακροθύμησον, id est, *in mutatione humilitatis,* vel potius *humiliationis tuæ longanimis esto,* hoc est, in mutatione qua humiliaris, dum, scilicet, mutatur sors tua felix in miseram, ut humilieris, deprimaris, affligaris; hanc mutationem et humiliationem longanimiter sustine. Tigurina : *In qua deprimeris vicissitudine, fortem te præbeas.* Hebr. enim ענה *ana,* id est humiliari, significat pati, dolere, affligi. Unde ענו *oni,*

est humilitas, id est, dolor et afflictio. Hinc illud tritum in Scriptura, « Humilia, » id est, macera et afflige, « in jejunio animam tuam ; » et sæpe alibi *humiliare* significat *affligere*, quia superbis (quales omnes sumus ex lapsu in peccatum) summa afflictio est deprimi et humiliari. Rursum *ana* significat *pati pauperiem;* unde עני *ani* est pauper. Hoc secutus Syrus vertit, *in paupertate longanimis esto ;* et Arabicus, *ad languorem et necessitatem patiens esto.*

Septimum. *Septimum* hoc est tentationis remedium, scilicet, resignare se in voluntatem Dei, ac quidquid illa nobis applicuerit, humiliter et patienter excipere, cogitando illud, ex ingenti Dei amore nobis applicari ad nostrum bonum, ac proinde magnum hoc esse Dei donum. Nam, ut sequitur : « Quoniam in igne probatur aurum; homines vero receptibiles in camino humiliationis. » Hac gnome apposite S. Pachomius, ut habet Vita ejus cap. LI, solatus est Theodorum discipulum ægrum. « Theodoro enim gravis passio capitis acerrimos dolores excitabat. Qui cum rogaret Pachomium, ut eum suis relevaret orationibus, ait ad eum : Putas, fili, quod alicui contingat dolor, aut passio, aut aliquid hujusmodi sine permissione Dei? Idcirco in dolore sustine, et in humilitate patientiam habe, et quando voluerit Dominus, tibi conferet sanitatem ; quia si te diutius probare dignatur, gratus esto, ut perfectissimus Job, qui in multis tribulationibus benedicebat Domino : et tu quoque, sicut ille, pro doloribus tuis majorem requiem a Domino percipies. Bona quidem est abstinentia, et in oratione perseverantia ; tamen infirmus majus pretium adipiscitur, cum longanimis et patiens invenitur. »

Exemplum S. Pachomii.

Antistrophus huic sententiæ est apologus frumenti et lilii, quem lectis parabolis ocellatum, nervosisque ex Physica rationibus argumentosum profert Cyrillus, lib. I *Apolog. Moral.* cap. XXI, cujus titulus : « *Omnem adversitatem ut vincas, patientiæ valet magnanimitas.* Apologus sic habet : « Frumenti granum projectum in terram et mortuum, cum juxta siccum lapidem pullulasset, lilium ita fertur ei dixisse : Unde tibi contrito et mortuo spiritus germinandi, cum ego, quando conteror, eo ipso perdor? Cui granum respondit: Hoc mihi ex virtutis granditate contingit, qua fit ut passio mea sit mea actio, et dum morior, revivisco. Rerum enim virtute maximarum tunc magis intenditur valetudo (valor, vis et vigor), cum earum conteritur aut moritur corporea magnitudo : nimirum phœnix mortua generat, et cinnamomum contritum plus inflammat. At vero res in quibus virtus minus prævalet, si teruntur ex hujusmodi contritione confunduntur, et pretiositatem suam perdunt. Ut draconites lapis si teritur, virtus ejus perditur; et magnes ferrum non attrahit, si teratur. Sic infirmum membrum sine dolore tangi non patitur, et sanum, cum tangitur, delectatur. Non attendisti quod virtuosus cum adversis conteritur, tunc magnanimior invenitur? In calamitate siquidem majorem sumit spiritum, et triumphans ratio tunc vehementius roboratur. » Rationem a priori assignat, eamque exemplis Job, Joseph et Tobiæ confirmat dicens : « In malis enim non vinci, virtutis est victoria. Nemo autem vincitur, nisi cui suum bonum eripitur. Totum autem bonum magnanimi in virtute ejus consistit : ea namque sibi sufficiens est, qua cum excellat, ipsaque gaudeat virtute salva, nulla eum foris denudat privatio, nulla inhonestat confusio, nulla eum contristat sensus afflictio. Nonne *Job.* cap. I, S. Job, virtute dives, rerum inodia temporalium minime est depauperatus? Eadem Joseph excellens *Genes.* cap. XXXIX, haudquaquam est infamia dehonestatus ? Eademque gaudens Tobias *Tob.* cap. II, in tenebris cæcitatis haud fuit desolatus? » Denique ex hisce hoc apologi epimythium, velut ejus finem et fructum, colligit: « Quisquis vult, dicat aut faciat tibi injuriam, tu tamen nihil patieris, si tantum sit virtus magnanimitatis. Quinimo prudens magnanimus in adversitatibus gloriatur *Corinth.* XII, 9, quia in infirmitate virtus perficitur, atque venenum veneno contunditur. Asbestinum lignum incendio expurgatur, et electum aurum in camino rutilat approbatum. In adversitate igitur duntaxat impatiens vincitur, et in ea sapiens magnanimitate invictus aut corrigitur, aut medicamine præservatur, aut exanimis resuscitatur. Quibus dictis, conticuit. »

Apologus patientiæ.

Ratio a priori.

5. QUONIAM IN IGNE PROBATUR AURUM ET ARGENTUM, HOMINES VERO RECEPTIBILES. — Græce δεκτοὶ, id est, *acceptabiles*, hoc est, accepti et grati Deo ; digni, qui a Deo in amicos, familiares et filios recipiantur et adoptentur, ut sint ejus electi et hæredes regni cœlestis; Arabicus : *Aurum enim probatur igne, et homo inopia et paupertate.* Vers. 5.

IN CAMINO HUMILIATIONIS. — Syrus, *in fornace paupertatis;* S. Ambrosius *in Psal.* CXVIII, octon XX, *in fornace humilitatis* « Est enim, ait, humilitas virtutis, est et humilitas afflictionis ; » Tigurina : *Quoniam ut aurum igne probatur ; ita homines commendabiles in fornace afflictionis.* Sicut ergo ignis non nocet, sed prodest auro, quia illud probat, purgat, perficit, illustrat, facitque splendidum et coruscum ; ita caminus humiliationis et afflictionis patientem probat, purgat, perficit, illustrat, Deoque gratum et dignum efficit. Quocirca, sicut aurum igne fulgidum gratias debet igni, quo resplenduit; ita et patiens tentationi. Unde Psaltes *Psal.* CXVIII : « Bonum, ait, mihi, quia humiliasti me. » Impatiens vero, qui non meretur a Deo recipi, igne tentationis non purgatur, nec illustratur ut aurum, sed ut palea uritur et consumitur. Hoc est quod ait S. Ephrem tract. *de Timore Dei* : « Multi habitu monachi; at pauci certatores : tempore autem tentationis monachi probatio apparet. » Et Angelus ait Tobiæ, cap. XII : « Quoniam acceptus eras Deo, necesse erat ut tentatio probaret te. » Et Daniel, cap. XI, 35,

loquens de sanctis acriter tentatis ab Antiocho, et tentandis ab Antichristo : « De eruditis, ait, ruent, ut conflentur (in tentatione quasi aurum in fornace), et eligantur, et dealbentur. » Vide ibi dicta.

Præclare S. Augustinus *in Psal.* LXI : « Numquid, inquit, lucet aurum in fornace aurificis ? in monili lucebit, in ornamento lucebit; patiatur tamen fornacem, ut purgatum a sordibus veniat ad lucem. Fornax ista, ibi palea, ibi aurum, ibi ignis, ad hanc stat aurifex. In fornace ardet palea, et purgatur aurum. Illa in cineres vertitur, a sordibus illud exuitur. Fornax mundus, palea iniqui, aurum justi, ignis tribulatio, aurifex Deus. Quod vult ergo aurifex, facio : ubi me ponit aurifex, tolero : jubeor ego tolerare, novit ille purgare. Ardeat licet palea ad incendendum me, et quasi consumendum me; illa in cinerem vertitur, ego sordibus careo. Quare ? Quia Deo subjicietur anima mea, quoniam ab ipso est patientia mea. »

Porro mensuram hujus probationis assignat S. Chrysostomus homil 4 *ad Popul.* : « Etenim aurifex, inquit, donec aurum bene purgatum viderit, de conflatorio non extrahit : sic et Deus non abducit hanc nubem, donec nos penitus emendaverit. Qui enim tentationem permisit, ipse novit et tentationis solvendæ tempus. Et sicut citharœdus neque nervum intendit, ut non abrumpat; neque remittit ultra modum, ne harmoniæ concentum lædat : sic et Deus agit, neque in remissione continua, nec in longa tribulatione nostram constituit animam, secundum suam prudentiam utrumque faciens. Non sinit nos continua potiri remissione, ne segniores fiamus : non autem rursum sinit in continua esse tribulatione, ne concidamus, neve desperemus. Ipsi igitur adversitatis finiendæ tempus relinquamus : nos vero tantum in sanctitate vivamus. »

Rursum S. Augustinus, serm. 78 *de Temp.* : « Mali, inquit, serviunt bonis non obsequendo, sed persequendo, quomodo persecutores Martyribus, quomodo limæ vel mallei auro, quomodo molæ serviunt tritico, quomodo panibus coquendis fornalia; ut illi coquantur, illa consumantur : quomodo in fornace aurificis palea servit auro; ubi sine dubio palea consumitur, aurum probatur. » Vide Cassianum, *Collat.* VI, cap. XI, ubi tres assignat tentationis causas et fines : « Sciendum, ait, est omnes homines triplici ratione tentari : plerumque ob probationem, nonnunquam ob emundationem, interdum ob merita delictorum. » Quæ deinde exemplis et sententiis S. Scripturæ probat et illustrat. Ac deinde quartam addit causam, qua « ob manifestandam, ait, solummodo gloriam et opera Dei, inferri quibusdam aliquas passiones Scripturæ auctoritate cognoscimus, » juxta illud Joannis de cæco nato, cap. IX : « Neque hic peccavit, neque parentes ejus; sed, ut manifestentur opera Dei in illo; » et de Lazaro ægro, cap, XI : « Infirmitas hæc non est ad mortem; sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per ipsam. »

6. CREDE DEO, — et consequenter confide; fides enim parit spem et confidentiam in Deum : imo, « crede, » id est, ut Tigurina : *confide Deo*, eique te tuaque, ac præsertim tentationes et afflictiones, tempusque liberationis crede et committe. Vers. 6.

ET RECUPERABIT TE. — Græce ἀντιλήψεται, id est *suscipiet*, et in afflictiones prolapsum in pristinum felicitatis statum restituet; quod Noster vertit, *recuperabit*.

ET DIRIGE (id est, rectam fac) VIAM, (id est conversationem) TUAM (atque ita demum); SPERA IN ILLUM, — quia recta probaque vita parit confidentiam; Deus enim rectos corde quasi suos tuetur et protegit. Tigurina : *Confide Deo, ut opem tibi ferat, rectis insiste viis, et illo nitere.* Fides enim sola non devincit Deum, nisi cum recta probaque vita jungatur; peccata enim Deum Deique opem avertunt. Quomodo enim peccator credat Deum sibi affuturum, cum ipse illi non adsit, imo cum ipse sibi non adsit ? Unde Arabicus vertit : *Crede in Deum, ut sit tibi adjutor, et spera in eo, et ipse faciles reddet vias tuas.*

Hoc est *octavum* tentationis remedium, scilicet fiducia in Deum; hæc enim facit animum excelsum, magnanimum, divinum, atque a Deo opem et robur impetrat ad tentationem superandam; Deus enim sperantem in se deserere aut fallere nequit; ei enim opem certam ubique in Scriptura promittit, ut *Matth.* VIII, 13 : « Vade, et sicut credidisti, fiat tibi; » et cap. IX, 22 : « Fides tua te salvam fecit; » *Psal.* XC, 1 : « Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur; » et vers. 4 : « Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis ejus sperabis. Scuto circumdabit te veritas ejus, non timebis a timore nocturno. A sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu et dæmonio meridiano; » et vers. 14 : « Quoniam in me speravit, liberabo eum; protegam eum, quoniam cognovit nomen meum. Clamabit ad me, et ego exaudiam eum : cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum et glorificabo eum. » Adeoque totus ille psalmus est de hac re, ideoque in tentatione et pavore a multis legi solet, imo ab omnibus Ecclesiasticis legitur quotidie in Completorio contra tentationes, terrores et illusiones nocturnas. Vide in eum S. Bernardum. Causa est, quod fiducia Deo sit honori et gloriæ, quia sperans, sibi diffidens, fidit, totumque se credit Deo, itaque Deum quasi obligat, ut illum protegat, imo recuperet, etiamsi prolapsus et pene perditus sit. Agitur ergo hic honor Dei, qui Deum movet ut clienti suo opituletur. Octavum

Præclare Philo, lib. *De Abraham* : « Sola, inquit, fides qua creditur Deo, solidum est certumque bonum, vitæ solatium, bonæ spei supplementum, depulsivum calamitatum, felicitatum conciliativum, ablegatio superstitionis, pietatis assertio, posteritatis hæreditas, profectus demum Fidei et spei pro ius.

in rebus omnibus. Hanc enim qui habet, Deo cultus est universorum auctore, qui potest omnia; vult autem optima. » In libro autem, qui inscribitur : *Quis rerum divinarum sit hæres* : « Quam difficile, inquit, est soli Deo credere, renitente sensu, et natura, ipsa etiam ratione, pravis opinionibus occupata! Nimirum, res mortales, quibus circumdati sumus, suadent nobis ut credamus, et fidamus gloriæ, potentiæ, amicis, sanitati et corporis robori, nostræque imprimis prudentiæ, ne certa incertis, præsentia futuris commutemus, neve, quod vetamur veteri proverbio, spem pretio emanus. Has persuasiones penitus ex animo ducere, nulli creaturæ fidere; sed in solo Deo omnes suas et spes et opes habere collocatas, ex eoque totum mente animoque pendere, res est animi magni et cœlestis, nec inescati captique rebus terrenis. »

SERVA TIMOREM ILLIUS, ET IN ILLO VETERASCE. — Hic versus jam deest in Græco; Tigurina habet : *Tuere religionem ejus, et in ea consenesce.* Timor enim significat Dei reverentiam, cultum, religionem, « per quam serviamus placentes Deo cum metu; » Græce αἰδοῦς, id est *pudore*, verecundia, « et reverentia », *Hebr.* XII, 28.

Nonum remedium tentationum est timor Dei.

Nonum est hoc tentationis remedium, scilicet filialis timor et amor Dei, si quis eum constanter servet, in eoque fixus usque ad senium, imo ultimum vitæ spiritum persistat, dicatque cum Apostolo : « Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? etc. Certus sum quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro, » *Rom.* VIII, 35. Hoc remedium facile est, efficax summeque meritorium. Quis enim non amet Deum suum, et ejus amore tentationem quamlibet toleret? Quid non efficiat amor Dei? Quid non meretur, qui fons est et principium omnis meriti? Quomodo Deus amantem se deserat et non redamet, imo majori amore longe superet et transcendat? Quocirca, sicut miles in armis et gladiis, doctor in libris, prædicator in pulpitis, medicus in pharmacis, legisperitus in legibus, rusticus in agris, sartor in vestibus, aurifex in auro, opifex quisque in sua arte et opere veterascit et consenescit : sic fidelis et sanctus in timore et amore Dei. Hic enim est ejus gladius, hic ejus liber, hoc ejus pulpitum, ejus pharmacum, ejus lex, ejus rus et ager, ejus vestis, ejus aurum, ejus ars et opus.

Ita B. Oresietis, discipulus S. Pachomii : « Seminemus, ait, in lacrymis, ut cum gaudio metamus, non deficientes, quod sciamus, Dominum de tentatione liberare cultores suos. » Beatus Petrus Ravennas : « Teneræ, ait, militiæ est solo amore de omnibus tentationibus et vitiis reportare victoriam. » S. Chrysostomus : « Adamas esto, athleta Christi, et omnia pervinces. » S. Basilius ad Chilonem : « Corpus substerne laborum exercitio, animam assuefacito tentationibus æquanimiter tolerandis. » S. Bernardus : « Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. » Diserte vero. S. Antonius apud S. Athanasium : « Magna, inquit, adversus dæmones arma sunt, vita sincera, et intemerata ad Deum fides. Credite mihi experto : pertimescit Satanas recte viventium vigilias, orationes, jejunia, mansuetudinem, voluntariam paupertatem, vanæ gloriæ contemptum, humilitatem, misericordiam, iræ dominatum, et præcipue purum cor erga amorem Christi. »

Ratio a priori est quod timor Dei adducat humilitatem, quæ est omnium tentationum victrix; et paupertatem spiritus, quæ materiam tentationis elidit. Prius docet S. Augustinus lib. I *De Serm. Domini in monte*, ubi septem dona Spiritus Sancti coæquans octo beatitudinibus, timorem assignat primæ beatitudini : « Timor Dei, inquit, congruit humilibus, de quibus hic dicitur : Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, id est, non inflati, non superbi, de quibus Apostolus dicit : Noli altum sapere; sed time, id est, noli extolli. » Posterius æque ac prius docet D. Thomas II II, *Quæst.* XIX, art. 12 : « Timori, inquit, proprie respondet paupertas spiritus. Cum enim ad timorem filialem pertineat Deo reverentiam exhibere, et ei subditum esse, id quod ex hujusmodi subjectione consequitur, pertinet ad donum timoris. Ex hoc autem quod aliquis se Deo subjicit, desinit quærere in seipso, vel in alio aliquo magnificari, nisi in Deo; hoc enim repugnaret perfectæ subjectioni ad Deum. Unde dicitur *Psalm.* XIX : Hi in curribus, et hi in equis; nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus. Et ideo ex hoc quod aliquis perfecte timet Deum, consequens est quod non quærat magnificari in seipso per superbiam; neque etiam quærat magnificari in exterioribus bonis, scilicet honoribus et divitiis, quorum utrumque pertinet ad paupertatem spiritus. » Et sic per eam, et consequenter per timorem Dei illi annexum, eliduntur omnes tentationes; hæc enim ex appetitu vel honorum, vel opum fere nascuntur. Plura de remediis tentationum dixi *Jacob.* I, vers. 12.

SECUNDA PARS CAPITIS,

QUA ADHORTATUR AD SPEM, TIMOREM ET CULTUM DEI.

Vers. 7. 7. METUENTES DOMINUM, SUSTINETE MISERICORDIAM EJUS: ET NON DEFLECTATIS AB ILLO (Domino ejusque timore, spe et amore), NE CADATIS. — Syrus: *Qui timetis Dominum, sperate beatitudinem ejus; et non cunctemini de post eum* (id est, sequimini eum sine cunctatione), *ne forte cadatis* Est hic altera pars capitis, qua post assignata tentationis remedia, præcipuum fusius persequitur, scilicet constantem spem et fiduciam in Deum. Ad eam ergo hic continua est parænesis, qua omnes hortatur ut, in qualibet tentatione et tribulatione in timore Dei persistentes, sperent in Deum, illique se credant et committant. Tigurina vertit: *Qui Dominum reveremini, sperate benignitatem ejus, nec deflectatis ab eo, ut ne concidatis* in ruinam animæ et corporis, in barathrum peccati, desperationis et inferni, uti corruerunt Core, Dathan et Abiron, cum a Deo et Mose desciverunt, *Numer.* XVI. Hoc est quod ait Jeremias, cap. XVII: « Omnes qui te derelinquunt, confundentur; recedentes a te in terra scribentur, quoniam dereliquerunt venam aquarum viven-

Timoris et spei fructus. Primus. tium, Dominum. » Probat quatuor rationibus, fideli tentato in timore et fiducia Dei esse persistendum: *prima* est, quia, nisi id faciat, cadet in peccatum, desperationem et gehennam. Ab his enim præservat, hominemque in suo gratiæ Dei statu conservat Dei timor, et fiducia. Hæc ergo prima timoris et spei est dos.

Vers. 8. 8. QUI TIMETIS DOMINUM, CREDITE (tum per fidem credendo, tum per spem et fiduciam confidendo) ILLI, ET NON EVACUABITUR MERCES VESTRA. — Est hæc secunda ratio, *q. d.* In quavis tentatione, o fideles, firmi persistite in cultu Dei, illique confidite, quia, si nutetis et excidatis a Dei cultu et spe, evacuabitur merces omnium bonorum operum, quæ prius operati estis, juxta illud *Ezech.* XVIII: « Si averterit se justus a justitia sua, numquid vivet? Omnes justitiæ ejus, quas fecerat,

Secundus. non recordabuntur. » *Secunda* est hæc timoris et spei dos, quod mercedem bonorum operum conservet et adaugeat, quin et acceleret. Unde Syrus vertit: *Timentes Deum, credite in eum, et non faciet pernoctare mercedem vestram*, juxta legem *Levitic.* XIX, 13.

Vers. 9. 9. QUI TIMETIS DOMINUM, SPERATE IN ILLUM: ET IN OBLECTATIONEM VENIET VOBIS MISERICORDIA, — *q. d.* Misericordia Dei, quam sperastis, vos oblectabit, cum rem speratam, puta salutem præsentem et æternam, largietur et tribuet. Hæc oblectatio et

Tertius. fruitio rei speratæ est *tertia* spei dos et fructus, juxta illud *Psal.* XCIII: « Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. » Qui ergo a timore et spe excidit, se et re sperata et divina consolatione defraudat, ac gratiam Dei sibi imminuit. Nam « quantum crescis in gratia, tantum et in fiducia dilataris, » ait S. Bernardus serm. 3 *in Cantic.* Græca jam habent: *Timentes Dominum, sperate in bona, et in lætitia sæculi, et misericordiæ, q. d.* Timentes Deum sperate bona, puta misericordiam et lætitiam perpetuam, quæ durabit in omne sæculum. Tigurina vertit: *Bona sperate, quibus Dominus religioni est, lætitiam quoque sempiternam et benignitatem;* Syrus: *Timentes Dominum, sperate beatitudinem ejus, et lætitiam æternam, et redemptionem.* Arabicus hunc versum, et duos præcedentes in unum, quasi per compendium redigit, itaque effert: *O timentes Dominum, sustinete gratiam ejus, ut recipiatis ab eo salutem, et gaudium et exsultationem.*

Porro quæ, qualis et quanta hæc futura sit, docet S. Bernardus in *Meditat.*: « Primum, inquit, est videre Deum, vivere cum Deo, vivere de Deo, esse cum Deo, esse in Deo, qui erit omnia in omnibus: habere Deum, qui est summum bonum, et ubi est summum bonum, ibi est felicitas summa, summa jucunditas, vera libertas, perfecta charitas, æterna securitas et secura æternitas. »

Est ibi pax, pietas, bonitas, lux, virtus, honestas,
Gaudia, lætitiæ, dulcedo, vita perennis,
Gloria, laus, requies, amor et concordia dulcis.

Quæ ergo nos angit vesania, vitiorum sitire absinthium, hujus mundi sequi naufragium, vitæ labentis pati infortunium, impiæ tyrannidis ferre dominium; et non magis convolare ad Sanctorum felicitatem, ad Angelorum societatem supernæ lætitiæ, et ad jucunditatem contemplativæ vitæ: ut possimus intrare in potentias Domini, et videre superabundantes divitias illas bonitatis ejus? Ibi vacabimus, et videbimus quam dulcis est Dominus, et quam magna multitudo dulcedinis ejus. Videbimus gloriæ decorem, Sanctorum splendorem et regiæ potestatis honorem. Cognoscemus Patris potentiam, Filii sapientiam, Spiritus Sancti benignissimam clementiam: et ita habebimus notitiam illius summæ Trinitatis. Nunc corpora per corpus videmus, imagines etiam corporum spiritu cernimus. Tunc vero ipsam veritatem puro mentis intuitu videbimns. O quam beata visio, videre Deum in seipso, videre in nobis, et nos in eo felici jucunditate! Quidquid desiderabimus, totum habebimus, etc. Qualis putatis tunc erit

splendor animarum, quando solis splendorem habebit lux corporum. » Idem, serm. 17 in psal. *Qui habitat:* « Vita æterna, ait, ipsa est plenitudo, ipsa longitudo dierum; verus dies qui non novit occasum: plenus meridies, veræ gloriæ plenitudo, æterna veritas, vera æternitas, vera æternaque satietas; siquidem nec longiturnitas illa terminum, nec claritas illa occasum, nec fastidium illa satietas habet. Erit enim securitas de æternitate, gloriatio de veritate, exsultatio de satietate. »

Vers. 10. 10. QUI TIMETIS DOMINUM, DILIGITE ILLUM, ET ILLUMINABUNTUR CORDA VESTRA. — Hæc sententia non est in Græcis; unde Jansenius suspicatur eam ab aliquo adjectam, hoc fine, ut fidei et spei, de quibus dixit vers. 9 et 10, *credite, sperate,* adderetur tertia virtus theologica, puta charitas; ideoque dici, *diligite.* Verum hac ratione multæ sententiæ in textu Latino Ecclesiastici essent surreptitiæ, quia multæ desunt in Græco, uti dixi *can.* 16. Cur non potius aptam hanc concinnitatem trium virtutum Theologicarum tribuamus ipsi Siracidi? Unde Rabanus: « Nota, ait lector, quod timentibus Dominum trinam facit discretionem. Nam primo, illos jubet credere Deo; secundo, sperare in illum; tertio, diligere illum: quia fide, spe et charitate omnis anima fidelis colit Deum. Et per has species perveniet ad contemplationem sanctissimæ Trinitatis, quæ est illi merces vera in beatitudine sempiterna. » Sensus ergo est: Qui timetis Deum, in dilectione ejus, æque ac fide et spe, in quavis tentatione fortes persistite, « et, » id est, *quia,* « illuminabuntur corda vestra, » puta lumine, non tam cognitionis, quam consolationis et gaudii: hoc est, recreabuntur, exsultabunt, et velut nova luce lætitiæ et jubili collustrabuntur, juxta illud *Isaiæ* LVIII: « Orietur in tenebris lux tua, et tenebræ tuæ erunt sicut meridies; et requiem tibi dabit Dominus semper, et implebit splendoribus animam tuam. » Consolatio et gaudium vocatur lux, quia instar lucis animam illustrat, recreat, vivificat. Hæc Quartus. est *quarta* timoris et spei dos, quod pariat miram animæ consolationem et lætitiam.

Vers. 11. 11. RESPICITE, FILII, NATIONES HOMINUM: ET SCITOTE QUIA NULLUS SPERAVIT IN DOMINO, ET CONFUSUS EST. — Vox « nationes » est accusativi casus: Græce enim est ἀρχαίας γενεάς, id est, *antiquas generationes;* et ita legit S. Ephrem *Parænesi* 30. Hæ ergo vocantur nationes, juxta illud Virgilii III *Æneid.:*

Et nati natorum, et qui nascentur ab illis.

« Natio, inquit Festus, est genus hominum qui non aliunde venerunt, sed ibi nati sunt. In pecoribus quoque bonus proventus bona natio dicitur. » Sic et Plinius, lib. XXII, cap. XXIV, nuncupat *nationes mellis;* et lib. XXIV, cap. VI: *Natio quid? tiones resinæ.* Nationes ergo vocantur hic generationes et successiones hominum, puta homines in terra geniti, et per generationes continuas sibi invicem per singula sæcula succedentes. Hinc Natio a Gentilibus habita fuit dea, quæ generationi hominum continuandæ præesset: « Quæ, quia partus matronarum tueatur, a nascentibus Natio nominata est, » ait Cicero, lib. III *De Natura Deorum.*

Quocirca Syrus vertit: *Intellige rem, quæ ab initio fuit, et a generationibus sæculi. Intelligite et videte, quis credidit in eum, et dereliquit eum? vel, quis confidit in eo et abjecit eum? aut, quis invocavit eum, et non respondit ei?* Arabicus: *Considerate quid fuerit in antiquo, et quid conveniens fuerit in generationibus præteritis. Respicite, et caute vosmet regite: quis est qui speravit in eo, et dereliquit eum? et quis confidit in eo, et despexit illum?* Addit deinde nonnulla, quæ nec in Latino, nec in Græco, nec in Syro habentur, scilicet: *Qui vult vitam hæreditare et gaudium indeficiens, suscipiat omnes sermones meos, et operetur in eis, ut confirmet in libro vitæ nomen suum. Confirmare in formidine Domini, ut permaneat cor tuum super illam, et non pertimescas. Accede ad illam, et ne tarderis, quia invenies beatitudinem et vitam: et cum accesseris ad eam, accede velut gigas et robustus.* Tigurina: *In prisca retro respicite sæcula, et hæc considerate. Quis in Domino confisus est, et ignominiam retulit? q. d.* Quis unquam in Dominum sperans, spe sua frustratus est? quis re sperata excidit, ideoque confusus, id est, pudore affectus, et ignominia notatus est? *q. d.* Nullus, sed omnes spei suæ fructum retulerunt, ac re sperata, vel meliore potiti sunt, ideoque honorem et gloriam adepti. Considerate Noe, Abraham, Isaac, Jacob, Mosen, Josue, Gedeonem, Samsonem, Davidem, Ezechiam, Josiam, Isaiam, Jeremiam, Danielem, Machabæos cæterosque per singula sæcula justos, qui in Domino confisi, periculis malisque omnibus ab eo liberati sunt, uti nervose recenset Mathathias, qui Judam cæterosque filios Machabæos hisce exemplis hortatus est ad bellum, pro Deo et fide contra Antiochum heroice suscipiendum, non tam armorum, quam Dei spe et ope, I *Machab.* cap. II, vers. 51. Huc allusit S. Paulus *ad Romanos* V, 3: « Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit. »

Porro S. Chrysostomus hanc promissionem non tantum ad justos, sed et ad peccatores refert: « Non dixit, ait, justus: sed quis? Etsi, inquit, sit peccator. Hoc est enim admirabile, quod etiam peccatores, anchoram hanc spei tenentes, sint ab omnibus inexpugnabiles. » Idem *in Psalm.* CXVII: « Dices, inquit, Ego speravi, et sum pudore affectus. Bona verba, quæso, o homo! ne divinæ Scripturæ obloquaris. Nam, si pudore affectus es, ideo affectus es, quod non, ut oportuit, speraveris, ex eo quod cesseris, ex eo quod finem non exspectaveris, pusillo et angusto animo fueris. Hoc enim vel maxime est sperare, quando in media mala et pericula fueris conjectus, tunc erigi. »

Vers. 12

12. QUIS ENIM PERMANSIT IN MANDATIS EJUS (Græce, *in timore ejus*: hic enim adigit ad servanda mandata), ET DERELICTUS EST, AUT QUIS INVOCAVIT EUM, ET DESPEXIT ILLUM? — *q. d.* Quisquis sperat in Deum, nunquam a Deo desertus fuit, nunquam quoque deseretur. Vel enim justus est, vel injustus: si justus et mandatis Dei obediens, impossibile est ut a Deo, cum sit ejus amicus et filius, derelinquatur; si injustus et in tribulatione, ad Deum per pœnitentiam et spem confugiat, nec hunc despiciet.

Vers. 13.

13. QUONIAM PIUS (Græce οἰκτίρμων, id est, clemens) ET MISERICORS (Complut. addunt, μακρόθυμος καὶ πολυέλεος, id est, longanimis et multæ miserationis) EST DEUS. ET REMITTET IN DIE TRIBULATIONIS (pœnitentibus, et ad se redeuntibus, seque invocantibus), PECCATA, ET PROTECTOR EST OMNIBUS EXQUIRENTIBUS SE IN VERITATE, — qui, scilicet, vere et sincere ad eum confugiunt, ejus amicitiam quærunt, ei obediunt, in eum confidunt, ei se et sua resignant, credunt et committunt. Rursum «in veritate,» id est, in integritate, ut corde vero, id est, toto et integro, puta toto affectu eum quæramus.

Verum, id est, integrum.

Verum enim sæpe pro *pleno* et *integro* sumitur, ut *Daniel.* IV, 34: « Omnia opera ejus (Dei) vera, » id est, integra et perfecta. I *Petr.* V, 12: « Contestans hanc esse veram, id est, perfectam, Dei gratiam. » *Joan.* IV, 23: « Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. » Et cap. XV, 1: « Ego sum vitis vera, » id est, perfecta. Sic Deus vult a nobis exquiri « in veritate, » id est, integre et perfecte; sicut enim vult a nobis diligi ex toto corde, ita et vult a nobis in se sperari ex tota anima totaque fiducia. Hinc enim opponens subdit: « Væ duplici corde! » Syrus vertit: *Quia clemens et misericors est Dominus, et audit et liberat in omni momento tribulationum, et audit vocem operum voluntatis suæ, q. d.* Audit vocem, non tam loquentium, quam bene operantium, juxta voluntatem et legem suam.

Vers. 14.

14. VÆ DUPLICI CORDE. — Opponit duplex cor veritati, id est, simplicitati et sinceritati, *q. d.* Euge simplicibus et sinceris, qui Deum quærunt in veritate; sed væ iis, qui sunt duplici corde, id est, ficti, hypocritæ, dolosi, fraudulenti, simulantes se servire Deo, eumque colere et in eum sperare, cum serviant mundo.

Rursum *veritati*, id est, integritati, opponit cor duplex, id est, divisum, puta diffidens, quod, scilicet, partim adhæret Deo, partim creaturis, quod nunc spem collocat in Deo, nunc in hominibus; quod nunc invocat Deum, nunc sagas et magos. Unde S. Augustinus tract. 7 *in Joannem*: « Duplici corde, inquit, est, qui partem cordis dat Deo, partem diabolo. » Hunc odit Deus quasi sibi e diametro adversum: ipse enim ex natura sua est simplicissimus, ideoque integerrimus, sincerissimus, veracissimus, fidelissimus, sanctissimus.

Duplici corde

Primo ergo, Siracides « duplici corde » vocat diffidentes Deo, qui spem quasi divisam habent, ac trepidantes nunc eam in Deo, nunc in creaturis collocant. Unde S. Jacobus huc alludens, cum agit de oratione, ait cap. I, 6: « Postulet autem in fide nihil hæsitans, » moxque subdit vers. 8: « Vir duplex animo, » græce δίψυχος, id est, bianimis, sive duas habens animas, unam sperantem, alteram desperantem, « inconstans est in omnibus viis suis. » Pro quo S. Ignatius, epist. 13 *ad Heronem*, legit: « Ne sis duplici animo in precatione tua. Beatus enim, qui non ambigit. » Tales sunt hodie multi hæsitantes, ambigui et quasi amphibii: qui tempore pacis confidunt et serviunt Deo; sed ubi persecutio vel metus ingruit, Deo diffidunt, eumque deserunt, ut hominibus placeant; et, ut ait Christus *Lucæ* cap. XIII: « Ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. »

qui? Respondeo Primo.

Secundo, « duplici corde » est hypocrita, qui ficte et dolose colit et invocat Deum, juxta illud *Psal.* XI, 13: « In corde et corde, » id est, duplici corde, « locuti sunt. » Tales sunt fraudulenti, qui unum cor intra pectus, aliud in labiis habent: similes perdicibus Paphlagoniæ, quæ bicordes sunt, ideoque fraudulentæ et perniciosæ, teste Plinio lib. XI, cap. XXXVII, Æliano lib. X *De Animal.* XXXV, Gellio lib. XVI, XV. Unde et S. Ambrosius, lib. VI *Hexam.* cap. III, perdicem dictam vult a perdendo. Tales imitantur dæmonem, cujus nomen est zabulus, *q. d.* διάβουλος, id est, δίβουλος, διπλόος, id est, duplicis consilii, versipellis, ut decipiat; *za* enim Græcis idem est quod διὰ, licet S. Hieronymus in cap. VI *ad Ephes.*, « zabulus interpretetur διαῤῥύων, id est, deorsum fluens, quod, scilicet, paulatim de veritate ad vitium defluxerit, et de cœlestibus ad terrena corruerit. » Alii *zabulum* idem esse censent, quod *diabolum*, quod valde est verisimile. Duos hosce sensus assignat Arabicus dum vertit: *Fili mi, ne defraudes in timore Dei, et ne accedas, cum sis dubius in corde tuo, et ne glorieris illo* (*timore*) *inter homines, ut sit loquela labiorum tuorum in æquitate et veritate: et ne respuas sermonem ejus, et ne timeas, et non derelinquas ignominiam super animam tuam, ne forte Dominus obfirmet vincula tua, et inducat in te supplicium in medio cœtu.*

Secundo.

Præclare Nazianzenus in *Tetrastichis*: « Probum esse præstat, quam videri. Leonem haberi simiam, quid juverit? » S. Antonius explicans hæc verba, « Væ duplici corde, » ait hominem duplicis cordis esse monstrum extravagans et peregrinum: natura enim permittens monstrositatem in membris, eam in corde nunquam admittit; videbis enim hominem quatuor manus vel pedes, aut duo capita habentem; hominem vero duo corda habentem, nusquam et nunquam visum est, quia cor est principium vitæ. Unde, sicut non potest esse duplex vita in homine, sic nec duplex cor: merito ergo monstrum dicemus hominem duplici corde; qui, scilicet, unum cor in ore, aliud in pectore gestat.

ertio. *Tertio,* δίψυχος, id est, « duplici corde » et animo, sive bicors est, qui est levis, mutabilis et varius instar chamæleontis, ut nunc velit, nunc nolit, nunc fidat Deo, nunc diffidat.

Quarto. *Quarto,* « duplici corde » est, qui cor partim affigit cœlo, partim terræ; qui cupit simul servire Deo et mammonæ. Unde sequitur : « Væ manibus malefacientibus, et peccatori terram ingredienti duabus viis : » Vide ea, quæ dixi *Jacob.* I, 8. Hos duos sensus insinuat quoque versio Arabica jam recitata.

Græca, pro « væ duplici corde, » habent *οὐαὶ καρδίαις δειλαῖς*, id est, *væ cordibus timidis* et ignavis; et ita legit S. Cyrillus lib. I *De Adoratione in spiritu et verit.;* sed Noster pro δειλαῖς legit διπλαῖς, id est, duplicibus; et ita etiamnum legunt nonnulli Græci codices, et S. Chrysostomus homil. 4 in illud I *Cor.* XV : « Cum autem subjecta fuerint illi omnia. » Verum utraque lectio conciliari potest; timidi enim et ærumnarum impatientes sunt diffidentes, atque duplex habent cor, et duplicem spem : unam enim reponunt in Deo, alteram in suis et suorum viribus. Hinc *Apoc.* XXI, vers. 8 : « Timidis, ait, et incredulis (id est diffidentibus) etc., pars illorum erit in stagno ardenti igne. »

VÆ DUPLICI CORDE, ET LABIIS SCELESTIS (de his labiis nil habet Græcus), ET MANIBUS MALEFACIENTIBUS, ET PECCATORI TERRAM INGREDIENTI DUABUS VIIS. — Notatur hic triplex duplicitas, scilicet, cordis, oris et manuum, id est, operis : ex duplici enim corde prodit duplex os, puta labia scelesta, id est, ficta et dolosa, ac manus malefacientes : ac proinde talis est peccator et scelestus, qui terram ingreditur duabus viis : una enim via tendit ad Deum, eum exterius in pace colendo; altera pergit ad mundum et mundanos, eis in tempore tentationis confidendo, ac se conformando, ne ab eis rideatur, neve faciat jacturam famæ, bonorum aut vitæ. Ita S. Augustinus tract. 9 *in Joannem* : « Non vult Christus, inquit, communionem, sed solus vult possidere quod emit. Tanti emit, ut solus possideat : tu facis ei consortem diabolum, cui te per peccatum vendideras. Væ duplici corde, qui in corde suo partem faciunt Deo, partem faciunt diabolo. Iratus Deus, quia fit ibi pars diabolo, discedit, et totum diabolus possidebit. Non frustra itaque Apostolus dicit : Neque detis locum diabolo. » Græca jam habent : *Væ cordibus ignavis, et manibus παρειμέναις*, id est, *remissis,* torpidis, desperantibus, ideoque bonum deserentibus, et ad malum inclinantibus : quod Noster vertit, « malefacientibus, » et sceleroso, « duabus viis ingredienti; » Syrus vero : *Cor fœtidum, et manus dissolutæ, homo qui incessit per vias multas.* Arabicus : *Cor coagulatum, et manus trementes, et pedes in pluribus semitis incedentes.* Sic cap. III, 28, vocatur cor דרכים *derachaim*, id est duarum viarum, hoc est, duplex, fucatum, dolosum. « Cor, inquit, ingrediens vias duas non habebit successus : » tale est, quod ingreditur viam cœli et viam terræ, quod simul vult placere Deo et terrigenis. Sic Israelitis colentibus Deum simul et Baal ait Elias : « Usquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum : si autem Baal, sequimini illum, » III *Regum* XVIII, 21. Quocirca S. Paulus hortatur Hebræos, cap. XII, 12, dicens : « Remissas manus et soluta genua erigite, et gressus rectos facite pedibus vestris, ut non claudicans quis erret. »

Tales hodie sunt, qui cum Catholicis loquuntur et vivunt catholice, cum hæreticis hæretice, cum castis caste, cum incestis inceste. Tales fuere Samaritani, qui cum Deo vero coluerunt deos Gentium, IV *Reg.* XVII, 33. Ita Rabanus, Jansenius, Palacius et alii. Hi similes sunt muscis, quæ in rota duobus motibus contrariis moventur : antrorsum, scilicet, ex se, retrorsum, ex rotatione rotæ : item stellis errantibus, puta planetis, qui præter motum proprium raptantur et moventur motu contrario primi mobilis. Unde quidam vir sapiens Consiliario cuidam Elisabethæ reginæ Angliæ roganti quidnam de se sentirent transmarini (volebat enim haberi Orthodoxus cum reginæ obsequeretur), facete respondit : « Domine, dicunt te imitari planetas, qui præter motum proprium sinunt se rapi motu primi mobilis. » Præclare Seneca in *Sentent.* : « Tutissima, ait, res est, nihil timere præter Deum. »

Porro, cum totus hic locus spectet ad diffidentiam, spei Deum timentium et colentium oppositam; hinc ingredi duabus viis, hoc loco proprie est duos deos colore, duas religiones profiteri, in duobus diversis, imo contrariis, spem collocare. Hi enim nunc in adversam, nunc in obversam partem pergunt; nunc faciem, nunc tergum ostentant; nunc amicos, nunc inimicos se exhibent.

Pergere duabus viis quid? Respondeo, est duos deos colere.

Sumpta est hæc phrasis ab Israelitis, præsertim Samaritis, qui eum Deo vero colebant deos patrios, puta, vitulos aureos inductos a Jeroboam, ideoque nunc ibant in Jerusalem, ad adorandum Deum verum; mox pergebant in Dan et Bethel, ad adorandum quoque vitulos aureos; aut in Assyriam, vel Ægyptum, ad accersendam sibi opem, tam deorum quam regum Assyriæ, vel Ægypti. Id ita esse patet ex *Jerem.* cap. II, 18 : « Et nunc, inquit, quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam? et quid tibi cum via Assyriorum, ut bibas aquam fluminis? » Et vers. 36 : « Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas! et ab Ægypto confunderis, sicut confusa es ab Assur. » Et *Osee,* cap. XIII, 4 : « Deum absque me nescies, et salvator non est præter me, etc. Et ego ero eis quasi leæna, sicut pardus in via Assyriorum. » Et cap. IV, 15 : « Nolite ingredi in Galgala; et ne ascenderitis in Bethaven, » id est, in Bethel, quæ olim a Jacobo dicta et facta est Bethel, id est, domus Dei; nunc autem per vitulos aureos facta est Bethaven, id est domus idoli et peccati. Similia habent et inculcant cæteri Prophetæ.

Idem refricat hic Siracides hac de causa, quod sub hoc tempus, puta, sub Alexandro Magno (cui successit Ptolemæus Lagi, sub quo hæc scripsisse videtur Siracides), Samaritæ ope Sanaballat, præfecti Darii, regis Persarum, erexerint sibi templum in monte Garizim, quasi æmulum et oppositum templo Judæorum in Jerusalem; et ad illud non tantum Samaritas, sed et Judæos invitabant. Unde, ut ait Josephus in fine lib. XI *Antiq.*: « Si quis apud Jerosolymitas, aut illiciti cibi sumpti, aut violati sabbati, aut similis criminis reus ageretur, ad Sichimitas (id est, Samaritas) confugiebat, calumniam se passum dictitans. » Quocirca Siracides, cap. L, 27 : « Duas gentes, inquit, odit anima mea : tertia autem non est gens (non est digna gentis nomine), quam oderim; qui sedent in morte Seir et Philisthiim; et stultus populus, qui habitat in Sichimis, » puta, Samaritæ, quorum templum erat in Garizim juxta Sichem. Hoc templum et schisma duravit usque ad Christum : hinc mirabantur discipuli quod Christus cum Samaritana colloqueretur. Et Samaritana ad Christum *Joan.* IV, 9 : « Quomodo, ait, tu Judæus cum sis, bibere a me poscis, quæ sum mulier Samaritana? » Et vers. 20 : « Patres nostri in monte hoc (Sichem et Garizim) adoraverunt, et vos dicitis, quia Jerosolymis est locus, ubi adorare oportet. » Quia ergo nonnulli a Judæis deficiebant ad Samaritas, alii utrisque placere satagentes, adoraturi ibant Jerusalem, ac deinde Sichimam; hinc eos redarguit, eisque væ iræ divinæ et damnationis æternæ minatur hic Siracides, de quo rursum dicendum erit, cap. L, 27.

Moral. Primo, est velle placere Deo et mundo.

Moraliter S. Gregorius, lib. III *in Reg.* cap. VI, explicans illud de vaccis trahentibus arcam Domini : « Et itinere uno gradiebantur. Uno, inquit, itinere graditur, qui virtutem, quam prætendit in bono opere, in recta servat intentione. Quo contra de unoquoque reprobo dicitur : Væ peccatori ingredienti terram duabus viis. Duabus quippe viis peccator terram ingreditur, cum Dei videtur esse quod agit; sed ex omni, quod religiosum foris exhibet, intus sæculi intentionem tenet. Uno autem itinere gradi electos suos Dominus insinuat, dicens : Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Hinc Paulus ait : Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. » Hinc David : « Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus. Uno igitur itinere contra Bethsames vaccæ gradiuntur : quia electi ad æternam patriam festinantes, bona foris agunt, sed ex eisdem bonis operibus sæculi præmia non requirunt. »

Hoc est quod acriter redarguit Deus per Oseam, cap. X, 2, dicens : « Divisum est cor eorum, nunc interibunt. » Et per Sophoniam, cap. I, vers. 5 : « Disperdam eos, qui jurant in Domino, et jurant in Melchom, » id est, qui colunt Deum, et colunt Melchom : jurare enim est actus latriæ : unde per synecdochen omnem latriam cultumque Dei significat. Nam, ut ait Richardus de S. Victore, lib. IV *De Contemplat.* cap. XV : « Amor singularis consortem non recipit, socium non admittit. » Et Gregorius Nyssenus orat. 8 *in Cant.* : « Qui ad solam, inquit, illam Dei naturam visus acumen dirigit, is in cæteris omnibus cæcus est, ad quæ multorum oculi respiciunt, » ut dicat cum Psalte : « Quid mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? » *Psal.* LXXII, 15 : ex Hebræa veritas, *tecum non volui socium super terram.* Quo alludens S. Bernardus, *epist.* 249, ex humilitate confitens, se nondum totum cor Deo tradidisse : « Clamat, inquit, ad vos mea monstrosa vita, mea ærumnosa conscientia. Ego enim quædam chimæra mei sæculi, nec clericum gero, nec laicum. Nam monachi jamdudum exui conversationem, non habitum. » Quam vere idipsum sibi approprient hodie nonnulli Religiosi! Idem, serm. 2 *de S. Michaele* : « Qui Deo, inquit, simplici adhæret oculo, factus est et ipse simplex : aut certe jam non alter est oculus, sed unus cum eo, Apostolo teste : Quoniam qui adhæret Deo, unus spiritus est cum eo, » I *Corinth.* VI, 17. Nervose Beda *in Proverb.* : « Sicut oculi omnium sunt in capite, sic in Christo consistere debet omnis intentio fidelium. » Et : « Melius est facere divortium cum homine, quam cum Deo. »

Secundo, est aliis detrahere, se laudare.

Rursum duplex cor habent et duplicem linguam, qui temere aliorum defectus, etiam minimos, judicant et accusant; suos, licet majores, velant et excusant. Duplex namque habent cor; unum amplum et vitio proprii amoris distentum, in quo propria peccata celant, et quasi cadavera putrida sepeliunt; alterum arctum, et invidiæ labe satis angustum, in quo nec leve alterius peccatum possunt abscondere. Labia habent scelesta, quia nihil sonant, nisi peccata et scelera proximorum; et bona illorum pro ingenita malitia, aut penitus fœdant, aut, si id non possunt, extenuant. Manus sunt illis malefacientes : nam, et si fratrem manu non feriant, lingua tamen et verbis vice manus percutiunt; et ingrediuntur duabus viis : una, qua sua peccata excusant et contegunt; alia, qua fratrum defectus accusant et aperiunt.

Neque isti profecto nimis taxantur, quos S. Bernardus serm. 3 *de Dedic. Eccles.*, multo majori acrimonia perstrinxit : « Proditores sunt, inquit, quicumque in hoc Domini castrum inimicos ejus introducere moliuntur, quales sunt utique detractores, Deo odibiles, qui discordias seminant, nutriunt scandala inter fratres. Sicut enim in pace factus est locus Domini, sic in discordia locum diaboli fieri manifestum est. » Denique præclare idem S. Bernardus serm. 66 *in Cantic.* : « Hypocritæ, ait, oves sunt habitu, astutia vulpes, actu et crudelitate lupi. Hi sunt, qui boni videri, non esse; mali non videri, sed esse volunt. Etenim semper minus malitia palam nocuit, nec unquam bonus nisi boni simulatione deceptus. Ita ergo in malo bonorum boni apparere stu-

dent; mali nolunt, ut plus liceat malignari. Neque enim est apud eos virtutes colere, sed tolerare vitia quodam quasi minimo virtutum. »

Apologus sinceritatis. Hanc gnomen apposito spinæ et ficus apologo, ac pulchris argutisque parabolis adornat et illustrat Cyrillus, lib. II *Apolog. moral.* cap. XXIII, cui titulus : *Contra apparentes et contrarium existentes.* « Spina, inquit, florebat, et ficus ante eam frondes ac grossos suos producebat; cui mox tumefacta ex floribus spina dixit : Ficus, ubi sunt flores tui? At illa respondit : Spina, ubi sunt fructus tui? Tum spina : Non dedit mihi, inquit, natura fructus. Neque mihi, subjungebat ficus, flores addidit. Verum cum flos derivetur in fructum, melius est sine flore fructum producere, quam fructu privatam florere : attamen quia non floreo, germen suavissimum gigno. » Deinde idipsum variis emblematibus palmæ, cannæ melleæ, sepulcri depicti, sapphiri et onychæ demonstrat : « Sic et palma mel suum non effundens in floribus, mellifluum parit dactylum. Et canna mellea, quia flores non protulit, tota fructus dulcedinem intra semetipsam recondit. Quid ergo de apparentia contrariæ existentiæ gloriaris? Sepulcrum quidem extrinsecus flosculis pingitur, et intus est spurcitia mortis plenum. Quin et sapphirus qui magis splendet, valet minus; et onycha gemma albæ nigra præponitur : et Bius lapis quanto pallidior, tanto pretiosior existit. Atque ita rerum ipsa mirabilis fabricatrix natura, etiam in suis operibus apparentiam damnat. » Denique exemplo auri, margaritæ, conchyliorum, embryonis et radicum idipsum evincit. « Ut quid igitur externa tantum pompa gaudes? Attende ut aurum in abstrusis terræ latibulis nascitur, et margarita per rorem cœlitus diffusum in occultis ostrearum conchis gemmascit. Homo etiam in maternis visceribus oritur, et rerum substantia non videtur. Arbor occultis suis radicibus sub terra vitalem succum trahit, et humanæ vitæ fundamentum in præcordiis latet. Quin etiam pretiosissima quæque naturæ, invisibilia existunt. Quid plura? magis certe gaudeo esse fructifera sine flore, quam esse spina cum flore. Quibus dictis pomposam confudit. »

Similia.

Vers. 15. 15. VÆ DISSOLUTIS (παρειμένοις, id est, *remissis*, vers. 15), CORDE, QUI (Græce ὅτι, id est, *quoniam*) NON CREDUNT DEO, ET IDEO NON PROTEGENTUR AB EO. — Syrus : *Væ cordi, quod non credit, neque ipsum stabilietur* : Arabicus : *Væ cordi, quod fidem non habet; quoniam non permanebit.* Sensus est, *q. d.* Væ remissis et tepidis, qui molliter et tepide adhærent Deo, nec firmiter ei credunt et confidunt, sed tempore tentationis titubant. Væ illis, qui furentium tribulationis undarum impetu dissipatis fidei funibus, speique anchora amissa fluctuant : Deus enim deserentes se non proteget, sed deseret, ac fluctuantes fluctuare mergique sinet. Quapropter S. Franciscus Xaverius navigans in Japonem, cum diabolus omnibus artibus ejus iter, quod prævidebat fore tam fructuosum, impedire aut remorari conaretur, ac mille impedimenta objiceret, ut Xaverii spem et fortitudinem animi infringeret, ille tentationem hanc, et impedimenta a dæmone proficisci Dei instinctu advertens, omnibus viribus restitit, et in proposito firmus perstitit; itaque Dei ope omnia superavit, ac initia dedit Ecclesiæ, quam tot fidelium heroicis virtutibus et martyriis quotidie coruscare videmus et gaudemus. Quocirca aiebat Xaverius se tunc experientia didicisse, in rebus arduis et magnam animarum messem parituris, dæmonem, hujus fructus præsagum, conari eas in sui initio evertere et succidere, tum per exteros hostes, tum immittendo viro Apostolico motus timoris et diffidentiæ; ac proinde nihil æque tunc satagendum esse, quam ut in Dei fiducia firmus et immotus consistat, ac propositum suum constanter urgeat. Si id fecerit, certo Deum affore, ut omnes diaboli obices disjiciat et superet. Tunc ergo nil æque timendum, ac diffidentiam.

Porro dissoluti corde sunt dissoluti et fracti animo, qui ob adversa diu durantia perdunt mentis constantiam. In corde enim præcipua est sedes animi, vitæ, spei, audaciæ; ipsum enim est sensus, motus et vitæ principium, uti docet Aristoteles lib. II *De Part. animal.* cap. IV. « Cor, inquit, origo prima et fons sanguinis est. Cor enim statim omnium partium primum consistens sanguinolentum est; motus etiam lætitiæ atque tristitiæ, denique omnium sensuum hinc oriri, eodemque desinere videntur. » Quocirca dum per metum solvitur vigor et robur animi, laxatur pariter et solvitur per sympathiam vigor roburque cordis. Unde Aristoteles, lib. III *De Part. animal.* cap. VI, hanc palpitationis cordis dat causam : « Cor, inquit, homini prope dixerim animalium uni palpitat, quia homo solum spe rei futuræ exspectationeque movetur. » Idem, lib. *De Juventute, senectute et respiratione*, cap. XIII, docet in corde summum animæ ardorem consistere, ut ad eum temperandum respiratione indigeat : « Refrigeratione, inquit, omnino indiget animalium natura, propter fervorem animæ in corde; hanc autem faciunt per respirationem, quæcumque non solum habent cor, sed etiam pulmonem. »

Cordis symptomata.

Et Plinius, lib. XI, cap. XXXVII, cordis naturam, situm, indolem, usum ita describit : « Cor, inquit, animalibus cæteris in medio pectore est; homini tantum infra lævam papillam, turbinato mucrone in priora eminens. Piscibus solis ad os spectat. Hoc primum nascentibus formari in utero tradunt; deinde cerebrum, sicut tardissime oculos. Sed hos primum mori, cor novissime. Huic præcipuus calor. Palpitat certe, et quasi alterum movetur animal, intra præmolli firmoque opertum membranæ involucro, munitum

costarum et pectoris muro, ut pariat præcipuam vitæ causam et originem. Prima domicilia intra se animo et sanguini præbet, sinuoso specu, et in magnis animalibus triplici, in nullo non gemino. Ibi mens habitat. Ex hoc fonte duæ grandes venæ in priora et terga discurrunt, sparsæque ramorum serie, per alias minores omnibus membris vitalem sanguinem rigant. Solum hoc viscerum vitiis non maceratur, nec supplicia vitæ trahit, læsumque mortem illico affert. Cæteris corruptis vitalitas in corde durat. Bruta existimantur animalium quibus durum riget, audacia quibus parvum est, pavida quibus prægrande. Maximum autem est proportione muribus, lepori, asino, cervo, pantheræ, mustelis, hyænis et omnibus timidis, aut propter metum maleficis. In Paphlagonia bina perdicibus corda. In equorum corde et boum ossa reperiuntur interdum. Augeri id per singulos annos in homine, ac binas drachmas ponderis ad quinquagesimum annum accedere, ab eo detrahi tantumdem, et ideo non vivere hominem ultra centesimum annum defectu cordis, Ægyptii existimant, quibus mos est cadavera asservare medicata. Hirto corde gigni quosdam homines proditur, neque alios fortioris esse industriæ, sicut Aristomenen Messenium, qui trecentos occidit Lacedæmonios. »

Quocirca ex corde oriuntur affectus animæ, et vicissim ex anima in cor redundant; hinc cor metonymice capitur pro anima, quasi locus pro locato. Hinc rursum in spe, fortitudine, audacia stringitur et roboratur cor, æque ac anima; in diffidentia, metu, pusillanimitate laxatur, solvitur, debilitatur. Unde Romana versio Græca hic habet: *Væ dissoluto cordi*. Tigurina: *Væ cordi collapso; nam, cum nullam habeat fiduciam, defensione quoque carebit.*

Cor solvitur metu, cur?

Rursum cor in diffidentia et pavore dissolvitur, quia venæ et nervi, qui a corde prodeunt, et per quos, ut docent Aristoteles et Plinius locis citatis, cor movet et vegetat totum corpus, laxantur et solvuntur; ita ut membra hisce vinculis, quibus cordi alligantur, laxatis laxentur, luxentur, et sensu motuque destituantur. Hoc symbolice adaptes animæ. Tres enim sunt funiculi, quibus anima Deo, quasi cordi suo, ex quo omnem vitæ spiritualis sensum motumque haurit, astringitur, puta fides, ne abripiatur omni vento errorum; spes in tempore tribulationis; charitas, ne amore carnis et mundi abripiatur in scelera. Funiculi hi si luxentur, luxatur omnis animæ vigor: luxantur autem hoc modo: fides per dubitationem, spes per diffidentiam, charitas per teporem et torporem. Hic proprie de funiculo spei agitur. Unde sequitur:

Vers. 16. 16. VÆ HIS, QUI PERDIDERUNT SUSTINENTIAM (ὑπομονήν; Tigurina, *patientiam*. Noster melius vertit, *sustinentiam*, id est, longanimitatem, longamque tolerantiam et liberationis exspectationem; nimirum) QUI (ob durationem afflictionis, per pusillanimitatem) DERELIQUERUNT VIAS RECTAS, ET DIVERTERUNT IN VIAS PRAVAS. — Hæc verba jam desunt in Græco. Loquitur proprie de Judæis afflictis a Ptolemæo Lagi, ut dixi initio capitis, e quibus multi ob diuturnitatem afflictionis perdiderunt patientiam, spem, imo et fidem, descisentes a judaismo ad gentilismum. Unde huc alludens Paulus hortans Hebræos ad sustinentiam persecutionis, quam patiebantur ob susceptam Christi fidem, cap. x, vers. 35: « Nolite, ait, amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. » Præclare S. Isidorus, lib. II *Sentent.* cap. VII: « Non inchoantibus, inquit, præmium promittitur, sed perseverantibus, sicut scriptum est: Qui perseveraverit usque in finem, salvus erit. Tunc enim placet Deo nostra conversatio, quando bonum, quod inchoamus, perseveranti fine complemus. Nam, sicut scriptum est: Væ his, qui sustinentiam perdiderunt, id est, opus bonum non consummaverunt. » Et S. Gregorius, lib. V *in* I *Regum*, cap. XIII: « Sustinentiam, ait, perdunt, qui bona, quæ inchoant, non consummant. » Et lib. VII *Moral.* cap. XIV: « Sustinentiam, ait, perdunt, qui dum diu se immorari visibilibus æstimant, spem invisibilium derelinquunt. »

Vers. 17. 17. ET QUID FACIENT, CUM INSPICERE (ἐπισκέπτεσθαι, id est, inspicere, inquirere et judicare) COEPERIT DOMINUS, — qui nunc tacens videtur non videre peccata; quia dissimulat, nec vindicat et punit. Est metalepsis; ex inspectione enim et inquisitione, intelligit ejus finem et terminum, puta judicium et vindictam. S. Petrus vertit, *visitare*. Unde diem judicii vocat *diem visitationis*, epist. I, cap. v, 6. Syrus vertit: *Væ vobis, gigantes confidentiæ; quid facietis, quando judicabit Dominus?* Arabicus: *Væ vobis, o vos, qui confiditis in vobismetipsis; quid facietis, cum advenerit vobis judicium illius?*

Vers. 18. 18. QUI TIMENT DOMINUM, NON ERUNT INCREDIBILES (id est, increduli, diffidentes, inobedientes) VERBO ILLIUS. — Tigurina: *Qui reverentur Dominum, parere verbis ejus non recusabunt. Et qui diligunt illum, conservabunt viam illius.* Via Dei est lex, virtus, honestas, sanctitas; hac enim ipse incedit, suosque omnes incedere jubet. Audi S. Bernardum, sermone 20 *in Cantic.*: « Disce, o Christiane, a Christo, quemadmodum diligas Christum. Disce amare dulciter, amare prudenter, amare fortiter. Dulciter, ne illecti; prudenter, ne decepti; fortiter, ne oppressi ab amore Domini avertamur. Ne mundi gloria, seu carnis voluptatibus abducaris, dulcescat tibi præ his sapientia Christus. Ne seducaris spiritu mendacii et erroris, lucescat tibi veritas Christus. Ne adversitatibus fatigeris, confortet te virtus Dei Christus. Zelum tuum inflammet charitas, informet scientia, confortet constantia. Sit fervidus, sit circumspectus, sit invictus. Nec teporem habeat, nec careat discretione, nec timidus sit. Christus sit

nostra dulcedo, sit suavis et dulcis affectui tuo Dominus Jesus, contra male utique dulces vitæ carnalis illecebras, et vincat dulcedo dulcedinem, quemadmodum clavum clavus expellit. »

Vers. 19. 19. QUI TIMENT DOMINUM, INQUIRENT QUÆ BENEPLACITA SUNT EI, — ac proinde meditabuntur in lege Domini die ac nocte, *Psal.* I, 2; inquirent enim assidue quæ sit « voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta, » *Rom.* cap. XII, 2. Ita S. Franciscus, ait S. Bonaventura, jugiter inquirebat quid Deo in se esset beneplacitum, quid a se requireret Deus, qua ratione ei magis et magis placere posset. Sic et S. Bernardus se exstimulans ad sanctitatem sibi dicebat : « Bernarde, dic quare hic? Bernarde, ad quid venisti? » Et sane quisque ex toto corde timens et amans Deum, quotidie, dum surgit, sibi dicere deberet : Quid a me hodie requirit Deus ? qua ratione hodie ei magis servire et placere potero? illudque investigare, et cognitum illico exsequi. Hac de causa B. Teresia voto se obstrinxit se facturam in quolibet opere, id quod esset perfectius et gratius Deo. Anima enim ardens amore Dei, non nisi illi satisfacere, illi obsequi, illum oblectare satagit.

Moral. de studio placendi Deo.

Quocirca mane firmum concipit propositum, destinatque ac dicit : Hodie illud vitium mortificabo; hodie me vincam, et illam difficultatem amore Christi superabo; hodie illam crucem mihi obventuram cum Christo sustinebo; hodie illum laborem pro Deo alacriter subibo; hodie illos dolores, illos mei contemptus generose feram; hodie tot actus contritionis, orationis, charitatis eliciam; hodie tot gradus humilitati, patientiæ, amori adjiciam. Audi S. Bernardum, serm. 59 *in Cant.* : « Anima ex eo quod se diligere et vehementer diligere sentit, etiam se diligi nihilominus vehementer non ambigit; et de sua singulari intentione, sollicitudine, cura, opera, diligentia studioque, quo incessanter et ardenter invigilat, quemadmodum placeat Deo, æque hæc omnia in ipso indubitanter agnoscit. Ergo ex propriis, quæ sunt penes Deum, agnoscit; nec dubitat se amari, quæ amat. Ita est. Amor Dei, amorem animæ parit; et illius præcurrens intentio intentam animam facit, sollicitudoque sollicitam. Nescio enim, qua vicinitate naturæ, cum semel revelata facie gloriam Dei speculari anima poterit, mox illi conformari necesse est, atque in eamdem imaginem transformari. Igitur qualem te præparaveris Deo, talis oportet appareat tibi Deus. Bonus es, Domine, animæ quærenti te, occurris, amplecteris, sponsum exhibes, qui Dominus es; imo qui es super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen. »

ET QUI DILIGUNT EUM, REPLEBUNTUR LEGE IPSIUS, — id est, Tigurina, *plenam legi Dei navabunt operam.* « Replebuntur » ergo, id est, plene eam inquirent, cognoscent, exequentur et perficient; sic enim per catachresin τὸ *repleri* sumit Siracides, ut dixi cap. I, 35.

Secundo, Palacius sic explicat, *q. d.* « Qui diligunt Deum, implent se lege Dei. Nihil in se vacuum lege Dei relinquunt : oculos, manus, aures, memoriam, intellectum, voluntatem lege Dei replent, ut nihil in nobis sit, quod a lege sit alienum. Ut enim Judæi omnia liminaria sanguine tingebant, ne perirent : ita pii cunctos animæ angulos lege Dei replent, ne non signati Tau divino dispereant. »

Tertio Jansenius, τὸ *replebuntur,* inquit, significat fructum timoris et amoris Dei, *q. d.* Timentes Deum copiosa legis doctrina et cognitione replebuntur. Sic enim solet Dominus pietatem hominum erga se remunerare, juxta illud *Psal.* XXXIII : « Accedite ad eum, et illuminamini, » id est, illuminabimini. O lux, quæ semper luces, et nunquam offuscaris, illumina me. O ignis, qui semper ardes, et nunquam extingueris, accende me. O amor, qui semper ferves, et nunquam tepescis, absorbe me, et transmuta me in te. O clarum lumen oculorum meorum, Jesu, expelle tenebras omnes a domicilio mentis meæ, meque totum illustra splendore gratiæ tuæ. Intra in animam meam, o dulcedo summa, ut dulcia sapiat, et in te solo gaudeat atque quiescat. O dilecte mi, dilecte votorum meorum, concede, ut te inveniam, inventumque teneam, et brachiis spiritualibus arctissime constringam. Te desidero, et ad te anhelo, o beatitudo æterna. Utinam te mihi dones, et me tibi intime unias, atque mero divinæ charitatis totum inebries !

Quarto, Syrus vertit : *Qui timet Dominum, multiplicabitur substantia* (possessio) *ejus, et semen ejus benedicetur post eum.*

Vers. 20. 20. QUI TIMENT DOMINUM, PRÆPARABUNT CORDA SUA. — Syrus : *Disponent cor suum; et qui derelinquit eum, perdet spiritum suum, q. d.* Qui timent Deum, component animæ suæ statum, cogitationes, desideria, actiones et mores, ut eos conforment legi ac voluntati Dei, eique sint grati et beneplaciti. Rursum dicent : « Audiam quid in me loquatur Dominus. » Et cum Samuele : « Loquere, Domine, quia audit servus tuus. » Præparabunt ergo cor suum humiliando, evacuando et expurgando a terrenis desideriis, desiderando, orando, ut cœlestes Dei satus, puta illustrationes, inspirationes, impulsus, dona et gratias recipiant et excipiant. Unde Tigurina : *Quibus Dominus est religioni, hi corda sua excolent,* nimirum, ut explicando subdit : « In conspectu illius sanctificabunt animas suas. » Græce est ταπεινώσουσι, id est, *humiliabunt;* Tigurina, *animos suos coram illo submittent;* hæc enim submissio et reverentia est præparatio ad dona Dei excipienda. Eadem est sanctitas animæ et sanctificatio Dei, qua, scilicet, Deus, ut sanctissimum Numen summa reverentia adoratur et colitur. Hoc est quod suis sancit Deus *Levit.* cap. XX, 7 : « Sanctificamini, et estote sancti, quia ego sum Dominus Deus vester. » Et vers. 26 : « Eritis mihi sancti,

quia sanctus sum ego Dominus, et separavi vos a cæteris populis, ut essetis mei. »

Dices : Timentes Deum timore casto et filiali, jam sunt justi et sancti; hic enim timor est actus charitatis ; quomodo ergo eos hortatur Siracides ut se sanctificent ?

Respondeo, τὸ *sanctificabunt,* more Hebræo significat actum, non inchoatum, sed continuatum et crescentem, *q. d.* Timentes Deum magis magisque studebunt sanctitati, indies in sanctitate proficient, indies a vitiis et defectibus, quantumvis levibus et exiguis, se purificabunt, quotidie sanctiores evadent, ut ad culmen sanctitatis conscendant, juxta illud *Psal.* LXXXIII. 6 : « Beatus vir, cujus est auxilium abs te : ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco quem posuit. » Et vers. 8 : « Ibunt de virtute in virtutem : videbitur Deus deorum in Sion. » Quem versum S. Furseus audivit Angelos sibi occinentes, eoque se ad profectum in virtute accendentes, uti refert Beda lib. III *Hist.* cap. XIX.

Et sane hoc deberet esse studium assiduum cujuslibet, non tantum Religiosi et Sacerdotis, sed et Christiani, illudque sibi quotidie mane ob oculos ponere, refricare et renovare. Quid enim est christianismus, nisi professio sanctitatis, nisi studium virtutis, nisi imitatio vitæ Christi ? de quo ait S. Lucas cap. II, 52 : « Et Jesus proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum et homines. » Hoc est quod Angelus docuit Joannem, dicens *Apocal.* XXII. 11 : « Qui justus est, justificetur adhuc; et sanctus sanctificetur adhuc. » Et S. Paulus : « Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, » I *Thessal.* IV, 3. Et vers. 7 : « Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem. » Et II *Corinth.* VII, 1 : « Has ergo habentes promissiones, charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei. » Et *ad Rom.* VI, 19 : « Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem : ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem. »

Quocirca sapienter S. Ambrosius lib. *De Instit. Virg.* cap. XI : « Cur, inquit, sæculo potius laboramus, et fraudamus animam nostram tantæ bonitatis dispendio, qui nulli alii nisi huic Domino servire deberemus ? » Et S. Antonius apud S. Athanasium : « Cur non ad lucranda regna cœlorum ultro relinquimus, quod lucis istius fine perdendum est ? Nihil eorum curæ sit Christianis, quæ secum auferre non possunt. Illud potius debemus expetere, quod nos ducat ad cœlum, sapientiam, scilicet castitatem, justitiam, virtutem pervigilem, pauperum curam, fidem in Christum, robustum animum iræ victorem. Animam nostram commendavit nobis Deus : servemus depositum, quale accepimus. » Angelice vero S. Basilius, epist. 1 *ad S. Gregorium Theologum* : « Ecquid, ait, beatius, quam hominem in terra concentum Angelorum imitari, ineunte statim die in orationes ire ? in hymnis et canticis Creatorem venerari ? exinde sole jam dilucescente converti ad opera, nusquam sine oratione ? denique canticis quasi sale condire actiones ? »

Nota hic sex actus et officia, juxta quæ quotidie examen conscientiæ instituat timens Deum, quod ordine et gradatim hic consignat Siracides. Qui timent Dominum, inquit, erunt credibiles, id est, credent verbis Dei. *Secundo,* conservabunt vias ejus : servabunt, scilicet, Decalogum. *Tertio,* inquirent quomodo placebunt abundantius Deo. *Quarto,* replebuntur lege ejus, curantes ut nihil in se sit, quod non lege Dei reguletur. *Quinto,* sanctificabunt animas, caventes minutiora peccata. *Sexto* demum, curabunt firmi usque ad mortem in hoc statu permanere.

21. QUI TIMENT DOMINUM, CUSTODIUNT MANDATA ILLIUS, ET PATIENTIAM HABEBUNT USQUE AD INSPECTIONEM (id est visitationem) ILLIUS, — donec ipse, scilicet, nos vultu benigno respiciat, et a malis liberet ; vel usque ad inspectionem, id est, usque ad judicium. Hoc enim erit plena et ultima Dei inspectio et visitatio, quo pios malis omnibus eripiet, impios malis omnibus involvet. Hic versus jam deest in Græco : Tigurina vertit, *donec respiciat Dominus, patienter perdurabunt.* Vers. 21.

22. DICENTES : SI POENITENTIAM NON EGERIMUS, INCIDEMUS IN MANUS DOMINI, ET NON IN MANUS HOMINUM. — Græca Romana hæc nectentia cum vers. 20, sic habent : « In conspectu illius humiliabunt animas suas (cogitantes, vel dicentes) : Incidamus in manus Domini, et non in manus hominum. Quoniam secundum magnitudinem ipsius, sic et misericordia illius. » Quæ lectio facilem et planum habet sensum, *q. d.* Viri pii patientur constanter quævis adversa a Deo immissa, dicentque cum Davide : « Coarctor nimis : sed melius est ut incidam in manus Domini (multæ enim misericordiæ ejus sunt), quam in manus hominum, II *Regum* XXIV, 14. Vers. 22.

Verum S. Augustinus in *Speculo,* Rabanus et alii plane legunt eo modo, quod legit noster Interpres. Unde patet eum esse pervetustum, et pleniore usum codice Græco. Adde et Græca jam habere, ἐμπεσούμεθα, quod proprie significat, *incidemus,* ut vertunt Complut., non *incidamus ;* ac proinde in Græcis quædam subintelligi, quæ supplenda sint, uti supplet Tigurina, scilicet, *dictantes : Si minus resipuerimus, incidemus in manus Domini, non in manus hominum.* Quod plane consentit cum nostris. Ejus ergo hic est sensus, *q. d.* Timentes Deum Deo humiliabunt et sanctificabunt animas suas, ac patienter excipient adversa quælibet, quasi flagella ab eo immissa ad castigandas præteritas culpas, sive graviores, sive leviores. Dicent enim : Nisi hanc pœnitentiam quasi castigationem paternam sponte capessamus, incidemus in manus ultrices Dei vindicis, quæ uti potentiores, ita et rigidiores sunt mani-

bus hominum, ac proinde acrius sæviunt, magisque penetrant et puniunt delicta, præsertim post hanc vitam in igne, vel gehennæ, vel Purgatorii. Unde Paulus ait : « Horrendum est incidere in manus Dei viventis, » *Hebr.* x, 31. Quin et Poeta : « Dii laneos habent pedes, sed ferreas manus : » quia tarditatem supplicii gravitate compensant.

Vers. 23. 23. SECUNDUM ENIM MAGNITUDINEM (μεγαλοσύνην, id est, majestatem, magnitudinem, magnificentiam) IPSIUS, SIC ET MISERICORDIA ILLIUS CUM IPSO EST, — Syrus, *quia sicut majestas ejus, ita et misericordia ejus ; et sicut nomen ejus, ita et opera ejus, q. d.* Qualiter vocatur, talis est, et taliter operatur. Tigurina : *Quanta enim majestas est ipsius, tanta est ejusdem misericordia.* Omnia enim attributa in Deo sunt paria, imo unum et idem : sed significat Siracides potentissimæ majestatis Dei decus esse, parem cum ea; ideoque summam et immensam clementiam, juxta illud *Sapientiæ* XII, 16 : « Virtus tua justitiæ initium est; et ob hoc quod omnium Dominus es, omnibus te parcere facis. » *Virtus*, græce ἰσχύς, id est, potentia, robur, fortitudo, *q. d.* In hominibus fortitudo est initium oppressionis et injustitiæ : at in te tua fortitudo, o Domine, est initium justitiæ et clementiæ; quia « vera magnitudo principis est clementia, » ait Seneca lib. *De Clementia*. Et *Sap.* XI, 27 : « Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas; » Græce significantius, δέσποτα φιλόψυχε, id est, *Domine philoanime*, Domine animarum zelator, Domine qui animarum ardes amore. Rursum, sicut Deus est suum esse, suaque celsitudo; sic est et sua misericordia. Quare, sicut non potest discedere a suo esse suaque celsitudine; sic nec a sua misericordia, quin actu omnium misereatur. « In perpetuis enim non differt esse a posse, ait Aristoteles lib. II *Physic.*

Hæc Sirac idis sententia referenda est ad τὸ *patientiam habebunt, sanctificabunt, præparabunt corda sua*, cæteraque præcedentia, et simul ad id quod proxime præcessit, « dicentes : Si pœnitentiam non egerimus ; » in eo enim tacite includitur τὸ *pœnitentiam ergo agamus, q. d.* Timentes Deum in eo omnes spes suas defigent, ei præparabunt et sanctificabunt corda, in adversis patientiam habebunt, suscipientes ea loco pœnitentiæ ob commissas a se culpas; quia sciunt se hæc faciendo conciliaturos sibi Dei misericordiam, quæ magna est, imo immensa : tanta enim est, quanta est Dei magnitudo et majestas, quæ utique est infinita et immensa. Unde Syrus vertit : *Qui timet Dominum, disponet cor suum; et qui derelinquit eum, perdet spiritum suum : quia, sicut majestas ejus, ita et misericordia ejus ; et sicut nomen ejus, ita et opera ejus ;* et Arabicus : *Timentes Dominum inquirunt beneplacita illius, et opera ejus secundum nomen ipsius.*

Moral de Dei misericordia. Moraliter, hinc disce quanta sit Dei misericordia, nimirum, quanta est ejus magnitudo, majestas, immensitas : tanta enim est mensura misericordiæ, quanta majestatis; eadem enim est utriusque. Rursum, significat hac sententia Siracides, ex magnitudine majestatis et potentiæ oriri magnitudinem divinæ misericordiæ, beneficentiæ et clementiæ : magni enim animi et celsæ indolis est, iræ dominari, injuriis non moveri, peccantibus parcere, imo benefacere; quo fit, ut immensa Dei magnitudo et omnipotentia maxime se exerat et ostendat per immensam clementiam, juxta id quod orat Ecclesia : « Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maxime et miserando manifestas, » etc. Et S. Fulgentius, epist. 7 *ad Venantium*, cap. IV : « Deus, ait, multus est ad ignoscendum : in hoc multo nihil deest, in quo est omnipotens misericordia, et omnipotentia misericors. Tanta est autem benignitas omnipotentiæ, et omnipotentia benignitatis in Deo, ut nihil sit quod nolit aut non possit relaxare converso. » Hoc est quod ait Sapiens cap. XI, 24 : « Misereris omnium, quia omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam, » *q. d.* Omnipotentia tua tibi est quasi causa et ratio omnis misericordiæ : imo vero misereri peccatoris, eique pœnitenti peccata condonare, est opus summæ potentiæ, ac majoris quam sit creare cœlum et terram, ob rationes, quas ex S. Augustino recenset S. Thomas I II, *Quæst.* CXIII, art. 9. Hac de causa Deus judicium et vindictam magistratibus inferioribus, sibique subordinatis committit ; sibi vero peccatorum indulgentiam et misericordiam reservat, quasi opus regium et divinum. Unde Fulgentius, *epist.* 7, cap. III : « Si misericors est Deus, inquit, universa potest peccata dimittere. Non est perfecta bonitas, a qua non omnis malitia vincitur. » Denique, « superexaltat misericordia judicium, » *Jacobi* II, 13.

Omnipotentia est ratio immensæ misericordiæ.

Hinc rursum Deus est summe patiens, dissimulans atrocissimas in se offensas et blasphemias, quia ipse summe sui rerumque omnium est potens : nam patientia est potentia; impatientia vero est animi impotentia, uti docet Boetius lib. III, *metro* 5. Quapropter Deus Moysi petenti videre Dei gloriam, omneque bonum, ostendit ei suam misericordiam, seque proinde non omnipotentem, sed misericordem indigitavit *Exodi* XXXIII, 7. Vide quæ ibidem dixi. Idcirco addit Siracides : « Sic misericordia illius cum ipso est: » licet enim justitia, sapientia, fortitudo et cætera attributa sint pariter cum Deo ; tamen id proprie attribuitur misericordiæ, quia hæc summe propria intimaque est Deo, ac quasi e visceribus ejus nata, in iisque conclusa. Unde misericordia et eleemosyna specie virginis pulcherrimæ apparuit S. Joanni archiepiscopo Alexandrino, cognomento Eleemosynario, dicens « se esse filiam summi Regis, illique familiarissimam et intimam, quæ quidlibet ab eo impetraret, et quoscumque commendaret, ei faceret amicissimos. » Quo viso ille ad tantum eleemosynæ studium accensus est, ut omnia in pauperes erogaret, et pene prodigeret, ut refert

Patientia est potentia.

Leontius in ejus Vita. Misericordia ergo est opus divinum, quod misericordes facit quasi deos, juxta illud S. Gregorii Nazianzeni *De Cura pauperum* : « Esto calamitoso Deus. »

Rursum opera cætera Dei ad extra, puta, opera sapientiæ, justitiæ, fortitudinis sunt limitata et finita : Deus enim non creavit infinitum. At misericordiam infinitam effudit in nos, cum seipsum in carne humanatum nobis tradidit, ut peccata nostra aboleret, juxta illud : « Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto, » *Lucæ* I. Est ergo opus incarnationis et redemptionis, æque ac remissionis peccatorum, in se immensum. Donum enim, quod in ea fit et datur, est immensum, puta, Christus ipse, ejusque merita infiniti pretii, ac per ea gratia et gloria, quæ objective (quia pro objecto habet Deum visum et possessum a Beatis), et duratione est infinita, quia durabit in æternum.

Vis pœnitentiæ. Denique hinc disce quantas vires habeat pœnitentia, quæ peccatum omne abolet, immensam Dei misericordiam accersit, eaque quasi vincit majestatem et vindictam judicis, et, ut ille ait, ligat quasi Omnipotentem. Rursum, quam pœnitens misericordiæ Dei supplex, pro venia et gratia se humiliare eique gratias agere debeat : peccatum enim, cum sit malum summum et infinitum, ut condonetur, indiget summa et infinita Dei misericordia. Unde David lapsus in peccatum : « Miserere mei, Deus, inquit, secundum magnam misericordiam tuam. Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam, *Psalm.* L, vers. 1. Hoc considerantes S. Magdalena, S. Petrus, S. Paulus, S. Pelagia, S. Matthæus, S. Maria Ægyptiaca, etiamsi scirent peccata sibi esse dimissa ; tamen tota vita ea luxerunt, ut tantæ Dei misericordiæ aliqua ratione satisfacerent.

Hæc omnia significat hic Siracides, dicens : « Secundum enim magnitudinem ejus, sic misericordia illius cum ipso est. » Hac enim misericordia Dei indigent justi, non tantum ut a peccatis purgentur, sed et ut deinceps ea caveant, tentationes omnes superent, in omni virtute conserventur et crescant, in sanctitate perficiantur et perseverent, ac æternæ gloriæ bravium consequantur. Undique ergo misericordia Dei eos cingit, obvallat et coronat, ut merito ei jugiter cum Psalte canere singuli debeant : « Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos, *Psalm.* V, 13. Et : « Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, et campi tui (animarum fidelium) replebuntur ubertate, » virtutum et meritorum, *Psal.* LXIV, 12. Deus enim justis quasi continuam texit et plectit coronam tot, tantis et tam variis beneficiis et gratiis, quasi gemmis distinctam et variegatam.

O Domine, qui dives es in misericordia, qui tuis donis nos coronas et cingis ; o vita perennis ; vita, per quam vivo, sine qua morior ; vita, per quam gaudeo, sine qua mœreo ; vita dulcis et amabilis, concede ut tibi jungar, te amplectar, et suavi charitate soporatus, in te, qui es pax gratissima, sancte obdormiam. Da, Domine mi, ut anima mea virtute ardentis amoris conflata, et dulcedine penetrantis charitatis liquefacta, tota effluat in te. Posside eam, o summum atque incommutabile bonum, posside eam, ut ipsa possideat te. Confige, dilecte mi, et transverbera cor meum acutissimo dilectionis telo, ut ego amore tui salubriter langueam, omnia transitoria mihi vilescant, tu solus placeas, solus incomparabili pulchritudine tua me lætifices : quia tu es tota possessio, totaque beatitudo animæ meæ.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

A Dei cultu, timore et honore transit ad cultum et honorem parentum. Inde, vers. 19, *commendat mansuetudinem et humilitatem, ac ne altiora quæramus. Tertio, vers.* 27, *cordis duri pœnas recenset ac vers.* 31, *ex adverso cordis sapientis felices successus. Denique, vers.* 33, *commendat eleemosynam ejusque fructus assignat.*

1. Filii sapientiæ, ecclesia justorum ; et natio illorum, obedientia et dilectio. 2. Judicium patris audite, filii, et sic facite ut salvi sitis. 3. Deus enim honoravit patrem in filiis : et judicium matris exquirens firmavit in filios. 4. Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis, et continebit se ab illis, et in oratione dierum exaudietur. 5. Et sicut qui thesaurizat, ita et qui honorificat matrem suam. 6. Qui honorat patrem suum, jucundabitur in filiis, et in die orationis suæ exaudietur. 7. Qui honorat patrem suum, vita vivet longiore : et qui obedit patri, refrigerabit matrem. 8. Qui timet Dominum, honorat paren-

tes, et quasi dominis serviet his, qui se genuerunt. 9. In opere, et sermone, et omni patientia honora patrem tuum. 10. Ut superveniat tibi benedictio ab eo, et benedictio illius in novissimo maneat. 11. Benedictio patris firmat domos filiorum : maledictio autem matris eradicat fundamenta. 12. Ne glorieris in contumelia patris tui : non enim est tibi gloria, ejus confusio. 13. Gloria enim hominis ex honore patris sui, et dedecus filii pater sine honore. 14. Fili, suscipe senectam patris tui, et non contristes eum in vita illius. 15. Et si defecerit sensu, veniam da, et ne spernas eum in virtute tua : eleemosyna enim patris non erit in oblivione. 16. Nam pro peccato matris restituetur tibi bonum. 17. Et in justitia ædificabitur tibi, et in die tribulationis commemorabitur tui : et sicut in sereno glacies, solventur peccata tua. 18. Quam malæ famæ est, qui derelinquit patrem : et est maledictus a Deo, qui exasperat matrem. 19. Fili, in mansuetudine opera tua perfice, et super hominum gloriam diligeris. 20. Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam. 21. Quoniam magna potentia Dei solius, et ab humilibus honoratur. 22. Altiora te ne quæsieris, et fortiora tu ne scrutatus fueris; sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus. 23. Non est enim tibi necessarium, ea quæ abscondita sunt, videre oculis tuis. 24. In supervacuis rebus noli scrutari mutipliciter, et in pluribus operibus ejus non eris curiosus. 25. Plurima enim super sensum hominum ostensa sunt tibi. 26. Multos quoque supplantavit suspicio illorum, et in vanitate detinuit sensus illorum. 27. Cor durum habebit male in novissimo : et qui amat periculum, in illo peribit. 28. Cor ingrediens duas vias, non habebit successus, et pravus corde in illis scandalizabitur. 29. Cor nequam gravabitur in doloribus, et peccator adjiciet ad peccandum. 30. Synagogæ superborum non erit sanitas : frutex enim peccati eradicabitur in illis, et non intelligetur. 31. Cor sapientis intelligitur in sapientia, et auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam. 32. Sapiens cor et intelligibile abstinebit se a peccatis, et in operibus justitiæ successus habebit. 33. Ignem ardentem exstinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis. 34. Et Deus prospector est ejus, qui reddit gratiam : meminit ejus in posterum, et in tempore casus sui inveniet firmamentum.

Nota : Duodecim argumentis incitat filios ad honorandos parentes; *primum* est vers. 2, quod ex honore parentum pendeat salus filiorum; *secundum*, vers. 3, quod Deus parentes quasi sui vicarios honorari præceperit, in eosque patriam suam potestatem et auctoritatem transcripserit, ideoque in ipsis honoretur; *tertium*, vers. 4, quod honorans parentes veniam peccatorum impetrabit, et in oratione exaudietur; *quartum*, vers. 5, quod thesaurum sibi congregabit; *quintum*, vers. 6, quod jucundabitur in filiis; *sextum*, vers. 7, quod vitam habebit longævam; *septimum*, vers. 8, quod natura nos doceat parentes quasi dominos esse colendos; *octavum*, vers. 10, quod honorans parentes benedicetur a Deo; *nonum*, vers. 11, quod benedictio patris firmet domos filiorum, maledictio vero eas evertat; *decimum*, vers. 12, quod honor et decus patris sit honor et decus filii, dedecus vero patris sit dedecus filii; *undecimum*, vers. 17, quod honorantem parentes Deus eripiet a qualibet tribulatione; *duodecimum*, vers. 18, quod infamis sit et maledictus, qui parentes negligit. Totum hoc caput recenset S. Ambrosius in fine tom. II, in illudque duos subnectit sermones; quare subinde eum citabo, præsertim ubi a Vulgata Latina discrepat. Ambrosius enim græcum sequitur textum.

PRIMA PARS CAPITIS.

Vers. 1. 1. FILII SAPIENTIÆ, ECCLESIA JUSTORUM; ET NATIO ILLORUM OBEDIENTIA ET DILECTIO. — Hic versus jam non exstat in Græco, ac consequenter nec in Syriaco et Arabico; hi enim ex Græco traducti

videntur. Arabicus tamen primum et secundum versiculum in unum conflat, vertitque hoc modo: *O Ecclesia filiorum, obedite patribus vestris.* Egit Siracides cap. I et II, de sapientia : hic ostendit in quibus illa sit et habitet, quique sint vere sapientes, puta, non speculative duntaxat, sed et practice; hos enim non alios docet esse quam justos, qui student obedientiæ et dilectioni. Hanc thesin quasi basin dicendorum stabilit et præmittit; ac deinde descendit ad hypothesin, puta ad obedientiam et dilectionem, quam filii probi parentibus exhibent, ex eaque thesin confirmat ac demonstrat, idque ordine congruo. Cum enim cap. I et II, ostenderit sapientiam primario sitam esse in timore et cultu Dei, qui tribus primæ tabulæ Decalogi præceptis sancitur, hic descendit ad timorem et cultum parentum, quasi Dei in terra vicariorum, qui primo secundæ tabulæ Decalogi præcepto statuitur.

Sensus ergo est: « Filii, » id est discipuli et studiosi, « sapientiæ, » sunt « Ecclesia, » id est cœtus et congregatio, « justorum, » *q. d.* Vere sapientes sunt justi, et «natio,» id est genus, prosapia et indoles «illorum» est « obedientia et dilectio, » *q. d.* Tales plane addicti sunt, totique vacant et student obedientiæ et dilectioni, ut ex ea proseminati esse videantur. Ubi nota: Vox *filius*, apud Hebræos, cum jungitur genitivo præmii vel pœnæ, idem est quod dignus; ut filius gehennæ est dignus et reus gehenna, filius mortis est reus mortis, filii regni sunt digni regno cœlesti, qui illud sua virtute merentur; cum vero vox *filius* jungitur genitivo virtutis aut vitii, idem est quod studiosus et discipulus, qui studet et incumbit virtuti, aut vitio; hic enim ex virtute virtuosum, vel ex vitio vitiosum se efficit et efformat, ut ex virtutis aut vitii institutione vel illecebra quasi semine prognatus censeri possit. Sic filii obedientiæ vocantur obedientes, qui incumbunt obedientiæ; filii superbiæ vocantur superbi, qui student ambitioni, altaque et superba ambiunt.

Filii ergo sapientiæ sunt sapientes, qui student sapientiæ, qui sapientiæ dogmata et dictamina avide hauriunt, imbibunt, amant et exsequuntur, ut ex sapientia quasi matre progeniti esse videantur, ideoque subdit: « et natio, » id est prosapia, «illorum,» puta spiritualis et mystica, est «obedientia et dilectio,» *q. d.* Hi sapientiæ filii, puta discipuli et studiosi, præter naturalem et carnalem generationem, aliam prosapiam habent supernaturalem, spiritualem et divinam, puta obedientiæ et charitatis, ex qua spiritualiter prognati sunt; in his enim duobus consistit vera sapientia practica. Ita enim vacant obedientiæ et charitati, ut ex utraque progeniti dici possint.

Natio sapientum. Primo.

Ubi moraliter disce quam impense sapientes et justi studere debeant obedientiæ et charitati, nimirum, ut non tam obedientes et charitate præditi, quam ipsa obedientia et charitas esse videantur; quia, scilicet ex continuo usu utramque sibi ita familiarem fecerunt, ut in suam naturam convertisse videantur: ita scilicet imitantes Deum patrem suum, ex quo mystice renati sunt, quique eis hanc suam sapientiæ generationem communicavit. Deus enim est ipsa sapientia, honestas et charitas, ut ait S. Joannes *epistola* I, cap. IV, vers. 16. Hoc est quod ait S. Ambrosius, lib. *De Noe*, cap. IV : « Noe ad totius generis reservatur seminarium, qui non generationis nobilitate, sed justitiæ et perfectionis merito laudatur. Probati enim viri genus, virtutis prosapia est; quia sicut hominum genus homines, ita animarum genus virtutes sunt. Etenim familiæ hominum splendore generis nobilitantur; animarum autem clarificatur gratia splendore virtutis. » Sic de S. Basilio, fratre suo, scribit Gregorius Nyssenus in *Oratione funebri*: « Quæ est igitur Basilii nobilitas et claritudo generis? quæ patria? Ac genus quidem illi familiaritas et necessitudo cum Deo, patria vero virtus. Qui enim Deum recepit, ut inquit Evangelium, potestatem habet, ut filius Dei fiat. Qui autem virtute præditus est, et hanc colit, et ex hac sibi reditus conficit, patriam suam prorsus efficit id, in quo vivit; sobrietas autem illi pro domicilio erat, sapientia loco prædii; justitia autem, et veritas, et puritas, pro splendidis ædificiorum ornamentis. »

Justi genus est prosapia virtutis.

Hinc *secundo*, «natio,» id est, *nati*. Unde S. Augustinus in *Speculo* legit : Et nati illorum obedientia et dilectio; ac Tigurina vertit : *Filii sapientiæ, cœtus justorum sunt; et fœtus* (vel soboles aut proles) *illorum obedientia et charitas, q. d.* Uti justi sunt mystici filii sapientiæ, ita ex ea mysticas progenerant proles, puta opera obedientiæ et charitatis, quæ assidue operantur et in lucem edunt, adeo ut eadem in alios proseminent, eosque sibi similes, puta, operum obedientiæ et charitatis studiosos efficiant; præsertim vero summopere conantur ut « natio, » id est, nati et filii eorum, iis impense studeant, ut parentibus similes, videantur ex utero obedientiæ et charitatis esse progeniti, quomodo de Catone mire continente dixerunt Gentiles, « Catonem ex eodem utero, quo continentia, esse prognatum. » Porro Siracides hic significat, non quid semper sit, sed quid semper esse debeat, et ad quid justos conari et contendere oporteat. Videmus enim justos nonnullos in obedientia et charitate remissos et tepidos; videmus filios eorum sæpe inobedientes et rixosos, uti Davidi fuit Absalon, Ezechiæ fuit Manasses, Josiæ Joachim et Sedecias: sed parentum officium est, filiis suam imprimere justitiam, obedientiam, charitatem, ideoque eas toto animo complecti, ut in ipsas quasi conversi, non nisi eas spirent, filiisque et cæteris aspirent et afflent.

Secundo.

Hinc *tertio*, Palacius sic explicat: Filii sapientiæ, ait, in quibus sapientia Dei habitat, quosque ipsa verbo suo sibi filios genuit, constituunt Ecclesiam justorum. Jam horum filii sunt

Tertio.

obedientissimi, adeoque diligentes, ut jure eos obedientiam voces et dilectionem. Ergo filii justorum obedire nimis debent, diligere nimis debent. Et Jansenius : Justi, ait, sunt obedientia et dilectio, id est, penitus dediti sunt obedientiæ et dilectioni. Hebræi enim metonymice sæpe abstracta ponunt pro concretis, maxime ubi est auxesis; sicut Latini scelus vocant eum qui valde est sceleratus. Et Rabanus : « Filios sapientiæ, ait, merito dicit Ecclesiam justorum; quia qui vere sapiens est, verus est justitiæ cultor; quoniam vera sapientia veraciter justitiæ dictat normam. Nationem vero justorum vocat obedientiam et dilectionem tropica locutione, qua per ipsas virtutes exprimit virtutum possessores. »

Signum sapientiæ, obedientia.

Hinc disce certum signum, et velut tesseram, sapientiæ et justitiæ esse obedientiam et charitatem. Vis cognoscere an quis sapiens sit et justus? vide an obediens sit et diligens. Si talem repereris, audacter dicito eum esse sapientem et justum; si non, dicito non esse. Fides enim, quæ per dilectionem operatur, hoc est, charitas, distinguit filios Dei a filiis diaboli, ait S. Augustinus serm. 53 *De Tempore*. Rursum : « Sola obedientia virtus est, quæ virtutes cæteras menti inserit, insertasque custodit. Hinc melior est obedientia quam victimæ, quia per victimas aliena caro; per obedientiam vero voluntas propria mactatur, » ait S. Gregorius lib. XXXV *Moral.* cap. x.

Obedientia jungitur charitati, cur.

Denique obedientiam jungit dilectioni, quasi filiam matri; dilectio enim in mente parit obedientiam. Unde filii obediunt parentibus, quia eos amant, de quibus proinde sermonem subjicit. Hinc filii sapientiæ, puta fideles et justi, ab Apostolis indigitantur filii obedientiæ, I *Petri* I, 14, æque ac filii dilectionis, *Colos.* I, 13.

Hinc Clemens Alexandrinus, lib. VII *Stromat.* : « Sicut, inquit, qui studet Platoni, fit philosophus; ita qui paret Domino, et per eum datam sequitur prophetiam (doctrinam sacram), efficitur ad magistri imaginem Deus qui in carne versatur. » Obedientia ergo facit divinos et quasi deos terrestres. Sapienter B. Laurentius Justinianus lib. *De Ligno vitæ*, cap. III *de Obedientia* : « Sicut, inquit, sine duce non confiditur de victoria, ac sine gubernatore non pervenitur ad portum; ita absque obedientia impossibile est in hujus vitæ pelago non periclitari; ista enim hominem facit triumphare. » Sublimius Climachus, *gradu* IV : « Obedientia, ait, est animæ propriæ perfecta abnegatio, spontanea mors, vita curiositate carens, securum periculum, immediata ad Deum excusatio, metus mortis contemptio, tuta navigatio, confectum dormiendo iter. Obedientia est sepulcrum voluntatis, discretionis depositio. »

Et S. Gregorius, lib. IV *in* I *Regum*, cap x, ad illa : *Septem diebus exspectabis me.* « Victimæ, inquit, sunt obsequia obedientium, quia cum hominibus pro Deo subjicimur, superbos spiritus superamus. Cæteris quidem virtutibus dæmones impugnamus, per obedientiam vincimus. Victores ergo sunt, qui obediunt; quia, dum voluntatem suam aliis perfecte subjiciunt, ipsis lapsis per obedientiam angelis dominantur. » Et paulo anterius, in quo sita sit perfectio obedientiæ ita docet : « Hæc profecto est forma electæ obedientiæ, ut in omni quod foris agamus, ad potentiam Conditoris ubique præsentem respiciamus. Sic nimirum in subditione obedientiæ nostræ habere possumus et rectitudinem operis, et incrementa devotionis. Recti quidem tunc sumus opere, quia pro eo, quem cernimus, nos in labore obedientiæ exercemus. Devoti etiam sumus, quia ei nos placere credimus, quem inspectorem nostrorum laborum attendimus, et largitorem æternæ retributionis. »

Denique S. Augustinus *in Psalm.* CXLIII : « Agnosce, inquit, ordinem, quære pacem; tu Deo, tibi caro; quid justius, quid pulchrius? tu majori, minor tibi : servi tu ei qui fecit te, ut tibi serviat quod est factum propter te. Si autem contemnis tu servire Deo, nunquam efficies ut tibi caro. Qui non obtemperas Domino, torqueris a servo. » Quocirca *Proverb.* XXI, 28, dicitur : « Vir obediens loquetur victorias, » Quia, ut S. Gregorius lib. XXXV *Moral.* cap. XII, dixit : « Alienæ voci humiliter dum subdimur, nosmetipsos in corde superamus. »

Rursum jungit obedientiam charitati, ut ostendat in praxi unam alteri quasi sororem sorori esse sociandam, unamque ab altera compleri et perfici. Perfecti enim ita obediunt, ut diligant; ita diligunt, ut obediant. Hæc enim dilectio obedientiæ, qua *primo* diligunt Prælatos quasi suos parentes; *secundo*, diligunt id quod jubetur; *tertio*, diligunt ipsum obedire; facit facilem et perfectam eorum obedientiam. Nam, ut ait S. Leo serm. 4 *de Jejunio* 7 *mensis* : « Obedienti mollit imperium, nec dura necessitate ibi servitur, ubi diligitur quod jubetur. » Et S. Ambrosius *in Psalm.* CXVIII, vers. 2, sermone 13, ad illud : *Levavi manus meas ad mandata tua, quia dilexi.* « Legem, inquit, ille (Psaltes David) diligebat, ut legem libenter impleret. Qui enim diligit, ex voluntate facit quæ sibi sunt imperata; qui timet, ex necessitate. » Hæc est obedientia charitatis, quam fidelibus commendat S. Petrus, *epist.* I, cap. I, 22. Præclare enim S. Bonaventura, *Processu* 6 *Relig.* cap. XL : « Triplex, ait, est obedientia, scilicet, necessitatis, cupiditatis et charitatis. »

Vers. 2. 2. JUDICIUM PATRIS AUDITE, FILII; ET SIC FACITE, UT SALVI SITIS. — « Judicium » vocat sententiam, præceptum, præscriptum, puta, id quod præscribit, et faciendum judicat pater; sed quis hic pater? *Primo*, Græca et S. Ambrosius patrem accipiunt ipsum Siracidem, aut certe sapientiam, quasi illa filios suos vel discipulos alloquatur. Sic enim habent : *Me patrem audite, filii. Secundo*, Rabanus accipit Patrem æternum, puta Deum, qui est pater universorum, ex quo omnis paternitas

in cœlis et in terris nominatur, *q. d.* « Qui Dei Patris audierit judicium, et fecerit ejus præcepta, procul dubio salvus erit: cujus mandatum est, ut etiam patri temporali et matri honoris reverentia exhibeatur. » *Tertio*, plane et simpliciter, per patrem accipe genitorem. Explicat enim obedientiam, quam dixit, jubendo ut filii obediant patri, de qua obedientia fuse deinceps sermonem instituit. Unde ait: « Et sic facite, ut salvi sitis, » *q. d.* « Audite, » id est, obedite judicio et sententiæ patris, o filii; sic enim facietis ut salutem præsentem et æternam consequamini. Alludit ad mercedem a Deo promissam filiis honorantibus parentes: « Honora patrem tuum et matrem, ut longo vivas tempore, et bene sit tibi, » *Deuteron.* v, vers. 16. Vide ibi dicta.

Hinc patet patrem, et pari modo Prælatum quemlibet, posse filio et subdito præcipere sub pœna peccati, etiam mortalis. Hoc enim significat τὸ *ut salvi sitis*, *q. d.* Si obedieritis patri, salvi eritis; si non obedieritis, a salute excidetis. Unde Syrus vertit: *Filii, patres audite et facite, ut vivatis vitam sæculi sæculorum;* et Arabicus: *O Ecclesia filiorum, obedite patribus vestris, ut hæreditetis vitam perennem.* Causam subdit dicens:

Vers. 3. 3. DEUS ENIM HONORAVIT PATREM IN FILIIS. — Deus enim honore affecit patrem, dum præcepit filiis ut parentes honorent, *q. d.* Ideo judicium patris audiendum, eique obediendum est, quia Deus suum honorem, jus et imperium transcripsit in parentes, jubens filiis ut eos quasi sui vicarios venerentur, audiant, obediant. Ratio physica est, quia Deus paternitatem suam, id est potestatem, vim actumque generandi, communicavit patri, ac per eum filios produxit. Cum ergo filii a Deo per patrem accipiant suum esse, omneque bonum, puta quod sint, quod homines sint, quod rationales, quod bene instituti, quod divites, etc., par est ut eum quasi sui principium, auctorem et genitorem colant, ament, obsequantur. Hæc ratio est a priori, ideoque principium, fons et origo omnium, quæ hic dicuntur de honore parentum. Unde Tigurina vertit: *Dominus enim patrem liberis honorabilem reddidit;* Syrus: *Dominus enim glorificavit patrem in filiis;* Arabicus: *Quoniam Dominus condecens constituit debitum super filium genitori suo. Debitum* intellige objective et passive, puta, quod debetur patri a filio, non quod pater debet filio. Aut *debitum*, id est auctoritatem, jus, imperium. Id patebit ex eo quod mox de marte subdit.

Parentes quasi dii terrestres. Hoc est quod ait Philo lib. *De Decalogo*: « Filii probi parentes suos, ut deos quosdam visibiles, colunt et observant. » Additque, propterea, præceptum de honorandis parentibus a Deo legislatore positum esse in confinio duarum tabularum Decalogi, puta, in initio secundæ tabulæ illico post præcepta de colendo Deo, tradita in prima tabula, ut significaretur proxime post Deum colendos esse parentes, quasi deos nostros terrestres. Hinc Aristotelis axioma est lib. IX *Ethic.*: « Diis, parentibus et magistris nemo potest reddere æquivalens. » Idem, lib. VIII: « Majoribus, ait, datur honor, minoribus lucrum, quia honor est tributum virtutis et beneficii; lucrum est auxilium indigentiæ. » Et Seneca in *Proverbiis*: « Præstabis, inquit, parentibus pietatem, cognatis dilectionem, amicis fidem, omnibus æquitatem; pacem habebis cum hominibus, bellum cum vitiis. »

ET JUDICIUM MATRIS EXQUIRENS FIRMAVIT IN FILIOS. —« Judicium » hic significat tum jus, auctoritatem et imperium, tum sententiam et præceptum, *q. d.* Deus vult cuique suum jus servari: unde requirit, id est severe jubet, exigit et punit, ut « judicium, » id est, sententia et auctoritas matris conservetur et fiat a filiis; atque hoc ipso sancit et confirmat matris jus, auctoritatem, sententiam et præceptum apud filios, ut filii illud quasi Dei præceptum audire, eique obedire teneantur: ei enim suam, id est, divinam auctoritatem addidit, dum jussit et statuit ut filii obediant parentibus, quasi vicariis suis. Unde Syrus vertit, *judicium matris in filiis suis confirmavit;* Arabicus, *et debito genitricis constringuntur filii ejus;* Tigurina, *sententiæ matris attribuit auctoritatem in filios.* Merito; nam, ut ait Aristoteles lib. VI *Ethic.*: « Matres plus amant filios, quam patres; quia certiores sunt eos esse suos, et quia plures circa eos (dum eos utero gestant per novem menses, lactant, fasciant, purgant, educant, totæque circa eos occupantur) labores sustinent. » Cum ergo filii teneri plura accipiant a matre, quam a patre, hinc et plus eamdem diligere solent.

Hac de causa Tobias moriturus sollicite monet filium, dicens cap. IV, 3: « Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ tuæ. » Causam subdit: « Memor enim esse debes, quæ et quanta pericula passa sit pro te in utero suo. » Ubi Glossa Interlinearis: « Redde, ait, te ei quæ cum dolore dedit te. » Sic septem fratres Machabæi reddiderunt vitam matri et Deo per obedientiam, offerendo eam in holocaustum martyrii, ad quod mater eos incitabat, refricando dolores suos, quibus eos conceperat et pepererat, II *Machab.* VII. Præclare S. Ambrosius *in Psal.* CXVIII, serm. 15: « Non possem, ait, salvo pietatis jure, odisse patrem cui debeo quod creatus sum; nec matrem longo decem mensium fastidio pii fœtus onera portantem, cui in absolutione plus periculi, in dilatione plus tædii est. » Et in cap. II *Lucæ*: « Tu matri debes pudoris injuriam, virginitatis dispendium, partus periculum; matri longa fastidia, matri longa discrimina, cui miseræ in ipsis votorum fructibus majus periculum est; et cum ediderit, partu absolvitur, non timore. » Quin et Plato, cujus verba recenset Rhodiginus lib. IX, cap. XVIII: « Ergo fas est, inquit, parentibus prima et maxima debita, omnium antiquissima debitorum persolvere; putare enim quisque debet, omnia quæ possidet, eorum esse qui genuerunt; ita ut illis hæc omnia ministrare

debeat; primum quidem externa bona, deinde corporis, postremo quæ ad animum pertinent, verbisque etiam per totam vitam parentes maxime venerari licet. »

Vers. 4 et 5. 4 et 5. QUI DILIGIT DEUM (honorando parentes, quos Deus quasi sui vicarios jussit a filiis diligi et honorari), EXORABIT PRO PECCATIS (omnia enim hæc spectant, sanciuntque honorem parentum; unde Græca habent : *Quia honorat patrem, exorabit pro peccatis*); ET SICUT QUI THESAURIZAT, ITA QUI HONORIFICAT MATREM SUAM. — Syrus : *Qui honorat patrem suum, dimittentur delicta ejus; et reponit thesauros, qui honorat matrem suam, q. d.* Qui honorat matrem, hunc honorem quasi ingentem bonorum operum et meritorum thesaurum, in sinu Dei recondit, qui apud Deum pro felicitate filii intercedat, Deique oculos assidue verberet, ut omne bonum ab illo impetret, ac præsertim præmia vitæ æternæ, ait Rabanus. Tigurina : *Qui reveretur patrem, peccata expiabit;* Græce ἐξιλάσεται, id est propitiat, expiat; Complut. et S. Ambrosius, *veniam impetrat,* scilicet præteritorum; a futuris vero *centinebit se;* quin et *in oratione dierum,* id est quotidiana, quæ per dies singulos funditur, *exaudietur;* S. Ambrosius, *in die orationis suæ exaudietur;* Tigurina, *votorum quotidianorum compos erit;* Palacius, *quo die petit, impetrabit.* Ratio est, quia honorem patri delatum sibi delatum reputat Deus, qui honorantes se honorat, audientes se exaudit, et, ut ita dicam, obedientibus sibi obedit, ac in liberales erga se multo indulgentior est et liberalior; non enim se patitur summa illa bonitas beneficentia aut liberalitate a creatura sua vinci; sed omnem illam longe superat et transcendit.

Honorans parentem, expiat peccata. Cur?

Causa prima.

Secunda. *Secundo,* qui honorat patrem, patris molestiam, indignationem, impatientiam cæteraque vitia dissimulat, tolerat et lenit : unde hac sua tolerantia sua delicta expiat, ac meretur ut Deus illa pari modo toleret, condonet et aboleat.

Tertia *Tertio,* quia Deus idipsum hic per Siracidem promittit et sancit; ut enim ostendat quam sibi gratus sit honor parentum, promittit ei certam peccatorum veniam. Itaque honorem parentum hic quasi sacrificium pro peccato filiorum instituit, idque significat τὸ ἐξιλάσεται, id est propitiat et expiat. Ratio est, quia, si sacrificium, quo mactabatur caro animalis, v. g. vituli aut hirci, expiabat peccatum, ut patet *Levit.* IV, multo magis expiabit illud honor et obedientia filiorum, quo voluntas eorum parentibus Deoque substernitur, et quasi mactatur, ut ait S. Gregorius paulo ante citatus

Quarta. *Quarto,* quia veri probique (quin et improbi) parentes docent incitantque filios, ut timeant Deum, studeant ei placere, ac cavere ejus offensam : si quando eum offenderint, doleant, conterantur, veniamque efflagitent: quibus dum probi filii obediunt, hac contritione expiant peccata.

Quinta. *Quinto,* quia verus honor et pietas filiorum in parentes subordinatur honori et pietati in Deum, adeoque ex ea proficiscitur et manat, ut patet vers. 8, sicut amor proximi oritur et manat ex amore Dei: sicut enim amamus proximum propter Deum, sic et amamus colimusque parentes propter Deum. Hæc ergo pietas in Deum expiat peccata, quia adducit secum contritionem et dilectionem Dei; vera enim in Deum pietas dictat ut ab ejus offensa te plane contineas; et sicubi eum offenderis, illico doleas, conteraris, omnique studio ei te reconciliare satagas. Id significat noster Interpres, cum vertit: « Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis. » Quo significat honorem, amorem et pietatem in parentes oriri ex dilectione Dei, ac per eam peccata expiare. Denique filii, qui honorant parentes, merentur et obtinent parentum orationem et benedictionem, qua eis præ cæteris bonis Dei gratiam apprecantur. Ita Job cap. I, orabat, imo sacrificio expiabat hebdomadatim peccata filiorum.

Paulo aliter Palacius Græcam versionem explicat, quasi dicat: « Qui diligit patrem, exorabit pro peccatis, » scilicet patris; ut, sicut parens orat pro peccatis filiorum, ita vicissim filii orent pro peccatis parentis. Nostram vero sic, *q. d.* Filius qui diligit Deum, cavebit ne parentes offendat; quod si ex fragilitate humana eos offenderit, Deum pro offensa hac exorabit, *et in oratione dierum exaudietur,* id est, orans veniam multis diebus, eamdem tandem impetrabit. Oratio enim dierum est oratio quotidiana et perseverans, quæ per multos dies continuatur.

Vers. 6. 6. QUI HONORAT PATREM SUUM, JUCUNDABITUR IN FILIIS. — Tigurina, *jucunditatem capiet ex filiis;* Syrus, *lætabitur de filio suo;* quia, scilicet, Deus faciet ut filii ejus sint probi, sani, habiles, egregii, ac præsertim patri obsequentes. Arabicus, *multiplicati sunt filii ejus.* Hæc enim est lex talionis, ut quod facit patri filius, idipsum a suo recipiat filio. Cum ergo honore et obedientia sua lætificet patrem, par est ut iisdem lætificetur a filio suo : qui vero patri inobediens est ac rebellis, ideoque eum contristat, inobedientes pariter ac rebelles sentiat et filios, ideoque tristetur, et non raro mœstitia contabescat : cujus rei exempla exstant quotidiana. Honor enim hic non tantum honorem et reverentiam, sed et obedientiam, amorem ac beneficentiam complectitur. Cum enim Deus præcipit: « Honora patrem et matrem; » intellige *primo,* reverentiam exhibendo; *secundo,* obediendo; *tertio,* amando; *quarto,* benefaciendo et sustentando, si senex sit aut indigeat, uti dixi *Deut.* vers. 16. Huc spectat illa Thaletis ad filios vox : « Quale præmium rependeritis parentibus vestris, tale a liberis vestris expectate. » Testis est Laertius, lib. I, cap. I. Et illa Epaminondæ : « Mihi jucundissimum est, quod utroque parente vivo Leuctrica pugna vicerim Lacedæmonios. » Testis est Plutarchus in *Græc. Apophth.*

Vers. 7. 7. QUI HONORAT PATREM SUUM, VITA VIVET LONGIORE. — Arabicus : *Qui honoraverit genitores suos,*

prolongabitur duratio ejus, et bene se habebit remuneratio illius in justitia genitorum suorum. Justitiæ enim parentum particeps erit filius, si eos amet et honoret. Causam dedi *Deuter.* v, 16. Dignus enim est vita, qui vitæ auctorem colit; indignus, qui eum negligit.

ET QUI OBEDIT (S. Augustinus in *Speculo* legit, *obaudit*) PATRI, REFRIGERABIT MATREM. — Græce ἀναπαύσει, id est, requiescere faciet, hoc est, pro tot doloribus, curis, mœroribus, quos mater pro ipso in conceptu, partu et educatione sustinuit, ipse tandem illi gaudium et quietem animi conciliabit, tum quia mater gaudet de officio et virtute filiorum, æque ac de honore præstito a filiis patri ac marito suo; quod enim marito confertur, confertur et uxori: vir enim et uxor sunt duo in carne una, puta una persona civilis et politica; tum quia mater a filiis eumdem honorem sperat et exspectat, quem ab eis videt tribui patri. Honor enim qui tribuitur patri, pari jure debetur et matri.

Græca pro *patri*, habent κυρίῳ, id est *domino*. Unde Complut. et S. Ambrosius sic vertunt, *qui obedit domino, quietem dabit matri suæ;* Tigurina, *qui Dominum audit, matri suæ acquiescet;* Syrus, *offert gratiarum actiones bonas Deo ille, qui honorat matrem suam.* Quod enim matri exhibet filius, sibi exhibitum reputat Deus, tum quia tam mater, quam pater, Deum filiis repræsentant; tum quia filii honorant matrem ex amore Dei, ut scilicet, Dei legi et voluntati id iubentis satisfaciant.

Varii sensus. Primus. Secundus. Tertius. Quartus.

Porro nostra versio Latina plures patitur sensus, ait Palacius. *Primus* est: Qui obedit patri, hac ipsa obedientia refrigerium præstat matri; ut contra, qui refractarius est patri, grandi tristitia afficit matrem. *Secundus* est: Ei, qui patri suo obedit, felicia succedent; quo felici rerum successu matrem lætificabit; quasi sit hoc quartum commodum eorum qui patri obediunt, quod tam illis res succedent prospere, ut vix sit, quod matrem pro filiis sollicitam tristitia premat. *Tertius* est: Qui patri obedit, conabitur matrem refrigerare; nam eo matris refrigerio obedientiam parenti præstabit. *Quartus* est: Refrigerabit matrem, id est, matrem in refrigerio sepulcri tandem collocabit, ut Tobias junior, qui matrem e felici vita deduxit ad mortis quietem. Inter hos sensus primus et tertius maxime sunt litterales et genuini.

Vers. 8.

8. QUI TIMET DOMINUM, HONORAT PARENTES (timor enim, id est reverentia, cultus et amor Dei, impellit nos ad faciendam ejus voluntatem et legem, inter quas prima secundæ tabulæ jubet honorari parentes. Hic versus jam non exstat in Græco, Syro et Arabico. Modum honorandi parentes subjicit, dicens): ET QUASI DOMINIS SERVIET HIS QUI SE GENUERUNT, — *q. d.* Honor parentibus debitus, non tantum consistit in assurgendo, caput detegendo, verbis reverentibus eos compellando, vultum submittendo, genu flectendo; sed potius in obedientia et obsequio, ut iis serviat « quasi dominis; » Palacius, *quasi diis;* in iis enim Deus repræsentatur, Deique dominium resplendet. Nam ut ætas in senibus venerationi est, utpote in qua Dei æternitas lucet; ita paternitas in parentibus est honori, in quibus Dei paternitas et dominium emicat.

Vult ergo Deus ut familiaritas et assidua conversatio filiorum cum parentibus, eorum erga parentes reverentiam non minuat, sed augeat, dum jubet eos cogitare se non cum paribus, sed cum superioribus et dominis agere. Vult ergo, ut talibus serviant, non ut servi, servili timore; sed ut ingenui filii liberali amore obsequantur, etiam demittendo se ad officia servilia et vilia, cum ea jubent parentes, vel exigit necessitas. Hinc Persæ filiis, servorum vice, utebantur, teste Rhodigino, lib. XI, cap. XVII. Idem fecisse Lacones et Cretenses docet Strabo lib. XVI: « Honor, ait S. Hieronymus in cap. XV *Matth.*, *in Script.*, « non tantum in salutationibus et officiis deferendis, quantum in eleemosynis, ac munerum oblatione sentitur. Honora, inquit Apostolus, viduas, quæ vere viduæ sunt: hic honor donum intelligitur. Et presbyteri duplici honore honorandi sunt, maxime qui laborant in verbo et doctrina Dei. » Ratio est, quia filius cum totum, quod est, acceperit a patre, est quasi peculium et possessio patris. Unde prima parens Eva, primum generans filium, vocavit eum *Cain*, id est possessio, dicens קניתי *kaniti*, id est, *possedi hominem per Deum*, *Genes.* IV, 1. Hinc et patri est jus herile in filium, adeo ut in necessitate eum in servum vendere possit, ut colligitur *Exodi* XXI, 7, sancitque jus civile, lib. II, cap. *de patribus qui filios distraxerunt.* Vide Covarruvias, lib. III *Variar.* cap. XIV, num. 4, et Lessium, lib. II *De Justitia*, cap. V, dub. 4, in fine.

Vers. 9.

9. IN OPERE ET SERMONE, ET OMNI PATIENTIA HONORA PATREM TUUM. — Modum generalem honorandi præscripsit, dicens: « Et quasi dominis serviet his qui se genuerunt; » hic ad particulares ejus modos descendit. Itaque dicit honorandum esse patrem: *primo*, « in opere, » scilicet opera, quæ pater injungit, exsequendo, pro ejus et familiæ sustentatione laborando, necessitatibus ejus quibuslibet subveniendo; *secundo*, « in sermone, » ut honorifice de patre loquatur, eum patrem nominet, humiliter ei respondeat, afflictum soletur, iratum blande compellet et leniat; *tertio*, « in patientia, » ut patienter toleret patris choleram, asperitatem, imperium, moresque difficiles ac vitia, utque ejus jussa, quantumvis ardua sibique repugnantia, humiliter excipiat hilariterque exsequatur. Unde Tigurina vertit: *Tam factis quam dictis patrem et matrem honora per summam patientiam, ut bene precetur tibi.* Jubet ergo ut filii patientia vincant parentum, præsertim senum, morositatem; sicut patrum patientia sustinuit filiorum parvulorum ineptias et importunitatem.

Fructum et mercedem quasi stimulum subdit, dicens :

Vers. 10. 10. UT SUPERVENIAT TIBI BENEDICTIO A DEO. — Præclare S. Ambrosius in cap. XVIII *Lucæ* : « Est, ait, honor non solum honorificentiæ, sed etiam largitatis. Pasce patrem tuum, pasce matrem tuam; etsi paveris matrem, adhuc non reddidisti dolores, non reddidisti cruciatus, quos pro te passa est; non reddidisti alimenta, quæ tribuit tenero pietatis affectu, immulgens labris tuis ubera; non reddidisti famem, quam pro te illa toleravit, ne quid, quod tibi noxium esset, ederet; ne quid, quod lacti noceret, hauriret : illa tibi jejunavit, tibi manducavit; tibi illa, quem voluit cibum, non accepit; tibi, quem noluit, cibum sumpsit; tibi vigilavit, tibi flevit : et tu illam egere pateris? O fili, quantum tibi sumis judicium, si non pascas parentem! Illi debes quod habes, cui debes quod es. » Ita Isaac honoravit patrem obediendo ei usque ad mortem, offerens se illi ad holocaustum, ac proinde meruit a Deo benedici et exaltari. Sic et Jacob honorando Isaacum patrem suum, et Joseph honorando et obsequendo parenti Jacobo, omnimodam ejus Deique benedictionem promeruit, *Gen.* XLIX, 25. Plura exempla recenset Rhodiginus lib. XI, cap. XVII; Valerius Maximus lib. V, cap. IV; Seneca, lib. III *De Benefic.* cap. XXXVII.

« Ut superveniat tibi benedictio a Deo. » Ita legunt passim, sed pro « a Deo, » corrige cum Romanis, *ab eo;* Græca Complutens. et S. Ambrosius, *ab omnibus;* Græca Romana, *ab eo,* scilicet patre. Sic et Syrus, *ut veniant super te benedictiones ejus,* scilicet patris, de quibus per vocem causalem *enim*, Græcus subjicit, dicens : *Benedictio enim patris firmat domos filiorum;* Arabicus, *ut exaudiatur ipsius deprecatio pro te. Multi tamen legunt*, « a Deo, » quasi non tantum patris, sed et quamlibet benedictionem, id est beneficentiam, filio a Deo polliceatur : Deus enim, sua beneficentia, patris omniumque hominum preces excedit et vota.

Porro hæc Dei benedictio non est fluxa et evanida, sed stabilis et solida. Hoc est enim quod de ea addit : « Et benedictio illius in novissimo maneat; » quia æterna mercede compensatur, ait Rabanus. Porro Palacius sic explicat : *Ut superveniat tibi benedictio a Deo;* ita hoc intellige : Ordinaria rerum dispositione futurus eras pauper, infelix, infamis; aliquis te magnus in malum casus manebat; at si patrem in omni patientia honorasti, divina benedictio te casui obnoxium e manibus infortunii liberabit. Sicut contraria ratione, si ordinaria rerum constitutione, longum victurus eras, non dimidiabis dies tuos, perinde ac si vir fuisti sanguinum, aut dolosus. Dignum vero est annotatione, quod sequitur : « Et benedictio illius in novissimo maneat. » Quod intelligi potest, vel quod divinus favor et adjutorium usque ad finem vitæ duret; aut, quod germanius est, quod divinus favor atque benedictio maneat et servetur in horam illam tanto periculo tremendam, scilicet, ad horam mortis et strictissimi examinis, ubi æternitatis jacitur alea. O quale, o quantum beneficium tunc erit benedici et audire : Veni, benedicte, in regnum tibi paratum ab origine mundi! Ergo, sicut tu in omni patientia sustinuisti difficultates senis patris tui; ita Deus sustinebit in omni patientia, si quæ fuerint errata infirmæ animæ tuæ. Ut qua mensura mensus es patri tuo, remetiatur tibi Pater misericors tuus. Hæc Palacius.

Vers. 11. 11. BENEDICTIO PATRIS FIRMAT DOMOS FILIORUM; MALEDICTIO AUTEM MATRIS ERADICAT FUNDAMENTA. — Hæc verba, ut cohæreant cum versu præcedenti, significant ibi per benedictionem maxime intelligi benedictionem patris, uti exprimit Syrus : alioqui hic versus prorsus alius est a præcedenti, aliamque mercedem filiis qui parentes honorant, promittit, nimirum, quod parentes eis benedicent, bene precabuntur, eisque a Deo omne bonum exposcent : hæc autem parentum benedictio, utpote quasi ex auctoritate et jure herili ac paterno eis a Deo indulta et concessa, solet esse efficax, et a Deo in effectum conferri. De ea ergo ait : « Benedictio patris firmat domos filiorum, » etc.; Tigurina : *Nam bona precatio patris domos liberorum stabilit, dira vero matris imprecatio eruit fundamenta;* Syrus : *Benedictio patris stabilit contignationes, et maledictio matris eradicat fundamenta;* Arabicus : *Precatio genitoris firmat aulas, et maledictio genetricis eradicat fundamentum.*

Per « domos, » non tantum contignationes, ut Syrus, puta fabricas domosque materiales; sed multo magis proles et familiam accipe, *q. d.* Benedictio patris facit ut filius prole et familia, eaque divite, honorata et splendida dotetur, decoretur et perduret : « maledictio vero matris (pari jure et patris) eradicat » domos usque ad « fundamenta; » id est, plane sobolem et familiam, ejusque opes et honores delet et exstinguit. Exemplum benedictionis est in Sem et Japhet, qui a Noe; in Isaac, qui ab Abraham; et in Jacob, qui ab Isaac patre benedictus, pater fuit duodecim tribuum Israel; item in Tobia. In quibus patet basim et radicem familiæ et felicitatis filiorum esse honorem parentum; radicem vero infelicitatis et interitus eorumdem, esse inhonorationem parentum.

Maledictionis exemplum est in Cham, qui irridens patrem Noe ex vino nudatum, ab eo maledictus, maledictionem hanc et servitutem in posteros Chananæos, qui ab Hebræis, posteris Sem, vastati sunt, transfudit. Simile exemplum refert S. Augustinus lib. XXII *De Civit.* cap. VIII, et prolixius, *serm.* 94, inter novos, de matre, quæ decem filiis maledicens, omnes illos tremulos, miseros et vagos effecit. Sic hodie videmus filios et familias illustres, quæ videbantur per sæcula duraturæ, occidere et exstingui. Causam quæris? Accipe quod parentes non honorarint ut debuerant, ideoque ab eis non benedictæ, sed male-

dictæ sint; Deus enim parentibus quasi instrumento utitur ad beandos, vel perdendos filios: sicuti enim per solem illustrat hunc mundum, ita per benedictionem patrum illustrat firmatque domos filiorum. Felix fuit Augustus Cæsar, sed in prolibus libidine infamibus infelix, ideoque eis maledicens, imo abdicans, omnes exstinxit, nimirum Juliam utramque, puta filiam ac neptem, ac post Agrippinam a se adoptatam, quas proinde vocabat tres suas vomicas, sive tria carcinomata, vetuitque eas suo sepulcro inferri, exclamans: « O utinam cælebs vixissem, orbusque periissem! » testis est Suetonius in *Augusto*.

Vidit idipsum, duce natura et ratione, Plato qui, dialogo 11 *De Legibus*, exemplis manifestis ostendit, preces parentum adversus liberos semper, aut plerumque a Deo exaudiri: « Œdipus, inquit, contemptus a filiis, ea illis imprecatus est, quæ exaudita effectaque ab iis, apud omnes feruntur. Amyntora quoque Phœnici filio iratum illi maledixisse ferunt, et Hippolyto Thesea, plurimosque alios aliis; quibus apertissimum factum est a diis preces parentum adversus filios exaudiri. Nihil enim imprecatione parentis perniciosius filio. » Denique Nazianzenus, *orat.* 1: « Duc tu quoque, ait, precibus tuis, præi sermone, fulci spiritu; benedictio enim patris firmat domos filiorum. » Et S. Ephrem ad hæc verba Siracidis alludens tract. *De timore Dei*: « Honora, inquit, sacerdotem atque presbyterum, ut in te benedictio oris ipsorum veniat. »

Vers. 12. 12. NE GLORIERIS IN CONTUMELIA (Græce ἀτιμία, id est ignominia, infamia) PATRIS TUI. — Alludit ad Cham, qui patris nuditatem irrisit, *Gen.* IX, 22. Solent enim superbi et perversi filii, ut suam sapientiam, opulentiam, fortitudinem ostentent, parentibus velle videri sapientiores, ditiores, fortiores, ideoque parentum insipientiam, pauperiem, miserias evulgant, quas celare debuerant. Unde Syrus vertit: *Ne honoreris* (ne honori tuo deputes) *in opprobrio patris tui*; Arabicus: *Ne te extollas adversus patrem tuum, quia non consequeris honorem ex eo.*

NON EST ENIM TIBI GLORIA, EJUS CONFUSIO. — Græce, οὐ γὰρ ἔστί σοι δόξα, πατρὸς ἀτιμία, id est, *non est enim tibi gloria, patris infamia.* Patris enim infamia est pariter infamia filii, ut sequitur. Tigurina, *neque enim decori tibi fuerit ejus ignominia*; S. Ambrosius, *non est enim tibi gloria, patris ignominia.*

Vers. 13. 13. GLORIA ENIM HOMINIS (provenit, est, et cernitur) EX HONORE PATRIS SUI: ET DEDECUS FILII, PATER SINE HONORE. — Græca Complutensia et S. Ambrosius, *et dedecus filiis mater in ignominia*; S. Ephrem, tract. *De timore Dei*: « Dedecus filiis mater sine honore; » Tigurina: *Paternus enim honor gloriam homini conciliat, et opprobrio liberis est mater ignominiosa*: Syrus: *Honor enim viri est honor patris ejus, et delicta magna illi qui ignominia afficit matrem suam. Fili mi, gloriare in honore patris tui, et ne dimittas honorem ejus omnibus diebus vitæ tuæ.* Filius enim est pars patris et matris. Sicut ergo qui totum violat et lædit, partes omnes violat et lædit: ita qui honorat vel inhonorat patrem vel matrem, omnes ejus filios, ac consequenter seipsum honorat vel inhonorat. Unde et Arabicus vertit: *Nam honor viri, honor genitoris sui; et non imminuetur offensio illius qui conviciis affecerit matrem suam. O fili mi, diligenter attende ad honorem patris tui, et ne relinquas reverentiam illius in diebus vitæ ejus.* »

Vers. 14. 14. FILI, SUSCIPE SENECTAM PATRIS TUI. — Græce ἀντιλάβου, id est *suscipe*; Complut. *adjuva*; Hugo, *sustenta*; alii, *succurre*; Tigurina, *subleva*; S. Ambrosius: *Fili, adjuva in senecta patrem tuum.* Jubet enim senectam et seniles mores patris a filiis non tantum tolerari, sed et consolatione, obsequio, sustentatione omnique ope adjuvari, foveri et sublevari. Et hoc significat τὸ *suscipe*. Sic Psaltes passim rogat suscipi, id est adjuvari, protegi, dirigi a Deo, Deumque vocat suum susceptorem, id est adjutorem, protectorem, hyperaspisten. Ratio est, quia in senecta et canitie patris relucet Dei generatio, antiquitas et æternitas; ut cum filii canum patrem intuentur, in eo videantur sibi cum Daniele videre antiquum dierum, ejusque canos *Daniel* VII, 9.

Gnomæ de honorandis parentibus.

Quamobrem Plato, dialog. 11 *De Legibus*: « Cujus pater, inquit, aut mater senio confecti, vel eorum parentes, quasi thesaurus quidam domi jacens, is putet nunquam aliud tale sibi simulacrum, magisque efficax domi suæ affuturum, si recte, ut decet, ab eo colitur. » Aristoteles vero lib. [illegible] *Ethicæ*, cap. II, docet filios debere succurrere parentibus magis quam sibi ipsis: « Redimere enim patrem, inquit, magis etiam quam seipsum debere videretur. » Et inferius: « Parentibus autem alimenta præcipua suppeditanda esse viderentur, utpote cum debeamus; cumque illis, qui causa sunt ut simus, honestius sit quam nobis ipsis, in his opem ferre. Honor quoque parentibus, quemadmodum diis, exhibendus est. » Philo, lib. *De Decalogo*, dat exemplum ciconiarum: « Ciconiæ senes, inquit, impotes volandi nido se continent; ex his prognatæ terra marique volitant, et cibos parentibus afferunt, et eadem opera natos implumes parentesque effetos educant naturæ instinctu, etc., et non obvolvent faciem præ pudore homines parentum contemptores, damnabuntque suam incuriam in re, quæ vel sola curanda erat, vel ante alias, præsertim cum non tam conferatur, quam referatur beneficium? Filiorum enim nihil est proprium, quod non parentibus debeant, a quibus vel acceperunt, vel in accipiendo adjuti sunt. Habentne igitur pietatem ac sanctitatem, principales virtutes in anima; an ejecerunt eas a pectore? Deo enim subministrant parentes in gignendis liberis. » Addit deinde, remque exaggerat: « Et sunt qui, audacius exag-

gerantes nomen parentum, aiunt patrem matremque deos conspicuos, illius ingeniti imitatores fingendis animantibus, hoc uno differe, quod Deus sit mundi genitor; hi vero filiorum tantummodo: nec fieri posse, ut pius sit erga illum invisibilem, qui erga hos conspicuos est impius. » Quare impii et barbari parricidæ fuere Caspii, qui parentes septuagenarios fame necabant, teste S. Hieronymo, lib. II *Contra Jovin.*; Eusebio, lib. I *De Præparat.* cap. III. Caspios imitati sunt Bactriani, Hyperborei, Sardi, et jam Indi nonnulli, qui parentes senio confectos mactant, imo subinde devorant, quod inhumanum est et ferinum, imo plusquam ferinum; nec enim feræ feram suæ speciei, multo minus parentes necant aut vorant.

ET SI DEFECERIT SENSU (συνέσει, id est intellectu, mentis vigore, prudentia, sapientia), VENIAM DA. — S. Ambrosius, *veniam habe*, id est ignosce; Syrus, *etiamsi defecerit mens ejus, parce illi;* Tigurina, *quod si sensibus fuerit abalienatus, boni consule.* Senes enim subinde deficiente cerebro delirant, aut juvenibus delirare videntur; unde illud : « Delirus senex. » Jubet ergo mentis defectum, imo et delirium, in patre a filiis non culpari, nec subsannari, sed tolerari, dissimulari et sublevari ; eo quod pater filii infantiam, imprudentiam et pueriles mores tolerarit, formarit, correxerit, elimarit. Unde et Arabicus vertit : *Etsi levior factus fuerit sensus illius, humane illum tracta.*

Vers. 15. 15. ET NE SPERNAS (S. Ambrosius, *inhonores*), EUM IN VIRTUTE TUA, — eo quod videas te viribus mentis et corporis patri seni prævalere, ac pollere majori robore, et intellectus acumine ac prudentia; ob hoc enim solent juniores spernere, carpere, taxare senes. Syrus : *Ne confundas eum omnibus diebus vitæ tuæ;* Tigurina : *Illum aspernari summo cave studio;* Arabicus : *Ne parvi pendas illum, dum vivus est.* Causam subdit :

ELEEMOSYNA ENIM PATRIS NON ERIT IN OBLIVIONE. — « Eleemosyna, » hebr. חסד *chesed*, id est pietas, benevolentia, misericordia patri exhibita. « Eleemosyna » ergo « patris » hic passive capitur, scilicet non quam dedit, sed quam a filio accepit pater. Unde Tigurina, *neque enim patri præstita benignitas dabitur oblivioni;* sed Deus et homines ejus recordabuntur, ut eam remunerentur : jugiter ergo vivet in Dei memoria, qui sibi factum æstimat, quod ejus imagini et vicario, puta patri, confert filius. Est liptote, sive miosis; parum enim dicitur, sed plus significatur, « non erit in oblivione, » id est erit in memoria et ampla remuneratione. Porro hæc eleemosyna patri a filio est debita, ideoque ab Arabico vocatur justitia : « Justitia, inquit, in genitorem non deletur, et ea deletur multitudo delictorum. »

Vers. 16. 16. NAM PRO PECCATO MATRIS RESTITUETUR TIBI BONUM. — Vox « nam » habet emphasin, *q. d.* Quævis eleemosyna in patrem erit in memoria : at eleemosyna pro peccato matris senis, utpote morosioris, impatientioris, ideoque toleratu difficilioris, multas habet promissiones : *prima,* quod « tibi restituetur bonum; » *secunda,* quod ædificabitur tibi « in justitia; » *tertia,* quod in die tribulationis efficiet, ut Deus sit memor tui; *quarta,* quod solvet peccata tua.

Nota : Pro « pro peccato matris, » perperam quidam legunt, *pro bono facto matris, q. d.* Pro beneficentia matri a filio exhibita. Nam græce est, ἀντὶ ἁμαρτιῶν, id est, *pro peccatis.*

Jam varii varie id explicant : *primo,* aliqui *peccatum* accipiunt pro hostia, pro peccato, juxta illud II *Cor.* v : « Christus factus est pro nobis peccatum, » id est hostia pro peccato, *q. d.* Quia tu, o fili, obtulisti hostiam pro abolendis matris tuæ peccatis, idcirco Deus restituet tibi bonum. Aut, ut ait Rabanus : « Peccatum hic tropica locutione ipsam eleemosynam nominat, quæ delet peccata. »

Secundo, peccatum matris objective et passive accipi potest, *q. d.* Quia tu, o fili, sæpius peccasti et offendisti matrem, ac mereris Dei iram et pœnam; hinc si erga illam sis benignus et beneficus, Deus non tantum tibi culpam et pœnam condonabit, sed et abunde restituet tibi bonum, id est beneficium, quod in matrem contulisti. Unde idipsum videtur explicare, dum subdit : « Et sicut in sereno glacies, solventur peccata tua. » Favet versio Syri : *Eleemosyna patris non datur oblivioni, et pro delictis ipsa plantatur.*

Tertio, plane et genuine, « pro peccato matris, » scilicet tolerato, *q. d.* Quia tu, o fili, patienter tulisti impatientiam, morositatem, jurgia, aspera verba et verbera matris, hinc pro mercede redetur tibi a Deo bonum, idque multiplex, tum in hac vita, tum in futura; sed præsertim hoc tolerantiæ et pietati tuæ congruum et appositum, nimirum, ut in justitia et pietate tua ædificetur domus. Idem enim dicit de matre, quod dixit de patre. Sicut ergo eleemosyna patris est ea quæ in patrem confertur, tolerando ejus seniles mores, deliria, impatientias et morositates; ita per peccata matris similia matris senilia vitia a filio tolerata intelliguntur. Unde sicut illius non obliviscitur Deus, sed abunde remunerat; ita pro his restituet filio bonum. Quocirca Græca Romana habent absolute, *et pro peccatis in justitia ædificabitur tibi;* Complut. et S. Ambrosius, *et pro peccatis reædificabitur tibi.*

Denique Richardus de S. Victore, *tract.* in hunc locum : « Vis, ait, scire quomodo tibi prodesse poterit bonum patris tui? Patrem venerando simul et imitando. Vis pariter scire quomodo tibi proderit malum matris tuæ? Matrem venerando, sed non imitando. » Verum ex dictis liquet alium hujus loci esse sensum.

ET IN JUSTITIA ÆDIFICABITUR TIBI. — « Justitia » hic significat pietatem; hæc enim est jus, sive debitum, quod filius debet patri, *q. d.* « In justitia, »

id est pro justitia, sive in justitiæ, id est pietatis tuæ, præmium « ædificabitur tibi, » scilicet domus tua, *q. d.* Deus domum, id est familiam tuam, prolibus, opibus omnique affluentia instruet, bonisque omnibus cumulabit; felicissime tecum, et cum domo tua agetur, et undequaque augeberis et beaberis. Justitia ergo, id est pietas, est quasi fundamentum in quo Deus ædificat domos, id est familias, filiorum parentes honorantium, uti dixit vers. 11. Rursum ædificat Deus has domos in justitia, id est solide, firmiter, facitque eas firmas et perdurantes; domus enim in justitia fundatæ sunt firmæ et stabiles, sicut fundatæ in rapinis et injustitia sunt infirmæ et instabiles, brevique intereunt. Unde interitum hunc Deus minatur domui Joachim regis Juda : « Væ, inquit, qui ædificat domum suam in injustitia! » *Jerem.* XXII; et primoribus : « Væ, qui ædificatis Sion in sanguinibus! » *Michæ.* III.

Adverte hic Deum solere filios, qui parentes honorant, præmiare prole et sobole numerosa et proba, quæ similiter ipsos honoret; idque jure talionis : æquum enim et congruum est ut qui honorant parentes, ipsi quoque parentes fiant, similesque sibi generent filios, a quibus eumdem honorem et commoda recipiant, quæ ipsi præstitere parentibus. Denique eleemosynam parentum solet Deus remunerare fecunditate et munere filiorum. Ita obstetrices Ægyptias, quæ quasi matres servaverant et aluerant infantes Hebræorum contra præceptum Pharaonis, jubentis illos suffocari, Deus remuneratus est ampla sobole et familia, *Exodi* I. Abrahamo et Saræ in præmium hospitalitatis exercitæ in Angelos omnesque peregrinos, natus est Isaac, *Genes.* cap. XVIII, 10. Id considerans Eliezer, servus Abrahæ, cum ejus jussu Isaaco uxorem quæreret Rebeccam, ab ea petiit haustum aquæ : quæ cum illico et ipsi et camelis potum affatim præberet, ex hac ejus hospitalitate conjecit Eliezer, eam congruam fore Isaaco uxorem, foreque fecundam, uti ob eamdem fuerant Abraham et Sara. Sic Elias et Eliseus suos hospites præmio filiorum, quos ipsi precibus a Deo impetrarunt, remunerati sunt.

Græca significantius habent : *ἀντὶ ἁμαρτιῶν προσανοικοδομηθήσεταί σοι*, id est, ut Romana vertunt, *et pro peccatis injustitia ædificabitur tibi* : præpositio enim *ἀνὰ* notat analogiam justitiæ et mercedis, ut *προσανοικοδομηθήσεται* idem sit quod, ex justa quadam retributione et compensatione fiet tibi reædificatio et restauratio jacturæ per peccatum factæ, *q. d.* Ex peccato et cholera matris subiisti injuriam, infamiam et tristitiam; sed Deus hanc tibi restaurabit, faciendo ut illa cedant et convertantur in tuum honorem, gloriam et lætitiam; hæc enim tuæ patientiæ merces, hæc tuæ virtuti laus, hæc tuæ afflictioni consolatio, hoc tuo dolori præmium congrua proportione respondet et debetur.

Tigurina aliter vertit, *adversus peccatum extruetur tibi propugnaculum*, quasi eleemosyna patri exhibita sit validum propugnaculum, quod sibi ædificat filius contra peccatum.

17. ET IN DIE TRIBULATIONIS COMMEMORABITUR TUI, — *q. d.* Memor erit tui Deus : vel significantius, *q. d.* Ipsa eleemosyna memoriam tui refricabit Deo, ipsa causam tuam apud Deum aget et peraget; ipsa enim vellicat Dei memoriam, ut bonis et beneficiis afficiat filium, qui mala et maledicta matris patienter excipit et sorbet. Ita Jansenius et Palacius. Unde Syrus emphatice vertit, *in die augustiæ in recordationem veniet tibi.* Ubi *τὸ tibi* energiam habet, estque emphaticum, *q. d.* Ad tuum commodum, ad tuum præmium et decus, est Syrismus, similis illi quo italice dicimus : *Questo che tu fai hoggi, te si recordera quando sarai al punto della morte;* Arabicus, *in afflictione erit tibi adjutor.* Vers. 17

ET SICUT IN SERENO GLACIES, SOLVENTUR PECCATA TUA. — S. Ambrosius, *sicut serenitas in glacie, sic solventur peccata tua;* Tigurina, *ut per serenitatem glacies, ita peccata tua solventur;* Syrus, *sicut calor glaciem* (solvit et liquat) *abrogabit peccata tua.* Beneficentia enim filii in patrem et matrem est quasi calor, imo sol liquans et abolens omnem peccatorum glaciem. « Charitas enim operit multitudinem peccatorum, » I *Petri* IV, 8, idque tam quoad pœnam, quam quoad culpam, *q. d.* Cum ob peccata in die tribulationis in varias ærumnas et mœrores incideris, illæ omnes dissolventur a beneficentia matri exhibita, perinde ut glacies dissolvitur a radiis solis : dies tribulationis vertetur in diem serenitatis, ac cum aliis erit dies nubilus, misericordi erit serenus, præstante, itaque honorem parentum remunerante Deo. Unde Arabicus vertit, *advertet a te mala, sicut avertitur frigus in vehementia caloris.*

18. QUAM MALÆ FAMÆ EST (Græce *βλάσφημος*, id est, exsecrabilis, infamis est) QUI DERELINQUIT PATREM (in egestate, afflictione, senio constitutum et destitutum) : ET EST MALEDICTUS A DEO, QUI EXASPERAT MATREM! — Tigurina : *Quam infamis est desertor patris, et maledictus a Domino, qui matri suæ movet indignationem!* Romana vero editio ex Græco sic habet : *Tanquam blasphemus est, qui derelinquit patrem;* et Syrus : *Blasphemat, qui spernit patrem suum, et maledictus est coram filio suo ille qui ignominia afficit matrem suam.* Ubi nota contemptum parentum vocari blasphemiam, quia blasphemia est convicium quod jacitur in Deum vel Sanctos : parentes autem sunt vicarii Dei, et quasi dii quidam terrestres, ut superius dixi. Unde Rabanus : « Impietatis, inquit, crimine reus tenetur, qui irreligiosus est in parentes, et maxime ille, qui spiritalem patrem vel matrem pravis sermonibus atque iniquis operibus exacerbat. Rursum *τὸ maledictus coram filio*, explica, *q. d.* Sicut filius maledicit patri; ita vi- Vers. 18.

cissim ipse lege talionis maledicetur a filiis, quos genuit aut gignet. Hinc et Arabicus vertit : *Quia qui parvi pendit jus patris sui, ipse est blasphemus opprimens; et qui calumniatur matrem suam, maledictio Creatoris sui descendet in eum.*

Porro maledictio Dei, æque ac benedictio, non est verbalis, sed realis et efficax : Dei ergo benedicere, est copiose benefacere ; maledicere, est affatim malefacere, puta, punire paupertate, infamia, morbis, adversitatibus, ac denique morte et gehenna, quibus pœnis omnibus punit Deus eos qui exasperant matrem. Præclare Philo lib. *De Decalogo* : « Qui parentes, ait, suos negligunt, sciant se damnatos pro duobus tribunalibus, quæ sola sunt naturalia : impietatis, apud divinum, quod secundos post Deum auctores vitæ suæ non tractant ex officio ; inhumanitatis vero, apud humanum ; cui enim benefaciunt, qui proximos et optime de se meritos vilipendunt? quibus nulla referri gratia potest, quæ non sit inferior acceptis beneficiis. » Et S. Ambrosius, lib. V *Hexam.* IV, in illud *Genes.* I : *Producant aquæ reptile super terram.* « Quam bona, inquit, mater sit aqua hinc considera : tu, o homo, docuisti abdicationes patrum in filios, separationes, odia, offensas ; disce ergo ab aqua quæ sit parentum et filiorum necessitudo. Vivere pisces sine aqua non queunt, nec a sui parentis consortio separari : et fit hoc natura quadam, ut separati moriantur illico. »

Eleganti viperæ et fœtuum apologo idipsum repræsentat Cyrillus lib. III *Apolog. moral.* cap. XXVI, cujus titulus : *Contra vitium ingratitudinis.* « Gravida vipera, inquit, cum ad perfectam maturitatem fœtus produxisset, diros in suis visceribus morsus sentiens, amara nimis cum querimonia eis dixit : Quid est hoc scelus quod facitis? numquid redditis pro bono malum, quia laceratis ventrem qui vos portavit ; matrem occiditis, quæ vos genuit? quæ est ista contra naturam nequitia, et ingratitudinis sævitia tam stupenda? At illi dixerunt : Quid est quod nobis dedisti aut fecisti? nimirum ut delectares te concepisti, et in tetri ventris carcere nos abscondisti. Quid aliud circa nos egeris nescimus : attamen prodire in lucem appetimus, et gratum mundi spatium videre affectamus. Quibus mater : Revera ego concepi vos ex medullis meis carioribus, alui de sanguinibus propriis, fovi calore, portavi labore, promovi cum dolore, et in visceribus propriis nocte ac die custodivi cum timore : nunc autem pro tantis beneficiis matri rependitis vicem mortis. » Deinde justam eis talionis pœnam intentans subjicit : « Verumtamen quia inique rependitis malum pro bono, retribuetur vobis justissime malum pro malo. Nam justitia ingratitudini est grata, dum propter ejus demerita reddet ei digna stipendia ; et propterea quia cum ingratitudine incipitis, dira quoque et sæva ingratitudine finietis : nam tu, fili, fecundabis sororem tuam, ut ipsa te vita privet ; et tu, filia, fœtus concipies qui confestim crudeliter te occident. Et sic ingratitudinis vitium vertetur in tormentum, et ingratitudo ingratitudine punietur, eritque soboles ingratitudinis cibus mortis. Quibus dictis, dolore viscerum exstincta est. »

Eorum pœna talionis.

SECUNDA PARS CAPITIS,

QUÆ COMMENDAT MANSUETUDINEM ET HUMILITATEM.

Vers. 19. 19. FILI, IN MANSUETUDINE OPERA TUA PERFICE, ET SUPER HOMINUM GLORIAM DILIGERIS. — Instruxit Siracides filium quoad honorem parentum, nunc eum instruit quoad cætera et cæteros, ac in primis ut in omnibus et cum omnibus mansuete et humiliter se gerat ; præsertim quia humilitas et mansuetudo est fons et origo honoris parentum, omnisque virtutis et boni. Gestus enim mansuetus et humilis omnes honorat, itaque sibi conciliat ; asper vero et superbus omnes spernit et deprimit, ideoque a se avertit, offendit et exasperat.

Porro Sapiens omni statui et gradui commendat mansuetudinem, ut, licet filius ascendat etiam ad regium fastigium et culmen, tamen mansuete se gerat, regat et imperet. Quapropter subdit : « Quanto major es, humilia te. » Unde Syrus vertit : *Fili, in divitiis tuis cum humilitate ambula, et præ largiente dona diligent te.* Hæc enim mansuetudo prælato et principi subditorum benevolentiam, indeque securitatem et gloriam conciliat. Ita Palacius. Admonet, inquit, recentiores, ne ex ira res præcipitent ; sed animos mansuetudine frenent. Ut enim nihil est importunius improbitate eorum qui gubernantur ; ita nihil est in hisce rebus excelsius, quam in tanta importunitate mansuetos esse eos qui gubernant. Hinc maxima laus Moysi datur, quod regens innumerum istum et durissimum populum, mortalium tamen esset mansuetissimus, *Num.* XII, 5. Et David rex Deo non aliam virtutem, quam mansuetudinem suam allegat, dicens : « Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus, » *Psal.* CXXXI, 1. Moysen mansuetudine, non tam

humana, quam divina superavit Christus. Nam, ut ait S. Bernardus serm. 29 *in Cantic.* : « Omnino propter mansuetudinem, quæ in te prædicatur, currimus post te, Domine Jesu, audientes quod non spernas pauperem, peccatorem non horreas. Non horruisti confitentem latronem, non lacrymantem peccatricem, non Chananæam supplicantem, non deprehensam in adulterio, non sedentem in telonio, non supplicantem Publicanum, non negantem discipulum, non persecutorem discipulorum, non ipsos crucifixores tuos. In odore horum currimus. »

Celebre est illud Senecæ in *Proverbiis* : « Regibus certior est ex mansuetudine securitas. » Nam ex adverso ait Cicero lib. III *Offic.* : « Nihil quod crudele, utile. Est enim hominum naturæ, quam sequi debemus, maxime inimica crudelitas. » Porro, ut ait Aristoteles lib. I *De Cœlo*, « nullum violentum perpetuum. » Hinc eos qui natura, indole et complexione sunt mites et blandi, omnes amant et ambiunt. Mitis autem signa physiognomica hæc dat Aristoteles in *Physiognom.* cap. III : « Gravis specie, carnosus; caro humida et multa, bonæ magnitudinis et commensuratus; figura curvus, cursus capillorum sursum vulsus. »

Mercedem et præmium mansuetudinis subdit : « Et super gloriam hominum diligeris, » *q. d.* Præ hominum gloria, id est, præ hominibus gloriosis et excellentibus, eorumque gloria, gradu et honore diligeris, quo significat mansuetudinem homini magis conciliare amorem, quam quemvis alium splendorem et gloriam : hæc enim timorem potius incutit, quam amorem, *q. d.* Mansuetudo longe magis nos amabiles et admirabiles facit, quam omnis splendor et gloria : homines longe magis diligunt, et videre cupiunt mansuetudinem et mansuetos, quam gloriam et gloriosos : appetitur et ambitur gloria, sed magis ambitur mansuetudo.

Rursum τὸ *diligeris* accipi potest pro *glorificaberis*, *q. d.* Omni gloria, omnibusque gloriosis eris gloriosior, tum quia vera gloria est mansuetudo et humilitas; tum quia homines solent eos, quorum mansuetudinem moresque diligunt, laudare, celebrare et glorificare. Est ergo metalepsis, qua ex dilectione gloria illam consequens significatur. Unde alii sic explicant, « super, » id est, *præter* gloriam hominum diligeris, *q. d.* Præter gloriam assequeris insuper benevolentiam, ut omnes te diligant. Ita Emmanuel Sa. Superbi enim et tyranni habent a suis gloriam, sed non dilectionem; quia timentur, non amantur : at mansuetus habet gloriam, et præter gloriam habet omnium gratiam et dilectionem, quæ gloriam condecorat, solidat et perpetuat.

Legit Interpres, ὑπὲρ ἀνθρώπων δόξαν, id est, *super hominum gloriam;* jam legunt : ὑπὸ ἀνθρώπου δεκτοῦ, id est, *ab homine acceptabili,* sive probato. Sic quoque legit S. Ambrosius, et S. Ephrem tract. *De timore Dei*, « et ab homine acceptabili diligeris; » Tigurina, *et homini probato clarus eris;* Syrus vero, *et præ largiente dona diligent te;* alii, *pro homine probato, accepto*, vel *grato diligeris* : præpositio enim ὑπό, idem subinde est quod πρό; Arabicus : *O fili mi, incede cum mansuetudine in divitiis tuis, et sis*, id est eris, *dilectus hominibus, plus quam is qui largitiones elargitur.*

Moraliter S. Bernardus, serm. 2 *in Conversione S. Pauli* : « Triplici, ait, velut ariete mansuetudo pulsatur : verborum injuriis, damnis rerum, corporis læsione. In his tribus omnis exhibitio patientiæ, omnis exercitatio mansuetudinis. Probata est illa virtus, quam nihil horum videtur concutere potuisse. » Porro mansuetudinis origo est humilitas : « Sicut enim mater præsumptionis est elatio; sic mansuetudo vera non nisi ex vera humilitate procedit, » ait idem S. Bernardus sermon. 3 *de Visit. B. Mariæ.* Hac de causa subdit Ecclesiasticus : « Quanto magnus es, humilia te, » etc.

Porro, cur mansuetudo adeo ab omnibus, præsertim subditis, dum a Superiore corripiuntur, sit expetita, ira vero exosa; rationem quasi a priori dat Reverendiss. D. Franciscus de Sales, episcopus Genevensis, vir melleæ sapientiæ et sanctitatis, in suo *Philotheo*, sive *Isagoge ad vitam piam*, parte III, cap. VIII. Monitio, ait, vel correctio manans ab ira, etiamsi comitem habet rationem, impurior est et turbidior est, ideoque ingratior quam sit ea quæ a sola puraque ratione proficiscitur. Causa est, quod anima rationalis naturaliter subjecta sit rationi : hinc passioni non subjicitur, nisi quasi tyrannidi, ideoque tyrannice. Quare ratio, quam comitatur passio, se reddit exosam; eo quod justa ejus dominatio inquinetur et vilescat per societatem tyrannidis, puta, passionis tyrannicæ. Cur mansueta correptio grata?

Accedit quod, ut ait Quintilianus lib. XI, cap. I : « Habet mens nostra natura sublime quiddam et erectum, et impatiens superioris. Ideoque abjectos, aut submittentes se allevamus, quia hoc facere, tanquam majores, videmur, et quoties discessit æmulatio, succedit humanitas. At qui se supra modum extollit, premere ac despicere creditur, nec tam se majorem, quam cæteros minores facere : inde invident humiliores. » Rursum mansuetudo superioris frangit iras, cupiditates et impetus inferioris, perinde ac lana excipit et enervat ictus tormentorum; ac elephas iratus et furens mansuescit ad conspectum agni. Sic « Deus tranquillus tranquillat omnia, et quietum aspicere, quiescere est, » ait S. Bernardus. Mansuetus enim agitur ratione, non passione; ideo tranquillus est, omniaque tranquillat. Huc facit proverbium Arabicum, *Centuria* 1, num. 40 « Tege merces tuas melle, et projice eas in cisternam luti; id est, concilia corda stultorum sermone dulci. » Sicut enim pueri cibos melle conditos avide hauriunt; ita simplices sermones mansuetudine mellitos cupide excipiunt.

Quocirca prudenter monet S. Ambrosius lib. II *Officior.* cap. VII: « Primum, inquit, placiditate mentis et animi benignitate influamus in affectum hominum. Popularis enim et grata est omnibus bonitas, nihilque quod tam facile illabatur humanis sensibus. Ea si mansuetudine morum, ac facilitate animi, moderatione præcepti, et affabilitate sermonis, verborumque honore, patienti quoque sermonum vice, modestiæque adjuvetur gratia, incredibile quantum procedit ad cumulum dilectionis. » Subjicit exempla illustria Moysis et Davidis: « Quantas Moyses a populo Dei illatas absorbebat contumelias! et cum Dominus in insolentes vindicare vellet, se tamen pro populo offerebat frequenter, ut indignationi divinæ plebem subduceret. Quam miti sermone post injurias appellabat populum! solabatur in laboribus, deliniebat oraculis, fovebat operibus; et cum Deo constanter loqueretur, homines tamen humili et grata appellatione affari solebat. Merito æstimatus est supra homines, ut et vultui ejus non possent intendere, et sepulturam ejus non repertam crederent: quia sic sibi totius plebis mentes devinxerat, ut plus eum pro mansuetudine diligerent, quam pro factis admirarentur. Quid ejus imitator sanctus David, electus ex omnibus ad plebem regendam? quam mitis et blandus, humilis spiritu, sedulus corde, facilis affatu! Ante regnum se pro omnibus offerebat, rex cum omnibus æquabat suam militiam, et partiebatur laborem: fortis in prælio, mansuetus in imperio, patiens in convicio: ferre magis promptus, quam referre injurias. Ideo tam carus erat omnibus, ut juvenis ad regnum, etiam invitus, peteretur, resistens cogeretur, senex ne prælio interesset a suis rogaretur; quod mallent omnes pro ipso periclitari, quam illum pro omnibus. »

Vers. 20. 20. QUANTO MAGNUS ES, HUMILIA TE IN OMNIBUS (præsertim in iis quibus excellis et magnus es), ET CORAM DEO INVENIES GRATIAM. — Græce, *Quanto magnus es, tanto humilia te in omnibus,* id est, *Quanto major es, tanto magis humilia te in omnibus.* Et sic legit S. Ambrosius loco initio cap. citato, et S. Ephrem tract. *De timore Dei.* Tigurina: *Quanto major es, eo te geras submissius, ut gratiam initurus apud Dominum;* Arabicus et Syrus: *In omni quod magnum est in mundo humilia teipsum, et coram Domino invenies misericordiam.*

Magnis magna convenit humilitas, cur?

Causa prima. Causæ hujus præcepti, vel moniti, sunt multæ: *Prima,* quia celsitudo solet homines inflare et instigare ad arrogantiam: monendi ergo sunt, qui ad eam conscendunt, ut eo magis se humilient, quo difficilius est se humiliare in sublimatione et sublimitate. Rectores, ait S. Gregorius, multi injuste et tyrannice regunt, pauci in plena justitia, paucissimi in mansuetudine et humilitate. Et S. Augustinus, tract. *De S. Virgin.* cap. XXXI, citans hanc Ecclesiastici sententiam: « Mensura, ait, humilitatis cuique ex mensura ipsius magnitudinis data est, cui est periculosa superbia, quæ amplius amplioribus insidiatur. « Et S. Bernardus serm. 4 super *Missus est:* « Non magnum est, inquit, humilem esse in abjectione; magna prorsus et rara virtus humilitas honorata. » Idem, lib. II *De Considerat.:* « Nulla splendidior humilitate gemma, in omni præcipue ornatu summi Pontificis. Quo enim celsior cæteris, eo humilitate apparet illustrior et seipso. » Et in hæc verba commentans Balduinus in *Catena* Tilmanni Godfredi: « Humilitas in honore, inquit, honor est ipsius honoris et dignitatis. Omnis dignitas eo ipso dignitatis nomine indigna est, si humilia dedignetur. Humilitas autem sine honore, ipsa sufficit ad honorem: honor vero sine humilitate se perducit ad confusionem. »

Secunda. *Secunda,* quia vera magnitudo est humilitas. Sola enim humilitas exaltat: sola humilitas est magnanimitas. Sola enim magno animo despicit exiles et inanes honorum mundi fumos et umbras, quia spectat verum virtutis decus, verumque honorem et gloriam cœlestem et æternam, quam a Deo et Angelis Beatisque omnibus exspectat. Quocirca sapienter S. Ephrem tract. *De timore Dei,* initio tom. III: « Cupis, ait, magnus esse? sis omnium novissimus. Cupis bonum possidere nomen? in lenitate ac mansuetudine opera tua temperato atque peragito. » Et inferius: « Magna felicitas et gloria est humilitas, et non est in ea lapsus atque ruina. Signum porro humilitatis est, ambabus manibus omni tempore ac loco subvenire fratri necessitatem patienti. » Ex adverso vere S. Bernardus, lib. *De Gradibus humilitat.* « Quando magis, inquit, ad alta festinas, tanto magis ad occasum declinas. » Huc pertinent duo adagia Arabica, quæ exstant inter impressa centuria prima; primum exstat num. 3: « Si nescis ascendere per scalam, non ambulabis super tectum, id est, si non potes esse subditus duci, neque dux eris. » Si non potes humiliari, non poteris esse gloriosus: nemo enim recte agit dominum, qui prius non egit ministrum: nemo, nisi humilis, gloriam consequitur; adeo ut servitus via sit ad imperium, et humiliatio via sit ad gloriam, perinde ac scala via est ad tectum. Alterum exstat ibidem num. 4: « Ne ascendas cacumen jugi, cum fueris ornatus, ne forte cadas; id est, honoratus cave a typho et fastu, quia ocissime inflatus et turgidus cadit. »

Tertia. *Tertia,* quia schola Christi Dei est schola humilitatis, in eaque nihil discitur, nisi humilitas et charitas. Qui ergo humilior est, ille major et doctior est in schola Christi: quia Christus, cum esset maximus, fuit pariter humillimus. « Discite, inquit, a me, quia mitis sum et humilis corde, » *Matth.* XI. Ita S. Augustinus, tract. *De S. Virgin.* cap. XXXIII, ut doceat virgines, quæ dono virginitatis alios antecellunt, non debere inde superbire, sed magis humiliari, sic ait: « Cum ergo Christianis omnibus custodienda sit humilitas, quandoquidem a Christo Christiani appellantur, cujus Evan-

gelium nemo diligenter intuetur, qui non eum doctorem humilitatis inveniat: tum maxime virtutis hujus sectatores et conservatores eos esse convenit, qui magno aliquo bono cæteris eminent, ut magnopere curent illud: Quanto magnus es, tanto humilia te in omnibus.» Idem, epist. 56 *ad Dioscorum*: « Nisi, ait, humilitas omnia quæcumque bene facimus, præcesserit, et comitetur, et consecuta fuerit et proposita quam intueamur, et opposita cui adhæreamus, et imposita qua reprimamur, jam nobis de aliquo bono facto gaudentibus, totum extorquet de manu superbia. Itaque, sicut Rhetor ille nobilissimus (Demosthenes), cum interrogatus esset quid ei primum videretur in eloquentiæ præceptis observari oportere, pronuntiationem dicitur respondisse; cum quæreretur quid secundo, eamdem pronuntiationem; quid tertio, nihil aliud quam pronuntiationem dixisse: si interrogares, et quoties interrogares de præceptis Christianæ religionis, nihil me aliud respondere, nisi humilitatem, liberet.»

Quarta. *Quartam* dat S. Gregorius homil. 9 *in Evang.* « Cum augentur, ait, dona, rationes etiam crescunt donorum. Tanto ergo humilior, atque ad serviendum Deo promptior quisque debet esse ex munere, quanto se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione.»

Quinta. *Quintam* dat Siracides hic: « Et coram Deo invenies gratiam.» Ut ergo major sis coram Deo, qui est verus magnitudinis æstimator et mensor, utque major sis in ejus gratia, esto major in humilitate; quia, sicut pharmacopœi balsamum non recondunt nisi in myrotheciis planis, udis et nudis; sic et Deus gratiam suam non collocat nisi in vase plano et nudo, puta, in corde humili. « Deus non ponit oleum misericordiæ, nisi in vase fiduciæ,» ait S. Bernardus serm. 3 *de Annuntiat.*; vasa autem fiduciæ sunt corda humilium, quæ sibi diffidunt, unique fidunt Deo. Quocirca S. Isidorus lib. *De Conflictu vitiorum et virtutum*, sub initium: « Memento, inquit, quia pulvis es, quia putredo et vermis es; quia etsi aliquid es, nisi tanto te humilies, quanto magnus es, perdes omnino quod es. Numquid tu altior quam primus angelus? Numquid tu splendidior in terra, quam Lucifer in cœlo, qui propter superbiam ex summo ad imum decidit?» S. Ephrem *De Vita spiritali*, num. 66: « Quando, inquit, videris te ad apicem virtutum evectum, tunc maxima tibi humilitate opus est, ut fundamentis salvis et integris, quod superstructum est ædificium, inconcussum immobileque consistat: atque sic in multa securitate fructus tuus erit.» B. Antiochus homil. 70 *de Humilitate*: « Quanto major es, inquit, tanto humilia te ipsum; nam opera omnia humiliantis se manifesta sunt et conspicua oculis Domini.»

Sexta. *Sexta* est, quia in hac re consistit tam perfectio humilitatis, quam summa virtutis. Sicut enim primus gradus humilitatis est humiliare se superiori; secundus, pari; tertius inferiori: sic ima humilitas est humiliare se in imo, media in medio, summa humiliare se in summo culmine. Hoc est quod Christus baptizandum se offerens S. Joanni, cum ille ex reverentia id facere detrectaret, respondit: « Sine modo, sic enim decet nos implere omnem justitiam,» *Matth.* III, 15, ubi Glossa ex S. Bernardo: « Omnis justitia, ait, est humilitas, quæ se superioribus, æqualibus et inferioribus subjicit.» Hæc ergo humilitas, exsolvit, imo superat omne jus et dubitum, quod homo debet Deo, proximo et sibi: Deo enim se subjicit per religionem, proximo per charitatem, corpus animæ, animam spiritui, spiritum legi Dei.

Apologus modestiæ. Hasce duas gnomas festivo solis apologo illustrat, et quasi exhilarat Cyrillus lib. I *Apologorum moral.*, cap. XVII, cujus est titulus: *Gloriosa est prosperitas moderata.* Sic enim ait: « Cum Titan (sol) uniformi regularitate stabiliter moveretur, valde hoc admirans Mercurius, hac eum quæstione interpellavit: Utquid semper in ecliptica volveris, ibidemque fixus nunquam inde mutaris? Qui dicit: Fons sapientiæ jamdudum a sæculis æstimatus es, et hoc ignoras? Quis enim inter stellas sole gloriosior, cui fontaliter data est lux primogenita, quæ tot cœlorum spes est et gloria stellarum? Propter hoc ergo, carissime, media semper cœli regione moveor, nec unquam ab ea declino. Nam si recte considerasti, prosperitas plerumque gignit inimicos, et suscitat lividos, nec ullum unquam exhibet amicum: quapropter in ea vel maxime moderatio amplexanda, ne, cum æmulos injuste cudit prosperitas, juste formet eos prosperitatis immoderata perversitas.» Deinde apologum similitudinibus variis, puta regis apum, diei, nautarum, lucis, temperamenti sanitatis, confirmat, dum ista subjicit: « Nimirum ob hoc regulus apum deponit aculeum, quem natura sic instruit, ut cum est agendi facultas validior, sit excedendi tunc auctoritas minor. Cæca certe lux, diesque volatilis mutabilium prosperitas est; unde semper oportet pavescere, ne lux vertatur in tenebras, et nox diei repentino cursu succedat. Atque propter hoc prudenter in prosperis modestiæ magis ac beneficentiæ intendamus, ut illa vitemus inimicos, hac amicos conciliemus; et, si contra nos quandoque tempestas ingruerit adversitatis, salutaris effugii portum reperiamus in amicis. Revera nauta prudentior dum futuræ tempestatis impetum formidat, in tranquillitatis sereno circumspectus, quo tutius naviget, velum abbreviat. Etenim ut excessiva rutilantia visum obtundit, et immoderata lætitia cor exstinguit: sic prosperitas immoderata confundit. Nam sicut in temperamento est sanitas corporis, ita in modestia sanitas mentis. Nonne in altis constituti naturaliter metuimus ne cadamus?»

Similia.

Ex quibus hoc epimythium colligit : « Quemadmodum igitur cœlestis serenitas quanto est lucidior, tanto est tranquillior; ita sapientis prosperitas esse debet moderatior, quanto major. » *Septimam* subdit Sapiens.

Vers 21. 21. QUONIAM MAGNA POTENTIA DEI SOLIUS, ET AB HUMILIBUS (nonnulli legunt perperam, *ab hominibus*) HONORATUR. — Ita legit S. Ambrosius, Græca Complutens. Roman., S. Augustinus in *Speculo*, Rabanus et alii passim, *q. d.* Ideo te summe humilia, et summam a Deo accipies gratiam, quia Deus summe humilitate honoratur; ideoque ea summe recreatur et delectatur : Deus autem honorantes se, quales sunt humiles, honorat, et sua gratia cumulat. Ratio a priori est, quia Deus est summa celsitudo : huic autem proprie summa debetur humilitas. Unde S. Bernardus serm. 4 *de Nativ.*: « Propterea, ait, cœlitus annumeratur humilitas, quod hæc quasi propria virtus divinæ sit exhibenda majestati. Deus, ait idem lib. V *De Consider.* cap. V, amat ut charitas, novit ut veritas, sedet ut æquitas, dominatur ut majestas, regit ut principium, tuetur ut salus, operatur ut solus, revelat ut lux, assistit ut pietas. »

Aliter hæc dispungit et explicat Palacius : « Quia magna potentia tua, est Dei solius, *q. d.* O rector, videris tibi potens, et videtur hæc potentia esse tua? At falleris. Potentia est Dei solius : qui si vult te posse, poteris; si velit te nihil posse, etiamsi sit tua potentia summa, nihil poteris. Aufert enim ille spiritum principum. Terribilis est apud reges terræ. Quod cum multi reges testari possint, testatur magnopere tamen Nabuchodonosor, fenum sicut bos comedens. Ergo ne et te superbum a tua Deus magnitudine dejiciat, tu teipsum humilia. » Tu igitur si tenebras tuas, si tuas miserias, si tuum nihil videas et agnoscas, Dei lucem, Dei opes, Dei infinitatem profundissime honorabis. Græci codices in Complutensibus addunt : *multi excelsi et gloriosi, sed mansuetis revelantur secreta ;* et sic legit S. Ambrosius; Syrus, *quia multæ misericordiæ Dei, et humilibus arcana revelantur*. Sic et Arabicus. Quod apposite convenit rectoribus, quibus præcipue loquitur Siracides, ait Palacius. Vis igitur, o rector, o judex, nosse mysteria et abstrusa, quæ tibi jura non manifestant? Humilis esto; quia excelsus Dominus et humilia respicit. Ipse est veritas; amat ergo veritatem humilitatis, falsitatem odit superbiæ. Nam, ut ait quidam Sanctorum : « Deus amat humilitatem, quia amat veritatem; humilitas enim est vera cognitio sui et Dei, superbia utriusque est ignoratio. »

Exempla Idem fuit estque sensus et praxis cæterorum Sanctorum et sapientum. Ita B. Virgo evecta ad solium divinitatis, cum Angelus ei promitteret quod conciperet pareretque Filium Dei, tanto magis profunde se humiliavit, ac humillime respondit : « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. » Eadem ab Elisabetha salutata Mater Dei, illico hanc laudem non sibi arrogavit, sed in Deum reflexit : « Magnificat, inquit, anima mea Dominum; quia respexit humilitatem ancillæ suæ, » *Lucæ* I. Salomon Dei oraculo declaratus mortalium sapientissimus : « Stultissimus, ait, sum virorum, et sapientia hominum non est mecum, » *Proverb.* XXX, 2.

Magnus ille Simeon Stylites, orbis portentum, « in tantis laboribus, inquit Theodoretus in *Historia Patrum*, cap. XXVI, tantaque rerum gestarum magnitudine et miraculorum multitudine, est tanta morum modestia ac moderatione præditus, ac si sit dignitate postremus omnium hominum. Præter modestiam autem et facilis ad eum patet aditus, et est affabilis et suavis, et respondet unicuique eorum qui loquuntur, sive opifex sit, sive mendicus, sive rusticus. » Hæc fuit certa nota et tessera ejus sapientiæ et sanctitatis.

S. Franciscus, sui ævi sanctissimus, dictitabat se maximum esse orbis peccatorem. Idem dictitent alii, adeoque veræ sapientiæ et sanctitatis certissimus index est vera humilitas, tantoque quis sanctior est et sapientior, quanto humilior; sicut ex adverso quo quis insipientior est et improbior, eo et superbior. Beda in *Proverbiis* aureas has de humilitate habet gnomas :

Gnomæ. **Vitanda est superbia, quæ et angelos decepit, et omnes virtutes destruit.**
Vera discretio non nisi vera humilitate acquiritur.
Quantum quisque in humilitate et castitate profecerit, tantum Deo appropinquabit.
Quanto altior gradus, tanto profundior casus.
Rectius sequuntur Agnum conjugati humiles, quam virgines superbientes.
Vis ingens animi, nullius laude moveri.

Nazianzenus in carmin. *De Beatitudin.*:

Felix, qui primos inter numerandus ovilis
Christicolæ, tacitus se tenet inter oves.

Idem in *Tetrastichis* :

Sit alta vita, non item alti spiritus :
Illud beabit, misere at hoc te deprimet.
Altus licet sis, te supra lex est tamen.

S. Bernardus serm. 45 *in Cant.*: « Rara avis in terris, aut sanctitatem non perdere, aut humilitatem sanctimonia non excludi. » Idem, serm. 13 *in Cant.*: « Magna, ait, et rara virtus, ut magna licet operantem, magnum te nescias, et manifestam omnibus, tuam te solum latere sanctitatem; mirabilem te apparere, et contemptibilem te reputare. Hoc ego ipsis virtutibus mirabilius judico. » Hæc ergo est vera animi celsitudo, hæc vera magnitudo, ut magnus cum sis, te ut parvum æstimes et geras. Hæc est summa dos et laus Prælati, ut præsit et regat cum humilitate. Unde Christus per omnia maximus : « Discite, ait, a me, quia mitis sum et humilis corde, » *Matth.* XI. « Itane, ait S. Augustinus tract. *De Virgin.*, magnum est esse parvum, ut nisi a te, qui magnus es, fieret, disci non posset? Ita plane : non enim aliter invenitur

requies animæ, nisi inquieto tumore digesto, quæ magna sibi erat, quando sana tibi non erat. »

Praxes hujus humilitatis modosque eam assequendi assignat S. Basilius homil. 22 *de Humilitate* : « Quonam pacto, ait, ad salutarem hanc animi humilitatem, perniciosa superbiæ elatione relicta, descendemus ? Si perpetuo studium modestiæ exerceamus, etc. Vide ne in sermone arrogantiam usurpes sophisticam, neque dilectionem ostentes superbam; sed in omnibus splendori ac magnificentiæ detrahas, comis erga amicum, mansuetus erga domesticum, patiens erga temerarios, humanus erga humiles, patronus afflictis, invisens in dolore constitutos, in summa neminem contemnens : suavis in appellatione, alacer in responsione, dexter et expositus universis, neque tua ipsius celebrans encomia, neque alios qui hoc faciant subornans, neque inhonestam de proximo famam admittens, et virtutes tuas ac prærogativas, quantum fieri potest, obtegens; peccatorum vero gratia te ipsum accusans, nec exspectans, ut ab aliis reprehendere ; ut idem facias quod justus, qui in principio sermonis seipsum accusat; et sis qualis erat Job, quem non puduit urbis tumultuationem, propriam contra se deprædicare ruinam. Ne sis increpando molestus ac severus; neque statim, aut cum animi commotione quemquam reprehendas (resipit enim hoc contumaciam quamdam); neque propter modica delicta condemnes aliquem, quasi rigidus juris exactor; sed eos, qui deliquerunt, complectare, et spiritualiter instruas, quemadmodum admonet Apostolus, considerans te ipsum, ne et tu tenteris. Et tantum studii impendas, ne apud homines gloriosus habeare, quantum impendunt alii, ut glorificentur, siquidem Christi memor fueris. At Prælatus es aliis, et homines te glorificant, Par esto subjectis, non tanquam dominans in cleris, ut Apostolus inquit; neque sæcularibus principibus te conformes; qui namque primus esse accepit, omnium hominum servum esse jubet Christus. »

Denique nihil est quod nos ita hominibus gratos ac Deo faciat, quam si vitæ merito magni, humilitate infimi simus, ait S. Gregorius. Unde Cassianus, *Collat.* XV, cap. VII, docet charismatum virtutem non in mirabilibus, sed in humilitate consistere, quæ, ait, est « omnium magistra virtutum, cœlestis ædificii firmissimum fundamentum, donum proprium et magnificum Salvatoris. » Et S. Hieronymus vel potius S. Paulinus *Ad Celantiam* : « Nihil, inquit, habeas humilitate præstantius, nihil amabilius; hæc est enim præcipua conservatrix, et quasi custos quædam virtutum omnium; nihilque est quod nos ita et hominibus gratos et Deo faciat, quam si vitæ merito magni, humilitate infimi simus. Propter quod Scriptura dicit : Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam. »

Moral. veterani

Moraliter hæc Religiosis in Religione veteranis, et studio virtutis ac meritorum magnis congrue accommodat Faustus Regiensis *Instruct. ad monachos*, quæ habetur in Appendice *Biblioth. SS. Patrum* : « Quanto plus proficimus, inquit, tanto plus humiliemur; quia quanto plus humiliati fuerimus, tanto plus proficimus. Nullus ibi senior tam indoctus appareat, ut putet quod eum non deceat obedientia, quæ Deum decuit. Humilitas enim atque obedientia in junioribus adhuc necessitas, in senioribus jam dignitas est. Ille bene proficit, ille bene consummat, qui quotidie sic agit, quasi semper incipiat. Quamobrem augmenta meritorum, incitamenta esse perfectorum Scriptura pronuntiat. Vide sequentia. magis sint humiles.

Illustre exemplum, imo speculum, hujus humilitatis et mansuetudinis fuit S. Franciscus, qui proinde per eam, gratiam et gloriam Dei, angelorum et hominum est adeptus. Nam *primo*, per eam adeo possedit terram cordis et corporis sui, ut illa mansuetudine hac animi plane imbuta, subjiceret se spiritui ad omnes labores et pœnitentias : quare caruit lucta carnis et spiritus; atque ut animus ejus erat angelicus, ita et corpus erat quasi angelicum.

Secundo, per eam accessit ad primævam innocentiam, quam habuit Adam in paradiso, ut animalia etiam fera eum quasi herum agnoscerent, imo ab eo se curari et mansuefieri sinerent. Oves et agni eum quasi fratrem ambiebant. Volucres cœli eum concionantem tacitæ, caputque submittentes audiebant, nec recedebant, nisi accepta benedictione. Eugubii lupus vastans regionem, adeo cicur ab eo effectus est, ut pacto a S. Francisco inter ipsum et cives unito, scilicet, ut lupus nil noxæ inferret, cives vero eum alerent, firmiter steterit, ac quotidie in urbem veniens alimoniam promissam petiturus, nulli prorsus noceret, idque per integrum biennium præstitit.

Tertio, quod homines feros et barbaros mansuefecerit. Plures prædones sua lenitate et charitate ad pœnitentiam, et ad sui sequelam convertit. Inter quos insignis fuit conversio prædonis in monte Alverniæ, qui rupem quamdam instar castri insederat, quo omnes prædas et spolia quasi ad asylum convehebat. Hic minitans dira S. Francisco, ab eo adeo placide et suaviter exceptus fuit, ut prædo ejus consortio frui, et cum eo habitare postularit; ubi visa ejus sanctitate conversus, ab eo in Ordinem suum recipi petiit et impetravit; cumque alii eum F. Lupum appellarent, S. Franciscus eum F. Agnellum nominavit; quia ex lupo mutatus erat in agnum, juxta illud *Isaiæ* XI : « Habitabit lupus cum agno, et puer parvulus minabit eos. » Assisii magnæ erant turbæ inter episcopum et urbis consules. Ille interdixerat his sacra : hi interdixerant illi omne commercium, ut nihil illi suisve venderetur, aut vicissim ab eis emeretur. S. Franciscus misit e suis Religiosis, qui urbis proceres

ducerent ad episcopum, ac coram utrisque concinerent hosce versus : « Lauderis, mi Domine, propter illos qui pro tuo amore offensas dimittunt, et patienter sustinent tribulationem et infirmitatem. Beati illi qui in pace sustinuerunt, quia a te altissime coronabuntur. » Jussa peregerunt Religiosi, ac velut Dei præcentores alternis hoc carmen choris cecinerunt. Et ecce illico episcopus et proceres quasi excantata ira in mutuos ruerunt amplexus, utrimque veniam a se mutuo exposcentes; nimirum, Deus per S. Franciscum huic concentui occultam impertiit virtutem mansuefaciendi animos tam ægros et sibi invicem offensos.

Denique adeo induit mansuetudinem Christi dicentis : « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, » ut Christus quinque vulnerum suorum stigmata ejus manibus, pedibus et lateri impresserit, quibus ipse in Christum crucifixum transformatus et transfiguratus videbatur. An non hæc ingens gloria S. Francisci tam mansueti? Hinc et rebus inanimis quasi animatis imperabat. Unde, cum cauterium ipsi inureretur ferro candenti, illi imperans, nullum sensit ardorem aut dolorem : quocirca ipse solem, lunam, stellas cæterasque creaturas, quin et mortem morbosque vocabat fratres et sorores, ac cum illis quasi frater cum fratre agebat.

Vers. 22. 22. ALTIORA TE NE QUÆSIERIS. — Hæc sententia apte cohæret cum humilitate, de qua sermo præcessit, imo quasi conclusio educitur ex eo quod Græca præmittunt : *Multi sunt excelsi et gloriosi, sed humilibus* (S. Ambrosius, *mansuetis*) *revelantur mysteria, q. d.* Noli superbe altiora te quærere, quia non superbis, sed humilibus ea revelantur. Hinc sumptum est illud Hebræorum proverbium : מסך אל תדרש במופלי *bemophele mimmach al tidros*, id est, *difficiliora quam pro te ne quæras;* vel, *occultum a te ne inquiras.* Unde suspicor ita hebraice hic in avi Siracidis textu extitisse. Sensus est, *q. d.* Noli curiose scrutari quæ Deus tibi occulta esse voluit, hoc est, res abditas et a natura ipsa involutas. Huc pertinet illud Hebræorum dictum : « Non licet interrogare quo consilio, quamve ob causam Creator hoc vel illud fecerit. Ne curiose inquiras in facta Dei. » Nam omnia facit sapienter, tametsi ea lateant sapientes. Ab humilitate conversandi Siracides transit ad humilitatem discendi et sapiendi. Græca Complut. addunt ἀναισθήτως, id est, inscienter, inconsiderate, imprudenter; sed alii codices id demunt, idque per se in τὸ *altiora* intelligitur. Legit Interpres ὑψηλότερα, id est, *altiora;* atque ita legit S. Cyprianus, lib. III *Testimon.;* S. Augustinus in *Speculo,* et Alexander episcopus Alexandrinus apud Theoderetum, lib. I *Histor.*, jam legunt χαλεπώτερα, id est, *difficiliora;* alii, βαθύτερα, id est, *profundiora;* Syrus, *duriora* vel *asperiora;* S. Ambrosius initio cap. citati legit : *Difficiliora te ne quæras sine sensu, et fortiora te ne exquiras cum stultitia, q. d.* Difficiliora se quærere, est insensati et stulti.

Nota pronomen *te;* quod enim te est altius, potest non esse altius me, et vice versa. Unde Tigurina vertit : *Difficiliora, quam quibus par sis, ne quæras.* Explicat id Paulus dicens : « Non plus sapere quam oportet sapere; sed sapere ad sobrietatem, et sicut unicuique Deus divisit mensuram fidei, » *Roman.* XII, 3. Unde Arabicus vertit : *Ne quæras id quod eminet supra vires tuas; et ne inquiras id cujus tibi difficilis est consecutio;* additque : *etsi præfectus fueris in aliqua præfectura, indulge libens.* Sicut enim altius est aure velle videre, oculo velle audire, pede velle transcendere caput; commensum vero est auri audire, oculo videre, pedi ambulare : ita altius est idiotæ velle scrutari astrorum ordines et cursus; id vero commensum est astrologo, nisi modum excedat, ut illa quasi digitis suis dimetiri velit. Altius est rustico investigare causas nivis, grandinis, ventorum; id vero commensum est Physico. Altius est laico disputare de subtilibus mysteriis et controversiis fidei; sed id commensum est Theologo. Unde S. Basilius, cum Demosthenes arte cocus, secta Arianus, secum vellet de sanctissima Trinitate disputare, et arianismum propugnare, apposite eum repulit dicens : « Hodie vidimus Demosthenem insulsum et infantem. Tuum est, o Demosthenes, pulmenta, decoquere, non de Theologia disserere. »

Altiora ergo quærunt, qui ea quæ suum statum et captum transcendunt, curiose scrutantur; qui indagant ea quæ per lumen rationis, vel naturale, vel supernaturale, indagari nequeunt; ut qui cingaros consulunt de fortuna et sorte sibi obventura; qui interrogant sagas et magos vel astrologos de eventibus futuris, vel præteritis, aut præsentibus arcanis et occultis : hæc enim eorum captum superant, sed commensa sunt prophetæ et spiritui prophetico. Insuper, qui curiose indagant an sint prædestinati a Deo, aliaque Dei consilia et secreta scrutantur, contra quos detonat Sapiens *Proverb.* XXV, 27 : « Qui scrutator est, inquit, majestatis, opprimetur a gloria. » Et Apostolus *Rom.* XI, 33 : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Et S. Fulgentius, lib. *De Incarnat.* cap. XXVIII : « Quod inquit, interrogant isti de Deo, dicentes : Cur ergo non facit omnes homines velle credere, cum non sit personarum acceptio apud Deum? Scire debent hoc in illis altioribus positum, a quibus S. Scriptura humanæ curiositatis arcet audaciam : Altiora te ne quæsieris, fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper. » Et S. Fulbertus Carnotensis, epist. 1 *ad Adeodatum* (exstat tomo III *Biblioth. SS. Patrum*), sub initium : « Altiora te ne quæsieris, etc.; incomprehensibilem enim, inquit, divini consilii altitudinem sapientia humana puro cognitionis intuitu comprehendere non potest. » Denique, qui mysteria SS. Trinitatis, divinitatis et humani-

tatis Christi nimis profunde et sublimiter, vel subtiliter scrutari volunt. Unde Nyssenus de Vita Mosis : « Altiora te ne quæsieris ; » hoc est, inquit, « noli ossa Christi conterere : non enim eges scientia ipsorum. » S. Augustinus vero, lib. *Contra Priscillian.*, *ad Orosium* cap. XI, tom. VI, quærenti an sol, luna et sidera rationales habeant spiritus, sintque animata, respondet : « Altiora te ne quæsieris, » etc., « ut magis in istis temeraria præsumptio, quam cauta ignoratio culpanda videatur. » Ævo enim S. Augustini multi sectantes Platonem censebant astra esse animata : jam constat ea esse inanima.

Rursum hæc sententia, cum sit generalis, multis aliis aptari potest, ut politiæ, *q. d.* In politia noli altiora te quærere, v. g. cur rex, princeps, aut magistratus hæc illave sanciat aut faciat; habet enim rationes altiores et universaliores, quas tu ignoras. Rursum statui et professioni, *q. d.* Noli statum et professionem tuam excedere, ut cum sis plebeius, velis haberi nobilis; cum sis chirurgus, velis agere medicum; cum sis opifex, velis agere doctorem ; cum sis grammaticus, velis agere Theologum. In quos exstat parœmia Hebræorum lib. *Sanhedrin*, cap. ult. : « Camelus abiit, ut cornua quæreret ; et aures, quas habebat, amputaverunt ei. » Qui enim indebita ambit, debita amittit; qui altiora postulat, congruis privatur; qui aliena invadit, propriis mulctatur.

ET FORTIORA TE NE SCRUTATUS FUERIS. — Idem dicit. Græca addunt, ἐν ἀφρωσύνῃ, id est, *in insipientia*, quasi significet, id esse insipientis; aut non omne horum scrutinium se vetare, sed tantum nimis curiosum, insipiens et stultum. « Fortiora » vocat sublimiora, altiora, statum et captum exsuperantia. Hinc Tigurina vertit, *ne scruteris stulte quæ vires tuas superant;* Syrus : *quæ validiora sunt te, ne investiges.* Hebraice enim גבר *gabar*, id est, esse fortem, roborari, significat prævalere, vincere, superare, transcendere. Unde *Psal.* CXXXVIII, vers. 6 : « Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, » id est, prævaluit, vicit me ; « hinc non potero ad eam » pertingere. *Gen.* XLIX, 26 : « Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum ejus, » *q. d.* Benedictiones Jacobi prævaluerunt, et superaverunt benedictiones Isaaci et Abrahæ patrum tuorum. Vide ibi dicta. Hebræi ergo difficiliora et captum exsuperantia vocant fortiora, duriora, altiora, profundiora.

Gnomæ de non scrutandis altioribus se.

Aurea est gnome S. Augustini lib. *De Beata Vita*, ex Terentio : « Cum non possis esse quod velis, velis id quod possis. » Talis est et illa vulgo trita : « Asinum agas, si equum agere nequeas ; » et illa : « Tuo te pede metire. Ne sutor ultra crepidam. Tua sorte contentus vive; » et illud Arabicum, *Centuria* 1, n. 96 : « Quando non evenit tibi quod vis, velis quod evenit. » Maximus, *serm.* 22, et Antonius in *Melissa*, part. II, *serm.* 77, narrant Thaletem in cœlum suspicientem, et astra contemplantem, lapsum in foveam irrisum a vetula, dictitante, « merito id illi accidisse, qui cum, quod ante pedes esset, ignoraret, cœlum contemplaretur, ut cognosceret. » Quo spectat illud Pacuvii : « Quod ante pedes est, nemo spectat; cœli scrutantur plagas. » Euclidem vero rogatum a quodam « quales essent dii, quaque re maxime gauderent, » respondisse : « Ego cætera nescio, at curiosos illis odio esse certo scio. » Memorabile est quod scribit Laertius lib. VI *De Platone*, scilicet eum ideas suas prædicantem, easque novis vocabulis appellantem *menseitates et cyathitates*, per quas voces intelligebat species mensæ et cyathi, irrisum a Diogene dicente : « Mensam ac cyathum video, menseitatem et cyathitatem non video; » sed Platonem acute ei in os regessisse : « Non mirum, nam oculos habes quibus cernuntur cyathi ac mensæ; mentem vero non habes, qua cernuntur menseitates et cyathitates. » Sequitur :

SED QUÆ PRÆCEPIT TIBI DEUS, ILLA COGITA SEMPER (pro *semper*, Græce est ὁσίως, id est *sancte*, et ita legit S. Ambrosius), ET IN PLURIBUS OPERIBUS EJUS (vestigandis et perscrutandis) NE FUERIS CURIOSUS. — Syrus : *Id quod proposuerunt tibi intellige, et ne sit tibi confidentia in occultis.* « Curiosus, ait S. Augustinus *De Utilit. credendi*, est qui avide scrutatur ea quæ ad se non pertinent; studiosus vero, qui diligenter perquirit ea quæ ad se attinent. » Hoc utilissimum est dogma, hæc vera est sapientia, hæc praxis virtutis, hæc via ad felicitatem et beatam æternitatem.

Idque adeo est clarum, ut idem lumine naturali viderint et docuerint Gentilium philosophi. Maximus, *serm.* 36, citat Socratem, qui, rogatus a curioso quid ageretur apud inferos, eum irridens dixit : « Nec ego apud inferos fui, nec quemquam illinc reversum allocutus. » Hinc Socrates curiosis illud Homeri semper ingerebat : « Ædibus in nostris, quæ prava, aut recta gerantur. » Idem, teste Laertio et Gellio, auditores ab exacta cognitione Astrologiæ, Physicæ, Geometriæ et rerum ultramundanarum traducebat ad studium Ethices, dicens : « Quæ supra nos, nihil ad nos. » Ethica vero ad nos pertinet, quia facit ut nobis ipsi noti simus, utque rem domesticam aut publicam utiliter administremus. Rursum Maximus et Antonius, locis citatis, citant illud Demonactis, qui, interrogatus an mundus esset animatus, et rursus an globosus, respondit : « Vos de mundo solliciti estis, et vestram ipsorum immunditiem non curatis. » Idem intuitus duos philosophos indoctos, curiosos, et insulse inter se disceptantes, inquit : « Uter stultior, qui mulget hircum, an qui cribrum supponit ? » Ita Lucianus in *Vita Demonactis*.

Gnomæ de vitanda curiositate.

Divinius noster Thomas Theodidactus, *De Imitat. Christi*, lib. I, cap. III : « Quid prodest, ait, magna cavillatio de occultis et obscuris rebus, de quibus nec arguemur in judicio, quia ignoravi-

mus? Grandis insipientia, quod neglectis utilibus et necessariis, ultro intendimus curiosis et damnosis. » Et inferius : « Certe adveniente die judicii, non quæretur a nobis quid legimus, sed quid fecimus ; nec quam bene diximus, sed quam religiose viximus. »

Vers. 23. 23. NON EST ENIM TIBI NECESSARIUM EA, QUÆ ABSCONDITA SUNT, VIDERE OCULIS TUIS. — Tigurina : *Non opus est ut oculis tuis arcana pervideas.* Est liptote, sive miosis ; minus enim dicitur, et plus significatur. « Non est tibi necessarium, » imo non decet, non expedit, turpe est, irrationale et sæpe factu impossibile. Denique incivile est et rusticum, avertere oculos ab his quæ Deus nobis vult revelare, et convertere ad ea quæ voluit occultare. Argute Ægyptius ille bajulus, gestans quiddam velis opertum, cuidam curioso sciscitanti quid portaret : « Ideo, inquit, obvelatum est, ne scires ; cur vero vestigas quod occultatum est? » Gorgias, rogatus a quodam cur fabæ ventrem inflent, cum ignem non inflent : « Istud, inquit, tibi dispiciendum relinquo ; cæterum scio, terram adversus hujusmodi homines producere ferulas. » Idem audiens quemdam argute de antipodibus disserentem, irridens eum, ostensis in puteo hominum umbris, quæsivit « num illos antipodes putaret? »

Vers. 24. 24. IN SUPERVACUIS REBUS NOLI SCRUTARI MULTIPLICITER. — Græca Complutens. et S. Ambrosius legunt, *in supervacuis* λόγων, id est, *sermonum* (Romana, ἔργων, id est, *operum*) *tuorum ne sis curiosus ;* Syrus, *et in reliquo operum ejus, ne fias difficilis ;* Tigurina : *Plura negotiis tuis ne cura, nec supervacua scruteris multifariam.* Græcum enim μὴ περιεργάζου significat *primo*, ne sis curiosus ; *secundo*, ne nimis sis sollicitus, vel anxius ; *tertio*, ne nimis elabora, ne satage, ne nimis te fatiga, ne inaniter labora. Περιεργία enim est curiositas, superflua anxietas, et velut diligentiæ redundantia, molestia, supervacua operositas. Hinc περίεργος est curiosus, laboriosus, difficilis, supervacaneus, ambitiosus, ardelio, nimium sollicitus, nimium affectatus. Hoc Latini prisci vocarunt *satagere.* Unde Quintilianus, lib. VI, cap. IV : « Afer, ait, venuste Manlium Suram multum in agendo discursantem, salientem, manus jactantem, togam dejicientem, et imponentem, non agere dixit, sed satagere. » Supervacua ergo, sive superflua opponit necessariis, quæ Deus cuique præcepit, *q. d.* Necessariis, puta, præceptis Dei cognoscendis et perficiendis intende, totumque cor et tempus applica ; utrumque illis vix sufficiet, ut aliis vacare non liceat, nec libeat ; quare omitte supervacua, id est, non necessaria, inutilia, vana, curiosa ; in his enim inutiliter, otiose et vane expendes tempus, mentem, operam et laborem ; ac proinde omnia hæc perdes, quæ si necessariis impendisses, ingentia bonorum tum temporalium, tum æternorum, puta meritorum gratiæ et gloriæ, lucra tibi comparasses. Arabicus hæc applicat ad secreta principum ; vertit enim, *ne perscruteris omnia opera principis.*

Sapienter Plutarchus lib. *De Curiositate* : « Venatores, inquit, non sinunt canes aberrare, et quemlibet odorem persequi ; sed loris retrahunt revocantque olfactum illorum, servantes purum et integrum officio peculiari, ut acrius inhæreant vestigiis, juxta illud :

Naribus inquirens vestigia summa ferarum.

Sic oportet, inquit, et curiositatem ad quidvis spectandum audiendumve excurrentem atque oberrantem cohibere ac retrahere, quo servetur ad utilia. » Præclare S. Gregorius, homil. 36 *in Evangel.* : « Grave, inquit, curiositatis est vitium, quæ dum cujuslibet mentem ad investigandam vitam proximi exterius ducit, semper ei sua intima abscondit, ut aliena sciens se nesciat ; et curiosi animus quanto peritus fuerit alieni meriti, tanto fiat ignarus sui. » Quamquam Siracides hic proprie agit de curiosa scrutatione operum Dei, non morum proximi. Sapienter S. Augustinus, epist. 3 *ad Volusianum* : « Demus, inquit, Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. » Vide eumdem, epist. 56 *ad Dioscorum*, qui ei curiosas e Ciceronis philosophia quæstiones proposuerat ; ubi sub initium sic ait : « Ego autem vellem te abripere de medio deliciosarum inquisitionum tuarum et constipare inter curas meas, ut vel disceres non esse inaniter curiosus, vel curiositatem tuam cibandam atque nutriendam imponere non auderes eis, quorum inter curas vel maxima cura est reprimere ac refrenare curiosos. »

Vers. 25. 25. PLURIMA ENIM SUPER SENSUM HOMINUM OSTENSA SUNT TIBI. — Syrus, *quia quod plus est te, ostensum est tibi ;* Tigurina, *nam plura quam pro humano captu, tibi sunt patefacta.* Sensus ergo significat captum, intellectum et vim cognoscendi ; hanc enim significat Græcum σύνεσις. Unde S. Ambrosius legit, *plura enim intellectu ostensa sunt tibi,* Est nova ratio, cur vitanda sit curiositas. Dupliciter hæc sententia accipi potest. *Primo, q. d.* Deus multas res naturales et supernaturales, necessarias et utiles, quæ captum nostrum superant, nobis ostendit et revelavit, ut illis ingenium occuparemus, ne illud supervacuis et inutilibus applicaremus. Illis ergo scrutandis ipsum impendamus, nec ad supervacua frustra, curiose, inutiliter et noxie transcendamus. Favet Arabicus, qui vertit, *elatus namque es supra id quod superius te est.*

Secundo, q. d. Deus multa creavit et creando ostendit, quæ captum nostrum superant ; ea ergo scrutari velleque capere, est impossibile : relinquamus ergo ea captui angelico, vel intellectui divino. Ideo enim fecit et ostendit hominibus ea quæ, id est, quorum causæ, proprietates, effectus hominum captum superant, ut eis demonstret suam omnipotentiam et omniscientiam tantum hominum captum et facultatem transcendere, quantum sua deitas et majestas creatam naturam,

et humanitatem mentemque nostram transcendit. Sic Mathematici hoc ævo per dioptram et studiosas observationes multa notarunt in cœlis, quæ Aristoteli et veteribus fuere incognita, ut Venerem et Mercurium moveri circa solem, et nunc supra solem esse, nunc infra; Jovem habere quatuor stellas minores, quæ circa ipsum moventur, aliæ aliis celerius; Saturnum habere duas sibi similes, ideoque pallidas; Venerem instar lunæ crescere et corniculari, quod ego ipse per dioptram clare conspexi. De Marte dubitant. Solem et lunam tradunt per intervalla habere maculas, quæ crescant, moveantur et dividantur, ac nunc appareant, nunc evanescant, quas pariter ego ipse conspexi. Cometem qui apparuit anno Domini 1618, die 29 augusti, ex ingenti ejus in regionibus quantumvis dissitis parallaxi, sine mutatione, contenderunt multi non fuisse in aere, sed in æthere supra lunam. Omitto stellas novas subinde in cœlo apparentes, ac deinde disparentes, qualis fuit illa in Cassiopœia, quæ apparuit anno Domini 1572, quæque omnium Mathematicorum oculos excivit, et ingenia exercuit, imo obstupefecit. Quæ phænomena multos modernos Philosophos et Mathematicos movent, ut opinentur cœlos esse fluidos, non solidos; inde enim mutationes has, maculas novasque stellas recipere. Prudenter Cato in *Distichis*:

Mitte, *ait*, arcana Dei, cœlumque inquirere quid sit;
Cum sis mortalis, quæ sunt mortalia, cura.

Simile est in *Meteoris*: quis enim Physicus claram det causam, cur ecnephias domos et naves ex uno loco in alium transferat? cur turbo in orbem rotetur, omnesque res secum in orbem rapiat? cur venti sint stati, nuncque flent ab Oriente potius quam ab Occidente, alias ab Occidente vel Meridie potius quam ab Oriente et Occidente? cur iris semper sit tricolor, et una alteri concolor? Simile est in virtutibus lapidum et gemmarum. Quis enim det causam, cur magnes, etiamsi in mille partes secetur, semper altera sui parte polum unum, altera adversum respiciat?

Multo magis captum nostrum superant mysteria fidei et Theologiæ, ut mysteria SS. Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ, peccati originalis, quo peccatum, quod commisit Adam, posteris omnibus et singulis imputatur, eisque fit personale et proprium. Audi S. Athanasium in tract. *De Salut. advers. Christ.*: « Non enim, inquit, fides de re evidenti concepta fides dici poterit; sed fides est, quæ de impossibili possibilitatem, et robur in imbecillitate, et patibile in impatibili, et corruptionem in incorruptibilitate, et mortale in immortalitate, et in paucitate magnitudinem credit. »

S. Thomas Aquinas post mortem in gloria apparens Reginaldo socio suo, ab eoque rogatus, ut jam beatus dissolveret quæstionem illam, de qua toties in vita disputarat: An Deus a Beatis videretur per speciem, an sine specie? eam solvere noluit, sed ambigue respondens ait: « Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum. » Vide S. Gregorium Nazianzenum *orat.* 34, ubi non tantum Deum, sed et Dei opera nobis incomprehensibilia esse ostendit: « Quo pacto, inquit, terra firma et immota consistit? cujus rei adminiculo fulcitur? etc. Quis tantam aquarum molem conjunxit? Qui fit, ut mare, cum fluvios omnes excipiat, non exuberet? Qui fit, ut tantum elementum arenam pro termino habeat? Possuntne hoc expedire Physici, ac vere cyatho mare (quod S. Augustino de SS. Trinitate scribere meditanti angelus specie pueri objecit), hoc est, res tantas ingenio suo, metientes? » Plura vide apud Damascenum lib. I *Parallel.* cap. III.

Vers. 26. Quinque causæ, cur altiora non sint scrutanda.

26. MULTOS QUOQUE SUPPLANTAVIT SUSPICIO ILLORUM, ET IN VANITATE DETINUIT SENSUS ILLORUM. — Quinque rationibus ostendit altiora non esse scrutanda. *Prima*, vers. 23, quoniam necessariis, puta præceptis Dei, toti intendere debemus; mens enim illis scrutandis et perficiendis vix sufficit, etiamsi tota eis intendat. *Secunda*, vers. 24, quia abscondita sunt. *Tertia*, vers. 25, quia supervacua sunt. *Quarta*, vers. 26, quia sensum et captum nostrum superant. *Quinta*, est hoc versu ab effectu et pernicie, quam afferunt, nimirum, quod multos supplantent et in vanitate detineant.

Pro *supplantavit*, Græce est ἐπλάνησεν, id est, *implanavit*, uti legit S. Augustinus in *Speculo*, hoc est, decepit et dejecit, quod Noster vertit, *supplantavit*; πλανάω enim idem est, quod seduco, impono, in errorem induco, decipio, planum ago et impostorem, eludo, fallo, in transversum ago, dejicio, supplanto. Sensus est, *q. d.* Suspicio et opinio de rebus altioribus et captum transcendentibus, multos decepit et supplantavit; suspicati enim sunt et opinati se intelligere et capere ea, quæ non capiebant, nec capere poterant; quare in errores graves, quibus se et alios perdiderunt, corruerunt. Tales fuere Philosophi, qui multa insulse, false et erronee de Deo, de beatitudine, de virtute senserunt et docuerunt; qui dicentes se esse sapientes, vani et stulti facti sunt, ait Apostolus *Roman.* I. De quibus proinde vere dixit S. Prosper *Contra Collatorem*, pag. 147: « Ut quidam dixisse fertur: Absque sole, reliquorum siderum causa, perpetuam noctem habituras terras: sic universa exposita viribus naturalibus ad comprehendendam veritatem, præ divina veritate tenebræ sunt atque caligo: cujus in solo verbo Dei explicatur doctrina et traditur, ac contingit cognitio atque scientia. » In eosdem hanc parœmiam jaciunt Hebræi: « Descenderunt in profundum maris, et eduxerunt testam. » Sicut enim urinatores in mare se demergentes ad quærendum merces pretiosas, pro iis sæpe educunt testas et quisquilias: sic Philosophi scrutantes sapientiam, nugas et errores repererunt. Vide S. Eucherium,

epist. *ad Valerianum*, et Franciscum Valesium, *De Philosoph. sacra* cap. LXIV.

Unde hæc sententia in Græco sic habet, *multos enim implanavit suspicio ipsorum, et cogitatio mala labefecit sensus illorum*; S. Ambrosius, *multos supplantavit suspicio illorum vana, et cogitatio prava labefecit sententiam eorum*; Tigurina, *multos enim decepit vana sua opinio, et conjectura sensus sui prava labefactavit.* Græcum enim ὑπόληψις explicatur per ὑπόνοιαν; jam ὑπόνοια significat cogitationem, opinionem, suspicionem, conjecturam; hæc apposite labefactavit διάνοιαν, id est, mentem, sensum, sententiam eorum. Quare parerga est Hugonis explicatio : « Verbum *suspicio*, inquit, est *sursum aspicio* : nomen *suspicio*, est *nimis alta scrutatio*, » *q. d.* Qui nimium suspicit, et altiora se scrutatur, facile decipitur. Nil tale enim significat πρόληψις, vel ὑπόνοια. Unde Arabicus : *Video homines diversos, et opinio mala seducit cor sævum in pravitate finis illius*; Syrus : *Quia multæ sunt cogitationes hominum, et apparentiæ malæ errare faciunt.*

Sic quot quantosque hodie implanavit alchymia, qui, ut invenirent lapidem philosophicum, quo argentum et metalla converterent in aurum, distillando exhauserunt suas opes, labores, annos et vitam casso et irrito conatu? Quot ingenia frustra desudarunt in invenienda quadratura circuli? Denique hinc orti sunt omnes errores et hæreses, quod scilicet novatores curiosos supplantet sua suspicio, id est, opinio, quam quisque sibi format et concipit, non fides, quam sacræ Litteræ docent : « Curiositas, ait S. Augustinus tract. 97 *in Joannem*, invenit hæresim. » Et Tertullianus, lib. *De Præscript. adversus Hæret.* : « Hæresis, ait, a Philosophia subornatur ; inde æones et formæ nescio quæ, et trinitas hominis apud Valentinum: Platonicus fuerat, » etc. Unde Philosophos vocat patriarchas hæreticorum. Quocirca sapienter Urbanus Pontifex ad Carolum, ut habetur *Dist.* 37 : « Non in Dialectica, inquit, placuit Deo servare populum suum; regnum Dei in simplicitate fidei est, non in contentione sermonum. » Et S. Nilus *Instit. ad Monach.*: « Curiosius, inquit, noli scrutari; sed crede tantum, et adora. » Vere Sapiens cap. IV, 12 : « Fascinatio nugacitatis obscurat bona, et inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum. » Nimia enim scrutatio mentem hebetat, sicut nimia lux oculos excæcat. Unde Artemidorus, lib. I *Onirocrit.* cap. XXVIII : « Notus, ait, est mihi quidam, qui visus est sibi tres oculos habere, et cæcus factus est. »

Melancholici suspicantur falsa, cur?

Moraliter suspiciosi, quales sunt timidi et melancholici, in multis errant et delirant, quia suspicantur timida et tristia, quæ illis suggerit timor et atra bilis. Vere S. Eucherius, epist. *ad Valerianum* : « Si vis, ait, esse verax, suspicax non eris; non enim suspicamur, nisi quod nescimus. » Quare talibus inculcandum est, quod medici inculcant ei qui laborat capitis vertigine, ideoque putat domum et res omnes gyrare et volvi : « Non domus, sed tua te vertigo gyrat. Non domus, sed tua phantasia, tuum cerebrum vertitur. Pone ergo metum; non cadet domus, non te opprimet : illa firma consistit; sed tua imaginatio infirma et volubilis omnia sibi similia esse, secumque volvi autumat. » Huc facit emblema : « Suspicionibus securis, » nimirum :

Suspicio crebra tollatur dira securi,
Non petit hoc vecors pectora casta malum :
Cur tu quod fugeres, quod te fecisse puderet,
Hoc alium prava suspicione gravas ?
Suspicione care, puroque hanc pectore tolle :
Improbus est, quisquis suspiciosus erit.
Qui sapit, incertum semper melioribus addit.
Quælibet atque animo candidiore notat.

Post hanc sententiam Complutens. et nonnulli alii codices Græci, et S. Ambrosius subdunt hanc sententiam : *Pupillas non habens, carebis luce ; intelligentia autem expers, ne profitearis* ; Tigurina : *Cognitionem, cujus expers es, ne profitearis.* Syrus hanc sententiam subnectit post vers. 29, eamque ita enuntiat : *Qui non habet pupillas oculorum, deficit lumine ; et cum caligaveris a scientia, ne consilium dederis ad decidendum.* Sensus est : Sicut qui caret pupilla, et consequenter visu, qui est in pupilla, non potest videre, nec lucem præbere aliis membris, totique corpori : ita qui cognitionis est expers, non potest eam aliis impertiri; proinde a docendo abstineat, *q. d.* Ne alios doceas, quod prior ipse non didiceris; ne fias magister, nisi prius fueris discipulus; ne sustineas esse doctor, nisi ipse sis doctus, non tantum adjective, sed et substantive ; nonnulli enim hebetes multos annos audiunt insignes Philosophos et Theologos, ab eisque multa docti, remanent tamen rudes et indocti. Sic Pythagoras, ait S. Hieronymus epist. *ad Paulinum*, Memphiticos vates, sic Plato Ægyptum laboriosissime peragravit, ut qui Athenis magister erat et potens, cujusque doctrinam Academiæ gymnasia personabant, fieret peregrinus atque discipulus, malens aliena verecunde discere, quam sua impudenter ingerere. » Et inferius : « Tractant fabrilia fabri; sola Scripturarum ars est, quam sibi passim omnes vendicant. Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent, antequam discant, etc. Alii, cum ad Scripturas sacras post sæculares litteras venerint, et sermone composito aures populi mulserint, quidquid dixerint, hoc legem Dei putant; nec scire dignantur, quid Prophetæ, quid Apostoli senserint ; sed ad sensum suum incongrua aptant testimonia ; quasi grande sit, et non vitiosissimum dicendi genus, depravare sententias, et ad voluntatem suam Scripturam trahere repugnantem.

TERTIA PARS CAPITIS,

QUÆ CORDIS DURI PŒNAS, ET CORDIS SAPIENTIS PRÆMIA, PUTA, FELICES SUCCESSUS, ASSIGNAT.

Vers. 27. 27. COR DURUM MALE HABEBIT IN NOVISSIMO : ET QUI AMAT PERICULUM, IN ILLO PERIBIT. — Cor durum efficit superbia, et consuetudo crebra peccandi; hæc enim, cum sit quasi altera natura, indurat mentem in peccato. Transit ab humilitate ad duritiem quasi ad contrarium, quia solent oratores ex antithesi unius contrarii illustrare alterum ei adversum. Sicut enim cor humile est tenerum, molle et flexile; sic cor superbum est durum, rigidum et inflexile. Cor durum ergo opponit, tum mansuetudini et humilitati, quam commendavit vers. 19 et 20; tum obedientiæ, quam filiis commendavit vers. 2 et sequenti. Multi enim filii sunt duræ cervicis, obstinati, pertinaces, ideoque inobedientes et rebelles parentibus. Tangit ergo radicem obedientiæ, quæ est humilitas; et inobedientiæ, quæ est superbia et obstinatio. Denique cor durum facit homines pertinaciter inhærere suæ suspicioni et opinioni, de qua vers. præcedenti. Quare cor durum hic exagitat, et quam grande sit malum demonstrat.

Igitur cor durum vocat præfractum, superbum, protervum in peccato, suaque prava opinione et sensu obstinatum, quod nullis monitis minisque se flecti sinit, ideoque obduratum est et impœnitens, quale fuit cor Pharaonis, *Exod.* VII, et sequent., quod proinde licet Deus ad tempus toleret, tamen tandem horrendis plagis disperdit et conterit, uti contrivit Pharaonem immittendo toti Ægypto decem plagas acerbissimas; nec enim æquum est, ut Deum sentiat blandum in morte, qui erga Deum et homines fuit durus in vita, ait Palacius. Et Lyranus. « Sicut durum, inquit, in corporalibus dicitur, quod resistit tangenti; sic in spiritualibus, quod resistit instinctui ad bonum. »

Cor durum describit S. Bernardus.

Divine cor durum definit et describit S. Bernardus, lib. I *De Consider. ad Eugen.*: « Quid, ait, est cor durum? Solum est cor durum, quod semetipsum non exhorret; quia nec sentit. Ipsum est, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis induratur. Ingratum est ad beneficia, ad consilia infidum, ad judicia sævum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad divina, præteritorum obliviscens, præsentium negligens, futura non providens. Ipsum est, cui præteritorum, præter solas injurias, nihil omnino non præterit; præsentium nihil non perit; futurorum nulla, nisi forte ad ulciscendum, prospectio seu præparatio est. Et, ut in brevi cuncta horribilis mali mala complectar, ipsum est, quod nec Deum timet, nec hominem reverefur. »

Porro, « cor durum male habebit in novissimo, » *q. d.* Cor durum videtur sibi bene habere, quia in suis cupiditatibus, æque ac protervia et duritie, sibi complacet, firmiterque conquiescit, ac videtur sibi esse inexpugnabile, quia nemo audet illud tangere, eo quod quisque desperet illud se posse frangere; sed « in novissimo, » id est, tandem, præsertim in morte, « male habebit; » quia tanget illud, et franget Deus. Unde Syrus vertit, *cor durum, malus fiet finis ejus;* id est, cordis duri malus erit finis; ex adverso : *qui diligit bona, in iis calcabit,* id est, in iis incedet, iis utetur et fruetur, tam moriens quam vivens ; Tigurina, *cor pertinax malum tandem accipiet.* Denique cordi lapideo et duro, quale fuit Judæorum, opponitur cor carneum et molle, quod Deus per Christum promittit Christianis, *Ezech.* cap. XI, 19, et cap. XXXVI, 26. Vide ibi dicta. Unde Abbas Pastor rogatus de duritia cordis, respondit eam vinci et frangi verbo Dei : « Natura aquæ, inquit, mollis est, lapidis autem dura est; et si vas aquæ plenum pendeat supra lapidem, ex quo assidue stillans gutta cadat in lapidem, perforat eum: ita et sermo divinus lenis est, cor autem nostrum durum; audiens ergo homo frequenter divinum sermonem, aperitur cor ejus ad timendum Deum. » Ita *Vitæ Patrum* lib. VI, libello XVIII, num. 16. Alius : « Esto, inquit, janitor cordis tui, ne intret peregrinus dicens : Noster es, an adversariorum? » Claude ergo cor, ne intrent ea, quæ illud indurent. Ita Joannes Moschus in *Prato Spirit.* cap. CX.

ET QUI AMAT PERICULUM, IN ILLO PERIBIT. — *Primo,* Palacius hoc refert ad cor durum, de quo sermo præcessit, *q. d.* Cor durum amans periculum damnationis æternæ, in ea damnatione peribit. Est enim cordis duritia aperta ad damnationem via; sicut benignitas, charitas, teneritudo, certa est ad felicitatem semita.

Secundo, idem generalius per « periculum » accipit peccatum mortale; est enim peccatum mortale certum inferni periculum, *q. d.* Qui amat peccatum mortale, in eo peribit, id est, morietur; ibitque ad mortem gehennæ æternam, nisi Deus magna sua misericordia eum ruentem cohibeat, reducat et extrahat.

Tertio, plane et plene, qui amat quodlibet periculum, in eo peribit. Sicut enim milites pugnaces, qui amant bellum, in ejus periculis et prœliis pereunt; ac natatores, qui amant natationem, in ea fere submerguntur : sic qui amant rem quampiam, cui subest periculum peccati,

v. g. consortium feminarum, vel impiorum, in ea communiter pereunt; quia cadunt in peccatum et exitium, cujus erat periculum, in quod ultro se conjecerunt, nec ab eo etiam moniti se abduxerunt. Sic qui negligens est in rejicienda cogitatione libidinis vel vindictæ, facile labetur in ejus consensum. Quocirca S. Chrysostomus, homil 12 *in cap.* VII *ad Rom.*: « Lascivus, inquit, es, et luxui deditus? ponito tibi ipsi certum terminum, ut posthac mulierem non aspicias, neque in theatrum ascendas; multo siquidem facilius est principio mulierem elegantis formæ ne videre quidem, quam postquam spectaveris, irrequietam ex animo, quæ inde nascitur, ejicere tumultuationem. Leviora enim sunt primo congressu certamina, imo nec opus quidem fuerit certamine; tantummodo ne aperiamus hosti portas, neque semina malitiæ recipiamus. »

Quocirca S. Hieronymus, epist. 22 ad Eustochium, *De Custodia virginat.*: « Dum, inquit, parvus est hostis, interfice; nequitia, ne crescant zizania, elidatur in semine. » Causa est, quod dæmon tegit periculum specie honesti amoris, vel amicitiæ. Sicut ergo aquæ pellucidæ fallunt ingredientem, ut fundum earum videns putet eas non esse profundas, sed facile posse transiri; dum vero eas ingreditur et pergit, sentit esse opinione sua profundiores, ac tandem iis superatur et mergitur : sic prorsus accidit in conversatione feminarum cæterisque rebus periculosis. Vere Plinius lib. XXXI, cap. II : « Periculosiores, inquit, sunt fontes, qui limpidis aquis blandientes, oculis tamen perniciem afferunt; minus formidandi, qui ipsa specie testantur aquas esse fugiendas. » Ita difficilius vitantur mala, quæ boni prætextu fallunt.

QUI AMAT (ergo) PERICULUM, IN ILLO PERIBIT. — Dicit hoc ob curiosos, de quibus egit paulo ante. Curiosi enim ob curiositatem in multa se conjiciunt pericula, in quibus proinde pereunt. Unde Græca Romana hanc sententiam collocant ante vers. 27 : « Cor durum, » etc., et proxime subnectunt iis, quæ de curiositate dicta sunt. Rursum proxime juxta editionem Vulgatam et Complut. hæc referas ad cor durum, *q. d.* Cor durum videtur sibi bene habere; at in novissimo male habebit, quia certa illud manet Dei vindicta, certum supplicium; qui ergo amat hoc cordis duri periculum, implicite amat hoc ejus supplicium, nimirum, qui in corde duro dure persistit, hic utique in eo peribit, uti dixi exposit. 1. Communi enim hominum sensu et phrasi, qui amat antecedens, dicitur amare consequens ei annexum; qui amat culpam, dicitur amare pœnam culpæ annexam; qui amat rem periculosam, dicitur amare periculum rei concupitæ annexum. Cordi ergo duro applicat hanc de periculo gnomen; quæ tamen, cum sit generalis, cuivis periculo aptari potest.

Quocirca recte ex ea colligunt Theologi, eum, qui expertus est conversationem cum certis personis, aut rem aliam sibi fuisse occasionem peccati, ita ut ea posita sæpe lapsus sit in consensum peccati mortalis, aut ex aliis conjecturis colligit imminere sibi grave periculum talis consensus, omnino teneri abstinere a tali conversatione, re et occasione, licet alias licita et utili, nisi necessitas ea uti cogat. Vide Sanchez *De Matrimonio*, tom. III, lib. IX, disp. 45, n. 6, et Joannes de Salasar I II, *Quæst.* LXXIV, tract. 13, disp. 6, sect. 17. Rationem dat S. Augustinus lib. XVI *De Civitate*, cap. XIX, et lib. XXII *Contra Faustum*, cap. XXV et XXVI, dum ait : « Qui non præcavet periculum quod præcavere potest, potius tentat Deum, quam speret in eo. » Et S. Basilius lib. *De Constit. Monast.* cap. IV : « Bellum, ait, quod præter voluntatem incidit nobis, excipere fortasse necessarium sit; ipsum vero voluntarie sibi creare, summæ dementiæ est. Præclare S. Cyprianus, lib. *De Singular. Cleric.*: « Pro certo, ait, implanator animam suam decipit, qui non cavendo contraria, noxiis rebus semetipsum commiserit. Ille autem tutius sibi consulit, qui circa malos semper infidus, species quascumque noxias extimescit. » Nam, ut sapienter ait Seneca in *Hercule fur.* :

Qui amabit periculum peccati mortalis peccat mortaliter.

Nemo se tute periculis offerre tam crebro potest :
Quem sæpe transit casus, aliquando invenit.

Prudenter ergo Comicus : « Miseri est nescire sine periculo vivere. » Notat inquietum hominum genus, quod fortunæ suæ secundæ semper instat, negotia quærit e negotiis, bella e bellis. Tales enim, etsi felices, miseros vocat auctor. Hujus animi unum pro multis graphice depinxit Cornelium Fuscum lib. II *Histor.* Tacitus : « Non tam præmiis periculorum, inquit, quam ipsis periculis lætus; pro certis et olim partis nova, ambigua, ancipitia malebat. »

Quocirca Siracides sententia hac excludit fatum, quod multos seducit, ut nullum periculum vitent. Turcæ enim ruunt in enses et neces, dum præliantur. Hæretici nostri, quin et Catholici nonnulli, nec pestiferos, nec pestis periculum fugiunt, persuasi hoc argumento : Vel Deus decrevit ut moriar peste, gladio, etc., vel non decrevit. Si decrevit, quidquid egero, moriar, quia Dei manus et decretum effugere vel infringere nequeo. Si non decrevit, non moriar; libere ergo in periculum quodvis me inferam. Verum hic manifestus est paralogismus : Deus enim non decrevit ut moriaris peste, prælio, rixa, nisi tu sponte in illam, indeque in evidens mortis periculum, te conjicias. Sin te sponte in illam inferas, permittet te illa tangi et perire; decrevit enim, ut qui amat periculum, pereat in illo, ut ait hic Siracides. Quocirca vice versa decrevit ut qui fugit periculum, in illo non pereat. Fuge ergo pestem, rixam, prælium; et in illis non peribis. Si sano es cerebro, et sapis, utique hoc ita esse fateberis.

Huc facit elegans et festivus apologus murium et felis apud Gabrielem Faernum :

Apologus murium et felis.

Coactus olim cum senatus murium
Deliberaret, sæva quo possent modo
Cavere felis furta, et insidias graves,
Decrevit unus, collo ut adversarii
Suspenderent ex ære tintinnabulum,
Cujus sono illum adesse persentiscerent.
Probare pro se quisque consilium; et statim
Cœpere pedibus ire in hanc sententiam.
Tum ab sede surgens unus ex primoribus,
Cui cana vetulas barba velabat genas,
Manu silentium imperans: Mihi quoque
Probatur, ut cui maxime, hæc sententia;
Sed oro vos, quis, inquit, ex nobis, patres,
Feli ausit alligare tintinnabulum?
***Affabulatio:* Carent periculosa consilia exitu.**

Periculum quando subeundum.

Porro S. Chrysostomus, homil. 67 *ad Populum*, egregie docet quando pericula sapienter sint fugienda, quando generose capessenda: « Precemur Deum, inquit, ne intremus in tentationem; inducti vero generose feramus. Nam illud quidem est modestorum virorum, se periculis non ingerere; hoc autem generosorum atque sapientum. Nec itaque nos ingeramus temerarie, audacis enim est; neque rebus tracti vocantibus cedamus, timidi siquidem est; sed, si prædicatio quidem vocet, ne recusemus; cum vero nulla causa prorsus, aut utilitas necessitasve secundum pietatem vocet, ne curramus; ostentatio enim est et superflua jactatio. Si quid vero fiat, quod noceat pietati, licet innumeras sustinere mortes oporteat, nihil recusemus. Noli tentationes accersere, cum secundum pietatem vota tibi successerint; quid superflua attrahis pericula, quæ nullam habent utilitatem? »

Probat id ex præcepto Christi: « Hæc dico, cupiens ut Christi leges custodiatis, qui jubet orare ne inducamur in tentationem, et ut tollentes crucem, sequamur eum. Hæc enim non sunt contraria, sed et valde consona. Tu namque ita quidem te præpara, tanquam miles generosus; in armis continue verseris: solers, vigilans semper hostem exspecta; ne tamen hostes tibi parias; hoc enim non est militis, sed seditiosi. Si vero Religionis tuba vocet, statim progredere, et animam parvi pende, et multa cum alacritate descendas ad certamina, hostium aciem dissipa, confringe caput diaboli, trophæum erige. Si vero pietas nihil lædatur, nec ullus nostra populetur dogmata, secundum animam dico; nec aliquid, quod Deo displiceat, agere cogit; ne sis superfluus. Sanguine plenam esse decet Christiani vitam, non alienum effundendo, sed se paratum suum effundere præstando. Tanta ergo promptitudine proprium effundamus cruorem, cum pro Christo sit hoc agendum, quanta quis aquam effunderet. Nam et aqua sanguis est corpus irrigans. Et tanta facilitate carnem exuamus, quanta vestimentum. » Similia habet Nazianzenus *orat.* 4, cujus verba recitabo cap. XXXV, 25.

Huc facit sapiens Aristidis consilium tomo II, orat. 1 *De pace*: « Tunc, ait, suscipiendum est periculum, quamvis incertus sit eventus, cum quies aperte nocet. » Et Alcibiades, qui accitus ab Atheniensibus e Sicilia, ut diceret causam capitis, abdidit sese, dicens: « Eum esse fatuum, qui vocatus in jus ibidem quærat elabi, cum liceat vitare ne eat. » Ita Plutarchus in ejus Vita. Quod Belgæ eleganter dicunt: **Beter ist inde ryseren dan inde yseren**: Satius est inter sarmenta in silvis, quam inter ferra et tormenta in carcere vitam agere.

28. COR INGREDIENS DUAS VIAS, NON HABEBIT SUCCESSUS. — Hebræi לב דרכים *leb derachaim*, id est, cor duarum viarum, sive quod duas ingreditur vias, vocant cor et voluntatem, quæ tendit in duo contraria; quæ vult servire Deo et diabolo; quæ vult vacare legi Dei et legi mundi; quæ intendit tam suæ concupiscentiæ, quam rationi et virtuti. Vide dicta cap. II, 14: Hoc « non habebit successus, » quia nec Dei, nec mundi gratiam, quam aucupatur, acquiret. Ita Volsæus ille, qui Henrico VIII, Angliæ regi adulans, persuasit ut legitimam uxorem Catharinam Caroli V amitam repudiaret, aliamque sibi gratiorem duceret, cum tandem justo Dei judicio in regis iram et extremas calamitates incidisset, sero facti pœnitens exclamavit: « Me miserum! quia regis gratiam Deo neglecto aucupatus sum, juste gratiam Dei perdidi, nec regis gratiam acquisivi. » Testis est Sanderus *De Schismate Anglicano*. Vers. 28.

Pro *successus*, nonnulli legunt, *requiem*, idque apposite. Irrequietus enim est, qui satagit duobus dominis contrariis servire; necesse est enim ut, dum uni placet, alteri displiceat; dum uni gratificatur, alterum offendat.

Tropologice, ingreditur vias duas, puta justitiæ et peccati, cœli et gehennæ, qui crebro confitetur, quæ via est justitiæ; et tamen ad occasionem peccandi, quæ via est peccati, revertitur; ideoque in via justitiæ non habebit successus, nec progressus. Rursus duabus viis « peccator terram ingreditur, quando et Dei est, quod opere exhibet; et mundi, quod per cogitationem quærit, » ait S. Gregorius lib. I *Moral.* cap. XI.

Hic versus jam deest in Græcis, Syris et Arabicis. Porro notat proprietatem cordis duri, scilicet, quod sit fucatum, velitque Deo simul servire et mundo. Hi enim quatuor versus spectant ad cor durum; unde mox illud vocat *cor pravum, et cor nequam*. Hoc est quod ait Christus *Matth.* VI 24: « Nemo potest duobus dominis servire, Deo, scilicet, et mammonæ, Deo et Baali; clamat enim contra hoc Elias: Usquequo claudicatis in duas partes? Bona mater integrum, non divisum vult filium; licet quæ se matrem fingebat, dividi filium optaret. Ita Deus integrum cor, non divisum vult. Ita dicente Mose? Dominus solus dux eorum fuit, neque erat cum eis Deus alienus. Ergo non licet tibi Dagonem habere cum arca. Non licet terram duplici semine seminare. Non licet vestem lana et lino contexere. Non licet arare in bove et asino, » inquit Palacius.

Hinc potest per « cor ingrediens duas vias, » intelligi cor non tam simulatum et fictum, quam varium, inconstans et pravum, ut sequitur, quod omnibus se accommodat, ut omnibus placeat; quare cum probis est probum, cum castis castum, cum improbis improbum, cum lascivis lascivum. Hujus symbolum est chamæleon, qui colorem mutat, et colores rerum, quibus se jungit, assumit et induit ex metu, propter paucitatem sanguinis et caloris, ait Aristoteles lib. IV *De Part. Animal.* cap. XI. Tales maxime sunt hæretici, de quibus S. Bernardus, serm. 61 *in Cantic.* : « Hypocritæ, inquit, hæretici oves sunt habitu, astu vulpes, actu et crudelitate lupi; hi sunt, qui boni videri, non esse; mali non videri, sed esse volunt. Mali sunt, et boni videri volunt, ne soli sint mali. Mali videri timent, ne parum sint mali; etenim minus semper malitia palam nocuit; nec unquam bonus, nisi boni simulatione deceptus est. »

ET PRAVUM COR (varia est hic lectio : S. Augustinus in *Speculo*, et Tigurina legunt vertuntque, *pravicordius;* alii, *pravus corde;* alii, *pravicors;* alii, *cor pravi;* alii, *pravi cordis*. Vide hic Franciscum Lucam in Notis ad hunc locum. Legendum cum Romanis, *et pravus corde*) IN ILLIS SCANDALIZABITUR, — id est, offendet; Tigurina, *offensabit* (vide dicta cap. I, vers. 35) *in illis, q. d.* Impinget, cadet, in ruinam incidet, dum duabus ingreditur viis; dum, scilicet, simul Deo et mundo cupit placere. Pendet hoc hemistichium a præcedenti; ideo enim non habebit successus, quia impinget et corruet; dum enim uni domino servit, alterum illi contrarium offendat, ejusque iram et vindictam incurrat, necesse est; præsertim quia Deus, qui totum cor poscit, non fert æmulum et rivalem, ideoque graviter punit eos, qui cordis dimidium sibi surripiunt, hostique suo tradunt.

Secundo, moraliter et apposite Palacius : « Quod, ait, inquit, non habebit successus, ita intellige. Tu volebas frui bonis bonæ et malæ viæ : at neque his frueris, nec illis. Nam fruentem te bonis, quæ in mala via esse videntur, avocat bona via : et dulcedini tuæ in malo bona via scelerum amatorem inspergit : ita contra fruentem bonis viæ bonæ, via mala revocat, et dulcedine bonæ viæ frui, ut decet, non sinit. Hoc declarat amplius auctor per verba sequentia : Et pravum cor in illis scandalizabitur; id est, ingrediens simul viam bonitatis et malitiæ, scandalizatur et offenditur ex utraque. Nam gaudens in bona, torquetur ex mala. Contra, gaudentem in mala, bona contristat. Ergo esto calidus, aut frigidus : quia vero tepidus es, incipies evomi ab ore Domini. »

Vers. 29. 29. COR NEQUAM (Græce σκληρὸν, id est, durum, pertinax, obfirmatum in malo) GRAVABITUR IN DOLORIBUS (S. Ambrosius, *laboribus*, quia sua nequitia, duritia et obstinatione thesaurizat sibi iram Dei, juxta illud *Rom.* II, 5 : « Secundum duritiam tuam et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei. » Unde causam subdit dicens) : ET (id est, quia) PECCATOR (qui jam obduruit in peccatis, eorumque habitum et consuetudinem pene incorrigibilem sibi induxit) ADJICIET AD PECCANDUM. — Græce, *peccator addet peccata super peccata*, et consequenter dolores dolori, quia Deus addet ei plagas super plagas, ac dolores super dolores, juxta illud *Eccli.* XXIII, 12 : « Vir multum jurans replebitur iniquitate. » En culpa. « Et a domo ejus non recedet plaga. » En pœna. Unde Syrus vertit : *Cor durum, multiplicabuntur dolores ejus, et arrogans addet peccata peccatis;* Arabicus : *Cordis duri multiplicabuntur dolores illius, et derisor peccata peccatis, accumulat;* Tigurina : *Cor pertinax gravabitur laboribus, et scelerosus peccata peccatis accumulabit.* Nam, ut ait Nazianzenus *in Distichis* : « Sicut ferrum attritu suo lapides quoque accendit, sic durum et asperum pectus virga coerceri solet. » Hinc elice conclusionem, si vis arcere dolores et accersere gaudia, fuge peccata, vaca virtuti et sanctitati; ubi enim est virtus, ibi est lætitia; ubi peccatum, ibi est et comes ejus individuus, puta, tristitia. Unde idipsum inculcans subdit : « Synagogæ superborum non erit sanitas. »

Nota τὸ *et peccator adjiciet ad peccandum*. Nam, ut ait S. Gregorius lib. XXV *Moral.* cap. XII : « Peccatum, quod pœnitentia non deletur, ipso pondere mox ad aliud trahit : justo enim judicio omnipotens Deus cor peccantis obnubilat, ut præcedentis peccati merito etiam in alia cadat. » Id in se experiebatur Augustinus; quare lib. VIII *Confess.* cap. V : « Velle meum, inquit, tenebat inimicus, et inde mihi catenam fecerat, et constrinxerat me : quippe ex voluntate perversa facta est libido; et dum servitur libidini, facta est consuetudo : et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. » Accedit, quod dæmon a peccatore pro delectatione peccati hanc quasi exigit usuram, scilicet, augmentum peccati, novumque peccatum, quod illi suggerit, justa illud : « Ex usuris et iniquitate redimet animas eorum, » *Psal.* LXXI, 14. Sic a Davide pro usura adulterii cum Bethsabee, exegit homicidium Uriæ illius mariti.

Vers. 30. 30. SYNAGOGÆ (id est, cœtui, congregationi, multitudini, turbæ) SUPERBORUM NON ERIT SANITAS (Græce ἴασις, id est, sanatio, curatio, medela, *q. d.* Duricordes et superbi, quia Dei et hominum monita spreverunt, nullamque admiserunt curationem, hinc suo tempore graviter et immedicabiliter punientur, ut curari et sanari nequeant. Causam subdit) : FRUTEX ENIM PECCATI (id est, omnis eorum ad peccandum potestas et facultas, in qua jam radicati et firmati videntur) ERADICABITUR IN ILLIS, ET NON INTELLIGETUR, — hoc est, penitus tolletur ab eis, ita ut amplius non intelligatur, nec agnoscatur esse vel fuisse; hoc est, sic tolle-

tur, ut nullum ejus appareat vestigium, juxta illud *Psal.* XXXVI, 35 : « Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani. Et transivi, et ecce non erat : quæsivi eum, et non est inventus locus ejus. » Ita Jansenius. *Secundo*, Palacius explicat, *q. d.* Superbis et obstinatis non est sanitas, quia ipsi in corde adjiciunt peccata peccatis, ac consequenter in corpore cumulant plagas plagis, dolores doloribus. Ergo, si videris sanum superbum, ingredere cor ejus ; ibi videbis dolorum carnificinam. Porro « frutex peccati » est liberum arbitrium, sive libertas bene vel male agendi : hæc tolletur a superbis in inferno, quia damnati non habent liberum arbitrium ad bene vel male agendum : nam in malo obdurati et obfirmati sunt, ait Palacius.

Porro Græca jam pro συναγωγή, id est, *synagoga*, legunt ἐπαγωγή, id est, obductio, inductio : unde sic habent : *Obductioni superbi non est sanatio : frutex enim peccati radicavit in illo.* Obductio intelligitur mali, puta clades, calamitas et supplicium pro peccatis inflictum, uti dixi cap. II, 2, *q. d.* Talis et tanta calamitas a Deo infligetur superbo et duro, ut ei non sit remedium, ut eam curare et sanare sit impossibile. Hinc et Syrus vertit : *Plaga illusoris non habet medelam, quia a planta prava, planta ejus.* S. Ephrem tract. *De timore Dei* : « Obductio superbiæ non est sanatio : frutex enim radicavit in illa, » *q. d.* Etiamsi superbia exterius obducatur et operiatur velo humilitatis, non tamen sanatur, quia interius in corde manet ejus radix, puta, mens superba. Superbi enim exterius simulant se humiles; sed interius tument arrogantia. Arabicus : *Non est supplicio derisoris indulgentia : plantam namque pravam plantavit.* Complut. addunt nonnulla : sic enim habent, *in inductione superbi non est sanitas : itinera ejus eradicabuntur; planta enim nequitiæ radices misit in illo;* et sic legit S. Ambrosius. Tigurina vero, *in inductione* (id est, in suasione), *arrogantis nihil est sani, et gressus ejus convellentur* (Vatablus, *vestigiis suis evertetur, id est, institutis suis falletur*), *quia radices egit in ea planta malitiæ.* Hæc lectio consentit cum Vulgata Latina; sed ea est uberior : quod enim Græca dixit, *itinera ejus eradicabuntur;* Latina dicit, *frutex peccati eradicabitur.* Frutex enim arboris est quasi iter et semita, qua se promovet et propagat arbor.

Hinc per *fruticem peccati* possunt accipi voluptates, opes, honores : item machinationes, artes, fraudes, socii, congregationes, clientelæ, spes, etc. Hæ enim sunt illecebræ et fomites peccati, quibus illud proserpit, seque propagat, sicut per frutices proserpit et propagat se arbor : ob quas et per quas peccator peccata peccatis accumulat; ideoque eas omnes eradicabit et disperdet justus criminum ultor Deus. Causam subdunt Græca : quia *planta malitiæ in eo radices egit, q. d.* Quia in malitia plane radicata est, ut ab ea se avelli, nec minis, nec monitis permiserit, adeo ut nulla supersit spes emendationis et bonitatis; idcirco malitiam hanc ejus cum ipso evellet et evertet Deus. Luxuriantes ergo voluptatum, honorum et opum frutices amputemus, sicut vinitor putat palmites et pampinos vitis luxuriantes, ne Deus vitem ipsam totumque hominem eradicet, et in ignem æternum mittat.

Denique pro « frutex enim peccati eradicabitur in illis, » uti legit Jansenius et alii; legendum est contrarie, *frutex enim peccati radicabitur in illis*, uti legunt Romana et Græca, *q. d.* Voluntas propria et cupiditas, quæ est frutex peccati, id est, peccatum omne progerminans, altas radices aget in superbis, « et non intelligitur, » quia superbi non intelligunt se agi propria voluntate et cupiditate : putant enim se agi ratione, voluntate Dei et charitate; amor enim proprius et superbia eos excæcat, et lucem naturalem offuscat, ut seipsos et suum hocce vitium non perspiciant; ideoque Deus illos puniet, eradicabit et affliget immedicabiliter.

Vers. 31. 31. COR SAPIENTIS INTELLIGITUR IN SAPIENTIA, ET AURIS BONA AUDIET CUM OMNI CONCUPISCENTIA SAPIENTIAM. — Cordi duro, indocili, inflexili et præfracto opponit cor sapientis, utpote docile, flexile, studiosum et subditum sapientiæ : illud ergo « intelligitur, » inquit, id est, cognoscitur in sapientia, supple, audienda, legenda, meditanda, proloquenda, docenda et opere exercenda : ideoque addit, « auris bona, » quæ libenter audit bona, manans ex corde bono, quale est sapientis, « audiet cum omni concupiscentia, » id est, aviditate, *q. d.* Avidissime excipiet « sapientiam, » præsertim sublimiorem et magis reconditam. Hanc enim significat vox παραβολή. Sic enim habent Græca, et ex eis S. Ambrosius : *Cor sapientis cogitabit parabolam, et auris auditoris desiderium sapientis.* Vox *desiderium* dupliciter accipi potest : *primo*, ut referatur ad sapientem, *q. d.* Sapiens desiderat aurem auditoris, id est, aurem audientem et attentam; *secundo*, ut referatur ad aurem, *q. d.* Auris auditoris, id est, audiendi avida, desiderat audire sapientem, ut ab eo sapientiam hauriat et addiscat. Hunc sensum expressit Latinus Interpres, et Syrus : *Cor sapiens, ait, intelliget parabolas sapientum; et auris, quæ audit, lætabitur in sapientibus.* Priorem sequitur Tigurina, dum vertit : *Cor hominis cordati meditatur sermones reconditos* (Vatablus, *res arcanas*), *et sapiens aurem attentam expetit.* Ita David : « Audiam, ait, quid loquatur in me Dominus Deus : quoniam loquetur pacem in plebem suam, » *Psal.* LXXXIV, 9. Hæc est antithesis prima inter cor durum et cor sapiens. Antitheses cordis duri, et sapientis. Prima.

Igitur docet hic Siracides, ad sapientiam requiri *primo*, cor avidum sapientiæ ; *secundo*, aurem docilem, quæ libenter audiat dogmata et monita salutis : quibus si *tertio* accedat manus, id est, operatio, ut opere exerceat quod audivit,

perfectam nanciscitur sapientiam, id est, virtutem. Unde Aristoteles apud Laertium lib. V, cap. I. asserit tria ad sapientiam exigi, naturam, doctrinam, exercitationem : natura est in corde et mente capaci et avida, doctrina in aure docili, exercitatio in manu et operatione. Sapienter S. Bernardus, serm. 28. *in Cant.* : « Auris, inquit, prima mortis janua, prima aperiatur et vitæ : nunc autem unde irrepsit morbus, inde remedium intret, et per eadem sequatur vestigia vita mortem, tenebras lux, venenum serpentis antidotum veritatis. » Porro, quanta debeat esse aviditas sapientiæ, ostendit S. Cyrillus lib. I *in Joannem*, cap. II, dum ait nos debere æmulari canes venaticos, qui undique odorantur et persequuntur feram, donec eam comprehendant. Simili enim modo nos debere scrutari et insequi veritatem, donec eam teneamus.

Vers. 32. 32. SAPIENS COR ET INTELLIGIBILE (id est, intelligens : sic sæpe verbalia desinentia in *bilis* accipiuntur pro participiis, vel nominibus, ut *incredibilis* pro incredulus, *docibilis* pro docilis) ABSTINEBIT SE A PECCATIS. — Sapientia enim practica et vera consistit in fuga peccatorum et exercitio Secunda. virtutum. Est hæc secunda antithesis cordis duri et cordis sapientis : cor enim durum addet peccata peccatis, ut dixi vers. 29 ; cor vero sapiens ab iis abstinebit. Audi S. Ambrosium *De Jacob*, et *Vita beata*, cap. VIII : « Manet, inquit, semper inter adversa et delectabilia perfecta virtus : neque adversa de perfectione ejus quidquam minuunt, neque delectabilia adjungunt perfectioni. » Et epist. 7 : « *ad Simplicium*, lib. II. » Sapiens non metu frangitur, non potestate mutatur, non attollitur prosperis, non tristibus mergitur : ubi enim sapientia, ibi virtus animi, ibi constantia et fortitudo : sapiens manet perfectus in Christo, fundatus charitate, radicatus fide. » Quin et Seneca *ad Helviam*, cap. V : « Nec secunda, inquit, sapientem efferunt, nec adversa demittunt. » Unde idem infert, *epist.* 117, cap. VI : « Sapientia est mens perfecta, vel ad summum optimumque perducta. » Et ibidem, cap. VIII : « Sapiens vicinus proximusque diis consistit, excepta mortalitate, similis Deo. »

ET IN OPERIBUS JUSTITIÆ SUCCESSUS HABEBIT. — Tigurina, *in operibus justis successu potietur*. Deus enim prosperat justas justorum quasi amicorum actiones, utpote a se et sua gratia profectas, sibique gratissimas, juxta illud Apostoli : « Creati in operibus bonis (id est, ad opera bona), quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus, » *Ephes.* II, vers. 10. Et illud Psaltis *Psal.* I, 3 : « Omnia quæcumque faciet, prosperabuntur. »

Est hæc tertia antithesis cordis duri, et cordis Tertia. sapientis. Durum enim non habebit successus, ut dixit vers. 28, quia Deum habet adversum : sapiens vero habebit, quia Deum habet propitium. Hic versus jam deest in Græco et Syro.

QUARTA PARS CAPITIS.

DE ELEEMOSYNA EJUSQUE FRUCTIBUS.

Vers. 33. 33. IGNEM ARDENTEM EXSTINGUIT (S. Ambrosius legit, *restinguit*) AQUA : ET ELEEMOSYNA RESISTIT PECCATIS, — præteritis; sed et pari ratione ac jure præsentibus et futuris. Nota τὸ *et*, id est, similiter, pari modo, sic. Est enim comparatio, *q. d.* Sicut ignem exstinguit aqua, sic eleemosyna exstinguit peccata. « Sicut enim aquæ elementum, inquit Rabanus, effusum ignis exstinguit ardorem, sic et eleemosyna, quæ per charitatis affectum expenditur, peccatorum obruet flammam. » Pro *resistit*, Græce est ἐξιλάσεται, id est, *expiabit peccata* : hoc autem est resistere peccatis nos accusantibus apud Deum, scilicet, eum placare, itaque peccata expiare, juxta illud : « Superexaltat misericordia justitiam, » *Jacob.* II, 13. Arabicus, *extenuat peccata;* Syrus, *remittit peccata*, S. Cyprianus, tract. *De Opere et Eleemos.*, « exstinguit peccata; » Tigurina, *peccatum expiat misericors benignitas*. Hebr. enim חסד *chesed*, idem est quod pietas, misericordia, benignitas, beneficentia, eleemosyna. Eleemosyna ergo est peccati piaculum, et quasi victima pro peccato, juxta illud *Daniel.* IV, 24. « Peccata tua eleemosynis redime. » Vide ibi dicta. Transit recto ordine ac gradu a sapientia et justitia ad eleemosynam, quia hæc inter opera justitiæ, quæ dixit esse sapientis, primas tenet.

Eleemosyna est piaculum peccati.

Apposite comparat peccatum igni, eleemosynam aquæ. *Primo*, quia, sicut ignis adurit lædit- Est aqua ignem peccati restinque corpus, ita peccatum lædit, occidit et exurit guens. animam. Peccatum ergo est quasi ferrum can- Primo. dens, quod suo te contactu vult comburere : objice tu illi aquam eleemosynæ; non te aduret. *Secundo*, quia, sicut ignis excitat flammas, ita Secundo. peccatum suscitat concupiscentias, æstusque iræ, gulæ, libidinis, etc. *Tertio*, quia peccata accen- Tertio. dunt ignem, id est, iram et ultionem Dei, ut igne furoris sui eos disperdat. *Quarto*, quia peccata Quarto. peccatori parant ignem gehennæ. Hosce omnes peccati ignes mira vi sopit eleemosyna; imo ita exstinguit, ut nullum eorum vestigium supersit. Vide *Matth.* XXV, 35. Quocirca S. Maximus hom. 1 *de Eleemos.* : « Dicit, ait, Scriptura divina : Sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna exstinguit peccatum. Magna plane, et cunctis ambienda sententia, quæ hominibus pene jam mortuis, et

peccatorum suorum incendio arefactis, redivivum quoddam beneficium pollicetur. »

Mystice S. Cyprianus *De Opere et Eleemosyn.*, per aquam accipit baptismum, per ignem gehennam : « Hic, inquit, ostenditur et probatur, quia sicut lavacro aquæ salutaris gehennæ ignis exstinguitur, ita eleemosynis atque operationibus justis, delictorum flamma scpitur. Et quia semel in baptismo remissio peccatorum datur, assidua et jugis operatio, baptismi instar imitata, Dei rursus indulgentiam largitur. » Sic quoque explicat S. Gaudentius tract. 13 *De Natali Domini.* Hinc pariter S. Augustinus, *homil.* 39, inter 50 : « Dedit nobis, inquit, Deus secundum baptismum. Nam, sicut aqua exstinguit ignem, sic eleemosyna exstinguit peccatum. In horreis nostris habeamus abundantiam, quæ flammas nostras oblatione unius panis exstinguat : ante fores gehennæ stat misericordia, et neminem permittit in carcerem mitti. » Sic et S. Laurentius, episcopus Novarum, homil. *de Pœnitentia*, quæ exstat in *Bibliotheca SS. Patrum*, in Appendice, ex hisce Siracidis verbis comparat eleemosynam baptismo : « Aqua, inquit, et ablutio et remissio in eleemosyna largientis est. Ne differas ablui inquinatum corpus et animam fontibus eleemosynæ, ut redeas rursus in præmissi baptismatis formam. Sicut aqua exstinguit ignem, sic eleemosyna exstinguit peccata. Tanquam si ita dictum esset : Sicut aqua exstinguit ignem ardentem, sic eleemosyna discerpit avaritiam, funera, hominumque crimina, vincula funesta disrumpit. » Et mox : « Sicut peccatum, quod extra corpus est, eleemosyna fulminat et exstinguit : sic vitium libidinis, quod membra incestat, lacrymarum ubertas exstirpat. Ergo peccatum, quod extra corpus est, proprium habet fontem eleemosynarum ; et flagitium, quod intra corpus committitur, suum habet fontem ex oculis profluentem. » Affert exemplum Zachæi, qui eleemosynis sua peccata abolevit, *Lucæ* XIX. « Translatus, inquit, de bono ad malum, de præda ad palmam. »

Eleemosyna est secundus baptismus.

Causa prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Causa, cur eleemosyna exstinguat peccatum, est *primo*, quia misericordes in alios, sibi Dei misericordiam conciliant, et quasi emerentur, juxta illud promissum Christi : « Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur, » *Matth.* cap. V, 7. *Secundo*, quia pauperes pro suis eleemosynariis Deum precantur ; pauperum autem vocem audit et exaudit Deus. *Tertio*, quia, cum eleemosynam corporalem multi ob inopiam facere nequeant, omnes tamen possunt facere spiritalem, qualis est precari pro pauperibus, eos consolari, docere, bene consulere, etc., ac præsertim offensam dimittere iis qui nos offenderunt. Hæc autem remissio quasi jure talionis meretur parem remissionem, juxta promissum Christi. « Si demiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester cœlestis delicta vestra, » *Matth.* cap. VI, 14. *Quarto*, quia eleemosyna est actus charitatis : « charitas autem operit multitudinem peccatorum, » *Jacob.* V. 20.

Quocirca S. Ambrosius in hæc verba Ecclesiastici, *serm.* 1, tom. II : « Ignem ardentem, inquit, restinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis. Magna plane et cunctis ambienda sententia, quæ hominibus pene jam mórtuis, et peccatorum suorum incendio arefactis redivivum quoddam beneficium pollicetur, ut interveniente eleemosyna, sicut aquæ intermortuis, succus (qui sit) refrigerium arescentibus infundatur : hoc est, ut miseri homines, qui in mortem peccatis aruerant, ad vitam eleemosynis reviviscant ; sitque illis misericordia fons salutis, quibus avaritia fuerat mortis incendium, ut flammas, quas sibi peccando incenderant, largiendo restinguant ; atque utiliore commercio, qui pecuniam quondam dederat, ut adulterium perpetraret, nunc pecuniam eroget, ut adulter esse jam desinat ; et emat sibi quodammodo innocentiam, qui sibi emerat aliquando peccatum : dicit enim Dominus ad discipulos suos : Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis. » Unde concludit : « Sola misericordiæ virtus, cunctorum est redemptio peccatorum. »

Idem, *serm.* 2, eleemosynam comparat, imo præfert aquæ baptismi : « Ipsa enim, inquit, gehennæ consumit incendia, quæ dum per baptismum infunditur, Tartari restinguit ardorem : vivificat enim animas, et delicta restinguit. Ita igitur eleemosyna resistit peccatis, sicut aqua baptismi gehennæ restinguit incendium. Ergo quodammodo eleemosyna animarum aliud est lavacrum : nisi quod indulgentior est eleemosyna, quam lavacrum ; lavacrum enim semel datur ; eleemosynam autem quoties feceris, toties promereris veniam. » Eadem habet *serm.* 42. Ex dictis disce quanta sit vis, dignitas, utilitas et necessitas eleemosynæ.

Vers. 34.

34. ET DEUS PROSPECTOR EST EJUS QUI REDDIT GRATIAM, — *q. d.* Deus providet, et de omnibus prospicit eleemosynario, qui benefacit, miseretur et dat eleemosynam indigenti, juxta illud Psaltis et Pauli : « Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet, etc. Qui autem administrat semen seminanti, et panem ad manducandum præstabit, et multiplicabit semen vestrum, et augebit incrementa frugum justitiæ vestræ, ut in omnibus locupletati abundetis, » II *Corinth.* IX. Vide S. Chrysostomum, homil. *Quod eleemosyna est ars omnium quæstuosissima.* Memorabile hujus sententiæ exemplum exstat in Sophronio, puta, in *Prato Spiritali* Joannis Moschi, cap. CCLXI, de nobili quodam Constantinopolitano, qui, cum omnia sua in pauperes distribuisset, filio nil nisi Christum curatorem reliquit : quare Christus se ei curatorem præstitit, monuitque divitem primarium, ut illi filiam unicam in uxorem traderet, eumque omnium bonorum hæredem scriberet ; qui idipsum fecit, juvenique dixit :

« Ecce bonus curator tuus misit tibi uxorem. » Hoc est quod ait S. Chrysostomus homil. 53 et 68 *ad Popul.* : « Si filiis, inquit, omnia dimittas, periculosæ custodiæ tua cuncta commendasti : si vero Deum eis relinquas hæredem et tutorem, innumeros reliquisti thesauros. Si vis filios divites in tuto relinquere, Deum ipsis relinque debitorem, et hoc eis chirographum trade. Deus centuplum, quod promisit, rependet. Deo ergo fenerare. » Et S. Cyprianus, tract. *De Opere et Eleemosyn.* : « Patrimonium, ait, Deo creditum nec fiscus invadit, nec calumnia aliqua forensis evertit. In tuto hæreditas ponitur, quæ Deo custode servatur. »

Græca jam aliter habent, nimirum : *Dominus qui retribuit* (Græcum ἀνταποδιδούς, habet emphasim, *q. d.* Qui recompensat, qui quasi mercedem merito, ac par pari retribuit) *gratias* (copiam gratiarum), *meminit in posterum;* Syrus, *qui facit quod bonum est, paratus* (id est, bene dispositus) *est in via sua;* Arabicus, *qui operatur bonum, bene se habebunt viæ illius.*

MEMINIT (Deus) EJUS (eleemosynæ) IN POSTERUM, — ut eam suo tempore remuneretur, laudet et celebret, uti Christus apparuit noctu S. Martino, qui dimidiam chlamydem dederat pauperi, eam coram angelis ostentans, dicensque : « Martinus adhuc catechumenus hac me veste contexit. » Ita Sulpitius in Vita S. Martini.

ET IN TEMPORE CASUS SUI INVENIET (eleemosyna, et eleemosynarius) FIRMAMENTUM. — Syrus, *et in tempore quo ceciderit, inveniet esse fulcrum;* Arabicus, *et qui cadet, erit illi virtus et sustentaculum;* Tigurina omnia hæc una sententia complectitur : *Dominus gratiam redditurus memor erit in posterum, ut auctor* (eleemosinæ) *tempore casus sui adminiculum inveniat, q. d.* Si eleemosynarius in adversa labatur, si in calamitates incidat, Deus memor ejus eleemosynarum eum fulciet, roborabit, eriget, restituet in pristinum statum et gradum, imo majoribus bonis et donis cumulabit.

Secundo, Palacius hæc accipit de casu, id est, lapsu in peccatum, *q. d.* Si eleemosynarium in peccatum labi contingat, in ipso casu inveniet eleemosynam, quam fecit, cui nitatur, et in qua firmetur, ut surgat. Quia eleemosyna misero data rogat pro datore Deum, ut eum ab omni miseria liberet, qui miseros ab eorum miseria liberare solebat. Hoc est quod ait Tobias cap. IV : « Eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras. »

Hujus rei mirabile exstat exemplum in *Prato Spirit.* Joannis Moschi, cap. CCVII, de virgine quadam Gentili, quæ cum sua erogasset in pauperes, redacta ad inopiam, lapsa est in fornicationem, utque victum sibi pararet, seipsam prostituit : sed Deus, memor ejus eleemosynarum, ipsam ad pœnitentiam revocavit, per eamque ad castitatem, fidem et baptismum traduxit; cumque nullus pro ea in baptismo spondere vellet, angeli cœlitus missi pro ea se sponsores præstiterunt.

Denique Psaltes *Psal.* XL, 1 : « Beatus, inquit, qui intelligit super egenum et pauperem; in die mala liberabit eum Dominus. » Quocirca S. Cyprianus in fine tract. *De Opere et Eleemosyna,* hæc ei dat elogia : « Præclara et divina res, inquit, fratres charissimi, salutaris operatio, solatium grande credentium, securitatis nostræ salubre præsidium, munimentum spei, tutela fidei, medela peccati : res posita in potestate facientis, res et grandis et facilis, sine periculo persecutionis, corona pacis, verum Dei munus et maximum, infirmis necessarium, fortibus gloriosum, quo Christianus adjutus perfert gratiam spiritalem, et promeretur Christum judicem, Deum computat debitorem. Ad hanc operum salutarium palmam libenter ac prompte certemus : omnes in agone justitiæ, Deo et Christo spectante, curramus; et qui sæculo et mundo majores esse jam cœpimus, cursum nostrum nulla sæculi et mundi cupiditate tardemus. » Et S. Chrysostomus, homil 33 *ad Popul.* : « Eleemosyna, inquit, Christi adstat tribunali, non tantum patrocinans, verum et ipsi persuadens judici, ut reo patrocinium præstet, et pro eo sententiam ferat; et licet millies peccaverit, coronat et victorem promulgat. » Intellige hæc de illis qui peccant ex fragilitate, non ex præsumptione. Ex hac enim et similibus S. Scripturæ de eleemosyna peccatum expiante sententiis, quidam in errorem prolapsi sunt, ut censerent sibi licere rapere aliena, et vivere ut liberet, eo quod eleemosyna sine pœnitentia compensaret omne peccatum. Quem errorem recenset et confutat S. Augustinus lib. XXV *De Civitate Dei,* cap. XXII, et *Enchir.* cap. LXXV : « Non ergo, inquit, se fallant, qui per eleemosynas quamlibet largissimas fructuum suorum, vel cujuscumque pecuniæ, impunitatem se emere existimant, in facinorum suorum immanitate ac nequitia permanendo. » Sic et S. Gregorius in *Pastor.* parte III, cap. XXI : « Ne venalem, inquit, Dei justitiam æstiment, si, cum curant pro peccatis nummos tribuere, arbitrantur se posse inulte peccare; melior quippe est anima quam esca, et corpus quam vestimentum. » Et S. Cæsarius Arelatensis, *homil.* 9 : « Prodest eleemosyna, inquit, si omittas peccare. »

Hi sunt ergo tres fructus eleemosynæ : *primus,* quod instar aquæ restinguat peccata; *secundus,* quod maneat in memoria Dei, ut eam remuneretur; *tertius,* quod in casu sit fulcrum. Vide ea quæ dixi *Deuter.* XXVI, vers. 12, ubi viginti illustres eleemosynæ fructus recensui.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Parænesis est ad eleemosynam : pergit enim ad eam adhortari usque ad vers. 12. *A quo usque ad vers.* 23, *est parænesis et cohortatio ad sapientiam, ex duodecim ejus officiis, quæ ipsa suis filiis, præsertim eleemosynariis præstat. Inde, usque ad finem capitis, recenset varia hujus sapientiæ præcepta, præcipue circa pudorem malum, qui hostis est sapientiæ.*

1. Fili, eleemosynam pauperis ne defraudes, et oculos tuos ne transvertas a paupere. 2. Animam esurientem ne despexeris : et non exasperes pauperem in inopia sua. 3. Cor inopis ne afflixeris, et non protrahas datum angustianti. 4. Rogationem contribulati ne abjicias : et non avertas faciem tuam ab egeno. 5. Ab inope ne avertas oculos tuos propter iram : et non relinquas quærentibus tibi retro maledicere. 6. Maledicentis enim tibi in amaritudine animæ, exaudietur deprecatio illius : exaudiet autem eum, qui fecit illum. 7. Congregationi pauperum affabilem te facito, et presbytero humilia animam tuam, et magnato humilia caput tuum. 8. Declina pauperi sine tristitia aurem tuam, et redde debitum tuum, et responde illi pacifica in mansuetudine. 9. Libera eum, qui injuriam patitur de manu superbi : et non acide feras in anima tua. 10. In judicando esto pupillis misericors ut pater, et pro viro matri illorum. 11. Et eris tu velut filius Altissimi obediens, et miserebitur tui magis quam mater. 12. Sapientia filiis suis vitam inspirat, et suscipit inquirentes se, et præibit in via justitiæ. 13. Et qui illam diligit, diligit vitam : et qui vigilaverint ad illam, complectentur placorem ejus. 14. Qui tenuerint illam, vitam hæreditabunt : et quo introibit, benedicet Deus. 15. Qui serviunt ei, obsequentes erunt sancto : et eos qui diligunt illam, diligit Deus. 16. Qui audit illam, judicabit Gentes : et qui intuetur illam, permanebit confidens. 17. Si crediderit ei, hæreditabit illam, et erunt in confirmatione creaturæ illius. 18. Quoniam in tentatione ambulat cum eo, et in primis eligit eum. 19. Timorem, et metum, et probationem inducet super illum : et cruciabit illum in tribulatione doctrinæ suæ, donec tentet eum in cogitationibus suis, et credat animæ illius. 20. Et firmabit illum, et iter adducet directum ad illum, et lætificabit illum, 21. et denudabit absconsa sua illi, et thesaurizabit super illum scientiam et intellectum justitiæ. 22. Si autem oberraverit, derelinquet eum, et tradet eum in manus inimici sui. 23. Fili, conserva tempus, et devita a malo. 24. Pro anima tua ne confundaris dicere verum. 25. Est enim confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam et gratiam. 26. Ne accipias faciem adversus faciem tuam, nec adversus animam tuam mendacium. 27. Ne reverearis proximum tuum in casu suo. 28. Ne retineas verbum in tempore salutis. Non abscondas sapientiam tuam in decore suo. 29. In lingua enim sapientia dignoscitur : et sensus, et scientia, et doctrina in verbo sensati, et firmamentum in operibus justitiæ. 30. Non contradicas verbo veritatis ullo modo, et de mendacio ineruditionis tuæ confundere. 31. Non confundaris confiteri peccata tua, et ne subjicias te omni homini pro peccato. 32. Noli resistere contra faciem potentis, nec coneris contra ictum fluvii. 33. Pro justitia agonizare pro anima tua, et usque ad mortem

certa pro justitia, et Deus expugnabit pro te inimicos tuos. 34. Noli citatus esse in lingua tua, et inutilis, et remissus in operibus tuis. 35. Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos, et opprimens subjectos tibi. 36. Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, et ad dandum collecta.

PRIMA PARS CAPITIS.

Vers. 1. 1. FILI, ELEEMOSYNAM PAUPERIS NE DEFRAUDES, — hoc est, pauperem eleemosyna non defraudes. Est hypallage. Similis est illa frequens Hebræis : *Miserunt civitatem in ignem*, hoc est, miserunt ignem in civitatem. Et illa *Exodi* cap. XII, vers. 11 : « Calceamenta habebitis in pedibus, » id est, pedes habebitis in calceamentis, sive calceatos.

Vox *defraudes*, vel, ut græce est, *prives*, significat eleemosynam pauperi esse debitam, illumque ad eam habere jus, non justitiæ, sed charitatis, ut, scilicet, petat a divite panem, vestem, vel nummum sibi ab eo ex charitate debitum, quo quasi stimulo incitat divitem ad dandum illum, *q. d.* Da panem pauperi; quia panis ille est pauperis, hoc est, pauperi debitus; unde si illum ei neges, facis ei injuriam, quia eum re sibi debita defraudas. Hoc est quod ait S. Basilius in illud Evangelii : *Destruam horrea mea.* « At tu, inquit, numquid spoliator es, qui, quæ dispensanda accepisti, propria reputas? Est panis famelici, quem tu tenes; nudi tunica, quam tu in conclavi conservas; discalcéati calceus, qui apud te marcescit; indigentis argentum, quod possides inhumatum. Quocirca tot pauperibus injuriam facis, quot dare valeres. » Et, quod magis mirere, negat S. Ambrosius, *serm.* 81, posse quemquam bona sua appellare, quæ quis possidet : « Sed ais (inquit) : quid injustum est, si, cum aliena non invadam, propria diligenter servem? O impudens dictum! Propria dicis? Quæ? Ex quibus reconditis in hunc mundum detulisti? » Et mox : « Non minus est criminis habenti tollere, quam, cum possis et abundes, indigentibus denegare. » Neque aliter sentit S. Hieronymus, qui ad Hedibiam hunc in modum scribit *epist.* 110, Quæst. I : « Si plus habes, quam tibi ad victum vestitumque necessarium est, illud eroga, et in illo debitricem esse te noveris. »

Superflua divitum sunt pauperum, debito charitatis.

Addo S. Chrysostomum, qui ad populum Antiochenum verba faciens : « Numquid (ait) grave quidpiam et onerosum a nobis requirit? Necessitatem excedentia vult nos facere necessaria, et quæ nequidquam et inutiliter reposita sunt, hæc vult bene distribui. » Et aliquanto post : « Tuarum rerum es, o homo, dispensator, non minus quam qui Ecclesiæ bona dispensat. » Et mox : « Non ad hoc accepisti, ut in delicias absumeres; sed ut in eleemosynam erogares : numquid enim tua possides? Res pauperum tibi sunt creditæ, sive ex laboribus justis, sive ex hæreditate paterna possideas. » Et S. Bernardus, epist. 42 *ad Henricum Senon.*, sic ait : « Nostrum est, pauperes clamant, quod effunditis; nobis crudeliter subtrahitur, quod vos inaniter expenditis. » Nostrum, id est, nobis debitum est non ex justitia, sed ex charitate. Denique S. Augustinus *in Psalm.* CXLVII : Superflua diviti, inquit, necessaria sunt pauperi; aliena retinet, qui ista tenet. » Porro, ne quis dicat hæc concionatorie per exaggerationem dici, didactice et scholastice S. Thomas II II, *Quæst.* LXVI, art. 7, ita definit : « Res, quas aliqui superabundantes habent, ex naturali jure debentur pauperum sustentationi. » Idem, In IV, dist. XV, *Quæst.* II, art. 4, asserit hanc esse communem Theologorum omnium sententiam.

Quocirca S. Franciscus, teste S. Bonaventura et aliis in ejus actis, quæ sibi quasi pauperi data erant, si pauperior quis ab eo eleemosynam petiisset, illico non tam donabat, quam jure suo cedebat. Unde audiens vetulæ cujusdam inediam, dixit : « Frater mi, restituamus alienum hoc (pallium suum denotans) quod ego retinebam, donec æquioris tituli possessor appareret. Jam apparuit pauperrima quædam soror nostra, ad quam rogo ut mittas hoc meum palliolum, cum quibusdam panibus ex eleemosyna collectis, quæ dum Fratres portaverint, dicant quod suum erat sibi dari : reputo enim, quæ nobis conferuntur, in nostrum cedere usum, donec indigentior supervenerit, » Sed vide miram Dei providentiam et remunerationem : eodem tempore aliqui ex Pontificiis detulerunt tot panni ulnas, quot S. Patri, ejusque sociis vestiendis sufficiebant.

Pro *eleemosynam*, Græce est ζωὴν, id est *vitam*, hoc est victum, sive ea quæ ad vitam conservandam pertinent. Hinc ζωὴ et βίος tam victum, quam vitam significat, æque ac Hebr. חיים *chaiim*, ut patet *Proverb.* XXVII, 27, in Hebr. Hinc illud vulgo tritum : βίος βίῳ δεόμενος, id est, vita victu indiget. Unde Tigurina vertit : *Ne defraudes victu pauperem.* Cum ergo græce dicitur ζωὴν τοῦ πτωχοῦ μὴ ἀποστερήσῃς, id est, *vitam*, hoc est victum, *mendici ne prives;* sensus est, *q. d.* Ne prives pauperem suo victu, quasi sua vita. Novum dat stimulum ad eleemosynam; significat enim ex eleemosyna, puta ex victu, pendere vitam pauperis; ita ut, si eum prives eleemosyna et victu, prives et vita : hæc enim sine victu conservari nequit. Unde Syrus vertit : *Fili mi, ne irrideas vitam pauperis;* Arabicus : *Ne derideas victum pauperis.*

Hoc est quod sancitur Jure Canonico, dist. 86, can. *Pasce.* « Pasce fame morientem : si non pavisti, occidisti. » Quam sententiam Gratianus ibidem, et S. Thomas II II, *Quæst.* XXXII, art. 5, tribuunt S. Ambrosio in lib. *Offic.;* sed hodie, nec ibi, nec alibi in S. Ambrosio reperitur. Simile tamen invenitur apud S. Augustinum *in Psal.* CXVIII : « Hoc est, inquit, occidere hominem, vitæ suæ ei subsidia denegare; cave ne inter loculos tuos concludas salutem inopum, et tanquam in tumulis sepelias vitam pauperum. » Rursus S. Ambrosius, lib. *De Naboth :* « Parietes, inquit, vestitis auro, homines nudatis, clamat ante domum tuam nudus, et negligis, et sollicitus es quibus marmoribus pavimenta vestias: pecuniam pauper quærit, et non habet; panem postulat homo, et equus tuus aurum sub dentibus mandit. »

Varia species eleemosynæ.

Porro ζωὴ, et victus, non tantum significat alimoniam, sed et vestitum, pharmaca, habitationem, et quidquid ad vitam tuendam est opportunum, quæ omnia præstat eleemosyna : « Unde multæ ejus sunt species, ait Rabanus. Non solum ergo, qui dat esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestimentum, peregrinanti hospitium, fugienti latibulum, ægro, vel incluso visitationem, captivo redemptionem, debili subvectionem, cæco, deductionem, tristi consolationem non sano medelam, erranti viam, deliranti consilium, et quod cuique necessarium est indigenti; verum etiam qui dat veniam peccanti, eleemosynam dat: et qui emendat verbere, in quem potestas datur, vel coercet aliqua disciplina, et tamen peccatum ejus, quo ab illo læsus aut offensus est, dimittit ex corde, vel orat ut ei dimittatur, non solum in eo quod dimittit atque orat, verum etiam in eo quod corripit, et aliqua emendatoria pœna plectit, eleemosynam dat, qui misericordiam præstat. » Quæ omnia Rabanus transcripsit ex S. Augustini *Enchirid.* cap. LXXI et LXXII, qui et causam addit dicens : « Multa enim bona præstantur invitis, quando eorum consulitur utilitati, non voluntati; quia ipsi sibi inveniuntur esse inimici, amici vero eorum potius illi, quos inimicos putant. » Et idem S. Augustinus *in Psalm.* CIII : « Valde, inquit, male diligit is qui bene audit, et male operatur; si potes dare, da; si non potes, affabilem te fac : coronat Deus intus bonitatem, ubi non invenit facultatem; nemo dicat : Non habeo; charitas de sacculo non erogatur. »

ET OCULOS TUOS NE TRANSVERTAS A PAUPERE, — ut, cum pauper in te intente respicit petens eleemosynam, tu ab eo aspectum ne avertas, alioque transferas. Unde Tobias, cap. IV, 7, filio præcipit : « Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere; sic enim fiet ut nec a te avertatur facies Domini. » Vult ergo Siracides ut, si videro pauperem, figam oculos in eum, ut ea fiducia petat a me; si enim viderit me a se avertere oculos, incipiet diffidere, ac ita non petet, et in sua miseria perseverabit, ait Palacius. Græce est μὴ παρελκύσῃς, id est, *ne protrahas oculos indigentis*, ut, scilicet, debeant diu in te respicere, et petere eleemosynam; sed cito eam exhibe, tum ut liberes eum longa molestia respiciendi in te et petendi; tum ne diu eum suspensum et dubium de tua donatione teneas, itaque affligas. Unde Syrus vertit, *ne affligas pauperem ignobilem;* Tigurina, *ne oculos egenos spe diu produxeris;* Arabicus, *ne visu noceas dolore afflicto;* tum ut cito ejus necessitati æque ac desiderio succurras; tum ut tua promptitudine et celeritate dandi, meliorem et gratiorem facias tuam eleemosynam, magisque pauperem soleris et exhilares, juxta illud Apostoli : « Qui miseretur in hilaritate, » *Rom.* XII, 8; et : « Bis dat, qui cito dat. » Qui enim post longas preces dat eleemosynam, significat se eam ægre et coacte dare, nec tam dare, quam caro vendere, puta, laboriosis precibus et molestis clamoribus eam commutare; aut potius eam pene vi sibi invito extorqueri.

Imitare ergo Abraham, de quo dicitur *Genes.* XVIII, 2 : « Apparuerunt ei tres viri stantes prope eum; quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum, etc., et dixit : Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum, » etc. Quare S. Ambrosius lib. I *De Abraham,* cap. V : « Disce, inquit, quam impiger esse debeas, ut possis prævenire hospitem, ne quis præveniat, et te boni muneris defraudet copia. » Et S. Chrysostomus *in cap.* XVIII *Genes.* : « Currit, ait, et volat senex; vidit enim prædam quam venabatur : non vocavit famulos, quasi diceret : Magnus thesaurus est, magna negotiatio; per meipsum hanc mercem inferre debeo, ne elabatur tantum lucrum. »

Vers. 2. 2. ANIMAM ESURIENTEM NE DESPEXERIS. — Græce, μὴ λυπήσῃς, id est, *ne contristes;* Arabicus, *ne contristes ventrem inopis, et ne prohibeas damno læsum eleemosyna ;* Syrus, *ne dolore afficias spiritum animæ indigentis.* Spiritus enim pauperis dolore afficitur, cum videt se suasque preces non attendi, sed negligi et despici a divite : inde enim dolet et tristatur, ac si sit cholericus, irascitur. Unde sequitur :

ET NON EXASPERES PAUPEREM IN INOPIA SUA, — *q. d.* Pauper satis habet asperitatis in sua fame et inopia : noli ergo aliam ei addere, eumque exasperare tua dissimulatione, despectu, tarditate, verbis morosis et asperis, uti nonnulli objurgare solent pauperes mendicantes, cum eos deberent consolari, itaque afflictiones addunt afflictis.

Græce rursum est μὴ παρελκύσῃς, id est, *ne protrahas pauperem;* Syrus, *ne obliviscaris spiritum hominis contriti ;* Tigurina, *ne inopia sua suspensum quemquam teneas.* Sic enim videris eum despicere. Noster videtur legisse, μὴ παροργίσῃς, id est, non exasperes, non exacerbes, ne ad iram provoces. Præclare Nyssenus, orat. *De*

Pauperum amore : « O serve Christi, inquit, Dei atque hominum amore prædite, ne fratrem despicias, ne prætereas, ne ut scelus, ut piaculum, ut aliud quiddam fugiendum et interdictum averseris. Membrum tuum est, licet calamitate frangatur. Tibi, licet animo forti prætereas, pauper relictus est, ut Deo : his enim verbis fortasse te pudore promovebo. »

Vers. 3: 3. COR INOPIS NE AFFLIXERIS, ET NON PROTRAHAS DATUM ANGUSTIANTI. — « Datum, » id est, eleemosynam, quam dare debes, dare cogitas ac daturus es. Idem malum aliis aliisque verbis et sententiis exaggerat. Græce, *cor irritatum ne conturbes, q. d.* Cor pauperis satis offenditur, irritatur, et ad tristitiam iramque provocatur sua miseria, fame et egestate : noli ergo illud tua cunctatione vel repulsa magis concitare et irritare. Tigurina : *Cor exacerbatum ne perturbes magis, nec differas quod erogaturus sis in egenum ;* Syrus : *Viscera hominis pauperis ne dolore afficias, et ne prohibeas munus ab inope.*

Cito faciendæ eleemosynæ, cur? Ratio prima. Ratio a priori est, *prima*, quod, qui cito facit eleemosynam indigenti, totam aufert miseriam ; qui vero tarde, partem duntaxat miseriæ aufert, partem vero ei relinquit. Nam, v. g. qui famelico succurrit tertia die, per duos priores dies eum famere permittit; quæ sane ingens est miseria et tormentum : qui si illico succurrisset, duos pariter priores dies famis et miseriæ illi ademisset. Quare, qui cito dat, plus dat quam qui tarde; quia totam homini afflictionem adimit, eumque in quiete commodoque statu constituit. Hanc rationem dat S. Basilius homil. 6 *in Ditescentes* : « Jam quando suppetit, inquit, quid prohibet, quo minus liberaliter impertiare? Nonne inops adest? non sunt plena horrea? non merces a Domino parata? non mandatum manifestum? esuriens fame absumitur, nudus frigore rigescit, et tu eleemosynam in crastinum differs. Audi Salomonem : Ne dicas : Regressus revertere, et cras dabo; ignoras enim quid sequens pariet dies. » Et S. Gregorius III parte *Pastor.*, admon. 21 : « Ne, inquit, quæ præbenda sunt citius, sero præbeantur, audiant quod scriptum est : Ne dixeris amico tuo : Vade, et revertere, cras tibi dabo. » Et Nazianzenus, *orat.* 16 : « Ne nox quidem, inquit, misericordiæ officia tibi interrumpat. Ne dixeris : Rediens redi, et crastino die dabo tibi, ne quid inter propositum tuum et beneficium intercedat; una enim beneficentia est, quæ moram non admittit. »

Secunda. *Secunda*, quod qui cito dat, cito explet desiderium, quod cruciat indigentem; qui vero tarde, sinit eum desiderio suo cruciari : *Spes enim, quæ differtur, affligit animam.* Quare, sicut corpus cruciatur, dum extenditur ultra naturalem modum et situm in equuleo; sic pariter cruciatur animus, dum extenditur distentione spei, et longa exspectatione rei desideratæ. Quod ergo est corpori equuleus, hoc animæ est extensio spei, sive dilatio rei speratæ. Si ergo hominem equuleo corporis statim liberas, si potes, nec vel ad momentum tardas; cur pariter illico non liberas eumdem equuleo animæ, id est, cruciatu spei et desiderii? Hoc significat hic Siracides dicens : « Non protrahas datum angustianti. » Hanc rationem dat Seneca lib. II *De Benef.* : « Nihil æque, inquit, amarum est, quam diu pendere; æquiore quidem animo ferunt præscindi spem suam, quam trahi. » Et Salomon, *Proverb.* XIII, 12 : « Spes, quæ differtur, affligit animam, lignum vitæ, desiderium veniens. » Septuaginta : *Melior est, qui incipit succurrere cordi, quam qui promisit et in spem remisit.* In Hebr. est elegans oppositio : *Spes protracta infirmat cor*, vel est *infirmitas cordis.* Huic autem infirmitati bene opponitur lignum vitæ, quod affert sanitatem et robur.

Tertia. *Tertia*, quod qui cito dat, indicat animum benevolum, se scilicet libenter dare; qui vero tarde, indicat animum avarum et malevolum, vel certe minus benevolum. Munus autem et eleemosyna maxime æstimatur ex animo et benevolentia dantis. Quare longe gratius est munus exiguum cito, et liberali animo datum, quam magnum tarde et ægre, avaro vel pigro animo præstitum. Hanc rationem dat Seneca lib. II *De Benef.* : « Verissimum, inquit, existimo quod ille amicus dixit : tantumdem gratiæ demi, quantum moræ adjicitur. » Quare Democritus, ut Stobæus refert, dicere solitus erat : « Si bene de aliquo mereri vis, citissime da; mora enim ingratum redditur, et parum amabile, quidquid dederis. » Idem Seneca in *Prov.* : « Duplex, ait, fit bonitas, cum accedit celeritas; minus decipitur, cui negatur celerius, quod recipere potuit. » S. Gregorius Nazianzenus *De Pauper. amore* : « Beneficii enim gratia, inquit, promptitudine et celeritate congeminatur, » juxta illud Publii Mimi : « Qui cito dat, bis dat; » et illud Luciani, ut Ausonius vertit :

Si bene quid facias, facias cito; nam cito factum
Gratum erit : ingratum gratia tarda facit.

Quarta. Addit *quarto* Siracides, quod qui negligit preces pauperis postulantis eleemosynam, eum despiciat et contristet, ac subinde ad iram et impatientiam adigat, ut mala imprecetur neganti eleemosynam, quorum omnium vindex est Deus, qui est pater pauperum. Hanc rationem dat Seneca lib. II *De Beneficiis*, cap. I : « Ut majoribus, inquit, nostris gravissimis visum est, nulla res carius constat, quam quæ precibus empta est. Adeo etiam deos, quibus honestissime supplicamus, tacite malumus, et intra nosmetipsos precari. Molestum verbum est, onerosum, et demisso vultu dicendum : Rogo. » Idem, lib. II *De Benef.* cap. VII, asserit « beneficium morose datum simile esse pani lapidoso, quem esurienti accipere necessarium est, sed acerbum. » Tale illud *Prov.* XX, 17 : « Suavis est homini panis mendacii; »

id est, videtur suavis, « et postea implebitur os ejus calculo. » Quocirca Sponsa celebrans Sponsi liberalitatem *Cant.* v, 14 : « Manus illius, inquit, tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis; « tornatiles, » quia faciles, agiles, promptæ ad dandum; « aureæ, » quia aurum largiuntur; « plenæ hyacinthis, » quia omnium gratiam conciliant, omnesque sibi amore devinciunt. Huc facit dictum Diogenis : « Non sunt porrigendæ manus amicis, digitis complicatis, » *q. d.* Non sufficit amicis te exhibere amcum; sed amicitiæ jungenda est benevolentia. Ita Laertius lib. VI.

Quinta. Denique : « Qui tarde dedit, diu noluit, » ait Seneca lib. I *De Benef.* cap. I. Et Philo : « Beneficentia, ait, sicut luna nunquam pulchrior apparet, quam cum plena est. » Plinius, in *Panegyr. Trajani,* celerem beneficentiam commendat. « Sic ingenui largique fontes, ut ubique prosint, ire festinant; sic celeriter in terras cœlo missa perveniunt; sic denique divina illa mens, quæ totum hunc mundum gubernat, quidquid cogitavit, illico fecit, » ait Eumenius orator in orat. *ad Constantinum,* cap. X. Xenophon, an propius Numini accesserit Persarum rex, an Agesilaus, examinans in Vita ejus : « Putabat ille, inquit, splendidum esse, quod negotia tardius conficeret; hic maxime tum lætabatur, cum homines id quod cupiebant celerrime consecutos dimitteret. » De Cimone sic scribit Æmilius Probus : « Semper pedissequi cum nummis sunt secuti, ut, si quis opis ejus indigeret, haberet quod statim daret, ne differendo videretur negare. » Aurea est Theodorici regis vox apud Cassiodorum, lib. III, *epistola* 40 : « Apud conscientiam nostram læsionis genus est, profutura tardare; nec possumus æstimare jucundum, quod ingrata fuerit dilatione suspensum. » Nam, ut idem ait lib. XII, *epist.* 8 : « Hoc est bona desideria suspendere, quod illicita perpetrare. » Quocirca de Gratiano Imperatore ita scribit præceptor ejus Ausonius Burdegalensis : « Spem superas, cupienda prævenis, vota præcurris; quæque animi nostri celeritas divum instar affectat, beneficiis præeuntibus anteceditur : præstare tibi est, quam nobis optare velocius. » Hoc ergo regium est, hoc divinum.

Vers. 4. 4. ROGATIONEM CONTRIBULATI NE ABJICIAS. — Græca Complut., *supplicem in tribulatione positum,* vel *tribulatum ne abjicias;* Tirugina, *supplicem afflictum ne rejicias;* Arabicus, *ne avertas te a voce petentis;* Syrus, *deprecationem pauperis ne derelinquas.* Hinc Aristoteles in *Physiognom.* cap. VI : « Misericors, ait, est sapiens et modestus (ut, vel det, quod petitur; vel si id nequit, det bona verba, ait Rabanus); immisericors, insipiens et inverecundus. Misericordes quicumque pulchri et albi coloris, et habent oculos pingues, et nares deorsum distantes, ac semper plorant. » Lactantius in Epitome suarum *Institut.* cap. V : « Ergo animal, ait, commune atque consors esse debemus, ut nos invicem præstandis recipiendisque auxiliis muniamus. Multis enim casibus et incommodis fragilitas nostra subjecta est, speres tibi accidere posse, quod alteri accidit : ita demum excitaberis ad opem ferendam, si sumpseris ejus animum, qui opem tuam tunc in malis constitutus implorat : si quis victu indiget, impertiamur; si quis nudus occurrerit, vestiamus. »

Vers. 5. 5. AB INOPE NE AVERTAS OCULOS TUOS PROPTER IRAM. — Cujus? *Primo,* accipe iram divitis, a quo pauper eleemosynam petit, *q. d.* Ne irascaris pauperi, eamque repellas quasi importunum, qui clamoribus suis tuas aures obtundat. Si enim id feceris, ipse tibi maledicet, et Deus eum exaudiet. Innuit hoc Rabanus, et Tigurina, dum vertit, *oculum per iram ne dejicias ab egeno.* Hoc enim est τὸ χάριν ὀργῆς, quod est in quodam vetusto codice Græco, etsi in aliis passim, æque ac Syriacis, id desit. Unde et S. Augustinus in *Speculo* legit τὸ *propter iram. Secundo,* accipi potest ira pauperis; de ea enim immediate ante dixit : « Non exasperes pauperem. » Et mox explicans subjungit : « Et ne relinquas quærentibus tibi retro maledicere. » Nam, ut ait Comicus :

Fames et mora bilem in nasum concitant.

Hoc est quod ait Salomon *Proverb.* cap. XXI, 14 : « Munus absconditum exstinguit iras, et donum in sinu indignationem maximam. » *Tertio,* accipi potest ira Dei, quam concitat ira et maledictio pauperis, *q. d.* Noli avertere oculos a paupere; hocque neglectu et despectu ejus iram concitare, quia ipse iratus suas contra te querelas deponet apud Deum, ejusque maledictionem tibi imprecans, vindictam ejusdem tibi accerset. Hoc est, quod subdit :

ET NON RELINQUAS (occasionem) QUÆRENTIBUS TIBI RETRO (id est secreto, post tergum tuum, cum coram et in faciem non audeant) MALEDICERE. — Græca et Syrus, *et ne des illi locum, ut maledicat te;* Arabicus, *ne facias illi viam adversum te, ut tibi maledicat;* Tigurina, *nec locum male tibi precandi cuiquam des.* Sensus ergo est, *q. d.* Ne tua aversione et ira des occasionem pauperibus, qui a te quærunt et postulant eleemosynam, ut tibi post tergum maledicant, id est, mala apprecentur a Deo. Rationem subdit :

Vers. 6. 6. MALEDICENTIS ENIM TIBI IN AMARITUDINE ANIMÆ (quam tu tua avaritia, duritia et ira inique concitasti) EXAUDIETUR DEPRECATIO ILLIUS (τὸ *illius* per pleonasmum Hebræis usitatum redundat : Hebræi enim antecedenti substantivo subnectunt pronomen demonstrativum, quod apud Latinos et Græcos redundat. Causam subdit) : EXAUDIET AUTEM EUM QUI FECIT ILLUM, — *q. d.* Deus creator exaudiet illum, tanquam suam creaturam afflictam, a te spretam et sibi derelictam; ipse ergo quasi pauperum et pupillorum advocatus et pater, justam ejus contra te querelam et causam suscipiet, teque condemnabit et puniet. Unde Syrus nervose vertit : *maledicit enim ipse amarus palato ex tota anima*

sua, et vocem clamoris ejus exaudit Creator ejus; et Arabicus, *præ iracundia enim maledicit de extremis cordis sui; et exaudit Creator illius vocem humiliationis ejus;* et Tirugina, *nam animi præ acerbitate malè tibi precantis orationem Creator ejus exaudiet.* Huic affine est illud Salomonis *Proverb.* XXI, 13 : « Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit, et non exaudietur. » Hæc enim est justa lex talionis. Similis de vidua et pupillo sancita est *Exodi* XXII, 22.

Appositum hujus rei exemplum recenset Sigebertus in *Chronico*, tempore Sabiani Pontificis, sub annum Christi 605, et ex eo Cardinalis Baronius in *Annal.* anni jam dicti, de nautis quibusdam, qui cum pauperi eleemosynam petenti insulse respondissent, « se in navi nil nisi lapides habere, » respondens ille imprecando dixit : « Verum ergo sit, quod dicitis. » Quo dicto, omnia versa sunt in lapides, colore tamen pristino et forma eadem in singulis remanente.

Quocirca Nazianzenus in *Tetrastichis*, hos ad eleemosynam dat stimulos :

1. Depelle cuncta : sint opes solus tibi Christus.
2. Tuæ, quas porrigis, non sunt opes.
3. Debitorem præfer omnibus Deum,
   Frusto rependit sceptra qui cœlestia,
4. Alit tegitque pauperes pascens, Deum.
5. Accessit ad me pauper : at frustra tamen ?
   Christe, extimesco ne tuam quærens opem,
   Abeam vicissim prorsus abs te nil ferens.
   Nam quod negat quis alteri, frustra petit.

Idem in *Monostichis* :

Eris si beneficus, imitaberis Deum ;
Fac sis benignus, ut benignum habeas Deum.

Porro notat Palacius Deum non audire cujusvis pauperis imprecationes ; sed, si justus pauper, inquit, in re gravi juste petat, et tu injuste negas, audiet Deus cruentam imprecationem, et juste te damnabit injustum. Secus erit, si bona quavis ratione negabis ; sunt enim quidam pauperes improbi, adeoque audaces et importuni, ut, nisi illico des quæcumque petunt, diras omnes imprecentur. Hos non audit, sed potius retundit et respuit Deus.

Vers. 7. 7. CONGREGATIONI PAUPERUM AFFABILEM TE FACITO. — Græca et Syrus non habent τὸ *pauperum ;* sic nec Arabicus, qui vertit, *dilectum te fac ecclesiæ ;* sed ex præcedentibus et sequentibus liquet id subintelligi, præsertim quia in cœtu et congregatione populi, plerique sunt tenues et pauperes. Rursum pro *affabilem* habent, προσφιλῆ, id est *amabilem ;* Complut., *amicabilem ;* sed amabilis est affabilis. Est hæc sententia bimembris, duoque docet : scilicet, quomodo cum paribus et inferioribus, quales sunt plebeii et pauperes, nos gerere debeamus, nimirum amabiliter et affabiliter, quasi pares, æquales et socii, ac quomodo cum superioribus, quales sunt presbyteri, seniores et magnates, nimirum humiliter et submisse. Palacius tamen omnia refert ad pauperes, quia de eis hic continuus est sermo, *q. d.* Cœtui pauperum esto affabilis ; sed et, si qui inter eos sint presbyteri, id est senes aut magnates, qui gradu suo exciderunt, et ad inopiam redacti sunt, eos honora, et coram eis te humilia : nobilis enim ob paupertatem, nobilitatem suam et honorem non amisit ; sed potius, si probus sit et patiens, adauxit, et sicut in sene resplendet æternitas Dei Patris, ita in nobili refulget ingenuitas Dei Filii.

ET PRESBYTERO HUMILIA ANIMAM TUAM. — Hæc verba desunt in Græco et Syro. *Presbyterum* intellige, tum ætate, puta seniorem, ut vertit Tigurina ; tum gradu et ordine, puta sacerdotem ; huic enim maxime credita est cura animæ, quæ proinde illi humilianda est, ut ab eo se instrui, duci, regi, absolvi et perfici sinat.

ET MAGNATO (Græce μεγιςάνι, id est, *magnati*), HUMILIA CAPUT TUUM. — Arabicus, *subjice te præfectis civitatis ;* Syrus, *præsidibus urbis humilia caput tuum ;* Tigurina, *optimati caput tuum submitte ;* μεγιςᾶνες enim vocantur quasi μέγιςοι. Sic μάγνητες, id est *magnetes*, apud Macedones dicebantur, qui apud nos senatores dicuntur, sive principes et capita urbis. Unde et summum magistratum vocant Magnetarchen, teste Livio, lib. V *Bell. Macedoniæ*. Magnatibus ergo, ut talibus, debetur submissio et reverentia, quam proinde eis jubet deferri Siracides. Sunt enim nonnulli plebeii, ita vel rustici, vel stolidi et arrogantes, ut cum magnatibus agere velint quasi cum æqualibus, quasi par cum pari, socius cum socio : quo merito offenduntur magnates, ideoque tales humiliare et castigare satagunt.

Vers. 8. 8. DECLINA (inclina) PAUPERI SINE TRISTITIA AUREM TUAM. — Arabicus, *humilia animam tuam indigenti.* Τὸ *sine tristitia* non est jam in Græco, nec Syro ; sed legit illud S. Chrysostomus lib. III *De Sacerdot.*, scilicet, ἀλύπως ; et Tigurina, *præbe aurem tuam pauperi citra molestiam.* Multi enim audiunt pauperes, sed cum molestia, tædio, tristitia : qua proinde tollunt, vel valde imminuunt decus suæ patientiæ et misericordiæ. « Quia qui coactus aliquid facit, mercedem non habet, » ait Ambrosiaster in II Epist. *ad Corinth.* cap. VIII.

Præclare S. Chrysostomus, homilia 21 *in Epist. ad Rom.*, explicans illud cap. XII : *Qui miseretur, in hilaritate,* causam et stimulum dat : « Quis, inquit, regnum accipiens mœstus est ? Quis peccatorum remissionem recipiens, in mœrore manet ? noli itaque pecuniarum respicere sumptum, sed magis, qui ex illo sumptu est, proventum. Si enim qui seminat, gaudet, tametsi in incertum seminet ; multo magis qui cœlum quasi agrum colit. » Denique « hilarem datorem diligit Deus, » *Corinth.* IX, 7 ; non eum qui mœrore afficiatur, perinde ac si pecuniam in pauperes erogatam perdat ; cui audiendus est S. Cyprianus, tract. *De Opere et Eleemosyna* : « Metuis, inquit, ne patrimonium tuum forte deficiat, si operari ex eo largiter cœperis ? Eleemosynarii non timeant inopiam.

Quando factum est, ut justo possent deesse subsidia vitæ? Danieli in lacu ad leonum prædam jussu regis incluso prandium divinitus apparatur; et tu metuis ne operanti tibi, et Dominum promerenti desit alimentum? Unde hæc incredula cogitatio? unde impia et sacrilega ista meditatio? » etc.

ET REDDE DEBITUM TUUM. — Deest id in Græco et Syro : « Debitum » intellige, tum eleemosynæ, tum affabilitatis et facilitatis in audiendo pauperem. Unde Arabicus vertit, *redde illi responsum et pacem in mansuetudine;* Tigurina, *fungere officio tuo; officium* enim significat debitum, puta, omne id quod alteri exhibere debemus, sive illud debitum sit ex justitia, sive ex charitate, sive ex misericordia, sive ex affabilitate et modestia, sive ex quacumque alia virtute. Porro divites sæpe debent pauperibus multa ex justitia pro mercibus, servitiis, laboribus, etc., ab eis sibi exhibitis, ac in illis persolvendis sunt morosi, tardi et difficiles, quia superbe pauperibus dominari volunt, ab eisque quasi subditis sibi omnia deberi censent. Qua in re peccant non tantum contra charitatem, sed etiam contra justitiam. Jubet ergo eis Siracides ut pauperibus præstent omne debitum, primo justitiæ, deinde charitatis et cæterarum virtutum.

Ex hoc loco liquet eleemosynam non esse quid liberum, sed esse debitum. Unde S. Ambrosius lib. *De Naboth,* cap. XII : « Debitum igitur reddis, inquit, non largiris indebitum. » Ideoque dicit tibi Scriptura : « Declina pauperi aurem tuam, et redde debitum tuum, » Et S. Augustinus *in Psalm.* CXLVII, ante medium : « Quære, inquit, quantum tibi Deus dederit, et ex eo tolle quod sufficit. Cætera, quæ superflua jacent, aliorum sunt necessaria; superflua igitur necessaria sunt pauperum; res alienæ. » Et serm. 219 *De Temp.* : « Quidquid, excepto victu mediocri et vestitu rationabili, superfuerit, non luxuriæ reservetur, sed in cœlesti thesauro per eleemosynam pauperum reponatur. Quiquid enim Deus nobis, plus quam opus est, dederit, non nobis specialiter dedit, sed per nos aliis erogandum transmisit; quod si non dederimus, res alienas invasimus. » Idem dicit S. Hieronymus, vel quisquis est auctor, in *Regula Monachorum,* cap. VI, relatus a Gratiano in *Decretis.*

ET RESPONDE ILLI PACIFICE (corrige cum Romanis, *pacifica;* hoc enim significat Græcum εἰρηνικὰ) IN MANSUETUDINE, — *q. d.* Responde pauperibus mansuete et benigne ea quæ animo eorum pacem et serenitatem afferant, non iram et indignationem moveant, ut tibi benedicant, non maledicant, uti dixit vers. 5. Syrus, *responde illi pacem* (ea quæ pacis sunt, ea quæ pacificant mentemque tranquillant) *cum mansuetudine;* Tigurina, *responde eidem amice cum mansuetudine.* Vere S. Ambrosius, vel quisquis est auctor (non enim videtur esse Ambrosii), in Epist. I *ad Timoth.* cap. IV : « Omnis, inquit, summa disciplinæ nostræ (Christianæ) in misericordia et pietate est. »

9. LIBERA EUM, QUI INJURIAM PATITUR, DE MANU SUPERBI. — Arabicus, *vindica damno affectum ab illo qui eum damno afficit;* Syrus, *libera afflictum ab affligentibus eum;* Tigurina, *injuriam patientem eripe e manu injuriam inferentis.* Græce, ἐξελοῦ ἀδικούμενον ἐκ χειρὸς ἀδικοῦντος, id est, *eripe injuriam patientem de manu injuriantis.* Hic enim est actus misericordiæ par, vel major, illi qui dat panem et necessaria pauperi. Sic Abraham liberavit Lot captum ab hostibus, *Genes,* XIV. Moyses liberavit Judæum ab Ægyptio, *Exodi* II. Idem sanxit Salomon *Proverb.* XXIV, 11 : « Erue, inquit, eos qui ducuntur ad mortem, et qui trahuntur ad perditionem, ne cesses liberare. Si dixeris : Vires non suppetunt; qui inspector est cordis, ipse intelligit, et servatorem animæ tuæ nihil fallit. » Hoc est quod eum imitatus Siracides subjungit : Vers. 9.

ET NON ACIDE FERAS IN ANIMA TUA, — hoc est, « tædiose, vel indigne, ait Rabanus, quia charitatis fervorem erga proximum se non habere ostendit, qui eum ab hoste eripere non contendit. » Ubi nota : Τὸ *acide* potest *primo* accipi pro *acede,* ut sit adverbium derivatum ab acedo, et acedia, pro quo vulgo (licet barbare) dicitur accedia. Unde et nonnulli codices hic habent, *accide,* quomodo Interpretem Latinum vertisse est verisimile, sicut et cap. VI, 26 : « Ne acedieris in vinculis ejus; » et cap. XXII, 16 : « Non acediaberis in stultitia, » ubi Græce est μὴ ἀκηδιάσῃς. Quare τὸ *acide,* vel *accide,* pronuntiandum est penultima longa : respondet enim longæ vocali η, quæ est in Græco ejus etymo ἀκήδως et ἀκηδία, id est acedia, torpor, tædium, pigritia, mœror, ita dicta a κῆδος, id est cura, labor, et α privativo; unde ἀκήδης idem est, quod sine cura, expers laboris, incurius, negligens, torpidus, acedus. Sensus ergo est : hanc, quam dixi præstandam, injuriam patientis liberationem, non feras in animo tuo *acide,* hoc est, cum tædio et tristitia, *q. d.* Non sit tibi tædiosum eam præstare, ne sis acedus, piger, lentus et tardus ad eum liberandum; sed libenter, alacriter et velociter eum libera. Ita Jansenius. Favent Græca, quæ habent, μὴ ὀλιγοψυχήσῃς, id est, *ne sis pusillanimis,* quod Interpres Romanus vertit, *non acedieris;* acedus enim est pusillanimis. Acediæ enim filiæ sunt pusillanimitas, metus, torpor, tristitia, tædium, tarditas, desperatio. Tigurina, *ne dimittas animum.* Acide quia? Respondeo primo.

Secundo, τὸ *acide* latine et proprie cum Lyrano deducas non ab *acedia* (sic enim *acede* dicendum fuisset, non *acide*), sed ab *acor* et acidus, ut idem sit quod ægre, iracunde, moleste, indignanter, sive, ut Rabanus ait, *indigne,* vultuque acido et moroso, quasi acetum bibisses, aut acidum pomum comedisses; fructus enim acidi molestant dentes eosque obstupefaciunt, ideoque maxillas contrahunt, faciemque acidam exhibent. Pusillanimes enim, cum opus arduum occurrit, cui se impares arbitrantur, aut cui ex parvitate animi succumbunt, ut illud excutiant, irascuntur et in- Secundo.

dignantur; ergo τὸ *acide* magis impatientiam et indignationem hominis difficilis et morosi sonat, quam acediam et torporem incurii. Unde Complut. vertunt, *ne sis impatiens;* Syrus, *ne abbrevietur spiritus tuus*, id est, esto patiens, fortis et longanimis; Arabicus, *ne fastidias veritatem*, id est, veritatis et innocentiæ patrocinium. Quare Interpres noster vertens *acide*, non barbarus est, uti nonnulli putant; sed egregie Latinus. Sic enim Plautus homines acerbos, molestos, iracundos dicaces, mordaces, vocat acidissimos. Idem in *Pseudol.* : « Ecquid, inquit, habet is homo aceti in pectore? » Idem in *Bacchid.* : « Nunc experiar sitne acetum tibi acre in pectore. » Et Horatius, *Sermon.* 1 :

At Græcus, postquam est Italo perfusus aceto :

id est, postquam amara mordacitate Itali est reprehensus; acetum enim Italiæ est acutum, acre, mordax, ideoque acidum ab acuendo, quia cibos et linguam acuit, eisque suum acorem indit.

Sensus ergo est, *q. d.* Cum tibi liberandus de manu superbi occurrit injuriam patiens, *non acide feras*, hoc est, non concipias inde animi molestiam, impatientiam, morositatem, iram, quasi æquo gravius onus, tuisque humeris impar tibi portandum offeratur; non ostendas te in eo liberando acidum, amarum, difficilem et morosum, quod verearis potentem et superbum offendere, eoque non audeas contendere; noli irasci et indignari; sed magno, tranquillo, misericordi, sereno et generoso animo ei succurre, eum protege et libera, cogitando te Dei causam defendere, justitiæ esse hyperaspistem, misericordiæ patronum agere, pupillorum et pauperum jura tueri, ideoque injustitiæ esse domitorem, superbiæ mastygem, injuriæ vindicem.

Vers. 10. 10. IN JUDICANDO ESTO PUPILLIS MISERICORS UT PATER. — Græca et Syrus, τὸ *in judicando* connectunt cum præcedentibus, hoc modo : *ne sis pusillanimis in judicando*, id est, in vindicando et liberando injuriam patientem de manu superbi, ac deinde novam inchoant sententiam : « Esto pupillis misericors. » Judicis enim proprie et auctoritative est liberare injuriam patientem, ejusque jus et innocentiam tueri; sed sive præcedentibus, sive subsequentibus connectas, eodem fere redit sensus. Agitur enim de liberatione pauperum, miserorum et derelictorum, quales maxime sunt pupilli et viduæ. Jubet ergo ut tales in judicio non negligantur, nec causæ eorum prorogentur, multo minus perverse et inique in favorem partis adversæ potentis judicetur.

ET PRO VIRO MATRI ILLORUM. — Syrus, *esto ut pater pupillis, et pro viro viduæ;* Arabicus, *esto orphanis loco patris, et in similitudine mariti viduis.* Unde Gelasius Papa, epist. *ad Gerontium et Petrum Episcopos*, et habetur dist. 87, *can.* 1, iis viduarum et pupillorum patrocinium, demandat : « Plus, inquit, viduarum et orphanorum causas et impensius ducimus exsequendas, quam tueri a nobis, vel ob omnibus, divina manifestat assertio. » Idem, *can.* 2 : « Pupillis tuitionem, inquit, etiam Divinitas jussit impendi. » Hoc enim tam miserorum et desolatorum patrocinium, est sacrificium Deo gratissimum, juxta illud : « Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem hæc est : Visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, » *Jacob.* 1, vers. ult. Causas ibidem assignavi.

Idipsum præstitit Job; unde coram Deo illud sibi laudi ducens allegat, ut similem sibi opem ab eo impetret; sic enim ait cap. XXIX, 11 : « Auris audiens beatificabat me, eo quod liberassem pauperem vociferantem, et pupillum, cui non esset adjutor. Benedictio perituri super me veniebat, et cor viduæ consolatus sum. Oculus fui cæco, et pes claudo. Pater eram pauperum. Conterebam molas iniqui, et de dentibus ejus auferebam prædam. » Similia habet cap. XXXI, vers. 16 et sequentibus. Plura hac de re S. Ambrosii exempla recenset Sozomenus, lib. VII *Histor.* cap. XXIV. Intellige hæc de pupillis et viduis quæ justam habent causam, et in ea injuste a potentibus opprimuntur. Nam, si injustam causam foveant, sequenda est lex *Exodi* XXII : « Non misereberis pauperis in judicio, » ut propter iniquam misericordiam justitiam pervertas, causam injustam pauperi adjudicando.

Vers. 11. 11. ET ERIS TU VELUT FILIUS ALTISSIMI OBEDIENS (Arabicus et Syrus, *et eris Deo veluti filius*), ET MISEREBITUR TUI MAGIS QUAM MATER. — Τὸ *et* sumitur pro *idcirco*, hac de causa, ob hoc eleemosynæ meritum; illi enim subdit congruam et quasi ex æquo commensam ἀντιμισθίαν et mercedem hanc, *q. d.* Si pupillum tutatus fueris ut pater, viduam ut maritus, Deus vicissim pro mercede exhibebit se tibi patrem, ac te ut filium curabit, imo indulgentior tibi erit quam filiis soleat esse mater. Eris ergo filius Dei Altissimi, quia ejus præceptis obediens misericordiam præstitisti viduis et pupillis, ac consequenter eris quasi Deus quidam terrestris. Sicut enim filius hominis est homo, ita filius Dei est Deus; præsertim si propriam divinitatis dotem, puta beneficentiam et misericordiam, imitetur. Hæc est ratio a priori, quæ ingentem dat stimulum ad eleemosynam.

Beneficentia facit divinos et quasi deos.

Hoc est quod ait S. Hilarius *in Psalm.* LI : « Sic auro (in eleemosynam dato) demutemur, ut ex terrenis cœlestes, et ex mortalibus simus æterni. » Et Clemens Alexandrinus, lib. I *Stromat.* : « Dei imago est, inquit, homo benefaciens. » Nazianzenus, oratione 16 *De Pauper. fovendis* : « Nihil adeo divinum habet homo, quam benefacere. Fac calamitoso sis Deus, Dei misericordiam imitando, etc. Neque enim ulla omnino res est, quæ Dei benevolentiam perinde conciliet, ac misericordia. » S. Gregorius Nyssenus, lib. *De Beatitud.*

« Beati misericordes. Si misericordis, ait, appellatio Deum decet, ad quid aliud te sermo Christi hortatur, nisi ut Deus fias, tanquam insignitus propria nota divinitatis ? » S. Leo, serm. 10 *De Quadrag.*: « Nulla, ait, devotione fidelium magis Dominus delectatur, quam ista quæ pauperibus ejus impenditur, et ubi curam misericordiæ invenit, ibi imaginem suæ pietatis agnoscit. »

Idem a Salomone, Siracide et Hebræis didicerunt Gentiles. Plinius, lib. II, cap. VII : « Deus, ait, mortali est juvare mortalem, et hæc ad æternam gloriam via. Hac proceres ivere Romani. » Seneca in *Proverb.*: « Quid est dare beneficium? imitari Deum. » Idem, lib. *De Form. vita* : « Deum, ait, amabis; sed illum in hoc imitaberis, quod nobis omnibus prodesse, et nulli obesse possit. Nam, ut ait Plato in *Timæo* : « Deus est summum bonum, super omnem substantiam omnemque naturam, quem cuncta petunt, cum ipse sit plenæ perfectionis, nec societatis indignus. » Et Aristoteles, lib. I *Ethicor.* cap. XVII : « Bonum quanto communius, inquit, tanto divinius. »

ET MISEREBITUR (Græce ἀγαπήσει, id est *diliget*) TUI MAGIS QUAM MATER. — Recte legit spiritu leni cum Complut. Interpres ἡ μήτηρ σου. Quare minus recte aliqui spiritu aspero legunt ἡ μήτηρ σου, vertuntque, *et diliget te magis mater tua.* Mira Dei dignatio, qua misericordibus et eleemosynariis erga pupillos et viduas, dignatur esse non tantum pater, sed et mater, imo plus quam mater, juxta illud *Isaiæ* XLIV, 2 : « Hæc dicit Dominus faciens et formans te, ab utero auxiliator tuus; » et vers. 24 : Redemptor tuus, et formator tuus ex utero; » et cap. XLVI, 3 : « Audite me, domus Israel, qui portamini a meo utero, qui gestamini a mea vulva ; usque ad senectam ego ipse, et usque ad canos ego portabo : ego feci, et ego feram; ego portabo, et salvabo; » et cap. XLIX, 15 : « Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te. »

Hac de causa Philo, Orpheus aliique veteres Philosophi et Theologi Deum vocant πατρομήτορα et μητροπάτορα, id est, *patrimatrem* et *matripatrem*, eo quod omnipotentiæ patris indulgentiam matris associet. Qua de re plura dixi *Actor.* XVII, vers. 27, et *Epist.* I *S. Joannis*, cap. I, 1 : » Causa est, ait Palacius, et quasi ratio a priori, quia paternus affectus et maternus major multo est in Deo, quam sit in patre aut matre vulgaribus. Cum enim Deus eum affectum rebus creatis communicarit, majorem sibi reservavit, ut nos majore prosequeretur. Nulla enim creatura tanti affectus capax est, quantum ipse habet, qui infinita habet cuncta quæ habet. Notabis item, quam compendiaria ratione principes et judices Deum sibi possint habere devinctum ut patrem et matrem, scilicet, jus servando pupillis et viduis. » Pauperes enim et afflicti, cum sint omni humano auxilio destituti, suo jure divinam opem regiumque præsidium implorant; his ergo adest Deus, atque rex vel princeps, « cujus imperii majestas salutis est tutela, » ut ait Plinius in *Panegyric. Trajani* : « Principem enim, inquit ille, dat Deus, qui erga hominum genus vice sua fungatur. » Sic de Salomone, rege pio æque ac potente, et magis de Christo prædixit David *Psal.* LXXI, vers. 12. : « Liberabit pauperem a potente, et pauperem cui non erat adjutor. » Sic et Theodoricus, rex Gothorum sapiens, apud Cassiodorum, lib. III *Variar.* cap. XX, ait : « Inter gloriosas reipublicæ curas, quas perpeti cogitatione Deo auxiliante revolvimus, cordi nostro est levamen humilium, ut contra potentiam superborum nostræ pietatis erigamus obstaculum, nec liceat quidquam apud nos audaciæ, cujus est propositi superba calcare. »

Moral. de pretio eleemosynæ.

Hunc disce quantæ utilitatis et quanti apud Deum momenti et meriti sit eleemosyna, ut merito dixerit Venerabilis Beda in *Proverbiis* « Salus est divitum, subvenire necessitatibus pauperum. Manus pauperis est Christi gazophylacium. » Huc facit proverbium Arabicum, quod habetur in impressis, *Centuria* 1, num. 80 : « Liberalis vicinus est Dei, vicinus hominum, vicinus paradisi, remotus ab igne inferni, » *q. d.* Liberalis felix est, non solum in hoc sæculo, sed et in futuro, quia vicinus erit Deo. Quin et Seneca in *Sententiis* : « Eleemosyna, ait, non tam accipientibus, quam dantibus prodest. » Quare vere dixit S. Paulus : « Beatius est magis dare, quam accipere, » *Actor.* XX, 35. Vide ibi dicta.

Porro S. Chrysostomus, homil. 35 et 68 *ad Populum* : « Deus, inquit, cibari a te vult (in paupere), ut te cibet; indui, ut te induat. Pecuniam ergo contemne, ne contemnaris; ut dives sis, tua largiter da; ut colligas, disperge; imitare seminantem. Semina in benedictionibus, ut de benedictionibus et metas. » Idem, homil. 32 *in* II *epistolam ad Timoth.* : « Eleemosyna, ait, est amica Dei, semper ei propinqua, pro quibuscumque voluerit facile gratiæ munus impetrat, tantum si a nobis non lædatur, si nullam a nobis patiatur injuriam. Injuriam autem patitur, cum ex rapinis eam volumus operari; si vero fuerit munda, magnam præstat confidentiam tribuentibus eam. Tanta est virtus ejus, tantaque potentia. »

Addit deinde : « Sed etiam vincula peccatorum ipsa dissolvit, fugat tenebras, exstinguit ignem, mortificat vermem, expellit stridorem dentium. Huic portæ cœli aperiuntur, et veluti regina intrante nullus janitorum, nullus custodum qui portis assistunt, audet dicere : Quæ tu es? vel unde ? sed omnes eam e regione suscipiunt. Regina namque est vere regina, similes faciens homines Deo. Estote, inquit, misericordes, sicut Pater vester misericors est. Pennata namque est, et valde levis, habens alas aureas, et volatum qui Angelos deceat ; scriptum est enim : Pennæ tuæ sicut pennæ columbæ deargentatæ, et collum ejus in fulgore auri. Sicut columba quædam

nitens et aurea, venustate decorata, mites et affabiles oculos habens, per cuncta pervolat : sic et misericordia nitet magno decore festiva. Nihil est illis oculis melius. » Mox pavoni eam comparans subdit : « Pulcher quidem est pavo ; sed in illius comparatione deformis apparet. Ita enim ut avis quædam pulchra est et mirabilis, ab ipso initio per tempora cuncta perdurans, et multa divina gratia decoratur. Virgo est habens alas aureas, circumspecta per omnia, venusteque succincta, vultum habens candidum atque mansuetum, pennata est, levis, et semper ante solium regale consistit. Quando judicamur, repente subvenit, et nos a suppliciis liberat imminentibus alis suis nos contegens. Hanc amplius desiderat Deus, quam sacrificia innumera. »

SECUNDA PARS CAPITIS,

QUA HORTATUR AD STUDIUM SAPIENTIÆ EX DUODECIM EJUS OFFICIIS.

Vers. 12. 12. SAPIENTIA FILIIS SUIS VITAM INSPIRAT. — Secunda est hæc capitis pars, qua redit ad sapientiam quasi ad primarium suum thema : sicut enim cap. III, vers. 32 et 33, saliit a sapientia ad eleemosynam, quasi a genere ad speciem : ita hic resilit ab eleemosyna ad sapientiam, quasi a specie ad genus, ab hypothesi ad thesin. Dixerat enim vers. præced. Deum miserturum misericordium quasi filiorum, magis quam matrem : nunc idipsum sigillatim ostendit, quanta scilicet Deus per sapientiam suam iis præstet et communicet.

Sedecim sapientiæ officia et beneficia. Quocirca sedecim sapientiæ officia et beneficia, quæ ipsa suis filiis, quales dixit esse misericordes, confert, recenset. *Primum* est, « Sapientia filiis suis vitam inspirat ; » *secundum*, « Suscipit inquirentes se ; » *tertium*, « Præibit in via justitiæ ; » *quartum*, « Qui vigilaverint ad illam, complectentur placorem ejus ; » *quintum*, « Quo introibit (sapiens), benedicet Deus ; » *sextum*, « Qui serviunt ei, obsequentes erunt sancto ; » *septimum*, « Eos, qui diligunt illam, diligit Deus ; » *octavum*, » Qui audit illam, judicabit gentes ; » *nonum*, « Qui intuetur illam, permanebit confidens ; » *decimum*, « Si crediderit ei, hæreditabit illam ; » *undecimum*, « Erunt in confirmatione creaturæ illius ; » *duodecimum*, » In tentatione ambulat cum eo ; « *decimum tertium*, vers. 20, « Firmabit illum ; » *decimum quartum*, « Lætificabit illum ; » » *decimum quintum*, « Denudabit absconsa sua illi ; *decimum sextum*, « Thesaurizabit super illum scientiam et intellectum justitiæ. »

Primum ergo est, « Sapientia filiis suis vitam inspirat, » puta, vitam gratiæ et gloriæ, quæ est vita supernaturalis, cœlestis, divina, beata et æterna. Comparat sapientiam matri. Sicut enim mater filios in utero animat et vivificat, eisque aspirat vitam naturalem, ita sapientia suis inspirat supernaturalem. Fertur pelicanus avis eliciendo e pectore sanguinem, eoque rigando pullos jam mortuos, vel verius deficientes et moribundos vivificare. Pelicano similis est sapientia. Unde pelicanus est symbolum Christi, qui suo sanguine nos peccato mortuos, aspirando spiritum gratiæ et charitatis vivificavit. Audi S. Hieronymum, epist. 29 *ad Præsidium*, tom. IX, vel quisquis est auctor; stylus enim arguit non esse S. Hieronymum, imo esse assumentum epistolæ continens fabulosa de phœnice, vipera, pelicano, etc. : « Pelicani, inquit, cum suos a serpente filios occisos, mortuos inveniunt, lugent; et se et sua latera percutiunt, et sanguine excusso corpora mortuorum sic reviviscunt. » Idem habet S. Augustinus *in Psalm.* CI, Kiranides, Isidorus, Gesnerus, et Aldrovandus lib. X *De Avibus*, cap. XII, *in Onocrotalo ;* hunc enim censent esse pelicanum, æque ac S. Hieronymus *in Psalm.* CI, Plinius et Oppianus. Verum de veritate hujus rei merito dubitat S. Augustinus. Negant Albertus, Gesnerus et Aldrovandus; qui tamen addit Horum et Ægyptios tradere vulturem Ægyptium ardentissime suos pullos amare, ac, si quando nutrimenti facultas desit, ne fame illi pereant, femori suo vulnus infligere, et effluentem sanguinem eis dare exsorbendum : pelicanum vero adeo pullos suos diligere, ut dum ignem circa nidum ab aucupibus excitatum exstinguere alis ventilando conatur, illas sibi adurat et torreat. Idem tradit Pierius. Addit Gesnerus pelicanum forte vocari vulturem Ægyptium jam dictum.

Christus quasi pelicanus suo sanguine nos vivificat. Talis vultur, talis pelicanus nobis est Christus, qui est ipsa increata et incarnata Dei Sapientia ; ipse enim suo sanguine in cruce, et sua carne in Eucharistia nos pascit et vivificat. Porro, cum sapientia hæc unica sit, unicam pariter habet vitam, qua ipsa vivit, quamque filiis per inspirationem communicat, nisi quod vita hæc in ipsa est per naturam, filiis vero communicatur per gratiam. Hujus symbolum et initium fuit in suscitatione Lazari; Christus enim clamando : « Lazare, veni foras, » eum a morte ad vitam revocavit, *Joan.* XI. Idem facit cuilibet peccatori, dum eum peccato mortuum spiraculo gratiæ quasi filium sapientiæ vivificat.

Rursum hæc sententia valde apposite accipi potest de sapientia creata; ipsa enim vitam, id est, doctrinam vitalem et vivificam, puta, normam bene beateque vivendi suis aspirat. Unde

Arabicus vertit, *Sapientia corripit filios suos, et egredietur in omni sermone suo*; Syrus, *Sapientia filios suos erudivit, et illuminabit omnes, qui intelligunt eam.* Sicut ergo lux solis est vivifica, vitamque plantis et animalibus aspirat: sic et sapientia, quæ est lux spiritalis et divina, juxta illud *Psal.* XXXV, 10: « Quoniam apud te est fons vitæ. » Quis hic fons? utique lumen, quod explicans subdit: « Et in lumine tuo videbimus lumen. » Notent hoc doctores, quique alios ad virtutem magno labore erudiunt et illuminant, seque solentur et excitent, cogitando quod alios illuminando vitam eis conferant, non animalem, naturalem et temporalem; sed cœlestem, supernaturalem et æternam. Hinc, sicuti Deus, inspirans in Adam spiraculum vitæ, eum animavit et vivificavit, *Gen.* II, 7: ita pariter Christus insufflans in Apostolos Spiritum Sanctum, *Joan.* cap. XX, fecit eos non tantum in animam viventem, sed et in Spiritum vivificantem, ut, scilicet, alios quamplurimos sua sanctitate et spiritu vivificarent Deo.

Tertio, Græca jam non habent, ἐψύχωσεν, id est, *animavit, vivificavit, vitam inspiravit,* uti legit Noster; sed ἀνύψωσεν, id est, *exaltavit.* Unde Tigurina vertit, *Sapientia filios suos extollit;* quia ex rudibus facit doctos, ex insipientibus sapientes, ex terrenis cœlestes, ex hominibus angelos. Ad hæc, quia facit eos reges, præsides, duces, rectores, doctores cæterorum; sapientum enim est alios minus sapientes regere et docere.

Rursum Clemens Alexandrinus, lib. VII *Strom.* legit, ἐνεφυσίωσε, id est, *inflavit*, vel *insufflavit Sapientia filios suos;* hoc est, *insufflando vitam iis inspirat*, ut vertit Noster. Alludit ad halitum vitalem, quem Deus inspiravit Adæ, *Genes.* cap II. Inflare enim hic non significat tumefacere, sed inspirare sapientiam et vitam. « Non enim (inquit Clemens Alexandrinus lib. VII *Strom.*) iis qui sunt in doctrina singulari, fastum et arrogantiam ingeneravit Dominus; sed in veritate habere fiduciam, et esse magnificum in cognitione, quæ traditur per Scripturas; effici contemptorem eorum quæ trahunt ad peccatum: quod significat dictio, inflavit, quæ docet magnificentiam sapientiæ, quæ implantatur iis qui sunt per doctrinam filii. » Tertullianus in *Scorpiaco,* cap. IX, legit, « sophia jugulavit filios suos; » sed potius hanc sententiam Tertullianus ex *Proverb.* cap. IX, 2, quam ex hoc loco sumpsisse videtur, uti annotavit ibidem Pamelius.

Symbolice, Sapientia increata, puta, ipse Deus, est vita essentialis et increata, quam filiis suis aspirat, infundendo eis vitam creatam, puta, gratiam et charitatem, quæ est quasi anima supernaturalis animæ et hominis. Ubi recte notat noster Lessius, lib. VI *De Perfectionibus divinis,* cap. V. Vita, inquit, dicitur et substantia vitalis, ut est anima et natura angelica; et operatio vitalis, quæ nimirum in operante, a quo emanat, remanet; qualis est intelligere, amare, sentire, appetere, se movere. Utroque modo Deus est vita (semotis imperfectionibus), nec solum vita, sed prima vita, et æterna vita, et ipsa vitæ plenitudo ac universitas, omnis vitæ origo et consummatio, principium et finis: in quo etiam omnia, quæ non vivunt, vita sunt. Ipse enim est supervitalis essentia, et superessentialis vita, omnem vitalem substantiam intra se eminentissime et simplicissime præhabens, et causaliter complectens, et extra se quamlibet juxta suam speciem formans, conservans et perficiens. Ipse est sua vitalis operatio, nimirum, sua intellectio, suus amor, suum gaudium, sua beatitas. Ex illo supervitali fonte omnia, quæ aliquo modo vivunt, vitam hauriunt, et vitales facultates motusque accrescunt, alia præstantiores, alia minus præstantes, juxta gradum cujusque et ordinem. Inde vita omnis et plantarum, et animalium, et hominum, et dæmonum, et Angelorum; omnis vita naturalis et supernaturalis hujus sæculi et futuri, temporalis et æterna. Denique, sicut ipse est omnium existentium esse superessentiale, ita omnium viventium vita supervitalis, ut S. Dionysius ait. cap. VI *De Divinis Nomin.*

Tribuitur Deo vita, maxime ratione intelligentiæ et sapientiæ; hæc enim est prima et suprema vita, seu vitalis operatio, a qua omnis alia vita procedit. A sapientia enim manat amor: per hæc autem cætera omnia sunt condita et formata. Deinde in ipsius sapientia omnia vivunt; ipsum enim intelligi, et intellectu formari est quoddam esse, et vita intelligibilium; et intellectio rei, est ipsa res modo intelligibili. Itaque sapientia divina est omnium vita, et per eam Deus sibi et omnibus vivit, et omnia ipsi vivunt, et adsunt, et splendent, et immutabiliter in ipso perseverant ex omni æternitate in omnem æternitatem.

ET SUSCIPIT INQUIRENTES SE, — *q. d.* Sapientia velut mater et magistra, sui studiosos velut manu porrecta ad se allicit, eosque ultro in suam disciplinam, alimoniam, fidem et tutelam recipit. Unde Tigurina vertit, *et sectatores suos amplectitur.* Unde S. Dionysius.: « Suscipit, » ait, id est preces eorum exaudit. Amplius et plenius Hugo discutiens τὸ *suscipit*: « Suscipit, inquit, id est sursum capit, ut omnis eorum cogitatio et conversatio sit in cœlis. » Rursum « suscipit, » ad protegendum; unde in *Psalmis*: « Susceptor et protector noster; » et *Psal.* XL: « Me autem propter innocentiam suscepisti; » et *Psal.* CXXXVIII: « Suscepisti me de utero matris meæ. » Item « suscipit, » ad reficiendum, *Matth.* cap. XI: « Venite ad me, omnes, qui laboratis, et onerati estis; et ego reficiam vos. » Quo sensu dicitur *Psal.* III: « Ego dormivi, et exsurrexi; quia Dominus suscepit me; » et *Matth.* XVIII: « Qui susceperit unum, etc., me suscipit. » Item « suscipit, » ad erudiendum; « suscipit, » ad glorificandum. *Psal.* CXLVI: « Suscipiens mansuetos Dominus. » *Isaiæ* XLII: « Ecce

servus meus, suscipiam eum. » Pergit Hugo : « Suscipit timidos ut dominus, famelicos ut pater, ignaros ut magister, miseros ut Deus. »

ET PRÆIBIT IN VIA JUSTITIÆ, — quasi facem præferens, ostendens quid justum sit et sanctum, quid injustum et impium, ac monens hortansque suos ut justum capessant, itaque efficiens, ut in via justitiæ claro et constanti gressu incedant. Hujus typus fuit columna ignis noctu præiens castra Hebræorum, quæ eos securos salvosque duxit in terram promissam, de qua dixi *Exodi* XIII, et *Num.* IX ; unde de eo securus Jeremias ait cap. XVII, 16 : « Et ego non sum turbatus, te pastorem sequens. »

Porro Sapientia increata, puta Christus, nobis præit viam justitiæ, non tantum sua doctrina et exemplo, sed et sua gratia præveniente, qua voluntatem languidam excitat et corroborat ad opera justitiæ, eorumque occasiones suggerit, tentationes amovet, omnemque justitiæ viam complanat, facilemque et expeditam reddit. Christus ergo nos præit, sicut pastor præit oves, eas deducens ad pascua, protegens a lupo, viam ostendens, et per omnia dirigens : et sicut pater præit filium, eum, apprehensa manu, deducens per salebras et rupes, juxta illud *Psalm.* LXXII, 24 : « Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me. » Insuper præit, sicut dux præit milites ad pugnam, æque ac ad victoriam et triumphum, juxta illud *Michææ* II, 13 : « Ascendet pandens iter ante eos, etc. Et Dominus in capite eorum. » Vide ibi dicta.

Vers. 13. 13. ET QUI ILLAM DILIGIT, DILIGIT VITAM. — Syrus, *amatores ejus sunt illi qui amant vitam.* Quia sapientia creata est animæ vita, tum formalis per doctrinam et gratiam, tum causalis per gloriam, ad quam nos deducit. Sapientia vero increata, puta Christus, est « via, veritas et vita, » *Joan.* XIV, 6. Ergo « filii hominum, ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? » Si diligitis peccatum, vere puram diligitis mortem. Si diligitis mundum, utique diligitis vanitatem, et mixtam cum multa morte exiguam vitam. Diligite sapientiam, ita puram ; et sine labe vitam diligetis. Igitur sola sapientia digna est vestra dilectione, ait Palacius. Prudenter Plato, lib. VI *De Republica* : « Fieri, inquit, non potest, ut illud non imitetur aliquis, cui cum amore admirabundus adhæret : quare, cum Philosophus divino atque decoro prudenter adhæreat, divinus ipse atque decorus, quoad homini possibile est, efficitur. »

ET QUI VIGILAVERINT AD ILLAM, COMPLECTENTUR PLACOREM EJUS. — « Placorem, » id est placiditatem, suavitatem, jucunditatem et lætitiam sapientiæ. Hæc enim significat Græcum εὐφροσύνη. Sicut enim Sapientia creata et increata, puta Christus, est vita : sic est et dulcedo ac lætitia ineffabilis animæ sapienti et sanctæ. Syrus vertit, *et qui inquirunt eam, percipient voluntatem*, vel *desiderium a Domino*, puta percipient id quod volunt optant et desiderant, ideoque lætabuntur. Desiderium enim rei amatæ absentis, parit lætitiam et gaudium, si res amata et optata fiat præsens, eaque fruamur. Unde Tigurina, *qui eam mane adeunt, replebuntur lætitia.*

Nota : Τὸ *vigilaverint* significat primo mane surgendum ad quærandam sapientiam ; aurora enim sapientiæ et Musis amica. Rursum, quod sapientia offert sese et occurrit iis, qui mane studiose et sollicite eam investigant ; hi enim sunt, ut habent Græca, ὀρθρίζοντες πρὸς αὐτήν, id est *manicantes*, sive *mane evigilantes et surgentes ad ipsam perquirendam.* Sic Psaltes, *Psalm.* LXII, 1 : « Deus, Deus meus, inquit, ad te de luce vigilo ; « et Isaias, XXVI, 9 : « Anima mea, inquit, desideravit te in nocte ; sed et spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te ; » et Moses, *Deut.* VI, vers. 7 : « Meditaberis in eis (verbis Dei et sapientiæ) sedens in domo tua, et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens. » Vide ibi dicta. Facit ergo vigiliam amor et amans sollicitudo : si amor Christi te accenderit, excitaberis summo mane e somno, nihil aliud quam Christum et cogitans et amans. Tunc senties placorem, seu placidissimam et jucundissimam esse sapientiam ; tunc gustabis quam suavis sit Dominus ; tunc prælibabis quam beata sit æternitas, quam Deus sui, puta sapientiæ, studiosis promisit. Tunc jubilabis Deo cum Angelis, juxta illud S. Job cap. XXXVIII, 7 : « Cum me laudarent simul astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei. » Hæc sciunt et sapiunt, qui mane vacant orationi et meditationi sapientiæ.

Hujus dulcedinis sapientiæ symbolum erat manna, omne delectamentum in se habens, et omnem saporem suavitatis, quod ante solis ortum vigilantes colligere debebant, ne liquesceret, *Sapient.* XVI, 27 : « Quod enim, inquit, de manna loquens, ab igne non poterat exterminari, statim ab exiguo radio solis calefactum tabescebat : ut notum omnibus esset, quoniam oportet prævenire solem ad benedictionem tuam, et ad ortum lucis te adorare. « Quocirca S. Bernardus, serm. 70 *in Cantic.* : « In principio vigiliarum tuarum, inquit, accelera ; quantumvis etiam ipsas anticipares vigilias, invenies eum, non prævenies : temere in tali negotio vel prius aliquid tribuis tibi, vel plus, et magis amat, et ante. » Idem Bernadus, serm. *De Septem donis Spiritus Sancti* : « Omnes, inquit, sapientiam quærimus, omnes concupiscimus eam ; sed frustra quærit, qui in lectulo suo quærit ; neque in terra suaviter viventium invenitur : lectulus est, et ibi gigantem quæris? Si quæritis, inquit, quærite, convertimini et venite. Quæris unde? A lectulo tuo. Quæris, unde convertaris? A voluptatibus, inquit, tuis avertere. »

Pro *placorem*, alii vertunt *malaciam*, id est sedatissimam animi quietem, sublatis animi et conscientiæ scrupulis æstibusque, similem mari tranquillo, nullisque ventis aut fluctibus agitato.

Mystice, hæc sapientia est Christi mater Deipara, quæ omnes ad se confugientes quibuslibet angoribus animique perturbationibus liberat, serenat ac tranquillat. Unde S. Bonaventura in *Speculo* : « Ad te, ait, Domina, clamavi in angustia animæ meæ: et tu serenasti conscientiam meam. »

Moraliter, nota effectum signumque certum veræ sapientiæ et sanctitatis esse placorem, puta animum placidum, quietum, hilarem; hunc enim efficit sanctitas et sancta conscientia, quia animam Deo assimilat. Deus autem est ipsa placiditas, tranquillitas, hilaritas. Quocirca S. Ephrem in hac animi quiete constituit perfectionem virtutis et sanctitatis; sic enim scribit tomo I, tract. *De Vera renuntiatione*: « Universum certamen nostrum in eo est positum, ut ab iis, quæ intra nos sunt, perturbationibus conquiescamus ac liberemur, et veris tumultibus renuntiemus, cum universa turba pravarum cogitationum, quæ ab adversis illis potestatibus nobis ingeruntur. Vera siquidem renuntiatio hæc est, interna animi pace atque quiete perfrui, eamque tueri. Quando igitur coram Deo in oratione persistis, cave ne pulchra tua vasa, in quibus Deo ministras, hoc est cogitationes tuæ, ab hostibus tuis rapiantur. Et quo pacto, precor, vel in quo ministrabis Deo universorum, captis, id est abreptis, et quasi in captivitatem abductis cogitationibus? Non enim indiget Deus ut os vel lingua oret. Cultus autem Deo placens hic est, ut cogitationes, et tota fortitudo ac vis animæ, cum mente tota absque ulla distractione in Deum ferantur. »

Sanctitas sita in pace animi.

Idem, tract. *De Beatitudinibus*, eas sic orditur: «Beatus, qui a cunctis rebus terrenis vanæ hujus vitæ totus est liber in Domino, ac Deum solum bonum ac misericordem amplectitur. Beatus, qui spiritali gaudio suos reficit conservos, ex fructu virtutum, quas suo excoluit labore, ut fructum referret in Domino. Beatus, in cujus pectore semper Dei memoria insederit; erit enim totus ille quasi Angelus cœlestis super terram, cum timore et amore Domino sacrificium offerens. Beatus, qui in cella sua, in Domino, tanquam Angelus cœlestis, castas retinet cogitationes, suoque collaudat eum ore, qui omnium spirituum habet potestatem. Beatus, qui factus est sicut Seraphim et Cherubim, et in divino ac spiritali officio nunquam est segnis, sed assidue glorificat Dominum. Beatus, qui semper spiritali gaudio plenus est, nec in portando suavi Domini jugo pigrescit: coronabitur enim in gloria. »

Divine vero S. Cyprianus lib. II, epistola 2 *ad Donatum*, animi sancti in hac quiete omnia terrena, tam prospera quam adversa, despicientis, imo ridentis, celsitudinem ita describit : « Una igitur placida et fida tranquillitas, una solida et firma securitas, si quis ab his inquietantis sæculi turbinibus extractus, salutaris portus statione fundatus, ad cœlum oculos tollat a terris, et ad Domini munus admissus, ac Deo suo mente jam proximus, quidquid apud cæteros in rebus humanis sublime ac magnum videtur, intra suam jacere conscientiam glorietur. Nihil appetere jam, nihil desiderare de sæculo potest, qui sæculo major est. » Et mox: « Ut sponte sol radiat, dies illuminat, fons rigat, imber irrorat: ita se spiritus cœlestis infundit, postquam auctorem suum cœlum intuens anima cognovit, sole altior, et hac omni terrena potestate sublimior, id esse incipit, quod esse se credit. Tu tantum, quem jam spiritalibus castris cœlestis militia signavit, tene incorruptam, tene sobriam religiosis virtutibus disciplinam. Sit tibi vel oratio assidua, vel lectio; nunc cum Deo loquere, nunc Deus tecum: ille te præceptis suis instruat, ille disponat; quem ille divitem fecerit, nemo pauperem faciet. » Denique S. Augustinus, lib. I *De Sermone Domini in monte*, cap. IX, explicans illud *Matth.* V, 9: « Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur; » ita sapientiam definit: « Sapientia est contemplatio veritatis, pacificans totum hominem, et suscipiens similitudinem Dei; » quia facit, ut sapiens instar Dei sit placidus, serenus, tranquillus, imperturbatus, excelsus, tam in adversis quam in prosperis, quasi angelus aliquis in carne obambulans.

14. QUI TENUERINT ILLAM VITAM HÆREDITABUNT, — Vers. 14 præsentem sæpe longævam, et futuram semper æternam. Pro *vitam* Græce est δόξαν, id est *gloriam;* via enim ad gloriam perennem est sapientia. Sic et Arabicus, *qui pervenient, inquit in illa invenient honorem a Deo*. Utrumque jungit Syrus, vertitque, *amatores ejus sunt illi, qui amant vitam.* Et mox, *et qui adherent illi, honorem ab ante Dominum* (id est, a Domino) *inveniunt;* Græce ὁ κρατῶν αὐτῆς κληρονομήσει δόξαν, id est, *qui eam apprehenderit, et constanter tenuerit ac possederit;* Tigurina, *qui ea potitus fuerit, gloriam consequetur*. Græca ergo legunt in singulari, et hoc apte concordat cum singulari, *introibit*, quod sequitur.

ET QUO (quocumque) INTROIBIT (aliqui clarius magisque connexe legunt, *introibunt*), non sapientia, sed qui tenuerit illam), BENEDICET DEUS, — *q. d.* Quocumque introibit sapiens, comitabitur eum Dei benedictio, qua Deus omnibus ejus itineribus et actionibus benedicet, easque prosperabit, et ad felicem exitum fructumque insignem perducet. Syrus rursus vertit dupliciter, *qui inquirunt eam, accipient voluntatem* (id est desiderium, puta id quod volunt et desiderant) *a Domino*. Et mox, *et locus cui benedixit Dominus, domus habitationis eorum;* Arabicus, *et mansio eorum mansio est cui benedixit Deus;* Tigurina, *quocumque introierit, accedet favor Domini*. Hoc est, quod Israelitis sapientibus, puta timentibus Deum, promisit Moses, *Deuteron.* cap. XXVIII, vers. : « Si audieris vocem Domini Dei tui, ut facias atque custodias omnia mandata ejus, etc. Benedictus tu in civitate, et benedictus tu in agro, etc.; benedicta horrea tua, et benedictæ reliquiæ tuæ. Bene-

dictus eris ingrediens et egrediens; » et vers. 8: « Emittet Dominus benedictionem super cellaria tua, et super omnia opera manuum tuarum, benedicetque tibi in terra, quam acceperis. » Ita benedixit Abrahæ, Isaac et Jacob, quin et propter Jacob benedixit infideli Laban socero ipsius. Unde Laban ad Jacob volentem discedere, supplicans ut maneat: « Inveniam, ait, gratiam in conspectu tuo: experimento didici, quia benedixerit mihi Deus propter te, » *Genes.* XXX, 27.

Alludit Siracides ad historiam Obededom, in cujus domum arca Dei introivit, ac ideo herum domus, totamque ejus familiam Deus benedixit II *Reg.* VI. Si Deus benedixit Obededom ob ingressum arcæ, quanto magis benedicet animam, in quam divina Sapientia, id est Sanctitas, introibit?

Vers. 15. 15. QUI SERVIUNT EI, OBSEQUENTES ERUNT (Tigurina, *obsequium præstant*) SANCTO. — Græce, οἱ λατρεύοντες αὐτῇ, λειτουργήσουσιν ἁγίῳ, id est, *qui latria colunt illam* (sapientiam), *hi liturgiam exhibent,* id est, ministerium sacrum serviunt, *sancto,* puta Deo, vel potius sanctuario et templo : hoc enim græce vocatur ἅγιον sine articulo, id est, sanctum per excellentiam; ideoque secretior ejus pars, in qua erat arca et Cherubim, vocabatur ἅγια ἁγίων,, id est, Sancta sanctorum, hoc est, sanctissima. Alludit ad illud *Proverb.* cap. IX 1 : « Sapientia ædificavit sibi domum, » puta templum, hoc est Ecclesiam, tum legis naturæ, tum Mosaicæ, tum Evangelicæ : « Immolavit victimas suas, miscuit vinum, et proposuit mensam suam, tum sapientiæ et doctrinæ, tum sacrificii, præsertim Eucharistici.

Sensus ergo est, *q. d.* Qui se addicunt et quasi devovent sapientiæ, ut illam discant, aliosque doceant, eaque ratione eamdem latria, id est, cultu quodam sacro et religioso colunt, hi sunt quasi sacerdotes mystici, qui Deo in templo, puta, in Ecclesia, liturgiam, id est, ministerium sacrum, exhibent, dum alios docent Deum latria colere, pie vivere, et in omnibus sapienter agere. Significat ergo *primo,* studiosos et cultores sapientiæ eo fore honore, ut sint quasi λειτουγοί, id est, sacerdotes templi et Dei. Alludit ad illud *Isaiæ* LXI, 6, ubi Septuaginta eodem nomine utentes vertunt, ὑμεῖς δε ἱερεῖς Κυρίου κληθήσεσθε, καὶ λειτουργοὶ Θεοῦ, id est, *vos autem sacerdotes Domini vocabimini, et ministri sacrorum Dei.* Huc pariter allusit S. Paulus, cum se cæterosque sapientiæ, puta, Evangelii, præcones vocat λειτουργούς, id est, sacerdotes Dei, qui Deo sacrificent Evangelium, hoc est Evangelium, hoc est, Evangelii prædicationem Deo offerant, quasi victimam mysticam, sed gratissimam, *Roman.* XV, 16. Vide ibi dicta. Simili modo D. Henricus Suso vocabatur Minister æternæ Sapientiæ, ut dixi cap. I, 15.

Notent hæc Philosophi et Theologi, Philosophiæ et Theologiæ non tantum speculativæ, sed et practicæ studiosi, sive doctores, sive discipuli; sciant se mysticos esse Dei sacerdotes, Deoque sacrificare studium et doctrinam sapientiæ.

Secundo, consequenter indicat studiosos sapientiæ ita pure, caste et sancte eam colere, et vivere debere, perinde ac si sacerdotes essent, sacrisque in templo fungerentur. Unde Syrus vertit, *ministri ejus* (sapientiæ), *ministri sanctitatis;* et Arabicus, *ministri illius, ministri puri et sancti.* Unde Palacius sic explicat : *Obsequentes erunt sancto,* id est, *sanctitati* : « Nemo putet, inquit, se diligere sapientiam, aut ei inservire, si sanctitati non obsequatur; ut enim, juxta Paulum, II *Timoth.* cap. II, 19, recedat ab iniquitate omnis qui invocat nomen Domini, ita recedat ab iniquitate, qui servit sapientiæ. Cur ita? Quia sapientia sanctitas est. Igitur, ut qui se totum tradit sapientiæ, credere debet se tradidisse sanctitati : ita qui partem suam dedit iniquitati, credat se totum sapientiæ abstulisse. Tu jam, lector, intelligis, cur Angelus Mariæ dixit : Quod enim ex te nascetur Sanctum, scilicet, quia, ut vere ex Virgine Sapientia Dei nata est, ita et Sanctitas Dei nata est; omnino siquidem necessarium est ut sapientia infinita sit sanctitas infinita. » Hæc Palacius.

Tertio, quod eos quasi suos sacerdotes diliget, intimos et familiarissimos habebit, proteget et benedicet Deus. Unde subdit : « Et eos, qui diligunt illam, diliget Deus; » Syrus et Arabicus, *et domum habitationis ejus* (sapientiæ) *diliget Deus.* »

Porro latria hæc exhibenda sapientiæ creatæ, æque ac victima et sacrificium, est metaphorica et mystica; latria vero exhibenda Sapientiæ increatæ (hæc enim est Deus) et incarnatæ (hæc enim est Christus), est proprie dicta; tam enim Christus homo quam Deus latria colendus et adorandus est; hic enim homo, puta Jesus Christus, subsistit in persona Dei, estque Deus.

ET EOS, QUI DILIGUNT ILLAM, DILIGIT DEUS. — Tigurina, *amatores ejus* (sapientiæ) *diligit Dominus.* Sapientiam accipe tum creatam, tum increatam et incarnatam. Unde Palacius sic explicat, *q. d.* « Ne credas, si te totum cultui et dilectioni Sapientiæ dedicaveris, quod ideo Deus offendetur, quasi iratus, quod eum non colas, sapientiam colens. Minime. Imo contra; quia sapientia ex ore Dei prodiit, Deus est, scilicet, Filius Dei natus ex Deo. At necessario Deus Pater diliget eum, qui ejus Filium unicissime dilexerit. Ergo, si Christianus nihil aliud, nisi Christum in memoria gerat, non ideo Pater, velut Christi gloriæ invidus, Christianum odio prosequetur; sed contra, velut ejus gloriæ cupidus, diliget eum, qui Christum ardentius amat. »

Tropologice ex hac gnome disce, servire sapientiæ et Deo, esse veram libertatem, imo summam nobilitatem et dignitatem; talis enim est sacerdotium munusque sacrificandi, quod Siracides tribuit ei qui servit sapientiæ, dum eum facit mysten et λειτουργόν Dei. Hinc Franciscus Piccolominæus *De* Servire sapientiæ est regnare.

Principiis virtutum, gradu 2, cap. XXXVII, proponit duo paradoxa, eaque verissima esse demonstrat. Primum est: « Optimus usus libertatis hominis, est usus veræ servitutis ejus. » Alterum est: « Homini melius est servire, quam regnare; et universa perfectio regni hominis, in servitute est posita. » Fundamentum veritatis utriusque enuntiationis illud est, quia vera servitus naturæ rei congruens, ea est, per quam inferiora suo superiori subjiciuntur; dum vero e contra superiora subjiciuntur inferioribus, ea est perversio naturæ rerum, et dispositio præter naturam; non autem naturalis servitus, et quoniam infera a superis perficiuntur, hinc evenit, quod, dum per naturam serviunt, sua perfectione fruuntur. Ita corpus per naturam inservit animæ, anima rationi et menti, mens Deo; ac ut corpus ab anima, anima a mente, ita mens a Deo perficitur. Homo tunc recte utitur munere libertatis, dum ea præeligit, quæ legibus et voluntati Dei sunt consentanea; dum autem id facit, vero et legitimo domino subjicitur, et inde ortum ducit veritas primæ enuntiationis, quæ fuit, optimum usum libertatis, esse usum veræ et naturalis servitutis.

Huic simile illud est, quod a Theologis dicitur: « Servire Deo, regnare est; » ut etiam servire principi justo, recteque institutis legibus. Id enim verum est: *primo*, quia illa servitus est rectus usus libertatis; *secundo*, quia, dum nobis Deum statuimus ducem, libertatem nobis principem facimus, cum Deus sit ipsa libertas; *tertio*, quia juncti regi et principi cum eo regnare dicimur; Deus autem Rex regum est: juncti autem servis dicimur induere vilem conditionem servitutis; sic cum servis servi sumus, juncti regi sumus reges. Demum, quia homines ita affecti vere agunt, quod per naturam recte formatam velle ac præeligere debent.

Altera enuntiatio erat, homini melius esse inservire quam regnare. Et jure profecto. Dum enim homo imperat et regnat, eatenus bono fruitur, quatenus id facit quod voluntati et decretis Dei est consentaneum, et ideo in eo est posita perfectio imperii sui, ut Deo et legibus ejus obtemperet; nemo igitur recte regnat, nisi recte serviat; et quia recte servit, ideo bene regnat. Hinc majorem hominis dignitatem et præstantiorem ejus conditionem indicamus, dum illum appellamus servum Dei, quam dum regem et principem mundi. Nitendum est igitur ingenua servitute majoribus nostris servire; cavendum est ab ea servitute, quæ nos inferioribus subjicit, et vilioribus mancipat, ut evenit dum ratio sensui, et sensus corpori obtemperat.

Servitus ergo nobilissima et regia est, servire Deo. Deus enim sibi servientes exaltat, glorificat, beat, facitque reges et sacerdotes, *Apocal.* cap. V, 10. Porro hæc Dei servitus, uti recte docet noster Lessius, lib. I *De Perfect. divin.* cap. VI, consistit in quatuor: *Primo*, in cognitione Dei, et eorum quæ ad ipsum pertinent, hoc enim est fundamentum obsequii totius et famulatus. *Secundo*, in officiis charitatis et benevolentiæ, dum de bonis ipsius gaudemus, et illa ex intimo animi affectu ipsi gratulamur; dum ejus gloriam promovere omni studio conamur, animam, corpus, curas et cogitationes ipsius dignitati tuendæ et amplificandæ devoventes. Sic boni aulici suo principi toti addicti faciunt: illius enim virtutes et potentiam ubique extollunt, ut omnes in ejus amorem et obsequium alliciant, nec sustinent ipsius nomen a quoquam lædi. *Tertio*, in officiis religionis, dum illum colimus sacrificiis, cæremoniis, hymnis, laudibus, precibus, votis. Hoc est officium Angelorum et Sanctorum in cœlo, qui toti in eo sunt, ut Deum honorent, laudent, benedicant. Itaque perfecta servitus Dei est vita æterna, et beatitudo nostra. *Quarto*, in custodia mandatorum, et in officio virtutis, dum aliquid boni facimus, ut mandatis ejus pareamus, vel ut ipsi gratificemur. Hoc autem esse maximi momenti ex eo patet, quod minimum Dei bonum, qua Dei est, sit pluris æstimandum, quam omne bonum creaturarum, quatenus ad ipsas creaturas pertinet. Hinc fit, ut Deus pro singulis operibus bonis promittat nobis vitam æternam, atque adeo seipsum cum omnibus bonis suis; tantum nobis effectu respondens, quantum nos ei affectu boni volumus. Damus ei affectu totum bonum suum, reddit ille nobis effectu idem bonum; illius enim amor est efficax, noster inefficax.

Servitus Dei quadruplex. Prima. Secunda. Tertia. Quarta.

16. QUI AUDIT ILLAM, JUDICABIT GENTES. — Græce ἐπακούων, id est, *qui obaudit*, sive *obedit illi;* Tigurina, *qui paret illi, judex erit gentium.* Futurum *judicabit*, hic et alias sæpe accipiendum est δυνητικῶς, sive pro modo potentiali, *q. d.* Poterit judicare, aptus dignusque est qui judicet. Multi enim sapientes sunt, qui actu non sunt, imo nolunt esse judices; sapiens enim mavult agere vitam privatam, quam publicam, sibique vivere et Deo, nisi ad regimen vocetur, imo cogatur, ut dicit S. Augustinus lib. XIX *De Civit.* cap. XIX: « Otium sanctum, inquit, quærit charitas veritatis, negotium justum suscipit necessitas charitatis; quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati. Si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem. » Sic *Job.* IX, 6, dicitur: « Qui commovet terram de loco suo: commovet, » id est, commovere potest. Nec enim Deus unquam globum terræ e loco et centro suo dimovit, nisi forte in passione Christi, uti reipsa factum esse asserit ibidem in *Catena* Didymus. Vers. 16.

Ergo τὸ *judicabit*, significat *primo*, dignitatem et aptitudinem ad judicandum, adeoque neminem esse aptum ut judicet et regat, nisi sit sapiens. Unde Syrus vertit, *qui me audit judicabit veritatem;* Arabicus, *qui obedit mihi, judicet in veritate. Secundo*, actum, quia veri dignique judices et principes delecti a Deo, vel

a viris prudentibus, fuerunt et sunt sapientes, uti Moses, Samuel, David, Salomon, qui proinde orat Deum pro sapientia ad gubernandum, dicens : « Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, » etc., *Sapient.* IX, 4, ideoque eam sibi a Deo inditam accepit, III *Reg.* III, 12. Sic et Apostoli fuere judices orbis, quia Sapientiam incarnatam in carne loquentem audierunt. *Tertio*, omnis qui obedit sapientiæ, judicabit gentes, in die judicii; Christi enim sententiam approbabunt omnes sapientes, id est, Sancti, juxta illud : « Nescitis quoniam sancti de hoc mundo judicabunt? nescitis quoniam Angelos judicabimus? » I *Cor.* VI. 3. Et illud : « Justi judicabunt nationes, et dominabuntur populis, » *Sap.* III, 8. Denique, qui sapientiam audit, est spiritalis : « Animalis enim homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei; » at qui « spiritualis, judicat omnia, » I *Cor.* II, 15.

Dixit Ecclesiasticus vers. præced. sapientes esse sacerdotes : hic addit eos pariter esse reges et judices orbis. Unde fideles alloquens S. Petrus, ait : « Vos genus electum, regale sacerdotium, » I *Petri* II, 9.

ET QUI INTUETUR ILLAM, PERMANEBIT CONFIDENS. — Græca hic variant. Romana enim legunt, προσελθών, id est, *qui accesserit ad illam;* Complutens. προσέχων, id est, *qui attendit,* vel *intendit illi;* unde Noster vertit : « Qui intuetur illam. » Qui enim alicui intendit et auscultat, in eum respicere, eumque intueri solet. Forte etiam Noster in Græco legit, προσορῶν, id est, *qui intuetur illam* ita, scilicet, ut ipse sapientiæ intendat, et vicissim sapientia se illi spectandam et intuendam exhibeat. Pro *permanebit*, Græce est κατασκηνώσει id est, *habitabit* scilicet in sapientia, quasi in asylo « confidens » et securus, juxta illud *Psalm.* XC, 1 : « Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur. » Unde Syrus vertit, *qui auscultat me, habitabit* intra me, Arabicus, *qui recipit sermonem meum, habitabit in diuturnitate.*

Pro *confidens*, Græce est πεποιθώς, quod Tigurina vertit, *secure;* alii, *fretus, certus, fidens;* juxta illud *Proverb.* cap. XXVIII, vers. 1 : « Justus quasi leo confidens, absque terrore erit, » tum quia confidit, certusque est et resolutus, quod nihil eum a sapientiæ amore et charitate separabit, dicitque cum Apostolo : « Quis nos separabit a charitate Christi? Certus sum (Græce πέπεισμαι, id est, *confido, certo mihi persuadeo*) quia neque mors, neque vita, » etc. *Roman.* VIII. 35; tum quia confidit Deum, qui sibi tantum sapientiæ donum contulit, etiam cætera minora collaturum : « Qui (enim) confidunt in Domino, sicut mons Sion : non commovebuntur in æternum, » *Psal.* CXXIV, 1. Sic Susanna accusata falso de adulterio : « Flens suspexit ad cœlum : erat enim cor ejus fiduciam habens in Domino, » *Daniel.* XIII, 35.

Vers. 17. 17. SI CREDIDERIT EI, HÆREDITABIT ILLAM. — Græca Romana legunt in secunda persona ἐμπιστεύσῃς, *si credideris ei, hæreditabis illam.* Sed Græca Complutensia legunt ut Latinus Vulgatus, in tertia persona; habent enim, ἐὰν ἐμπιστεύσῃ id est, *si crediderit ei;* si fidelis fuerit sapientiæ; *si firmiter ei adhæserit,* uti vertunt Romana. Syrus, *si crediderit in me, hæreditabit me;* Arabicus videtur legisse, ἐν πίστει; vertit enim, *in veritate mea hæreditabit me.* Ad verbum ἐμπιστεύσῃ, est, in πίστιν (id est, fidem sapientiæ) se tradiderit, si se totum ejus fidei crediderit et commiserit, ac ut verbo tenus reddam, *infidarit;* Tigurina, *si se præstiterit ei fidum, hæres ejus erit,* tum in hac vita per gratiam, tum potius in futura per gloriam, eamque certam et securam, ut nullum sit periculum illam amittendi; sapientia enim, æque ac Deus, sapientem, puta, justum non deserit, nisi prius ab eo deseratur, uti ex S. Augustino definit Concilium Tridentinum, *sess.* VI, cap. XI et XIII.

ET ERUNT IN CONFIRMATIONE (scilicet, possessionis et hæreditatis sapientiæ) CREATURÆ ILLIUS. — Græce enim est, καὶ ἐν κατασχέσει ἔσονται αἱ γενεαὶ αὐτῶν, hoc est, *et in occupatione,* detentione, possessione, firma retentione, amplexu, custodia sapientiæ, *erunt generationes,* id est, filii, tum carnales, tum maxime spiritales *illorum,* qui, scilicet, se totos crediderint, et imbuendos regendosque commiserint sapientiæ, *q. d.* « Creaturæ, » id est, filii eorum qui se addicunt sapientiæ, ideoque illam hæreditant, vestigiis parentum insistent, ac totis viribus incumbent et satagent, ut avitam hanc sapientiæ possessionem, a parentibus quasi hæreditaria traditione relictam, complectantur, planeque sibi confirment. Nota enallagen crebram Hebræis et Ecclesiastico, qua a numero singulari transit ad pluralem : unde ait *illorum,* pro *illius,* qui, scilicet, crediderit sapientiæ, quia τὸ *illius* universim accipitur pro omni, vel quolibet : quicumque enim crediderit sapientiæ, hæreditabit illam. Quocirca aliqui codices Græci et Latini pro αὐτῶν, id est, *illorum,* legunt αὐτοῦ, id est, *illius.* Unde Tigurina vertit, *et possessionem retinebit ejusdem progenies.* Primo.

Secundo, Arabicus et Syrus, τὸ γενεαὶ vertunt, *generationes,* id est, sæcula. Unde sic transfert Syrus, *si crediderit in me, hæreditabit me, et suscipiet me omnibus generationibus sæculi;* Arabicus, *in veritate hæreditabit me, et perdurabo ei in omnes generationes sæculi.* Ut significetur fidelitas, constantia et æternitas sapientiæ, qua suos nunquam deserit; sed perpetim eis adest, eos docet, tuetur, regit ducitque ad beatitudinem æternam. Secundo.

Tertio, Jansenius censet hic agi de possessione, non tam sapientiæ quam terræ, *q. d.* Sapiens ejusque filii possidebunt terram, in ejusque possessione confirmabuntur, juxta illud *Psalm.* CXI : « Potens in terra erit semen ejus, generatio rectorum benedicetur. » Et illud Christi : « Beati mites (sapientes enim sunt humiles et mites), quoniam ipsi possidebunt terram, » *Matth.* V, 4. Hoc modo Tertio.

γενεαὶ, id est, generationes, hic accipi possent pro frugibus et fructibus, puta, opibus et prædiis, quas sapienti et justo affert, et quasi generat sapientia. Sic cap. I, vers. 21, de sapientia dixit : « Omnem domum illius implebit a generationibus, » id est, fructibus suis. Et cap. VI, 20 : « Cito edes de generationibus illius. » Et cap. XXIV, 26 : « A generationibus, » id est, fructibus, « meis implemini. » Significat ergo hic Siracides opera sapientum esse stabilia et perpetua.

Quarto. *Quarto,* Palacius per *creaturas* accipit virtutes, heroicas actiones et facinora, quas sibi per sapientiam gratiamque Dei parit et creat justus. « Sicut enim, inquit, anima rationalis in corpore, ita gratia et virtutes infusæ non gignuntur, sed creantur in anima. Ut enim nulla potentia naturæ inducere potest animam in corpus, ita nec gratiam et virtutes infusas in anima. Ergo gratia et virtutes infusæ sunt creaturæ piorum. Hæ creaturæ in igne tentationis non comburuntur, quia non sunt fenum, stipula, aut paleæ : quin potius confirmantur, quia sunt argentum et aurum. Carnalis vir, ut qui palea est, cum venit ignis tribulationis, deficit, non firmatur : spiritualis, quia velut aurum in fornace probatur, confirmatur, non evanescit. Quæris discriminis causam? eam auctor subdit : Quia cum pio Deus ambulat in tentatione, cujus flammam in aurum convertit : ut olim fecit, quando cum pueris in igne Babylonis ambulabat. » Verum hæ creaturæ mysticæ potius sunt, quam litterales : valde tamen huic loco appositæ. Anagogice : « Erunt in confirmatione opera justi, ait Rabanus, quia ad præmia æternæ hæreditatis remuneranda servabuntur, pro cujus amore omnia fecit; ita ut eorum acceptor tunc dicat cum Propheta : Hæc requies mea in sæculum sæculi : hic habitabo, quoniam præelegi eam. »

Denique valde congrue κατάσχεσις, id est, possessio et confirmatio, hic accipi posset, non sapientis, sed sapientiæ possidentis et regentis sapientem, *q. d.* Omnes γενεαὶ, id est, generationes, puta, filii, opes et opera sapientum, sunt in κατασχέσει, id est, dominio et gubernatione sapientiæ : ipsa quasi pædagogus sapientem, et omnia, quæ ejus sunt, occupat, moderatur, regit, dirigit, prosperat, et ad felicem exitum perducit. Græcum enim κατέσχημαι, id est, κάτοχὸς εἰμι, verbum est peculiare iis, qui tanquam alieno feruntur arbitrio, ut qui in Dei alicujus redacti sunt potestatem, qui illos pro sua potestate moderatur, possidetque et agit, quocumque lubet. Sic Lucianus ait, αὐτῷ Θεῷ κατέσχημαι, id est, *ab ipso Deo occupor, feror et regor.* Felix, qui Deo sessore regitur! Felix, quem Dei sapientia regit! Vide dicta *Apocal.* VI, 2. Hac phrasi significat Siracides sapientiam ita esse hæreditatem sapientis, ut vicissim potius ipse sit hæreditas sapientiæ : sapientiam enim hæreditatem esse, non tam passivam quam activam, quæ, scilicet, sapientem agat, regat et ducat ad omne bonum.

Vers. 18. 18. QUONIAM IN TENTATIONE (legit Interpres, ἐν πειρασμῷ, et sic habet codex manuscriptus, quem citant Roman.) AMBULAT CUM EO. — Primo, Palacius sic explicat, *q. d.* Sapientia suis adest in tentatione, eosque solatur et roborat. Alludit ad Angelum ambulantem cum tribus pueris in fornace Babylonia, eosque ab igne protegentem, *Daniel.* III, 49. Pari enim modo cum suis ambulat, eosque protegit sapientia. Unde David ea comitatus ait *Psalm.* XXII, 4 : « Non timebo mala, quoniam tu mecum es. » Et Paulus I *Corinth.* XI, 9. : « Virtus Dei (in infirmitate mea) perficitur. » Quare? quia, ut ait ei Christus : « Sufficit, » quæ tibi adest, « gratia mea. » Et interim agnosce cui debeas in tentatione victoriam. Non enim potes eam viribus tuis arrogare, sed sapientiæ, quæ tecum ambulat in tentatione; ideoque Petrus eam deserens, et Judæis Christi hostibus se adjungens, in tentationes cecidit, et Christum negavit, *Matth.* XXVI.

Verum alium plane hujus versiculi esse sensum liquet ex Græco, qui sic habet, ὅτι διεγραμμένως πορεύσεται μετ' αὐτοῦ ἐν πρώτοις, id est, *quia oblique, distorte, dure ambulabit cum eo in primis,* vel *in principio, q. d.* Sapientia, et Deus, qui est prima sapientia, sui studiosum et discipulum solet initio per tentationes et aspera quæque probare, *et in primis eligit eum,* id est, in principio delectum ejus facit, eum explorat et probat per adversa, an docilis, stabilis et se dignus sit, antequam ei se insinuet, eumque consoletur, ut dicit vers. 21. Probat enim quod dixit vers. præcedent. : « Si crediderit ei, » id est, si fidum se ei (sapientiæ) præstiterit, « hæreditabit illam, » *q. d.* Ut sapientia sui asseclæ fidelitatem et constantiam exploret, solet eum tentationibus exagitare, in quibus si ille fidelis et constans persistat, tunc demum sapientia eum ut idoneum et dignum se discipulum amplectitur, solatur, instruit, perficit, omnibusque suis bonis et donis cumulat.

Deus sanctos probat adversis.

Hunc sensum dat Syrus, dum vertit, *e converso* (ex adverso) *ambulabo cum illo, et in principio tentabo* (probabo, experiar) *illum;* et Arabicus, *qui in repugnantia incedam cum illo : prius enim contristo illum.* Clarissime vero Tigurina hunc versum et sequentes usque ad vers. 24, ita vertit : *Nam perverse primum cum tali conflictari solet, et eum injecto territare metu, suaque disciplina excruciare, donec fides animi ejus constiterit, et eum per jura sua reddiderit probatum : tum demum se rursum convertit recto itinere, et exhilarato arcana sua detegit : deinde locupletat eum scientia et cognitione justitiæ. Quod si ille defecerit, deserit eumdem, et permittit eum potestati ruinæ ipsius.*

Ex hoc versu sumptus fuit vetus ille Athenarum et Academiarum mos probandi eos, qui eo studiorum causa ventitabant : Athenis enim solebant novos scholares scommatibus, conviciis, sibilis, risibus excipere, iisque probare eorum patientiam et modestiam, itaque probatos ad Academiam admittebant, uti refert S. Gregorius Nazianzenus *orat.* 20, ubi S. Basilium Athenas venientem

ita exagitatum fuisse commemorat. Similem morem vidi olim Coloniæ Ubiorum, scilicet, novos philosophos non tantum verbis, sed et verberibus probabant, dictitantes ita beanismum deponi. Beanus enim, inquiebant ipsi, juxta singulas nominis litteras, est asinus nesciens vitam studiosorum. Sed cavendum hic ne quid nimis. Multo magis in omnibus Religionibus solent variis durisque experimentis probari novitii, tum ut eorum propositum, an serium et solidum sit, explorent; tum ut eos præparent ad dura quælibet in Religione subeunda; ac præsertim ut faciant eos humiles, dociles, obedientes; de quo vide Cassianum lib. IV *De Instit. renunt.* cap. III : « Igitur, inquit, ambiens quis in cœnobii recipi disciplinam, non ante prorsus admittitur, quam diebus decem, vel eo amplius pro foribus excubans indicium perseverantiæ ac desiderii sui, pariterque humilitatis ac patientiæ demonstraverit. Cumque omnium prætereuntium Fratrum genibus provolutus, et ab universis de industria refutatus atque despectus, tanquam non religionis, sed necessitatis obtentu monasterium optet intrare; injuriis quoque et exprobrationibus multis affectus experimentum dederit constantiæ suæ, qualisque futurus sit in tentationibus, opprobriorum tolerantia declaraverit, atque ita fuerit explorato mentis ardore susceptus; diligentia summa perquiritur num de pristinis facultatibus suis inhæserit ei vel unius nummi contagio. » Deinde cap. VII et VIII, narrat novitios solere probari in xenodochiis serviendo ægrotis, ac deinde tradi magistro, qui eorum non tantum passiones, sed et voluntates cruciet, domet et frangat.

Idem facit Deus cum omnibus Sanctis, præsertim eximiis et heroibus, uti sunt martyres, de quibus *Sapient.* III, vers. 5, dicitur : « In paucis vexati, in multis bene disponentur. » Græca significantius habent, ὀλίγα παιδευθέντες, μεγάλα εὐεργετεθήσονται, id est, *exiguis castigati, multis beneficiis* vel felicitatibus *afficientur*. Causam subdit Sapiens : « Quoniam Deus tentavit eos, et invenit illos dignos se. Tanquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit illos, et in tempore erit respectus illorum. Fulgebunt justi, et tanquam scintillæ in arundineto discurrent. Hoc est quod ait Apostolus *Roman.* V, 4 : « Tribulatio patientiam operatur; patientia autem probationem; probatio vero spem; spes autem non confundit : quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. » Ita Rabanus.

Vers. 19. 19. TIMOREM ET METUM, ET PROBATIONEM INDUCET SUPER ILLUM. — Hic ostendit modum, quo sapientia suos discipulos tentat, probat et explorat, nimirum, incutiendo eis « timorem et metum. » τὸ *et probationem* non est in Græco, sed ab Interprete additum explicationis gratia, *q. d.* Inducet ei timorem et metum ad probationem, vel qui sit ejus proba et exploratio. Unde Arabicus clare vertit : *Prius enim contristo illum, et induco super illum timorem et terrorem, et probo illum in tentationibus, quibus illum tento, ut, cum pervenero ad tempus meum, et immersa sit in corde illius doctrina mea, inclinem me ad illum, et colligam illum ad me, et revelem illi universa secreta mea;* et Syrus : *Timorem et tremorem injiciam ei, et scrutabor eum in tentationibus meis usque ad justitiam, quo implebitur* (consolationem recipiet) *cor ejus in me, convertar, firmabor cum illo, et revelabo illi omnia abscondita mea.*

Prima ergo via, qua Deus utitur erga suos, est via afflictionis, timoris, tristitiæ : eam deinde excipit via consolationis, libertatis, lætitiæ, eo major, quo major præcesserit tristitia. Hinc justificatio impii incipit a timore et terrore mortis, judicii, inferni, etc., ut docet Concilium Tridentinorum *sess.* VI, cap. VI. Ex adverso via prima, qua utitur dæmon erga suos, est via lætitiæ, lasciviæ et gaudiorum; sed eam mox excipit via tristitiæ, angustiæ et lamentationum, tum hujus vitæ, tum gehennæ, ad quam recta ducit. Unde serio, sed sero dicent : « Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles; viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra. »

ET CRUCIABIT ILLUM IN TRIBULATIONE DOCTRINÆ SUÆ. — Græce, ἐν παιδείᾳ αὐτῆς, id est, *in disciplina*, vel *castigatione sua*. Sapientia enim, sive Ethica Christiana castigat et resecat omnes motus gulæ, iræ, superbiæ, concupiscentiæ nobis innatæ, itaque nos cruciat, sicut pueri petulci et lascivientes cruciantur disciplina et virga magistri : παιδεία enim est παίδων, id est, puerorum eruditio, castigatio, institutio. Homo enim animalis similis est puero qui sensu, non ratione, regitur, ideoque puerili virga castigandus est, non hostili gladio necandus. An non castigatur et cruciatur libidinosus continuo a sua carne stimulatus ad libidinem, continuo vicissim a lege Dei ad castitatem adactus? An non cruciatur avarus a lege Dei, quæ ab eo nummos, velut oculos, extorquet, et in pauperes erogari jubet? An non cruciatur a lege charitatis, quæ inimicos diligi jubet, is qui spiritu vindictæ agitatus inimicum in mille frusta concideret, si posset?

DONEC TENTET (et tentando exploret) EUM IN COGITATIONIBUS SUIS. — Perperam pro *suis* aliqui legunt *illius*. Nam Græce est δικαιώμασιν αὐτῆς, id est *in justificationibus suis*, quod Hebræi dicunt בחקותיך *bechuccotach*, id est, *in statutis et legibus suis*, an, videlicet, fidelis se subjiciat legibus sapientiæ per omnia, quantumvis naturæ et carni molestis. Itaque *credat animæ illius*, ut confidat illius constantiæ, utque tuto ei se suaque dogmata communicet et committat, utpote qui tantum specimen. Hinc liquet τὸ *suis* referri ad sapientiam, non ad ejus discipulum.

20. ET FIRMABIT ILLUM, — *q. d.* Jam probatum Vers. 20.

et exploratum in stabili et firmo virtutis pacisque statu collocabit. Hæc verba desunt in Græco.

ET ITER ADDUCET DIRECTUM AD ILLUM. — *q. d.* Faciet viam expeditiorem, sublatis difficultatibus, qua redeat ad ipsum; sive via commodissima ad illum veniens, iter adducet directum ad illum. Græce enim est καὶ πάλιν ἐπανήξει κατ᾽ εὐθεῖαν πρὸς αὐτὸν, id est, *et rursus redibit recta ad illum.* Dixerat enim vers. 18, sapientiam initio oblique et torte ambulare cum discipulo, ut eum probet; hic vero ait eamdem ad jam probatum recta redire, id est, vultum ei rectum, planum et serenum ostendere, eum exhilarare et consolari: sicut enim via obliqua est afflictionis et tentationis, sic ex adverso via recta est consolationis et exsultationis. Unde Arabicus vertit, *ut inclinem me ad illum, et colligam illum ad me.* Hinc et sequitur:

Vers. 21. 21. ET LÆTIFICABIT ILLUM (quoad affectum; quoad intellectum vero) DENUDABIT ABSCONSA (arcana) SUA ILLI, ET THESAURIZABIT SUPER ILLUM SCIENTIAM ET INTELLECTUM JUSTITIÆ.

Nota: τὸ *thesaurizabit, q. d.* Non modice, sed abunde ditabit illum, quasi ingenti thesauro. Celebre est illud Arabum proverbium: « Acquire tibi aurum in mensura, et scientiam sine mensura. » Exstat inter proverbia Arabica, *Centuria* 2, numero 29.

Moraliter disce hic quanta bona pariat obedientia, qua quis obedit, tum voci et legi, tum inspirationi sapientiæ divinæ.

Vers. 22. 22. SI AUTEM ABERRAVERIT, DERELINQUET EUM (clare Tigurina, *quod si ille defecerit, deseret eumdem, q. d.* Si deseras sapientiam, ipsa vicissim deseret te), ET TRADET EUM IN MANUS INIMICI SUI. — Græce, εἰς χεῖρας πτώσεως αὐτοῦ, id est, *in manus casus sui, q. d.* Sinet eum ferri in casum et ruinam suam, in quam deserens viam sapientiæ et salutis sponte incurrit, seque præcipitat. Unde Syrus vertit, *si diverterit a me, abjiciam eum et dabo eum in manus raptorum;* Arabicus, *si reliquerit me, subvertam illum, et tradam illum raptoribus.* Tigurina, *permittit eum potestati ruinæ ipsius.* Hebræi enim per prosopopœiam cuilibet rei tribuunt manum, per eamque significant potestatem, imperium, actionem. Sic dicunt: Non venies in manus peccati, id est, non peccabis, peccato non subjacebis. Ita hic ruinæ datur manus, id est, jus et potestas in ruentem. Hoc est quod ait Paulus *Hebr.* IV, 4: « Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, et participes facti sunt Spiritus Sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi futuri, et prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam, rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes. »

Nota prosopopœiam: Toto enim hoc loco inducitur sapientia quasi persona et pædagogus qui suos discipulos docet, eosque primo terret et castigat, deinde obsequentes consolatur et lætificat; contumaces vero deserit sinitque agi in ruinam: quo significat *primo*, legem Dei (hæc enim est sapientia practica) peccatori initio esse gravem et molestam, eo quod ejus cupiditatibus resistat, easque resecet; eidem vero jam justificato et legi assuefacto esse facilem et jucundam. *Secundo*, Deum qui est æterna et increata sapientia, eos quos ad se suumque obsequium et regnum vocat, primo tentare et affligere, deinde roborare et exhilarare, uti paulo ante dixi.

TERTIA PARS CAPITIS,

QUA SAPIENTIA PRÆCEPTA CIRCA PUDOREM MALUM ASSIGNAT.

Vers. 23. 23. FILI, CONSERVA TEMPUS. — Siracides ab encomio sapientiæ transit ad ejus præcepta et dogmata. Quocirca hic incipit tertia pars capitis, qua agit de veritate dicenda, et malo pudore cavendo. Hoc ergo est primum sapientiæ dogma: « Fili, conserva, » vel observa « tempus, » idque dupliciter: primo, ut tempus sumatur pro occasione et opportunitate temporis; unde Tigurina vertit, *occasiones observa;* nam *omnia tempus habent: tempus loquendi, tempus tacendi*, etc. *Eccli.* cap. III, 1. Magna enim sapientia est nosse uti occasionem dicendi, docendi et agendi, uti ostendi *Act.* I, 7; unde Arabicus vertit, *cognosce loca verborum.*

Nota: Græcum συντήρησον verti potest, *observa* et *conserva;* tempus enim non tantum observandum, sed et conservandum est, quasi res pretiosissima nobis a Deo concessa ad comparandas opes immortales, puta virtutum, gratiæ et gloriæ æternæ. Hanc temporis gemmam nobis eripere conantur dæmones et mali socii, ut garruli, ludiones, etc., qui idcirco fures temporum appellantur, qui nos sollicitant, ut illud cum ipsis prodigamus, et rebus vanis, imo noxiis et damnosis, impendamus. Jubet ergo Siracides tempus hoc, velut cymelium præstantissimum, et si perdatur irrecuperabile, studiosissime conservari, impendendo illud operibus virtutum, et a vitiis abstinendo. Unde addit: « Et devita a malo. » Hinc a συντήρησον dicitur συντήρησις, id est synteresis, quæ significat attentio-

nem animi et stimulum conscientiæ eam jugiter admonentis, ne quid contra seipsam committat, et ut seipsam integram et a vitiis intactam circumquaque conservet. Unde Syrus vertit, *servo tempus;* et Palacius, « conserva tempus, » inquit, id est, utere occasione. Ideo enim Litteræ sacræ dicunt : « Omnia tempus habent. » Et humaniores occasionem pingunt cæsarie capillata, occipite nudo, ut, nisi cæsariem a facie arripueris, ab occipite arripere nequeas.

Altior fortasse sensus est, ut noveris vitæ præsentis tempore uti, ne, dum ejus damna vitare studes, in æternæ vitæ damna cadas. Tertius et altior sensus est : Impiis vita fugit; tempus vadit velut vapor, umbra, fumus, nubes, etc. At pii jubentur tenere et servare tempus; quod præstant, cum in tempore æternitatis opera faciunt. Et, licet temporalia sint, quæ nunc gerunt; tenent tamen ea in æternum secum in cœlo duratura. Merita enim nostra et coronæ æternum nobiscum durabunt, dicente Christo : « Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, » etc. Quantum sit pretium temporis, intelligunt damnati, qui pro hora pœnitentiæ darent totum mundum, omnesque labores et tormenta libenter subirent. Unde Satyricus :

> **Damna fleo rerum, sed plus fleo damna dierum :**
> **Rex poterit rebus succurrere, nemo diebus.**

Et Seneca, *epist.* 118 : « Non tam benignum et liberale, inquit, nobis tempus nutura dedit, ut ex illo vacet perdere; » et mox : « Ex hoc tempore tam angusto et rapido, et nos auferente, quid juvat majorem partem mittere in vanum? » Tempus hoc est momentum, ex quo pendet Æternitas, vel beatissima, vel miserrima.

Rursum tempus sumi potest pro malitia temporis et sæculi, *q. d.* Hoc sæculum plenum est laqueis et tentationibus; illas ergo observa, « et devita a malo, » juxta illud Apostoli : « Videte, fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt, » *Ephes.* v, 15. Vide ibi dicta.

Vers. 24. 24. PRO ANIMA TUA NE CONFUNDARIS DICERE VERUM. — Duo ultima verba non sunt in Græco; sic enim habet, περὶ τῆς ψυχῆς σου μὴ αἰσχυνθῇς, id est, *pro anima tua non erubescas.* Quod *primo*, aliqui sic exponunt, *q. d.* Ne te pudeat animæ tuæ, hoc est, ne te tui ipsius pudeat. Ita Tigurina. *Secundo*, Vatablus, *q. d.* Ne quid committas, cur te animæ tuæ pudere possit, aut ne te pudeat animæ tuæ cavere, et prospicere ejus bono ac saluti, vel ea uti fortiter; unicam enim habes animulam, quasi oviculam tibi a Deo concreditam : vide ergo ut eam non perdas, sed salves in æternum. *Tertio*, Syrus vertit, *cave a malo, et a teipso non confundaris*, vel *contumeliam accipias*, *q. d.* Devita a malo, quia si illud non vitaveris, pudefacies et contumelia afficies te et animam tuam. Accedit huc Arabicus, *ne redeas in id, in quo non est mansio præ confusione tua. Quarto*, Noster solerter vertit : « Pro anima tua ne confundaris dicere verum. » Omnia enim sequentia usque ad vers. 33, spectant ad pudorem, quo quem pudet dicere verum. Unde multas hujus mali pudoris species recensent. Transit enim Siracides a genere ad speciem usitatissimam, aut certe ad exemplum ubique obvium. Dixerat enim : « Devita a malo; jam dicit : « Devita a malo pudore; sic enim vitabis omne malum, cujus hic pudor est causa. Forte etiam Noster in exemplari Græco olim legit, λέγειν τὸ ἀληθές, id est, *dicere verum.*

Jam τὸ *pro anima* dupliciter accipi potest : *primo, q. d.* Non confundaris, non verearis dicere verum pro anima, id est, pro vita tua liberanda a periculo mortis, infamiæ, similisve mali; noli tanti æstimare vitam, ut pro ea tuenda neges veritatem, sed dicito cum Paulo : « Non facio animam meam pretiosiorem quam me, » *Act.* xx, 24; et cum Davide *Psalm.* cxviii, 109 : « Anima mea in manibus meis semper, » ut eam pro veritate tradam et prodigam. Sensus ergo est, *q. d.* Non sit tibi carior vita, quam veritas, ut pro illa tuenda hanc neges, neces et jugules præ pudore et timore : pudor enim est pars et species timoris; noli ergo violare veritatem, ut vitam serves; sed si alterutra perdenda sit, potius perde vitam quam veritatem. Ita Palacius.

Secundo et aptius ad sequentia, *animam* accipias pro conscientia, *q. d.* « Pro anima, » hoc est, pro animæ tuæ salute, ut scilicet animam, id est, conscientiam tuam illæsam a culpa et pœna serves, non confundaris, nec metuas dicere veritatem, ut significetur causa ob quam non est erubescenda veritas, nempe, salus animæ propriæ, quæ per præposterum pudorem confitendæ veritatis amittitur, inquit Jansenius. « Qui enim, ait Christus *Lucæ* ix, erubuerit me et sermones meos, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua. » Erubescit autem confiteri veritatem et Christum, non tantum qui negat fidem, sed et qui proximi famam et innocentiam, cum potest et debet, non tuetur; aut qui peccantem non corripit; aut qui peccatum proprium confiteri, cum oportet, erubescit; aut qui veritatem, cum opprimitur, non defendit; quos casus sequentibus versibus exponit et proponit Siracides. In fide res clara est : martyr enim pro anima, id est, æternæ animæ salute, non debet confundi, nec metuere, sed intrepide confiteri veram et orthodoxam fidem, juxta illud *Rom.* x, 10 : « Corde creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem. » Rursum res clara est in mendacio vel silentio pernicioso, cum scilicet quis ex pudore silet veritatem, qua alium injusta morte similive damno liberare poterat et debebat. Igitur in genere, « pro anima, » ut scilicet vites peccatum mortale, quod mortem affert animæ, « ne confundaris dicere verum. » Nam, ut

ait S. Gregorius in illud *Job.* XXXI : « Si abscondi quasi homo peccatum meum, » lib. XXII *Moral.* cap. XXIII : « Usitatum humani generis vitium est, et labendo peccatum committere, et commissum negando abscondere, et convictum defendendo multiplicare. » Hinc illud vulgo tritum : « Error gignit arrogantiam. »

Pudor est passio, non virtus.

Nota : Verecundia, sive pudor, proprie non est virtus, sed naturalis passio, qualis est ira, miseratio, dolor, timor; timoris enim pars vel comes est pudor. Pudor enim non est aliud quam timor dedecoris, vel infamiæ. Si ergo verum sit dedecus, bonus erit pudor, ut cum quem pudet ebrietatis, similisve vitii : sin falsum sit dedecus, pravus erit pudor, ut cum quem pudet vitii omissi, v. g. quod cum ebriosis non se inebriet, quod cum impudentibus non sit impudens : sicut bona est ira, qua irascimur sceleri et sceleratis; mala, cum irascimur ob negatas cupiditates, aliave vana de causa. Virtutis enim est regere pudorem, iram cæterasque animi passiones, iisque uti ad bonum, ac impedire ne exorbitent et ferantur in malum. Docet ergo hic Siracides in particulari, quibus in rebus pudor sit bonus, et in quibus malus. Ita Aristoteles, lib. IV *Ethic.* cap. IX, docet verecundiam non esse virtutem, sed passionem naturalem. Nam : « Definitur, inquit, infamiæ metus quidam; existit autem similiter atque metus, qui in rebus formidolosis versatur. Erubescunt enim ii qui pudore afficiuntur ; pallescunt autem qui mortem extimescunt. Apparet igitur utrumque quodam modo ad corpus pertinere : quod quidem perturbationis potius, quam habitus proprium videtur. » Idem docet Damascenus, et ex eo S. Thomas II II, *Quæst.* CXLIV, art. 1, ubi ait : « Verecundia non est virtus, sed laudabilis passio. »

Dices : Aristoteles lib. III *Ethic.* cap. VIII, verecundiam vocat virtutem, dicens : « Hæc fortitudo simillima videtur ei quæ primo loco posita est, quoniam ejus effectrix virtus est : pudor enim et honesti appetitio, videlicet honoris, ac dedecoris, quod turpe est, fuga, eam efficit. » Respondeo, vocatur virtus, id est semivirtus, semen virtutis, via ad virtutem; quia oritur ex desiderio honesti, et timore infamiæ, quæ sunt principia virtutis, et calcar ad eamdem. Dici etiam potest virtus quædam naturalis, quia est congrua constitutio per naturam nobis competens. Denique proprie dicta est virtus, cum est actus non naturalis, sed libere elicitus, quod pudet nos peccati vel vitii, illudque libere refugimus et abhorremus. Unde Plato in *Protagora* ait : « Justitiam et pudorem esse munera Jovis per Mercurium tributa hominibus, quæ civitates ornarent, et mutua benevolentia cives conciliarent. » Et post pauca : « Omnes siquidem horum participes esse debent. » Idem in *Sophista* ait, « Homerum asserere, cum deos alios, tum maxime hospitalem Deum inter homines, qui justi pudoris participes sunt, versari, et hominum contumelias injuriasque inspicere. »

Est virtus cum libere elicitur.

Hinc pudor, cum sit infamiæ metus, pertinet ad appetitum irascibilem : hic enim famæ et honoris est custos. Porro pudor maxime decet pueros, virgines et juvenes, in quibus sæpe est nimius. Unde non plane resecandus, sed moderandus et in bonum dirigendus est. Hinc Plutarchus, tract. *De Vitiosa verecundia,* ait : « Agricola, cum vitem putat, caute manum admovet, timens ne quid ex his quæ sana sunt, resecet. Sic in vitioso pudore, cave ne imprudens reseces etiam ingenuum pudorem. » Subditque : « Nutrices quoque, dum frequenter pressius extergunt sordes ab infantibus, nonnunquam una cum sordibus carnem abstrahunt, læduntque; sic qui malum pudorem expellunt, lædere quandoque solent etiam bonum. » S. Ambrosius vero lib. I *Offic.* cap. XVIII : « Pulchra, inquit, virtus verecundia, etc., pudicitiæ comes est, cujus societate castitas ipsa tutior est : bonus enim regendæ castitatis pudor est comes ; qui, si se prætendat ad ea quæ prima pericula sunt, pudicitiam temerari non sinet. »

Vers. 25.

25. EST ENIM CONFUSIO ADDUCENS PECCATUM, ET EST CONFUSIO ADDUCENS GLORIAM ET GRATIAM. — Syrus, *est confusio, quæ creat peccata ; et est confusio, cujus honor gratia ejus;* Tigurina, *est pudor trahens secum peccatum; est item pudor gloriæ gratiæque conciliator;* Græca habent, *est confusio adducens peccatum, et est confusio gloria et gratia,* id est, causans gloriam et gratiam, *q. d.* Duplex est pudor : unus vanus et mundanus, quo quis ex pudore et timore hominum non audet dicere verum, aut agere quod justitia agendum dictat ; hic adducit peccatum : alter honestus et sanctus, quo quem pudet peccare, aut peccasse, ideoque pœnitet, et vitam emendat ; aut quo justus erubescit de sua modica justitia, ideoque ad majorem seipsum excitat; hic adducit gratiam et gloriam, tam apud Deum, quam apud homines. Talis confusio fuit illa S. Antonii, qua, viso S. Paulo Eremita, tantæ sanctitatis memoria compunctus, et ad eam æmulandam accensus, suis discipulis dicebat : « Væ mihi peccatori, qui falso monachi nomen fero! Vidi Eliam, vidi Joannem in deserto, et vere vidi Paulum in paradiso, » uti refert S. Hieronymus in Vita S. Pauli. De utroque hoc pudore fuse aget Siracides in fine cap. XLI, et initio cap. XLII.

Pudor duplex.

Nota : « Confusio » hic non significat ignominiam, quæ Græce dicitur ἀτιμία, sed pudorem, ut et sæpe alibi : hunc enim significat Græcum αἰσχύνη. Porro S. Gregorius per *confusionem* accipit perturbationem mentis pœnitentis ; hanc enim inducit pudor : explicans enim illud *Job.* III : « Occupet eum caligo, » lib. IV *Moralium* cap. XVII : « Quia, inquit, in caligine oculus confunditur, ipsa per pœnitentiam mentis nostræ confusio caligo no-

minatur. Nam, sicut caligo nebulosa congerie obscurat diem, ita confusio perturbatis cogitationibus obnubilat mentem. De qua per quemdam dicitur : Est confusio adducens gloriam. Cum enim ad mentem male gesta pœnitendo reducimus, gravi mox mœrore confundimur, perstrepit in animo turba cogitationum, mœror conterit, anxietas devastat, in ærumnam mens vertitur, et quasi quodam nubilo caliginis obscuratur. Hæc namque caligo confusionis eorum mentem salubriter oppresserat, quibus Apostolus dicebat: Quem enim fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Hunc ergo peccati diem caligo occupet, id est, blandimentum nequitiæ, afflictio pœnitentiæ digno mœrore perturbet. » Idem clarius, lib. I, homil. 10 *in Ezech.*: « Sicut verecundia, ait, laudabilis est in malo; ita reprehensibilis est in bono. Erubescere enim malum, sapientiæ est: bonum vero erubescere, fatuitatis. Unde scriptum est : Est confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam. Qui enim erubescit pœnitendo mala quæ fecit, ad vitæ libertatem pervenit; qui vero erubescit bona facere, a statu rectitudinis cadit, atque ad damnationem tendit. »

Talis fuit verecúndia Lucretiæ, quæ timens infamiam falsam adulterii, qua se eam infamaturum Tarquinius minabatur, permisit se ab eo vitiari : hic ergo mundanus et vitiosus pudor adduxit peccatum, quin et infamiam ac mortem, quam per eumdem effugere cogitabat. Ex adverso pudor S. Susannæ, quo puduit eam peccare in conspectu Dei, ideoque infamiæ, quam ei minabantur senes impudici, periculo ultro se exposuit, adduxit ei gratiam et gloriam apud homines, æque ac apud Deum, *Daniel.* XIII.

Audi et S. Bernardum, serm. *ad Milites templi*, cap. XII : « Est pudor adducens peccatum, et pudor adducens gloriam. Bonus pudor est, quo peccasse, aut certe peccare confunderis : et omnis licet humanus arbiter forte absit, divinum tanquam humanum tanto verecundius revereris aspectum, quanto et verius Deum quam hominem cogitas puriorem; tantoque eum gravius offendi a peccante, quanto constat longius ab illo esse omne peccatum. Hujuscemodi procul dubio pudor fugat opprobrium, parat gloriam, dum aut peccatum omnino non admittit, aut certe admissum et pœnitendo punit, et confitendo expellit, si tamen gloria etiam nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Quod si quispiam confiteri confunditur id quoque, unde compungitur, talis pudor peccatum adducit, et gloriam de conscientia perdit, quando malum, quod ex profundo cordis compunctio conatur expellere, pudor ineptus obstruso labiorum ostio non permittit exire, cum eum exemplo David dicere potius oporteret : Et labia mea non prohibebo, Domine, tu scisti. Qui et seipsum redarguens, puto super hominum stulto et irrationabili pudore : Quoniam tacui, inquit, inveteraverunt ossa mea. »

Porro S. Ephrem hunc pudorem ad versum sequentem refert, eique postponit, uti mox ostendam. Exemplum illustre pudoris boni dat S. Hieronymus Pammachium, *epist.* 36 ad eumdem: Pammachius enim Consul Romanus, defuncta Paulina uxore, S. Paulæ filia, publice monachum professus, spectaculum se facere urbi et orbi non erubuit. Audi S. Hieronymum : « Quis enim hoc crederet, ut Consulum pronepos, et Furiani germinis decus, inter purpuras Senatorum, furva tunica pullatus incederet, et non erubesceret oculos sodalium, ut se deridentes derideret? Est confusio, quæ ducit ad mortem; et est confusio, quæ ducit ad vitam. Prima virtus est monachi, contemnere hominum judicia, et semper recordari Apostoli dicentis: Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem, » *Galat.* cap. I. S. Gregorius exemplum dat Davidem saltantem ante arcam, I *Reg.* XVI, 14; sic enim ait lib. XXVII *Moral.* cap. XXXIX : « Quid de ejus facto ab aliis sentiatur, ignoro; ego David plus saltantem stupeo, quam pugnantem. Pugnando quippe hostes subdidit; saltando autem coram Domino semetipsum vicit. » Sic Martyres, Apostoli et Prophetæ ab impiis ludibria et verbera experti, hæc fortiter pro Deo sustinuerunt, nec illa sibi pudori, sed gloriæ esse duxerunt, uti docet Apostolus *Hebr.* XI.

Pudor bonus Pammachii.

Denique S. Augustinus *epistola* 48, citato hoc loco *Eccles.*: « Confusio, inquit, adducit peccatum, cum erubescit quisque pravam mutare sententiam, ne aut inconstans putetur, aut diu errasse, seipso judice teneatur. Confusio autem adducit gratiam et gloriam, cum erubescit quisque de propria iniquitate, et pœnitendo in melius commutatur. » Et S. Gregorius hunc locum *Eccles.* nectens cum illo *Ezech.* III, 9 : « Ut adamantem, et ut silicem dedi faciem tuam, » in adamante honorem, in silice ignominiam intelligit: « Si ab auditoribus, inquit, honoraris, si calcaris, aut despiceris, ut nec per illatum honorem refrenetur lingua ex verecundia, nec per despectum taceat ex infirmitate. » S. Ambrosius *in Psal.* XLIII, explicans illud vers. 16 : *Tota die verecundia* (Symmachus, *confusio*) *mea contra me est, et confusio faciei meæ cooperuit me.* « Quæ, inquit, confusio Christi, nisi crux, quod nudus pependit in ea? Et bene tota die : quia ex quo affixus est cruci, usque in horam nonam tenebræ factæ sunt, et post horam nonam lux refulsit usque in vesperum. » Subdit deinde : « Sed, quemadmodum est confusio adducens peccatum; ita est confusio, quæ peccatum abolet: ut confusio crucis Domini nostri Jesu Christi, per quem peccata mundantur. Est etiam omnis confusio bona, quam pro Christi nomine subeas, et admodum gloriosa; si, verbi gratia, in persecutione lex sit, ut verberetur Christianus, ut dignitatem

amittat, ut careat privilegio, ut in vincula ducatur. » Nam, ut ait Nazianzenus, *Iamb.* 23 :

Est decus summum, pietatis ferre dedecus.

Vers. 26. 26. NE ACCIPIAS FACIEM ADVERSUS FACIEM TUAM, NEC ADVERSUS ANIMAM TUAM MENDACIUM. — *Primo*, Syrus sic vertit et explicat, *ne sis hypocrita, et ne erubescas confiteri offensionem tuam*, id est, quod offenderis vel cecideris in aliquod peccatum. Accedit Arabicus, *ne decipias temetipsum, et ne confundaris præ confessione delictorum tuorum.*

Secundo, Græcum πρόσωπον, tam personam, quam faciem significat. Rursum Hebræi per נשא פנים *neso panim*, id est, *accipere faciem*, significant acceptionem personarum. Unde aliqui sic vertunt, *ne accipias personam contra animam* (Græce enim est ψυχῆς) *tuam, et ne confundaris ad casum tuum;* sicque exponunt, *contra animam tuam*, id est, contra teipsum, *q. d.* Si quis famam tuam læserit, ne ejus personæ, licet magnæ et potentis, ita habeto rationem, ut non ausis teipsum defendere, aut innocentiam tuam tueri. Nam in tali casu pudor noxius est, et homini exitium creat.

Tertio, Palacius sic explicat, *q. d.* Neminem plus quam te æstimes, ut illius causa pecces; nemo te sit tibi pretiosior. Ideo subjungit : « Nec adversus animam tuam mendacium; » id est, si mendacium est mortale peccatum, scilicet, contra animam tuam, nullius hominis gratia mentiare, puta, propter nullius amorem aut timorem. Si tam pretiosa est anima tua, ut propter eam Deus funderet suam; cur tu non eodem pretio eam æstimes? Eumdem sensum habent sequentia: « Ne reverearis proximum tuum in casu suo; » id est, nihil timeas proximum minantem tibi casus et ruinas, ut propter ejus minas « retineas verbum in tempore salutis. »

Quarto, Tigurina more suo libere vertit, *ne cedas ulli faciei, quod animæ tuæ damno fiat; nec in tuam perniciem erubescas*, hoc est, uti explicat Vatablus, *ne cuivis truculentiæ cedas, aut blanditiis, quominus quæ justa sunt, dicas et facias.* Hic sensus valde est appositus, illique Vulgatam Latinam versionem sic recte adaptes *q. d.* Non accipies « faciem » vel personam potentis « adversus faciem tuam, » id est, adversus teipsum, ut, scilicet, præ personæ potentis pudore et timore mentiaris, aut taceas veritatem, quam eloqui necessarium est, vel tibi, vel proximis; itaque tuo mendacio, vel noxio silentio tuam aliorumve famam, vitam, vel animam et conscientiam in periculum præsens et æternum adducas. Unde Græca addunt, *et ne reverearis in casum tuum*, vel *in perniciem tuam;* ut, scilicet, ex nimia reverentia et pudore cujuspiam, cadas in peccatum, mortem, infamiam, etc. Hinc et subdit Vulgata versio : « Nec adversus animam tuam mendacium, » scilicet, accipias, vel sustineas, illive cedas, ut illo sinas « tuam animam, » id est, conscientiam, vitam, vel famam opprimi vel infamari a quopiam potente præ pudore; quia, scilicet, ex pusillanimitate non audes illi resistere; sed illi fidenter et animose te oppone, ac veritatem et teipsum, tuamque animam tuere. Posterius enim hoc hemistichium idem est cum priori, illudque explicat more Hebræo. Igitur « adversus animam tuam, » id est, adversus teipsum, vel adversus conscientiam tuam. Ita Jansenius. Quare idem est, « Non accipias adversus animam tuam mendacium, » cum eo quod paulo ante dixit : « Pro anima tua ne confundaris dicere verum. » Siracides enim congeminat sententias, aliisque et aliis idem dicit et inculcat.

Prudenter Plutarchus lib. *De Vitiosa verecundia:* « Sæpe, inquit, fumum ignominiæ fugientes in ignem ruimus. Egregie Zeno, cum incidisset in adolescentem juxta mœnia furtim ambulantem, audissetque quod fugeret amicum, a quo postulabatur ad ferendum falsum testimonium : Quid vis, inquit, ignave? ille ausus est te malo injuriaque afficere, nec erubescit; et tu illi pro justitia non audes obsistere? » Nimirum, pro veritate oportet stare fortes et inverecundos, ac contra impudentes induere impudentiam, ne ex fuga pudoris vani verum incurramus, ac volentes vitare Scyllam incidamus in Charybdim : qui enim ex pudore pravo mentitur, pejerat, etc., ne offendat amicum ; hic in longe majorem apud Deum et homines infamiam et vindictam incidet, ob admissum mendacium et perjurium, etc. Pravis resistus inverecunde.

Exemplum illustre est in S. Sothere virgine et martyre, quæ cum alias pudoris et castitatis studio faciem velaret; in martyrio tamen eamdem nudavit, ac tyranno constanter opposuit, eamdemque carnifici cædendam ultro læta intrepide exposuit. Audi S. Ambrosium *Exhortat. ad Virgin.*, ante finem : « At non Sotheris vultus sui curam gerebat, quæ cum esset decora facie valde, et nobilis virgo majorum prosapia, consulatus et præfecturas parentum sacra posthabuit fide, et immolare jussa non acquievit. Quam persecutor immanis palmis cædi præcepit, ut tenera virgo dolori cederet aut pudori. At illa, ubi audivit hanc vocem, vultum aperuit, soli invelata atque intecta martyrio, et volens injuriæ occurrit, vultum offerens, ut ibi martyrii fieret sacrificium, ubi solet esse tentamentum pudoris. Gaudebat enim dispendio pulchritudinis, periculum integritatis auferri. » Et mox : « Hæc triumphales retulit martyrii cicatrices, ut imaginem Dei, quam acceperat, reservaret. » Idem, lib. III *De Virgin.* : « S. Sotheris, inquit, persecutionis ætate servilibus quoquu contumeliis ad fastigium passionis evecta, etiam vultum ipsum, qui inter cruciatus totius corporis liber esse consuevit injuriæ, et spectare potius tormenta, quam perpeti, carnifici dedit : tam fortis et patiens, ut cum teneras pœnæ offerret genas, prius carnifex cædendo deficeret, quam Martyr injuriæ cederet. Exemplum S. Sotheris.

Non vultum inflexit, non ora convertit: non gemitum, non lacrymam dedit. Denique, cum cætera pœnarum genera vicisset, gladium, quem quærebat, invenit. » Romæ enim via Appia gladio percussa anno Domini 304, die 10 februarii, virginitatis æque ac martyrii lauream tulit. Molanus in Sanctis Belgii scribit corpus ejus Dordraci in Hollandia asservari.

Denique S. Ephrem, tract. *De abstinendo a cupiditatibus carnal.*, hunc versum præcedenti, quasi causam effectui præponit, sicque legit : « Ne acceptor sis personæ contra faciem tuam, neque confundaris in casu tuo. Est enim confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam et gratiam; » vel, ut idem cum Græcis legit tract. *De timore Dei*, « est confusio gloria et gratia. »

Prima pudoris mali species. Est hæc *prima* mundani malique pudoris species, qua ob reverentiam personæ potentis quem pudet dicere verum, ac mentitur, vel mendacio consentit in perniciem sui ipsius suæque animæ.

Secunda. Sequitur *secunda*, qua quem pudet corripere proximum peccantem vel errantem, de qua ait :

Vers. 27. 27. NE REVEREARIS (Tigurina, *ne reformides*) PROXIMUM TUUM IN CASU SUO, — *q. d.* Non pudeat te corripere proximum, cum cadit in aliquod peccatum vel errorem. Unde subdit :

Vers. 28. 28. NEC RETINEAS VERBUM (correptionis, instructionis et consilii) IN TEMPORE SALUTIS, — quo, scilicet, potes ejus saluti, eum corripiendo et instruendo, consulere. Græca jam aliter habent, nimirum : *non erubescas ad casum*, vel *perniciem tuam ;* Syrus et Arabicus, *non erubescas confiteri delicta tua*, uti paulo ante recensui. Porro, pro *nec retineas verbum in tempore salutis*, Arabicus vertit, *ne avarus sis in sermone tuo, cum proderis*, id est, cum prodesse poteris ; Tigurina, *salutiferam occasionem nactus, ne comprimas sermonem.* Vere Seneca in *Proverbiis* : « Amici, inquit, vitia si feras, facis tua. Cum his conversare, qui te corrigant. Secreto admone amicos, palam lauda : vitia transmittit ad posteros, qui præsentibus culpis ignoscit. Bonis nocet, qui malis parcit. » Sic Jethro non erubuit corripere Mosen, ac admonere ut adjutores sibi in regendo populo asciscerat, *Exodi* XVIII ; quin et Comicus amicum hac nota certissima designat :

Si quid, *inquit*, me scis fecisse inscite aut improbe,
Si id non accusas, tu ipse objurgandus es.

Secundo, « Ne reverearis proximum in casu suo, » *q. d.* Ne vereare proximum visere et solari, nec te pudeat ejus, cum videris eum a statu suo honorato cecidisse in inopiam et ignominiam : nec retineas eo tempore verbum salutiferum, puta consolatorium, quo eum erigas, instruas, sustentes, uti fecerunt amici Job eum afflictum visitantes et consolantes.

Tertio, Palacius hæc refert ad Martyres animandos in persecutione, *q. d.* Ne reverearis, id est, ne timeas proximum minantem tibi casus et ruinas, ut propter ejus minas « retineas verbum in tempore salutis, » quo, scilicet, veram fidem et virtutem profitearis et prædices. Sic et Rabanus hæc omnia explicat de Martyribus.

NON ABSCONDAS SAPIENTIAM TUAM IN DECORE SUO. — Græce, εἰς καλλονήν, id est, *ad ornatum*, vel *pulchritudinem*. Quod, *primo*, sic aliqui explicant, *q. d.* Ne abscondas sapientiam, ut videaris esse bellus et pulcher, puta, doctus et sapiens. *Secundo*, melius alii, *q. d.* Ne abscondas sapientiam, cum illa pandenda et decoranda est, cum, scilicet, pulchrum et decorum est eam promere : quod fit, cum per eam promi poscit Dei gloria, et proximorum salus; quod paulo ante dixit : « in tempore salutis. » Unde Tigurina vertit, *ne sapientiam tuam celes, quo minus reddas illustrem.* Hunc ergo honorem debemus, non nobis, sed sapientiæ, ut eam enuntiemus, cum per hoc illa decoratur; cum vero illa a stolidis ridetur et spernitur, silenda et celanda est, ne sanctum demus canibus, neve margaritas projiciamus ante porcos, qui illas conculcent et conspurcent, uti monet Christus *Matth.* VII, 6.

Tertia, est hæc mali pudoris et silentii species, qua quis ex pudore silet sapientiam, eum ipsa eloquio honoranda et decoranda est. Huc facit illud *Proverb.* XI, vers. 26 : « Qui abscondit frumenta, inquit, maledicetur in populis; benedictio autem super caput vendentium. » Quod explicans D. Gregorius III parte *Pastor.*, admon. 26 : « Frumenta, inquit, abscondere, est prædicationis sanctæ apud se verba retinere; in populis autem talis quisque maledicetur, quia in solius culpa silentii pro multorum, quos corrigere poterat, pœna damnatur. » Tertia.

Vers. 29. 29. IN LINGUA ENIM (sapientiam proloquente) SAPIENTIA DIGNOSCITUR, ET SENSUS EST SCIENTIA (ita legit Jansenius, *q. d.* Sensatus sermo index et effectus est scientiæ, quin et causa scientiæ : sensata enim oratio parit sapientiam in audiente eam; sed corrige cum Romanis) : ET SENSUS, ET SCIENTIA, ET DOCTRINA (scilicet, est) IN VERBO SENSATI, — *q. d.* Sensatus, sive cordatus, loquitur sensate, et in suis verbis ostendit scientiam et doctrinam, tum speculativam, tum potius practicam, puta prudentiam. Siracides enim, æque ac Salomon, prudentiam, suamque Ethicam nunc vocat sapientiam, nunc scientiam, nunc doctrinam, nunc disciplinam, nunc intellectum, nunc sensum. Rursum cum Palacio hæc tria ita distinguas : « Sensus » vocatur vivida perceptio, et velut tactus quidam et experientia rerum spiritalium; « scientia » est notitia rerum naturalium ; « doctrina » est eruditio, sive facultas et facilitas docendi in docente. Hæc tria non agnoscuntur, nisi ex verbis sensati et prudentis. Addit denique :

ET FIRMAMENTUM IN OPERIBUS JUSTITIÆ, — scilicet doctrinæ, vel veritatis doctæ, *q. d.* Optima confirmatio et persuasio sapientiæ et doctrinæ est ea quæ fit, non per verba, sed per *opera justitiæ*

facta a docente : opera enim, quia realia, magis vocalia sunt verbis. Ita Lyranus. Aliter Jansenius : Hisce verbis, ait, significatur de qua doctrina sit sermo, nempe, de ea quæ sit firmamentum justitiæ, hoc est, qua homines firmantur in operibus bonis. Aliter quoque Palacius : Sicut, inquit, per verbum agnoscitur magistri doctrina; ita « firmamentum, » seu firmitas et constantia animi agnoscitur in operibus justitiæ : si enim tempore persecutionis operaris justitiam, minime ab ea deflectens, firmum te esse demonstras. Vis hæc omnia velut in speculo videre ? Christi vitam coram oculis statue. Videbis eum dicentem : « Non abscondi justitiam tuam, et veritatem tuam a concilio multo. » Quam vero magni constitit hanc sapientiam non abscondisse, audi sequentia : « Tu autem, Domine, ne longe facias miserationes tuas a me. Quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus, » etc. Ergo in lingua Christi dignoscitur sapientia, sensus, scientia et doctrina, et in ejus operibus firmitas animi.

Græca pro his omnibus tantum habent : *nam ex sermone sapientia cognoscitur, et e verbis linguæ eruditio ;* Syrus, *ne abscondas sapientiam tuam, quia in sermone cognoscitur sapientia, et intelligentia in confabulatione ;* Arabicus, *Quoniam scientia ex eloquio cognoscitur, et intelligentiam peccare facit lingua.* Sermo enim est mentis speculum et imago. Unde Socrates ad adolescentem : « Loquere, inquit, ut te (tuam mentem, prudentiam, sensa) videam. » Sunt enim verba vehiculum mentis. Est oratio interpres animi. Sermo est lux, qua cor, et ea quæ sunt in corde, videntur. Vere Seneca in *Proverbiis* : « Imago animi, ait, est sermo; qualis vir, talis oratio. » Et Menander : « Viri character ex sermone cognoscitur. » Porro sermonis firmamentum est opus justitiæ, quod Hebræi dicunt : « Non sermo radix, sed opus, *q. d.* Semper plus facere debemus, quam dicere. Plus in negotiis gerendis res, quam verba prosunt. Qualis arbor sine radice, talis est sermo sine opere. Quod Orator de virtute dixit, « rem esse, non verba; » idem de scientia dicas. Qui hoc sæculum cum patrum ævo comparant, dicunt patres plus conscientiæ, minus scientiæ habuisse; nos vero plus scientiæ, minus conscientiæ habere. Scientiam adeptus es? laudo; sed magis, si conscientiam : vera enim scientia ita tractanda est, ut melior potius quam doctior evadas, ut pectus instruas magis quam mentem acuas, inquit Palacius.

Vers. 30. 30. NON CONTRADICAS VERBO VERITATIS ULLO MODO. — Est enim tam divina res veritas, ut sit ipse Deus, ait Palacius. Torquet hæc verba S. Augustinus lib. III *Contra Parmen.* cap. VI, contra Donatistas, qui imprudenter veritati, æque ac edicto Constantini Imperatoris resistebant : « Nonne, inquit, scriptum est : Non contradicas ullo modo veritati ? Cui autem nisi veritati contradicitur, cum etiam regi ex veritate aliquid jubenti resistitur ? »

ET DE MENDACIO INERUDITIONIS (Græce ἀπαιδευσίας, id est, *indisciplinationis, inscitiæ, imperitiæ*) TUÆ (hoc est, indisciplinate, inscite, imperite, temere, imprudenter prolato), CONFUNDERE. — Ita Romana et Græca nonnulla, licet Complutensia, Tigurina et alii deleant τὸ *mendacio*, legantque tantum, *de ineruditione tua confundere.* Sed tum quoque per *ineruditionem* intelligitur mendacium, vel falsitas, qua veritati contradicitur; de eo enim sermo præcessit : sicut enim veritas est res divina; ita mendacium est res diabolica. Diabolus enim est « mendax et pater ejus, » scilicet mendacii, *Joan.* cap. VIII, 44. Est ergo turpissimum a castris veritatis deficere ad castra mendacii (hoc enim est transire a castris Dei ad castra diaboli), maxime viro Christiano, cujus tota laus et salus in veritate consistit.

Est hæc *quarta* mali pudoris species, opposita secundæ vers. 27. Sicut enim ibi jussit vinci pudorem, qui hominem detinet, ne proximum peccantem corripiat; ita vice versa hic monet eum qui corripitur, ne ex superbo pudore contradicat veritati, ac mendaciter neget se commisisse peccatum de quo arguitur, aut illud quasi recte factum velit excusare et defendere. Unde de eodem subdit : « Non confundaris confiteri peccata tua. » Sensus ergo est, *q. d.* Si quod mendacium per imprudentiam, incogitantiam, præcipitationem, inscitiam prolocutus es, ubi hoc adverteris, noli illud tueri, sed confundere, revoca et emenda : pudor enim laudabilis est, quo quis errorem humiliter agnoscit et confitetur; vituperabilis vero est, quo quis superbe errorem tueri satagit, ne errasse videatur; nolle enim pudere de pudendo, magnæ est impudentiæ; ac nolle pœnitere de pœnitendo, arrogantis est impœnitentiæ. Huic expositioni favet Tigurina, dum vertit, *cave contradicas veritati ullo modo, quamobrem fallacis imperitiæ te pudeat.* Quarta.

Secundo, Jansenius apposite sic exponit, *q. d.* Pudeat te deprehendi mendacem, dum per imprudentiam tuam, inscitiam et audaciam veritati contradicis, ut quod dicitur, « de mendacio confundere, » accipiatur de mendacio non commisso, sed committendo; hoc enim apte respondet ei quod præcessit : « Non contradicas verbo veritatis, » ideoque « de mendacio confundere, » *q. d.* Ideoque pudeat te mentiri, quia per mendacium contradicis veritati. Huic expositioni favet Syrus : *Ne garrias contra veritatem, et a stultitiis tuis contine te;* et Arabicus : *Ne adverseris æquitati, neve cum illa contendas, et regredere a delictis tuis, et averte te ab eis.*

Unde S. Augustinus, lib. III *Contra Parmen.* cap. III, hæc applicans hæreticis qui resistunt fidei, qualis erat Parmenianus et Donatistæ : « Cui autem, inquit, nisi veritati contradicitur, cum etiam regi ex veritate aliquid jubenti resistitur ? Sed rex homo qui minatur, vel qui judicat ad tempus, molestus est : non sic ille Rex, qui etiam

Veritas dicitur. » Denique B. Antiochus, homil. 60 *de Verecundia*, citans hunc *Eccles.* locum : « Confusio faciei, inquit, cooperuit me. Hujusmodi pudor, sive verecundia plane sancta est, cum secundum Deum sit, ut quæ hominem adducat ad pœnitentiam, ac proinde non mediocrem affert animæ fiduciam. »

Vers. 31. Quinta.

31. NON CONFUNDARIS CONFITERI PECCATA TUA. — Est hæc *quinta* pravi pudoris species, qua quem pudet peccata confiteri. Non loquitur Siracides præcise de Confessione Sacramentali, utpote quæ illo tempore necdum erat instituta; sed generatim de confessione, qua quis legitime de peccato rogatus, monitus aut correptus, illud falso negat. Unde Græca hic addunt id quod Noster habet vers. sequent. *Nec adversus cursum fluminis contendas, q. d.* Noli contra veritatem omnium, præsertim Superiorum, ore contra te currentem teque arguentem, negando peccatum contendere; quia vi et communi voce veritatis, quasi fluminis vinceris, magisque patefiet tua iniquitas, falsitas et impudentia. Quocirca multo magis hæc sententia habet locum in Confessione Sacramentali, postquam illa a Christo fuit instituta, utpote in qua jussit sanxitque Deus peccata pandi, de iisque confundi et pœnitere.

Contra hanc sententiam et legem peccavit Adam, cum culpam suam impudenter in Evam rejecit, *Genes.* III, ideoque paradiso ejectus, et morte cum posteris omnibus mulctatus est. Tu vero, si Deum tibi optas propitium, cum Davide dicito : « Tibi soli peccavi, et malum coram te feci. Humiliter ergo peccata tua confitere Deo aut homini, præsertim si is habeat potestatem et sapientiam, qua te convincere et punire, aut peccata remittere, iisque mederi possit, ut per humilem confessionem et agnitionem peccati veniam consequaris, ultionem evadas, et misericordiam gratiamque nanciscaris. Porro solet dæmon pudorem, quem peccatori, dum peccaret, abstulit, eidem, dum illud vult confiteri, restituere, ut confessionem impediat, eumque in peccato captivum detineat. Quocirca Tertullianus, lib. *De Pœnitentia*, cap. X : « Plerosque, inquit, hoc opus in publicationem sui, aut suffugere, aut de die in diem differre præsumo, pudoris magis memores quam salutis. » Et mox ironice : « Næ tu verecundia bonus ad delinquendum expandens frontem, ad deprecandum vero subducens; » et S. Augustinus vel quisquis est auctor, lib. II *De Visit. infirm.* : cap. V. « Heu! cur erubescis, inquit, confiteri quod facere nequaquam erubuisti? » et S. Bernardus in *Sent.*: « Cur te pudet, inquit, peccatum tuum dicere, quem non pudet facere? »

Dæmon pudorem peccanti adimit, confitenti restituit.

Pudor hic excutiendus est *primo*, timore majoris pudoris, quo afficietur peccator in die judicii; sic enim clavus clavo pellitur. Unde S. Gregorius Nazianzenus, orat. *in S. Baptisma* : « Ne peccatum, inquit, confiteri graveris, ut, per hujus vitæ pudorem, futuri sæculi pudorem ignominiamque fugias; » et S. Augustinus loco citato : « Melius, inquit, est coram uno aliquantulum ruboris tolerare, quam in die judicii coram tot millibus hominum, gravi repulsa denotatum tabescere. » *Secundo*, cogitando confessionem nemini esse pudori, sed gloriæ, quod per illam de superbia, peccato, nobis ipsis ac dæmone triumphemus. Unde Nazianzenus loco jam citato : « Perspicuum, inquit, facias te serio atque ex animo peccatum odisse, dum illud tanquam contumelia dignum traducis, ac velut ludibrio exponis, de eoque triumphum agis. » Exempla hujus triumphi illustria recenset Climachus grad. 4 et 5 *de Pœnitentia.*

Quocirca merito exclamat S. Bernardus, epist. 185 *ad Eustachium* : « O verecundia, inquit, expers rationis, inimica salutis, totius ignara honoris et honestatis. Hæc plane illa, quam Sapiens loquitur, confusio adducens peccatum. Itane verecundum est homini vinci a Deo, et probro ducitur humiliari sub potenti manu Altissimi? Nam ita rex ille gloriosus David : Tibi soli peccavi, et malum coram te feci, ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris. Summum victoriæ genus, divinæ cedere majestati; et auctoritati matris Ecclesiæ non reluctari, summus honor et gloria. O perversitas! Non pudet inquinari, et ablui pudet! Est pudor (juxta Sapientem) adducens gloriam; si videlicet peccare pudeat : si non, pudeat vel peccasse; et ita vel sera gloria non carebis; reducente nimirum pudore, quam culpa fugaverat. Secundum tenent beatitudinis locum, quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Honorabile tegumentum, de quo loquitur : Confessio et pulchritudo in conspectu ejus. Quis mihi tribuat videre te in vestitu deaurato, ut dicamus et tibi : Confessionem et decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento. »

Encomia confessionis.

Idem, *serm.* 4 inter minores : « Melior est, ait, in malis factis humilis confessio, quam in bonis factis superba gloriatio. » Idem, in *Medit.* cap. XXXVII : « Omnia in confessione lavantur, conscientia mundatur, amaritudo tollitur, peccatum fugatur, tranquillitas redit, spes reviviscit, animus hilarescit. Post Baptismum nullum aliud est remedium, quam confessionis refugium. Sit ergo devota cordis compunctio, vera oris confessio, discreta carnis mortificatio, repentina vitiorum exstirpatio, læta bonorum operum exhibitio. » Et mox : « Simulata confessio non est confessio, sed duplex confusio. Excludit enim miserationem Dei miseriæ simulatio. Nec dignatio locum habet, ubi fuerit dignitatis præsumptio. » Mutuatus est Siracides hanc gnomen a Salomone, *Proverb.* XVIII, 17 : « Justus prior est accusator sui. » Ubi plura de confessione dicam.

ET NE SUBJICIAS TE OMNI HOMINI PRO PECCATO, — *q. d.* Non confundaris confiteri peccata tua; con-

fundere autem de ipso peccato, ita ut nulli (Hebr. enim, *non omni*, idem est quod *nulli*) homini ad peccatum sollicitanti te subjicias ad illud perpetrandum. Priori ergo hemistichio Siracides hortatur ad confessionem peccati patrati, posteriore dehortatur a consensu patrandi. Ita Rabanus, Glossa Interlinearis et Palacius. Hunc sensum exigunt Græca, *ne te submittas stulto homini;* et Syrus, *ne subjicias dementi teipsum;* et Arabicus, *ne contendas cum insipiente, et ne præbeas nomen tuum stulto.* Aliter Lyranus, *q. d.* Noli te subjicere cuilibet homini, ut cuilibet peccata confitearis; sed ei tantum, qui illa novit, potestque iis salutare remedium adhibere vel ostendere. Aliter quoque Jansenius, qui, ut hæc omnia inter se nectat, ita explicat, *q. d.* Ne confundaris confiteri peccata tua, dum a sapiente, vel superiore et judice de eis argueris, et « ne pro peccato » a te admisso ulli « homini te subjicias, » hoc est obnoxium facias majori, et novæ reprehensioni ac ultioni, si scilicet mendax inveniaris, dum vis negare, vel excusare peccata commissa. Quare « noli resistere contra faciem potentis, » pro peccato, scilicet a te admisso; hoc est, cum judex, aut quivis alius, qui potest tua mendacia confutare et vindicare, te peccato arguit, noli mendaciis te contra eum defendere, « nec coneris contra ictum fluminis, » id est, nec contra potentiam ejus, qui te veritate oppugnat, obnitere. Id enim perinde est, ac si coneris contra ictum, id est vim fluminis. Verum hæc expositio, licet magis connexa, minus tamen plena, magisque coacta videtur, eique adversatur textus Græcus, Syrus et Arabicus.

Vers. 32. 32. NOLI RESISTERE CONTRA FACIEM POTENTIS, NEC CONERIS CONTRA ICTUM (Græca Complut., *cursum;* Romana, *fluxum*) FLUVII, — *q. d.* Noli resistere potenti, sive homini, sive populo et multitudini; quia illi resistere non poteris, sicut resistere nequis ictui, id est impetui fluminis. Est disparatum et diversum hoc a præcedenti præceptum, qualia sunt pleraque in hoc libro; apte tamen præcedenti subnectitur, *q. d.* Ne subjicias te homini pro peccato; sed neque resistas potenti, ubi ille ad peccatum te non urget; illud enim pravitatis est, hoc imprudentiæ. Frustra enim niti, et nihil aliud laborando, quam odium quærere, extremæ dementiæ est, ait ex Sallustio S. Hieronymus. Sic Samuel populo temere regem poscenti, consulte cessit, deditque Saulem, I *Regum.* VIII. Porro Complut. et S. Augustinus in *Speculo* pro *fluminis* legunt *fulminis*. Potens enim et audax similis est fulmini, cujus ictus omnia etiam durissima penetrat, liquat et siderat. Quis huic resistat? Hæc est quasi ratio a priori.

Nota : Hi duo versus, scilicet 30 et 31, qui sic habent in Latina Vulgata : « Ne confundaris confiteri peccata tua, et non subjicias te omni homini pro peccato. Noli resistere contra faciem potentis, nec coneris contra ictum fluvii, » aliter habent in Græcis codicibus, qui etiam sententiarum membra trajiciunt, puta quædam præponunt, quædam postponunt; sic enim habent, *ne erubescas confiteri peccata tua, nec adversus cursum fluminis contendas. Ne te submittas, vel substernas stulto homini, nec vultui potentis cedas.* Porro Syrus ad Græcum accedit; ab eo tamen nonnihil discrepat; sic enim habet : *ne erubescas confiteri peccata tua, et ne resistas stulto. Ne subjicias dementi teipsum, et ne contendas adversus dominum, puta principem vel herum;* et Arabicus, *ne confundaris confiteri peccata tua; ne contendas cum insipiente, et ne præbeas nomen tuum stulto : ne contendas cum principe.* Verum hæ versiones et lectiones non tam apte cohærent quam Latina Vulgata : quare ejus auctor Latinus Interpres videtur habuisse emendatius exemplar Græcum, uti hic fatentur et annotarunt Interpretes, non tantum orthodoxi, sed et heterodoxi, imo cacodoxi in fide.

Hanc Siracidis gnomen illustrat apologus arundinis et olivæ apud Æsopum : « De viribus, inquit, arundo et oliva contendebant; cum arundini oliva convicium faceret, utpote imbecillæ, ac facile cedenti ventis omnibus, arundo tacendo nihil locuta est. Ac parumper præstolata, ubi acer afflavit ventus, arundo succussa et inclinata ventis, facile evasit; oliva autem, cum ventis restitisset, vi diffracta est. *Affabulatio* : Fabula significat eos, qui tempori ac præstantioribus non resistunt, meliores esse iis qui cum potentioribus contendunt. »

Porro Nazianzenus, epist. 57 *ad Eudoxium*, hanc parœmiam adaptat naturæ, *q. d.* « Ne coneris contra ictum fluvii, » hoc est, ne coneris contra propensionem naturæ, juxta illud :

Tu nihil invita facies dicesve Minerva.

Vers. 33. 33. PRO JUSTITIA AGONIZARE PRO ANIMA TUA, ET USQUE AD MORTEM CERTA PRO JUSTITIA, ET DEUS EXPUGNABIT PRO TE INIMICOS TUOS. — Græca de more hic magis sunt concisa; enim habent, *ad mortem usque decerta pro veritate, et Dominus pugnabit pro te.* Et sic legit Joannes Maxentius, Præfat. *in Dialog. contra Nestor.* Et Syrus, *usque ad mortem certa pro veritate, et Dominus certabit pro te.* Addit Arabicus, *et victorem te reddet.* Hic versus respicit et spectat ad versum 24 : « Pro anima tua ne confundaris dicere verum; » et ad versum 30 : « Non contradicas verbo veritatis. » Illis enim hic per gradationem addit : « Usque ad mortem certa pro veritate; ut ostendat quam nobis curæ et cordi debeat esse veritas, quamque ejus tutelam et patrocinium suscipere debeamus, scilicet ut pro ea dimicemus usque ad mortem. Veritatem intellige, tum fidei et religionis, tum morum, actionum et virtutum, præsertim justitiæ proprie dictæ. Unde Noster solerter vertit, *justitiam.* Justitia enim generatim hic capitur pro religione æquitate et qua-

libet virtute; sed maxime pro justitia proprie dicta : pro ea enim quasi pro anima certare debemus, quia ex justitia et virtute pendet animæ felicitas præsens et æterna, adeoque virtus est animæ salus, imo animæ anima. Ne quis enim dicat : Justitiæ patrocinium ad me non pertinet.

Addit : « Agonizare pro anima tua, » *q. d.* Dum pro justitia agonizas et certas, certas pro anima tua, imo certas pro Deo, qui est prima et increata veritas et justitia, quique animam tibi dedit, ut pro ea et veritate certes usque ad mortem. Unde Dionysius apud Antonium in *Melissa*, part. I, cap. XXI : « Veritas, inquit, est Deus, utpote unum, non multa secundum naturam. Verum quippe unum est; mendacium autem multiplex. Nam et Christus inquit : Ego sum via, veritas et vita, » *Joan.* XIV. Hinc Jamblicus apud Stobæum, serm. 11 *de Veritate* : « Veritas, inquit, ut Græcum ejus etymon indicat, circa Deum et incorruptam Dei actionem versatur. » Græce enim veritas dicitur ἀλήθεια, quod ἀλεῖ, id est molat, θεῖα, id est divina, quod scilicet circa Deum et divina occupetur, ipsaque sit quasi ἄλημα, id est farina Dei et Deitatis.

Nota Græcismum, quo verbum passivum *agonizare*, quasi deponens sumitur active pro *agoniza*, certa, confligе, contende, pugna, dimica; Græci enim crebrius usurpant passivum ἀγωνίζομαι, quam activum ἀγωνίζω, pro certo, dimico, etc. Simili modo Noster, *certari* usurpat pro *certare*, cap. XI, 9. Porro τὸ *agonizare* emphasim habet, *q. d.* Pro anima tua, ut scilicet salves animam tuam, omnes vires exere, totoque conatu certa pro justitia, scilicet ea contentione et agone, qua moribundi in agonia cum morte luctantur. In his enim natura, ut se suamque vitam tueatur, omne suum robur expromit, et extremum potentiæ suæ exerit. Unde multi e mortis periculo eluctantur, et vitæ restituuntur. Aut potius, « agonizare, » id est acerrime certa pro justitia, æque ac olim pugiles et olympionicæ in agone pro corona certabant usque ad mortem. Alludit ad agones Olympicos, similesque Græcorum. In Græcia enim quatuor fuere certamina sacra, quos agones appellabant, scilicet Nemæa, Pythia, Isthmia, Olympia, de quibus vide Budæum in *Pandect.* De iisdem exstat Archiæ epigramma :

Quatuor Argivis certamina sacra feruntur,
Bina hominum natis, binaque cœlitibus.
Phœbo, ipsique Jovi, Archemoro, et parvo Melicertæ,
Poma, oleastra, apium, præmia, pinus erant.

Huc quoque allusit Apostolus I *Corinth.* IX, vers. 25 : « Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet; et illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam. » Vide dicta ibidem et *Apoc.* III, in fine.

Præclare Philo, lib. *Quod omnis probus sit liber*. « Spectavi, inquit, aliquando certantes pancratio : alterum obtundentem pugnis et calcibus, totisque viribus contendentem ad victoriam, tandem lassum et incoronatum a stadio discedere; alterum carnosum, nervosum, musculosum, refertumque spiritu vere athletico, tanquam saxeum ferreumque nihil plagis cedere, solaque patientia superare adversarium, et ad extremum adipisci victoriam. » Et statim ad mores, uti solet, digressus : « Huic similem, inquit, bonum virum censeo, qui valide confirmatus, certo animi proposito efficit, ut adversarius prius delassetur inferendo injurias, quam ipse quidquam agat præter animi sui sententiam. » Et S. Hieronymus *ad Heliodorum* : « Quid facis in paterna domo, delicate miles? ubi vallum? ubi fossa? ubi hiems acta sub pellibus? Ecce de cœlo tuba canit. Ecce cum nubibus debellaturus orbem, Imperator armatus egreditur. Et tu mihi de cubiculo ad aciem : tu de umbra egrederis ad solem? Corpus, assuetum tunicis, loricæ onus non fert; caput, opertum linteo, galeam recusat : mollem otio manum durus exasperat capulus. »

Talis justitiæ pugil fuit S. Joannes Baptista, qui pro jure matrimonii certans et corripiens adulterum Herodem, ab eo martyrio laureatus est. Similes fuere cæteri Martyres. Talis quoque fuit Judas, Jonathas cæterique Machabæi, qui pro justitia, id est, pro justa patriæ et Ecclesiæ defensione, contra Antiochum fortissime depugnarunt, ideoque Deus pro eis, imo pro justitia pugnans, fecit eos victores et gloriosos, ut pauci ingentes hostium copias profligarent, uti narratur in lib. *Machab.* Milites ergo pro justitia certent usque ad mortem : quin et fidelis quilibet in tentatione positus, quasi miles Christi pro Deo et justitia confligat cum dæmone, mundo et concupiscentia usque ad mortem, cogitans rem agi de anima sua, ejusque salute æterna. Vide S. Cyprianum, *Exhortat. ad Martyr.*, et Tertullianum in *Scorpiaco* et *Exhort. ad Martyres.*

Porro apposite hanc sententiam præcedenti subjicit Siracides, *q. d.* Dixi : « Noli resistere contra faciem potentis. » Sed intellige, si potens ad peccatum te non cogat, aut sollicitet; si enim sollicitet, dico et edico : « Pro justitia agonizare pro anima tua; » quod Palacius sic explicat, *q. d.* Si silentium tuum in justitiæ periculum, aut damnum cedit, tunc pro ea in agoniam mortis te conjice. Certa contra totum mundum pro pietate, uti certavit S. Athanasius contra orbem pene totum Arianum. Non solus certabis, non solus agonem sustinebis; Deus stat pro te. Resiste ergo iis qui justitiam oppugnant. Intellige, si resistere tibi ex officio incumbat, aut si religio et fides, vel salus propinquorum ex tua resistentia pendeat. Alioqui non adeo obligaris principi iniquo resistere, maxime si non speres ex resistentia remedium affuturum.

Ita S. Cornelius gloriosus Pontifex et martyr, corneo et invicto corde restitit Decio, Gallo et Volusiano Imperatoribus omnes ad idololatriam cogen- Cornea virtus S. Cornelii.

tibus, ac Romanis cæterisque Christianis resistendi dux et auctor fuit. Quocirca anno Domini 255, truncato capite, martyrii laurea coronatus evolavit in cœlum ; ac non multo post S. Leo I, in pontificatu successor, via Appia, ubi illustrem fidei agonem obiverat, templum æternæ quasi gloriæ theatrum in ejus honorem excitavit. Eumdem magnis virtutum elogiis celebrat coævus illi et commilito S. Cyprianus, epistola 1 *ad Cornelium* : « Exprimi satis non potest, inquit, quanta istic exsultatio fuerit, etc., ducem te illic confessionis fratribus exstitisse, ut, dum præcedis ad gloriam, multos feceris gloriæ comites; et confessorem populum suaseris fieri, dum primus paratus es pro omnibus confiteri. Virtus illic episcopi præcedentis publice comprobata est, adunatio fraternitatis ostensa est, dum apud vos unus animus, et una vox est, Ecclesia omnis Romana confessa est. » Et lib. IV, epist. 2 *ad Antonianum* de Cornelio : « Acies adhuc geritur, et agon quotidie celebratur. » Et inferius : « Quanta in ipso suscepto episcopatu suo virtus ! quantum robur animi ! qualis firmitas fidei ! quod nos simplici corde et perspicere penitus, et laudare debemus, sedisse intrepidum Romæ in sacerdotali cathedra eo tempore, cum tyrannus infestus sacerdotibus Dei, fanda atque infanda comminaretur; cum multo patientius et tolerabilius audiret levari adversus se æmulum principem, quam constitui Romæ Dei sacerdotem. Nonne hic, frater carissime, summo virtutis et fidei testimonio prædicandus est ? Nonne inter gloriosos Confessores et Martyres deputandus, qui tantum temporis sedit expectans corporis sui carnifices, et tyranni ferocientis ultores; qui Cornelium adversus edicta feralia resistentem, et minas, et cruciatus, et tormenta fidei vigore calcantem, vel gladio invaderent, vel cruci figerent, vel igne torrerent, vel quolibet inaudito genere pœnarum viscera ejus et membra laniarent? Etiamsi majestas Domini protegentis, et bonitas sacerdotem, quem fieri voluit, factum quoque protexit; tamen Cornelius, quantum ad ejus devotionem pertinet et timorem, passus est quidquid pati potuit; et tyrannum armis, et bello postmodum victum, prior sacerdotio suo vicit. »

Coævus et fortitudine suppar S. Cornelio fuit S. Babylas, Patriarcha Antiochenus, qui Decium Imperatorem magno satellitio et fastu ingredientem ecclesiam, majore animo et virtute ex ea expulit, ideoque gloriosum obiit martyrium : unde et post mortem in Daphne sepultus, inde dæmones expulit. Quæ admirans S. Joannes Chrysostomus, lib. *Contra Gentiles*, exclamat : « O animum imperterritum, mentemque excelsam ! o cœleste pectus et constantiam Angelicam ! Etenim ipsum Sanctæ Litteræ erudierant, mundi hujus res omnes non nisi umbram esse et somnium, et si quid his vanius est. Idcirco cogitationem traducebat ad supremum illum Regem sedentem super Cherubim, intuentem abyssos, ad thronum illum gloriosum, ad Angelorum myriadas, ad chiliadas Archangelorum. »

34. NOLI CITATUS ESSE IN LINGUA TUA ; ET INUTILIS ET REMISSUS IN OPERIBUS TUIS. — In Græcis est hic triplex lectio. Pro *citatus* enim *primo*, Noster legit ταχύς, id est celer, velox, citus et citatus; *secundo*, Romani, legunt τραχὺς, id est asper, durus, ferox; *tertio*, Complut. legunt θρασὺς, id est audax, temerarius. Sic et Tigurina, *ne in lingua tua, inquit confidens sis ; nec rursum in operibus tuis segnis* (νωθρὸς, id est ignavus, imbellis, segnis, tardus, piger, somnolentus) ; Syrus, *ne sis elatus inquit, in lingua tua, et remissus et debilis in operibus tuis ;* et Arabicus, *ne sis tumidus in lingua tua, et iners et negligens in operibus tuis.* Sed melior est lectio nostri Interpretis : sic enim constat antithesis inter citatum in lingua, et remissum in opere ; vetat enim hic duo : *primo*, velocitatem ad loquendum; *secundo*, tarditatem ad bene operandum, quæ duo vitiosiora sunt, si jugantur, uti sæpe ea jungi videmus. Cum enim in homine una eademque sit anima, quæ per linguam loquitur, et per manum operatur, atque ipsa sit limitatæ et exiguæ attentionis et virtutis, si totam illam ipsa applicet et exerat in lingua, parum residui habet, quod exerat in manu et actione, præsertim cum lingua et manus, locutio et operatio sint valde disparata et pene contraria. Unde vulgo dicitur : *Impigræ linguæ, ignavi animi.* Vers. 34.

Quocirca prudenter Seneca Lucilium monet, *epist.* 72 : « Summa summarum, inquit, hæc erit : tardiloquum te esse jubeo. » Quin et Psaltes *Psal.* XXXVIII, 2 : « Dixi, ait : Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. » Causam dat ibidem S. Augustinus. « Non enim, inquit, lingua frustra in ludo est, nisi quia facile labitur. Custodi ergo vias tuas, et noli delinquere in lingua ; perpende quod dicturus es, examina, consule interiorem veritatem, et sic profer ad exteriorem auditorem. » Ibidem S. Ambrosius : « Aliæ, inquit, sunt viæ, quas debemus sequi ; aliæ, quas custodire : sequi vias Domini, custodire nostras, ne in culpam dirigantur. Potes autem custodire, si non cito loquaris. »

Linguati remissi in actione sextupliciter.

Porro hæc sententia, cum sit generalis, variis aptari potest : *Primo*, promissis, *q. d.* Noli esse celer in promittendo, tardus in præstando promissum. *Secundo*, mandatis et imperiis, *q. d.* Noli esse celer in mandando, tardus in operando, ut multa aliis ordines et mandes; sed nolis ipse manum operi admovere. Verus enim familiæ cœtus et belli dux non dicet suis : Ite, facite hoc, milites ; sed, eamus, faciamus, commilitones. Primusque suis anteibit et manum operi admovebit, uti dicebat et faciebat Julius Cæsar. *Tertio*, pigris et acedis, qui multi sunt in loquendo, remissi in laborando, ut totum sensum, motum et vitam videantur habere in lingua, ac consequen-

ter manus insensibiles, immobiles et quasi emortuas. *Quarto*, superbis, qui magna de se jactant, cum nihil opere efficiant. Talis est miles ille Thraso apud Comicum, qui facinora in bellis a se patrata pleno ore buccinabat, cum esset imbellis, ignavus et timidissimus. *Quinto*, magistris et concionatoribus, qui multa docent sermone, sed nihil opere præstant. Unde illi simile est illud Hebræorum adagium: « Thalmud sine opere non est magnum Thalmud; » sive: « Doctrina absque opere non est doctrina, » *q. d.* Non est magnificanda doctrina, aut doctor, qui aliter vivit quam docet. Hujusmodi enim doctrina cadit super corda, sicut imber cadit super saxa, ut quidam sapientum ait; vera enim doctrina exigit ut ad legem suam quisque vivat, ne ab oratione mores dissentiant : « Non enim est in sermone regnum Dei, sed in virtute, » I *Corinth.* IV, 20. *Sexto*, otiosis, loquacibus, garrulis, maledicis, qui sua garrulitate et maledicentia sibi aliisque periculum creant : « Os enim lubricum operatur ruinas, » ait Rabanus. Unde S. Jacobus, cap. I, vers. 19 : « Sit, inquit, omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram. Ira enim viri justitiam Dei non operatur. » Ita Zeno audiens adolescentem garrulum: « Aures, inquit, in linguam defluxere, » significans adolescentis esse multa audire, pauca loqui, teste Laertio lib. VII, cap. I. Idem dicas otioso et loquaci : « Hujus manus in linguam defluxerunt. » Et, ut aiebat Theocritus Chius : « Hujus in ore omnis supellex est, et unicum domicilium. » Idem cum Anaximenes esset dicturus, ita præfatus est: « Incipit verborum flumen, mentis gutta, » significans illum esse multiloquum, sed parum sapientem, uti refert Stobæus, *serm.* 34. Tales sunt desidiosi et garruli. Denique R. Samai in *Pirke Avoth* : « Parcum, ait, te volo in loquendo, multum in agendo. »

Dic voce tenui, et age actu grandi.

Huic gnomæ antistrophus est apologus leonis et asini apud Cyrillum, lib I *Apologorum moralium*, cap. XVI, cujus titulus : *Dic voce tenui, et age actu grandi.* « Leonem, inquit, socius asinus antecedens, cum de longe luporum turmam aspiceret, eminus cœpit vocem emittere, ut ejus granditate ventosa grex inimicus discederet perculsus. At vero cum hostes a clamore hunc esse asinum cognoscerent, fixi stantes cœperunt ridere, scientes tantum sonitum pectoris minime respondere virtuti cordis. Tunc leo percepta voce statim cucurrit ad socium, atque dixit : Amice, quid tibi est, quod clamasti? cui ille : Mi frater, grex luporum apparuit, quem grandi voce perterrui, nec se movet; sed mox ad odorem tuum non sine mea admiratione disparuit. Ad hæc leo prudenter subridens : Si nosti, inquit, nequam lupus est callidus, clamorem deridet, ac virtutem tantum timet, latratum canis subsannat, dummodo morsum effugiat. »

Idipsum deinde confirmat exemplo militis et philosophi, ac rationem a priori assignat: Nimirum expertus miles tubam bellicam, non pavescit, sed gladium; et eruditus philosophus nubis tonitruum non veretur, sed fulgur. Quid enim est clamor, nisi pectoris evacuati et oris sonus effusus? nempe vacua magis sonant, ventosaque concrepant. Quapropter, carissime, qui clamoribus utitur, a sapiente minime timetur. Quoniam ventosus et vacuus sine virtutis soliditate fore cognoscitur. Clamore siquidem iracundiæ flamma in clibano cordis accenditur, de qua statim fumus exeritur, et obfuscata ratione virtutis splendor fuscatur. Ex lumine namque rationis oritur virtus. Quare magis prudenter id efficitur, quod inanis apparentiæ spreta voce, rei granditate finitur. Sic regularis cœli motus, cum sit actus virtuosus, grandi virtute sine sono completur. Quo dicto de clamorosa voce confusus asinus, a leonis societate discessit. »

Ratio a priori.

35. NOLI ESSE SICUT LEO IN DOMO TUA (dominans, clamans, sæviens, ideoque) EVERTENS DOMESTICOS TUOS ET OPPRIMENS SUBJECTOS TIBI. — Græce φανταστιακοπῶν, id est, *phantasia laborans*, cerebrosus, qui vanis imaginibus percellitur, insanus *in domesticos suos*. Syrus pro *leo* vertit *canis*, puta molossus, qui est instar leonis; leo enim interiora omnia habet cani similia, uti docet Aristoteles lib. II *De Histor. animal.* cap. I. Rursum leonum morsus sanatur, ut canum morsus, uti idem docet lib. IX, cap. XLIV ; nisi pro Syro כלבא *kelbo*, id est canis, aliis punctis legas Hebræum כלביא *callabi*, id est, sicut leo, uti legit Noster. Sic ergo vertit, *ne sis canis* (puta impudens, rixosus, mordens, lacerans, devorans) *in domo tua, et impetuosus et terribilis in operibus tuis;* Arabicus, *ne sis fastidiosus, tumultuosus in domo tua, et circumiens et multus in operibus tuis;* Tigurina, *ne te domi tuæ geras in modum leonis, nec in domesticos tuos insane sævias.* Vetat patrum et herorum in filios, familiares et servos : *primo*, nimiam curiositatem; *secundo*, importunitatem; *tertio*, sævitiam; *quarto*, clamores et jurgia; *quinto*, dominandi libidinem, non ex ratione, sed ex ambitione, cupiditate, sævitia; *sexto*, insaniam; hæc enim dominium faciunt, non herile et paternum, sed tyrannicum, imo belluinum et leoninum, *q. d.* Noli in familia tua esse sicut leo, ut instar leonis omnia curiose velis scrutari, ad minimos errores clames et rugias, dura imperes, verberes, vindices, omniaque agas pro phantasia et cupiditate, non ex ratione et æquitate; sed potius humanum, æquum, rationabilem, benignum, et quasi socium, patrem et fratrem te eis exhibeas; sunt enim quidam, qui foris apud exteros comes, affabiles et humanos se exhibent; domi vero suis se præstant feros et barbaros, ideoque leones potius quam homines. Vers. 35.

Celebre est illud Dionysii apud Sophoclem in Tragœdia:

Quisquis tyranni ad tecta se contulit,
Fit servus illi, liber et si venerit.

Quod Aristippus correxit, subjungens : « Haud servus est, si liber illuc venerit; » significans sapientem, qui spe metuque vacat, esse liberum, etsi serviat. Vide Laertium, lib. II, cap. VIII. Igitur, si herus natura in iram pronus est, per sapientiam illam domet et frenet. Hinc veteres pinxere leonem inclinantem caput noctuæ, quæ symbolum est sapientiæ, ut significarent iracundos et sævos debere caput, iramque et ferociam submittere sapientiæ, ut illi se subdant, ab eaque moderentur, frenentur et regantur, ne præcipites se perdant, et in exitium ruant.

Jam vero sicut sapienter dicitur : « Noli esse sicut leo; » ita pariter dicas : « Noli esse sicut vulpes in domo tua; » ut tua calliditate, dolis et fraudibus tuos fallas, circumvenias, illaquees : ac non raro fit, ut qui in familiæ, vel reipublicæ principatum astu se insinuat et ingreditur ut vulpes, in eadem regnet ut leo. Porro satius est esse leonem, quam vulpem ; leones enim, ait Plinius lib. VIII, cap. XVI, « dolis carent et suspicione ; nec limis intuentur oculis, aspicique simili modo nolunt. » Unde Hebræorum est proverbium in Sanhedrin, cap. IV : « Esto potius cauda leonum, quam caput vulpium, » *q. d.* Da operam, ut potius postremus sis inter viros magnanimos et generosos, quam primus inter callidos et versipelles. Huc facit quod in Æsopi fabulis refertur de leæna, quæ vulpi glorianti se multos fœtos edere, respondit se unum tantum parere, sed leonem. Caudæ meminit, quia « leonum animi index cauda, sicut equorum aures, » ait Plinius lib. VII, cap. XVI.

Hac de causa iidem Hebræi dicunt : « Vulpem (æque ac leonem) in tempore suo adora, » *q. d.* Hominem callidum et versipellem, quem Apuleius vocat *vulpionem*, cole et observa, cum est in honore et dignitate, aut cum eges ejus opera ; si non ut prosit, saltem ut non obsit. Sic Abraham adoravit filios Heth Gentiles et Chananæos, ideoque vafros et potentes, *Genes.* XXIII, 12. Atque hoc singulare est remedium, quo se domestici conservent et tueantur in domo, in qua herus est leo ; nimirum, ut humilitate, observantia, patientia, mansuetudine, cultu, leonis iras animosque infringant, eumque molliant et cicurent : nam leo humilianti se parcit, resistentem sternit. Vere enim Poeta :

Leonem mitigat agnus, ferum mitis.

Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni.

Audi Plinium, lib. VIII, cap. XVI, penes quem sit fides : « Leoni tantum ex feris clementia in supplices; prostratis parcit : et ubi sævit, prius in viros quam in feminas fremit ; in infantes, non nisi magna fame. Credit Libya intellectum pervenire ad eos precum. Captivam certe Getuliæ reducem audivi, multorum in sylvis impetum a se mitigatum alloquio, ausam dicere se feminam profugam, infirmam, supplicem animalis omnium generosisimis, cæterisque imperantis, indignam ejus gloria prædam. »

36. NON SIT PORRECTA MANUS TUA AD ACCIPIENDUM, ET AD DANDUM COLLECTA. — Pro *porrecta*, græce est ἐκτεταμένη, id est, *extensa*, quæ recte opponitur συνεσταλμένη, id est, *contractæ*. Minus apposite ergo quidam legunt, ἐκτεταγμένη, id est, *instructa*, ab ἐκτάττομαι, id est, *aciem instruo*. Syrus, *ne sit manus tua extensa ad accipiendum, et sit contracta ad dandum;* Arabicus, *ne sit manus tua extensa ad sumptionem, et retenta ab elargitione.* Notat duo avaritiæ vitia : *primum* est aviditas accipiendi et congregandi ; *secundum* est tenacitas in largiendo. Tigurina vertit, *ne manum habeas porrectam ad accipiendum; ad reddendum* (ἀποδιδόναι enim significat et dare, et reddere) *autem contractam.* Qua versione notantur ii qui proni sunt ad emendum, et ad accipiendum mutuo, vel commodato; sed difficiles in solvendo et restituendo. Vers. 36.

Discant Christiani a Christo et S. Paulo istud : « Beatius est magis dare, quam accipere, » *Actor.* XX, 35. Vide ibi dicta. Quin et Aristotoles in *Ethicis* docet virtuti magis proprium esse εὐποιεῖν, quam εὐπαοχειν, id est beneficium facere, quam accipere. Memorabile est dictum Artaxerxis regis Persarum, qui ab altera manu longiore cognominatus est Longimanus ; hic enim cum idcirco quasi monstruosus rideretur, argute respondit « Deum sibi, quasi principi, sapienti elegantia manum ad dandum, puta dexteram, dedisse longissimam ; alteram vero ad detrahendum, puta sinistram, dedisse contractam et brevissimam. Regalius enim esse addere, quam adimere ; dare, quam accipere. » Sic enim Deus ad dandum est longimanus, ad accipiendum brevimanus. Ita Plutarchus in *Apophth. Regum.*

Denique ad hunc et præcedentem versiculum spectat illud Nazianzeni in *Tetrastichis*, quo docet potentiam non nocendo, sed juvando, non accipiendo, sed dando esse ostendendam :

Aliis nocendo robur haud monstra tuum,
Bene sed merendo, si Deum sequi cupis.

Siracidi concinit Ben-Sira *Alphabeto* 1, littera *Thau* : « Tam liberalis sit, inquit, tibi manus, quasi semper satur fueris, et non quasi modo demum satur factus ; antea vero esurieris. » Saturi enim semper sunt benefici et effusi : qui vero esuriit aliquando, ejusque recordatur, in dando est parcus, utpote memor egestatis suæ.

Porro Aristoteles, lib. V *Ethicor.* cap. III, inter magnanimi et magnanimitatis dotes, hanc, velut unam e præcipuis assignat : « Magnanimus, inquit, talis est, ut afficiat beneficiis alios, ipse affici erubescat. Excellentis enim illud est, hoc ejus qui excellitur, estque ejusmodi, ut plura retribuat : ita enim fiet, ut qui prior contulerit beneficium, insuper debeat beneficiumque accepisse videatur.

Meminisse præterea eorum videntur, quibus benigne fecerint : eorum autem a quibus acceperint, minime; quippe cum is, qui acceperit, minor sit eo qui beneficium contulerit; ipsi autem velint esse superiores ; unde etiam illa jucunde, hæc injucunde audire consueverunt. Atque idcirco neque Thetis beneficia Jovi dicitur commemorare, neque Lacedæmonii ad Athenienses ; sed tantummodo ea quibus fuerunt affecti. Magnanimi quoque est a nemine quippiam aut vix tandem petere, sed prompte aliis ministrare. » Atque hæc est ratio a priori sententiæ Siracidis.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet opibus non esse fidendum, nec superbiendum, usque ad vers. 4, ubi tractat de conversione ad pœnitentiam, usque ad vers. 11. Inde usque ad finem capitis agit de constante sinceritate in dictis et factis.

1. Noli attendere ad possessiones iniquas, et ne dixeris : Est mihi sufficiens vita ; nihil enim proderit in tempore vindictæ et obductionis. 2. Ne sequaris in fortitudine tua concupiscentiam cordis tui; 3. et ne dixeris : Quomodo potui? aut quis me subjiciet propter facta mea? Deus enim vindicans vindicabit. 4. Ne dixeris : Peccavi, et quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor. 5. De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adjicias peccatum super peccatum. 6. Et ne dicas : Miseratio Domini magna est ; multitudinis peccatorum meorum miserebitur. 7. Misericordia enim et ira ab illo cito proximant, et in peccatores respicit ira illius. 8. Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem. 9. Subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te. 10. Noli anxius esse in divitiis injustis : non enim proderunt tibi in die obductionis et vindictæ. 11. Non ventiles te in omnem ventum, et non eas in omnem viam : sic enim omnis peccator probatur in duplici lingua. 12. Esto firmus in via Domini, et in veritate sensus tui et scientia, et prosequatur te verbum pacis et justitiæ. 13. Esto mansuetus ad audiendum verbum, ut intelligas; et cum sapientia proferas responsum verum. 14. Si est tibi intellectus, responde proximo tuo : sin autem, sit manus tua super os tuum, ne capiaris in verbo indisciplinato, et confundaris. 15. Honor et gloria in sermone sensati : lingua vero imprudentis, subversio est ipsius. 16. Non appelleris susurro, et lingua tua ne capiaris, et confundaris. 17. Super furem enim est confusio et pœnitentia, et denotatio pessima super bilinguem ; susurratori autem odium, et inimicitia, et contumelia. 18. Justifica pusillum, et magnum similiter.

PRIMA PARS CAPITIS.

Vers. 1. 1. NOLI ATTENDERE AD POSSESSIONES INIQUAS. — Τὸ *iniquas* jam non est in Græco, Syro et Arabico; sic enim habet Græcus et Syrus : *Ne confidas in divitiis tuis;* Arabicus : *Ne confidas in armentis tuis.* Hebræum enim מקנה *micne* significat et possessiones et pecora, sive armenta; in his enim consistebat priscorum, Abrahæ, Isaac, Jacob, Job, etc., possessio et opes. Alii, *ne innitaris pecuniis tuis;* hoc enim significat Græcum μὴ ἔπεχε, pro quo Hebræi dicunt, אל תשען *al tiscan.* Alii pro ἔπεχε legunt ἐπίχαιρε, verteruntque, *ne lætaris in opibus tuis.* Noster ergo, uti vetustius, ita plenius habuit exemplar Græcum, in quo continebatur τὸ *iniquas,* ut patebit vers. 11. Monet

nim Siracides, ne opibus inhiemus, præsertim per injusta lucra, ait Rabanus. Unde vers. 3, Græca Complutensia habent, *Deus enim vindicabit tuam injuriam,* qua alios oppressisti, ut habent Syrus et Arabicus, vers. 14. Rursum possessiones indigitat *iniquas,* quia sæpe per iniquitatem acquiruntur, juxta illud : « Omnis dives, aut iniquus, aut iniqui hæres ; » quod citat et probat S. Hieronymus epist. 150 *ad Hedibiam,* Quæst. I. Unde huc alludens Christus mammonæ dat epithetum *iniquitatis,* id est iniqui, *Lucæ* XVI, vers. 9 et 11, idque quadruplici sensu et causa. *Primo,* S. Hieronymus in cap. IV. *S. Matthæi :* « Divitiæ, ait, vocantur mammona, quia de iniquitate collectæ sunt, » quasi *mammona* derivetur ex מן *min,* id est *a,* et מונה *mona,* id est violentia, a radice ונה *iana,* id est vim intulit ; licet verius derivetur a טמן *taman,* id est abscondit ; inde enim addito *mem* heemantico, Hebraice vocatur מטמון *matmon,* et Chaldaice elisa littera *tet,* euphoniæ causa, *mammon* et *mammona, q. d.* Thesaurus absconditus ; solent enim opes et nummi abscondi. *Secundo,* divitiæ vocantur *iniquitatis,* sive iniquæ, id est infidæ et fallaces, per hebraismum ; quia vanæ sunt et mendaces, non veræ, non fideles et stabiles ; sed illico possessorem deserunt et ad alium herum transeunt. Unde huc alludens Christus, *Lucæ* cap. XVI, vers. 11, ait : « Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis, quod verum est quis credet vobis ? » Ubi *iniquum mammonam* opponit *vero,* puta veris opibus cœlestibus et æternis, quæ nulli invito eripi possunt, cum terrenæ sint falsæ et mendaces, quia specie verarum opum homines fallunt ; nec enim mentem explent, et cito pereunt, ac facile eripiuntur. Ita Theophylactus, Euthymius, Beda, Irenæus, Cyprianus, Cassianus, Gaudentius, et alii quos citat et sequitur ibidem noster Maldonatus. *Tertio,* « iniquitatis ; » quia divitiæ sunt materia et illecebræ fraudum, furtorum omnisque peccati, præsertim iniquitatis et injustitiæ. *Quarto,* « iniquitatis ; » quia iniqui et impii putant eas solas esse divitias ; non enim norunt divinas et cœlestes. Ita S. Augustinus, serm. 35 *De Verbis Domini.* Hasce omnes causas spectat hic Siracides. Unde capite præcedenti, versu ultimo, vetuit earum cupiditatem et studium ; hic vero vetat in iis, utpote falsis et fugacibus, collocari spem et fiduciam ; versu vero proximo vetabit earumdem ad arrogantiam et fastum, abusum.

Divitiæ iniquæ ob quatuor causas. Prima. Secunda. Tertia. Quarta.

Nota metalepsin : « Attendere » enim « ad possessiones iniquas, » est eas amare, concupiscere, corradere, in iis sperare, confidere, lætari, superbire ; quia quæ amamus, concupiscimus et speramus, illa crebro aspicimus, illis attendimus et intendimus ; ubi enim est amor, ibi est et oculus. Unde Palacius sic explicat, *q. d.* Noli opes iniquas concupiscere. Et si eas habes, neque intuitu eas dignare ; indignæ sunt, quæ videantur. Jubet Dominus ne aspiciamus vinum in splendore suo ; nec meretricem blandientem in pulchritudine sua. Hæc enim conspecta pelliciunt, et velut magnes etiam ferreum attrahunt pectus. Idem, nescio an potentius efficit auri fulvus ille color : igitur ne ad ipsum attendas. Basiliscus est ille, quem attendis, aureus splendor : nisi quod ille occidit corpus, hic animam. Ergo, sicut qui in veste sua viperam invenit, non moratur eam aspiciendo ; sed quam citissime potest, eam excutit et fugit : ita qui in arca habet aurum injustum, quantocius potest, aurum exterminet et fugiat.

ET NE DIXERIS : EST MIHI SUFFICIENS VITA. — « Vita, » id est victus, et vitæ subsidia. Græce : *Est mihi sufficiens ad vitam, q. d.* Ipse mihi meis opibus sufficio, alterius non egeo, nullius opus habeo ; mihi enim meis sufficiens sum, imo abundans ; hic enim græce vocatur αὐτάρκης. Ita videmus divites æstimare se sibi sufficere. Syrus, *ne dicas : Satis habeo ;* Arabicus, *ne dicas : Substantia mea multa est ;* Tigurina, *ne dicas : Ad vitam meam abunde sum instructus, q. d.* Habeo opes, ut agam vitam lautam, splendidam, longam, uti dicebat dives ille Evangelicus animæ suæ, *Lucæ* cap. XII, 19 : « Anima, habes multa posita in annos plurimos, acquiesce, comede, bibe, epulare. » Ideoque illico « dixit illi Deus : Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te ; quæ autem parasti, cujus erunt ? Sic est, qui sibi thesaurizat, et non est in Deum dives. » Græce πλουτῶν, id est *ditescens ;* ut, scilicet per eleemosynas aliaque bona opera ditescat apud Deum, utque per amorem et spem in Deum, ut ei placeat, eoque fruatur, tendat, ac multa merita et præsidia apud Deum quasi divitias recondat, ibique reconditas possideat. Quare recte Regius Psaltes monet : « Divitiæ, si affluant, nolite cor apponere, » *Psalm.* LXI, 11.

NIHIL ENIM PRODERIT IN TEMPORE VINDICTÆ ET OBDUCTIONIS. — Tigurina, *aggressionis,* id est, punitionis et calamitatis, uti dixi cap. II, vers. 2, præsertim mortis, in qua avaro et injusto omnia sunt obducta et conclusa, ac de ejus avaritia, dolis et rapinis acris a Deo sumetur ultio. Falso ergo, o avare, credis opes iniquas tibi sufficere ad vitam, utpote quæ Deum provocant, ut tibi auferat vitam. Quia enim in iis credis te habere sufficientem vitam, hinc hoc ipso irritas Deum ad adimendum tibi vitam, ut intelligas eam non ab opibus, sed a Deo pendere ; utque mortalem tuam avaritiam, injustitiam et præfidentiam merita puniat morte, præsenti et æterna. Idem monuere Poetæ. Unde Ovidius lib. V *Tristium,* eleg. 15 :

Divitis ad manes nil feret umbra suos.

Propertius lib. III, *Eleg.* 4 :

Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas :
Nudus ad infernas, stulte, vehere rates.

Sic etiam *Job.* XXVII, 19 : « Dives, cum dormierit, nihil secum auferet. » *Psalm.* XLVIII, 17 : « Ne timueris, cum dives fuerit homo, et cum multipli-

cata fuerit gloria domus ejus; quoniam, cum interierit, non sumet omnia; » hoc est, nihil sumet.

Vers. 2. 2. NE SEQUARIS IN FORTITUDINE TUA CONCUPISCENTIAM CORDIS TUI, — ut tibi persuadeas et dicas, Per opes viresque meas fortis et potens sum, ideoque mihi licent quæcumque libent. Hæc enim divitum opibus suis superbientium et præfidentium est vox. Unde Vatablus vertit, *neque ideo animo tuo, aut potentiæ, cupiditates cordis tui sequendo indulgeas;* Syrus, *ne confidas in fortitudine tua, ut ambules in desideriis cordis tui;* Arabicus, *ne fiduciam habeas in virtute tua, et ne obsequaris concupiscentiæ tuæ.* Prudenter Seneca Tragœdus in *Troade* :

Minimum, *ait*, libere debet, cui plurimum licet.

Vers. 3. 3. ET NE DIXERIS : QUOMODO POTUI (efficere et consequi quod volui et concupivi? *q. d.* Quam potens evasi, invalui, cæterisque prævalui; hoc enim significat Hebræum יכול *iachol*, id est, *potui;* Syrus : *Quis potens ut ego?*) AUT QUIS ME SUBJICIET PROPTER FACTA MEA? — Arabicus : *Quisnam me tolerabit?* Divitum enim fastus, cupiditas, rapina, ambitio et dominatio est sæpe intolerabilis. Vatablus : *Quis me propter facinora mea perdomabit?* Alii : *Quis in me potentatum obtinebit?* vel, *Quis mei dominabitur?* Hoc enim significat Græcum, τίς με δυναστεύσει. Alii : *Cujus potentia in facta mea inquiret?* Divites enim potentes et superbi eo arrogantiæ sensim conscendunt, ut putent se quasi esse deos quosdam terrestres; nec esse Numen, quod eos opibus spoliare, deprimere et subjugare possit. Unde dicunt : « Quis noster Dominus est? » *Psalm.* XI, vers. 6. Ita insolenter jactabat se Nabuchodonosor dicens : « Nonne hæc est Babylon, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ? » Ideoque Deum hac sententia se fulminantem eodem momento audivit : « Regnum tuum transibit a te, et ab hominibus ejicient te, et cum bestiis et feris erit habitatio tua. Fenum quasi bos comedes, et septem tempora mutabuntur super te, donec scias quod dominetur Excelsus in regno hominum, et cuicumque voluerit, det illud. Eadem hora sermo completus est, » *Daniel.* cap. IV, 29. Et blasphemus tumidusque Sennacherib : « Quis, ait, est ex omnibus diis terrarum, qui eruerit terram suam de manu mea, ut eruat Dominus Jerusalem de manu mea? » *Isaiæ* cap. XXXVI, 20. Ideoque mox angelus e copiis ejus cecidit 185 millia, ac ipsummet per filios trucidavit, *Isaiæ* XXXVII, vers. 36. Quocirca subdit Siracides :

DEUS ENIM VINDICANS VINDICABIT, — id est, omnino et acriter vindicabit, σοῦ τὴν ὕβριν, id est, *tuam injuriam* et *petulantiam,* ut addunt Græca Complut., qua, scilicet, alios depressisti et oppressisti. Unde Arabicus vertit, *Dominus enim vindex est omnibus oppressis et coactis;* et Syrus, *Dominus enim vindex est omnium oppressorum;* sed maxime vindicabit injuriam, qua Dei jugum excutere, teque Deo æquare voluisti : Deus enim sæpe alia hominum peccata, licet gravia, punire differt et dissimulat; sed cum eo assurgunt, ut divinitatem invadere, et cum Deo contendere, ac quasi duellum inire velint, illico Deus sui honoris zelotes non ferens tantam arrogantiam, tales e cœlo ferire et siderare solet, ut patet ex jam dictis de Nabuchodonosor et Sennacherib. Quibus adde Tyrum ejusque regem, de quo *Ezechiel.* cap. XXVIII, vers. 2 : « Eo quod elevatum est cor tuum et dixisti : Deus ego sum, et in cathedra Dei sedi in corde maris, cum sis homo, et non Deus; et dedisti cor tuum quasi cor Dei, etc., idcirco interficient et detrahent te. Morte incircumcisorum morieris in manu alienorum. » Et Pharaonem in Ægypti opibus superbientem, de quo *Ezech.* cap. XXIX, vers. 3; « Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego ad te, Pharao rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, et dicis : Meus est fluvius, et ego feci memetipsum. Et ponam frenum in maxillis tuis. Ecce adducam super te gladium, et interficiam de te hominem et jumentum. » Sic superbos gigantes theomachos Deus mersit diluvio, *Genes.* VI; et arrogantem Nemrod cum suis fabricantem turrim Babel, quæ cœlum contingeret, linguarum divisione mulctavit, et per totum orbem vagos dispersit, *Genes.* XI.

SECUNDA PARS CAPITIS

QUA AGIT DE PŒNITENTIA.

Vers. 4. 4. NE DIXERIS : PECCAVI, ET QUID MIHI ACCIDIT TRISTE? (τὸ *triste* non est in Syro et Græcis nonnullis; illud tamen legit S. Augustinus in *Speculo*, et S. Cyprianus lib. III *Testimon.*, ac Complutensia habent λυπηρὸν, id est, triste, grave, molestum, acerbum, anxium, infestum, miserum; cui opponitur τὸ τερπνὸν, id est lætum, hilare, jucundum, delectabile, faustum; sic enim divites iniqui, quibus omnia ex voto succedunt, ex eo quod Deus ultionem differat, promittunt sibi impunitatem, quasi Deus vel non videat, vel non possit punire, vel non velit, aut non curet eorum fraudes et scelera : quibus respondet Deum esse Altissimum, ideoque ex alto omnia eorum scelera videre, posse et velle punire.) ALTISSIMUS ENIM (altissimam habet potentiam et providentiam, ut

singula ad libram justitiæ examinet et præmiet, vel puniat. Sed idem) EST PATIENS REDDITOR, — *q. d.* Deus moratur et differt reddere et retribuere mala malis, quia ipse est « patiens; » græce, μακρόθυμος, id est, longanimis, tum quia longanimiter exspectat impios ad pœnitentiam; tum quia tarditatem supplicii gravitate compensat, juxta illud: « Dii laneos habent pedes, » quibus lente pergunt ad vindictam; « sed ferreas manus, » quibus validos infligunt ictus et verbera. Unde Græca Complut. addunt: οὐ μὴ σε ἀνῇ, id est, *non te dimittet* impunitum; sed eo acrius puniet, quo tardius. TO *redditor* jam non est est in Græco, Syro et Arabico. Arabicus sic habet, *ne dicas : Deliqui, et non sum cruciatus. Deus enim excelsus est longus patientia et benovolentia;* Tigurina, *ne dicas : Postquam peccavi, quid mihi triste accidit? Dominus enim patiens quidem est, sed impune te non dimittet;* quia enim altissimus est et potentissimus, hinc pariter altissimam habet patientiam, adeoque in ea suam potentiam, imo omnipotentiam ostendit, quod scilicet tot hominum injuriis et sceleribus indignissime lacessitur, irasci nesciat; sed iræ, indignationi, vindictæ dominetur, maneatque serenus, tranquillus, patiens, imperturbatus, benignus et clemens; sed altissimus pariter, altissimam et summam habet justitiam et vindictam, ut nihil, licet minimum, sinat impunitum. Unde unum peccatum mortale, puta, unum furtum et rapinam, æternis punit gehennæ incendiis.

Reveremini ergo, o mortales, o potentes, potentiores Dei oculos, et vultum omnia cernentem: Dei potentiam exhorrescite ; Dei providentiam metuite ; Dei patientiam amate et amplectimini ; Dei justitiam et vindictam declinate et fugite. Hæc ergo omnia Dei attributa notantur hisce tribus Dei epithetis : « Altissimus est patiens redditor; » vel, ut Jansenius legit, « patiens est redditor. » TÒ enim *patiens* notat Dei longanimitatem in dilatione vindictæ; TÒ vero *redditor* notat ejus justitiam in irroganda justa et adæquata pœna.

Audi S. Gregorium, homil. 13 *in Evangel.*: « Conclusit, inquit, Dei pietas duritiem nostram. Non est jam quid homo excusationis inveniat. Deus despicitur, et exspectat; contemni se videt, et revocat; injuriam de contemptu suo suscipit; et tamen quandoque revertentibus etiam præmia promittit. Sed nemo hanc ejus longanimitatem negligat, quia tanto districtiorem justitiam in judicio exiget, quanto longiorem patientiam ante judicium prærogavit. Hinc etenim Paulus dicit : Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiam tuam, et cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei. Hinc Psalmista ait : Deus judex justus, fortis et longanimis. Dicturus quippe longanimem, præmisit justum; ut quem vides peccata delinquentium diu patienter ferre, scias hunc etiam quandoque districte judicare. Hinc per quemdam sapientem dicitur : Altissimus enim est patiens redditor. Patiens enim redditor dicitur, quia peccata hominum et patitur et reddit. Nam, quos diu, ut convertantur, tolerat, non conversos durius damnat. »

Audi et S. Paulinum epist. 18 *ad Delphinum* morbo afflictum : « Qui prosperatur, inquit, in vita sua, et viribus confisus sanitatis, inultus dicit: Peccavi, et quid mihi accidit triste? non audeat sibi de corporea felicitate blandiri, metu divinæ potestatis adstrictus ad justitiam corrigatur, dum ultricem Domini cœlestis manum impiis actibus jure expavescit, quam videt et justis severam; nam, si vos vix citra verbera castigationis evaditis, nos iniqui et peccatores ubi parebimus? » Porro S. Augustinus, lib. *De Patientia* : « Patientia, inquit, Dei prædicatur, non in hoc, quod malum aliquod patiatur; sed in hoc, quod exspectat malos, ut convertantur. » Quod si nolint converti, uti patiens fuit, ita acer erit redditor et ultor.

Notat S. Chrysostomus homil 2 *in Epist ad Coloss.*, Deum ubique in Scriptura vocari μακρόθυμον, id est, *longanimem* ; nusquam vero absolute vocari ὑπομένοντα, id est, *patientem*, eo quod longanimis dicitur is qui ulcisci potest, etsi tarde ulciscatur; patiens vero, qui tolerat, et nequit sibi injurios ulcisci et plectere. Vide Plutarchum lib. *De Sera Numinis vindicta.* Denique huc spectat Arabicum proverbium, quod exstat *Centuria* 2, num. 15 : « Homo sine pœnitentia, est tanquam fluvius sine aqua; et mulier sine verecundia, tanquam lampas sine lumine; » et num. 17 : « O tu, qui male egisti in eo quod præteriit, esto bene agens in eo quod reliquum est. Qui non anticipat pœnitentiam ante mortem, infelix est. »

Vere stulti peccatores, qui peccando æternam damnationem incurrunt, gratiam Dei perdunt, charitatem amittunt, virtutes dilapidant, felicitatem perpetuo duraturam prodigunt ; et tamen læti et hilares dicunt : « Peccavi, et quid mihi accidit triste? » Quasi non esset miserrimum tantis malis se subdidisse, et tanta bona dilapidasse ; quasi Altissimus non esset patiens redditor, quasi non esset verum, quod misericordia et ira ab illo cito proximant, et in peccatores respicit ira illius. Vere stulti, quos dæmones excæcant; sicut Philistæi ducem inclytum Samsonem, et sicut Chaldæi Sedeciam regem excæcarunt, ut nec ignominiosam occupationem agitandi molam tam inutilium laborum aspiciant, nec ingressum in Babyloniæ confusionem advertant.

5. DE PROPITIATO PECCATO NOLI ESSE SINE METU. — Vers. 5. Ita Romana et pleraque Biblia Latina; manuscripta tamen legunt, *de propitiatu peccatorum* ; sicque legendum esse censent, non tantum Kemnitius et hæretici; sed et Glossa, Jansenius, quin et S. Augustinus in *Speculo*. Probant, quia sic habent Græca : περὶ ἐξιλασμοῦ μὴ ἄφοβος γίνου ἐν πλεονασμῷ προσθεῖναι ἁμαρτίας ἐφ' ἁμαρτίαις, id est, *de propitiatu* seu *propitiatione, ne sis sine timore,*

ut addas peccata peccatis. Verum retinenda est Vulgata lectio, *de propitiato peccato*, juxta decretum Concilii Tridentini, *sess.* IV; illa enim solerter explicat lectionem Græcam, uti mox ostendam.

Porro lectio Græca duplicem admittit sensum; potest enim accipi de propitiatione præterita, potest et de futura. De futura accipit Jansenius, idque colligit ex eo quod sequitur: *et addas peccata peccatis*, ut sensus sit: Noli tibi certo promittere, quod Deus propitiabitur peccatis tuis, quodque illorum ab eo veniam obtinebis, ut de Dei misericordia et venia ab eo obtinenda præfidens liberius pecces, et peccata peccatis accumules. Itaque, postquam superiori sententia resecuit libertatem peccandi ex præsumptione impunitatis, propter vindictæ dilationem; jam hac sententia eamdem libertatem resecat ex præsumptione facilis miserationis divinæ: quam quia plerique se facile statim consecuturos confidunt, hinc libere peccata peccatis adjiciunt; duo enim hæc sunt, quæ faciunt homines libere peccare: dilatio scilicet vindictæ divinæ, et præsumptio de faciliter obtinenda Dei misericordia. Quare ex hoc loco non satis firmum colligitur argumentum contra hæresim hujus temporis, quæ docet fideles certo credere debere sibi remissa esse peccata, seque esse justos, imo prædestinatos, certoque salvandos. Hæc Jansenius.

Verum alii passim melius hunc locum accipiunt de propitiatione præterita, indeque valide argumentantur contra hæresim jam dictam: sensus enim est, *q. d.* Esto confidas ad pœnitentiam et sacrificia pro peccato, *Levit.* IV præscripta, ac Sacramenta a Christo in lege nova præscribenda, tibi peccatum esse propitiatum et condonatum; noli tamen de eo esse securus et sine metu, ne forte confidentia, pœnitentia et dispositio tua sit falsa, ideoque peccatum tibi non sit condonatum; quia « nescit homo utrum amore an odio dignus sit, » *Eccles.* IX, 1. Rursum noli esse sine metu: quia esto culpa sit remissa, remanet tamen pœna tibi luenda, vel hic, vel in Purgatorio; et nescis an pro hac pœna ex æquo satisfeceris.

De propitiato peccato sic agi.

Idem est sensus Græcæ lectionis, uti solerter advertit noster Interpres, qui idcirco pro *de propitiatu peccati*, recte et clare vertit, *de propitiato peccato.* Sensus enim Græce est, *q. d.* Noli de propitiatione et placatione peccati esse sine metu, quasi certus sis illud tibi esse propitiatum et remissum, ut hac persuasione fias confidentior et audacior ad iterandum peccatum, et ad addendum peccata peccatis; quia, scilicet, tibi persuades, pari certitudine et facilitate, illa quoque, cum ad Deum ingemueris, tibi esse condonanda. Ita Bellarminus, lib. III *De Justific.* cap. IV; Gabriel Vasquez I II, tom. II, disp. CXII, cap. IV, in fine; Gregorius de Valentia I II, tractat. *De Gratia*, disp. VIII, Quæst. IV, puncto 4; Suarez, tract. *De Gratia*, part. III, lib. IX, cap. IX, et alii.

Hunc esse sensum probatur *primo*, quia eum exigit versio Vulgata, « de propitiato peccato; » quam esse retinendam et tuendam sanxit Concilium Tridentinum. Prob. primo.

Secundo, quia de futura peccatorum propitiatione et remissione illico subdit Sapiens: « Et ne dicas: Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur. » Ergo quod hic dicit: « De propitiatu peccati noli esse sine metu, » accipiendum est de propitiatione præterita, non futura: alioqui enim idem diceret, essetque battologia, et superflua ac inanis ejusdem repetitio. Secundo.

Tertio, quia de præterito peccato hic agi patet, ex eo quod immediate præcessit: « Ne dixeris: Peccavi, et quid mihi accidit triste? » Sicut ergo ibi agit de præterita impunitate, sive remissione pœnæ; ita hic agit de præterita remissione culpæ. Tertio.

Quarto, quia de præterita remissione apposite dicitur modeste: « De propitiatu peccati noli esse sine metu, » non de futura. De futura enim asperius et rigidius dicendum esset: Omnino metue, fuge et horre peccatum futurum, quia plane incertus es et dubius an illius veniam consequeris, tum quia nescis an illo peracto supervives; forte enim Deus in flagranti delicto, aut paulo post morte subitanea te puniet; tum quia nescis an Deus dabit tibi gratiam efficacem, ut pœniteas eo dolore et proposito serio qui ad remissionem requiritur. Quarto.

Quinto, quia Syrus et Arabicus vertunt, *ne confidas de remissione*, quasi persuadens tibi peccata jam esse remissa: *ne peccata peccatis addas.* Et Tigurina, quam admittunt, imo sibi arrogant hæretici: *Super data venia ne sis securus, ut peccata peccatis amplius accumules.* Quinto.

Sexto, quia simili modo ait *Eccles.* cap. XXI, vers. 1: « Fili, peccasti, ne adjicias iterum; sed et de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur. » Ubi duplicem sollicitudinem exigit, unam pro futuris, alteram pro præteritis; unde ait: « Et de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur. » Quibus verbis significat, eum qui peccavit, semper debere esse sollicitum obtinendæ remissionis; quia nimirum, nunquam potest esse certus quod illam obtinuerit. Sic igitur et hic monet primo: Ne sis securus de remissione præscripta, quasi certo existimes te illam a Deo accepisse: sed adhuc conteraris, et sollicite ores, ut tibi peccata dimittantur deinde, ut caveas in futurum, et non addas peccato peccatum spe facilis indulgentiæ. Sexto.

Denique, et si daremus hæreticis hic agi de propitiatione futura, tamen inde recte colligeremus idem de præterita. Cur enim tibi metuendum est de propitiatione futura? Utique, quia nescis an veram seriamque acturus sis pœnitentiam. Ergo, sicut non es securus de propitiatione futura; sic nec de præterita.

Dices: Hic agi de propitiatione futura, non præterita, arguit id quod sequitur: « Multitudinis

peccatorum meorum miserebitur. » Respondeo, illa verba non pertinent ad priorem hujus versiculi partem : « De propitiato peccato noli esse sine metu, » quia hoc jam est propitiatum et præteritum; sed ad posteriorem : « Neque adjicias peccatum super peccatum. » Ecclesiasticus enim hic ponit duas præsumptionis species : primam, præsumptionem remissionis peccatorum præteritorum; secundam, futurorum.

Dices *secundo* : Ambrosius Catharinus, opusc. *De Certitudine gratiæ,* ubi docet justos posse esse certos certitudine, non fidei, sed theologica, de sua remissione et gratia, fatetur quidem hic agi de propitiatione præterita : attamen metum refert non ad eam, sed ad futuram in peccatum recidivam, *q. d.* Esto certus sis propitiatum tibi esse peccatum; tamen noli plane esse securus et sine metu, ne videlicet in idem aliudve peccatum ex præfidentia iterum recidas et prolabaris; ac si dictum esset : *Propter propitiationem,* quam accepisti, noli esse sine metu. Verum aliud est *propter propitiationem,* aliud « de propitiatione noli esse sine metu. » Ratio Catharini est : Metus omnis est de futuro, non de præterito; de præterito enim malo dolemus; at non nisi futurum metuimus. Respondeo, metum etiam esse de præterito, cum præteritum respectum habet ad futurum, v. g. metuit reus ne advocatus non satis efficaciter causam suam egerit, ut propterea a judice sit damnandus. Sic hic metuit justus, ne peccatum non sit sibi condonatum, ut propterea a Deo sit puniendus, et mancipandus gehennæ.

Porro metus hic de propitiato peccato non est is, quo quis metuit ne Deus peccatum propitiatum revocet, iterumque imputet ei qui illud commisit; sicut homines subinde debita et offensas remissas revocant et puniunt. Nam, quod Deus semel condonavit, semper et in æternum condonavit : « Sine pœnitentia enim sunt dona et vocatio Dei, » *Rom.* XI, 29.

Denique τὸ *in abundantia,* id est, multum, quod habent Græca, tum ad præcedens referri potest, *q. d.* De propitiato peccato noli esse securus multum; tum ad sequens, *q. d.* In abundantia, id est abundanter, ne addas peccata peccatis, ne eorum copiam accumules. Nove Novator quidam sic vertit et exponit : « De expiatione securus ne esto in abundantia, » *q. d.* « Ne confidas opibus tuis fore ut iis redimas peccata tua. »

Moraliter, Spiritus Sanctus justis omnibus hic sanctum timorem incutit. Non enim vult eos de venia et justitia esse certos, sed timidos et pavidos, ut hoc timore humiles semper existant, æque ac cauti et ferventes in studio pœnitentiæ cæterarumque virtutum. Equidem et rei tantæ magnitudo, quanta est salus æterna, hoc efficere in omnibus hominibus debet, ut nunquam sibi satis cavisse existiment; et peccatorum odium, nempe, tam turpis rei, si verum est odium, hoc quoque requirit, ut ea etiam condonata, nos tamen ultro vindicemus, et quasi hostes, qui tantopere nocuerunt, voluntariis pœnis puniamus. Est enim in hoc genere valde considerandum quod lib. IV *Moral.* cap. XVII, S. Gregorius ait : « Nullum peccatum Dominus inultum relaxat; aut enim nos flendo insequimur, aut ipse judicando reservat. » Atque idem, lib. IX *Moralium,* cap. XVII, hoc etiam illo sacræ Scripturæ testimonio confirmat, ubi beatus Job Domino loquitur : « Sciens, inquit, quod non parceres delinquenti. Delinquenti Dominus non parcit, quia delictum sine ultione non deserit. Aut enim ipse hoc homo in se pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans punit. » Nequaquam igitur peccato parcitur, quia nullatenus sine vindicta laxatur.

Quo etiam pertinet illud S. Augustini dictum, quod merito laudatur a Possidonio, qui ejus Vitam scripsit, qui hoc monere solebat, « etiam laudatos quoslibet sacerdotes, nunquam committere debere, ut sine justa et congruenti pœnitentia ex hac vita decederent. » Ita S. Petrus peccatum negationis Christi, licet sibi remissum, tota vita flevit, et quotidie ad gallicinium ejus memor ubertim lacrymabatur, adeo ut ex assiduo fletu oculos haberet rubicundos et quasi sanguine respersos, teste Nicephoro lib. II, cap. XXXVII, et Baronio, anno Christi 69, cap. XXIX. Ita S. Magdalena, licet a Christo audisset : « Remittuntur tibi peccata, » tamen usque ad mortem ea deflevit, ac ab hominum omnium conversatione in Baumam secedens, ibique pœnitens omnibus seculis vivum pœnitentiæ exemplar seipsam constituit.

Officia vere pœnitentis.

Idem fecere S. Pelagia pœnitens, S. Maria Ægyptiaca, S. Guilielmus Aquitaniæ Dux, conversus a S. Bernardo, multique alii, ut peccati veniam, Dei gratiam et animæ salutem assecurarent, ac in tuto collocarent. Tremenda enim est sententia S. Ambrosii, lib. II *De Pœnitentia,* cap. X : « Facilius, ait, inveni, qui innocentiam servaverint, quam qui congrue egerint pœnitentiam. An quisquam illam pœnitentiam putat, ubi acquirendæ ambitio dignitatis, ubi vini effusio, ubi ipsius copulæ conjugalis usus? Renuntiandum sæculo est, somno ipsi minus indulgendum quam natura postulat, interpellandus est gemitibus, interrumpendus est suspiriis, sequestrandus orationibus, vivendum ita, ut vitali huic moriamur usui : se ipsum homo abneget, et totus immutetur. » Subdit exemplum : « Sicut quemdam adolescentem fabulæ ferunt, propter amores meretricios peregre profectum, et abolito amore regressum postea veteri occurrisse dilectæ : quæ, ubi non interpellata, mirata putaverit non recognitam, rursus occurrens dixerit : Ego sum, responderit ille : Sed ego non sum. Unde bene Dominus ait : Qui vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Etenim qui mortui et sepulti Christo sunt, non debent iterum velut viventes de hoc mundo decernere. Ne tetigeritis (inquit), nec attaminaveritis, quæ sunt omnia ad corruptelam

ipso usu, eo quod ipse hujus vitæ usus corruptela sit integritatis. »

Denique audi quid Gregoriæ, quæ Imperatrici erat a cubiculis, flagitanti, ut remissionis peccatorum revelationem et certitudinem acciperet, rescribat S. Gregorius, lib. VI, *epistola* 22: « Rem, inquit, difficilem et inutilem postulasti : difficilem quidem, quia ego indignus sum, cui revelatio fieri debeat; inutilem vero, quia secura de peccatis tuis fieri non debes, nisi cum jam in die vitæ tuæ ultimo plangere eadem peccata minime valebis : quæ dies quousque veniat semper suspecta, semper trepida metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lavare. Certe Paulus Apostolus jam ad tertium cœlum ascenderat, in paradisum quoque deductus fuerat, arcana verba audierat, quæ homini loqui non liceret; et tamen adhuc trepidans dicebat : Castigo corpus meum, et servituti subjicio, ne forte aliis prædicans, ipse reprobus efficiar. Adhuc timet, qui jam ad cœlum ducitur; et jam timere non vult, qui adhuc in terra conversatur? »

Porro finis et fructus hujus sententiæ est, ut ex ea profunde nos coram Deo humiliemus, ejusque sacro metu percellamur, ac cum timore et tremore nostram salutem operemur, cogitantes quod certi sumus nos Deum offendisse, incerti an offensam nobis condonarit. Idque significant verba S. Gregorii jam recitata; hic enim metus acer est stimulus ad veram pœnitentiam omnemque virtutem ; quocirca veniam et salutem nobis quasi assecurat: ipse enim est donum Dei, quod Spiritus Sanctus electis immittere solet, ut per illud quasi per viam regiam eos deducat ad suam felicitatem et gloriam : qui ergo illum in se sentit, sciat se habere pignus suæ salutis. Unde S. Bernardus, serm. in illud *Proverb.* III, 13 : *Beatus homo, qui invenit sapientiam.* « Invenisti, inquit, plane sapientiam, si prioris vitæ peccata defleas, si hujus sæculi desiderabilia parvipendas, si æternam beatitudinem toto desiderio concupiscas. » Idem, serm. 15 in psal. XC *Qui habitat:* « Est, inquit, is ipse timor firmissima quædam et efficax materia spei. Siquidem maximum quoddam Dei donum timor iste, et ex perceptione præsentium firma est exspectatio futurorum. Postremo beneplacitum est Domino super timentes eum (*Psal.* CXLVI, 11), et utique vita in voluntate ejus, et in beneplacito ejus salus æterna. » Idem, serm. 54 *in Cant.*: In veritate didici nihil æque efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quam si omni tempore coram Deo inveniaris non altum sapere, sed timere. Beatus homo, qui semper est pavidus, » *Proverb.* XXVIII, 14. Huc facit illud *Isaiæ* XXVI, 8, juxta Septuaginta : « A timore tuo, Domine, concepimus, et peperimus spiritum salutis. »

NEQUE ADJICIAS PECCATUM SUPER PECCATUM. — Est hæc altera, ut dixi, præsumptionis species, qua quis præsumens de Dei misericordia peccata peccatis accumulat. Unde eam explicans subdit :

6. ET NE DICAS : MISERATIO DOMINI MAGNA EST, MULTITUDINIS PECCATORUM MEORUM MISEREBITUR, — ut ea mihi, cum pœnituero ejusque misericordiam imploravero, illico condonet. Unde Syrus hunc versum transponens, et præcedenti præponens, æque ac Arabicus, ita vertit, *ne dicas : Misericors est Dominus, et multitudinem debitorum dimittet mihi.* Est enim præsumptio hæc peccatum in Spiritum Sanctum: quia misericordia et bonitate ejus abutitur ad malitiam, eamque torquet ad iterandum peccata. Misericordia Domini, ait Palacius, magna est, non ut adjicias peccata, sed ut remittenda credas, si amplius ea non committere decernas. Immane flagitium est, misericordiam Dei lenam facere diaboli; et quod per misericordiam, per quam Deo conjungi debueras, diabolo conjugare. Ergo misericordiam, quam Deus in asylum peccatoribus proposuerat (in templum sancti Dei, ubi esset Deus propitiandus), tu fecisti velut lupanar diaboli, ubi diabolo festa celebrantur. Ergo ne in misericordia ad peccatum confidas; nam misericordia et ira ab illo cito proximant. Vers. 6.

7. MISERICORDIA ENIM ET IRA AB ILLO CITO PROXIMANT (Græce ταχυνεῖ, id est, *festinabit*, cito veniet). ET IN PECCATORES RESPICIT (Græce ἀναπαύσει, id est, *requiescet*) IRA ILLIUS, — *q. d.* Sicut Dei misericordia cito adest et subvenit pœnitentibus, ut Magdalenæ, latroni in cruce, Saulo, etc., ita et ira Dei cito ingruet peccatoribus impœnitentibus, eosque subito et ex improviso nil tale exspectantes occupabit, uti præoccupavit Luciferum, Cainum, Saulem, ac omnes homines in diluvio, et Sodomitas in conflagratione Pentapolis. Peccatores vocat eos, qui habitum habent peccandi, in eoque se obfirmant et obdurant; ad hos enim pertinet, non misericordia, sed ira et vindicta Dei; imo super eos requiescet jugiter et in æternum, nimirum, in æternis gehennæ tormentis. Unde Syrus vertit, *quia misericordia et ira cum eo sunt, et super impios morabitur furor ejus ;* Vatablus, *tam enim ira, quam misericordia festinat ab eo, et in scelerosos furor ejus incumbet.* Vers. 7.

Porro Palacius τὸ *cito proximant*, tripliciter explicat. *Primo*, *q. d.* Cum peccatoribus ira venit, quamvis tardissime veniat, cito venisse videtur, Adeo enim demersi sunt in deliciis suis, ut breve videatur quod longum est. Ita enim cum nimis delectamur aliquid videndo, audiendo, gustando, brevis omnis mora videtur. *Secundo*, brevis est vita nostra. In tam brevi spatio nihil est tardum. Ideo miseri dicunt : « Nos nati statim desivimus esse. » Lege quæ viri pii et quæ iniqui dicunt de vitæ nostræ brevitate, *Sapient.* cap. V. *Tertio*, omne peccatum ex natura sua citam pœnam requirit, si cito illa non venit, id est misericordia Dei. Sed aliquando permittit Deus pœnam jure sævire; tunc cito venit.

Rursum pondera τὸ *respicit*, *q. d.* Ut leo famescens, in objectum sibi cadaver respicit, in illud

cupiens insilire : ita ira Dei in scelera nostra conjectos oculos habet, gestiens in illa desilire; et desilit actu, cum per misericordiam Dei sibi facultas non denegatur.

Quarto, aliqui sic explicant, *q. d.* Festinat quidem ira divina ad peccatores in suis malis obstinatos puniendos; at in ea festinatione non procedit solitaria, sed comite misericordia; quæ tunc maxime elucet, cum peccatores cito feriuntur, ne, si diutius suis sceleribus vacare permittantur, majora ad supplicia reserventur. Ita S. Chrysostomus, homil. 25 *in Genes.*, docet festinare Dei ultionem, cum homines in peccatis obdormiunt; idque non tantum ex justitia, ut eos puniat, sed etiam ex misericordia, ne gravius puniat, quos prævidet, si diutius supersint, gravius peccaturos, ideoque acerbius puniendos.

Tropologice, Rabanus hic docet quemlibet justum semper ob oculos sibi ponere debere tam justitiam et iram, quam misericordiam Dei, ut ex illa timorem, ex hac spem concipiat et alat. « Beneplacitum est enim Domino super timentes eum, et in eis qui sperant in misericordia ejus. Hinc in lege præceptum est *Deuter.* XXIV, 6 : Ne auferas loco pignoris inferiorem et superiorem molam. Superior enim mola est spes, inferior est timor; spes enim ad alta subvehit, timor autem cor inferius premit. » Hæ ergo duæ molæ, id est, duo lapides molares, jungi debent : « Ut una sine altera inutiliter non habeatur. In peccatoris enim pectore incessanter debet spes et formido conjungi; quia incassum misericordiam sperat, si non etiam justitiam timeat; incassum justitiam metuit, si non etiam de misericordia confidat. » Hæc Rabanus.

Vers. 8 et 9.

8 et 9. NON TARDES CONVERTI AD DOMINUM, ET NE DIFFERAS DE DIE IN DIEM (ut usurpes corvinum *cras, cras* convertar, et vitam in melius commutabo. Rationem subdit) : SUBITO ENIM VENIET IRA ILLIUS, ET IN TEMPORE VINDICTÆ DISPERDET TE. — Legit Interpres cum Romanis, ἐξολοθρεύσει σε, id est, *disperdet te;* sic et S. Augustinus in *Speculo*. Verum Complut. legunt. ἐξολῇ, id est, *disperderis ;* alii ἐξελῇ, id est, *auferet te*. Porro Complut. quædam interserunt adduntque, sic enim habent : *subito enim egredietur ira Domini ; et cum negligens fueris, detereris, et in tempore vindictæ disperderis ;* Syrus, *ne cuncteris pœnitere coram Deo, et ne impedimentum patiaris,* (*q. d.* Omnem pœnitendi remoram abrumpe et perfringe) *de die in diem; quia repente egredietur furor, et in tempore retributionis perditio ;* Vatablus, *ne differas converti ad Dominum, nec diem ex die ducas ; nam ira Domini repente erumpet, rerumque securus, profligaberis, et tempore ultionis peribis*. Quis enim viperam lethiferam manu ferat, et non statim excutiat? Quis pestem in corpore alat? Quis hostem capitalem intra mœnia ferat? Quis cadaver vermibus horridum domi toleret? Quis dæmonem in mente gestet? Peccatum lethale est vipera, est pestis, est hostis, est cadaver, est dæmon; illico ergo ut illud sentis, totis viribus pœnitendo excutias.

Audi S. Basilium *Admonit. ad filium spiritalem*, sapienter eum de cita pœnitentia monentem : « Quando, inquit, te peccatis obnoxium senseris, ad pœnitentiam cito converti non confundaris; qui enim hic pœnituerit, in novissimo non pœnitebit. Clementer enim Dominus ad pœnitentiam confugientes suscipit. Et ne misericordia Dei fretus peccata peccatis adjicias, ne velis dicere : Donec viget ætas mea, carnis concupiscentiam exercebo, et postremo in senectute molorum meorum pœnitentiam geram; pius namque est Dominus, et multum misericors, nec ultra facinorum meorum memorabitur. Noli taliter, fili, cogitare; quia summa stultitia est, hoc in mente apud Dominum concipere, cum et impium sit talem licentiam a Deo exspectare quempiam. » Causam subdit : « Noli, inquam, sic cogitare, cum nescias qua die moriturus sis; quis enim novit hominum diem exitus sui? non enim omnes in senectute privabuntur hac luce; sed in diversis ætatibus de hoc mundo migrabunt; et in quibus actibus vocabitur homo, in iisdem necesse est reddere rationem; nemo enim in inferno confitebitur Domino. Sed nec tu cuncteris ad pœnitentiam converti. Semper ante oculos tuos versetur ultimus dies : cum enim diluculo surrexeris, ad vesperum te ambigas pervenire; et cum in lectulum ad quiescendum membra tua posueris, noli confidere de lucis adventu, ut facilius te possis refrenare ab omnibus vitiis. Semper cor tuum promissa cœlestia meditetur, ut ipsa te ad virtutis viam provocent. »

Audi et S. Ambrosium (vel potius Victorem Cartennæ episcopum, ut patet ex fine libri, ac ex Gennadio et Trithemio *De Scriptor. Eccles.*), lib. *De Pœnitent.* cap. XXVIII : « Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem; subito enim venit ira ejus, et in tempore vindictæ disperdet te. Et iterum : Fili, peccasti, ne adjicias iterum; sed et de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur; et ne adjicias peccatum super peccatum, et dicas : Miseratio Dei magna est. Misericordia enim et ira ab illo. Nec nos usque ad mortem fieri mancipia patiamur, nec demus corpora nostra scelerum ditioni; sed obediamus Apostolo dicenti : Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis ei; ut quia peccata deesse non possunt, certe non regnent; hoc est, ne sine respectu evadendi fiat abrupta licentia peccandi. » Et mox : « Unde, cum nobis inopinatus sit exitus terminalis, et vitæ nostræ dubia sint ex mortis ignorantia curricula, quomodo sibi quisque superesse ad confitendum tempus existimat, qui temporis sui tempus ignorat, cum utique audiat dicentem Scripturam : Vivens et sanus fateberis et laudabis Deum, et in partem vade sæculi sancti cum vivis et dantibus confessionem. Dilatio enim temporis confessionem creet, et

non desperationem generet: quia exaggeratur in dilato damnatio, qui divinam patientiam pertinaci animositate cogitat. Quod sancti Noe temporibus docetur effectum, cum per centum annos pertracta patientia, implacabilem per mundi ambitum fudit cataclysmum, inundante censura. »

Scripsit de hac Ecclesiastici sententia S. Augustinus, *homil.* 13 inter 50, tomo X, ubi inter alia causam ejus dans, ait: « Promisit enim tibi Deus, quoniam, quo die conversus fueris, obliviscitur mala tua præterita; sed nunquam vitam crastini diei promisit tibi. An forte non tibi illam promisit Deus, et promisit illam tibi Mathematicus, ut damnet te et illum, etc. Misericordia Dei est, quia nescit homo, quando moriatur. Latet ultimus dies, ut observentur omnes dies. » Idem, serm. 202 *De Temp.*: « O homo, quare differs de die in diem, forte hodie habiturus ultimum diem? »

Denique S. Chrysostomus pathetice hanc sententiam exaggerat homil. 22 *in epist.* II *ad Corinth.*: « Ne moreris, ait, converti ad Dominum, et ne differas de die in diem. Nescis quid paritura sit superventura dies; periculum enim et metus est in differendo, salus vero certa et secura, si nulla sit dilatio. Ne dicas: Erit aliquando tempus, quando converti licebit. Verba enim hæc Deum valde exasperant. Curnam, cum ipse tibi infinita sæcula promisit, tu in præsenti vita laborare non vis, quæ parva et momentanea est; sed sic marcidus ac dissolutus agis, quasi hac breviorem aliam quamdam inquiras? Nonne illæ quotidianæ comessationes, nonne scorta, nonne theatra, nonne divitiæ id testantur? » Et mox ita concludit: « Inebriatus es, ventri indulsisti? rapuisti? Siste jam gradum, verte te in diversum, confitere Deo gratiam, quod non in mediis peccatis te abstulit; ne aliud quære privilegium, ut male opereris. Multi, cum aliis damnum fraudulenter facerent, subito perierunt, et ad manifestum judicium abierunt. Time ne et tu hoc patiare inexcusabilis. Sed multis, inquis, dedit Deus privilegium, ut in ultima senecta confiterentur. Quid igitur, numquid et tibi dabit? Fortasse dabit? inquis. Cur dicis, Fortasse? Contingit aliquoties? Cogita quod de anima deliberas; proinde etiam de contrario cogita, et dic: Quid autem, si non det? Quid autem, si det? inquis. Det quidem ipse: verumtamen hoc illo certius et utilius. »

Denique huc facit proverbium Arabicum, quod exstat *Centuria* 1, num. 23: « Nata in aqua ante vesperam, » *q. d.* Sicut tarde nimis et periculose natatio sub vesperam instituitur, ita et periculose in extremam vitam pœnitentia differtur. Et numer. 44: « Accende lucernam tuam ante tenebras, » *q. d.* Illumina te pœnitentia, gratia et bonis operibus, antequam superveniat tibi mors.

Ex dictis liquet radicem pœnitentiæ, et quasi rationem a priori, cur peccatori pœnitendum, et cito pœnitendum sit, esse ingens peccati malum, noxam et periculum, quod peccatum animæ creat. Malum hoc est offensa Dei, ira et vindicta, quæ peccatores quasi læsæ majestatis divinæ reos, usque ad gehennam persequitur, idque omni jure et merito; quia peccatum est summus Dei optimi maximi contemptus, et injuria, et inhonoratio, et inobedientia, et ingratitudo; omnes enim istæ malitiæ existunt in quovis peccato mortali formaliter distinctæ, et omnibus illis sigillatim offenditur Deus; quare de singulis peccator merito dolet et pœnitet.

Porro duo sunt actus, sive officia pœnitentis et pœnitentiæ. Prior et primarius, dolere de peccato, quia est offensio Dei, cum serio illud deinceps cavendi proposito, qui est actus charitatis: charitatis enim est, uti gaudere de Dei bonis, ita et dolere de Dei offensis, et, ut ita dicam, malis. Posterior est, vindicare in se peccatum admissum, qui est actus virtutis pertinentis ad justitiam, ejusque quasi pars potentialis, uti docet D. Thomas IIIpart., *Quæst.* LXXXV, art. 3. Hac enim pœnitens, velut sui judex, nomine Dei punit seipsum tanquam reum, et injuriam Deo factam resarcire conatur. Unde efficitur, virtutem illam, qua peccator pœnitet, non esse unam, sed duas, nimirum, charitatem et justitiam quamdam vindicativam, quæ, quia aliud nomen proprium non habet, pœnitentia dici potest. Hæc liquent ex pœnitentiæ definitione, quam variam varii assignant; sed eodem omnes redeunt.

Primo enim, ex ratione generis sic eam definit S. Gregorius, homil. 34 *in Evangel.*: « Pœnitentia, inquit, est perpetrata peccata plangere, et plangenda non committere. » Et ex S. Gregorio Magister Sententiarum in IV, dist. 14: « Pœnitentia est virtus, seu gratia, qua mala cum emendationis proposito plangimus et odimus, et plangenda ulterius committere nolumus. »

Secundo, ex ratione specifica sic eam definit auctor libri *De Vera et falsa pœnitentia*, apud S. Augustinum, cap. VIII: « Pœnitentia est quædam dolentis vindicta, semper puniens in se, quod dolet commisisse. » *Semper*, id est, quoties aliquid commissit mali. Et cap. XIX: « Pœnitere est pœnam tenere, ut semper puniat in se ulciscendo, quod commisit peccando. »

Tertio, ex fine sic eam definit auctor *Hypognost.* apud S. Augustinum, lib. III: « Pœnitentia est res optima, » id est, virtus eximia, quæ omnes defectus revocat ad perfectum, » hoc est, corrigit totam vitam hominis.

Quarto, respectu subjecti sic eam definit S. Ambrosius: « Pœnitentia est dolor cordis, et amaritudo animæ pro malis quæ quisque admisit. » Et Glossa *in Matth.* IV: « Est reformatio malæ mentis. »

Quinto, respectu terminorum a quo, et ad quem, sic eam definit Damascenus: « Pœnitentia est ab iis quæ sunt præter naturam, ad ea quæ sunt secundum naturam, reversio. » Denique pœnitentia primario est peccatorum mortalium, secun-

dario tamen venialium. Unde S. Augustinus, epistol. 108 *ad Seleucianam* : « Est, inquit, etiam pœnitentia bonorum et humilium fidelium pœna quotidiana, in qua pectora tundimus dicentes : Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Neque enim ea nobis dimitti volumus, quæ dimissa non dubitamus in baptismo; sed illa utique, quæ humanæ fragilitati quamvis parva, tamen crebra subrepunt. » Ubi nota, pœnitentiam non tantum esse novam vitam, ut volunt hæretici; sed et veteris vitæ castigationem : a pœna enim dicitur pœnitentia, quasi pœnæ tentio; et pœnitere dicitur, quasi pœnam tenere. Unde Ausonius :

Sum dea, quæ facti non factique exigo pœnas :
Ut te pœniteat, sic Metanœa vocor.

Ex dictis sequitur stultum esse procrastinare pœnitentiam; sapientis vero, eam accelerare. Quocirca luget suam conversionis tarditatem S. Augustinus lib. VI *Confess.* cap. XI, et lib. VIII, cap. V et VII. Idem, serm. 17 *De Verbis Domini*, vocat corvinam vocem, *cras, cras convertar.* « Ipsa res est, inquit, quæ multos occidit, cum dicunt : Cras, cras; et subito ostium clauditur : remansit foris cum voce corvina, quia non habuit gemitum columbinum. Idem *in Psalm.* CXIV : « Deus, ait, pœnitentiæ tuæ indulgentiam promisit; sed huic dilationi tuæ crastinum non promisit. » Sic et S. Gregorius, homil. 12 *in Evang.* : « Qui pœnitenti, inquit, veniam spopondit, peccanti diem crastinum non promisit. » Quocirca Psaltes *Psalm.* XCIV, 8 : « Hodie, inquit, si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. » Quin et Seneca, lib. *De Brevitate vitæ* : « Non pudet, inquit, te reliquias vitæ tibi reservare; et id solum tempus bonæ menti reservare, quod in nullam rem conferri possit? Quam serum est tunc vivere incipere, cum desinendum est! »

Vers. 10. 10. NOLI ANXIUS ESSE IN DIVITIIS INJUSTIS. — Redit ad vers. 1; unde in Græco eadem est sententia, quæ vers. 1, μὴ ἔπεχε ἐπὶ χρήμασιν ἀδίκοις, quod Noster, vers. 1, vertit : « Noli attendere ad possessiones iniquas. » Ex quo patet, τὸ *iniquas*, vers. 1 esse addendum, uti addit Noster, licet desit in Græco : quia illud ipsum hoc versu, tam habet Græcus quam Latinus. Porro χρήματα, tam possessiones quam pecunias, adeoque census, facultates omniaque fortunæ bona significant. Rursum ἐπέχειν significat attendere, intendere, incumbere studiose et anxie rei amatæ et concupitæ. Sensus ergo est, *q. d.* Noli animum adjicere, noli anxie attendere et intendere divitiis injuste per fraudes, dolos et rapinas acquirendis : noli anxie quærere et corradere opes per fas et nefas.

NON ENIM PRODERUNT TIBI IN DIE OBDUCTIONIS (puta, in die calamitatis) ET VINDICTÆ, — uti dixi vers. 1. Syrus, *ne confidas in divitiis iniquitatis, quia non auxiliabuntur tibi in die angustiæ.* Alludit ad *Proverb.* X, 2 : « Nil proderunt thesauri impietatis; justitia autem liberabit a morte. »

TERTIA PARS CAPITIS.

DE CONSTANTI SINCERITATE IN DICTIS ET FACTIS.

Vers. 11. 11. NON VENTILES TE IN OMNEM VENTUM. — Noli te ventilare, agitare et accommodare ad omnem hominum, tentationum et cupiditatum ventum, id est, impulsum; « sed esto firmus in via Domini, » ut sequitur. Noli, quod vulgo dicitur pallium aut calyptram cuilibet auræ et vento obvertere; quod est assentatorum et politicorum, qui foro utuntur et serviunt tempori. Hoc est quod ait Paulus, *Ephes.* IV, 14 : « Ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ. » Pronomen *te* non est in Græco, nec Syro : Græcus enim habet, *ne ventila quovis vento;* Syrus, *ne sis ventilans in omnem ventum.* Sed sic potius vertendum esset passive, *noli ventilari*, id est, agitari et rapi quovis vento : nam *ventilo* est activum. Latinius ergo et clarius vertit Noster, « ne ventiles te, » hoc est, ne te agas, moveas et inflectas ad omnem ventum; Vatablus, *ne te cuivis vento jactandum permittas, vel exponas.* Sic de Crispino ait Juvenalis, *Satyra* 1 :

Ventilat æstivum digitis sudantibus aurum.

Sic flatus ventilat faces accensas; sic rusticus ventilabro ventilat frumentum; sic aura ventilat iubas equi; sic tauri olim irritati pilas stramineas cornibus ventilabant, et in astra jaciebant, non secus ac paleæ ventilabris sparguntur. Unde *Zachar.* I, 19 et 21, dicitur : « Hæc sunt cornua, quæ ventilaverunt Judam. » Porro ventilare est in ventum jactare, dividere, dispergere, juxta illud *Jerem.* cap. XLIX, 36 : Ventilabo eos in omnes ventos istos; et non erit gens, ad quam non perveniant profugi Ælam. » Sic Hebræum פרש *paras*, dividere, dispergere, ventilare significat.

ET NON EAS IN OMNEM VIAM. — Alia est parœmia, idem significans quod, « non te ventiles in omnem ventum. » Vide de ea dicta cap. II, vers. 14. Syrus, *ne sis curiosus ad omnem semitam.*

SIC ENIM OMNIS PECCATOR PROBATUR IN DUPLICI LINGUA, — ut pro varietate personarum et locorum nunc aiat, nunc neget; nunc laudet, nunc vituperet. Τὸ *omnis* delet Græcus, Glossa et Lyranus : nec enim omnis peccator probatur in duplici lingua, sed tantum adulator et perfidus. Unde Græca habent, *sic est adulator bilinguis*, et juxta hoc explicandus est Vulgatus Interpres, quasi dicat : « Sic enim omnis peccator in duplici lingua, » hoc est, peccator bilinguis (hic enim peccat duplici lingua) « probatur » et convincitur, supple, ire in omnem viam, et venti-

lare se in omnem ventum, uti præcessit : hoc enim respicit et refert τὸ *sic*, quæ est vocula nexus, exempli, similitudinis et indicis, indicans id quod præcessit.

Huic adagio similia sunt hæc : « Chamæleonte mutabilior, Cothurno versatilior, Proteo inconstantior, Polypi mentem gerit, Euripo magis varius, Duabus sellis sedet, Duodecim artium est, Punica fides, Maritimi mores, Dædali opera, Magis varius quam hydra, Sisyphi artes, Vespertilio, Trochi in morem, Vias novit, quibus effugit Eucrates, » qui dum molitor esset, et accusaretur, semper rimam aliquam, per quam elaberetur, inveniebat. *Venti campus*, quod dici solet in hominem instabilem, levem et inconstantem, qui sensus et mores ad quemlibet ventum commutat : nam in campo et planitie venti liberius huc illucve divagantur, nullo coerciti obstaculo : denique instabiles vocamus ventosos. Unde Horatius :

Romæ Tibur amo ventosus, Tibure Romam.

Idem :

Non ego ventosæ venor suffragia plebis.

Vers. 12. 12. ESTO FIRMUS IN VIA DOMINI, ET IN VERITATE SENSUS TUI ET SCIENTIA, ET PROSEQUATUR TE VERBUM PACIS ET JUSTITIÆ. — « Optimum est enim gratia stabilire cor, » *Hebr.* XIII, 9. Græcus hic de more concisus est, ac per compendium bimembri sententia rem totam clare comprehendit. Ait enim : ἴσθι ἐστηριγμένος ἐν συνέσει σου ἀσφαλεῖ, καὶ εἷς ἔσω ὁ λόγος σου, id est, *in sententia tua certa constans esto, et unus sit sermo tuus.* Alii pro, *in sententia tua*, vertunt, *in sensu tuo;* alii, *in intellectu tuo;* alii, *in prudentia tua;* alii, *in doctrina tua stabilis esto :* σύνεσις enim est νόησις, id est, prudentia, industria, intelligentia, peritia, perspicacia, conscientia, sententia, judicium. Syrus, *esto inniæus super gustu tuo* (id est, in sensu tuo), *et verbum tuum unum est.*

Est antithesis versus præcedentis : ventilationi enim in omnem ventum, id est, levitati et inconstantiæ, opponit firmitatem et constantiam, tum mentis, tum sermonis, ut quod semel secundum Deum et rectam rationem credendum vel agendum recte judicasti, idipsum constanter et voluntate conserves, et ore proloquaris. « Via » enim « Domini » est recta fides et operatio : « veritas sensus » est vera animi sententia, verum prudentiæ judicium : « scientia » est sententiæ et judicii certitudo : hanc enim significat Græcum ἀσφαλεῖ, quæ vox notat, ut quid rite credas vel agas, non sufficere prudens rectumque judicium, sed illud debere esse certum : in fide quidem omnino physice et speculative ; in actione vero moraliter et practice certum, ut, scilicet, antequam quid agas, moraliter certus sis, id quod agis, esse licitum, honestum, Deo gratum. « Omne » enim « quod non est ex fide » (id est, credulitate et dictamine conscientiæ), peccatum est, » *Rom.* XIV, 23.

Porro ex constantia mentis et judicii sequitur constantia oris et sermonis, de qua subdit : « Et prosequatur te verbum pacis et justitiæ, » nimirum, verbum unum et uniforme, puta, verum, ideoque pacificum et justum, quod opponit bilingui vers. 12; bilingue enim verbum est duplex, difforme, puta, falsum, ideoque turbulentum et injustum, quod lites, discordias, seditiones et bella concitat. Bilinguis enim ob metum potentum, vel ad gratiam eorum aucupandam, a veritate flectitur ad falsitatem : simplex vero et uniformis tenaciter veritati adhæret, nec minis aut promissis ab ea se deduci patitur; sed quod mente judicavit, constanter retinet, et idipsum ore eloqui non metuit. Consulte paci *justitiam* adjunxit, quia mala pax est, quæ justa non est; ideoque fugienda est, quæ cum injustitia conjuncta est : veræ enim et solidæ pacis parens est justitia. O auream mentem, linguamque veritatis et justitiæ, quæ Deo nixa hominum favores et odia non curat, ideoque solidam familiis orbique pacem creat ! Si ergo quæris : Quomodo firmus ero in via Dei ? Respondeo, si firmus sis in veritate, veraque et justa animi tui sententia, eamque uniformi ore proloquaris et tuearis.

Constantiæ exempla. Præclare Philo, lib. *Quod omnis probus sit liber* : Invictus animus, inquit, rationis rectæ placitis confirmatus, cedit nemini. » Citatque Zenonis, Stoicorum parentis, dictum : « Facilius est utrem inflatum mergere, quam probum virum invitum ad aliquid agendum cogere. » Celebrat Plutarchus constantiam Fabricii, qui respuens Pyrrhi regis munera, cum subito a tergo ejus elephas barriens, a Pyrrho territandi causa immissus, appareret : « Me, inquit, nec aurum heri, nec bellua hodie fecit attonitum. » Quocirca gloriose audiit : « Facilius est solem a suo cursu, quam Fabricium a suo proposito deducere. » Huc facit illud Socratis apud Stobæum, serm. 1 *De Prudentia* : « Ut statua basi, ita vir bonus instituto innixus honesto, nullatenus dimoveri debet. »

Justitiæ comes est pax. Nota : Hic et alibi pax jungitur justitiæ : quia ejus est effectus et comes individuus, juxta illud *Psal.* LXXXIV, 12 : « Justitia et pax osculatæ sunt. » *Psal.* LXXI, 7 : « Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis. » *Isaiæ* XXXII, 17 : « Et erit opus justitiæ, pax. » Quare Augustinus *in Psal.* LXXXIV : « Fac, inquit, justitiam, et habebis pacem, ut osculentur se justitia et pax : si enim non amaveris justitiam, pacem non habebis : amant enim se duo ista, justitia et pax, et osculantur se : ut qui fecerit justitiam, inveniat pacem osculantem justitiam. Duæ amicæ sunt : tu forte unam vis, et alteram non facis. Nemo enim qui non vult pacem : sed non omnes volunt operari justitiam. Si ergo vis pacem, ama justitiam : quia duæ amicæ sunt, justitia et pax. Ideo alius psalmus dicit tibi : Declina a malo, et fac bonum : inquire pacem, et persequere eam. Jam enim non diu illam quæres, quia ipsa occurret tibi, ut osculetur justitiam. Hinc pacis olim symbolum erat caduceus, id est, virga

(quæ symbolum est rectitudinis et justitiæ), quam circumplectentes serpentes invicem osculabantur: quia justitiam etiam perversi exosculantur. Illam manu tenebat Mercurius, qui deus erat sapientiæ, quæ parens est justitiæ et pacis.

Denique hanc sententiam adaptes pœnitentibus et ineuntibus novam vitam, ut in ea sint firmi et constantes, nec ad pristinas cupedias relabantur, quibus recte occinit S. Ambrosius lib. III, epist. 9 *ad Irenæum*, exemplum Lot : « Si quis, inquit, incola esse cœperit civitatis supernæ, incola, videlicet, conversatione et moribus, non discedat ab ea, non exeat, non reflectat vestigium, non revertatur retro; retro luxuria, retro impuritas est. Denique ascendens ad montem Lot, retro reliquit Sodomitana flagitia : quæ autem respexit retro, non potuit ad superiora evadere. » Eamdem Lot similitudinem ad idem probandum attulit S. Hieronymus, epist. 28 *ad Lucinium* : « Sodomam, inquit, reliquisti ad montana festinans; post tergum ne respicias : ne aratri stivam, ne fimbriam Salvatoris, ne cincinnos ejus noctis rore madefactos, quos semel tenere cœpisti, aliquando dimittas : ne de tecto virtutis, pristina quæsiturus vestimenta, descendas; ne de agro revertaris domum, ne campestria cum Lot, et amœna hortorum diligas, quæ non irrigantur de cœlo, ut terra sancta, sed de turbido flumine Jordanis, postquam dulces aquas maris Mortui commixtione mutavit. »

Anagogice Rabanus : « Firmus, ait, in via Dei est, qui regulam Catholicæ fidei rite credendo servat, et doctrinam Evangelicam recte vivendo, ac bene operando sequitur. Hunc prosequetur verbum pacis et justitiæ, quando in meritorum retributione illi conferetur præmium æternæ gloriæ, dicente Domino : Euge, serve bone et fidelis : quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam : intra in gaudium Domini tui. »

Vers. 13. 13. ESTO MANSUETUS AD AUDIENDUM VERBUM, UT INTELLIGAS : ET CUM SAPIENTIA PROFERAS RESPONSUM VERUM. — Multi legunt, *verbum Dei*, *q. d.* Mansuete audi verbum Dei : ita Deus illud in mente et voluntate tua loquetur, ut illud intelligas et comprehendas, juxta illud *Psalm.* XXIV, 9 : « Docebit mites vias suas. » Sed sequentia alium sensum exigunt. Quare τό *Dei*, cum Romanis, Rabano et Græcis delendum est. Græca enim sic habent : γίνου ταχὺς (Noster legit πρᾶος, id est, *mansuetus*) ἐν ἀκροάσει σου ἀγαθῇ, καὶ ἐν μακροθυμίᾳ φθέγγου ἀπόκρισιν ὀρθήν, id est, *esto velox in auditione tua bona, et in longanimitate propter responsum rectum;* Syrus, *esto velox ad audiendum, et cum tarditate ad responsum.* Unde hinc videtur sumpsisse S. Jacobus illud cap. I, 19 : « Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. » Vide ibi dicta. Rationem dat S. Augustinus tract. 59 *in Joan.*, « Tutius enim, inquit, veritas auditur, quam prædicatur, quoniam, cum auditur, humilitas custoditur : cum autem prædicatur, vix non subrepit cuivis hominum quantulacumque jactantia, in qua utique pedes inquinantur. »

Sensus ergo est, *q. d.* Cum quid audis et interrogaris de Deo, rebusque bonis et honestis, attende, et ne sis impatiens in audiendo, ac præceps in respondendo, ut interrogationem interrumpas, præcedas aut prævertas, ac temere respondeas, antequam plene interrogationem perceperis; uti nonnulli cholerici ac temerarii faciunt, qui proinde sæpe de fabis interrogati, de aliis respondent : sed patienter audi totam interrogationem, ac ea audita bene tecum cogita quid respondere debeas; eoque cognito, leniter, mansuete et prudenter responde. Ita Maximus, *serm.* 13, refert Xenocratem de obscenis interrogatum tacuisse, cumque urgeretur, ut responderet, dixisse : « De talibus rebus te hominem vanum interrogare decet; me autem respondere nequaquam. » Demonax rogatus quid sentiret de conflictu duorum, quorum alter absurde proponebat, alter absurde respondebat, ait : « Alter mulget hircum, alter supponit cribrum. » Ita Plutarchus in *Apophtheg.*

Complutens. et Tigurina quædam interserunt; sic enim habent : *ad auscultandum promptus esto : fac integra*, vel *sincera*, vel *verax* (puta, sine simulatione et fuco : Græce enim est, ἐν ἀληθείᾳ) *sit vita tua, et cum animi lenitate responsum redde.* Sed ea, quæ interseruntur, impertinentia videntur, et nexum sermonis intercipiunt, ideoque surreptitia apparent. Unde Græci codices et Romani ea delent.

14. SI EST TIBI INTELLECTUS (σύνεσις, id est, *intelligentia, sapientia, peritia, doctrina*), RESPONDE PROXIMO (te consulenti et interroganti; Vatablus, *si sapis, responde proximo);* SIN AUTEM, SIT MANUS TUA SUPER OS TUUM (id est, claude os tuum, et sile) : NE CAPIARIS IN VERBO INDISCIPLINATO (id est, imperito, indocto, imprudenti, insipienti), ET CONFUNDARIS. — Tigurina, *ne verbo inepto incurras in reprehensionem, et vituperaris.* Hæc verba, « ne capiaris, » etc., jam desunt in Græco. Præclare Nazianzenus *orat.* 1 : « Valde stultorum, ait, aut temerariorum est, alios docere aggredi, priusquam ipsi satis edocti sumus, ac, ut dici solet, in dolio discere, hoc est, in aliorum animabus pietatem meditari et exercere. » Quod explicans Elias : Qui, ait, in aliorum animis pietatem inserere conantur, cum ipsi per se nondum eam exacte didicerint, faciunt perinde ut illi qui in dolio figlinam artem addiscunt. Figuli enim non statim in dolio, sed in exiguis vasculis, ut ollis aut cyathis, figlinam docent, in quibus, scilicet, si spem opera frustretur, exigua est jactura. Vers. 14.

Notat ergo, qui majora ante minora discere conantur, quod, scilicet, faciunt, qui antequam didicerint, aliorum doctores et magistros sese profitentur. Nota proverbium : « Sit manus tua super os tuum, » id est, silentium tibi indicito, et taceto, juxta illud Juvenalis :

Digito compesce labellum.

Harpocrates emblema silentii.

Idipsum priscis innuebat Sigaleontis seu Harpocratis statua, digito sigillans os suum, de qua Varro lib. IV *De Lingua Latin.* cap. x, et Ausonius epist. 12 *ad Paulinum* :

Aut tua Sigaleon Ægyptius oscula signet.

Sigaleon enim erat deus præses silentii : σιγή enim est silentium. Idem dicebatur Harpocrates, eratque simulacrum in sacris Isidis et Serapidis, quod digito labiis impresso admonebat ut silerent. Fuit autem Harpocrates revera Philosophus Græcus, cujus doctrina et præceptum in id tendebat, ut silentium præciperet, illudque rebus omnibus anteponeret. Sic *Job.* cap. XXI, 5 : « Superponite, ait, digitum ori vestro, » id est, silentes me audite. Et cap. XXIX, 9 : « Principes cessabant loqui, et digitum superponebant ori suo. » Huc etiam facit proverbium Arabicum *Centur.* 1, num. 98 et sequent : « Taciturnitas conciliat suis amorem. Taciturnitas super silentio, melior est pœnitentia super sermone. Taciturnitas sapientia est, sed rarus est agens eam. » Rationem hujus sententiæ subdit Siracides dicens :

Vers. 15. 15. HONOR ET GLORIA IN SERMONE SENSATI : LINGUA VERO IMPRUDENTIS, SUBVERSIO EST IPSIUS. — Pro τιμὴ, id est, *honor, decus*, Græcus jam habet contrarie ἀτιμία. Rursum τὸ *sensati*, et τὸ *imprudentis*, non est in Græco : sic enim habet, *gloria et infamia in locutione : et lingua hominis, casus illius est.* Alludit ad illud : « Mors et vita in manu linguæ, » *Proverb.* XVIII, 21. Syrus, *honor et ignominia in manu ejus qui loquitur, et lingua hominum dejicit eos;* Tigurina, *oratio tam gloriæ capax est, quam ignominia; nec raro lingua præcipitat hominem.* Huc facit proverbium Arabicum, *Centur.* 1, num. 75 : « Cave ne feriat lingua tua collum tuum. » Multi enim propter incontinentiam linguæ capite plectuntur.

Vers. 16. 16. NON APPELLERIS SUSURRO. — Dat exemplum illustre linguæ imprudentis et bilinguis : susurro enim est bilinguis, quia coram laudat, a tergo vituperat et mordet : susurro enim est, qui occulte maledicendo odium in aliquem aut dissensionem molitur, qualis est detractor, ita dictus a nomine *susurrus*, id est, occultum et submissum murmur, quod de hominibus in aurem susurrantibus, vel de arborum foliis vento agitatis dicitur : unde verbum *susurrare*, id est, furtim et submissa voce loqui. Hinc vocantur occulti, humiles, tenues, dubii susurri, de quibus Ovidius, lib. XII *Metamorph.* :

Seditioque recens, dubioque auctore susurri :

id est, occulti rumores potius quam delationes. Græce, ψίθυρος, id est, *susurrator*, occultus delator, clandestinus vituperator, obtrectator. Inde ψιθυρίζειν, id est, *susurrare*, quod interpres Theocriti derivat ἀπὸ τοῦ ψίειν ἐν ταῖς θύραις, ἤγουν ταῖς ἀκοαῖς, id est, *tenuiter movere in audiendi januis.* Pollux vero hoc hirundinum proprium esse ait lib. V. Id alii vocant trinsare : nam sic ait Auctor *Philomelæ carminis* :

Pupillat pavo, trinsat hirundo vaga.

Est onomatopœia : tam enim Græca vox ψίθυρος, quam Latina *susurro*, a sono, quem edunt garruli et susurrantes, *sus, sur*, conficta videtur. Ita Isidorus Hispalensis. « Susurro, ait, de sono locutionis appellatur; quia non in facie alicujus, sed in aure loquitur de altero detrahendo. » Hinc Pythagoræ fuit symbolum et dogma : « Hirundinem sub eodem tecto ne habeas, » quod S. Hieronymus secutus Aristotelem, interpretatur, abstinendum esse a commercio garrulorum et susurronum.

Alii censent Pythagoram hirundinis symbolo notasse convictorem ingratum, parumque firmum et infidum domo esse ablegandum. Ita Plutarchus *Symposiac.*, decad. 8. Unde et Cicero (vel quisquis est auctor) in *Rhetor. ad Herennium*, hirundinem ait esse symbolum infidæ amicitiæ : hirundines enim ineunte vere advolant, hieme instante avolant. Hinc Syrus vertit, *ne appelleris ambulans in duobus*, id est, bilinguis et duplex corde. Hoc vitium exosum est Deo et hominibus : unde de eo subdit Siracides : « Et lingua tua ne capiaris; » Syrus, *et lingua tua ne offendas*, vel impingas. Dum enim tua susurratio, duplicitas, falsitas et fallacia deprehenditur, uti ordinarie fit, explederis, confunderis, et non raro verberum mortisque adis periculum. Græcus habet : *et lingua tua ne insidieris*, quia in tuas insidias et damna, quæ susurrando proximo struis, ipse incides et capieris. Alludit ad *Proverb.* XXVI, 20, ubi graphice susurronis perniciem depingit Salomon dicens : « Cum defecerint ligna, exstinguetur ignis; et susurrone subtracto, jurgia conquiescent. » Exemplum appositum de ancillis matris suæ Monicæ, eam apud socrum per susurros traducentibus, sed a socru castigatis, refert S. Augustinus lib. IX *Confess.* cap. IX. Subdit Salomon, vers. 22 : « Verba susurronis quasi simplicia, et ipsa perveniunt ad intima ventris. » Bilingues ergo sunt quasi bisulci serpentes : quia aliud ore loquuntur, aliud in corde clausum retinent, juxta illud *Eccli.* X, 11 : « Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit. » Quocirca Rabanus hic : « Susurronem, inquit, appellat detractorem, cujus confusio vera est, quia damnatio certa. »

Porro susurratio eo pejor et pestilentior est, quo major est amicitia et amicorum copia. Talis est eorum, qui familias, congregationes, Religiones, urbes, provincias, regna, principes et reges amicos, suis apud utramque partem susurris, detractionibus et calumniis dissociant, ac inter eos lites et bella concitant, ne eorum amicitia et potentia ipsis sit formidini vel damno, sed ut inter attritos ipsi securi sint; nimirum, magna capita mutuo collisu dejici cupiunt, ut inter dejectos ipsi soli emineant. Astuti, scilicet, tumultu exteros misceri cupiunt, et aliena peri-

cula sua volunt esse commoda; parum solliciti, an amici pereant, modo ipsorum perditione ipsi salvi sint; quorum proinde amicitia insidiosa est, arundinea, et filo fragilior; promissa aurea, res vitrea; gemmam pollicentur, præstant crystallum. Hi sane sunt pestes, et odia Dei et hominum; quin et sui ipsorum sunt hostes : omnis enim hæc faba, quam aliis cuderunt, Deo vindice, in ipsorum tandem caput recidit : quia malum consilium consultori est pessimum, et noxa caput sequitur. Notus est apologus vulpis, quæ timens leonem et ursum, utrumque inter se commisit; sed dolo ab eis deprehenso, ab utroque male mulctata, mactata et laniata est.

Vers. 17. 17. SUPER FUREM ENIM EST CONFUSIO ET POENITENTIA (dum enim deprehenditur fur et plectitur, furti eum pœnitet, sed serius), ET DENOTATIO (sic legendum cum Romanis et Græcis, non *devotatio*, id est, mali imprecatio, exsecratio, *q. d.* Bilinguem omnes exsecrantur, et diris devovent. Unde Rabanus : « Denotatio pessima, ait, est confusio sempiterna; » nec *devoratio*, uti legunt nonnulli : *denotatio* ergo, id est, nota, ignominia, confusio) PESSIMA SUPER BILINGUEM : SUSURRATORI AUTEM ODIUM, ET INIMICITIA, ET CONTUMELIA. — Comparat susurronem furi et bilingui, eisque pejorem esse asserit, *q. d.* Majus est vituperium et probrum bilinguis, quam furis : quia, licet uterque clam noceat, tamen fur opes duntaxat, bilinguis vero veritatem et fidem, quantum in se est, ex hominum societate aufert, qua sublata ruat necesse est respublica.

Rursum fur et bilinguis vicini et cognati sunt, et ex uno in aliud facilis est lapsus : unde vulgo dicitur : « Ostende mihi mendacem, ostendam tibi furem. » At pejor utroque est susurro, qui præter veritatem et fidem, etiam proximo famam, et sæpe amicitiam eripit. Porro, ut dicitur *Prov.* XXII, 1 : « Melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ. » Quare merito susurronem comitatur et sequitur, quod ei debetur, omnium odium, inimicitia, et contumelia insignis, sive probrum et opprobrium perenne; quia grave infert damnum, idque sæpe sine ullo suo commodo, imo cum magno incommodo. Græcus de more concisus est et bimembris: sic enim habent Complut. : *super furem enim est confusio, et damnatio pessima super bilinguem;* Romana, pro *damnatio*, habet *denotatio;* Tigurina, *insidiatorem enim gravis sequitur ignominia, et pessima vituperatio bilinguem;* Syrus, *quia super furem creata est confusio, et ignominia magna super eum, qui ambulat in duobus*, id est super duplicem et bilinguem : Græcum enim κατάγνωσις, et reprehensionem sive vituperationem, et condemnationem significat. Utrumque significat « denotatio, » *q. d.* Bilinguis, ubi agnoscitur, illico ab omnibus vituperatur, ignominia notatur, digito ostenditur, reprehenditur et damnatur. Sic cap. XIX, 5, dicitur : « Qui gaudet iniquitate, denotabitur, » id est, vituperabitur, ignominia notabitur, et condemnabitur ab omnibus.

Sic Cicero *Pro lege Manilia* : « Quod is, inquit, qui uno die tota Asia, tot in civitatibus, uno nuntio atque una litterarum significatione cives Romanos necandos trucidandosque denotavit. » Sic Plinius, lib. XXXV, cap. XVII, ait, « denotari creta pedes venalium mancipiorum. » Rursum Cicero *Pro domo sua* : « Notatissimus, inquit, omnium scelerum libidinumque maculis. » Idem, *Pro Cluentio* : « Homines, quos cæteris vitiis atque omni dedecore infames videbant, eos hac quoque subscriptione notare voluerunt. » Apposite Rabanus : « Recte, ait, inimicitia, et odium et contumelia susurratoribus adjunguntur : quia fraus illorum ac nequitia facit illos Deo et hominibus detestabiles. » Unde per Paulum dicitur *Rom.* I : « Susurrones et detractores Deo odibiles. » Et Psalmista *Psalm.* C : « Detrahentem, inquit, adversus proximum suum occulte, hunc persequebar. » Et *Proverb.* XXIV : Abominatio hominum detractor. Et cap. XIV : In ore stulti virga contumeliæ. » Hugo vero : « Susurroni, inquit, odium in corde, inimicitia in opere, contumelia in sermone. » Robertus Holcot : « Susurroni, inquit, odium incumbit Dei, inimicitia proximi, contumelia diaboli. »

Vers. 18. 18. JUSTIFICA PUSILLUM ET MAGNUM SIMILITER. — Sic quoque legit S. Augustinus in *Speculo*. Jam Græca habent : ἐν μεγάλῳ καὶ ἐν μικρῷ μὴ ἀγνόει, id est, *in magno et parvo ne ignora.* Complut. addunt, μηδὲ ἕν, id est, *ne unum quidem.* Forte Noster legit, μὴ ἀδίκει, id est, *ne injuste agas*, sed juste, puta « justifica » parvum, æque ac magnum, *q. d.* Ne dicas te susurrando detraxisse famam alicui parvo et vili, non magno et potenti; ac proinde parvum vel nullum admisisse peccatum : quia tam parvus habet jus ad famam suam, quam magnus ad suam : ergo, si æquus es et justus, jus suum cuique tribue, ac justifica tam parvum quam magnum, ut famam et decus quod meretur, tam parvo tribuas, quam magno : ergo bene loquere de parvo, æque ac magno. Fama aliena cujuslibet tibi sit quasi sacra et inviolabilis; nullum lingua tua injustum esse pronuntiet. Ad hunc sensum aptari potest lectio Græca, *q. d.* Ne ignores tam parvo tribuendum esse jus suum et famam, quam magno. Alludit ad *Deuter.* I, 17 : « Nulla erit distantia personarum : ita parvum audietis ut magnum; nec accipietis cujusquam personam. » Adde : forte hæc sententia a collectore sententiarum Ecclesiastici non est in suo loco posita; sed transposita, ac ponenda cap. VII, post vers. 6 : « Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates. » Illi enim recte subjungas : « Justifica pusillum et magnum pariter, » *q. d.* In judicio justifica, et causam justam adjudica tam parvo quam magno, tam pauperi quam diviti; nec ob metum potentis justum pauperem condemna, ut potenti

musam iniquam injuste adjudices, eumque justifices. Sic enim in Proverbiis Salomonis nonnullæ sententiæ ab eorum collectore transpositæ sunt, ut patet *Proverb.* XXV, 1, ibique docet noster Salazar.

Secundo, Græca magis hunc innuunt sensum, *q. d.* In lege Dei nihil est ignorandum, aut negligendum; sed tam parva ejus præcepta, quam magna facienda et opera exercenda sunt. Addit hoc, ne quis dicat, quod vulgus dicit: Verbum est verbum, non verber: verbum non hominem, sed aerem verberat et transvolat: ergo parvum est peccatum, si verbo susurrem, aut detraham proximo, modo aliam realem injuriam ejus corpori vel bonis non inferam. Huic respondet nihil in lege Dei esse ignorandum, nec omittendum: rursum, tam parva quam magna legis præcepta cognoscenda esse, et magni æstimanda, etiamsi vulgus parum ea cognoscat, parvique ea pendat: quia sæpe, quæ hominibus parva videntur, magna sunt apud Deum, et in judicio Dei, qui justus est æstimator rerum omnium, præsertim vitiorum et virtutum, gravia censentur. Tale est susurratio et detractio, quam homines parvi, sed Deus magni æstimat: detractoris enim verbum verberat proximi famam; ideoque ei sæpe plus nocet quam verber corporis. Huic sensui textus Græci aptari potest versio Latina, si τὸ *pusillum et magnum* accipias in genere neutro, non masculino, *q. d.* Non tibi sufficiat juste sentire et judicare de rebus magnis; sed conare et stude, ut etiam de iis quæ parvæ videntur, vel parvæ revera sunt, juste sentias, justumque judicium feras. Ita Jansenius. Verum hic sensus obscurior est, et a Vulgata Latina alienior.

Tertio, Syrus vertit, *multum sive parum ne noceas;* Vatablus, *sive magnum, sive parvum, ne quid imperite committas, q. d.* Ne imperite, imprudenter, inique agas quippiam, sive parvum illud sit, sive magnum: ne sinas te capi ignoratione rerum et imprudentia, sive parvæ illæ sint, sive magnæ. Palacius, *justifica opera tua, sive parva, sive magna.* Nihil, nec magnum, nec parvum, inique aut injuste peregeris. Sane in hoc consistit hominis et virtutis perfectio, si omnia sua opera, etiam minima, ad justam rationis, legis et honesti normam mensuret, si ea æquissimæ Dei voluntatis regulæ adæquet, si ad Christi et Sanctorum vitæ libellam ea exigat. Justum enim dicitur, quod suæ regulæ, suæ legi, suo exemplari est commensum, et quoad fieri potest, adæquatum. Justus vero est, qui omnia sua opera, quoad humana infirmitas potest, ad justitiæ et virtutis normam metitur et componit. Quare justus parva non negligit, sed diligenter curat, ut justa sint, sciens id sibi decori esse, ac ex parvis gradum fieri ad magna; imo parva, si iterentur et multiplicentur, fieri magna: de qua re plura dixi *Zachar.* cap. IV, 10, et dicam inferius cap. XIX, 1. Sapuit hoc Sponsa, cujus proinde decus admirans Sponsus, ait *Cantic.* VII, vers. 1: « Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis! » Et merito. Si enim sponsa mortalis sponsi, ut ei placeat, ad speculum faciem, vestes totumque habitum per multas horas componit, ut nullus in ea nævus, nil vel minimum indecens aut incompositum appareat: quid non faciet, quid non componet sponsa Dei, sponsa Christi?

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Apposite a susurrone transit ad amicum et amicitiam; ut enim ostendat quantum malum sit susurratio, describit quantum bonum sit amicitia: hoc enim aufert susurro. Igitur est hic insigne encomium veræ amicitiæ, usque ad vers. 18. *Inde ad finem docet, quam sit ardua sapientia, quantoque nisu et studio prosequenda: inter exteriora enim bona principem locum tenet amicus et amicitia. Quocirca in inferno, ubi nullum est bonum, sed omne malum, nulla est amicitia, sed omnium inter se inimicitia et hostilitas: tam enim dæmones, quam damnati, invicem improperant, conviciantur et maledicunt.*

1. Noli fieri pro amico inimicus proximo: improperium enim et contumeliam malus hæreditabit, et omnis peccator invidus et bilinguis. 2. Non te extollas in cogitatione animæ tuæ velut taurus, ne forte elidatur virtus tua per stultitiam, 3. et folia tua comedat, et fructus tuos perdat, et relinquaris velut lignum aridum in eremo. 4. Anima enim nequam disperdet qui se habet, et in gaudium inimicis dat illum, et deducet in sortem

impiorum. 5. Verbum dulce multiplicat amicos, et mitigat inimicos : et lingua eucharis in bono homine abundat. 6. Multi pacifici sint tibi, et consiliarius sit tibi unus de mille. 7. Si possides amicum, in tentatione posside eum, et ne facile credas ei. 8. Est enim amicus secundum tempus suum, et non permanebit in die tribulationis. 9. Et est amicus, qui convertitur ad inimicitiam : et est amicus, qui odium, et rixam, et convicia denudabit. 10. Est autem amicus socius mensæ, et non permanebit in die necessitatis. 11. Amicus, si permanserit fixus, erit tibi quasi coæqualis, et in domesticis tuis fiducialiter aget. 12. Si humiliaverit se contra te, et a facie tua absconderit se, unanimem habebis amicitiam bonam. 13. Ab inimicis tuis separare, et ab amicis tuis attende. 14. Amicus fidelis, protectio fortis : qui autem invenit illum, invenit thesaurum. 15. Amico fideli nulla est comparatio, et non est digna ponderatio auri et argenti, contra bonitatem fidei illius. 16. Amicus fidelis, medicamentum vitæ et immortalitatis : et qui metuunt Dominum, invenient illum. 17. Qui timet Deum, æque habebit amicitiam bonam : quoniam secundum illum erit amicus illius. 18. Fili, a juventute tua excipe doctrinam, et usque ad canos invenies sapientiam. 19. Quasi is qui arat et seminat, accede ad eam, et sustine bonos fructus illius. 20. In opere enim ipsius exiguum laborabis, et cito edes de generationibus illius. 21. Quam aspera est nimium sapientia indoctis hominibus, et non permanebit in illa excors. 22. Quasi lapidis virtus, probatio erit in illis, et non demorabuntur projicere illam. 23. Sapientia enim doctrinæ secundum nomen est ejus, et non est multis manifesta : quibus autem cognita est, permanet usque ad conspectum Dei. 24. Audi, fili, et accipe consilium intellectus, et ne abjicias consilium meum. 25. Injice pedem tuum in compedes illius, et in torques illius collum tuum. 26. Subjice humerum tuum, et porta illam, et ne acedieris vinculis ejus. 27. In omni animo tuo accede ad illam, et in omni virtute tua conserva vias ejus. 28. Investiga illam, et manifestabitur tibi ; et continens factus, ne derelinquas eam. 29. In novissimis enim invenies requiem in ea, et convertetur tibi in oblectationem. 30. Et erunt tibi compedes ejus in protectionem fortitudinis, et bases virtutis, et torques illius in stolam gloriæ. 31. Decor enim vitæ est in illa, et vincula illius alligatura salutaris. 32. Stolam gloriæ indues eam, et coronam gratulationis superpones tibi. 33. Fili, si attenderis mihi, disces ; et si accommodaveris animum tuum, sapiens eris. 34. Si inclinaveris aurem tuam, excipies doctrinam ; et si dilexeris audire, sapiens eris. 35. In multitudine presbyterorum prudentium sta, et sapientiæ illorum ex corde conjungere, ut omnem narrationem Dei possis audire, et proverbia laudis non effugiant a te. 36. Et si videris sensatum, evigila ad eum, et gradus ostiorum illius exterat pes tuus. 37. Cogitatum tuum habe in præceptis Dei, et in mandatis illius maxime assiduus esto : et ipse dabit tibi cor, et concupiscentia sapientiæ dabitur tibi.

PRIMA PARS CAPITIS.

ENCOMIUM AMICITIÆ.

1. Noli fieri pro amico inimicus proximo, — susurrando, et occulte ei detrahendo ac nocendo, uti præcessit et sequitur (dum ait, « invidus et bilinguis ») ; hæc enim pendent et deducuntur ex iis quæ dixit de susurrone. Unde Rabanus iisdem connectit, annectitque capiti sexto, ac caput sep-

timum, imo librum secundum Commentarii inchoat vers. 5 : « Verbum dulce multiplicat amicos. » Causam subdit :

IMPROPERIUM ENIM ET CONTUMELIAM MALUS (iniquus) HÆREDITABIT, ET OMNIS PECCATOR INVIDUS ET BILINGUIS. — « Et, » id est præsertim (sic dicitur : « Dicite discipulis ejus, *et*, id est præsertim, Petro, » quasi primo et capiti cæterorum, *Marc.* XVI, 7), *q. d.* Omnis malus, velut justam malitiæ suæ sortem, et pœnam illi debitam hæreditabit probrum et contumeliam; sed præsertim eamdem hæreditabit peccator invidus et bilinguis, qui scilicet ex invidia et dolo clam amico detrahit et nocet. Hinc Græca habent : *Sic est peccator bilinguis*, ut scilicet susurrando pro amico fiat inimicus, ideoque improperium et contumeliam hæreditet. Unde Complut. addunt : *sic peccator bilinguis ignominiam habebit.* Et Syrus incipiens a versu ult. cap. præced. sic nectit et vertit, *multum sive parum ne noceas; et pro amico ne fias inimicus, ne nomen malum et ignominiam hæredites : et* (quia) *opprobrium et peccata super eum qui ambulat in duobus*, id est, super bilinguem et susurronem.

Taxantur ergo hic illi, qui instar polypi mentem et vocem variant, ac nunc se amicos, nunc inimicos exhibent : quales compares paliuro, qui, teste Plinio lib. XIII, 19, fructum dat succosum et vinosum, ideoque jucundum palato; sed quia spinosus, pungit manum. Sic enim et hi nunc mulcent, nunc pungunt : « Ut ibi inveniatur dolor, ubi putabatur auxilium, » in *Michææ* cap. VII, vers. 4

Robertus Nolkot, natione Anglus, professione Dominicanus, qui sub annum Domini 1349, scripsit in septem prima capita Ecclesiastici, aliter hanc gnomen explicat, *q. d.* Ut amico gratificeris, noli quem alium proximum lædere, eique fieri inimicus : tum quia nullius amici causa facienda sunt mala, nec amicitia permittit injuriam tertii; tum quia pejus est unum efficere inimicum, quam plures facere vel servare amicos. Amicus enim cito beneficii obliviscitur; inimicus autem injuriæ semper erit memor, eamque ulciscetur. Quocirca sapienter Pericles, rogatus ab amico, ut sui causa pejeraret, respondit : « Amicus sum, sed usque ad aras. » Amicus enim ab amico nil debet petere iniquum; et si petat, rejiciendus est. Hinc et illud Sapientis monitum : « Ita multis prosis, ut ne vel uni obsis. » Verum prior sensus est genuinus, ut patet et dictis.

Vers. 2 et 3. 2 et 3. NON TE EXTOLLAS IN COGITATIONE ANIMÆ TUÆ VELUT TAURUS; NE FORTE ELIDATUR VIRTUS TUA PER STULTITIAM, ET FOLIA TUA COMEDAT, ET FRUCTUS TUOS PERDAT, ET RELINQUARIS VELUT LIGNUM ARIDUM IN EREMO. — Versu præced. vetuit dolum et hypocrisin : hic vetat animositatem et fastum, qui æque ut dolus nocet proximo, et amicitiam dissolvit et evertit. Ita Rabanus. Sensus ergo est, *q. d.* Ne te extollas per cogitationem animæ, id est, animositatis tuæ, ut putes te omnia posse instar tauri, qui animositate sua cætera pecora et pecudes fugat, sternit et exagitat : quia sicut taurus cornupeta vel a feris, vel ab heris ligatur, concluditur, mactatur, itaque virtus, id est, animositas ejus eliditur : ita pariter virtus, id est fortis animositas tua elidetur per stultitiam, ea demque consumet folia tua, id est, ornatum et gloriam tuam cum omni fructu tuo, perinde ut taurus solet discerpere plantarum folia et fructus, quibus ipse cum cæteris armentis vesci poterat et debebat, ut animam, id est vitam, conservaret. Porro : « Ne sufficere nobis credamus, inquit Rabanus, si extollentiam vitemus, in actu, dicit : Non te extollas in cogitatione animæ tuæ : Deus enim inspector est cordis, et non secundum faciem, sed secundum veritatem unumquemque dijudicat; quem nemo potest per hypocrisin fallere, quia omnia nuda et aperta sunt oculis ejus : qui si interius animæ cervicatam ac tumidam cogitationem conspexerit, non ei placebit, sed allidetur virtus ipsius superbi per stultitiam elationis, et folia verborum ejus sunt vacua, et fructus operum inutiles, et velut lignum aridum non habens viriditatem dilectionis, inter steriles iniquorum actiones deputabitur. »

Hunc esse sensum patet ex Græco; sic enim habet : *ne efferaris ob consilium animæ tuæ, ne quasi taurus anima tua discerpat te;* id est, *ne ut taurus plantas solet discerpere, ita tuum te perda consilium; depascatque folia tua, deinde fructus tuos disperdat, et velut arborem destituat aridam.* Ita Tigurina, licet Complut. et Romana legant in secunda persona, *depascas, disperdas, destituas;* sed eodem redit sensus. S. Ephrem, *Paræsi* 26, sic legit : *ne te extollas in cogitatione animæ tuæ, ne abripiatur velut taurus anima tua; frondes tuæ comedentur, et fructus tuos perdes;* Syrus, *ne tradaris in manus animæ* (*animositatis*) *tuæ, ut non quæras sicut taurus fortitudinem tuam. Folia tua decidere facies, et fructum tuum comedes, et seres te tanquam arborem aridam, quia anima crudelis disperdet dominum suum.*

Alludit ad historiam Nabuchodonosoris, qui suo imperio et robore fretus, sese extollens ut taurus, hac sua stulta superbia elisus, et mutatus est in bovem et taurum, ut quasi amens et brutus regno pelleretur, et ablegaretur in sylvas ad bestias. Hæc stultitia ejus folia et ramos dejecit, quia splendorem regium illi abstulit. Eadem fructus ejus perdidit, scilicet, omnia opera regia et tot regnorum administrationem. Denique eadem illum miserum et squalidum effecit, velut lignum aridum in eremo, destitutum, scilicet, omnibus amicis, familiaribus, subjectis omnique humana ope et solatio. Lege *Danielis* cap. IV, et videbis omnia huic loco Siracidis ad amussim congruere et respondere.

Huc facit apologus Æsopi illo ævo celebris (Æsopus enim ducentis annis Siracidem antecessit, ejusque prudentes mythi et apologi fuere

celebres, et omnium ore triti) de asino et leone. Cum asino, inquit, gallus aliquando pascebatur. Leone autem aggresso asinum, gallus exclamavit, et leo (aiunt enim galli vocem timere) fugit. At asinus, ratus propter se fugere, aggressus est statim leonem. Ut vero procul hunc persecutus est, quo non amplius galli perveniebat vox, conversus leo devoravit asinum. Hic vero moriens clamabat : « Me miserum et dementem! Ex pugnacibus enim non natus parentibus, cujus gratia in aciem irrui? » Asinus ergo hic notat stolidos, qui in superba virium suarum cogitatione et æstimatione eliduntur et pereunt.

De gloriis in virtutibus.

Antistrophus huic gnomæ est apologus rhinocerotis et corvi apud S. Cyrillum, lib. II *Apolog. moral.* cap. XVIII, cujus titulus : *Contra superbientes ex robore.* « Superbus rhinoceros, inquit, maxime robore cornu sui inflatus, cum vidisset corvum super ripam quiescentem, præsumpsit eum vi mira cornu sui subvertere, ut se coram illo de gloria roboris ostentaret. Cum igitur hunc fulmineo ictu percussisset, petræ resistentis duritia impetum excipiens, acumen cornu fregit, et doloris pondere una cum luxato corpore, victum statim robur dedit. Cui deinde e tantis doloribus decumbenti, corvus cum risu objecit dicens : Rhinoceros frater mi, ubi est cornu prævalidum tuum? ubi robur stupendum? nimirum quia in uno posuisti totum, uno perdito, mox amisisti et totum. Nescivisti parvam esse cujusvis virtutem corporis, nisi major simul adsit virtus animi? Tota namque (*Judic.* XIV) illa mira vis Samsonis non ab ossibus tantum, sed a spiritu erat in capillis. Virtutis autem spiritus humilitas est. Hæc enim basis et fundamentum est corporis roboris et virtutum. » Unde epimythium sive fructum apologi colligit : « Crede igitur mihi, nihil superba validitate infirmius, nihilque humili debilitate potentius in hoc sæculo inveniri. Ferrum enim quanto durius est, tanto citius frangitur; et vitrum tanto facilius rumpitur, quanto amplius induratur. Verumtamen gutta mollissima saxum excavat, et teredo vermis tenerrimus lignum vastat; quin et spiritus fulmineus duriora destruit, molliora illæsa relinquit. Arcus etiam quanto magis curvatur, tanto validius telum vibrat. Quo dicto, victum superbia unicornu dimisit. »

Apologus rhinocerotis.

Nil humilitate fortius, nil superbia fragilius.

Nota : Animosos, impetuosos et violentos apte comparat tauris; quia inter animalia vix ullum est, quod ex cornibus ita audeat, ex viribus ita confidat, ex animo ita superbiat, ut taurus. Vide Ælianum, sub finem libri III. Igitur tauri uti fortes et torosi, ita pariter animosi sunt, iracundi et furibundi; hinc taurus est armenti et vaccarum dux : taurus enim est bos ad procreandum reservatus. Causam dat Aristoteles lib. II *De Partib. animal.* cap. IV, quod tauri sanguine, eoque fibroso et crasso abundent. « Timidiora (animalia), ait, sunt quibus sanguis dilutus nimium est : metus enim refrigerat; quamobrem quæ exsanguia, timidiora sunt sanguineis, etc. Quorum autem sanguis fibris admodum multis crassisque refertus est, hæc terrena amplius constant natura, et animosa, iracunda, proindeque furibunda sunt: ira enim calorifica est. Solida autem firmioraque omnia concalefacta, vehementius quam humida calefaciunt; fibræ vero solidæ terrenæque sunt : itaque quasi fomenta in sanguine efficiuntur, fervoremque per iram accendunt. Ex quo fit ut tauri et apri animosi iracundique furibundique sint : sanguis enim eorum fibris refertior est; et quidem taurorum sanguis omnium celerrime coit et durescit. »

Taurus Ælianus, cur?

Hinc Homerus Agamemnonem comparat tauro : est enim taurus symbolum regis, qui præcellit populo, sicut taurus armento, ut docet Diogenes *orat.* 2, apud Dionem. Hinc et Joseph, quia fratribus præcellens, princeps fuit in Ægypto, a Mose comparatur tauro : « Quasi primogeniti tauri, inquit, pulchritudo ejus; cornua rhinocerotis cornua illius, in ipsis ventilabit gentes usque ad terminos terræ, » *Deut.* XXXIII, 17. Ubi pro *tauri* Hebr. est שור *schor*, Chaldaice תור *tor;* unde Latinum et Græcum *taurus*, Gallicum *taureau*, Hispanicum et Italicum *toro*. Hebraice enim dicitur *schor*, a rad. שרר *schor*, id est, intendere, extendere, eo quod taurus corpus habeat distentum et plenum, sive quod oculos et aspectum habeat intensum, firmum et fixum; unde proverbium huic loco congruens : « Taurina phantasia, Tauricum tueri, » id est, torve; « Taurinus obtutus, » pro fixo, severo, arroganti et feroci. Aristophanes in *Ranis :* « Itaque ore prono contuetur tauricum. » Et Socratis mos erat, teste Platone, taurinis oculis intueri. Virgilius quoque bovem torvam vocat : « Optima torvæ forma bovis. »

Sensus ergo est, *q. d.* Non te extollas in cogitatione tua, quod putes te viribus, opibus, sapientia, amicis, famulis, etc., abundare, sicut taurus in phantasia sua ob robur se extollit, ut toti armento imperare et dominari velit, ne elidatur et confringatur virtus, id est fortitudo, græce ψυχὴ, id est anima tua, puta animositas, animosa, superba, ferox et taurina cogitatio animæ tuæ, «per stultitiam,» qua insolenter superbis, et majora viribus tentas, ac in potentiores impingis, ideoque ab eis dejiceris, sicut eliditur tauri virtus, dum indomita stulte invadit tauros æque fortes, vel fortiores se, a quibus vel vincitur et sternitur, vel certe vis ejus domatur et infringitur. Sic hodie videmus multos viribus naturæ, ingenii et gratiæ pollere, quibus magna præstare possent, si iis modeste et temperanter uterentur; sed dum iis insolescunt, et plura sibi arrogant, vel tentant, quam vires ferant, per stultitiam perdunt omne suarum virium et donorum decus, vim et efficaciam. Quo fit ut ipsa, scilicet stultitia, vel potius virtus, qua stulte abutuntur, comedat folia eorum, et fructus eorum perdat, hoc est, omnem eorum decorem (folia enim sunt

coma et decus arborum) et fructum, quem alias protulissent, evertat et tollat; ita ut virtus, quæ ipsos decorare et ditare debuerat, privet eos omni decore et fructu; sic ut iis nudati relinquantur velut lignum aridum in eremo, scilicet, steriles, inglorii et ad nihil utiles, nisi ut eradicentur, et in ignem mittantur, ut ait Christus *Joan.* XV, 6. Alludit rursum ad taurum, qui indomita sua feritate arborum folia comedit, et fructus disperdit, atque arborem desolat, et relinquit velut lignum aridum.

Superbia est stultitia.

Huic vicinum est adagium cap. IV, 35 : « Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos, et opprimens subjectos tibi. » Porro superbiam vocat *stultitiam* : nam, sicut humilitas est sanitas animi ; ita superbia est ejus insania : quia humilitas est veritas; superbia est vanitas, falsitas vanaque de se opinio, stultitia et insania.

Secundo, magis expresse et apposite hæc referas ad dissociationem amicitiæ ex fastu et fastidio amici, de qua totus hic est sermo. Pro quo nota et audi Aristotelem, lib. VI *De Natura animal.* cap. XVIII : « Taurus, inquit, cum tempus coitus adfuerit, tum demum incipit communibus cum vaccis pascuis uti, cumque reliquis tauris dimicat. Nam ante id tempus inter sese pascuntur : quod quidem appellant ἀτιμαλεγεῖν (quod aliqui vertunt *coarmentari*, quasi cum armento convenire; alii melius contrarie, *dearmentari*, vel *abarmentari*, id est, ab armento se segregare). Sane qui in Epiro sunt tauri, sæpe trium mensium spatio non apparent. » Hoc Festus vocat « negligere gregem ; » alii, « abgregari, » quod proprium est taurorum. Unde proverbium : « Abiit et taurus in sylvam, » dici solitum in maritos superbos et fastidiosos, qui uxores deserunt. Item, in amicos tumidos et insolentes, qui amicum, cum eo fruiti fuerint, ejusque opes emunxerint, fastidiunt et derelinquunt; sed, sicut taurus armenta fastidiens, et ex indomita libertate, fastu et feritate fugiens in sylvam, ibi sæpe ab aliis tauris, leonibus et ursis impetitur et eliditur (nam, ut docet Aristoteles lib. IX *Histor. animal.*, « a feris interimuntur tauri, ubi ab armento deerraverunt gregem relinquentes, gregisque divortia quærentes ») : ita pariter, qui amicum deserit, in inimicos incidit, qui eum elidunt, expilant, et subinde occidunt.

Rursum, sicut taurus fugiens in sylvam disperdit folia fructusque arborum, easque desolatas efficit et relinquit velut lignum aridum in eremo : ita pariter qui subditos et amicos, quos ex officio in vita sociali soliti erant pascere, alere, docere, regere, itaque in Ecclesia erant velut arbores frugiferæ et foliis ornatæ, hi, si eos temere et superbe deserant, fastidiant et fugiant, omni hoc fructu et decore se ipsos privant, omnique pristina gratia, utpote ad communem usum eis data, a Deo justo judice privabuntur, eruntque velut ligna arida in eremo. Hominum folia, puta ornamenta, sunt honor, gloria, amici, famuli, apparatus, splendor domesticus, etc. Horum omnium tinea est superbia, quæ hominis folia, velut vermis hederam Jonæ, exedit et devorat. Fructus hominis pii sunt opera sancta, quæ sunt merita cœli : hæc superbo pereunt, quia præterita nihil illi prosunt, futura parere nequit. Denique superbia relinquit hominem velut lignum aridum in eremo, desertum a Deo, angelis et hominibus.

Porro tauros a tauris in pugna vinci et elidi docet Virgilius *Georg.* III :

> Nec mos bellantes una stabulare ; sed alter
> Victus abit, longeque ignotis exulat oris,
> Multa gemens ignominiam plagasque superbi
> Victoris, tum quos amisit inultus amores,
> Et stabula aspectans regnis excessit avitis.

Aristoteles quoque lib. VI *Histor. animal.* cap. XX, docet tauros victores, post coitum, quasi enervatos, a victis vinci et elidi. « Coit, inquit, qui vicerit; cumque is venere jam debilitatus languerit, aggreditur victus ille languentem, et plerumque superat. »

Hinc *tertio*, nonnulli hæc referunt ad effusam libidem divitum et potentum, *q. d.* Noli superbe et luxuriose grassari in tuos, tibique subditos vel obnoxios, velut taurus potens et insolens, qui cum omnibus vaccis, prout ejus animæ, id est, phantasiæ et concupiscentiæ libuerit, miscetur : quia, sicut hic miscendo elidit et exhaurit suam virtutem et robur; ita pariter et tu tuam virtutem exhauries. Nihil enim tam vires hominis debilitat et enervat, ac libido : per illam enim semen, quod est nobilissimus sanguis, ac cum eo optimi spiritus vitales excernuntur. Rursum libido omnia folia et fructus, id est, omnem hominis virorem, ornatum, virtutes et merita consumit et disperdit, eumque facit exsuccum, sterilem et marcidum, velut lignum aridum in eremo : superbiæ enim comes et filia est libido, æque ac humilitatis comes et filia est castitas. Talis taurus inter suos fuit spurcissimus Lutherus, ejusque asseclæ, adeo ut etiamnum inter feminas eorum hæc infamis et satanica audiatur vox : Tauriza nos. Vide Cochlæum, Sanderum, Surium, etc., in Actis Lutheri et posterorum. Verum est hic illud Psaltis *Psalm.* LXVII, vers. 31 : « Congregatio taurorum in vaccis populorum. » Porro libido omnem veram amicitiam (de qua hic agitur) utpote quæ honestate nititur, dissuit et dissolvit : tantum enim ejus est probrum, tantus naturæ horror, tantum luxuriosorum fastidium, ut eam, quam ante ardentissime adamarant, jam a se vitiatam sæpe audire et videre non sustineant.

Denique in tauro repræsentatur et vetatur arrogantia, libido dominandi, tyrannis, concupiscentia, insolentia, verborum asperitas, morum durities, barbaries, sævitia, crudelitas, feritas : taurus enim non agitur ratione, sed cogitationis

et phantasiæ suæ impetu, quasi percitus œstro et furiis agitatus; unde horrisonum mugit et boat.

Vers. 4. 4. ANIMA ENIM NEQUAM DISPERDET, QUI SE HABET (id est, eum qui habet animam nequam), ET IN GAUDIUM INIMICIS DAT (aliqui legunt *dedet*) ILLUM, ET DEDUCET IN SORTEM IMPIORUM, — puta, ad æternam miseriam et gehennam. Græcus concisus est, et sic habet: *anima enim improba disperdet possidentem se, et derisum inimicorum faciet se.* Animam *nequam*, id est, non utcumque malam, sed egregie et insigniter malam (« nequam enim, ait Festus, dicitur quod ne tanti quidem sit, quam quod habetur minimi »). Et Varro ex *ne* et *quidquam* media syllaba extrita derivat vocat superbam, fastidiosam, crudelem et luxuriosam, qualem jam descripsi. Unde Syrus vertit, *anima dura* (crudelis) *disperdet vel corrumpet dominum suum, et lætitiam inimicis ejus faciet eum.* Quocirca Siracides animæ duræ et taurinæ, quæ amicitiam dissolvit, opponit animam suavem et dulciloquam, quæ amicos et amicitiam consociat, dicens: « Verbum dulce multiplicat amicos. »

Moraliter notat hic tria gravissima damna, quæ sibimet infert anima nequam et maligna: *primum* est, quod se disperdat per lapsum in crimen lethale; *secundum*, quod se det in gaudium et prædam inimicis, tam hominibus, quam dæmonibus; *tertium*, quod deducat eum in sortem impiorum, puta, in gehennam. Hujus symbolum est leo, qui, dum prædam venatur, in foveam et caveam sibi a venatoribus paratam incautus irruit, ibique eorum fit præda et ludibrium, teste Plinio lib. VIII, cap. XVI, et S. Gregorio lib. IX *Moralium*, cap. XXXIV; sic enim et superbus, dum prædari vult alios, præda fit ipse et risus dæmonum. Hoc est quod ait Job cap. X, vers. 16: « Et propter superbiam quasi leænam capies me, reversusque mirabiliter me crucias. » Ubi vide S. Gregorium loco jam citato.

Vers. 5. 5. VERBUM DULCE MULTIPLICAT AMICOS, ET MITIGAT INIMICOS. — Docet modum parandi et conservandi amicos esse sermonis suavitatem, quam per antithesim apposite superbæ ostentationi et ferocitati taurinæ, quæ omnes avertit et evertit, subjicit. Græce, *guttur suave multiplicat sibi amicos;* Syrus, *os suave* (id est oris suavis, est Hebraismus et Syrismus), *multiplicabuntur amici ejus.* Causam dat Palacius: Quia verbum, inquit, est vehiculum mentis. Igitur in verbo dulci dulcis mens vadit, effluit et illabitur instar sacchari in animum audientis, eumque totum dulcedine sua penetrat, imbuit, allicit et in sui amorem rapit. Similiter et inimicus dulcedine verbi veluti musici concentus, audita, aures illi non occludit; sed aperit, ac per aures illud in mentem recipit, ejusque dulcedine, quasi melle omne suum fel, id est amaritiem, iram et odium, dulcorat, et ex inimico facit se amicum. Quare lingua dulcis est similis linguæ canis, quæ ulcera lambendo dolores lenit, plagisque corporis medetur; simili enim modo plagis animi quasi lambendo medetur lingua blandiloqua.

Verbum dulce amicat, quare?

Talis fuit lingua nostri R. P. Petri Canisii, Germanorum apostoli, qua multos Deo, et dissidentes invicem conciliavit, ut vulgo diceretur linguam Canisii instar canis animorum esse medicam. Unde Hussitarum in Canisium scomma:

Hinc procul esto canis, pro nobis excubat anser;

id est, Joannes Hus: Bohemi enim anserem vocant *hus*. Alludunt ad anserem, qui excubando servavit Romanos in Capitolio obsessos. Sic Orpheus dulci suo sermone quasi cantu dicitur movisse cautes et saxa, id est, saxea hominum corda. Idem fecere alii: « Movit Amphion lapides canendo. » S. Mechtildis sua suaviloquentia omnes rapiebat, adeo ut putarent se angelum loquentem audire. Ita habet ejus Vita. Hanc autem suavitatem hauserat ex Deo et Christo crucifixo. Est enim Deus mare dulcedinis; ex hoc mari mentis et linguæ rivulus deductus, maris dulcedinem servabit. Excipe, quando improborum et obstinatorum vitia acrius sunt perstringenda, juxta illud: « Increpa illos dure, ut sani sint, » *Tit.* I, 13. Hoc est quod in Sponsa poscit et commendat Sponsus *Cant.* IV, 3: « Sicut vita, inquit, coccinea, labia tua, et eloquium tuum dulce. »

Ratio a priori.

Ratio a priori est, quod suavitas et dulcedo in omni rerum genere, naturæ accidat gratissima, eique melleum sit oblectamentum. Sic enim dulces sapores palato, dulces melodiæ auribus, suaves colores oculis sunt gratissimi. Hoc est quod ait Ecclesiasticus cap. XL, 21: « Tibiæ et psalterium suavem faciunt melodiam, et super utraque lingua suavis. » Et Cicero lib. *De Offic.*: « Difficile, ait, est dictu quantopere conciliet animos hominum comitas affabilitasque sermonis. » Hinc Antalcidas rogatus, quo pacto quis maxime placere possit hominibus, respondit: « Si loquatur illis jucundissime; præstet autem utilissima. » Ita Plutarchus in *Laconicis*. Exemplo sit Abigail, quæ David ruentem in cædem Nabal mariti sui, sermone leni mitigavit, adeo ut, mortuo Nabal, eam in uxorem duxerit, I *Regum* XXV. Et David, qui simili suaviloquentia dulcoravit malignos Saulis spiritus. Et Gedeon, qui blando sermone lenivit et sopivit jurgia Ephratæorum, *Judic.* VIII, 3. Mellitus enim sermo mellitam parit responsionem. Unde Sponsa suaviloquium suum hausisse se docet ex suaviloquio Sponsi: « Guttur, inquit *Cant.* V, 16, illius suavissimum, et totus desiderabilis; » et cap. II, 3: « Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo; » hoc est: « Sermo illius dulcis est fructus. » ait Gregorius Nyssenus orat. 4 *in Cant.*

ET LINGUA EUCHARIS IN BONO HOMINE ABUNDAT. — Ita Romana. Retinuit Interpres vocem Græcam εὔχαρις, id est *gratiosa*, uti nonnulli codices legunt. Aliqui pro εὔχαρις legunt εὔλαλος, id est *eloquens*,

diserta. Hæc « abundat, » scilicet χάριτι, id est gratia, quæ continetur in voce εὔχαρις, quia conciliat sibi omnes, omniumque sermones et corda. Hinc rursum, « abundat, » id est, abunde fert fructum, ait Emmanuel Sa; unde Græca expresse et clare habent : γλῶσσα εὔχαρις πληθύνει εὐπροσηγορα, id est, *lingua gratiosa multiplicat bonas loquelas;* Jansenius, *sermones affabiles ;* Romana, *lingua beneloquens multiplicabit bonas salutationes ;* Tigurina, *lingua diserta plurimas salutationes consequitur ;* Syrus, *labia justorum, salutatio* (salutis et pacis apprecatio); *et salutatores* (qui pacem tibi precentur) *tui multi erunt.* Significat ergo sermonis suavitatem esse illicem salutationis et affabilitatis, ut multi suaviloquum sequantur, salutent aveantque cum eo miscere sermones et suaviter colloqui, ac suavitatem suavitati rependant, ut, quod Comicus dixit: « Si maledixeris, pejus audies, » invertere hic liceat: « Si bene dixeris, melius audies. » Huc facit illud Salomonis *Proverb.* XV, vers. 1 : » Responsio mollis frangit iram; sermo durus suscitat furorem. » Et vers. 4: « Lingua placabilis, lignum vitæ; quæ autem immoderata est, conteret spiritum. » Et vers. 18: « Vir iracundus provocat rixas; qui patiens est, mitigat suscitatas. »

6. MULTI PACIFICI SINT TIBI; ET CONSILIARIUS SIT TIBI UNUS DE MILLE. — *Pacifici,* Græce non est, εἰρηνοποιοὶ, id est qui pacem faciant, et discordes concilient; sed εἰρηνεύοντες, id est, in pace degentes, pacem servantes, *q. d.* Cum multis, id est, cum omnibus, quoad potes, pacem cole et serva; at consiliarii sint tibi selecti, pauci et rari, adeo ut ex mille unum deligas, qui tibi sit a consiliis; quia pauci sunt prudentes, pauciores experientia pollentes, paucissimi secreti et fidi, qui sincere et ex corde te ament, nec nisi tuum bonum quærant, juxta illud Salomonis *Ecclesiastæ* VII, 29 : « Virum (cordatum, fidum, sapientem, constantem) de mille unum reperi; mulierem ex omnibus non inveni. » Et *Proverb.* cap. XX, vers. 6 : « Multi homines misericordes vocantur; virum autem fidelem quis inveniet? » Unde Græce est, *consiliarii tibi sint unus ę mille;* Syrus, *secreti tui conscius unus ex mille;* Vatablus, *fac benevolos habeas multos, at unum de mille consiliarium.* Huc pertinet illud Sapientis dictum : « Esto comis omnibus, familiaris paucis, blandus et blandiens nemini. » Et Theognis : « Tu, inquit, ne cum amicis omnibus communica; pauci sane ex multis fidelem habent mentem. » Siracidi concinit Ben-Sira *Alphabeto* 2, litt. *guimel,* dum ita sancit: « Patefac arcanum tuum uni e mille; licet multi fuerint qui pacem tuam quærant; » qui, scilicet, tibi bene cupiant, tibique sint benevoli. Et istud Hesiodi : « Neque nullis sis amicus, neque multis, » quod citat Aristoteles lib. IX *Ethic.* cap. X, causamque dat: Quia, ait, citra ullius amici consuetudinem vivere injucundum et ferinum esse videtur. Rursum, nec vehementer amare possumus simul multos, nec pluribus morem gerere. Unde ait : « Multis amicus, nemini amicus. » Lucianus in *Toxaride* narrat apud Scythas πολυφιλίαν, id est, complurium amicitiam, non aliter infamem fuisse, quam apud alias gentes polygamiam, id est, pluralitatem uxorum. Qua de re tamen diversum sentit Cicero, lib. *De Amicitia,* et alii nonnulli.

Utramque sententiam et utrosque auctores concilies, si dicas tres esse gradus amicitiæ. *Primus* est generalis, qui multos, imo omnes, satagit habere amicos. Unde Div. Thomas, II II, *Quæst.* CXIV, ait amicitiam esse affabilitatem; quæ virtus est specialis, qua quis se omnibus comem præbet et affabilem. Hos Siracides hic vocat *pacificos,* pro quo Auctor *De Salut. docum.* apud S. Augustinum, cap. VI, legit *amicos* : « Amici, ait, tibi sint multi, sed consiliarius unus. » *Secundus* est particularis, qui paucos complectitur. *Tertius* singularis, qui paucissimos. Igitur amor naturalis et supernaturalis, puta charitas, dictat communem et generalem amicitiam posse et debere amplecti multos, imo omnes, quoad fieri potest: strictam vero et specialem esse singularem, et unum duntaxat, aut duos tresve ut summum complecti. Benevolentia ergo est erga multos; amicitia vero erga paucos, juxta illud Dicæarchi apud Plutarchum, initio lib. IV *Sympos.* « Omnium tibi benevolentiam concilia; amicitiam autem cum bonis inito. »

Amicitia est paucorum. Ratio prima.

Ratio a priori est, *prima,* quod affectus et amor hominis sit finitus, valdeque limitatus et exiguus; quare, si in multos dividatur et spargatur, erga singulos imminuitur, nequitque esse singularis, intensus et eximius. Unde Plutarchus, lib. *De Multitudine amicorum* : « Sicut fluvii, ait, in multos deducti rivos, leviorem habent cursum; ita vehemens amor in multos dispersus, haud dubie marcescit. » Perinde ac calor collectus in furno, vel hypocausto, aperto ostio vel fenestra, in aerem dispergitur et evanescit. Hinc et parentes, qui unam duntaxat habent prolem, eam vehementissime amant, utpote amore in unum collecto: si deinde plures generent, amor hic minuitur, et in plures spargitur.

Secunda.

Secunda, quod amicitia singularis sit summa amicorum unio: hæc autem inter plures consistere nequit, tum quia plura essentialiter uniri nequeunt, sed accidentaliter tantum coagmentantur, uti lapides in fabrica domus; tum quia inter plures varii et sæpe diversi, imo contrarii sunt affectus, indoles, sensus, judicia, quæ in unum coire nequeunt: quot enim capita, tot sensus, tot affectus, tot judicia; diversitas autem affectuum, æque ac judiciorum, valde diluit et infirmat amorem et amicitiam: « Nam, ut ait Plutarchus libro jam citato, origo amicitiæ est ex similitudine morum, affectuum et judiciorum. Quis vero instar polypi vel Protei est ita mutabilis, varius et laboriosus, ut se multis similem

reddere et accommodare possit, aut velit? Amicitiæ est mores, affectus, sermonem, studia et animi sensum exæquare. » Hæc Plutarchus.

Tertia. *Tertia* est, quam dat Auctor *De Amicitia* apud S. Augustinum, cap. XI, quod amicus amico sit intimus : « Cum amicus tui sit consors animi, inquit, cui spiritui tuum conjungas et applices, et ita misceas, ut unum fieri velis ex duobus; cui te tanquam alteri tibi committas, cui nihil occultes, a quo nihil timeas; » hinc non nisi rarus esse debet, isque bene probatus et perspectus.

Quarta. *Quartam* dat Aristoteles lib. IX *Ethices*, cap. X, quod pluribus amicis convivere, subministrare, succurrere, satisfacere difficile, ac sæpe impossibile sit, dum non raro cum altero collætandum, cum altero condolendum sit. « Neque enim, ait, fieri posse videtur, ut multis vehementer amicus quispiam sit, neque ut plurium amore sit captus : exsuperatio enim amicitiæ quædam esse consuevit : id autem erga unum est; et vehementer igitur (amare) erga paucos quoque erit. »

Quinta. *Quintam* dat hic Siracides, quod consiliarii non possint esse multi, sed unus de mille : tum quia inter plures non servatur secretum; tum quia difficile est plures reperire tantæ prudentiæ, integritatis, rectitudinis, virtutis, quanta requiritur in consiliario, præsertim principis, vel ejus qui rem plurium administrat. Quomodo enim, ait S. Ambrosius libro II *Officior.*, potero judicare eum consilio superiorem, quem video moribus inferiorem? » Quomodo credam illum ratione agi, qui passionibus et affectibus agitur? Quomodo ei mea credam, qui sua lucra aucupatur?

Sexta. *Sextam* dat Plutarchus, lib. *De Multitudine amicorum* : « Etenim, inquit, ad genuinam amicitiam tria requiruntur potissimum : virtus, ut pulchrum; consuetudo, ut jucundum; usus, ut necessarium : nam et cum judicio recipiendus est amicus, et consuetudo læta esse debet, et usus occasione exigente promptus, quæ omnia multitudini amicorum adversantur. » Et inferius probat idipsum ex dicto Pythagoræ : « Ne multis manum injicias, id est, ne multos facias amicos. » Additque : « Oraculum Timesiæ de colonia ducenda quærenti responsum fuit : Quære examina apum, vesparum, et habebis abunde. Ita, qui amicorum greges quærunt, incauti in inimicorum examina incidunt. » Denique idipsum patet in amicitia cum Deo; Deus enim solus et singulariter vult amari a nobis ex toto corde, ita ut nihil amemus nisi ipsum, vel propter ipsum, juxta illud Sponsæ *Cant.* II, vers. 16 : « Dilectus meus mihi, et ego illi qui pascitur inter lilia. Hinc, quo magis quis mentem et amorem abstrahit ab hominibus rebusque creatis, eo magis se unit Deo, eique carior et intimior amicus efficitur. Unde S. Ægidius, socius S. Francisci, rogatus qua ratione quis ad perfectionem virtutis et amoris perveniret, respondit : « Una ad unum, » *q. d.* Una anima uni Deo in totum se per fidem, spem, charitatem et contemplationem astringat, ut cum S. Magdalena audiat illud Christi : « Porro unum est necessarium; Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea, » *Lucæ*. X, 42.

Apologus amicitiæ. In hanc gnomen ingeniosum erinacei et viperæ apologum acutis eruditisque gnomis sententiosum scripsit Cyrillus lib. I *Apolog. moral.* cap. XIX, cujus titulus : *Esto amicus cunctis, intimus paucis, fidelissimus universis.* « Spinosum erinaceum cernens viperula, corticem ejus mirata dixit : Tu quis es? Cui ille : Fidelis amicus; nam amicus is est, qui una tecum est anima; at verus est, cui, si multum adhæseris, pungit. Nam qui vere diligit, in lusibus etiam corripit; et qui in facinoribus blanditur, odit. Ad hæc vipera dixit : Placet certe satis, quod amicitia sit intima unitas cordium; quod vero veritas ejus spina sit, minus placet : vera namque dilectio non in superficie, sed in re; non in asperitate, sed in tranquillitate fundatur. Nonne spina de radice maledictionis processit? Tunc erinaceus punctus hac invectiva subjunxit : Scio, carissima, quod amor et odium in sola substantia radicentur; unde in venenosa et halitate tua generalis inimicitia est, et in medicinali tua virtute amicitia est communis. Attamen dilectionis veritas falsitasque subjectæ substantiæ notantur ex cortice. Verus enim amor deforis pungit, et mulcet intus; foris est acer, et intrinsecus dulcescit; exterius percutit, et interius medetur : est enim quasi medicina amara. Nam, ut Aristoteles scribit, diligit quasi odiens senex. Et fideli David amatori dictum est, quod se oderat diligendo se. » Signa deinde ficti amoris hæc profert : « Fictus enim amor oculorum nitet in lumine, sapit in ore, mulcet in aure, ridet in facie, placet in cute; intus tamen est venenum Sardiniæ, quia nimirum quos perimit, risu perire facit. » Sunt enim qui dicunt in Sardinia herbam nasci dictam Sardoam, quæ sapore dulcis, gustata tamen ora hominum in rictus dolore contrahit, indeque dictum risum Sardonicum. Ita Solinus et Servius in illud Virgilii, *Eclog.* VII :

Verus amicus corripit.

Falsus blanditur.

Imo ego Sardois videor tibi amarior herbis.

Pergit erinaceus : « At forte depicto cortice gloriaris? nempe basilisci rutilat oculus et occidit; scorpio prius lingit quam percutit, et dum ore blande cutem emollit, caudæ venenosum aculeum pestilentius figit. Sirena suaviter cantat, ut nautam stupefactum per naufragium devoret; et ubi magis periculosus est transitus, ibi aquæ facies plus arridet. Spina ergo erinacea verus et sensatus amicus est, et pictura viperea fraudulentus. » Subdit deinde viperam ab erinaceo fœdus amicitiæ postulasse. « At ille (erinaceus) respondit : Ego certe amicus sum cunctis, intimus paucis, fidelissimus universis. Nam qui non omnes diligit, nullatenus ex virtute amavit. Et qui est intimus pluribus dilector, nullius est magnus; mi-

nuitur enim virtus, cum divertitur. Sic mater plus diligit unicum, quam si simul numerum habuisset natorum. Tamen si tandem vis audire, nulli ego intima dilectione astringor, nisi cujus virtutem longis temporibus, atque veritatem in mille calamitatibus comprobavi. Vinum enim novum novus amicus; sapit enim in ore, bullit in ventre, fallit in capite, latet turbulentum in fæce. Et ideo nolo tuus esse amicus. Amicus stultorum similis eis efficitur. Quo dicto, repudiatam dimisit. »

Vers. 7. 7. SI POSSIDES AMICUM, IN TENTATIONE POSSIDE EUM. — Τὸ *possides* et *posside* significant actum inchoatum, non perfectum; quare idem significant quod *comparas* et *compara*. Hebr. enim קנה *kana*, et Græcum κτᾶσαι, et *possidere* et *comparare* significat. Sic dicitur *Proverb.* VIII, 22 : « Dominus possedit, id est paravit, genuit, me. » Sensus ergo est, *q. d.* Si possidere paras amicum, si eum comparas ut possideas, para et compara eum per tentationem; nimirum, tenta et proba ejus fidem et amorem in rebus parvis, antequam ei committas magna. Unde Tigurina vertit, *si paras amicum, tentationem parato, et probato illum, et ne cito ei credas.* Pronomen enim *teipsum*, quod addunt nonnulli, delendum est cum Græcis et Romanis.

Prima lex amicitiæ. Prima ergo lex amicitiæ est : « Prius delige amicum, quam diligas; prius proba, quam ama. » Nam, ut ait Ennius : « Amicus certus in re incerta cernitur; » et Vener. Beda in *Proverbiis*, littera A : « Amicum res secundæ parant, adversæ probant. » Si ergo, antequam emas vasa, prius ea inspicis; multo magis vitam eorum inspicere debes, quos tibi in amicitiam adjuncturus es, ait Antisthenes apud Laertium lib. II, cap. VIII. Antonius in *Melissa* ex Menandro : « Aurum, inquit, probari solet igne; amici vero benevolentia tempore arguitur : qui enim tempore secundæ fortunæ amico adulatur, temporis est amicus, non amici. » Igitur sicut in fornace argentum vivum, auro licet inhærens et amicissimum, mox liquatur, et abit : sic in tribulatione amicus infidus, licet antea intimus, abit et amicum deserit; mobilis enim est instar hydrargyri. Idem rursum : « Equi usum asperitas viæ prodit, et amicum benevolum calamitates discernunt. » Poeta apud S. Augustinum (vel auctorem; non enim videtur esse S. Augustinus) lib. *De Amicit.*, cap. III :

Gnomæ de amicitiæ probatione per adversa

> Non est personæ, sed prosperitatis amicus,
> Quem fortuna tenet dulcis, acerba fugat.

Isocrates apud Maximum : « Amicos, inquit, ex vitæ calamitate, et periculorum participatione probato; aurum enim igne probamus, amicos autem in rebus adversis dignoscimus. » Ab Isocrate sumpsit hoc Ovidius :

> Scilicet, ut fulvum spectatur in ignibus aurum
> Tempore sic duro est inspicienda fides.

Sicut Zeuxis, morose pingens, tarditatem ejus mirantibus respondit, se æternitati pingere : ita multo tempore multisque adversis probata amicitia, perdurabit, ait Plutarchus *De Multitud. amic.* Hinc Antisthenes apud Laertium lib. II, cap. VIII : « Sicut vasa, inquit, explorantur pulsu et tinnitu, sic amicorum fides exploranda est tribulatione et rebus adversis. » Et Plutarchus : « Sicut navis compagem probat tempestas : si enim sit firma et valida, illi resistet; sin autem, fatiscet et dissiliet : sic amici probandi sunt malorum incursu. » Unde subdit Siracides : « Et non facile credas ei teipsum. » Quia, ut sapienter ait Antiochus Abbas *homil.* 65, « cuilibet obvio concredere sui pectoris arcanum, peculiare est animæ prorsus ineruditæ, et quæ nihilum experta est decoris et honestatis. » Rationem a priori subjicit dicens : « Est enim amicus secundum tempus suum, et non permanebit in tempore tribulationis. » Nam, ut ait Seneca ad Lucilium *epist.* 9 : « In quid, amicum paro? ut habeam, pro quo mori possim; ut habeam, quem in exilium sequar. Detrahit amicitiæ majestatem suam, qui illam parat ad casus. »

Porro Arabum proverbium, *Centuria* 2, num. 83 : « Adjuva fratrem (amicum) tuum injuriam facientem, aut patientem, » impium est et antichristianum : omne enim patrocinium injuriæ et sceleris, injuria et scelus est; proinde amici, qui amicos suo principi rebelles ad rebellandum injuste adjuvant, rebellionem auctorant, ideoque lege talionis merentur, ut et ipsi sibi subditos experiantur perduelles : atque hæc amicitia durare nequit; illico enim dissuitur, quod scelere consutum est. « Amicus » ergo « esto amico, » sed « usque ad aras. » Audi S. Hieronymum in *Michææ*, cap. VII : « Sed et nunc, ait, rara fides est, cum aliud in labiis, aliud in corde versatur; venenum animi, linguæ mella tegunt. Amici divitum multi; a pauperibus autem, etiam qui videntur esse, discedunt. Unde dicitur : Si habes amicum, in tentatione posside eum. Legi in cujusdam controversia : Amicus diu quæritur, vix invenitur, difficile servatur. Scripsit Theophrastus tria de amicitia volumina, omni eam præferens charitati; et tamen raram in rebus esse contestatus est. » Subdit deinde : « Est et Ciceronis de amicitia liber, quem Lælium inscripsit, in quo illud, quod apud nostros præcipitur, ut sit nobis amicus quasi vinum vetus, et in suavitate bibamus illud, pene eisdem verbis positum est. Amicitia pares aut accipit, aut facit : ubi inæqualitas est, et alterius eminentia, alterius subjectio, ibi non tam amicitia, quam adulatio est. Unde et alibi legimus : Sit amicus eadem anima. Et Lyricus pro amico precans : Serves, inquit, animæ dimidium meæ. Nolite ergo credere in amicis, id est, his hominibus qui de amicitiis sectantur lucra. Si vis vera amicitia delectari, esto amicus Dei; sicut Moses, qui loquebatur Deo quasi amicus ad amicum. »

Secundo, τὸ *posside* per metalepsin accipi posset pro *utere* quasi possessione tua : quæ enim possidemus, ea possidemus ad usum, *q. d.* « In tentatione, » id est, dum tentaris, tribularis, affligeris, tunc recurre ad amicum, ejusque auxilio et consilio utere, ut ex tribulatione emergas; qui enim tribulatur et tentatur, sibi non sufficit, nec suo judicio fidere debet, sed amici. Verum prior sensus potior et germanior est, ut patet ex causa quam subdit dicens :

Vers. 8. 8. EST ENIM AMICUS SECUNDUM TEMPUS SUUM, ET NON PERMANEBIT IN DIE TRIBULATIONIS. — Dat causam cur ante amicitiam probandus sit amicus : quia, scilicet, multi sunt amici « secundum tempus suum, » id est, cum eis est opportunum et commodum, cum, scilicet, alterius ope et amicitia indigent, ut quod optant, consequantur, qui idipsum adepti et votis potiti abeunt, et amicum in tribulatione derelinquunt. Sic Alfonsus, Aragonum rex, testibus Panormitano et Ænea Sylvio in ejus Vita, amicos aulam frequentantes, ut officium vel beneficium aliquod obtinerent, vocabat vultures aulæ, qui, eo quod quærebant adepto, illico avolarent. Huc facit illud tritum :

Vulgus amicitias utilitate probat.

Unde Syrus vertit, *est amicus ad horam*, id est horarius, *et non permanet in tempore tribulationis. In bonis tuis est sicut tu, et in malis tuis elongat se a te. Si cecideris, convertetur in te, et a conspectu tuo digredietur et abscondetur.* Tigurina, *sunt enim amici, quamdiu sibi opportunum est, qui tibi desint tempore calamitatis tuæ* Sapienter Aristoteles lib. VIII *Ethic.* cap. IV : « Vera, ait, amicitia est, non quam utilitas, aut necessitas; sed quam virtus et honestas conciliant. » Idem, lib. VII *Moral. Eudem.* : « Amicitia, ait, virtute, non pecuniis aut forma concilianda est. Etenim, si rebus caducis concilietur, caduca sit et ipsa necesse est. Nihil autem in rebus humanis est stabile præter unam virtutem, quæ sola fortunæ ludibriis non est obnoxia. » Et Seneca in *Proverb.* : « Talem diligentiam exhibe in amicitiis comparandis, ne incipias amare, quem deinceps possis odisse. Tu primum exhibe te bonum, et sic quæras alterum tui similem. Turpius nihil est quam cum eo bellum gerere, cum quo familiariter vixeris. » Divinius S. Augustinus (vel auctor) lib. *De Amicitia* : « Amicitia mundialis, ait, est plena fraudis atque fallaciæ; nihil in ea certum, nihil constans, nihil securum; sed cum fortuna mutatur, et sequitur marsupium. Unde Salomon (Siracides Salomonis assecla) dicit : Est amicus secundum tempus, et non permanebit in tempore tribulationis. Tolle spem quæstus, et statim desinet esse amicus. » Et Isidorus Pelusiota, lib. III, *epist.* 211 : « Inimicitiam, ait, in aqua scribere oportet, ut illico aboleatur; amicitiam autem in æs incidere oportet, ut perpetuo firma conservetur. »

9. ET EST AMICUS, QUI CONVERTITUR AD INIMICITIAM. Vers. 9. — Hoc est secundum genus pseudo-amicorum, qui scilicet, ob levem offensam, ex amicis fiunt inimici. Sunt enim aliqui adeo vel arrogantes, vel delicati, vel debiles, vel morosi, ut re minima quæ displiceat, offendantur, fiantque inimici. « Quidam inimici graves sunt, amici leves, » ait Seneca in *Proverb.* Cum talibus non est ineunda amicitia; verum enim est proverbium, quod recitat Livius lib. X *De Bello Macedon.* : « Amicitias immortales, inimicitias mortales esse debere. » Verum eo prolapsi sunt mores hominum, ut simultates sint immortales, amicitiæ plus quam vitreæ; plusque possit una Ate, quam centum Litæ; atque omnium tardissime senescat ira, benevolentia vero ad quamvis levem occasionem intereat. Idem censuit Aristoteles lib. II *Rhetor.* : « Non est amicus, inquit, quisquis amare desiit. » Quocirca « mores amici noveris, non oderis, » ut vulgo dicitur : nimirum, in amicorum moribus quædam dissimulanda sunt, sic ut intelligantur quidem, sed tamen tolerentur, ne severior et oculatior in observandis amici malis, subvertas amicitiam; siquidem nulli futurus est amicus, qui nihil vitiorum in amico ferre possit. Denique celebris est gnome Aristotelis lib. VII *Moral. Eudem.* : « Amicitia est stabilium, felicitas temperantium, » id est, eorum qui sua sorte contenti vivunt. Porro, sicut ex fortissimo vino fortissimum fit acetum : sic, si acescat amicitia, summa fit inimicitia, tum quia læsio, quæ fit ab amico, est gravissima et intime pungens; tum quia, quantus præcessit amor, tantum subsequitur odium, cum amor vertitur in odium. Unde Plinius lib. XXXVII, cap. IV : « Ut adamas, inquit, si frangi contingat malleis, in minutissimas dissilit crustas, adeo ut vix oculis cerni queant : ita arctissima necessitudo, si quando contingat dirimi, in summam vertitur simultatem, et ex arctissimis fœderibus, si semel rumpuntur, maxima nascuntur dissidia. »

ET EST AMICUS, QUI ODIUM, ET RIXAM, ET CONVICIA DENUDABIT. — Hæc sententia præcedentem explicat, *q. d.* Est, inquam, amicus, qui leviter ex amico conversus in inimicum, uti præcessit, revelabit tua secreta sibi a te communicata, præsertim convicia et probra, quæ in odio et rixa in alium effudisti, vel alius in te effudit. In Græco enim non est τὸ *amicus;* sed unica sententia hoc modo : *et est amicus, qui convertitur ad inimicitiam, et rixam opprobrii tui denudabit;* vel, ut vertit Tigurina, *sunt item amici, qui in inimicos conversi, opprobrium tuum per rixam proferant*, qui, scilicet, leviter rixantes tecum, in rixa tua secreta et probra occulta propalent, ut sit hypallage : « rixam opprobrii, » id est, « opprobrium rixæ, » id est, opprobrium in rixa, per rixam proferant. Hæc amicitia est feminea : masculi enim amoris est, ab amico offensum, in amicitia perseverare. Qui enim penitus amat, et quasi in naturam amoris transiit, is quan-

tumlibet offensus, et conviciis proscissus, non concipiet odium; imo sentiet sibi amorem accendi, velut fornax accensa, cui aliquantum inspergitur aquæ; et velut ignis, qui flabello agitatus magis inardescit. Unde S. Hieronymus epistol. 41 *ad Ruffinum* : « Amicitia, inquit, quæ desinere potest, vera nunquam fuit. » Et S. Chrysostomus, homil. 61 *in Matth.* : « Charitas, inquit, quæ Christi causa fundatur, firma, stabilis atque invicta est, nec ulla obtrectatione, ullis periculis, non morte, non alia re temporali conquassatur. » Et Cassianus, *Collat.* XVI, cap. III : « Hæc amicitia, ait, sola similitudine virtutum juncta est, quæ in nullis unquam casibus scinditur; quam non solum dissociare vel delere locorum vel temporum intervalla non prævalent, sed ne mors quidem divellit. »

Vers. 10. 10. EST AUTEM AMICUS SOCIUS MENSÆ (Græce, *particeps mensarum*), ET NON PERMANEBIT IN DIE NECESSITATIS. — Græce θλίψεως, id est *afflictionis*; Vatablus, *est amicus quispiam, ut mensæ sit particeps, qui tempore calamitatis tuæ te deserat.* Tales vulgo vocantur amici ollares et parasiti, quibus aulæ æque ac popinæ abundant. Hæc enim est ollæ amicitia, quam patina non benevolentia conciliat, cui illud occinitur : ζεῖ χύτρα, ζῇ φιλία, « fervet olla, vivit amicitia, » de qua Juvenalis :

Te putat ille suæ captum nidore culinæ,
Nec male conjectant.

Hos Eupolis vocat « amicos inter prandium, et juxta sartaginem. » Huc facit adverbium Hebraicum in *Gemara* : « Ad ostium tabernæ fratres et amici : ad ostium carceris, neque fratres, neque amici, » *q. d.* Ad fores cœnopolii et tabernæ omnes præsto sunt, salutantes officiose tabernarium, ut possint cum eo simul potare : at si viderint hominem capi et duci in carcerem, illico omnes ab eo diffugiunt; imo ne unus quidem ad eum respicit, juxta illud Poetæ :

Donec eris felix, multos numerabis amicos :
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Nam, ut hirundines æstivo tempore præsto sunt, frigore pulsæ recedunt : ita tales amici sereno vitæ tempore præsto sunt; sed simul atque hiemem fortunæ senserint, devolant omnes, ait auctor ad Herennium lib. IV. Sic et Seneca ac Pythagoras infidos amicos comparant hirundinibus.

Est hæc tertia species pseudoamicorum, qui non tui, sed sui ventris et gulæ sunt amici, ac proinde ea deficiente pariter deficiunt. Verum enim est illud : « Felicitas multos habet amicos. » Et : « Felicibus cognatus est quilibet. » Ex adverso : « Periit honor amicorum afflicto viro, paucique in rebus adversis fidi mortales ad laboris societatem, » ait Pindarus in *Nemæis*, ode 10. Huc pertinet proverbium Hebræum : « In domo sua hospes, in aliena pater familias. » Est enim genus hominum, qui domi parcimoniam colunt, foris luxu diffluunt; quoniam aliena vorant ut sua, et suis parcunt ut alienis; in propria mensa formicæ, in aliena vultures, cujusmodi Demea fingitur in *Adelphis* Terentii. Præclare Cicero *De Amicit.* : « Plerique, ait, in rebus humanis bonum non norunt, nisi quod fructuosum sit; et amicos, tanquam pecudes, eos potissimum diligunt, ex quibus sperant se maximum fructum esse capturos; ita pulcherrima illa, et maxime naturali carent amicitia per se, et propter se expetenda. »

Vers. 11. 11. AMICUS SI PERMANSERIT FIXUS, ERIT TIBI QUASI COÆQUALIS, ET IN DOMESTICIS TUIS FIDUCIALITER AGET. — Post diversas species, quibus falsos amicos expressit, ad veri amici pervenit demonstrationem, ait Rabanus. Sensus est, *q. d.* Ubi inveneris fidum firmumque amicum, habeto eum ut æqualem, esto eo sis major, cum eoque age familiariter quasi cum æquali. Nam, ut ait Alcuinus, sive Albinus Flaccus, disp. cum Pipino, Caroli Magni filio : « Quid est amicitia? Æqualitas amicorum. » Est enim « amicus, alter ego, » ait Aristoteles, et amicitia æquales aut invenit, aut efficit, ait Cicero lib. *De Amicitia* : ac proinde permitte ei, ut inter domesticos tuos libere agat, eos vice tui monens, juvans, dirigens, quasi causam tuam agens, et de commodis tuis sollicitus. Unde, cum Darii uxor, Hephæstionem putans Alexandrum venerata, errore agnito pudefieret, Alexander eam consolans : « Ne moleste feras, inquit, nam et hic Alexander est. » Ita Curtius in *Vita Alexandri*.

Vers. 12. 12. SI HUMILIAVERIT SE CONTRA (id est, coram) TE, ET A FACIE TUA ABSCONDERIT SE (ex modestia, verecundia et reverentia subinde subducens se, nihilominus) UNANIMEM (id est, per omnia consentientem) HABEBIS AMICITIAM BONAM. — *q. d.* Esto amicus tuus sit verecundior et modestior, non idcirco eum parvipendas, sed potius eo chariorem habeto; quia, cum jure amicitiæ posset amica erga te libertate uti, tamen ex modestia ea abstinet; imo hoc ipso magis agnoscere debes bonam et unanimem ejus amicitiam, de eaque tibi gratulari, quod, scilicet, se tibi subjiciat, teque honoret et revereatur, quasi tibi subditus, cum sit æqualis. Subditi enim sinceri, quia obedientes, magis sunt unanimes cum superiore suo, quem amant et reverentur, quam amicus cum amico sibi æquali. Alludit ad illud *Proverb.* XVIII, 24 : « Vir amabilis ad societatem, magis amicus erit quam frater, » de quo plura ibidem. Huc facit proverbium Arabicum, quod exstat *Centur.* 2, num. 75 : « Cum fuerit amicus tuus mel, ne comederis eum totum. » Multi enim abutuntur bonitate et liberalitate amicorum. Et Cicero, lib. *De Amicit.* : « Amici, ait, non solum colent inter se ac diligent, sed etiam verebuntur : nam maximum ornamentum amicitiæ tollit, qui ex ea tollit verecundiam. »

Secundo, Palacius sic exponit, *q. d.* Sicubi contingat amicum tuum errasse, et præ errati pudore

humiliat ille se coram te, ac ex verecundia vultum abscondit, id boni amici et amicitiæ certum habeto signum. Desperata enim est sanitas amici, quem sui peccati non pudet. *Tertio*, idem, *q. d.* Amicus, qui tua commoda absens gerit, unanimis habendus est; qui res tuas acturus humiliat, declinat et abscondit se a te, is verus amicus habendus est.

Rabanus et eum secutus Jansenius, priorem versum, undecimum scilicet, referunt ad verum amicum; posteriorem vero hunc duodecimum referunt ad fictum, sic enim legunt: « Si humiliaverit (amicus fictus ficte) se contra te, a facie tua abscondet se, » in tempore necessitatis se suamque opem tibi subducet. Igitur « unanimem habebis (id est, habeto, et quærito) amicitiam bonam. » Ratio eorum est, quia hic sensus magis accedit ad textum Græcum. Verum hæc dura, hiulca et distorta videntur, multaque supplent, quæ in textu non habentur: imo a lectione Vulgata dissentiunt. Accedit, quod vers. 12 nulla ficti amici fiat mentio, quodque versus ille plane pendeat a vers. 11, quo agitur de amico vero. Igitur de eodem uterque versus accipiendus est eo sensu quem initio recensui.

Porro Græca hic tam a Rabano quam a Vulgata versione toto cœlo distant, eique quasi contraria sunt; omnia enim hæc accipiunt de amico falso, qui est socius mensæ, de quo dictum est vers. 10. De eo ergo sic dicitur vers. 11 et 12 : « Rebus tuis secundis erit sicut tu (*tibi blandietur, tibi se accommodabit, tuo more se geret*, ait Vatablus), et in domesticos utetur libertate. (Vatablus, *potestatem exercebit quasi rem tuam agens*). Quod si dejectus, » humiliatus, afflictus « fueris, erit contra te, et a facie tua occultabitur. » Græcum de more sequitur Syrus; sic enim vertit, *in bonis tuis est sicut tu, et in malis tuis elongat se a te; si ceciderit, convertitur in te, et a conspectu tuo digredietur et abscondetur.*

Nota : Amicitiam veram indigitat *unanimem*, tum quia « ubi unanimitas est inter amicos, ibi stabilitas est amicitiæ, » ait Rabanus; tum quia amicorum est idem velle, idem nolle, hoc est, esse unanimes, et consentire judicio, æque ac voluntate; tum quia gustus, sapor, dulcedo, medulla et quasi anima amicitiæ est amicorum concordia et unanimitas. « Quid enim est amicus, nisi consors amoris, ad quem animum tuum adjungas atque applices, et ita misceas, ut unum velis ex duobus? cui te tanquam alteri tibi committas? Non enim vectigalis est amicitia, sed plena decoris, plena gratiæ et virtutis, » ait Rabanus. Et Abbas Joseph apud Cassianum, *Collat*, XVI, quæ est de amicitia, cap. III : « Hæc est, ait, amicitiæ fida insolubilisque conjunctio, quæ sola virtutum parilitate fundatur; Dominus enim inhabitare facit unius moris in domo, *Psalm.* LXVII. Et idcirco in his tantum indirupta potest dilectio permanere, in quibus unum propositum ac voluntas, unum velle ac nolle consistit. Quam si vos quoque cupitis inviolabilem retentare, festinandum est vobis, ut, expulsis primitus vitiis, mortificetis proprias voluntates; et ut unito studio atque proposito, illud, quo Propheta admodum delectatur, gnaviter impleatis : Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum! » *Psalm.* CXXXII. Vide eum cap. sequenti, ubi quinque ad hanc unanimitatem media suggerit : *primum* est contemptus opum et mundi ; *secundum*, mortificatio voluntatis ; *tertium*, ut omnia postponat bono charitatis et pacis ; *quartum*, ut credat, nec justis, nec injustis de causis penitus irascendum; *quintum*, ut fratris iracundiam adversus se etiam sine ratione conceptam eodem modo quo suam, curare desideret. Denique, ut se de hoc mundo credat quotidie migraturum. Causam vero initio capitis III præmittit dicens: « In his igitur cunctis unum est genus insolubile charitatis, quod nec commendationis gratia, nec officii vel munerum magnitudo, contractusque cujusquam ratio, vel naturæ necessitas jungit, sed sola virtutum similitudo. »

Amicitiæ definitio.

Quin et Cicero, lib. *De Amicitia*, eam sic definit : « Est autem amicitia nihil aliud, nisi omnium divinarum humanarumque rerum cum benevolentia et charitate summa consensio. » Rursum: « Amicitia est sanctissima ilia et familiarissima cunjunctio inter duos aut tres, ex mutuo amore conflata, in qua est omnium studiorum ac voluntatum summa consensio. Amicitiæ vis in eo est, ut unus quasi animus fiat ex pluribus. »

Præclarius S. Ambrosius, lib. III *Officior.*, in fine: « Qui est unanimis, inquit, ipse amicus est, quod unitas animorum in amicis sit; neque quisquam detestabilior, quam qui amicitiam læserit. Unde in proditore Dominus hoc gravissimum invenit, quo ejus condemnaret perfidiam, quod gratiæ vicem non repræsentaverit, et conviviis amicitiæ venenum malitiæ miscuerit. Itaque sic ait: Tu vero homo unanimis, dux meus et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos. Hoc est, non potest sustineri istud, quia unanimis appetisti eum qui tibi donaverat gratiam. Nam, si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, et ab eo qui me oderat, absconderem me. Inimicus vitari potest, amicus non potest, si insidiari velit. Illum cavemus, cui non committimus consilia nostra; hunc caveri non possumus, cui commisimus. Itaque ad acervandam peccati invidiam non dixit: Tu vero servus meus, Apostolus meus, sed, Unanimis meus: hoc est, non meus, sed etiam tuus proditor es, qui unanimum prodidisti. »

Amicitiæ descriptiones variæ.

Ex dictis colligas amicitiam varie posse describi et definiri. Nonnulli veterum, ait Aristoteles lib. VIII *Ethic.* cap. I, amicitiam definiverunt esse similitudinem. Sed similitudo est causa amicitiæ, non ipsa amicitia. Hesiodus apud Platonem in *Lyside*: « Amicitia, inquit, est consensio similium. » Alii ex adverso : « Amicitia, inquiunt, est

consensio dissimilium. » Plato ibidem : « Amor, ait, et amicitia, est appetitio ejus, quod proprium et cognatum est, ex indigentia consurgens. » Verum hæc definitio nimis lata est, et cuivis amori competit. Cicero, lib. *De Amicitia* : » Amicitia est voluntatum, studiorum sententiarumque summa consensio. » Hæc descriptio potius ex fructibus et effectibus amicitiæ, quam essentiæ ejus definitio. Aristoteles, lib. VIII *Ethic.* cap. II et VII : « Amicitia, inquit, est, amicum amico velle bona ejus ipsius causa, non latenter, sed aperte » amorem suum amico manifestando.

S. Augustinus (vel quisquis est auctor : ex stylo enim liquet non esse S. Augustinum), lib. *De Amicitia*, cap. VII : « Ego, ait, amicitiam nihil aliud esse credo, quam inter duos tantam voluntatum societatem, ut nihil velit unus, quod alter nolit : et ea sit inter utrosque in bonis malisque consensio, et non spes, non census, non honor, non quidquam, quod alterius sit, alteri denegetur, ad vovendum pro voluntate, et ad utendum, ut unusquisque, sicut erga se, ita afficiatur erga proximum in omni officio et obsequio, quod rependant invicem. » Brevius alii : « Amicitia est summus quidam tempore et consuetudine confirmatus amor mutuus duorum, aut ad summum trium, ex morum virtutisque similitudine profectus. » Alii plenius magisque diserte et dialectice : « Amicitia est proborum hominum mutuus, conspicuus confirmatusque amor, ex probitatis cognitione consurgens, ad vitæ honestæ conjunctionem perducens. » Ecce hic sunt omnes amicitiæ causæ. Formalis, est mutuus amor ; materialis, sunt duo, vel tres invicem amantes ; efficiens, est probitatis cognitio ; finalis, « ad vitæ honestæ conjunctionem perducens. » Rursum S. Augustinus, lib. III *Contra Academ.* cap. VI, in fine : « Amicitia, ait, rectissime atque sanctissime definita est (a Cicerone), rerum humanarum et divinarum cum benevolentia et charitate consensio. »

Vers. 13. 13. AB INIMICIS TUIS SEPARARE, ET AB AMICIS TUIS ATTENDE. — Est hæc quasi conclusio dictorum de amicis veris et fictis, *q. d.* Igitur, quos nosti tibi inimicos, devita caveque in omnibus, ne tibi ulla in re nocere valeant ; amicis vero ne nimis confidas, tum quia multi sunt falsi fictique amici, aut ex amicis mutantur in inimicos, uti præcessit ; tum quia amici subinde seipsos quærunt, et nimia libertate ac licentia, amici incommodo ad sua commoda abutuntur. Syrus, *ab inimico tuo elongare, et ab amico tuo esto cautus.* Hinc illud Poetæ :

Fallere difficile est inimicum : at amicus amicum
Fallere non magno, Cyrne, labore potest.

Antigonus rex, teste Plutarcho, quotidie rogabat Deum, ut se ab amicis protegeret ; rogantibus cur non potius ab inimicis, respondit : Quia hos cognitos vitare possum, illos vero fictos et fucatos cavere non possum.

Vatablus vertit, *inimicos tuos devita, et ab amicis cave tibi.* Nihil ergo coram, vel cum inimicis age, nihil loquere, nisi bene præmeditatum. Nam livor et odium eorum omnia tua facta et dicta sinistre interpretatur, omnia in pejorem partem torquet, carpit, accusat, damnat ; sapiens tamen iis omnibus sapienter uti novit, omniaque in suum commodum convertit, vertit, memor illius dicti Catonis apud Ciceronem, lib. *De Amicit.* : « Melius in quibusdam acerbi inimici merentur, quam ii amici, qui dulces videntur : illi enim sæpe verum dicunt, hi nunquam. Nulla enim in amicitiis pestis est major, quam adulatio, blanditia, assentatio ; delet enim veritatem, sine qua nomen amicitiæ valere non potest. » Porro S. Ambrosius, lib. *De Bono mortis*, cap. VII, hunc locum sic legit et explicat mystice : « Non credamus nos huic corpori, non misceamus cum eo animam nostram : Cum amico, inquit, misce animam tuam, non cum inimico. Inimicum tibi est corpus tuum, quod repugnat menti tuæ, cujus opera inimicitiæ, dissensiones, lites perturbationesque. Noli cum eo miscere animam tuam, ne utrumque confundas. »

Nota τὸ *et ab amicis tuis attende.* Significat enim subinde perfidos, subinde infidos, esse vel fieri amicos, ut proinde eis non sit fidendum, præsertim ubi res propria agitur. Exstat hac de re insignis apologus apud Gellium, lib. II, cap. XXIX, cassitæ (alaudæ), quæ nidum et pullos collocarat in segete ; cumque herus eam demessurus convocaret amicos, deinde vicinos, cassita pullos monuit ut secure consisterent ; nihil enim effectum iri. Ita factum : amici enim et vicini suis occupati non venere ad metendum. Id videns herus detestatus amicorum infidam societatem, dixit filio : « Affer prima luce duas falces : unam egomet mihi, et tu tibi capies alteram : et frumentum nosmetipsi manibus nostris cras metemus. Id ubi ex pullis dixisse dominum mater audivit : Tempus, inquit, est cedendi et abeundi : fiet nunc dubio procul, quod futurum dixit. In ipso enim jam vertitur, cuja res est : non in alio, unde petitur. Atque ita cassita nidum migravit, et seges a domino demessa est. Hæc quidem est Æsopi fabula de amicorum et propinquorum levi et inani fiducia. Sed, quid aliud sanctiores libri Philosophorum monent, quam ut in nobis tantum ipsis nitamur ? alia autem omnia, quæ extra nos, extraque nostrum animum sunt, neque pro nostris, neque pro nobis ducamus ? Hunc Æsopi apologum Ennius in *Satyris* scite admodum et venuste versibus quadratis composuit, quorum duo postremi isti sunt : quos habere cordi et memoriæ operæ pretium esse hercle puto :

Apologus alaudæ.

Hoc erit tibi argumentum semper in promptu situm :
Ne quid expectes amicos, quod tu agere possis. »

Huc usque Gellius. Huc facit Italorum adagium : « Qui vuole, anda ; qui non vuole, manda. »

hoc est, qui efficaciter vult, ipse vadit ad rem conficiendam : qui non vult, mittit amicos vel famulos.

vers. 14. 14. AMICUS FIDELIS, PROTECTIO FORTIS : QUI AUTEM INVENIT ILLUM, INVENIT THESAURUM. — Græce εὕρῃ, id est *invenit*, in præterito ; Syrus, *amicus veritatis*, (id est verus), *amicus est fortitudinis* (id est, fortis, imo quasi ipsa fortitudo et robur amici); *et qui illum inveniunt, inveniunt thesaurum ;* Vatablus, *amicus fidus præsidium validum est : qui talem nactus est, thesaurum invenit.*

Commoda amicitiæ. Primum. Incipit hic recensere commoda et elogia veræ amicitiæ. *Primum* est, quod sit « protectio fortis ; » Græce σκέπη κραταιά, id est, *tegmen*, tegumentum, velamentum, tutela, præsidium (σκέπω enim est tego, operio, munio, prætexo) forte, robustum, validum, firmum, potens, violentum, quod omnia vincat et superet. S. Gregorius Nazianzenus orat. 6 *ad Gregorium Nyssenum* : « Amicus, inquit, fidelis protectio fortis, munitum palatium. » Et inferius : « Amicus fidelis, solatii portus. » Et alibi « asylum tutissimum » nuncupat, « navemque contra omnes tempestates munitissimam. » Sic et Isidorus Pelusiota amicitiam vocat « panopliam fortissimam. » Causa est, quam dat Cicero lib. *De Amicit.* : « Inter amicos, ait, omnium rerum, consiliorum et voluntatum sine ulla exceptione fit communitas. » Et Seneca, *epist.* 48 : « Consortium rerum omnium facit amicitia. » Et lib. VI *De Benefic.* cap. XII : « Non sic mihi cum amico communia omnia sunt, quomodo cum socio, ut pars mea sit pars illius ; sed quomodo patri matrique communes sunt liberi. »

Amicus ergo fidus amici non tantum substantiam et famam, si illa a raptore vel detractore lædatur, tam verbo quam consilio et auxilio protegit ; sed et vitam, conscientiam et animam a morte præsenti et æterna tuetur, imo vitam propriam pro amici vita discrimini exponit, uti fecere Nisus et Euryalus apud Virgilium IX *Æneid.*, Pylades et Orestes, Damon et Pythias, teste S. Ambrosio lib. II. *De Virgin.*, ac præstantius S. Basilius et S. Gregorius Nazianzenus, de quo idem orat. 20 *in S. Basil.* : « Nec nobiscum, ait, Gentiles Orestes suos et Pylades ullo modo conferendos putabant, nec Melionidas illos Homerico versu celebratos, quos calamitatis societas atque ars egregie aurigandi nobilitavit, eodem tempore frena et verbera inter se partientes. » Sic Abraham ostendit se amicum Lot, dum eum cum vitæ suæ periculo e manibus hostium liberavit, *Genes.* XIV ; et Chusai Davidi, cum Achitophelis consilia apud Absalonem Davidem patrem persequentem discussit II *Regum* XVII. Sic Jonathas Davidem amicum apud Saulem ab omni injuria protexit, juxta illud *Eccli.* IV, 10 : « Si unus ceciderit, ab altero fulcietur, etc. Et si quispiam prævaluerit contra unum, duo resistunt ei : funiculus triplex difficile rumpitur. »

Porro nullus justo est amicus fidelior et fortior Deo. Hic ergo ejus est fortis protectio, arx et asylum in omni tentatione et adversitate, juxta illud *Psalm.* XC, vers. 1 : « Qui habitat in adjutorio (Hebr. *in latibulo ;* Chaldæus, *in secreto ;* Hieronymus, *in abscondito Excelsi*) Altissimi, in protectione (S. Hieronymus, *in umbraculo ;* Chaldæus, *in umbra millium gloriæ, omnipotentis*) Dei cœli (Hebræice *Saddai*, id est, sufficientissimi, qui sufficit protegere contra omnia mala, et dare omnia bona, ut justus Dei ope nixus nihil sub cœlo timeat, ait S. Bernardus) commorabitur (Hebræus, *pernoctabit*, noctu securus erit). Dicet Domino : Susceptor meus es tu, et refugium meum : Deus meus, sperabo in eum. Quoniam ipse liberabit me de laqueo venantium et a verbo aspero, scapulis suis obumbrabit tibi. » Lege sequentia. Vide S. Augustinum, *homil.* 38 inter 50, ubi docet veram amicitiam non esse, nisi quæ Deo nititur et conciliatur : « Incipiat, ait, homo amare Deum, et non amabit in homine nisi Deum. Nihil delectabilius Deo. Nam in homine sunt quæ offendant : Deus non est, qui te offendat, si tu eum non offendas : nihil illo pulchrius, nihil dulcius. Si pulcher est mundus, qualis artifex mundi ? Evelle ergo cor tuum ab amore creaturæ, ut inhæreas Creatori, ut dicas quod in psalmo scriptum est : Mihi autem adhærere Deo bonum est. Si autem deseris eum qui te fecit, et amas illa quæ fecit, deserto illo qui te fecit, adulter es, etc. Amicum gratis amas, et ad hoc cum amas, ut tecum amet Deum. » Hæc et plura sparsim eo loco S. Augustinus. Idem serm. 256 *De Temp.* : « Dominum, ait, amemus, quo nihil melius invenimus : ipsum amemus propter ipsum, et nos in ipso, tamen propter ipsum. Ille enim veraciter amat amicum, qui Deum amat in amico, aut quia est in illo, aut ut sit in illo. Hæc est vera dilectio : propter aliud si nos diligimus, oderimus potius quam diligimus. » Idem (vel quisquis est auctor, stylus enim humilior et jejunior arguit non esse S. Augustinum), lib. *De Amicitia*, tom. IV : « Constat mihi, inquit, Tullium veræ amicitiæ ignorasse virtutem, cum ejus principium finemque, Christum, penitus ignorarit, qui est α et ω, principium et finis omnium laborum. Vera amicitia non potest esse inter eos qui sine Christo sunt. » Et S. Ambrosius, lib. III *Officior.* cap. XV. « Non potest homini amicus esse, qui Deo fuerit infidus. Pietas custos amicitia est. »

Secundum amicitiæ commodum est, quod ipsa amico sit thesaurus, id est, res pretiosa, dives, opulenta, quæ illi rerum copiam, æque ac voluptatem afferat. Quocirca Cyrus apud Xenophontem ait, « optime pecunias apud amicos deponi, neque ullos his tutiores ac fideliores esse thesauros. » Et Seneca : « Hæ sunt divitiæ certæ, inquit, in quacumque sortis humanæ levitate uno loco permansuræ : quæ quo majores fuerint, hoc minorem habebunt invidiam. » Alexander Magnus rogatus ubi thesauros haberet : « In ami-

cis, » inquit. Ita Maximus, serm. *De Amicitia.* Huc facit illud Comici : « Cum sunt amici, esse tibi thesauros putes. » Sicut enim ex thesauro depromis non solum necessaria, sed et utilia ac jucunda ad usum : sic et ex amico ejusque opibus et dotibus. Unde illud *Cantic.* IV, vers. 12 : « Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. » S. Gregorius Nazianzenus orat. *ad Gregorium Nyssenum* id explicat de fido amico : « Amicus, inquit, fidelis, hortus conclusus, fons obsignatus : quæ opportune aperiuntur et communicantur, » *q. d.* Sicut ex horto fructus, ex fonte aquam, cum libet, hauris et depromis : sic et ex amico accipis omnia ad vitam opportuna. Quin et Cicero lib. *De Amicit.* : « Multæ sunt res, inquit, in quibus de suis commodis boni viri multa detrahunt, et detrahi permittunt, ut ipsis potius amici fruantur, quam ipsi. »

Amicitiæ leges octodecim.

Quantus sit amicitiæ thesaurus, liquet ex ejus officiis et legibus, quas tum alii, tum Cicero recenset lib. *De Amicit. Prima,* ait, lex in amicitia sancienda esto, ut neque rogemus res turpes, neque faciamus rogati. *Secunda,* in amicitia nihil fictum, nihil simulatum sit, et quiquid sit, id verum et voluntarium sit. *Tertia,* in vera amicitia nihilo se plus alter, quam alterum diligat. *Quarta,* præcipiendum in amicitia, ne intemperata benevolentia (quod sæpe fit) impediat magnas utilitates amicorum. *Quinta,* amicitia non est ad fructum nostrum referenda, sed ad illius commoda, quem diligimus : alioqui non erit ista amicitia, sed mercatura quædam utilitatum suarum. *Sexta,* non utilitatem amicitia, sed amicitiam utilitas sequitur. *Septima,* amicitia nunquam intempestiva, nunquam molesta sit. *Octava,* amicitia virtutum adjutrix a natura data est, non vitiorum comes. *Nona,* amicitia summa fide, constantia, justitia servanda est. *Decima,* in amicitia superior par esse debet inferiori. *Undecima,* nimiæ amicitiæ fugiendæ, ne necesse sit unum sollicitum esse pro pluribus. *Duodecima,* amicitiæ non debet esse satietas, et veterrimæ amicitiæ debent esse suavissimæ. *Decima tertia,* amici sæpe monendi et objurgandi sunt. *Decima quarta,* amicitiæ, quæ minus probantur, sensim dissuendæ sunt, non repente præcidendæ, ut censuit Cato. *Decima quinta,* amicitia poscit mutuas salutationes, officia, affabilitatem, alloquia. Nam, ut ait Aristoteles lib VIII *Ethic.* cap. V : « Multas amicitias dissolvit ἀπροσηγορία, id est *taciturnitas,* vel *inaffabilitas. Decima sexta,* amicus amico in lætis congaudere, in tristibus condolere debet, eumque omni ope et opera sublevare. Nam, ut ait Diogenes, « amicorum et deorum omnia sunt communia. » Et Plutarchus, lib. III *Symposiac.,* quæst. X : « Amici ad salem et cuminum, » ut, scilicet, pauperiem mutuam tolerent et sustentent, paratique sint sale et cumino duntaxat propositis una cœnare. *Decima septima,* amicus amici odia, incommoda, dispendia, etc., in se suscipiat. Unde Chilon, ait Plutarchus lib. *De Multitudine amic.,* cuidam dicenti nullam se habere inimicum, respondit : « Videris mihi tu etiam nullum habere amicum. Inimicitiæ quippe statim comitantur amicitias, iisque se implicant : neque fieri potest, ut amici non fiant injuriarum, ignominiarum odiorumque participes : inimici enim amicum ejus quem oderunt, suspectum habent, maleque ei cupiunt. » *Decima octava,* amicus amici moribus, sensibus, votis, quoad licet, se accommodet. Nam, ut ait ibidem Plutarchus : « Concentus quidem nervorum ex contrariis sonis conflatur, acutis et gravibus, utcumque similitudinem quamdam gignentibus : amicitiæ autem concentus nullam vult partem esse dissimilem aut inæqualem; sed oportet omnia dicta, sensa, consilia et affectus inter se convenire, veluti uno animo in plura diffuso corpora. » Insuper amicus pro amico tristia et dura constanter patiatur. Sic Martyres pro Deo sibi amicissimo ignes, equuleos, feras, etc., forti lætoque animo tolerarunt. Unde S. Augustinus in cap. VI S. Joan., *tract.* 27 : « Quomodo, inquit, mansit in illo (Deo) S. Laurentius? Mansit usque ad tentationem, mansit usque ad tyrannicam interrogationem, mansit usque ad peremptionem; parum est, usque ad immanem excruciationem mansit. Non enim occisus est cito, sed cruciatus est in igne. » Sic Christus Apostolos vocat amicos, *Joan.* XV, 15. Quare? quia « vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, » *Lucæ* XXII, 28.

Vers. 15.

15. AMICO FIDELI NULLA EST COMPARATIO (*q. d.* Nihil ei comparari potest tanquam æquivalens. Græce, οὐκ ἔστιν ἀντάλλαγμα, id est, *non est commutatio, permutatio, compensatio;* Vatablus, *amico fideli nullum par est pretium,* nihil est, quod ejus dignitatem et utilitatem æquet, ut etiamsi omnibus opibus emeres amicum fidum, non tamen par et justum pro eo appenderes pretium); ET NON EST DIGNA PONDERATIO AURI ET ARGENTI CONTRA BONITATEM FIDEI ILLIUS, — quæ, scilicet, in altera bilancis lance illi contraponatur, illique æquiponderet et æquivaleat : semper enim bonitas fidei, id est, fidelitatis amici, quantolibet auro et argento præponderabit, eritque dignior et pretiosior. Græce, καὶ οὐκ ἔστι σταθμὸς τῆς καλλονῆς αὐτοῦ, id est, *et non est pondus pulchritudinis* (bonitatis) *illius, q. d.* Non satis potest ponderari aut æstimari pulchritudo, id est, decus, bonitas et pretium veri amici. Syrus, *amico fideli non est pretium.* Pretio æstimari nequit, quia pretium omne superat, *et non est pondus gratiæ* (in dativo) *ejus.* Tigurina, *nulla re digne decus fidei ejus rependitur,* nihil ei est ἀντάξιον, id est, æquiparabile, æquandum, conferendum. Unde apud Hebræos est proverbium : « Potior est amicus in platea, quam aurum in cista. » Et Homerus *Odyss.* θ : « Fidus amicus non est inferior, nec posthabendus fratri germano. Et Cicero, lib. *De Amicit.* : « Haud scio, ait, an, excepta sapien-

Amicitiæ commodum tertium.

tia, quidquam sit homini amicitia melius a diis immortalibus datum. Solem e mundo tollere videntur, qui amicitiam e vita tollunt. » Denique Franciscus Victoria, et ex eo Franciscus Suarez, tract. *de Charit.*, disp. IX, sect. 4, docent posse tanta esse amici in amicum beneficia, ut liceat eum magis amare, quam proprium patrem. Vide Plutarchum, dialog. *De Amico fideli*, ubi eum omnibus consanguineis præfert : « Habes, inquit, rem dulcissimam sanctissimamque, qua una post solam virtutem nihil homini melius, vel natura, vel casus, vel studium dedit : dulces, fateor, parentes, dulces avi, dulces item filii, dulces fratres, dulces uxores; possunt tamen amarescere, nec parentes ideo, nec fratres, nec filii desierunt esse, cum tamen dulces esse desierint : at amicus solus, dum sit verus, dulcis et charus esse non desinit. »

Insigni canis et lupi apologo idipsum ex imis amicitiæ et virtutis radicibus declarat Cyrillus, lib. III *Apolog. moralium*, cap. ultim. : Canis, inquit, verberatus ab hero clamans et ejulans, increpatus a lupo dicente : « Tu reus tibi es, qui tantum semper hominem dilexisti : pro labore igitur tuo suscipe dolorem; respondit :

Si fortuna dedit dudum mihi dulcia, quare
Dedigner sub ea paucula dura pati ?

Si bona suscepi de manu hominis, quare non sustineam et mala? Sicut asbestus lapis, qui vere diligit, semper accenditur. Quid ergo dignum dabitur pro virtute, aut quid æquivalens reddetur pro grato homine? certe nihil est quod a grato liberaliter rependitur, nisi virtus pro virtute, amor pro amore, atque homo pro homine quantocius redonetur. Vade igitur, quia hominis semper sum amicus, et tuus propter hominem perpetuus inimicus. Quibus cum pavore auditis, lupus mox in solitudinem fugit. »

Tertium est hoc amicitiæ elogium, quod pretium ejus sit incomparabile et inæstimabile. Sequitur *quartum*.

Vers. 16. 16. AMICUS FIDELIS, MEDICAMENTUM VITÆ ET IMMORTALITATIS. — Sic legit et S. Cyprianus, lib. III *Testimon.* Nam Græce tantum est, φάρμακον ζωῆς, id est, *pharmacum vitæ*, scilicet, miseræ hujus et ærumnosæ : idque *primo*, quia omnibus hujus vitæ miseriis et ægritudinibus, tam corporis quam animi, uti sunt mœrores, angores, timores, etc., quæ innumeræ sunt, medetur amicitia, consulendo, juvando, et consolando amicum : quo significat vitam nostram esse continuam infirmitatem et ægritudinem, non unam, sed multiplicem, cujus medicus sit amicus, juxta illud *Proverb.* XV, 4 : « Lingua placabilis, lignum vitæ; » Hebræus et Chaldæus, *medicina* (Septuaginta, *sanitas*) *linguæ, arbor vitæ*. Unde Syrus vertit, *amicus fidelis, medicina est vitæ ;* Arabicus, *amicus fidei* (id est fidelis) *est velut emplastrum vitæ*. « Quid dulcius, ait Seneca in *Proverb.*, quam habere amicum, cum quo omnia audeas; cui sic credas, ut tibi; cui sic loquaris, ut tecum. Sapiens etsi contentus est se, tamen amicum vult habere : sed hoc ob nihil aliud, nisi ut exerceat amicitiam, ne tam magna virtus jaceat : non ad hoc, ut dicit Epicurus, ut habeat, qui sibi assideat, succurrat : sed ut habeat, cui assideat, quando libet. » Vere S. Hieronymus in cap. VII *Mich.* : « Amicus, inquit, diu quæritur, vix invenitur, difficile servatur. » Nam, ut ait Comicus : « Quod medicus est ægro corpori, hoc amicus est mentis ægritudini. Nam verba amica sunt medela commoda. »

Secundo, amicus est pharmacum vitæ et immortalitatis, quia affert et prolongat vitam : tum præsentem mortalem, dum facit hominem imperturbabilem et impassibilem; tum futuram immortalem, instar ligni vitæ, juxta illud : « Fructus justi, lignum vitæ, » *Proverb.* XI, 30. Ille enim verissimus est amicus, qui amicum docet iter, et ducit ad beatam immortalitatem. Fidelis ergo et Christianus amicus suis monitis, consiliis, instructionibus, correptionibus efficit apud amicum, ut is semper vivat, tum in hoc sæculo per famam, tum in futuro per gloriam. Quocirca S. Augustinus lib. IV *Confess.* cap. VI : « Bene, inquit, quidam (Horatius) dixit de amico suo : Dimidium animæ meæ. Nam ego sensi animam meam, et animam illius (amici) unam fuisse animam in duobus corporibus; et ideo mihi horrori erat vita, quia nolebam dimidius vivere : ideo forte mori metuebam, ne totus ille moreretur, quem multum amaveram. » Audi Rabanum : « Amicus dicitur, quasi animi custos. In amico quippe fideli medicamentum est vitæ et immortalitatis : quia, si fidelis est, secundum Deum utique amicus est : si autem secundum Deum amicus est, ea semper cum amico tractat, quæ ad medicamentum vitæ æternæ, et immortalitatem perpetuam pertinent. »

Unde est illa Tullii Ciceronis sententia, « amicitiam nisi inter bonos esse non posse. Est enim boni viri (quem eumdem sapientem licet dicere) hæc duo tenere in amicitia : primum, ne quid fictum sit, neve simulatum; aperte enim vel amare vel odisse magis ingenui est, quam fronte occultare sententiam. Deinde, non solum ab aliquo allatas criminationes repellere; sed ne ipsum quidem esse suspiciosum, semper aliquid existimantem ab amico esse violatum. Accedat huc suavitas quædam oportet sermonum atque morum, haudquaquam mediocre condimentum amicitiæ. Tristitia autem, et in omni re severitas habet illa quidem gravitatem; sed amicitia remissior esse debet, et liberior, et dulcior, et ad omnem facilitatem proclivior. »

Audi et S. Ambrosium lib. I *Officior.* cap. XXXII : « Benevolentia, ait, communis quædam parens omnium, quæ amicitiam connectit et copulat : in consiliis fidelis, in prosperis læta, in tristibus

mœsta, ut unusquisque benevolentis se magis quam sapientis credat consilio : ut David, cum esset prudentior, Jonathæ tamen junioris consiliis acquiescebat. Tolle ex usu hominum benevolentiam, tanquam solem e mundo tuleris, ita erit : quia sine ea usus hominum esse non potest, ut peregrinanti monstrare viam, revocare errantem, deferre hospitium, aquam de aqua profluenti dare, lumen de lumine accendere. Non igitur mediocris virtus, de qua sibi plaudebat Job dicens : Foris autem non habitabat hospes, janua mea omni venienti patebat. Benevolentia itaque in his est omnibus, tanquam fons aquæ reficiens sitientem, tanquam lumen, quod etiam in aliis luceat, nec illis desit, qui de suo lumine aliis lumen accenderint. » Idem S. Ambrosius, lib. III, cap. ultim. : « Solatium, inquit, hujus vitæ est, ut habeas, cui pectus aperias tuum; ut colloces tibi virum fidelem, qui in prosperis gratuletur tibi, in tristibus compatiatur, in persecutionibus adhortetur et subinde, qui in lætis exsultantem comprimat, in tristibus mœrentem erigat. »

Rursum S. Augustinus (vel quisquis est auctor), lib. *De Amicitia*, cap. II : « Amicus, inquit, quasi amoris, vel ipsius animi custos dicitur : quoniam amicum meum amoris mutui, vel ipsius animi oportet esse custodem, ut omnia ejus secreta fideli silentio servet, et quidquid in eo vitiosum viderit, pro viribus caveat et deleat : cui et gaudendo congaudeat, et dolendo condoleat. » Et cap. V : « Amicus, ait, sapiens, medicamentum est vitæ. Non enim validior vel efficacior est vulneribus nostris medicina, quam habere, qui omni incommodo occurrat compatiens, omni commodo occurrat congratulans : ut junctis suis humeris onera sua invicem tolerent, et quod unusquisque propriam levius quam amici portet injuriam. Amicitia ergo secundas res facit splendidiores; adversas partiens communicansque, reddit leviores : nam et philosophis etiam placuit. Non aqua, non sole, non igne pluribus locis utimur, quam amico : in omni actu, in omni studio, in certis, in dubiis, in quolibet eventu, in fortuna qualibet, in secreto, in publico, in omni consolatione, domi forisque ubique amicitia grata, amicus necessarius, utilis gratia reperitur. Quocirca amici, ait Tullius, et absentes adsunt sibi, et egentes abundant, et imbecilles valent, et, quod difficilius est dictu, mortui vivunt. Igitur amicitia est divitibus pro eleemosyna, exsulibus pro patria, pauperibus pro censu, ægrotis pro medicina, mortuis pro vita, sanis pro gratia, imbecillibus pro virtute, robustis pro præmio. » Addit verum amicum levius [propriam quam amici injuriam tolerare.

Idem S. Augustinus, serm. 21 *De Verbis Apostoli*, citans illud Apostoli, *Galat.* VI, 2 : *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi* : « Nihil, ait, sic probat amicum, quemadmodum oneris amici portatio. » Talem amicum Philagrio se præstitit S. Gregorius Nazianzenus, ut ipse ad eumdem scribit, *epistola* 64 : « Quæ tibi molesta sunt, inquit, utique et nobis : amicorum communia omnia censemus, tam prospera quam adversa, eaque amicitiæ lex est. » Denique eleganter S. Chrysostomus hom. 2 in epist. I *ad Thessal.*, « Revera, ait, vitæ pharmacum est, fidus amicus; revera protectio fortis est, fidus amicus. Quid enim non efficeret germanus amicus? quantam utilitatem, quantam securitatem generat! Si mille thesauros dixeris, nihil tamen germano correspondebunt amico. » Et post nonnulla : « Cum amico et paupertas tolerabilis est : sine illo et sanitas et divitiæ intolerabiles sunt. Alium pro se ipso habet, qui amicum habet. Præstringor, et veluti præcludor faucibus, non valens exemplo aliquo rem istam exprimere. Novi ego quemdam, qui cum sanctos viros amici sui causa obsecraret, primum pro illo, et tum demum pro se orare, obsecrabat. »

Amicus ergo est salutare et panchrestum vitæ pharmacum contra omnes ejus morbos et vulnera. Ille te mœrentem solatur, desperantem erigit, dolentem recreat, trepidantem excitat : in arduis est præsidium, in dubiis consilium, in adversis solatium, in prosperis, ne cadas aut evanescas, fulcimentum. Quid? quod insuper est immortalitatis medicamentum : tum quia te mortuum ac sepultum, non sinit tamen a sua et reliquorum memoria prorsus interire, facta demortui celebrat, dicta repetit, virtutes ac merita prædicat ; tum (quod utilius atque optabilius est) quia defuncti animam Christianis suffragiis, pietatisque officiis, ut tandem immortalitatis gloriosæ munere donetur, verus animæ curator et amicus prosequitur. Verus quippe fidelisque amicus non proprium, sed amici lucrum quærit. « Quid est, inquit S. Ambrosius, amicus, nisi conscius amoris? Non est vectigalis amicitia, sed plena decoris. Virtus est amicitia, non quæstus. » Ita ipse, lib. III *Offic.* cap. ult. Huc facit proverbium Hebræorum : « Aut societas (amicitia), aut mors, » *q. d.* « Vita sine amico non est vita, sed mors. » « Quæ potest esse vita vitalis, ait Cicero lib. *De Amicitia*, quæ non in amici mutua benevolentia conquiescit? Hoc experiremur, si Deus nos ex hac hominum societate tolleret, et in solitudine collocaret; atque ita suppeditans omnium rerum, quas natura desiderat, abundantiam, hominis omnino aspiciendi potestatem eriperet : quis tam esset ferreus, qui eam vitam ferre posset, cuique non auferret fructum voluptatum omnium, solitudo? » Hac de causa Aristoteles, lib. *Polit.* cap. II, dicit « eum, qui cum aliis versari nequit, aut Deum esse, aut bestiam. » Pergit Cicero : « Amicus magis necessarius est, quam ignis et aqua. » Sicut enim citra ignem et aquam non constat hominum vita, ita nec sine consuetudine et opera amicorum, quos ob idipsum Latini

necessarios vocant, uti amicitiam necessitudinem. Innuit hæc Ciceronis sententia duo maxima commoda colligi ex amicitia, voluptatem et usum : nihil est enim jucundius igni, nihil utilius aqua. Huc facit adagium : « Sal vitæ est amicitia : oculus vitæ est sapientia : antidotum vitæ est patientia. »

Quintum amicitiæ elogium.

ET QUI METUUNT DOMINUM, INVENIENT ILLUM. — Docet hic, modum inveniendi et parandi fidum amicum, esse amorem Dei. Fidus enim amicus est magnum Dei donum, quod Deus sui cultoribus, quasi ingentem sui cultus mercedem, rependit, quo simul ostendit verum amicum esse ingens, imo divinum bonum, utpote quod non ab homine, sed a Deo sperari petique debeat. Quocirca hoc est quintum amicitiæ elogium. Unde Tigurina vertit, *talem autem nanciscentur, qui reverentur Dominum ;* Syrus vero, *et qui timet Deum, ipsemet est*, scilicet, amicus fidelis. Sic et Arabicus, *et est* (amicus fidei) *de timentibus Deum*, hoc est, amicus fidelis est timens Deum, *q. d.* Si quæris amicum fidelem, quære timentem Deum : quia non est amicus fidelis, nisi qui timet Deum. Timens enim Deum fidelis est Deo, ideoque fidelis est et homini, præsertim amico. « Quid amicitia pretiosius, exclamat Rabanus, quæ angelis communis et hominibus est? Ipse Dominus noster ex servis amicos fecit, sicut ait *Joan.* XV : « Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Dedit formam amicitiæ, quam sequamur. » Denique amicitiæ fons et origo est ipse Deus, et Deitas, quæ ob amicitiam communicat se tribus personis divinis. Hæ ergo inter se sunt primi increati et summi amici, qui suum amicitiæ bonum angelis et hominibus communicant. Unde S. Ambrosius, lib. II *De Spiritu Sancto*, in fine : « Quidam (Cicero, lib. *De Amicitia*), ait, interrogatus : Quid amicus esset? Alter, inquit, ego. Si ergo homo amicum ita definivit, ut alterum se esse diceret, per unitatem, videlicet, amoris et gratiæ : quanto magis in Patre et Filio et Spiritu Sancto unitatem majestatis æstimare debemus, cum per eamdem operationem ac divinitatem, vel unitas, vel certe, id quod amplius est, ταυτότης, (id est, identitas) exprimatur? ταυτὸ enim *idem* significat, ex eo quod idem habeat et Pater et Filius et Spiritus Sanctus, ut idem velle et idem posse non affectione sit voluntatis, sed in substantia Trinitatis. »

Vers. 17. 17. QUI TIMET DEUM, ÆQUE HABEBIT AMICITIAM BONAM (*q. d.* Sicut timens Dominum constantem cum eo amorem et fidelem amicitiam servat et colit : sic *æque*, id est, pariter, congrue, juste et merito inveniet et habebit amicitiam bonam fidelis amici : quia par, justum et congruum est, ut qui fidelis est Deo, sibi fideles pariter sentiat homines, præsertim amicos), QUONIAM SECUNDUM ILLUM ERIT AMICUS ILLIUS, — *q. d.* Quia qualis est ille erga Deum et proximum, talis illi vicissim erit amicus illius : ut sicut ille fidus est Deo et proximo, ita similiter illi fidi sint sui amici. Hunc sensum exigunt Græca, quæ sic habent : *Qui timet Dominum*, εὐθύνει, id est *rectificat*, rectam facit, rectam constituit *amicitiam suam : nam erga eum talis etiam proximus ipsius erit*, puta, fidelis, sincerus, constans, qualis ipse est erga Deum. Aliter Palacius, *q. d.* Qualis es tu, talis est et amicus tuus : similis enim quærit similem. Cum enim amicus sit alter ego, si ego sum bonus, erit et amicus meus bonus : si est ille malus, ergo et ego malus. Amicorum enim omnia sunt communia; ergo et virtus, aut nequitia communis est. Indicium evidens animi tui est amicus tuus : si amicum habes malum, demonstras te esse malum. Si donum Dei est amicus, non potest Deus bonus mala donare. Ergo viri boni amicus erit bonus. Hæc Palacius.

Syrus vero ad id quod præmisit, « Qui timet Deum, ipsemet est, » scilicet, fidelis amicus, apposite subdit : *qui timent Deum, confirmabunt amicitias suas, et sicut ipse in amicis ejus ;* et Arabicus, *perdurabit amicitia eorum, quoniam amici ejus similes illi sunt*, *q. d.* Firma amicitia nulla re firmatur, nisi timore Dei : quia qualis est Deus, tales sunt et amici, tum erga Deum, tum erga se invicem : quæ enim conveniunt in uno tertio, conveniunt pariter inter se. Vera ergo amicitia est eorum, qui in Deo conveniunt, ac in Dei amore et charitate sociantur : Deus enim, cum sit fidus, constans, immutabilis, hinc pariter suos amicos facit fidos, constantes, immutabiles. Pari modo, qui fidos quærit servos, milites, operarios, ancillas, quærat eos qui timent Deum. Timor enim Dei coget eos fidos esse hero ducique suo, sicut cogit eos fidos esse Deo. Qui hoc sapiunt, felices sunt, optimeque eis ubique servitur. Hoc est quod ait Ben-Sira *Alphabeto primo*, littera *Tsade* : « Si necesse est ut contrahas accipiendo et dando, esto sors tua cum viro bono, » *q. d.* Si tibi negotiandum est, negotiare cum viro probo, non cum improbo : quia probis adest Deus, improbis resistit. Sapiebat hoc Constantius Imperator, pater Constantini Magni, qui, ut refert Eusebius lib. I *De Vita Constant.*, ut sinceros Christianos a fictis secerneret, sibique amicos et aulicos asciscceret, simulate edixit, ut Christi cultores aula sua excederent, in ea vero remanerent soli idolorum asseclæ : quare veri Christiani aula excesserunt, ficti in ea remanserunt. Tum ille, detecta simulatione, idololatras omnes, quasi proditores, aula expulit, verosque Christianos duntaxat in eam adlegit, dicens : Quomodo Imperatori fidem servabunt, qui erga Deum deprehensi sunt perfidi? Hos vero, qui veritatem confessi fuerant, dignos esse dicebat, qui circa Imperatorem essent ; atque ita eos corporis ac regni etiam sui custodes esse præcepit, dicens, oportere tales inter primos ac necessarios, tam amicos quam familiares excoli et ornari, ac magis in honore et pretio haberi, quam magnorum thesaurorum æraria. »

Audi Rabanum hic : « Plenam ergo, inquit, at-

que perfectam amicitiæ gratiam nisi inter perfectos viros, ejusdemque virtutis perseverare non posse, SS. Patres docuerunt. Unde, quomodo ad perfectionem illius et inviolabilem statum perveniri possit, quasi gradus quosdam statuerunt. *Primum* igitur gradum veræ amicitiæ in contemptu substantiæ mundialis, et omnium quas habemus rerum despectione esse dixerunt. *Secundum*, ut ita suas unusquisque resecet voluntates, ne se sapientem atque consultum esse judicans suis malit, quam proximi diffinitionibus obedire. *Tertium*, ut sciat omnia, etiam quæ utilia ac necessaria æstimat, postponenda bono charitatis et pacis. *Quartum*, ut credat nec justis nec injustis de causis penitus irascendum. *Quintum*, ut adversum se iracundiam fratris, etiam sine ratione conceptam, eodem modo quo suam, curare desideret, sciens æqualiter sibi perniciosam alterius esse tristitiam, ac si adversus alium ipse moveatur, nisi eam, quantum in se est, de fratris mente depulerit. *Postremum* illud est, quod generale vitiorum omnium peremptorium esse non dubium est, ut se de hoc mundo credat quotidie migraturum; quæ persuasio non solum nullam in corde tristitiam residere permittit, verum etiam universos concupiscentiarum ac peccatorum omnium comprimet motus. Hæc igitur quicumque tenuerit, amaritudinem iræ atque discordiæ nec pati poterit, nec inferre. »

Idem dixerunt Gentilium sapientes de amicitia naturali, quæ, scilicet, fundatur in communicatione bonorum et virtutum naturalium. Cicero, lib. *Officior.*: « Omnium societatum nulla præstantior, inquit, nulla firmior, quam cum viri boni moribus similes, sunt familiaritate conjuncti. Nihil enim amabilius, nec copulatius, quam morum similitudo bonorum. In his, in quibus eadem studia sunt, eædem voluntates, in his fit, ut æque quisque altero delectetur ac seipso, efficiturque id, quod Pythagoras vult in amicitia, ut unus fiat ex pluribus. » Idem, lib. *De Amicitia*, asserit, « amicitiam nisi inter bonos esse non posse. » « Virtus, inquit, conciliat amicitias et conservat; in ea enim est convenientia rerum, in ea stabilitas, in ea constantia : quæ, cum se extulit et ostendit lumen suum, et idem aspexit agnovitque in alio, ad id se admovet, vicissimque accipit illud, quod in altero est : ex quo exardescit sive amor, sive amicitia : utrumque enim dictum est ab amando. » Aristotelis hæc de amicitia sunt placita : « Amicus est alter ego, » lib. IX *Ethic.* « Amicus debet se tenere ad amicum, sicut genu ad tibiam, » ibidem. « Ambobus existentibus amicis sanctum est præhonorare veritatem, ut dicat : Amicus Plato, sed magis amica veritas, » lib. I *Ethices.* « Honesta amicitia proprie dicitur amicitia, alia ex accidenti, » lib. III *Ethic.* cap. IV. « Amicitia magis consistit in eo ut amet, quam ut ametur. Argumento sunt matres, quæ filios amando gaudent, redamari non curant, » lib. VIII *Ethic.* VIII. « Proverbia in amicitia sunt : Una anima : Communia omnia amicorum : Æqualitas amicitia : Tibiæ genu propinquius, » lib. IX *Ethic.* cap. VIII. « In quibus jus et justum est, in his est amicitia. » Quamobrem, « quot justorum sunt species, tot et amicorum. Justum certe est et hospiti erga civem, et servo erga dominum, et civi erga civem, et filio erga patrem, et uxori erga virum, etc., et amicitiæ sunt in horum singulis, » lib. II *Magnor. Moral.* cap. XII. Bonorum et eorum qui in virtute sunt, amicitia perfecta est, » lib. VIII *Ethic.* cap. III. « Constantissima igitur, stabilissima ac honestissima, quæ inest probis amicitia; quippe quod propter virtutem, ac per se bonum. Nam virtus incommutabilis, et quæ per eam conciliatur amicitia, constantissima est : at quæ ex commodo, stabilis non est, quippe quæ cum commodo elabitur, » lib. II *Magn. Moral.* cap. XII. Si hæc vera sunt in amicitia naturali, utique veriora erunt in supernaturali, quæ in communicatione bonorum et virtutum supernaturalium, ac præsertim in charitate fundatur; charitas enim est perfecta amicitia, tam hominis cum Deo quam hominis cum homine. Ratio a priori ergo cur amicitia sit constans etiam in adversis, est ejus honestas, dignitas et præstantia : item charitas, cui, si supernaturalis sit, innititur. De quo plura *Prov.* XVII, 17.

Porro hæc omnia quæ de amico hic sancit Sapiens, per excellentiam conveniunt Christo Domino. Ipse enim est amicus amicorum, præ omnibus amicis amandus et colendus; per quem et in quo cæteri amici amandi et colendi sunt; sine quo nullus est verus amicus. Christus ergo *primo*, fundit verbum dulce, quia lingua ejus est εὐχαρις, id est gratiosa, et lingua charitum, quia lingua non Angelorum, sed Dei ac Verbi Dei, juxta illud *Psal.* XLIV, vers. 3 : « Diffusa est gratia in labiis tuis; » et *Cant.* V, 13 : « Labia ejus, lilia distillantia myrrham primam; » et vers 16 : « Guttur illius suavissimum, et totus desiderabilis : talis est dilectus meus, et ipse est amicus meus. » Quocirca vere dixit S. Cyprianus de passione Christi : « De impietate et malitia suavitas pietasque Christi triumphat. » *Secundo*, Christus nobis est consiliarius unus de mille; hoc enim nomen ei dat Isaias cap. IX, vers. 6. Vide ibi dicta. *Tertio*, Christus est amicus in tentatione, quia per crucem, passionem et mortem pro nobis obitam, probavit suam erga nos amicitiam. Et quia in Eucharistia seipsum nobis in cibum reliquit ad tentationum remedium, ac tribulationum omnium solamen et robur. Vide S. Ambrosium lib. VII *in Lucam*, cap. XI : « Quis, ait, amicior nobis, quam qui pro nobis corpus suum tradidit. » *Quarto*, Christus nobis est unanimis, quia noster frater per incarnationem fieri dignatus est. *Quinto*, Christus est amicus fidelis, ideoque protectio fortis. *Sexto*, Christus est thesaurus animæ nostræ. *Septimo*, Christo nihil æquari aut compa-

rari potest. *Octavo,* Christus est medicamentum vitæ et immortalitatis, juxta id quod ipse ait *Joan.* VI, vers 52 : « Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum : et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita; » et vers. 55 : « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam : et ego resuscitabo eum in novissimo die. » Unde S. Leo, sermone 16 *De Passione* : « In me (Christo crucifixo), ait, omnis infirmitas aboletur, omnis plaga sanatur. » Amor enim est transformator amantium, ideoque amantes transformat in Christum.

Quocirca S. Ambrosius, lib. *De Isaac et Anima,* cap. VIII : « Quoniam, inquit, formatus in sponsa Christus erat, ait : Pone me ut signaculum in cor tuum, ut sigillum in brachium tuum. Sigillum Christus in fronte est, ut semper confiteamur; in corde, ut semper diligamus; in brachio, ut semper operemur : ut, si fieri potest, tota ejus species exprimatur in nobis. Ipse est signaculum nostrum, quem Pater signavit Deus. » Talis erat S. Paulus de quo S. Chrysostomus in illud *Galat.* II, 20 : *Vivo autem, jam non ego; vivit vero in me Christus* : « Quoniam, inquit, seipsum Christo et cruci totum præbuerat, et ad illius voluntatem omnia faciebat, non dixit : Vivo ego Christo; sed quod longe majus est : Vivit vero in me Christus. » Unde sapienter et pie S. Bernardus in *Formula honestæ vitæ* : « Sit tibi Jesus, ait, semper in corde, et nunquam imago crucifixi ab animo tuo recedat : semper illum cogita pro te in cruce pendentem. Sic nimirum erit tibi fasciculus myrrhæ inter ubera tua. » Et S. Augustinus in *Meditation.* cap. XXXV : « Dulcissime et amantissime Jesu, infunde, obsecro, multitudinem charitatis tuæ pectori meo, ut te solum in corde habeam. Scribe digito tuo in pectore meo dulcem memoriam, nulla unquam oblivione delendam, etc. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, cum abscondisti timentibus te ! » Idem, epist. 52 *ad Macedon.* : « A charitate, inquit, æternitatis et veritatis, cujus regnator est Christus, manat vera amicitia, non pensanda temporalibus commodis, sed gratuito amore potienda. Nemo enim potest veraciter amicus esse hominis, nisi fuerit ipsius primitus veritatis. »

SECUNDA PARS CAPITIS.

DE ARDUO SAPIENTIÆ.

Vers. 18. 18. FILI, A JUVENTUTE TUA (Syrus, *a pueritia tua*) EXCIPE (legit, ἐπίδεξαι; jam legunt, ἐπίλεξαι, id est *elige*) DOCTRINAM (Græce παιδείαν, id est, *institutionem disciplinæ,* qua παῖδες, id est pueri, erudiuntur et formantur in litteris et bonis moribus), ET USQUE AD CANOS INVENIES SAPIENTIAM. — Pro ἕως πολιῶν, id est *usque ad canos,* perperam aliqui legunt ἕως ποδῶν, id est *usque ad pedes.* Sapientia enim non est in pede et talis, sed in capite et canis. Tigurina : *Fili, a juventute tua addisce disciplinam, et sapientiam tandem canescens invenies;* Vatablus, *ad canos usque duraturam invenies;* aut, *ad canitiem usque sectaberis.* Ut per metalepsin τὸ *invenies* sumatur pro inquires, investigabis, sectaberis; quæ enim invenire cupimus, ea inquirimus, vestigamus et sectamur.

Igitur est hic duplex sensus. *Primo, q. d.* Fili, a juventute tua aperto pectore suscipe sapientum instructionem et doctrinam : ita fiet ut usque ad canos, hoc est in canis, puta in senectute et canitie, invenias sapientiam; sapientia enim diu discenda est, ac a pueris per omnem ætatem, ut in senectute ea plene potiamur et fruamur. In pueris enim dominatur gula, in juvenibus luxuria, in viris ambitio : at hæc omnia cadunt in senectute, tumque homo incipit perfecte sapere, cum passionibus sopitis divina ambit et æterna, quibus se propinquare cernit. Rursum tunc invenit sapientiam, id est fructus sapientiæ, puta animi quietem, moderationem, lætitiam, etc.; hos enim fructus parit sapientia. Disce ergo, juvenis, ut senex invenias et fruaris sapientia; sapientia enim, ut ait Aristoteles, non est in juvenis novitate, sed in senum experientia.

Secundo, q. d. Fili, a juventute tua stude doctrinæ et sapientiæ, quia hæc nunquam te deseret; sed ad canos usque tibi adhærebit, teque indivulse comitabitur, cum opes, voluptates, honores hominem in senio deserant. Rursum Palacius sic explicat, *q. d.* Disce, juvenis, et usque ad canitiem semper licebit sapientiam invenire, et in ea proficere. Cum enim sapientia sit dilectio Dei, ejus luce resplendens, ab ejus gratia dimanans, ut in gratia et dilectione et fide, licet semper, dum vivimus, proficere (ut quædam Clementina decrevit) : ita et in sapientia semper usque ad canos proficere licebit.

Priori sensui favet id quod sequitur : « Quasi is qui arat, et seminat, accede ad eam, et sustine (exspecta in senectute) bonos fructus illius, » *q. d.* Sere in juventute semina sapientiæ, ut ejus fruges metas in senectute; senum enim est sapientia, senum, inquam, qui a juventute ei vacarint : qui enim a puero vacarunt concupiscentiæ et in-

sipientiæ, in senectute erunt pariter concupiscentes et insipientes. Unde Nazianzenus in *Tetrastichis* : « Senes, inquit, decet sapientia, juvenes temperantia. » Est ergo laus sapientiæ, quod ipsa sit decus et ornamentum senectutis. Ut hoc ergo bonum senectuti tuæ concilies, a puero eidem vacare incipe. Verum id ipsum posteriori quoque sensui adaptes; subdit enim : « In opere ipsius exiguum laborabis, et cito edes de generationibus illius. » Posterior ergo sensus, uti uberior, ita simplicior et germanior est, ac priorem includit. Summa jubet studioso sapientiæ, ut a puero addiscat eam, tum quia puerilis ætas est quasi cera et tabula rasa, quæ quaslibet figuras sibi impressas facile recipit, et constanter retinet, juxta illud :

Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
Testa diu.

Senectus vero dura et inflexilis est ab iis quæ in juventute didicit, quibusque per tot annos assuevit. Tum quia sapientiæ studium est sublime, longum et arduum, igitur a puero capessendum. Præclare S. Hieronymus, epistola 7 ad Lætam, *De Instit. filiæ*, illam a puero litteris sanctisque moribus imbuendam docet : « Difficulter, inquit, eraditur, quod rudes animi perbiberunt. Lanarum conchylia quis in pristinum colorem revocet? » De puerorum institutione plura vide apud Clementem Alexandrinum in *Pædag.*, Xenophontem in *Pædia Cyri*, Platonem lib. II, IV et VII *De Rep.*, Aristotelem in *Œconom.*, Plutarchum et alios. De eadem plura dicam cap. XXX, vers. 1.

Incipit hic secunda pars capitis, qua ab amicitia transit ad studium sapientiæ, tum quia vera amicitia est comes et filia sapientiæ; tum quia identidem Siracides salit et resilit ad sapientiam, quasi ad totius libri scopum et argumentum : totus enim hic liber agit de sapientia, tum in genere, tum in specie; varias virtutes et virtutum officia recenset; ac deinde a speciebus ad genus, puta ad sapientiam, quasi ad objectum sibi adæquatum resilit.

Vers. 19. 19. QUASI IS QUI ARAT, ET SEMINAT, ACCEDE AD EAM (id est longanimiter et patienter labora), ET SUSTINE BONOS FRUCTUS ILLIUS. — Syrus, *sicut seminator, et sicut messor, accede ad eam, et multitudinem frugum ejus colliges;* Vatablus, *quasi qui ares et seras, accede ad eam, et bonos ab ea fructus exspecta.* « Vomere quippe Evangelii, ait Rabanus, de corde suo genimina vitiorum debet exstirpare, qui semen divini verbi edere, et fructus dulcissimos sacrarum virtutum desiderat metere. » Docet modum parandi sapientiam ex similitudine et modo parandi fruges et messem per agriculturam. Sicut enim agricola *primo*, magno labore spinas et radices eruncat, vel, ut Cato ait, averruncat, id est runca evellit, exherbat et exstirpat; deinde terram arat, subigit et excolit. *Secundo*, in ea seminat id quod metere cupit, ac dispendium seminis patitur ut illud auctius recipiat. *Tertio*, hæc omnia facit spe frugum, quia scilicet sperat opimam messem. *Quarto*, messem longanimiter per multos menses exspectat : ita pariter sapientiæ studiosus *primo* mentem suam quasi terram, evulsis vitiorum spinis, multo labore poliat, subigat et excolat, juxta illud *Jerem.* IV, 3 : « Novate vobis novale, et nolite serere super spinas; » *secundo*, in ea semina divinæ sapientiæ partim legendo vel audiendo, partim meditando, partim orando, partim divinas illuminationes et inspirationes hauriendo, jaciat et excipiat; *tertio*, sperat fructum et messem sapientiæ; *quarto*, longanimiter eam, ejusque frugum copiam, dulcedinem et præstantiam exspectet, juxta illud :

Multa tulit, fecitque puer; sudavit, et alsit.

Et :

Non jacet in molli veneranda scientia lecto;
Illa sed assiduo parta labore venit.

Huc alludens S. Jacobus cap. V, 7, ait : « Ecce agricola exspectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum et serotinum : patienter igitur estote et vos, et confirmate corda, » etc. Vide ibi dicta. Porro, sicut totius vitæ laborem sibi agricultura desiderat, ita et vehementius eumdem sapientiæ cultura deposcit. Idcirco ait Paulus : « Dei agricultura estis, » I *Corinth.* III, 9.

Quocirca S. Bernardus, serm. *De Septem donis Spiritus Sancti* : « Ager est mundus, ait Veritas, fodiamus in eo : thesaurus absconditus latet, effodiamus eum. Ipsa est autem sapientia, quæ trahitur de occultis. Omnes eam quærimus, omnes concupiscimus eam; sed frustra quærit, qui in lectulo suo quærit. » Et Seneca, *epistola* 109 : « Prosunt, ait, inter se boni; exercent enim virtutes, et sapientiam in suo statu continent. Peritos luctandi usus exercet. Opus est et sapienti agitatione virtutum. » Igitur, sicut ager terræ, ut copiosam ferat messem, longo labore et spe debet arari, fodi, occari, seminari, sarriri, etc. : sic prorsus hæc omnia mystice peragenda sunt in agro animæ, ut copiosos sapientiæ et virtutis fructus proferat. Nam, ut ait Origenes hom. 9 *in Exod.*, « spes futurorum laborantibus requiem parit, sicut in agone positis dolorem vulnerum mitigat spes coronæ. » Et Apostolus : « Debet in spe, qui arat, arare, » I *Corinth.* cap. IX, 10. Vide ibi dicta.

Vers. 20. 20. IN OPERE ENIM IPSIUS EXIGUUM LABORABIS, ET CITO EDES DE GENERATIONIBUS (id est fructibus ab ea genitis) ILLIUS. — Syrus, *velut laborem exiguum laborabis, et statim fructus ejus comedes;* Vatablus, *nam in opere ejus non multum elaboraveris, quin de proventibus ejus mox comedas.*

Pro *in opere*, Græce est ἐν ἐργασίᾳ. Quæ vox tria significat : *primo*, ipsum opus et opificium; *secundo*, ipsam operationem, occupationem, actionem, culturam, exercitationem, operam et laborem, qui ad opus efficiendum suscipitur, puta

ipsam agricolationem; *tertio*, utriusque, scilicet tam operis quam operationis et laboris quæstum et lucrum. Omnibus hisce modis hic accipi potest, sed optime secundo. Persistit enim in metaphora agricolæ, qui magno labore terram arat, sarrit et seminat; sicut enim ille post terræ culturam, mox ex ea fructus percipit : ita studiosus sapientiæ ex studio et cultura mentis, illico et citius quam agricola ex ea suaves et præstantes sapientiæ fruges colligit, juxta illud : « Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua : venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos, » *Psal.* CXXV, vers. 6. Hoc est quod ait Paulus *Hebr.* cap. XII, vers. 11 : « Omnis disciplina, in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris : postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ. »

Sapientiæ fructus septem.

Porro sapientiæ fruges et fructus sunt multi et eximii, e quibus paucos hosce recenset Palacius : *Primus* est animam liberare a tenebris et cæcitate, quam perseverantia peccandi parit. *Secundus*, liberare a tormentis, quæ mens sibi male conscia sentit : cum enim peccatum sit vulnus animæ, necessario ei dolorem et tormentum incutiet, nisi mortua jaceat. *Tertius* et maximus, liberare a metu inferni, quem sibi peccator sibi commeruit. « Quoniam non est in morte, qui memor sit tui; in inferno autem quis confitebitur tibi? » *Quartus* est, erigere animam in spem vitæ æternæ potiundæ : « Exspectantes (inquit) beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei, » etc. *Quintus*, erigere animam ad confitendum in Deo velut in patre, qui in omni tribulatione nostra consolabitur nos. *Sextus*, « exspectare diem mortis et judicii cum animi fiducia; » imo nonnunquam dicere : « Cupio dissolvi, et esse cum Christo. » *Septimus*, sentire jam nunc lætitiam, gaudium et jubilationem cœlestem, dicente illo : « Parasti in conspectu meo mensam; » et item : « Faciet Dominus in monte isto convivium pinguium medullatorum. » Et item : « Gaudete in Domino semper. O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus! » *Sapient.* XII, vers. 1. « Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus, » *Psal,* XXXIII, 9. « Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum, » *Psal.* CXVIII, 32. Porro primos hosce fructus illico percipit anima, ac deinde sensim cæteros, imo non raro cum peccatorum expulsione sentitur mira conscientiæ serenitas, gratiæ jucunditas, consolationis cœlestis, qua Deus animam mulcet, copia, suaves piæque lacrymæ, etc. Exemplum illustre præluxit in Christo, qui modico tempore in cruce et morte laborans, mox resurrexit ad vitam et gloriam immortalem, ex brevi passionis semine metens sibi et nobis opes immensas et gloriam sempiternam.

Vers. 21. 21. QUAM ASPERA EST NIMIUM SAPIENTIA INDOCTIS HOMINIBUS, ET NON PERMANEBIT IN ILLA EXCORS. — *Indoctos* vocat insipientes et imprudentes, qui non rationem, sed concupiscentiam sequuntur. Eosdem vocat *excordes*, id est vecordes et stultos; his enim ob asperitatem horrori est sapientia practica (de tali enim hic passim est sermo), puta prudentia, virtus et sanctitas : unde Syrus vertit. *quam aspera stultis sapientia, et non patientur eam excordes;* Tigurina, *quam aspera valde est imperitis; nullus enim excors perdurat apud eam, q. d.* Quam aspera est guloso temperantia, luxurioso castitas, avaro liberalitas, superbo humilitas, iracundo lenitas, pigro labor et sedulitas! Utique est ei quasi lapis oneris, ut ait vers. 22; sicut enim stomacho amaro cibi dulces videntur amari, ita carnali et cupidinibus suis addicto, sapientia et virtus in se suavis et placida, videtur aspera, inaccessa et impossibilis, juxta illud *Proverb.* XXIV, 7 : « Excelsa stulto sapientia; et *Proverb.* XV, 5 : « Stultus irridet disciplinam patris sui; » et vers. 12 : « Non amat pestilens eum, qui se corripit, nec ad sapientes graditur. »

Vers. 22. 22. QUASI LAPIDIS VIRTUS PROBATIO ERIT IN ILLIS, ET NON DEMORABUNTUR PROJICERE ILLAM. — « Virtus, » sive vis, « lapidis, » est lapidis fortitudo, pondus et gravitas : hujus adinstar « erit » stultis « probatio, » sapientiæ, *q. d.* Sicut homo ignavus, volens elevare et imponere humero vel capiti lapidem gravem et ponderosum, mox ut ejus gravitatem et pondus sentit, illico eum deponit et abjicit : ita stulti tentant quandoque addiscere sapientiam, eamque in humeros elevare et suscipere cogitant; sed mox ut ejus difficultatem, onus et pondus sentiunt, illico ex ignavia et amore suarum cupiditatum eam abjiciunt. Sicut ergo lapis probat vires corporis, sic sapientia probat vires animi; qui enim forti et resoluto animo eam complectuntur, omne ejus onus generose superant, itaque onus eis in levitatem, et quasi in pennas et plumas vertitur : qui vero depresso et carnali sunt animo, oneri ejus succumbunt, ideoque eam deseruut. Syrus et Hugo per *lapidem* accipiunt gemmam pretiosam; sic enim vertit Syrus, *sicut lapis est pretiosus super eum, ne intueatur et dimittat eam, q. d.* Stultus aspicit eminus sapientiam, quasi gemmam, v. g. adamantem, supra se et opes suas elevatam, quam proinde quasi nimii pretii cominus intueri non audet, ut eam comparet, et in pectus suum immittat, sed eam aliis ditioribus et nobilioribus emendam relinquit. Verum nemo est qui gemmam velit ἀποῤῥίψαι, id est abjicere. Quare melius alii passim accipiunt lapidem vulgarem, gravem et ponderosum; hujus enim pondus, qui supra suas vires esse sentit, illico abjicit. Unde Vatablus vertit, *tanquam lapis probatur gravis* (Græce ἰσχυρός, id est validus, fortis, ponderosus), *incumbit illi, nec moram interponit, quin eum excutiat.* Alludit ad lapidem luctæ; in lucta enim certabant viribus, quis majorem, magisque grandem et ponderosum lapidem ferre posset: hic enim vocabatur *lapis oneris*, sive discus, et Græce λίθος δοκιμασίας, id est *lapis probationis*, quia eo probabant et explorabant

Lapis oneris quis?

quantæ essent vires et robur cujusque, ut scirent quis cui antagonistæ in lucta deberet comparari et opponi : de quo Zacharias cap. XII, 3 : « In die illa, inquit, ponam Jerusalem quasi lapidem oneris cunctis populis : omnes qui levabunt eam, concisione lacerabuntur. » Vide ibi dicta. Hic ergo lapis ignavis et timidis est lapis oneris ; fortibus vero et sapientiæ, id est virtutis studiosis, est lapis roboris, gloriæ et triumphi, ideoque eis quasi in gemmam illustrem, puta in smaragdum, carbunculum et adamantem convertitur. Rursum, hic lapis est quasi lapis Lydius, qui probat et discernit aurum verum a falso et fictitio : pari enim modo disciplina sapientiæ probat et secernit veros discipulos a falsis. Unde huc alludens Isidorus Pelusiota *epist.* 400 : « Vir patiens, inquit, laborum exploratio est, et quasi lapis δοκιμῆς, id est probationis. » Nam, ut ait Nazianzenus in Carmine *De Virtute et vitiorum definitione* : « Patientia, malorum est decoctio. »

Moral. tribulatio est lapis oneris a Deo cuique admensus.

Moraliter, disce hic disciplinam, mortificationem, tribulationem, morbum, calumniam, persecutionem, esse lapidem oneris et probationis ; ejus enim onere probatur patientia, humilitas et fortitudo cujusque fidelis. Illam ergo quasi onus humeris nostris a Deo impositum hilariter capessamus, et generose portemus ; ita veræ sapientiæ decus, puta Dei gratiam, gloriam et coronam quasi athletæ Christi nanciscemur. Quocirca S. Augustinus in *Psalm.* LXXXVI : « Quadrati lapidis, inquit, similis esse debet Christianus ; in omni tribulatione non cadit, etsi impellitur ; et si qua vertitur, nunquam cadit ; nam quadratum lapidem quacumque verteris, stat semper : stantem te sic inveniat omnis casus. » Sic et Plato, Aristoteles, Plutarchus et Seneca patientes et fortes piosque viros vocant tetragonos, id est, quadratos. Philo vero lib. *De Sacrific. Cain et Abel*, labores et molestias comparat cum escis, quibus nutritur et roboratur homo : « Equidem existimo, inquit, laboris ubique eamdem vim esse. Nam, sicut a cibo tota vita pendet una cum suis actionibus : ita etiam a labore pendet quidquid in rebus bonum est. Ergo sicut qui vitam prorogare cupiunt, alimenta non negligunt : ita quotquot, quæ bona sunt, concupiscunt, laborum perpessionem magni faciunt ; sicut enim cibus se habet ad vitam, sic illa ad honestatem. » Porro Deus hunc lapidem cujusque viribus admetitur, ut minus forti minus ponderosum, magis forti magis ponderosum imponat ; aut certe, si pondus lapidis vires hominis superet, Deus homini vires adauget et ponderi commensurat. Quare nemo de nimio ejus pondere jure queri potest, nemo ab eo ferendo se excusare. Nam, ut ait Apostolus I *Corinth.* X, 13 : « Tentatio vos non apprehendat nisi humana : fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. » Denique pondus hujus lapidis sentiunt acedi et tepidi duntaxat ; nam amantes et ferventes dicunt cum S. Bernardo : « Labor meus non est nisi unius horæ ; et si amplius, non sentio præ amore. » Amanti enim nihil est difficile.

Vers. 23. Sapientia juxta nomen abscondita, quomodo ? Respondeo primo.

23. SAPIENTIA ENIM DOCTRINÆ SECUNDUM NOMEN EST EJUS, ET NON EST MULTIS MANIFESTA. — *Primo*, Hugo sic explicat : *Sapientia est secundum nomen ejus*, scilicet, stulti et excordis, de quo vers. 22, *q. d.* Stulti sapientiam doctrinæ reputant stultitiam, quia non capiunt, nec sapiunt ea, quæ dicuntur. Verum obstat Græcum αὐτῆς, id est *ejus*, quod est femininum, ac proinde stultum referre nequit, sed sapientiam.

Secundo.

Secundo, Dionysius, Lyranus et Robertus Holkot exponunt, *q. d.* Sapientia doctrinæ, id est sapientia hæc salubris et doctrinalis, docens summo bono adhærere, nomen habet a sua proprietate, et re ipsa, suaque actione, videlicet, ab interno divinorum sapore, et gustu dulcedinis summi boni ; dicitur enim sapientia a sapore, quasi sapida scientia. Hunc autem ejus saporem et gustum absconditum pauci percipiunt, nec nisi ejus studiosi. Verum obstat, quod Siracides fuerit Hebræus, non Latinus, scripserit que hebraice, ac proinde ad Hebræum sapientiæ nomen, non ad Latinum, respexerit.

Tertio.

Tertio, alii σοφίαν, id est sapientiam, censent alludere ad ζοφίαν, quasi σοφία sit ζόφος, id est caligo, puta obscura et arcana. Verum huic obstat idem quod priori ; Siracides enim hebraice scripsit, non græce. Potuit tamen ipse, utpote græce peritus, ad Græcæ linguæ tunc in Ægypto, ubi ipse hæc scripsit, usitatæ etymon secundario alludere. Ita Pineda in *Job* cap. XXVIII, vers. 18, in fine : Sophia, inquit, a ζόφος, id est a caligine, dicitur, quasi in caligine et ignoratione delitescens.

Quarto.

Quarto, Jansenius facile se expedit, sicque explicat : *Sapientia est secundum nomen ejus ;* hoc est, est id quod dicitur et prædicatur, nempe, arduares et excelsa, et non quibusvis obvia. Accedit Rabanus : « Sapientia, inquit, doctrinæ, sinceritas est legis divinæ ; quæ secundum nomen ejus est, hoc est, prudentia, veritas et virtus. » Consentit Hugo : Sapientia, inquit, ignota et occulta est tam quoad nomen, quam quoad rem : quia Philosophi disputant tam de nomine, quam de re sapientiæ. Quærunt enim quis sit sapiens ? quid sit sapientia ? Rursum sapientia occulta est, quia ipsa est prudentia, virtus et veritas occulte illuminans mentem, et inflammans voluntatem.

Quinto.

Quinto, aliqui pro αὐτῆς, id est *ejus*, legentes αὐτοῖς, id est *ipsis*, scilicet indoctis et excordibus, de quibus vers. 22 et 23, sic explicant, *q. d.* Sapientia secundum nomen est indoctis, hoc est, nomine tenus illis nota est, reipsa autem ignota ; vel quoad nomen duntaxat illis competit, *q. d.* Nomen habent sapientum ; revera autem sunt insipientes. Favet Tigurina : *nam sapientia talibus*

(excordibus) *de nomine tantum suo, neque adeo multis nota est.* Huc accedit S. Thomas II II, *Quest.* XLV, art. 2, ad 2 : « Videtur, inquit, hic nomen sapientiæ accipi pro ejus fama, quæ a cunctis commendatur, » *q. d.* Nomen et fama sapientiæ apud omnes est illustris; sed tamen pauci eam assequuntur. Ex adverso Syrus vertit, *nomen ejus sicut doctrina ejus, et stultis non revelatur, q. d.* Stultis, tam nomen quam doctrina sapientiæ est ignotum et invisum.

Sexto. *Sexto,* alii per sapientiæ nomen accipiunt, non nomen proprium, sed epithetum appropriatum; sapientia enim in Scriptura vocatur thesaurus absconditus, aurum, argentum, gemma, margarita, quæ absconduntur, vel in conchis maris, vel in abditis venis terræ. Vide *Job.* cap. XXVIII, vers. 12 et sequent., ubi sapientiam comparat auro et topazio abscondito : « Abscondita, inquit, est ab oculis omnium viventium : Deus intelligit viam ejus, et ipse novit locum ejus. » Ita Pineda in *Job.* cap. XXVIII, vers. 18, in fine. Nam cum sapientia, inquit, sæpe nominetur auri, gemmarum universarumque opum appellationibus, significatur esse aliquid reconditum in occultis recessibus, ideoque a paucissimis inveniri, et, quod in rebus rarissimis pretiosissimisque contingit, plerisque ignotam et occultam esse, et non nisi nomine tenus cognitam; qui autem semel illam invenit, si sapiens est, nunquam dimittit. Sic Christus sapientiam Evangelicam vocat thesaurum in agro absconditum : « Quem qui invenerit homo, abscondit; et præ gaudio illius vadit, et vendit universa quæ habet, et emit agrum illum, » *Matth.* XIII, 44. Et Apostolus passim vocat thesauros sapientiæ et scientiæ Dei absconditos in Christo. Thesaurus autem vocantur opes pretiosæ, arcanæ et absconditæ; dicitur enim θησαυρος quasi θέμενος εἰς αὔριον, id est, repositus et reconditus in futurum. Hac de causa Christus Dominus Patrem contestans ait : « Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita, Pater, quoniam sic placitum fuit ante te, » *Matth.* XI, 25.

Septimo. *Septimo,* sapientia doctrinæ, scilicet sacræ et divinæ, et nomine suo vocatur, et reipsa est mystica et abscondita. Dogmata enim ejus vocantur mysteria, id est, sacramenta et sacra arcana, ac doctores ejus vocantur mystæ, ἀπὸ τοῦ μύειν στόμα, id est, a claudendo ore, eo quod mysteria ejus silentio tegenda, ac non nisi paucis et dignis evulganda sint; idcirco Christus populo loquebatur in parabolis; Apostolis autem, apertis clarisque verbis, *Matth.* XIII, vers. 13. Hinc Paulus : « Loquimur, ait, Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, I *Cor.* cap. II, vers. 7. Et S. Dionysius, S. Pauli discipulus, scripsit librum *De Mystica Theologia.* Denique prisci illi sapientes sub et ante tempora Siracidis, ut Ezechiel, Daniel, Zacharias, Pythagoras, Plato, Trismegistus, sapientiam suam docebant per hieroglyphica, symbola, emblemata, ænigmata, ut eam celarent rudes et incapaces; capaces vero ad ejus studium excitarent. Unde signanter ait Siracides : « Sapientia doctrinæ, » *q. d.* Sapientia quatenus docetur a mystis et Theologis hujus ævi, tam quoad dogmata, quam quoad eorum nomina, est symbolica, obscura et ænigmatica.

Octavo genuine. Denique, ut plane et plene textui et litteræ satisfaciam, sensus est, *q. d.* Sapientia indoctis est aspera, et instar ponderosi lapidis, quem quia humeris ferre non valent, quia non volunt, hinc eum illico excutiunt. Nam sapientia, secundum nomen et etymon suum hebraicum, sonat rem laboriosam, difficilem, arduam, reconditam, quæ non nisi magno labore erui et in lucem produci potest, quia ipsa revera talis est. Id ita esse ostendo in quatuor Hebraicis vel Arabicis sapientiæ nominibus. *Primum* est *ilm* vel *talim;* radix enim עלם *alam,* hebraice significat *abscondit;* unde *alma* vocatur virgo viro incognita, et domi abscondita. Arabice vero (Arabica autem est affinis, et quasi dialectus Hebraicæ) *alam* significat : primo, abscondit; secundo, novit, scivit, certus fuit; inde עלם *ilm* vocatur sapientia, scientia, doctrina, ars, prudentia; תעלים *talim* vocatur informatio, studium, disciplina, tractatus; *alim* vocatur sapiens, sciens, prudens, doctus, litteratus; unde dicitur Elymas, id est magus, et rerum arcanarum peritus, uti dixi *Actor.* XIII, 8; *Muallim* vocatur doctor, magister, rabbi; *muallam* vocatur discipulus, studiosus. Unde Saraceni et Turcæ rem quampiam asseverantes et jurantes dicunt, אלא עלים *illa alim,* id est, Deus novit, qui novit arcana pectoris.

Elymas quid?

Magia unde? *Secundum* Hebræum sapientiæ nomen est Magia. מהגים *magim* enim, id est magi, apud Hebræos, indeque Chaldæos, Persas, Arabes aliosque Orientales vocantur sapientes, quasi meditantes et scrutantes arcana; et magia vocatur sapientia arcana. Radix enim הגה *haga* significat meditari, speculari, disquirere, scrutari. Unde *higgaion* est meditatio. Porro *haga* plane alludit ad *iaga,* id est laborare, dolore afficere, affligere, fatigare; quia scientia, quæ per meditationem paratur, magno labore et fatigatione mentis acquiritur; quam quia, velut lapidem onerosum, refugiunt insipientes; hinc pariter ad sapientiam penetrare nequeunt.

Tertium nomen sapientiæ est תלמוד *talmud,* id est doctrina; hoc enim alludit, et quasi includit עלם *alam,* id est abscondit; ut *talmud* dicatur quasi *almud,* puta, res abscondita. Rursum a *lamad,* id est docuit, et *talmud,* id est doctrina, derivatur מלמד *malmad,* id est stimulus, puta baculus aut virga, in cujus summitate est aculeus, quo bubulcus pungit boves; sic dictus, quod boves doceat arare, ait R. David. Pari modo juvenes a magistro, ferula quasi stimulo eruditur et docentur sapientiam; quare eis aspera et

molesta est sapientia. Hoc est quod ait Sapiens *Eccl.* XII, 11 : « Verba sapientium quasi stimuli, et quasi clavi in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt a pastore uno. »

Quartum et præcipuum sapientiæ nomen, quo passim utitur Salomon in Proverbiis, est חכמה *chochma ; chochma* autem noster Emmanuel Sa derivat a כמם *camas,* id est abscondere ; unde *camus* vocatur absconditus, reconditus, latens, *Deut.* XXXII, 34. Aut a כמן *keman,* quod chaldaice, syriace et arabice, significat *occultavit* : unde *michman,* id est thesaurus ; et *machman,* id est latibulum, spelunca. Verum *chochma* derivatur a חכם *chacham,* id est, sapiens fuit, uti norunt hebraice periti, non a *camas,* vel *keman.* Melius ergo חכמה *chochma,* id est sapientia, alludit ad אוח מה *och ma.* Litteræ enim *aleph* et *chet,* cum ambæ sint gutturales, sunt inter se commutabiles: *och* enim vel *ach,* Hebræis, æque ac Latinis, Græcis et cæteris, est interjectio, et naturalis vox dolentis, sive gemitus et suspirium lamentantis ; *ma* vero significat, quid, quantum. Sensus ergo est, *q. d. chochma,* id est sapientia, est *achma,* id est, suspirium, quo sapientiæ studiosus gemit et suspirat dicens : Ah quanti laboris est sapientia ! Ah quantum mihi cerebrum mentemque pro ea nanciscenda fatigo ! Ah quam arduum est sapere ! Nam ad sapientiam, puta virtutem, nanciscendam, opus est Socratico robore, ait S. Hieronymus ; sapientia enim hic non tam speculativa quam practica accipitur, puta virtus, quæ pariter a vi et virili robore dicitur ; eo enim ad virtutem assequendam est opus, ut ad illam totis viribus connitamur, perinde ut Hercules et Argonautæ ad vellus aureum. Quocirca virtus a Poetis dicitur habitare in editis et pene inaccessis rupibus, teste Clemente Alexandrino lib. IV *Stromat.*, sub initium : « Sudor, inquit, ante virtutem positus est. » Unde Hesiodus :

Chohma est achma ; sapientia est suspirium.

> Via longa est atque acclivis ad ipsam.
> Ardua namque prius ; sed cum ad fastigia ventum,
> Fit facilis.

Rursum *chochma* quoad omnes litteras alludit ad חוח *choach,* id est, spina asperrimis aculeis, et מה *ma,* id est quantum, *q. d.* O quot spinis obsita ! O quam spinosa, aculeata, difficilis et impervia est sapientia ! Quantum in ea est spinarum et sentium !

Insuper nonnulli *chochma* censent alludere ad Chaldæum אכם *acham,* id est, niger fuit, denigratus est, *q. d.* Quam atra, quam obscura, quam in tenebris recondita et arcana est sapientia ! Unde אחכמות *achmut* vocatur nigredo, tristitia et aurora, quia subnigra et obscura, quæ sapientiæ et philomusis est amica. Hinc quoque Chaldæi *achmeta* vocant scrinium, lagenam, vel urnam, in quo recondebantur litteræ, libri et memorialia regum, I *Esdræ* VI, 2, ubi Noster vertit, *in Ecbatanis,* quæ erat sedes regum Persarum. In simili enim Dei scrinio recondita est sapientia.

Igitur tam nomine quam reipsa ardua et laboriosa est sapientia, puta Dei gratia, virtus et salus, ideoque a paucis laboris avidis apprehenditur. Idcirco ait Christus *Matth.* XX, 16 : « Multi sunt vocati, pauci vero electi. » Et *Matth.* cap. VII, 14 : « Quam angusta porta, et arcta via est, quæ ducit ad vitam : et pauci sunt qui inveniunt eam ! »

ET NON EST MULTIS MANIFESTA. — Plane, sicut pulveris est multum in terra, auri parum : ita rari sunt, quibus sapientia innotescit, adeo nos mundi prudentia cæcavit, adeo sibi vindicavit, adeo nos sapientiæ Dei ad se vocanti et pellicienti, *Proverb.* I, 21, subtraxit. Huc facit gnome Rabbini prisci in *Pirke Avoth,* id est, in *Apophth. Patrum,* quæ sic habet : Dignitas et excellentia legis regium et sacerdotalem honorem suo splendore vincit, ac sublimitate supereminet ; quippe 30 gradibus ad regni culmen ascenditur ; 24 ad sacerdotii fastigium pervenitur ; at vero ad apicem intelligentiæ legis 48 necessaria sunt. Hæc autem sunt ista : studium, id est improba diligentia, docilitas in obediendo magistris, intensio animi, attentio et affectio cordis, timor ac tremor, animi demissio, gaudium, obsequium præstare sapientibus, subtilitas cum condiscipulis in disputando et argumentando, alacritas, patientia, studium scripturæ, peritia *misnæ,* seu legis oralis ac traditæ, parum negotiationis temporalis, parum somni, modicum risus, modicum delectationis, sæcularium negotiorum permodicum, in irascendo tarditas, cor bene affectum erga sapientes, fidelitas, tribulationum perpessio, suæ conditionis agnitio, sua sorte contentum esse, prudenter loqui, nec honorem sibi aut dignitatem aliquam arrogare. Sic amatur, et amat Deum, justitiam, increpationem et rectitudinem ; avertit se ab ambitionis vitio, nec propter eam, quam se habere novit in lege peritiam, vane extollitur, aut inflatur, aut libenter tanquam judex sententiam pronuntiat ; onus et jugum proximi sui suavissime ac placidissime portat ; omnia ejus dicta, vel facta in meliorem partem detorquet ; in pace eum et veritate confirmat ac roborat ; in suo se amat studio. Quærit et respondet ; audit quæ dicuntur ; et insuper addit de suo doctrinam ; discit, ut doceat, et in praxim, quæ a præceptoribus accepit, reducat. Acuit ingenium ac diligentiam magistri ; lectioni attentam aurem accommodat ; fideliter eum auctorem laudat, a quo quid accepit ; nam probe novit, eum qui illi fonti, a quo aliquid haurit, illud fideliter et sine invidia refert, salutem mundo ac redemptionem adducere, juxta illud *Esther* : « Et dixit Esther regi nomine Mardochæi. » Hucusque Rabbinus.

48 gradus ad sapientiam.

QUIBUS AUTEM COGNITA EST, PERMANET USQUE AD CONSPECTUM DEI. — Hæc verba nunc desunt in Græco, Syro et Arabico. Ostendit vers. præced. sapientiæ difficultatem : hic ejusdem ostendit

præstantiam, ut ejus studium in nobis exacuat, ne quis ob difficultatem eam refugiat; nam difficilia, quæ pulchra. Sensus ergo est, *q. d.* Dixi sapientiam esse arduam et difficilem; sed simul dico eam esse utilissimam, pulcherrimam et præstantissimam. Nam ipsa sui studiosos et familiares perducit usque ad conspectum Dei, puta ad beatitudinem, quæ in clara Dei visione consistit, in qua sola perfecta est sapientia. O vires aquilæ (puta sapientiæ) summas, quæ expandit alas, et assumit pios super eas, eosque super omnes cœlos ad Dei thronum et lucem inaccessibilem evehit et exaltat, juxta illud *Deuter.* XXXII, 11: « Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans, expandit alas suas, et assumpsit eum, atque portavit in humeris suis. »

Hinc nota Rabbinis et Judæis cognitum fuisse, quod felicitas nostra consistat in visione Dei, quodque ad eam ducat, eamque mereatur fides et sapientia, puta, virtus et charitas. Ita Rabanus: « Quibus, ait, agnita est, hoc est, qui eam recta fide ac bonis operibus servant, perducit illos ad contemplationem gloriæ Dei. Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. » Sic Christus *Joan.* cap. XVII, 3, cognitionem sapientiæ suæ vocat vitam æternam; qui enim practice eam cognoscit, id est, amat et moribus exprimit, hic pergit et pervenit ad vitam æternam: « Hæc est, inquit, vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum. » Quæ verba explicans S. Cyrillus lib. XI *in Joan.* cap. XVII: « Cognitio, inquit, est vita, spiritualem nobis benedictionem adducens, per quam Spiritus in cordibus nostris habitat, in adoptionem filiorum Dei, et veram pietatem per Evangelicam vitam, et incorruptibilitatem reformans. Cum igitur origo, et quasi pronuba dictorum omnium cognitio Dei veri esse inveniatur, recte a Domino nostro Jesu Christo vita æterna est appellata, quasi mater et radix, virtute naturaque sua vitam æternam pariens. »

Vers. 24. 24. AUDI, FILI, ET ACCIPE CONSILIUM INTELLECTUS, ET NE ABJICIAS CONSILIUM MEUM. — « Consilium intellectus, » sive intelligentiæ, vocat consilium intelligentis, puta consilium sapiens et prudens; Syrus: *Audi, fili mi, et suscipe doctrinam meam, et ne amoveas disciplinam meam;* Tigurina: *Audi, fili, et sententiam meam amplectere, nec renue meum consilium.* Consilium hoc subjicit, dicens:

Vers. 25. 25. INJICE PEDEM TUUM IN COMPEDES ILLIUS (sapientiæ), ET IN TORQUES ILLIUS COLLUM TUUM. — Syrus: *Immitte pedem tuum in rete ejus, et in sarcinam ejus immitte collum tuum;* Tigurina: *Pedes tuos in compedes ejus insere, et in nervum* (Vatablus, *in numellam*) *ejus cervicem tuam.* Nam vox *torques* hic non significat monilia et catenas aureas, sed boias, numellam, sive collare vinculum, quo collum canum v. g. stringitur: hoc enim significat Græcum κλοιός. Idipsum recte vocatur torquis, quia collum torquet et cruciat instar tormenti et torturæ. Sicut ergo pedes equorum, vaccarum et boum in pascuis et septis, ne ea transiliant, arctantur compedibus; et sicut canes cinguntur collari, ut per catenam illi annexam ab hero duci regique possint: sic pariter sapientia sua disciplina et castigatione, quasi compede et collari, ligat et stringit tam collum et caput, id est mentem, voluntatem et affectus, quam pedes, id est gressus, motus et actiones nostras, ne illecebra aut concupiscentia aliqua abrepti exorbitent, hominemque in abyssum præcipitent, sed ut sapientiæ ductum et disciplinam quaquaversum sequantur, itaque rectam virtutis in cœlum viam ineant. Sapientia enim non facit libertinos, ut volunt hæretici; sed compositos, maturos, rationi et disciplinæ subditos, ut caro serviat spiritui, spiritus Deo.

Porro torques et compedes significant in homine dominari animales appetitus et concupiscentias, quasi bestias et feras, quæ proinde instar bestiarum a sapientia et disciplina quasi compede et catena, domandæ, frenandæ et captivandæ sint, ne et seipsas et herum perdant. Audi S. Gregorium in *Psal. pœnitent.* V, explicantem vers. 21, *Ut audiret gemitus compeditorum*: « Sancti viri, inquit, non incongrue compediti dicuntur, quia ligati vinculis disciplinæ Dei, nequaquam ad ea, quæ exteriora sunt, vagantur; et quasi gressum operis immobiliter figunt, dum a Conditoris desiderio nusquam discedunt. De his namque compedibus scriptum est: Injice pedes tuos in compedes ejus, et in torques illius collum tuum; quia profecto cujus a pravitate gressus compescitur, ejus fides sanctarum veritate virtutum adornatur. Collum namque fides est, per quam Deo fidelis quisque conjungitur, et quasi per collum capiti suo Christo Ecclesia, quæ ejus est corpus, unitur. Unde in laudem Sponsæ in Canticis Canticorum dicitur: Collum tuum sicut monilia. Quia enim, sicut Jacobus ait, fides sine operibus mortua est; quasi collum sponsæ monilibus circumdatur, dum fides sanctæ animæ operibus decoratur. Gemunt continue compediti, quia dum exsilii sui tenebras electi considerant, ad claritatem visionis Dei indesinenter suspirant. »

Quocirca compedes hæ sapientiæ, non tam vincula sunt servitutis, quam insignia libertatis, quales erant compedes aureæ mulierum, de quibus Plinius, lib. XXXIII, cap. XII: « Argentum, ait, succedit ex ære aliquando et auro, luxu feminarum plebis compedes sibi ex eo facientium. » Unde et compedes hæ desinunt in torquem, quem aureum suspicatur S. Augustinus in *Psalm.* CXLVI: « Suscipit, ait, a vinculis ferreis, finitur ad torquem aureum. Dictum est enim de Sapientia: Ut torquem aureum circa tuam cervicem: non tibi imponeret torquem aureum, nisi primum in compedibus ferreis te alligasset. » Unde *Cantic.* I, 10: « Pulchræ sunt, inquit, genæ tuæ, sicut turturis; collum tuum, sicut monilia. » Ubi Chald.: « Quam

pulcher, ait, est populus hic, ut dentur eis verba legis, et sint sicut inauris in maxillis eorum, etc. Quam pulchra sunt dorsa eorum, ut sustineant jugum præceptorum meorum, et sint super eos, sicut jugum super cervices bovis, qui arat in aratro. » Denique S. Hieronymus, epist. 127 *ad Fabiolam* : « Vincula, ait, Domini voluntaria sunt, et vertuntur in amplexus ; quique his fuerit colligatus, dicit : Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. »

Vers. 26. 26. SUBJICE HUMERUM TUUM, ET PORTA ILLAM, ET NE ACEDIERIS VINCULIS EJUS. — Græca habent : *Subjice humerum tuum, et porta illam,* quasi lapidem oneris, de quo dixit vers. 22, et μὴ προσεχθίσῃς, id est, ut Complut., *ne sis inimicus ;* alii, *ne indigneris, ne offendaris vinculis ejus ;* Syrus : *Appropria humerum tuum, et porta eam, et ne contristeris in pondere ejus ;* Tigurina : *Humero tuo subjecto sustine eam, nec indigne feras ipsius vincula.* Noster vertit, « ne acedieris, » id est, acedia, tristitia, impatientia afficiaris ob vincula ejus manibus tuis injecta. Acedia enim parit tristitiam, tristitia iram, ira impatientiam rei gravis et molestæ. Ex Græco quis suspicari posset legendum esse, *ne acedieris,* id est, ne acide, id est, ægre et indigne feras, de quo dixi cap. IV, vers. 9.

Nominat quatuor totidem membrorum, eorumque præcipuorum, vincula : compedes enim vinciunt pedes, torques collum, sarcina humeros, manicæ manus ; quo significat sapientiam sua disciplina coercere et constringere omnia hominis membra, omnes sensus, omnes actiones. Speciatim vero per collum significatur phantasia et intellectus, per humeros appetitus, præsertim irascibilis, in quo regnat cupido se extollendi et dominandi, arrogantia et fastus ; sicut enim humerus collo adjacet et subjacet, ita appetitus subjacet phantasiæ et cognitioni : hæc autem omnia premit sapientia ; per manus significantur actiones, per pedes motus et gressus : quæ omnia rationis legibus quasi vinculis astringit sapientia, puta Dei lex, virtus et charitas, juxta illud *Roman.* VIII, 13 : « Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. » Igitur docet Siracides sapientiam habere compedes, quibus vinciat pedes ; compedes hæ sunt modestia : item manicas, quibus astringat manus ; manicæ hæ sunt continentia : ad hæc torques, quibus liget collum ; torques est obedientia ; denique ipsam esse onus (scilicet crucis) cui humeros supponamus oportet per patientiam. Ergo ut Christus crucem bajulando ei humeros supposuit, cui deinde clavis manus pedesque, id est, totum corpus astrinxit, ita tu crede sapientiam crucem esse, cui manus, pedes, totumque corpus et animam alligare debeas. Audisti Deum diligendum esse ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus, ex tota fortitudine, id est, ex omni toto tuo, puta ex pedibus, manibus, collo et corpore toto. Idipsum hic docet Ecclesiasticus : Sapientia enim est dilectio Dei, ut dixit cap. I, 14. Quocirca sapientia cohibet manus, ne cui noceant ; pedes, necubi exorbitent, vel offendant ; collum et corpus, ut a lege Dei non dimoveantur. Totum te Deus vult, totum te Deo sapientia suis hisce vinculis devincit et astringit. Ita Palacius.

Audi et Rabanum : « Injicit pedem suum in compedes illius, qui progressum vitæ suæ munit præceptis illius. Indit collum suum in torquem ejus, qui temperat sermones suos secundum regulam ipsius. Subjicit illi humerum suum ad portandum, qui actus suos subjicit magisterio illius, et implet opere quod jubet ; et ne quis tædiose et graviter ejus doctrinam accipiat, subjungit, » etc. Cornelius Tacitus, lib. *De Moribus German.*, scribit eos olim, dum lucum diis sacrum ingrederentur, vinculis se obligasse, ut se diis obstrictos profiterentur : unde et religio a religando dicta, quod animam Deo, cujus est, alliget et religet. Quidni ergo fidelis vinculis legis Dei sponte se Deo alligat ?

Symbolice, nonnulli hæc adaptant cultui et servituti B. Virginis (hæc enim æternæ Sapientiæ est mater), qua viri peculiariter devoti illi se consecrant, totosque se ejus obsequio velut servos, imo mancipia addicunt et mancipant. Exstat sodalitas, et praxis hujus servitutis edita hoc titulo : *Mancipium Mariæ, hoc est, modus dedicandi se B. Virgini in mancipium.* Sic ante 300 annos Florentiæ septem viri eximie pii se devoverunt cultui B. Virginis, ac instituerunt Ordinem Servorum B. Virginis, indeque Servitæ sunt appellati, atque B. Virgo id ratum gratumque habuit ; ipsa enim singulis separatim per quietem apparuisse dicitur cum magno et illustri Angelorum exercitu, una manu pullam tunicam, altera librum apertum tenens, jubens eos deinceps illa veste uti, et illa regula, quam S. Augustini esse aiebat. Ita habent Annales Ordinis Servorum, et ex iis noster Platus, lib. I *De Bono status Relig.* cap. XXXIV.

Ante hos anno Domini 1050 primus Marinus, B. Petri Damiani frater, solemni ritu sese obsequio B. Virginis velut mancipium dedicavit. Ritum enarrat ipse Damianus lib. II, epist. 14 *ad Desiderium Abbatem Cassinensem* : « Altari, inquit, se B. Dei Genitricis velut servile mancipium tradidit, et pro servilibus numellis collo corrigiam, qua cingebatur, innexuit, et humeros denudans, mox se quasi servum malum coram Domina sua verberibus affecit ; atque in veræ servitutis tesseram servile tributum pendens, quamdam pecuniæ summam in altaris crepidine posuit, dixitque : Per istud ergo munusculum servitutis me, o Domina, tibi nunc offero, et amodo, quoad vixero, certi canonis appendam annuale tributum. » Quo demum obsequio id assecutus est vir optimus, ut suavissimam in morte Dominam videre meruerit, quam et his verbis allocutus est sacri gaudii et confidentiæ plenissimus : « Et quid est, o Domina mea, Regina cœli et terræ, quia

visitare dignata es pauperculum servum tuum? Benedic me, Domina mea : nec patiaris me in tenebras ire, cui lucem tantæ præsentiæ dedisti. » Tum roseo vultu ad circumstantes : « Venit, inquit, Regina mundi, venit Mater Redemptoris æterni, hilaritatem mihi sereni vultus ostendit, benedixit et abiit. » Ille vero inter hæc relicto nobis clarissimo amabilis hujus servitutis exemplo, suavissime exspiravit. Et hinc fluxit sacrum illud servitium Mariæ, hæc illius est origo servitutis, nec obscure cœlesti prodigio comprobata. Quare hic sacer mancipatus uti nobilis (quid enim nobilius quam Dei Matris esse servum et vernaculum), ita sanctus et perutilis est. Nam B. Virgo sui cultores rectis itineribus in cœlum ad suum gloriæ thronum perducit : ut proinde illi recte adaptes id quod subdit Siracides vers. 30 : « Erunt tibi compedes ejus in protectionem fortitudinis, et bases virtutis, et torques illius in stolam gloriæ. »

Vers. 27. 27. IN OMNI ANIMO TUO ACCEDE AD ILLAM, ET IN OMNI VIRTUTE (δυνάμει, id est potentia, vi, robore) TUA CONSERVA VIAS EJUS. — « In omni, » id est toto, « animo. » Est enallage et catachresis : ponitur enim totum universale pro toto quanto, sive integro. Unde Complutens. vertunt, *in toto animo accede ad illam;* Syrus, *in toto corde tuo accede ad eam, et in tota virtute tua* (puta, totis viribus) *custodi vias ejus;* Vatablus, *animo toto aspires ad illam, et pro virili parte serves ejusdem vestigia.* Sunt enim, qui frigide, languide, et quasi dimidiata voluntate se dare volunt sapientiæ : at hi eam non assequuntur, quia ipsa totum cor, totum animum et affectum deposcit, ut ejus studiosus ingenti animi ardore in eam feratur, ad eam magnis desideriis suspiret et anhelet, tum ut eam mente percipiat, tum ut perceptam opere adimpleat.

Vers. 28. 28. INVESTIGA ILLAM, ET MANIFESTABITUR TIBI, ET CONTINENS (ἐγκρατὴς, id est *compos*) FACTUS NE DERELINQUAS EAM. — Syrus : *Investiga, et scrutare, et quære, et invenies; confortare in ea, et ne dimittas eam;* Tigurina : *Fac illam investiges, et inquiras : nam tibi cognoscenda dabitur; cæterum assecutus eam, ne deseras.* Hic ergo est ordo, quo acquiritur et possidetur sapientia. Primo, investiganda est eo studio et sagacitate quo venatores investigant lepores et cuniculos in suis antris latitantes; ac ne de ea invenienda desperes, vel de longa investigatione queraris, et tædio afficiaris, certus esto quod, si quærere perrexeris, illa se manifestabit tibi. Deinde eam assecutus constanter retine, nec ullo metu vel præmio deseras. Perseverantia enim coronat sapientiam, æque ac virtutes cæteras. Hoc est quod ait Christus *Matth.* VII, 7 : « Petite, et dabitur vobis : quærite, et invenietis : pulsate, et aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit; et qui quærit, invenit; et pulsanti aperietur. » Ita se res habet apud Deum, Deique sapientiam : secus est apud homines, hominumque scientiam, ubi subinde multi petunt, quærunt et pulsant; sed nihil aut parum inveniunt, vel ob ruditatem et tarditatem ingenii, vel ob defectum magistrorum, vel ob alias causas.

Nota : Pro *continens*, Græce est ἐγκρατὴς, id est, tenens, obtinens, occupans, possidens, qui dominium et potestatem in aliquam rem obtinet; et quia tales sunt temperantes, qui dominantur gulæ et ventri, quasi appetitus domini, hinc ἐγκρατὴς significat quoque continentem, id est, temperantem. Sic *Sapient.* VIII, 21, dicitur : « Ut scivi, quoniam aliter non possem esse continens (id est, compos voti, puta, obtinens sapientiam), nisi Deus det, adii Dominum, et deprecatus sum. »

Vers. 29. 29. IN NOVISSIMIS ENIM INVENIES REQUIEM IN EA, ET CONVERTETUR TIBI IN OBLECTATIONEM. — Syrus : *In fine invenies requiem et blanditias, et lætaberis in novissimo tuo.* Itaque τὸ *in novissimis* idem est quod *in fine*, studii scilicet et laborum, quos impendisti addiscendæ et acquirendæ sapientiæ, puta virtuti. Hebr. enim אחריה *acharit*, quod Latinus interpres vertere solet novissimum, significat *post, postea, posterius.* Excitat ad sapientiæ, id est virtutis, studium, spe præmii et fructus; *q. d.* Ne te tædeat laborum quos impendis, ut te et tuas concupiscentias vincas, ac virtutem acquiras; quia, ubi per continuum laborem concupiscentias domitas et rationi obedientes habueris, virtus tibi per consuetudinem fiet facilis et jucunda, tum ob suum decus et pulchritudinem, qua se omnibus efficit amabilem; tum quia affert miram conscientiæ requiem, serenitatem et lætitiam. Quocirca omnis prior amaritudo, quam sensisti in ejus studio, vertetur tibi in oblectationem, inchoate quidem in hac vita, perfecte vero in futura, quando propter eam æterna felicitate donaberis.

Vers. 30. 30. ERUNT TIBI COMPEDES EJUS IN PROTECTIONEM FORTITUDINIS, ET BASES VIRTUTIS, ET TORQUES ILLIUS IN STOLAM GLORIÆ. — Syrus : *Et erunt tibi retia* (sapientiæ) *sedes fortis, et vestimentum honoris induet te, et coronam gloriæ nectet tibi;* Vatablus : *Compedes ejus erunt tibi præsidio validissimo, solidoque firmamento, et ejusdem nervi* (vel *trunci*, sive *boiæ*) *honorifico amictui.* Versu præced. duos sapientiæ, sive virtutis, fructus assignavit, scilicet, mentis requiem et lætitiam; hic quatuor alios assignat, scilicet, protectionem, corroborationem, libertatem et gloriam, *q. d.* Compedes, quos tuis pedibus et gressibus injecit sapientia, prima fronte visi sunt tuos pedes et gressus impedire ignominia et servitute afficere, deprimere et debilitare; at ubi iis consueveris, senties eas tibi verti « in protectionem fortitudinis, » id est, fortem, ac « bases virtutis, » id est roboris, hoc est robustas, *q. d.* Firmabunt tuos pedes et gressus, ut in iis quasi in basibus firmis libere et firme consistas; nec timeas lapsum, vel ruinam in peccatum, et pœnas illud consequentes, aut dæmonum aliorumve hostium incursum : quia contra hæc omnia te valide protegent et corroborabunt; rursum

torques, sive nùmella, quas sapientia injecit collo tuo, quasi servo fugitivo, vel reo, vertentur tibi in ornamentum, et in stolam gloriæ, quasi principi vel regi, utpote qui quasi rex per sapientiam imperes omnibus tuis affectibus et motibus, ideoque libere et liberaliter.

Hæc maxime experieris in novissimis proprie dictis, puta in hora mortis, et in die judicii; tunc enim contra omnes dæmonum tentationes et furias virtus te proteget, roborabit et decorabit. Erit ergo in die judicii virtus tibi quasi turris et basis inconcussa, ut in rigoroso Christi judicio et ira immotus et imperturbatus consistas, ab eoque coram Angelis et Sanctis omnibus orneris stola immortalitatis et gloriæ cœlestis. Ita Rabanus. Sic Christus cruci quasi latro clavis et funibus affixus, ipsam crucem, clavos et funes vertit in suum robur, triumphum, imperium et gloriam. « Regnavit » enim « a ligno Deus, » ideoque hæc ipsa jam a regibus adorantur, et in labaris ac vexillis quasi trophæa gestantur. Addidi funes, quia verisimile est Christum non tantum clavis, sed et funibus cruci fuisse astrictum : clavi enim manuum et pedum non potuissent soli tantam corporis molem sustinere; et funes hi e Jerusalem Romam a S. Helena delati, servantur in ejus palatio, nunc templo S. Crucis in Jerusalem, uti habet programma sacello ejus subterraneo præfixum. Hujus rei typo Joseph Patriarcha, cui ob amorem sapientiæ, virtutis et castitatis, compedes et vincula injecta, commutata sunt in annulos et torques aureas, ac stolam byssinam, quando ob vaticinia et providentiam futuræ sterilitatis a Pharaone creatus est princeps Ægypti, curruque regio vectus, salutatus est Salvator mundi. Quod mystice explanans S. Ambrosius lib. *De Joseph* : « Quid sibi vult, ait, annulus » digito insertus, nisi ut intelligamus pontificatum ejus fidei esse delatum, ut alios ipse signaret? Quid stola, « quæ est amictus sapientiæ, nisi tributum ei ab illo rege cœlestis prudentiæ principatum? Torques aureus intellectum bonum videtur exprimere. Currus significat fastigium sublime meritorum. » Vide dicta *Genes.* XLI, vers. 42 et 45.

Porro alludit Siracides de more ad illud Salomonis *Proverb.* I, vers. 8 et 9 : « Fili mi, audi disciplinam patris, etc., ut addatur gratia capiti tuo, et torques collo tuo. » Septuaginta : *Coronam enim gratiarum,* aut *charitum suscipies tuo vertici, et torquem aureum circa collum tuum.* Ubi Lyranus : Antiquitus, ait, sapientes utebantur torque aureo, et bulla ad pectus demissa in sapientiæ symbolum, quæ in pectore claudi existimatur. Addit Abulensis in *Genes.* cap. XLI, torques principibus olim dari solitos; at non omnibus, sed iis qui sapientiæ laude erant celebres : corona enim erat insigne principatus et potestatis, torques vero potestatis cum sapientia conjunctæ. Ita Baltazar Danieli, si somnium suum sapienter interpretatus fuisset, torquem promisit : « Purpura, ait, vestieris, et torquem aureum circa collum tuum habebis, et tertius in regno meo princeps eris, » *Danielis* II, 7. Et Darius Zorobabeli et sociis disputantibus quidnam esset fortissimum, victori quasi sapientiæ palmam ferenti, promisit, « purpura cooperiri, cidarim byssinam, et torquem circa collum : et secundo loco sedebit a Dario, inquit, propter sapientiam suam, et cognatus Darii vocabitur, » III *Esdræ* III, 6. Ubi nota : Olim insigne sapientis erat cidaris byssina; cum enim cæteri uterentur tiara simplici, sapientibus tiaram bysso obligabant, eamque vocabant cidarim byssinam, ut docet Brissonius lib. *De Regno Persico.* Huc alludit hic Siracides, cum sapienti quasi insigne debitum promittit stolam byssinam; cum stola enim byssina dabatur et cidaris byssina. Unde Syrus vertit, *et coronam gloriæ* (puta, cidarim byssinam) *nectet tibi.*

Rursum alludit ad *Proverb.* cap. IV, vers. 8, ubi Salomon philomuso et sapientiæ studioso promittit ejus præmia, dicens : « Dabit capiti tuo augmenta gratiarum, et corona inclyta proteget te; » Hebræus, *dabit tibi copulam gratiæ, et diadema decoris muniet te;* Septuaginta, *ut det capit tuo coronam gratiarum corona autem deliciarum proteget te;* Chaldæus, *et ponet in capite tuo pulchritudinem gratiæ, et corona decoris erit super te.* Hanc enim Siracides alia metaphora vocat stolam gloriæ.

Tropologice noster Pineda in *Job.* cap. XXVII, 6, per *compedes* accipit obligationes et vota perfectioris vitæ; nam hæc ipsa vincula, quæ sunt nostræ imbecillitatis argumenta, eadem ipsa sunt quasi torques et bases virtutis, id est, supplementum fortitudinis, et præsidium validissimum ad retinendam fortiter sanctitatem, quam semel tenere cœpimus. Ita S. Gregorius lib. XXXI *Moral.* cap. XI : « Potenter dimicantibus, inquit, in munere torques datur, ut, quia signa virtutum gestant, majora semper exerceant, et debilitatis crimen incurrere nequeant, dum in semetipsis jam fortitudinis est præmium, quod ostentant. » Et Beda in illud *Ezech.* XVI, 11, *Et torquem circa collum tuum* : « Additur, inquit, et collo torques, cum fulgore perfectæ operationis, sermo prædicationis, qui per collum procedit, confirmatur; ac ne contemni ab auditoribus debeat, indeficiente virtutum connexione docetur. Torques igitur iste, ex propriis constans laboribus, quem Deus sponsæ suæ collo circumdat, omnibus mundi divitiis pretiosior est : siquidem eam suaviter intra metas virtutis continet, et a vitiis, quæ damnat, abducit. »

31. DECOR ENIM VITÆ EST IN ILLA, ET VINCULA EJUS ALLIGATURA (Rabanus legit, *nectura;* alii, *netura;* hoc enim est κλῶσμα) SALUTARIS, — *q. d.* Sapientia et lex Dei, quæ tibi quasi servo initio erat ignominiosa, molesta et arcta, quasi compedes, eadem tibi jam illi assuefacto erit decor decorans, et ornans tuam vitam. Rursum pariet tibi decorem et gloriam vitæ cœlestis et æternæ; vita enim Vers. 31

gratiæ, et multo magis vita gloriæ, est pulcherrima, plenaque omni decore et majestate. Denique ejus vincula erunt tibi alligatura salutaris; sicut enim medicus manui tuæ vulneratæ medelam adhibens, manum fasciis alligat, ac illa ligatura salutaris est, quia salubrem sanitatem et libertatem manui restituit: ita sapientia et lex Dei, ut vulneribus peccatorum et concupiscentiarum medeatur, ea legibus suis stringens et alligans, iisdem hac sua alligatura salutem et libertatem conciliat.

Græca pro *decor vitæ* habent, *ornatus auri*, et pro *alligatura salutaris* habent, *nexus hyacinthinus*. « Decor aureus, inquiunt, est in ea, et vincula illius nexus hyacinthinus; » vel, ut Romani codices legunt, *et vincula illius fila hyacinthina;* Vatablus, *ornatus enim ipsi est aureus, et hyacinthino textu vincula;* alii, *ornamentum aureum est super illam, et vincula ejus vittæ hyacinthinæ*. Aureus enim ornatus est summus apud homines, et vestis ianthina sive hyacinthina olim erat vestis regum et principum. Significat ergo sapientiam et virtutem ornare sui studiosos, eosque facere reges et principes, imo homines cœlestes, Deique filios et aulicos. Vide quæ de hyacintho dixi *Ezech.* XVI, 10. S. Ambrosius lib. II, epist 12 *ad Valentinianum Imp.* sic legit: « Aurea est lingua sapientum, quæ phaleratis, inquit, dotata sermonibus, et quodam splendentis eloquii velut coloris pretiosi corusco resultans, capit animorum oculos specie formosi, visusque perstringit. » Talis fuit lingua S. Joannis Constantinopolis Patriarchæ, qui ab ea cognominatus est Chrysostomus, id est, aureum os; et B. Petri cognomento Chrysologi, id est, aurei sermonis.

Alludit ad vittas hyacinthinas, quas in fimbriis vestium gestare Judæos jussit Deus, ut per eas recordarentur sapientiæ, puta legis Dei; simul ut iis dignoscerentur a Gentibus, et ornarentur quasi populus Deo et sapientiæ dicatus. Hæ enim *Numer.* XV, 38, hebr. vocantur פתיל תחלת *petil techelet*, id est, filum hyacinthi; græce, κλῶσμα ὑακινθινον (quas voces in Græco hic usurpat Siracides); nam κλῶσμα, vel κλωστόν, dicitur filum retortum: de hisce enim sic sancit Deus *Numer.* XV, 38: « Dices ad eos (Judæos, sive filios Israel) ut faciant sibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas, quas cum viderint, recordentur omnium mandatorum Domini, nec sequantur cogitationes suas et oculos, per res varias fornicantes; sed magis memores præceptorum Domini, faciant ea, sintque sancti Deo suo. » Hæ ergo fimbriæ erant quasi pedum compedes, cohibentes eos a vitiis, et cogentes eos recta in via mandatorum Dei incedere, ac pergere in cœlum. Idcirco enim hæ fimbriæ erant ianthini, id est, violacei et cœlestis coloris, ut per hoc monerentur conversationem et spem suam debere esse in cœlo, utque cogitationem habentes apud Deum, Dei timorem et præsentiam semper ob oculos ponerent, itaque recta ad eum in cœlum contenderent.

32. STOLAM GLORIÆ INDUES EAM. — *Stola* vestis erat ad talos promissa et decora, eratque tam virorum, quam mulierum. Perperam multi codices legunt *stola*, quasi stola gloriæ amicienda sit ipsa sapientia: non enim sapientiam, sed sapientiæ studiosum stola ornandum significat. Sensus ergo est, *q. d.* « Eam, » scilicet sapientiam, o philomuse, « indues, » quasi « stolam gloriæ, » *q. d.* Sapientia ornatus, ubique conspicuus et illustris incedes, perinde ac si amictus esses stola splendida et gloriosa. Est Hebraismus: Hebræi enim sæpe subticent, et supplendas relinquunt notas similitudinis, *quasi, velut, sicut*. Tigurina, *ut amictum honorificum indues eam*. Vers. 32.

ET CORONAM GRATULATIONIS (puta lætam, jucundam, insignem, splendidam, de qua proinde gaudeas, tibique gratuleris) SUPERPONES TIBI. — Græce, *et coronam* ἀγαλλιάματος, id est *exsultationis*, quæ te, scilicet præ gaudio exsilire et exsultare faciat, *circumpones* tibi; Vatablus, *et festivam tibi coronam impones*. Corona debetur sapienti, quasi sacerdoti, regi et triumphanti, ut dixi cap. I, 11, et tanquam bonis omnibus cumulato et perfecto, uti dixi cap. I, 22. Corona enim rotunda, totumque caput ambiens, symbolum est perfectionis et complementi. Hanc coronam opponit, imo imponit, labori et oneri, quo caput et mentem studendo, et studiose vincendo suas cupiditates, fatigavit sapientiæ studiosus.

Hæc ergo sunt quatuor insignia sapientiæ studiosi, totidem laboribus ejus debita, et ab eo promerita. Pro labore enim capitis datur ei corona exsultationis; pro compedibus datur ei torques aurea; pro onere humeris ejus imposito datur ei epomis, sive superhumerale, quale datum fuit Aaroni, de quo dixi *Exodi.* XXVIII, 6; pro veste sordida datur ei stola gloriæ. Unde etiamnum hæc quasi doctoratus insignia dantur Doctoribus, dum creantur, scilicet pro corona birretum, torques aurea, epomis et stola byssina. Sic olim Pythagoram celebrem sapientiæ doctorem alba veste, quæ summarum potestatum propria esset, amiciri, ac caput aurea corona redimiri, solitum tradit Ælianus lib. XII *Variæ histor.* cap. XXXII. Demosthenem quoque ob sapientiam et eloquentiam aurea corona donatum ab Atheniensibus testatur Plutarchus. Ab iisdem eadem insignitum Zenonem, parentem Stoicorum, quod vitam rigidam quam docebat, præiret exemplo, narrat Laertius lib. VIII. « Viros enim sapientes et bonos oportuit coronari, » ait Athenæus ex Euripide, lib. II. Doctorum insignia quatuor.

Quocirca in *Panegyrico Constantini Augusti* ita legimus: « Merito igitur tibi, Constantine Imperator, senatus signum Dei, et paulo ante Italia scutum et coronam, cuncta aurea dedicarunt, ut conscientiæ debitum aliqua ex parte relevarent. Etenim sæpe debetur et divinitati simula-

crum aureum, et virtuti scutum, et corona pietati. Eamdem coronam designat Sara orans dicensque: Domine, quisquis tui cultor est, hujus vita, etsi experimentis subjacet, tamen pro certo habet se iri coronatum, *Tobiæ* III, 21. Et S. Joannes *Apocal.* IV, 4 : « Super thronos, inquit, viginti quatuor seniores sedentes circumamicti vestimentis albis, et in capitibus eorum coronæ aureæ. » Hos seniores Prudentius, lib. I *Contra Symmachum*, vocat Sapientes :

> **Estne ille e numero paucorum, qui diadema**
> **Sortiti æthereæ coluerunt dogma Sophiæ?**

Hinc anagogice accipias hic stolam immortalitatis, et coronam gloriæ, quam Deus sapientibus, id est Sanctis, præparavit in cœlo. Unde Hugo ait stolam denotare beatitudinem animæ et corporis, coronam vero aureolam. Holkot ex adverso per stolam accipit aureolam, per coronam vero gloriam Beatorum. Huc facit corona sapientiæ, quæ olim ex olea plectebatur, de qua Herodotus lib. II. Plura vide apud Carolum Paschalium lib. V *De Coronis*, cap. x et sequent.

Vers. 33. 33. FILI, SI ATTENDERIS MIHI (ut ames sapientiam, eamque omni studio prosequaris), DISCES (eamdem). — Unde Græca et Syrus habent, *si volueris, fili*, scilicet attendere et obedire mihi, ut vaces sapientiæ, *erudieris*. Explicata sapientiæ asperitate et præstantia, transit ad modos eam assequendi. Dispositio ad sapientiam prima, est amor ejus. Igitur ad eam dispositiones et modos assignat: *prima* est amor sapientiæ; qui enim ardenter aliquid amant, totis viribus ei incumbunt; quo fit ut in eo proficiant et perficiantur, juxta illud Sallustii : « Ubi intenderis ingenium, ibi valet. »

SI ACCOMMODAVERIS ANIMUM TUUM MIHI (et sapientiæ), SAPIENS ERIS. — Græce, *et si tradideris animam tuam ;* Vatablus, *si adverteris animum tuum, evades callidus ;* Syrus, *si apposueris cor tuum, fies astutus*, id est, prudens et sapiens. Prudentiæ enim pars est circumspectio astuta et callida. Unde in Proverbiis nomina *astutus* et *callidus* sumuntur pro prudenti. Arabicus : *O fili mi, si volueris, fuisti sapiens ; et si separasti cor tuum ad sapientiam, fuisti divinans illam*, quasi per divinationem et revelationem divinam accipiens illam. *Fuisti*, id est, *eris ;* est Arabismus : Arabes enim præteritum usurpant pro futuro, ad confirmandum id quod dicitur, *q. d.* Ita certo res erit futura, ac si jam fuisset præterita. Idem faciunt Hebræi, ut patet in Prophetis.

Vers. 34. 34. SI INCLINAVERIS AUREM TUAM, EXCIPIES DOCTRINAM (Græce σύνεσιν, id est intellectum, intelligentiam); ET SI DILEXERIS AUDIRE, SAPIENS ERIS, — sapiens evades. Græca invertunt verborum ordinem; sic enim habent : *Si dilexeris audire, recipies intellectum ; et si inclinaveris aurem tuam, sapiens eris ;* Tigurina : *Si audieris libenter, scientiam percipies; et si aurem tuam admoveris, adipisceris sapientiam.*

Secunda est hæc dispositio ad sapientiam, scilicet, eam audire. Auditus enim est sensus disciplinæ, ait Aristoteles. Secunda, eam audire.

Vers. 35. 35. IN MULTITUDINE PRESBYTERORUM (seniorum) PRUDENTIUM STA ; ET SAPIENTIÆ ILLORUM EX CORDE CONJUNGERE. — Græca : *In multitudine presbyterorum sta; et qui sapiens, ei conjungere.* Sunt enim nonnulli presbyteri et senes insipientes, a quibus proinde non sapientia, sed insipientia discitur. Syrus : *In congregatione senum esto stans, et vide quis sit sapiens, et adhære illi ;* Vatablus : *In cœtu senum consiste, et adjunge te cuivis sapienti.* Nota τὸ *in multitudine* : a multis enim multa audiuntur, et difficile est multos sapientes simul errare.

Tertia est hæc via ad sapientiam, nimirum, ut magistros sapientiæ eligamus, non quosvis, sed seniores sapientia præditos : hi enim sapientiam, quam longo usu et studio didicerunt, optime docent juniores. Peccavit contra hoc Roboam, qui respuit consilia senum, et secutus phantasiam juvenum, potiore parte regni excidit, III *Regum* XII. Peccant et superbi, præsertim hæretici, qui proprio fidentes ingenio, absque magistrorum traditione Sacram Scripturam tentant scrutari, ait Rabanus ; quod quam periculosum sit, eorum lapsus, errores et hæreses declarant : superbia enim facit ut suas sententias et sectas traditioni Ecclesiæ et doctrinis sanctorum Patrum præferant; quos proinde taxat Salomon *Proverb.* cap. II, 13 : « Qui relinquunt, inquit, iter rectum, et ambulant per vias tenebrosas; qui lætantur, cum malefecerint, et exsultant in rebus pessimis; quorum viæ perversæ sunt, et infames gressus eorum. » Et cap. III, 7 : « Ne sis sapiens apud temetipsum. » Jubet ergo Siracides senes et senum sententias audiri et consuli. Tertia, audire senes sapientes.

Hinc Dio Chrysostomus proverbia appellat cana verba, non antiquata, sed antiquitate senescentia, gravia et matura. Et quidem id ipsum, quod viro canities et senectus afferunt, verbis ex antiquitate accedit, auctoritas videlicet, gravitas, maturitas, pondus. Ex quo fit ut, quemadmodum senes grandævosque adire solemus, ut consilium ab ipsis petamus : sic nonnunquam proverbia adagiaque antiqua adhibenda sunt in consilium, quæ canam quamdam et omni senecta graviorem continent veritatem. Utrumque simul præcipit Ecclesiasticus hic, senes pariter atque proverbia consulere. « In multitudine, inquit, presbyterorum sta, et sapientiæ illorum ex corde conjungere, et proverbia laudis non effugiant a te. » In Græcis est, παροίμιαι συνέσεως, id est, adagia intellectus, scita nimirum et docta. Hinc factum ut Romani Imperatores magnis de rebus consulti proverbiis nonnunquam responderint. Illud nunc exstat in *Digestis* : « Nec omnia, nec passim, nec ab omnibus; » quod citatur ab Ulpiano in *Pandect.* lib. I, tractatu de officio Proconsulis, ex Epistola Severi et Antonini Imperatorum. Ita noster Salazar in *Proverb.* cap. I, vers. 38. Huc facit Sophoclis

exemplum. Ipse enim decrepitus, a filiis accusatus dementiæ, judicibus recitavit fabulam quam proxime scripserat, rogans num ea foret delirantis? Addiditque : « Si sum Sophocles, non deliro; si deliro, non sum Sophocles. » Præclare S. Hieronymus : « Omnes, inquit, pene virtutes corporis mutantur in senibus, et crescente sola sapientia, decrescunt cætera. » Et inferius : « Senectus, etc., ætate fit doctior, usu tritior, processu temporis sapientior, et veterum studiorum dulcissimos fructus metit. » Hæc et plura S. Hieronymus, epist. 12 *ad Nepotianum*. Et *Job*. cap. XII, 12 : « In antiquis, inquit, est sapientia, et in multo tempore prudentia. » Quin et Socrates, teste Platone in *Sympos.*, aiebat tum oculum mentis instar aquilæ acute cernere, cum corporis oculus hebescit et caligat. Et Plautus in *Trinummo* : « Sapientiæ, ait, ætas condimentum est, sapiens ætati cibus est. » Et Cicero de *Senect.* : « Temeritas, ait, est florescentis ætatis, prudentia senectutis. » Solon, rogatus quid esset senectus, respondit : « Est vitæ hiems; » verius dixisset : « Est ver sapientiæ. »

Quarta, legere gnomas veterum.

UT OMNEM NARRATIONEM DEI (quæ est de Deo rebusque divinis, quæque ex Dei libris, vel ex Dei Ecclesia, traditione accepta est) POSSIS AUDIRE, ET PROVERBIA LAUDIS (id est laudabilia, puta sententiæ eruditæ et graves) NON EFFUGIANT A TE. — Vatablus, *narrationem divinam omnem libenter audias, nec te recondita prudentiaque dicta fugiant.* Sicut enim apes undique in omnes flores involant, ut inde mel colligant : ita ex omnibus sapientibus de rebus divinis audienda et colligenda est sapientia. Idem præcipit S. Bernardus in *Formula honestæ vitæ* : « Nunquam, ait, sis otiosus, quin aut legas, aut aliquid de Sacris Scripturis mediteris; vel certe, quod melius est, rumines psalmos; operando nihilominus incessanter quod tibi fuerit injunctum, ut semper te diabolus inveniat occupatum. Illas etiam Scripturas libentius legas, quæ præcipue erga Christum tuum magis inflamment affectum. » *Quartus* est hic modus et via ad parandam sapientiam.

Nota : « Narrationem Dei » vocat *primo*, narrationem præceptorum Dei; *secundo*, narrationem acceptam a Deo, saltem mediate, puta, mediante Ecclesia, ejusque Doctoribus; *tertio*, narrationem quomodo res quælibet secundum Deum Deique voluntatem disponi et agi debeat; *quarto*, narrationem operum et gestorum Dei, quæ, scilicet, fecit pro populo suo fideli, vel contra infideles, ut contra Pharaonem, quæ narrantur in Genesi, Exodo, libris Regum, etc. Ex his enim sapientia colligitur : si enim historia profana est magistra vitæ, quanto magis historia sacra Dei? Rursum « proverbia laudis » vocat laudabilia et laude digna, vel quæ in Dei laudem sunt conscripta, quales sunt multi Psalmi, inquit Palacius.

Vers. 36. 36. ET SI VIDERIS SENSATUM (sapientem, prudentem), EVIGILA AD EUM (id est, primo diluculo studiose et assidue perge ad eum audiendum; quod alibi Scriptura vocat *manicare*, id est, mane surgere et festinare) : ET GRADUS OSTIORUM (puta gradus, quibus ascenditur ad ostia; viri enim primarii, uti sunt sapientes, solent commorari in altiori domus parte, quasi salubriori, secretiori et honoratiori, ad quam per gradus ascenditur, uti Romæ fieri videmus in palatiis Prælatorum) ILLIUS EXTERAT PES TUUS, — *q. d.* Ita crebro eum adi et visita, ut videaris pede exterere ejus gradus, quod vulgo dicitur : *Tere limen domus sapientis.* Unde Syrus vertit : *Vide quis sit sapiens, et quære eum, et calcet limen ejus pes tuus*, et S. Augustinus, tractat. 7 *in Joannem*, pro *gradus ostiorum*, legit *limen ostiorum*. Nonnulli pro θυρῶν, id est ostiorum, legunt θριῶν, id est semitarum. Græca Complutens. habent : *Si videris virum prudentem, mane surge ad eum; et gradus ostiorum ejus deterat pes tuus;* Tigurina : *Ubi cordatum quempiam videris, mane ad eum propera; et pes tuus limina forium* (Vatablus, *callem itinerum*) *ejus atterat.*

Idem suasere Gentiles : nam ex libris Ciceronis liquet moris fuisse Romanis, filios mittere ad domos senum gravium et nobilium, ut Catonis, Scipionis, Lælii, Attici, ut ex eorum convictu et verbis Romanos mores in sua puritate combiberent. « Nulla enim res, ait Seneca *epist.* 94, magis animos ad honesta inducit, dubiosque et in pravum inclinantes revocat ad rectum, quam bonorum virorum conversatio; paulatim enim descendit in pectora, et vim præceptorum obtinet frequenter audiri, aspicique frequenter. Occursus mehercle ipse sapientium juvat, et est aliquid quod ex magno viro vel tacente proficias. »

Vers. 37. 37. COGITATUM TUUM HABE IN PRÆCEPTIS DEI, ET IN MANDATIS ILLIUS (meditandis et opere explendis) MAXIME ASSIDUUS ESTO. — Est hæc *quinta* dispositio et via ad sapientiam, scilicet ut, cum quis sapientiam a sapiente audierit, eam deinde assidue mente et cogitatione revolvat, ruminet, pertractet. Non enim sufficit eam audire : audita enim cum auditu simul elabuntur, nisi mente ea teneamus et meditemur. Unde Græca clare habent : *Cogita in præceptis Domini* τελείως, id est *perfecte; et in mandatis illius meditare semper;* Syrus : *Contemplare in timore Dei, et in mandatis ejus esto meditans quotidie.* Sapientia enim practica, de qua hic agitur, consistit in timore Dei, puta in meditatione et observatione mandatorum Dei. Vatablus : *Exacte perpende præcepta Domini, ejusdemque mandata meditare assidue;* τὸ enim τελείως significat exactam, profundam, perfectam debere esse meditationem in lege Dei, non superficialem et perfunctoriam. Hoc est quod ait Psaltes *Psal.* I, 2 : « Beatus vir, etc., cujus in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte; » et *Psal.* CXVIII : « Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est. » Moses quoque ita sancit filiis Israel, *Deuter.* VI, vers. 6 : « Erunt verba hæc, quæ ego tibi præci-

Quinta, eam meditari.

pio hodie, in corde tuo, et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis in eis sedens in domo tua, et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens. »

Porro meditatio hæc debet esse practica, et ad opus dirigi, adeoque rerum spiritualium magistri tradunt optimas esse meditationes, quæ ad actiones particulares, imo singulares, descendunt; v. g. dum quis meditatur de patientia, ut meditatio meditanti sit fructuosa, in ea concipiat firmetque propositum libenter et fortiter patiendi, non in genere duntaxat, sed hic et nunc, dicendo: Meam febrim, meos socios molestos, meas irrisiones, scommata, dicteria talia in me jaci solita, et hodie jacienda, amore Dei generose et hilariter sustinebo, ut conformem me Christo in cruce eadem et plura patienti. Atque talis meditatio imprimit voluntati studium similium operum; intellectum vero aperit et illuminat, juxta illud *Psal.* LXXVII, 72 : « In intellectibus manuum suarum deduxit eos, » puta intelligentia, quam opus manuum eis pepererat. Unde S. Hieronymus, Aquila et Chaldæus vertunt, *in prudentia manuum*, id est actionum, ait Euthymius, *deduxit eos.*

ET IPSE DABIT TIBI COR (id est, mentem cordatam, constantem, sapientem et prudentem); ET CONCUPISCENTIA (non carnis et mundi, sed) SAPIENTIÆ DABITUR TIBI, — puta sapientia, quam concupiscis, sive sapientia concupita. Est hypallage. Ita Syrus et Tigurina. Vel simpliciter, *q. d.* Initio horrebas sapientiam quasi asperam; at ubi cœperis ei studere, Deumque pro ea invocare, Deus horrorem et tædium convertet in concupiscentiam et aviditatem, ut eam ardenter desideres et concupiscas quasi rem honestam, pulchram, suavem, cœlestem et divinam : qui enim in lege habet intellectum, ait Palacius, quo magis habet, eo magis habere desiderat, adeo est sapientia dulcis. Sic et Rabanus. Græca : *Ipse firmavit cor tuum in studio et sequela sapientiæ, et concupiscentia sapientiæ dabitur tibi;* Syrus : *Ipse firmabit vias tuas, et de eo, quod desideraveris, docebit te;* Tigurina : *Ipse cor tuum confirmabit, et quam desideras, sapientia tibi dabitur.* Hinc liquet *cor* hic sumi pro firmitate et constantia cordis in studio sapientiæ, et *concupiscentiam sapientiæ* vocari sapientiam concupitam, *q. d.* Deus dabit constantiam animi in prosequenda sapientia, ex qua fiet ut eamdem adeo concupitam tandem ediscas et assequaris. Aliqui *concupiscentiam* hic accipiunt ipsius sapientiæ, non hominis eam concupiscentis, *q. d.* Dabitur tibi omne bonum; quod ardenter secum tibi impertiri cupit ipsa sapientia. Ipsa enim concupiscit se suaque omnia suis philomusis elargiri.

Sic Verbum æternum, quod est Sapientia Patris, ardenter concupivit se hominibus communicare, ideoque carnem nostram induit; unde et ait: « Deliciæ meæ esse cum filiis hominum, » *Proverb.* VIII, 31. Concupiscentia ergo sapientiæ longe major est, quam sit nostra : est enim concupiscentia Spiritus Sancti, de quo ait Apostolus : « Postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, » *Roman.* VIII. Simili modo viri nonnulli eruditi et pii orant : « Domine, da mihi hoc quod pro me optat postulatque a te sanctissima Virgo Maria; » ipsa enim majora optat, quam nos optare possimus. Simili phrasi ait Osee cap. X, 12 : « Metite in ore (Hebr. *ad os*) misericordiæ, » *q. d.* Metite ad votum et concupiscentiam misericordiæ, quantum, scilicet, ipsa ore suo desiderat et flagitat. Verum ex dictis liquet priorem sensum esse genuinum.

Est hæc *sexta* dispositio et via ad sapientiam, nimirum Dei gratia, ideoque per orationem ab eo efflagitanda, ut dicamus cum Psalte *Psalm.* CXVIII, 18 : « Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua. » Hoc est quod a Davide patre didicit et docuit Salomon, *Proverb.* III, 5 : « Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, et ne innitaris prudentiæ tuæ. In omnibus viis tuis cogita illum, et ipse diriget gressus tuos. » Ita Rabanus.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, docet cavendam peccati culpam, ut vites ejus pœnam; secundo, vers. 4, docet ambiendum non esse magistratum; tertio, vers. 13, agit de moderatione linguæ; quarto, vers. 15, docet quomodo homo se gerere debeat erga seipsum; erga amicos, vers. 20; erga uxorem, vers. 21; erga servos, vers. 22; erga pecora, vers. 24; erga filios et filias, vers. 25; erga parentes, vers. 39; erga sacerdotes, vers. 31; erga mortuos et ægros, vers. 37. Denique, vers. 40, ad hæc omnia rite præstanda medium efficax assignat, scilicet, memoriam novissimorum.

1. Noli facere mala, et non te apprehendent. 2. Discede ab iniquo, et deficient mala abs te. 3. Fili, non seminès mala in sulcis injustitiæ, et non metes ea in septuplum. 4. Noli quærere a Domino ducatum, neque a rege cathedram honoris. 5. Non te justifices

ante Deum, quoniam agnitor cordis ipse est; et penes regem noli velle videre sapiens. 6. Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates : ne forte extimescas faciem potentis, et ponas scandalum in æquitate tua. 7. Non pecces in multitudinem civitatis, nec te immittas in populum. 8. Neque alliges duplicia peccata : nec enim in uno eris immunis. 9. Noli esse pusillanimis in animo tuo. 10. Exarare et facere eleemosynam ne despicias. 11. Ne dicas : In multitudine munerum meorum respiciet Deus, et offerente me Deo altissimo, munera mea suscipiet. 12. Non irrideas hominem in amaritudine animæ : est enim qui humiliat et exaltat, circumspector Deus. 13. Noli arare mendacium adversus fratrem tuum; neque in amicum similiter facias. 14. Noli velle mentiri omne mendacium : assiduitas enim illius non est bona. 15. Noli verbosus esse in multitudine presbyterorum, et non iteres verbum in oratione tua. 16. Non oderis laboriosa opera et rusticationem creatam ab Altissimo. 17. Non te reputes in multitudine indisciplinatorum. 18. Memento iræ, quoniam non tardabit. 19. Humilia valde spiritum tuum; quoniam vindicta carnis impii, ignis et vermis. 20. Noli prævaricari in amicum pecuniam differentem : neque fratrem charissimum auro spreveris. 21. Noli discedere a muliere sensata et bona, quam sortitus es in timore Domini : gratia enim verecundiæ illius super aurum. 22. Non lædas servum in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam suam. 23. Servus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua : non defraudes illum libertate, neque inopem derelinquas illum. 24. Pecora tibi sunt? attende illis : et si sunt utilia, perseverent apud te. 25. Filii tibi sunt? erudi illos et curva illos pueritia illorum. 26. Filiæ tibi sunt? serva corpus illarum, et non ostendas hilarem faciem tuam ad illas. 27. Trade filiam, et grande opus feceris, et homini sensato da illam. 28. Mulier si est tibi secundum animam tuam, non projicias illam, et odibili non credas te. 29. In toto corde tuo honora patrem tuum, et gemitum matris tuæ ne obliviscaris. 30. Memento quoniam nisi per illos natus non fuisses : et retribue illis, quomodo et illi tibi. 31. In tota anima tua time Dominum, et sacerdotes illius sanctifica. 32. In omni virtute tua dilige eum qui te fecit, et ministros ejus ne derelinquas. 33. Honora Deum ex tota anima tua, et honorifica sacerdotes, et propurga te cum brachiis. 34. Da illis partem, sicut mandatum est tibi, primitiarum et purgationis : et de negligentia tua purga te cum paucis. 35. Datum brachiorum tuorum, et sacrificium sanctificationis offeres Domino, et initia Sanctorum. 36. Et pauperi porrige manum tuam, ut perficiatur propitiatio, et benedictio tua. 37. Gratia dati in conspectu omnis viventis, et mortuo non prohibeas gratiam. 38. Non desis plorantibus in consolatione, et cum lugentibus ambula. 39. Non te pigeat visitare infirmum : ex his enim in dilectione firmaberis. 40. In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.

PRIMA PARS CAPITIS.

DE FUGIENDO PECCATO.

Vers. 1. 1. NOLI FACERE MALA, ET NON TE APPREHENDENT. — « Mala, » scilicet, uti addunt Græca Complut., licet Romana legant in singulari : *et non apprehendet te malum.* Ludit metonymice in voce *mala;* prius enim accipit mala culpæ, puta peccata; posterius mala pœnæ, quæ ex malis culpæ quasi effectus et proles nascuntur, *q. d.* Vis evadere mala pœnæ? noli facere mala culpæ. Sic dicimus furi: vis evadere furcam? evita furtum. Et : « Si non essent peccata, non essent fla-

gella. » Syrus: *Ne facias quod malum est, et non inveniet te malum ;* Vatablus: *Ne quid mali facias, ne tibi malum accidat;* alii : *Ne facito mala, et malum te non comprehendet.* Malum enim, sive malitia, suum habet regnum et imperium in omnes qui mala faciunt, in quos proinde sua mala pœnæ et flagella, velut suos lictores et tortores immittit. Malum enim est adeo aculeatum et noxium, ut, si illud tangas, illico ab eodem comprehendaris et affligaris; perinde ut qui tangunt vel calcant cuspides acicularum vel clavorum, illico iis exsilientibus læduntur. Talis acicularum cuspis est malum et peccatum. Hoc est quod ait Comicus:

Noxa caput sequitur.

Et :

Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo.

Peccatum ergo est quasi pix, gluten, cardui et spinæ : quas si tangas, illico ab iis comprehenderis, pungeris et inquinaris. Unde illud : « Qui tangit picem, inquinatur ab ea. »

« Mala » accipe, tum præsentis vitæ, qualia sunt pauperies, morbi, persecutiones, infamia, mors, etc.; tum futuræ in gehenna : sæpe enim Deus peccatores non punit in hac vita, ut acrius puniat in futura, ubi « fit miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu; quia mors vivit, et finis semper incipit, et deficere defectus nescit, » ait B. Petrus Damianus *ad Blancam*, cap. XII. Causam dat S. Augustinus epist. 49 *ad Deogratias* : « Voluntas, inquit, punitur, quæ æternam voluit habere peccati fruitionem; et ideo æternam inveniet vindictæ severitatem. » Vide S. Gregorium IX *Moral.* cap. XXXIX, ad illa *Job.* cap. X : « Ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. »

Vers. 2. 2. DISCEDE AB INIQUO, ET DEFICIENT MALA ABS TE. — Est hic duplex sensus. Prior, *q. d.* Discede ab homine iniquo, et discedes ab iniquitate et malitia, quia iniqui socios inducunt ad suas iniquitates. Ita Arabicus : *Ne commiscearis*, inquit *iniquo; elongare ab eo, elongabitur a te.* Dat modum cavendi peccata, nimirum cavendo malam societatem, malosque socios; his enim nihil est perniciosius. Unde S. Augustinus, a sociis seductus ad furandum poma, exclamat lib. III *Confession.* cap. IX : « O nimis inimica amicitia, seductio mentis investigabilis, etc., cum dicitur: Eamus, faciamus; et pudet non esse impudentem! » Mali enim socii sunt instar scorpii, qui, teste Plinio, lib. XI, cap. XXV, venenum instar lactis effundit; nam instar lactis intima pervadit, et veneno inficit, itaque perimit. Sic enim socii suis blanditiis penetrant cor hominis, illudque suis pravis consiliis inquinant et occidunt. Hinc et qui venenum inimicis propinant, illud lacti vel vino indunt, tum ut scelus tegant, tum ut venenum intima cum lacte pervadat, ac cor petat et perimat. Simile faciunt mali socii, dum suas nequitias blanditiis inferunt, ut suavius animam totam pervadant et perdant.

Posterior, *q. d.* Discede a re iniqua, puta a culpa sive peccato; et mala pœnæ pariter discedent abs te. Posteriori sensui favet Syrus : *Abscede a malo, et elongabit a te ;* quasi idem dicat, quod dixit vers. 1, sed aliis verbis. Priori favent Græca: *Recede ab injusto, ut a te declinet peccatum. Peccatum* enim, licet metonymice significet pœnam peccato debitam, tamen proprie peccati culpam denotat. Porro Complut. legunt τὸ ἁμαρτία, id est *peccatum*, licet Romana idipsum deleant; sic enim habent: *Discede ab iniquo, et declinabit a te.* Ubi τὸ *iniquo* tam masculine de homine iniquo, quam neutre de re iniqua accipi potest. Si de homine accipias, sensus erit, *q. d.* Discede ab homine iniquo, et is pariter ac cum eo iniquitas discedet a te; si de re accipias, sensus erit, *q. d.* Discede a re iniqua, puta ab iniquitate, et illa pariter discedet a te, ut te non tangat, nec sua culpa, nec sua pœna. Sicque lectio Græca, æque ac Syra, favebit sensui posteriori, qui magis respondet versui præcedenti et sequenti; sequitur enim:

3. FILI, NON SEMINES MALA IN SULCIS INJUSTITIÆ, ET NON METES EA IN SEPTUPLUM. — Græce : *Non semines semina mala in sulcis injustitiæ, et non metes ea septupla;* Syrus : *Ne semines super cultura peccati, ne septuplum metas illud;* Vatablus : *Fili, ne committas semen sulcis injustitiæ, ne septies tanto ampliorem inde messem facias. Seminare in sulcis injustitiæ*, est seminare in agro sulcato et arato injustitiæ, puta, est seminare semen injustitiæ; in agro enim injustitiæ non seritur nisi semen injustitiæ. Ager noster est cor nostrum, mens nostra, voluntas nostra; in ea ducimus sulcos justitiæ, vel injustitiæ, cum illi imprimimus habitus et inclinationes bonas, vel malas; in quibus seminamus, dum cogitationes, volitiones, intentiones, desideria, proposita bona vel mala, iis injicimus. Sensus ergo est, *q. d.* Noli agro, id est, cordi tuo indere sulcos injustitiæ, id est, inclinationes ad injustitiam; nec in iis seminare semina injustitiæ, puta cogitationes et molitiones pravas. Alludit ad *Osee* X, vers. 11 : « Ephraim vitula docta diligere trituram, etc. Arabit Judas, confringet sibi sulcos Jacob. Seminate vobis in justitia et metite in ore misericordiæ, innovate vobis novale, etc. Arastis impietatem, iniquitatem messuistis, comedistis frugem mendacii. » Vide quæ de hac re ibidem fuse dixi.

ET NON METES EA IN SEPTUPLUM. — Alludit ad illud de parricidio Cain : « Septuplum ultio dabitur de Cain, » *Genes* IV, 24; ubi Septuaginta vertunt, *septem vindictas exsolvet;* Aquila, *septempliciter.* Ubi Procopius : « Septenarius, inquit, perfectionem pœnæ denotat, » juxta illud *Psal.* LXXVIII, 12 : « Redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum; » et *Psalm.* XXX, 24 : « Retribuet abundanter facientibus superbiam; » et *Levit.* XXVI, 28 : « Corripiam vos septem, » id est multis, « plagis; » et *Job.* LXXXV, 19 : « In sex tribulationibus liberabit te, et in septima, » id est, summa et acerrima, « non tanget te malum. »

Jam dupliciter, puta de duplici messe, hic locus accipi potest: *primo*, de messe culpæ, *q. d.* Una injustitia parit alias septem, instar hydræ: adeo enim fecunda est malitia, ut instar lolii se propagine, et ex una septem, id est multæ aliæ, pullulent; *secundo*, de messe pœnæ, *q. d.* Non punieris acerrime. Nam una injustitia septem, id est, multis et copiosis pœnis punitur, non quod gravius puniatur, quam mereatur (Deus enim punit citra condignum), sed quod ejus malitia sit tanta, ut una pœna illi ex æquo satisfieri nequeat; peccatum enim mortale, etiam unicum, ex eo quod Deum offendit, et est crimen læsæ majestatis divinæ, adeo grave est et enorme, ut nullis hujus vitæ pœnis æquari possit, sed mereatur omnia tormenta, et incendia gehennæ, eaque æterna. Omnis ergo culpa septuplam pœnam habet, tum quia in hoc sæculo multis pœnis a Deo castigatur; tum quia in futuro universitatem omnium pœnarum sustinere cogitur. Pœna enim inferni, vel unica, omnium hujus vitæ pœnarum vicem habet; sicut una gloriæ æternæ felicitas omnium hujus vitæ delectationum vicem habet, perinde ac manna omnem continebat saporem, et omnem saporis suavitatem.

Hic sensus priore est potior et germanior, tum quia messis culpæ est pœnarum copia; tum quia de messe pœnarum sermo præcessit; tum quia alludit ad septuplam pœnam Caini, et ad illud *Oseæ* X, 4: « Germinavit quasi amaritudo judicium super sulcos agri; » amaritudo enim judicii est amaritudo supplicii, quam germinant pravi sulci in agro injustitiæ. Minutius Hugo septem peccati plagas ita sigillatim numerat: Peccati, ait, pœnæ sunt tres in anima, scilicet dolor, ira et obtenebratio; in corpore vero sunt quatuor, scilicet, a quatuor elementis: impios enim puniet terra in die judicii, eos absorbendo; aqua, congelando; aer, sive ventus, de pœna in pœnam impellendo; ignis, comburendo. Peccatum ergo est hydra septiceps: gerit enim septem capita, tum culparum capitalium, tum pœnarum, uti jam dixi. Hydram enim finxerunt Poetæ esse serpentem multorum capitum in Lerna palude, quarum aliquot excisis, totidem continuo renascebantur; quare ab Hercule sagittis et igne peremta et combusta est. Fabula inde nata, quod anguium genus, sub quo hydra continetur, sit fecundissimum, et nisi incendiis semina exurerentur, non esset fecunditati eorum resistere, ait Sipontinus ex Plinio, lib. XXIX, cap. IV. Ita peccati mira est fecunditas; ex uno enim fit lapsus in aliud et aliud sine fine, nisi igne acris censuræ, castigationis, et amoris Dei radicitus succendatur.

Porro septuplum hoc pœnæ non est septuplum respectu malitiæ et demeriti culpæ; ejus enim respectu est simplum et minus quam simplum, uti jam ostendi; sed respectu delectationis, quam percipit peccator in peccando: hæc enim delectatio brevis est et exigua; pœnæ vero eam sequentes sunt septuplices, id est, multiplices. Vere Job cap. XX, 5: « Laus (id est, jubilum, cantus, exsultatio) impiorum brevis, et gaudium hypocritæ adinstar puncti. » Punctum hoc tam lineæ, quam temporis, puta momentum, accipi potest. S. Gregorius ibidem accipit de puncto lineæ: « In puncto, ait, stylus mox ut ponitur, levatur; nec mora ulla agitur ut per exprimendam lineam trahatur; sic hypocrita præsentis vitæ gaudia, cum tangit, amittit. » Tangit ergo ea, sicut globus vel sphæra terram tangit in puncto. Rursum, ut ait S. Bonaventura, sicut punctum, utpote indivisibile, nullam habet longitudinem, nec latitudinem, nec altitudinem, nec profunditatem: sic voluptas et gloria impiorum non habet longitudinem, quia brevi tempore, et quasi momento tantum durat; nec latitudinem, quia arcta est et modica; nec altitudinem, quia non cœlestis est, sed terrena et vilis; nec profunditatem, quia cordis ima non penetrat, nec satiat. Ex adverso pœna hypocritæ est longissima, quia æterna; latissima, quia omnes sensus, membra, potentias animæ et corporis occupat; altissima, quia privat eum Deo, cœlo, felicitate æterna; profundissima, quia intima animæ cruciat, eamque detrudit in profundissimum locum inferni. Unde Septuaginta vertunt: *Lætitia impiorum, ruina insignis; et gaudium iniquorum est perditio.* In quæ verba apposite S. Chrysostomus: « Si eorum lætitia, inquit, ingens est ruina, et gaudium perditio, quid dicemus esse ipsum interitum? Dic: amabo te, quid dolorem, quid animi ægritudinem? »

SECUNDA PARS CAPITIS.

DE NON AMBIENDO MAGISTRATU.

4. NOLI QUÆRERE A DOMINO (ita Græca, Romana et Syrus; perperam ergo aliqui legunt, *ab homine*) DUCATUM (id est, principatum; princeps enim est dux populi, quia eum ducere et regere tenetur), NEQUE A REGE CATHEDRAM HONORIS, — id est, honorificam, qualis est Episcopi, doctoris, judicis, principis, sicut petierunt filii Zebedæi a Christo sedere ad dextram et sinistram ipsius in regno suo, *Matth.* XX. Syrus: *Ne quæras a Deo principatum, et a rege donum honorificum;* Vatablus: *Principa-*

tum a Domino ne petas, nec a rege sedem magnificam. Ratio est, *prima,* quia hæc petere est vitium ambitionis et fastus; *secunda,* quia qui hæc ambiunt, subjacent multorum invidiæ, detractioni et calumniis: unde ab iis dejiciuntur, imo in magnas calamitates conjiciuntur; *tertia,* quia ubi est honos, ibi est et onus, v. g. in episcopatu est onus et cura animarum sibi subditarum, de quibus exactam rationem ab Episcopo reposcet Deus. Igitur monet ne ambiamus principatum, sive sæcularem, sive ecclesiasticum, præsertim Episcopatum, cui annexa est cathedra docendi. Unde ab eodem ambitu fideles deterrens S. Jacobus cap. III, 1: « Nolite, inquit, plures magistri fieri, fratres mei, scientes quoniam majus judicium sumitis; in multis enim offendimus omnes. » Vide ibi dicta, et I *Timoth.* cap. III, 1. Verissimum est illud S. Bernardi, lib. III *De Consid.*: « Ambitio ambientium est crux. » Artemidorus in *Oniorocrit.* lib. II, cap. XXXI, somnium regnandi ait portendere mortem ægro, sano vero cognatorum amissionem: « Regnare sibi videri, inquit, ægrotanti mortem prædicit; sanis autem cognatorum et sodalium omnium amissionem et separationem portendit: est enim insociabile regnum. » Somnium hoc somnium dicas; subinde tamen ita fit. Joseph enim somnians se principem, et fratrum gratiam, ac libertatem, et pene vitam amisit, *Genes.* XXXVII, et seq. Illustre exemplum hujus rei S. Cyprianus lib. IV, epist. 3 *ad Antonium,* statuit S. Cornelium Pontificem et Martyrem, de quo ita scribit: « Episcopatum nec voluit, nec postulavit, etc.; sed quietus et modestus, et quales esse consueverunt, qui ad hunc locum divinitus eliguntur, pro pudore virginalis conscientiæ suæ, et pro humilitate ingenitæ sibi et custoditæ verecundiæ, non ut quidam vim fecit, ut Episcopus fieret; sed ipse vim passus est, ut Episcopatum coactus acciperet. »

Ambitionis damnna et ruces.

Idem censuere et suasere Philosophi. Ovidius, lib. III *De Trist.*:

Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit, et intra
Fortunam debet quisque manere suam.

Horatius lib. II *Carm.*, ode 10:

Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus, et celsæ graviore casu
Decidunt turres, feriuntque summos
Fulmina montes.

Rursum Ovidius:

Vive sine invidia, mollesque inglorius annos
Exige, amicitias et tibi junge pares.

Boetius, lib. II *De Consol.*, metro 4:

Humili domum memento
Certus figere saxo.
Quamvis tonet ruinis
Miscens æquora ventus,
Tu conditus quieti
Felix robore valli,
Duces serenus ævum,
Ridens ætheris iras.

Denique symbolum est Pythagoræ: « Fabis abstine, hoc est, reipublicæ administrationem devita; olim enim magistratus per suffragia fabis lata creabantur, » inquit Plutarchus lib. de *Liberis educ.*

Hanc gnomen festivo simiæ et vulpis apologo, oculis quasi spectandam subjicit Cyrillus, lib. II *Apologorum moralium,* cap. VI, cui titulus: *Contra superbos qui volunt æquiparari Deo.* « Simia, inquit, videns agilem nautam in malum velociter ascendentem, cum eum imitari niteretur, corvus, id animadvertens, dixit ei: Sta in loco tuo, carissima, ne in regionem extraneam elevata, gravi ruina corporis depereas. At illa verbis ejus spretis ascendens, statim profunditatis altæ contuitu, debilis cerebri imaginatione confusa, in præceps ruebat, et cervice fracta nunquam de cætero vultum potuit elevare. Denique cum regem in solio sedentem conspexisset, cœpit idem ipsa cupere, et eo absente quasi princeps alter in throno consedit. Quo viso vulpecula venit ad solium, et salutato sophistico rege, tanquam ministra provida ironice flagitavit mandatum. Cui simia dixit: Hoc tantum præcipio, ut læta gloriam meam cernas. At illa: Ego autem consulo tibi, ut hinc quam citissime descendas. Quod cum negligeret vanæ similitudinis sitibunda, statim inde dejecta est caninis dentibus laceranda. Tunc ad se reversa doloribus: Væ mihi, inquit, quia sprevi consilia sapientum! Nesciebam quod, ubi non est consilium, desit salus. Quæ cum audisset vulpes, appropinquavit, et dixit: Amodo quippe te video vexatione sensui restitutam. » Deinde eamdem alia eaque clara ratione perurget, qua illi suam fœditatem et stultitiam demonstrat: « Verum cur, cæteris animalibus Adæ natura subjectis, tu sola communè jugum refugiens, eidem æquiparari conaris? At illa respondit: Movet me ad hoc innata cupido; nonne cunctis brutis humano corpori sum plasmata conformior? Tunc vulpes arguens inquit: Quanquam certe secundum figuram plus omnibus homini sis conformis, tamen quia hæc in te similitudo pervertitur, hinc tua forma difformior invenitur. Quid enim simo naso turpius? aut bracca digitali deformius? »

5. NON TE JUSTIFICES (id est, velut justum defendas et ostentes, ut omnia tua facta apud Deum excusare velis) ANTE DEUM, QUONIAM AGNITOR CORDIS IPSE EST, ET PENES REGEM NOLI VELLE VIDERI SAPIENS, — Syrus: *Ne justifices animam tuam coram Deo. et coram rege ne sis stultus;* quia superbi sunt stulti, et superbia, qua vis videri sapiens coram rege, est stultitia. Græca æque ac Syrus non habent τὸ *quoniam agnitor cordis ipse est;* sed, *ne te coram Domino pro justo vendites, quoniam ipse pernovit cor uniuscujusque; nec apud regem ostentes sapientiam.* Dat causam cur a Deo non sit petendus principatus, nec a rege cathedra honoris: quia, scilicet, si a Deo petas principatum, debes

Vers. 5

coram eo agnoscere et commendare te quasi justum. Princeps enim, uti major est subditis, ita iis debet esse melior et justior. Unde de Saule rege dicitur: « Non erat vir de filiis Israel melior illo, » I *Reg.* IX, 2. At justum se ostentare coram Deo, arrogans est et stultum. Deus enim, qui novit occulta cordium, scit neminem ita esse justum, quin quemlibet de peccato vel præsenti, vel præterito arguere possit, uti docet S. Joannes *epist.* I, cap. I, 10: « Si dixerimus, inquit, quoniam non peccavimus, mendacem facimus eum, et verbum ejus in nobis non est. » Unde Job, modeste licet vereque defendens innocentiam suam, a Deo redargutus, audivit cap. XXXVIII, 2: « Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis? Accinge sicut vir lumbos tuos, et interrogabo te, et responde mihi. » Quocirca Job culpam agnoscens et deprecans cap. XLII, 3: « Insipienter, ait, locutus sum, et quæ ultra modum excederent scientiam meam. » Unde Eliphas ad Job cap. XV, 15: « Ecce, inquit, inter Sanctos ejus nemo immutabilis, et cœli non sunt mundi in conspectu ejus; quanto magis abominabilis et inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem! »

Insuper reges nulli dant cathedram honoris, nisi sapienti. Si ergo tuam sapientiam regi vendites et ostentes, ut cathedram assequaris, rex per se et suos consiliarios proponendo tibi difficillimas quæstiones, poterit inscitiam tuam prodere, et aliis ridendam proponere. Rursum esto sit sapiens, tamen vitiosum et ambitiosum est, quod velis videri sapiens; et licet hoc tuum ambitionis ulcus tegas et dissimules, rex tamen et aulici talibus assueti sagaciter illud odorantur, explodunt et rident, quasi stultum, ut vertit Syrus.

Hinc collige hæc axiomata: Qui eligitur in principem, justus sit coram Domino. Et qui cathedram vult obtinere a rege, sapiens sit oportet: alioqui et peccabit, et se infamabit, et multis periculis exponet. Cum enim stultus promovetur ad altiorem gradum, magis stultitiam suam, quæ prius erat incognita, per stultos actus demonstrat. « Sicut simia quanto sursum ascendit, tanto turpitudinem suam plus ostendit, » ait Lyranus.

Apologus Huc facit apologus pavonis et monedulæ apud Faernum: « Cum haberent comitia volucres regi creando, petiit regnum pavo, quod se ob formam eximiam illo dignum præ cunctis esse diceret. Qui cum omnium suffragia laturus videretur: Hic tamen rex, inquit monedula, si forte lis factus, et aquilam hostem habuerimus, quidnam opis auxiliive poterit afferre? » Affabulatio: « In deligendo rege magis spectanda sunt animi bona, quam corporis. »

Igitur causa *prima*, cur coram rege non debeas velle videri sapiens, est dedecus ambitionis et fastus, quod omnes, sed maxime reges, abominantur. Sicut enim, teste Aristotele lib. IX *Histor. anim.* cap. XLIV, et Plinio lib. X, cap. XXI, leones oderunt ignem et fumum, sic et reges oderunt ostentationem et jactantiam: sciunt enim hanc ingentem esse vanitatem et mendacium. Nam, sicut ligna, quæ multum fumi dant, parum caloris et ignis exhibent, eo quod materia vertenda in ignem abeat in fumum: sic fere, qui magna jactant, minimum possunt: « Sapientes » enim « abscondunt sapientiam, » *Proverb.* X, 14.

Secunda, quod reges virum sapientem, præsertim exterum, timeant ne regnum prodat, turbet, evertat. Sic Saul persecutus est Davidem, ob cæsum Goliath, cum ei acclamaretur: « Percussit Saul mille, et David decem millia; timebat enim ne regnum sibi adimeret. Et proceres Achis regis Davidem a Saule profugum proditionis insimularunt: unde David stultum se simulans, periculum capitis evasit, I *Regum*, XXI, 11.

Tertia, quod reges magnanimi videri velint omnibus sapientiores, fortiores, excellentiores, sibique omnia velint attribui: quare sibi suoque honori et gloriæ decedere putant, si quem se sapientiorem vel præstantiorem videant vel audiant. Ita Philippus Macedo, inquit Demosthenes, « omnia præclara facinora sua esse videri volebat; et magis indignabatur ducibus ac præfectis, qui prospere et laudabiliter aliquid gesserant, quam iis qui infeliciter et ignave. » Patrem Philippum secutus filius Alexander « vinci quidem hostes volebat, sed Antipatrum vicisse indignabatur: suæ demptum gloriæ existimans, quidquid cessisset alienæ, » ait Curtius, lib. VI.

Memorabile est, quod scribit Xenophon lib. IV *Cyripædiæ*, de Gobria eunte venatum cum rege Assyriorum: « Ursa, inquit, ut est oblata, cum utrique illam persequerentur, misso rex jaculo ictu frustratus est; at Gobrias spiculum vibrans ursam prosternit. Quam rem ægre molesteque rex tulit, invidiamque clam recondit. Sed et objectus est leo, quem ibidem a rege irrito conatu insecutum, idem Gobrias confecit. Hic rex secum mussitans, etc., arrepta a ministro lancea, Gobriæ pectus transfigit, atque ita adolescentem, cujus strenuitatem ægris tulerat oculis, vita spoliavit. » Similia hoc ævo vidimus exempla. Qui ergo cum regibus agit, cum eis modeste et reverenter agat, eis omnia cedat, sapientiam et dotes non ostentet, sed potius tegat et abscondat: ita vitam et gratiam regis retinebit.

Porro hæc sententia maxime locum habet in ostentatione sapientiæ gubernandi. Si quis enim eam reges docere velit, aut eorum regendi modum carpere et corrigere, utique vapulabit. Peccant in hac re viri etiam sapientes, qui regum acta vellicant, culpant, eisque imprudentiæ notam inurunt, cum non sciant eorum secreta, omnesque rei circumstantias; quas si nossent, ea non improbarent, imo approbarent. Memini Alexandrum Farnesium, inclytum Parmæ principem,

cum Belgium gubernaret, monitum a quibusdam viris valde sapientibus, ut arcem quamdam Belgio valde noxiam occuparet; modumque occupandi suggerebant. Ille illico argumentis ad oculum evidentibus id impossibile esse demonstravit, eosque ita convicit, ut coram ipso pueri viderentur; nimirum: Aliud, inquiebat ipse, est peritum esse librorum, aliud armorum. » Excipe, nisi reges cupiant doceri, aut cognoscere sapientiam alicujus, ut sciant an idoneus sit, quem in consiliarium, Episcopum, gubernatorem deligant; tunc enim sapientia promenda est, ut prompserunt septuaginta duo Interpretes Sanctæ Scripturæ rogati a Ptolemæo de modo recte gubernandi, teste Aristæa.

Vers. 6. 6. NOLI QUÆRERE FIERI JUDEX, NISI VALEAS VIRTUTE IRRUMPERE (id est, perrumpere, perfringere, dissipare: nam Græce est, ἐξάραι, id est tollere, profligare, exstirpare) INIQUITATES. — S. Augustinus in *Speculo* legit: « Noli quærere fieri judex, si non vales virtute irrumpere iniquitates. » Magna enim est sæpe vis iniquitatis, quæ majore vi judicii et æquitatis profliganda est. Græca Romana: *Noli quærere fieri judex, ne forte non possis auferre iniquitates.* Et sic legit S. Hieronymus, in cap. III *Isaiæ*, explicans vers. 6: « Princeps esto noster; ruina autem hæc sub manu tua. Respondebit: Non sum medicus, nolite constituere me principem populi. » Syrus: *Noli quærere fieri judex, nisi habeas vim ad destruendam iniquitatem;* Tigurina: *Judex evadere ne contendas, ne inique factis par esse non possis*, scilicet, vel in aliis puniendis, vel in te admissis sustinendis, ait Vatablus. Jam Rabanus sic explicat, *q. d.* Si vis fieri judex, primo in te ipso confringe omnes iniquitates: « Quia, inquit, qui gravatur pondere propriarum culparum, non debet velle fieri judex alienarum. » Verum alii passim accipiunt hæc de culpis alienis, non propriis. In judice enim requiritur non tantum sapientia et justitia, sed et virtus, id est, fortitudo et potentia, tum interna, tum externa, qualis est favor civium et amicorum potentum, ad perrumpendas et confringendas quaslibet etiam potentum et principum iniquitates, ut urbem et provinciam sceleribus expurget. Hoc enim est præcipuum munus judicis et principis, qui est judicum judex. Sane populi iniquitates velut catenæ judicem circumdant et vinciunt; virtute ergo magna indiget ad eas disrumpendas. Hoc enim bonum est, tum reipublicæ, tum privati inique agentis. Nam, ut ait Boetius, lib. IV *de Consolat.*: « Mali puniti feliciores sunt quam impuniti, » quia pœna eorum ingens est bonum, tum ratione justitiæ, quam læsam sarcit; tum quia scandalum ab eis datum tollit, ac præservat a futuro.

Fortis sit judex

Præclare Beda in *Sententiis*: « Tantum, ait, valent leges, quantum volunt (imo volent) reges. Cum dolo abscindenda sunt, quæ leniter sanari non possunt. » Idem sancit S. Gregorius Nazianzenus in *Sententiis*: « Quisquis, inquit, leges tuendas suscepisti, timorem omnem ex animo pelle; omnis enim, cui legum custodia mandata est, metu vacare debet. » Hujus rei symbolo Samuel in convivio ex victima armum Sauli, quasi futuro regi et judici populi servavit, I *Regum* IX, 24; Sauli, inquam, qui ab armo et sursum cæteros omnes statura superabat. Eligitur enim Saul in regem, qui armo et humero præstat, nempe, virtute ac robore animi, ad perrumpendas iniquitates; armus enim, sive humerus, symbolum est roboris et fortitudinis, ideoque tam regi quam sacerdoti, *Exodi* XXIX. vers. 27, de industria reservatus, nempe, ad significandam virtutem Regum ac Prælatorum ad munus suum strenue obeundum, et onus populi sustinendum; nam, ut ait Nazianzenus in *Distichis*: « Ut foliorum strepitus lepores exterrent, ita rerum umbræ timidos et ignavos. » Unde S. Ambrosius, lib. IV, epist. 29 *ad Florianum*: « Cave honores, inquit, quos sine culpa tenere non potes. » Quin et Seneca, libro *De Tranquill.* cap. IV: « Quorumdam, inquit, parum idonea est verecundia rebus civilibus, quæ firmam frontem desiderant. His utilior negotio quies est. » Idem in *Sententiis*: « Bonis nocet, quisquis pepercerit malis. Bono justitiæ proxima est severitas. Ut fulmina paucorum periculo cadunt, multorum metu: sic animadversiones magnarum potestatum terrent latius, quam nocent. » Et Plato, lib. II *De Legibus*: « Princeps, ait, ac magistratus quilibet debet esse prudens et fortis: prudens, ne ex imperiti vulgi judicio pendeat; fortis, ut quæ salutaria sunt constanter exsequatur. » Idem, libro VI: « Judex, ait, Dei personam quodam modo repræsentat. » Dei ergo æquitatem et fortitudinem imitetur.

Denique divine Isidorus Pelusiota, lib. I, *epist.* 220: « Imperiorum, ait, robur ac firmitas, Dei amicitia est. Ex quo sequitur eum, qui robuste imperium gerit, Dei amicum esse. Mihi enim, ait Scriptura, nimis honorati sunt amici tui, Deus: nimis confortatus est principatus eorum. Quocirca si Dei amicus esse studes, fac robuste præsis, hoc est, nec muneribus, nec amicitia, verum dignitate ac merito jus præbens. »

Hac de re S. Bernardus monens Eugenium Pontificem, lib. III *De Considerat.* cap. V: « Inferiorum, ait, culpæ ad nullos magis referendæ sunt, quam ad desides negligentesque rectores. » Et inferius: « Impunitas incuriæ soboles, insolentiæ mater, radix impudentiæ, transgressionum nutrix. » Et lib. IV, cap VI: « Alius alia dispenset, de disciplina tu provide; illud nemini credas, Si insolentior coram te vel sermo sonuerit, vel habitus apparuerit, manus tua super hujusmodi, tu ulciscere injuriam tuam. Impunitas ausum parit, ausus excessum. » Et cap. VI, ait, « Pontificem esse debere virgam potentium, malleum tyrannorum, regum patrem, Deum Pharaonis. » Additque: « Ubi malitiæ juncta potentia est, ali-

quid tibi supra hominem præsumendum. Vultus tuus super facientes mala. Timeat spiritum iræ tuæ, qui hominem non veretur, gladium non formidat; timeat orationem, qui admonitionem contempsit. Cui irasceris tu, Deum sibi iratum, non hominem putet. Qui te non audierit, auditurum Deum, et contra se paveat. »

NE FORTE EXTIMESCAS FACIEM POTENTIS, ET PONAS SCANDALUM IN ÆQUITATE TUA. — Ita Romana et Græca. Male ergo Rabanus, Lyranus, Hugo, Dionysius, Jansenius pro *in æquitate,* legunt *in agilitate,* quod Lyranus sic exponit, *q. d.* Ne alios offendas per tuam agilitatem, id est, levitatem et inconstantiam. Jansenius vero, *q. d.* « Ne ponas scandalum, » id est obstaculum in agilitate, id est dexteritate tua, ut, scilicet, præ metu non audeas uti solita tua dexteritate et promptitudine ad defendendum innocentes oppressos : *agilem* enim actio facit, *strenuum* motus, *fortem* animus, *robustum* corpus, ait Cornelius Fronto. Hoc sensu S. Augustinus in *Speculo,* legit *in agilitate;* perperam Abulensis in cap. XX *Judic.,* Quæst. XXVI, legit *in malignitate tua;* Syrus : *Ne forte timeas a conspectu divitis, et facias maculam in timore tuo;* Tigurina : *Ne forte faciem potentis reformides, et integritati tuæ ponas offendiculum;* alii : *Et ponas scandalum in recto itinere tuo,* quo, scilicet, recta per viam justitiæ incedebas. Græcum enim ἐν εὐθύτητι idem est quod *in rectitudine, in justitia, in æquitate.* Sensus ergo est, *q. d.* Ne forte reverearis (hoc enim est græcum εὐλαβηθῇς) et verearis faciem potentis, ac per hanc reverentiam et metum ponas tibi ipsi scandalum, id est, occasionem labendi et ruendi in æquitate tua, vel in recto itinere tuo, ut, scilicet, in recto justitiæ itinere, quo solebas incedere, per metum corruas, et a rectitudine ac justitia deflectas, et rectam justamque sententiam proferre vel exsequi non audeas, sed potius in gratiam potentum pauperes condemnes, vel a potentibus opprimi permittas : hoc enim tibi scandalum erit et ruina, uti in culpam injustitiæ, ita et in pœnam ac vindictam, sive a lege, sive a Deo illi decretam. Exemplum est in Achab rege, qui, quia impio Benadad, quem bello ceperat, pepercit, audiit a Deo : « Quia dimisisti hominem dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima illius, et populus tuus pro populo illius, » III *Reg.* XX, 42. Sic et Saul parcens impio Agag, regi Amalec, nimiam hanc clementiam morte luit, I *Regum* XV.

Quocirca sapienter Totila, rex Gothorum, rogatus ut cuidam stuprum virgini illatum condonaret, respondit : « Ejusdem ingenii est delicto se obstringere, et delictorum supplicia impedire, omnino autem, aut hunc pœnam dare, aut Gothorum rempublicam interire necesse est. » Ita Sigonius *De Occident. Imp.* Sicut enim si fundamenta non æque collocentur, domus illis incumbens hiat rumpitur et ruit : sic et si judicia non sint æqua, ruit respublica; ejus enim basis et fundamentum est justitia.

Nota : Scandalum græce a σκάζω, id est, deflecto, inclino, claudico, dicitur paxillus qui in muscipulis erigitur, ut obicem sustineat, quem mus dum ingreditur offendens, in se evertit subita ruina; inde σκάνδαλον vocatur obstaculum, offendiculum, obex, et quidquid prolapsionis et ruinæ causam affert, quale est hic reverentia et metus. Ita Pollux, et S. Hieronymus *Contra Pelagium* : « Scolon, inquit, et scandalum apud Græcos ex offensione ac ruina nomen acceperunt. » Sapientis ergo est seipsum suasque passiones et infirmitates nosse, ac cavere ne iis det occasionem labendi in peccatum, v. g. Qui nimis reveretur et metuit aliquam personam, ac expertus est se ex hoc metu lapsum esse in peccatum aliquod, caveat ne cum tali persona agat, quæ hunc metum ei injicere solet : qui nimio amore alicujus rei vel personæ se agi sentit, fugiat ejus præsentiam, ne ejus præsentis specie illectus in eam rapiatur et corruat : qui novit se propensum in vina et gulam, fugiat symposia et convivas. Hæc est prudentia cautorum et sanctorum, per quam provide pericula sibi obventura prospicientes ea præcavent, seque contra ea præmuniunt. Idem applices cuilibet statui, officio et instituto.

Hinc secundo, aliqui scandalum hic non passivum jam dictum, sed activum accipiunt, *q. d.* Ne ex timore favendo potenti æquitas tua fiat iniquitas, itaque scandalum det aliis : omnes enim scandalizantur, dum audiunt judicem favere potenti nocenti, ideoque illi causam adjudicare, et condemnare pauperem innocentem. Sicut enim in eclipsi macula solis deficientis ab omnibus notatur : sic et macula defectusque injusti judicis, qui est quasi sol justitiæ, ab omnibus advertitur et damnatur. Hic ergo simili est heliotropio, quod ad solem sese obvertit, cum illoque rotatur et flectitur; et paleæ, quæ vento raptatur et volvitur; ac lunæ corniculatæ, quæ inæquali facie se videndam exhibet : nobis enim exhibet cornua, cœlitibus vero orbem plenum. Sic et judex potenti plus æquo tribuit, impotenti minus æquo. Hic est respectus personarum damnatus jure divino et humano, quo plus respicitur potens quam pauper, et plus potentia quam innocentia et justitia; hoc est scandalum, quod alios ad dolorem, alios ad sceleris imitationem trahit. Nam, ut ait S. Chrysostomus homilia I *de verbis Apostol.* : « Sicut in corpore, aliquo quidem membro corrupto, non est ingens damnum; oculis vero læsis, vel capite contrito totum corpus inutile redditur : sic et qui in alta quadam tanquam virtutis specula cum multa claritate constitutus, ab omnibus admirationi habitus, quando cecidit, magnam ruinam et jacturam facit, non tantum quia ex alto cecidit, sed quoniam aliis multis scandali materia est in idipsum respicientibus. » Hinc in scandalo Beelphegor Deus ait ad Mosen, *Numer.* XXV, 4 : « Tolle cunctos principes populi, et suspende eos contra solem in pati-

bulis; » ut qui populo fuere duces sceleris, sint exemplum supplicii; et qui publice in sole peccare non erubuerunt, coram sole inverecundiæ pœnas luant : qua de causa et Bithyni judicibus tribunal in conspectu solis statuebant, teste Alexandro ab Alexandro lib. III *Genial.* cap. v.

Vers. 7. 7. NON PECCES IN MULTITUDINEM CIVITATIS, NEC TE IMMITTAS IN POPULUM. — Tripliciter hæc sententia exponi potest. *Primo*, ut τὸ *in multitudinem*, per Hebraismum et Græcismum (quo εἰς sæpe ponitur pro ἐν), capiatur pro *in multitudine*, ac vetet ne quis multitudini plebis et turbæ populi sese accommodet, præsertim dum tumultuatur, et magistratui reluctatur, aut judicis sententiam infringere vel impedire molitur : quod sæpe fit, dum cives sibi cognatos vel caros, licet noxios, jure ad mortem, aliamve pœnam damnatos ab ea eripere conantur; aut dum vulgus leges utiles a magistratu sancitas, quia eas sibi molestas sentit, abolere satagit, ut sit hic alia causa cur nemo ambire debeat judicis officium, ne scilicet metus, sicut eum impulit cedere potentibus, ita eum cogat cedere et turbæ populi : magna enim est vis vulgi agglomerati, tumultuantis et furentis.

Sensus ergo est, *q. d.* Ne pecces in et cum multitudine civitatis plebisque peccantis, ideoque in populum tumultuantem, vel peccantem non te immittas, ne ab eo velut a rapido torrente in scelus abripiaris; sed potius domi te contine, aut secede, donec tumultus ille vel fervor populi transeat et sopiatur. Eodem enim spectare videtur pars posterior hujus versus, quo spectat prior. Huic sensui favet Syrus : *Ne condemnes animam tuam* (vel teipsum) *in congregatione civitatis, et ne exponas animam tuam judiciis ejus.* Et Græca, quæ pro *ne te immittas in populum*, habent : καὶ μὴ καταβάλῃς σεαυτὸν ἐν ὄχλῳ, id est, *et ne dimittas*, vel *præcipites*, vel *destruas*, opprimas, perdas, eneces (hæc omnia enim significat καταβάλλω) *te in turba*, vel in turbam populi tumultuantis. Et Tigurina : *Ne te abjecte vulgo permittas.*

Auræ popularis pericula. Sapienter Pausanias, lib. I : « Illud, ait, præclare mihi dictum videtur, hominem nimis reipublicæ administrationi deditum, et populari, auræ fidentem, haud unquam feliciter diem extremum claudere. » Imo multos sustulit furor popularis : populi enim affectus instar auræ vertuntur, et ex amore in odium commutantur. Unde Seneca, *epist.* 39 : « Nunquam, ait, volui populo placere; nam, quæ ego scio, non probat populus : quæ probat populus, ego nescio. Quis placere potest populo, cui placet virtus? Malis artibus popularis favor quæritur : similem te illis facias oportet. » Celebre est illud Apostoli : « Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem, » *Galat.* I. Vide quæ de vulgi moribus dixi *Numer.* XI, 4, et *Numer.* XX, 3. Huc facit apologus vulpis et leonis, quo a sequela populi se excusat Horatius epist. I *ad Mæcenatem*, dicens :

Quod si me populus Romanus forte roget cur
Non ut porticibus, sic judiciis fruar iisdem;
Nec sequar, aut fugiam, quæ diligit ipse, vel odit;
Olim quod vulpes ægroto cauta leoni
Respondit, referam : Quia me vestigia terrent
Omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum.
Bellua multorum es capitum.

Huc accedunt tres expositiones Pauli a Palacio : *Prima* est, ne ob favorem populi pecces, uti Absalom favore populi Davidem patrem regno expulit, II *Regum* XV; *secunda*, ne in gratiam populi pecces, uti peccavit Saul propter populum non occidens Amalec, sicut Deus ei jusserat, I *Regum*, cap. XV; *tertia*, *q. d.* O judex, o princeps, si peccandum est, ne publice pecces : ne doceas peccare subjectos, ne te exemplum peccati populo proponas : id enim peccatum est duplex, id est, multiplex et grave; et si peccatum simplex non est liberum a pœna, quomodo tam grave erit immune? O quam graviter peccavit Jeroboam, qui Israeli fuit causa peccati! Igitur, ne judex, aut princeps (de his enim loquitur) peccet coram multitudine et populo. Si egerere vult, cum Saul speluncam intret, ubi onus ventris relinquat; et nec ibi se tutum credat : adest enim testis David. Admoneatur princeps peccata sua publica esse; nam, ut Episcopus, qui cito manus imponit, communicat peccatis ordinati : ita, qui coram plebe peccat, communicat peccatis, quæ ejus exemplo populus admittet. Hæc Palacius.

Secundo, alter sensus est, *q. d.* Noli fieri judex, aut princeps, ne te exponas periculo offendendi multitudinem et populum, qui, ut facile irritatur, ita difficile placatur, ac sæpe eos a quibus offenditur, vita et bonis spoliat. Dicit ergo, ait Jansenius : Non pecces *in*, id est, contra multitudinem civitatis, injuria illam afficiendo; neque te temere immittas et præcipites in populum, sive ad regendum illum, sive potius ad componendas rixas et contentiones a populo excitatas : utrumque enim periculosum est, ne scilicet a populo furente discerparis : et prius etiam grave est peccatum, eoque gravius, quo in totum populum peccatur. Sic dicendum est duo hic dari præcepta : primum, ne peccetur in populum; secundum, ne ejus rixis se quis immisceat. Hic sensus magis congruit versioni Vulgatæ Latinæ. Sic in populum Israel petentem sibi imminui onera a Salomone imposita, peccavit insipiens Roboam, dicendo : « Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei, etc. Pater meus cecidit vos flagellis; ego autem cædam vos scorpionibus, » III *Regum* XII, 11 : ideoque a populo regno Israel spoliatus, soli tribui Juda cum Benjamin dominatus est.

Tertio, facillimus et planissimus erit sensus, si peccatum hic non theologicum, sed civile et politicum accipias, pro offensa, *q. d.* Ne pecces, id est ne offendas multitudinem civitatis, sive

per judicii sententiam, sive per legem illi invisam et exosam, sive, ut sequitur, immittendo te in populum tumultuantem et furentem. Monet ergo declinandum esse officium judicis et principis, ne cogatur subinde offendere multitudinem, aut inscius et imprudens illam offendat, cum sui et suorum periculo. Hoc sensu prior pars versiculi cum posteriore optime cohæret. Hic sensus pariter conciliat lectionem Græcam, Latinam et Syram, quæ omnes illi favent, illumque exposcunt. Huc facit symbolum Pythagoræ: « Progredienti gregi e via cede, id est, multitudini te non oppone. »

Vers. 8. 8. NEQUE ALLIGES DUPLICIA PECCATA; NEC ENIM IN UNO ERIS IMMUNIS. — *Primo*, *q. d.* Noli fieri judex aut princeps, ne duplices peccata tua : nam præter propria imputabuntur tibi aliena, puta, populi, vel ob pravum exemplum, quod ei dedisti; vel quia illa corrigere (uti ex officio tenebaris) neglexisti. *Secundo*, *q. d.* Ne pecces in multitudinem populi, quia hæc « peccata, » utpote in multos commissa, sunt « duplicia », id est multiplicia. *Tertio* et genuine, *q. d.* Si semel in multitudinem, vel in justitiam et æquitatem peccasti, noli peccatum hoc iterare, et peccata peccatis cumulando, ea quasi alligare in fasciculum, cogitando : jam peccavi, jam Dei gratiam perdidi; dabo ergo me vitiis et voluptatibus. Sufficiat semel peccasse, sufficiat unum vulnus tibi inflixisse, noli vulnus vulneri, plagam plagæ addere. Una plaga facile curari potest : multæ sæpe sunt lethales et insanabiles. Hunc sensum exposcunt Græca : *Ne alliges bis peccatum;* Syrus : *Ne iteres peccata, quia in prioribus non es justificatus;* Vatablus : *Cave peccatum congemines.* Ex iteratis enim peccatis, ceu e multiplicatis contortisque filis, fit crassus funis, qui rumpi nequit, juxta illud : « Funibus peccatorum suorum constringitur impius, » *Proverb.* III, vers. 22; et : « Væ, qui trahitis impietatem in funiculo vanitatis, et quasi vinculum plaustri peccatum! » *Isaiæ* V, 18. Vide ibi dicta.

Causam subdit : « Nec enim in uno eris immunis, » scilicet, a merita castigatione et supplicio. Vatablus : *Cum ne unum quidem impune laturus sis, q. d.* Si duplicas culpam, duplicas tibi pœnam : ut ergo simplex sit tibi pœna, simplex sit et culpa. Quare cap. XXI, 1 : « Fili, inquit, peccasti? ne adjicias iterum. »

Vers. 9 10. 9 et 10. NOLI ESSE PUSILLANIMIS IN ANIMO TUO : EXORARE ET FACERE ELEEMOSYNAM NE DESPICIAS. — Hic versus pendet a præcedenti, *q. d.* Si peccasti, noli esse pusillanimis, ut illud iteres, et peccata peccatis accumules, noli de venia desperare aut diffidere; sed pro ea Deum exorare, eumque eleemosynis placare ne negligas. Tam enim pusillanimitatem, quam peccata levat tollitque oratio, juxta illud S. *Jacob.* cap. V, 13 : « Tristatur aliquis vestrum? oret. » Vide ibi dicta. Siracidem secutus Cato in *Distichis*, ita sancit :

Rebus in adversis animum dimittere noli :
Spem retine; spes una hominem nec morte relinquit.

Græca τὸ *exorare* jungunt cum *pusillanimis;* sic enim habent : *Noli esse pusillanimis in oratione tua, et eleemosynam facere ne despicias.* Orandum est enim cum magna fiducia impetrandi quod petimus : hæcque fiducia est quasi anima et nervus orationis, quæ ei dat robur et efficaciam. Sed eodem redit sensus.

Præclare S. Bernardus docet spiritum pusillanimem ob recordationem peccatorum vel passionum ineptum esse ad Dei laudem et jubilum, ac proinde debere orare ut Deus ad illam ipsum elevet. Sic enim ait serm. 9 *in Cant.* : « Quæ pusillanimis est et modicæ fidei mens, rei suæ familiaris tenuitate constringitur, nec valet præ inopia otiari ad vacandum divinis laudibus, seu his quæ laudes pariunt intuendis beneficiis. Et si quando certe conatur assurgere, confestim domesticarum necessitatum curis urgentibus evocatur ad sua, et in spe comprimi propria egestate compellitur. »

Græco accedit Syrus : *Ne contristeris* (tristitiæ enim comes, et jam filia, jam mater est pusillanimitas) *in verbis orationis tuæ, et ab eleemosyna ne tardes;* Tigurina : *Ne sis remisso ad precationes faciendas animo;* Vatablus : *Animum in precibus tuis ne despondeas;* aut : *Quo minus preceris, ne despondeas animum; nec miserando benignum præbere te negligas;* Vatablus : *Ne in pauperes erogare omittas*, juxta illud Danielis ad Nabuchodonosor monitum, cap. IV, 44 : « Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum. » Vide ibi dicta. Huc spectat illustre adagium Arabum, *Centuria* 1, num. 79 et 80 : « Qui operatur bonum, non privabitur remuneratione ejus. Liberalis est vicinus Dei, vicinus hominum, vicinus paradisi, remotus ab igne inferni. » Paulo aliter legit et intelligit Origenes homil. 1 *in Ezechiel.*, nimirum sic : « Fili, noli esse pusillanimis in disciplina Dei, » quod explicat subdens : « Neque deficiens correptus ab eo. »

Generalius hæc accipit Palacius, *q. d.* Si te mala premunt, præsertim minæ potentum, ut iis litem adjudices, ne despondeas animum; sed ora, et fac eleemosynam. Hæc est summa totius vitæ : Ora Deum, dilige proximum. Hæc sunt in quavis lege potissima. Hæc advocant bona omnia, et propulsant mala omnia. Hæc sunt leges, per quas examinabuntur in die judicii cuncti mortales. Sic et alii nonnulli hoc referunt superius ad vers. 6 : « Noli quærere fieri judex, » *q. d.* Noli ambire fieri judex; sed tamen, si præter tuam mentem coactus, vel factus es judex, noli esse pusillanimis, ut extimescas facies potentum; sed magno et excelso animo iis resiste, ac pro æquitate et pauperibus oppressis justam fer sententiam. Imitare Davidem dicentem *Psalm.* c, 8 : « In matutino (id est, tempestive, cito) interficiebam omnes peccatores terræ, ut disperderem

de civitate Domini omnes operantes iniquitatem. » Potentes enim similes sunt animali, quod vocatur myrmecoleon, id est, formica-leo, vel formicarius leo, aut leonina formica, de quo *Job.* IV, 11 : « Tigris periit, eo quod non haberet prædam; » ubi Septuaginta pro *tigris* vertunt *myrmecoleon.* Est hoc animal exiguum formicis adversum, uti leo cæteris animalibus, quod se sub pulvere abscondit, et formicas frumenta gestantes interficit, et interfectas consumit. Unde mystice per illud S. Gregorius accipit diabolum : diabolus enim piis et constantibus est timidus et formica, impiis vero et timidis est terribilis ut leo. S. Nilus vero per myrmecoleonem accipit perturbationes animi, qualis est timor et pusillanimitas, quæ initio a tenuioribus causis exoriuntur, et quasi formicæ latenter obrepunt : ubi vero se confirmarint, adeo immanis est earum impetus, ut non minus quam leo periculum injiciant occurrenti. Ita de Modesto Valentis Imperatoris præfecto conante S. Basilium pertrahere ad Arianismum, canit Cyrus Theodorus :

Modeste, Basilio Magno subes :
Formica sane es, rugias licet ut leo.

Est enim genus leonum in Pseudocasia, qui formicæ appellantur, ait Strabo lib. XVI. S. Basilium imitetur judex et quivis sapiens; si enim se constantem in justitia et virtute tuenda ostendat, potentes demittent se quasi formicæ: sin eos timeat, insurgent in ipsum, velut leones.

Vers. 11. 11. NE DICAS : IN MULTITUDINE MUNERUM (sacrificiorum, victimarum, oblationum : ita Syrus) MEORUM RESPICIET DEUS, ET OFFERENTE ME DEO ALTISSIMO, MUNERA MEA SUSCIPIET. — Versu præcedenti vetuit diffidentiam in oratione, hic vetat illi contrariam præsumptionem, *q. d.* Noli esse pusillanimis in oratione, ut diffidas te impetraturum id quod postulas : sed neque sis præfidens, ut peccata peccatis accumules, dicendo te hæc omnia expiaturum per sacrificia. Nec enim sacrificia veteris legis erant propitiatoria, et expiabant peccata ex opere operato, sed tantum ex opere operantis, puta ex devotione et contritione offerentis. Sacrificium vero Eucharisticum legis novæ, etsi vim habeat ex opere operato, tamen ut culpam expiet, requirit pariter opus operantis, puta contritionem pœnitentis. Dicit hoc contra vulgus peccatorum ævi prisci (æque ac moderni), quod putabat omnia peccata expiari per sacrificia, etiamsi quis in voluntate et proposito, imo actu peccati perseveraret. Unde Græca et Syrus hanc sententiam immediate subjiciunt versui 8, hoc modo : « Neque alliges peccata duplicia, etc., neque dicas : In multitudine munerum meorum respiciet Deus, » *q. d.* Ne duplices, triplices et quadruplices peccata hac præfidentia, quod victimas pro iis offeres, ad quas respiciens Deus illa condonabit.

Vers. 12. 12. NON IRRIDERAS HOMINEM IN AMARITUDINE (afflictione, dolore, mœstitia, angustiis) ANIMÆ SUÆ : EST ENIM QUI HUMILIAT ET EXALTAT CIRCUMSPECTOR DEUS. — Syrus : *Ne irrideas homines, quorum amara sunt palata* (cordis, et consequenter oris, id est qui tristes sunt et mœrentes : his enim quasi palato infecto, omnia velut insipida desipiunt), *quoniam est qui exaltat, et qui humiliat;* Vatablus : *Hominem acerbitate animi sui laborantem ne derideas : est enim qui deprimat, et idem evehat Deus animadversor, q. d.* Noli afflictum deridere memor fortunæ et sortis humanæ, quam Deus ad nutum librat et nutat, ut nunc miseros prosperet, nunc felices affligat, juxta illud Isocratis ad Dæmonicum : « Nemini calamitatem exprobra; fortuna enim communis est, et futurum non videtur, » *q. d.* Nescit homo quid sibi eventurum sit.

Nescia mens hominum fati sortisque futuræ.

Secundo, pressius et potius, *q. d.* Noli miserum irridere, quia solet Deus superbos, præsertim qui miseros irrident, dejicere, affligere et eidem irrisioni exponere, juxta legem talionis : « Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. » Quocirca cum Franciscus, rex Galliæ, captus a Carolo V, in pariete cubiculi inscripsisset : « Hodie mihi, cras tibi, » sortis et vicis humanæ memor subscripsit Carolus : « Homo sum, humani a me nihil alienum puto. » Præclare Plinius, lib. XVI, cap. XV : « Ut in rerum natura, inquit, quæ spectatissime florent, celerrime marcescunt, veluti rosæ, lilia, violæ, cum alia durent : ita in hominum vita, quæ florentissima sunt, citissime vertuntur in diversum, » puta felicitas in infelicitatem, sanitas in morbum, robur in infirmitatem, favor in odium, honor in contemptum, amici in inimicos, vita in mortem. Quocirca reges Chaldæi, teste Herodoto lib. I, gestabant sceptrum in quo rosa aut similis flos erat exculptus : rosa autem, quia frigida, ebrietati resistit. Igitur sceptro, quod homines fastu inebriat et dementat, incidebant rosam, quæ, licet sit speciosissima, subito tamen marcessit, ut cogitantes pari modo sua sceptra brevi corrumpenda, fastum ponerent, et modestiam induerent. « Omnis » enim « potentatus brevis vita, » ut audiemus cap. X, vers. 11. Adde : solent miseri, si rideantur, ad Deum gemere; Deus autem gemitus eorum exaudit et vindicat : miseria enim miseri misericordiam flagitat, non risum. Hoc est quod orat Psaltes *Psalm.* LXVIII : « Appone iniquitatem super iniquitatem eorum. » Cur? « Quia quem tu percussisti, persecuti sunt, et super dolorem vulnerum meorum addiderunt. »

Porro remedium irrisionis est compunctio, qua quis propria peccata et extremum judicium cogitans, aliena non respicit. Audi S. Antiochum *homil.* 48 : « Qui sua luget peccata, huic nullus relinquitur locus alterum ut derideat, aut de ridiculis sannis aspergat, et exacerbet fratrem. » Audi enim quid dicat Parœmiastes : « Ne derideris

hominem in amaritudine animæ suæ. » Et post nonnulla : « Multo profuerit derideri te, quam unum aliquem ut ipse derideas. Justi enim derisui ac ludibrio haberi solent, non item deridere. Traduntur enim in manus peccatorum, juxta B. Job sententiam; et melicus ille concentor hymnorum, *Psalm.* LXVIII : Adversum me loquebantur, qui sedebant in porta; et in me psallebant, qui bibebant vinum, etc. Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. » Rursum remedium irrisionis est cogitare quod Deus irrisores irrideat, juxta legem talionis, *Proverb.* III, 34 : « Ipse deludet illusores; » *Isaiæ* cap. LI, 7 : « Nolite timere opprobrium hominum, etc. : sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis, et sicut lanam, sic devorabit eos tinea, » *q. d.* Exprobratio et irrisio est quasi tinea et vermis, qui e lana et veste genitus, ipsammet erodit et consumit : impii enim producunt irrisionem, ob quam a Deo irridentur et consumuntur.

TERTIA PARS CAPITIS.

DE CAVENDO MENDACIO ET GARRULITATE.

Vers. 13. 13. NOLI ARARE MENDACIUM ADVERSUS FRATREM TUUM, NEQUE IN AMICUM SIMILITER FACIAS. — Perperam aliqui scioli, non intelligentes quid sit « arare mendacium, » pro *arare* correxerunt *amare*, quod proinde in Complutens. pluresque alios codices irrepsit. Græca enim et Romana constanter legunt *arare*. Porro « arare mendacium » est fabricare, concinnare, adornare mendacium et calumniam. Unde Syrus vertit : *Ne cogites malum adversus fratrem tuum, sic etiam adversus proximum pariter*; Vatablus : *Ne machineris adversus fratrem tuum mendacium, nec idem struas in amicum*; Arabicus : *Ne imputes dicto fratri tuo notam mali, neque amico tuo.* Ratio hujus phrasis est quod Hebr. חרש *charas* (unde Latinum *aras*) significat arare, et fabricare. Voluit id imitari interpres Græcus et Latinus, ideoque charas, id est, arare, sumit pro fabricare ; unde illud *Psal.* CXXVIII, 3 : « Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores; » alii vertunt : « Supra dorsum meum araverunt aratores. » Sic enim Judæi dorsum Christi, et persecutores dorsa Martyrum flagris et ungulis excavabant, ac si in iis sulcos arando duxissent.

Alludit ad *Oseæ* X, 13; « Arastis impietatem, iniquitatem messuistis, comedistis frugem mendacii. » Ubi ratio hujus metaphoræ aperitur, nimirum quod, sicut arator arat terram, in eaque seminat, ut semini similem messem metat : sic qui concinnat iniquitatem et mendacium, metet mendacium, frugesque mendaces, uti ibidem dixi. Ita Samson proponens ænigma Philistæis, cum ipsi ejus solutionem ab uxore Dalila scrutati enuntiassent, dixit : « Si non arassetis in vitula mea, non invenissetis propositionem meam. » Ubi *arare* sumitur pro vestigare, excogitare, rimari; *vitula*, pro puella vel sponsa ob juvenilem ejus lasciviam, imprudentiam et inconstantiam : persistit enim in metaphora arandi : olim enim, uti et jam, arabant vitulis, id est, vaccis et bobus; sicut enim arator fodiendo quasi scrutatur et rimatur terram : sic qui secretum aliquod vestigat vel excogitat, illud ipsum sua arte et industria meditando scrutatur et rimatur. Idem facit arator mendacii, de quo hic est sermo : quæ est tertia ratio et analogia hujus phrasis.

Rursum alludit ad *Proverb.* III, 29 : « Ne moliaris amico tuo malum, cum ille in te habeat fiduciam; » ubi pro *moliaris*, Hebr. est verbum חרש *charas* jam dictum. Unde Septuaginta vertunt, *ne fabriceris.*

Nominat *fratrem* et *amicum*, quia in eos eo immanior est malitia, quo major est cognatio et conjunctio, indeque fiducia, ac consequenter major est perfidia. Unde Clemens Alexandrinus, lib. VI *Stromat.*, post initium, celebrat illud Alcmæonis : « Inimicum facilius est cavere quam amicum. » Et illud Sophoclis : « Quod majus ulcus, quam amicus malus? » S. Maximus, serm. *De Amicitia*, narrat Antigonum quotidie sacrificando orasse deos, ut se a fictis amicis tutarentur; ac rogatum cur id tantopere postularet, respondisse : « Quia hostes, cum cognosco, caveo. »

Quinque analogiæ inter loquacem et aratorem.

Nota hic pulchram metaphoram, qua lingua loquendo dicitur arare. Nam *primo*, sicut arator arando exercet terram : ita linguatus loquendo exercet linguam. *Secundo*, sicut arator aratro glebas proscindit : ita loquax lingua famam aliorum proscindit. *Tertio*, sicut arator arando sulcat agrum : ita lingua sulcat aerem, palatum, labia et dentes. *Quarto*, sicut arator arat in campo, vel puro, vel spinoso : ita linguæ campus, purus, in quo rite arat, est veritas; spinosus, in quo perperam, est mendacium. *Quinto*, sicut arator ex campo puro puram messem, ex spinoso spinosam colligit : ita, qui lingua arat in campo veritatis, veras ex eo fruges; qui vero arat in campo mendacii, fallaces et mendaces metit et colligit.

Vers. 14. 14. NOLI VELLE MENTIRI OMNE MENDACIUM : ASSIDUITAS ENIM ILLIUS NON EST BONA. — Versu præced. vetuit mendacium in fratrem et amicum : jam ne quis ex eo colligat aliud quidlibet mendacium esse licitum, hic omne omnino prohibet. Erravit Plato docens, lib. *De Republic.*, mendacium qui-

dem in se esse malum; eo tamen uti licere quandoque ad majus malum vitandum, sicut utimur venenis in theriaca : mendacio ergo utendum esse quasi helleboro. Platonem secuti sunt Origenes, Clemens Alexandrinus, Cassianus, Beda et alii, quos citavi *Exodi* I, 19. Contra hos scripsit S. Augustinus librum *De Mendacio*, et librum *Contra Mendacium*. Sed et Ecclesiasticus hoc loco eos damnat. Respondebant illi, ut refert S. Augustinus libris citatis, *primo*, Ecclesiasticum dicere: « Noli velle mentiri omne mendacium; » vetare itaque tantum omne mendacium, aliquod ergo permittere. Sed refutat hoc recte S. Augustinus: nam Hebræis *non omne* idem est quod *nullum*, *q. d.* Nullum mendacium velis proferre; secus est apud Logicos, ubi *non omne* idem est quod *aliquod non*. Unde Syrus vertit: *Ne velis mentiri quodcumque mendacium;* Vatablus: *Ne velis uti ullo mendacio*, sive illud perniciosum sit, sive jocosum, sive officiosum duntaxat : hæ enim sunt tres species mendacii. Nam mendacium in se et intrinsece malum est, ut nullo modo, fine vel eventu possit fieri bonum et licitum; perinde ac est furari, fornicari, blasphemare, calumniari, maledicere, etc., quæ ita intrinsece mala sunt, ut nullo casu vel fine bona fieri possint.

Respondebant *secundo*, Ecclesiasticum dicere : « Noli velle mentiri, » quasi prohibeat tantum omne mendacium, quod sponte et voluntarie quis profert; non autem quod quis invitus ob majus bonum pronuntiat. Refutat hoc S. Augustinus, aitque Ecclesiasticum addere τὸ *velle*, ut sciamus non solum mendacium ore prolatum; sed etiam voluntatem illud proferendi esse malam, et peccatum. Addit Jansenius addi τὸ *velle*, ut, quoniam per infirmitatem humanam, vel omnino fieri non potest, vel vix, ut quis nunquam mentiatur : « si quis enim in verbo non offendit, hic perfectus est vir, » *Jacob.* III, vers. 2, saltem caveat ne affectet mendacium, et studiose mentiatur, atque ex proposito. Unde sequitur : « Assiduitas enim illius non est bona, » id est, valde est mala. Est miosis: minus enim dicitur, et plus significatur. Græce, *non ad bonum*, scilicet tendit et cedit; Syrus, *quia finis ejus non fuit bonus;* Vatablus, *nunquam enim prodest frequentatio ejus;* alii, *continuatio ejus non ad bonum spectat, q. d.* Nullum omnino mendacium est volendum : quod si aliquando mendacium nobis elabatur, cavendum est ab ejus assiduitate; hæc enim res est pessima.

Sensus ergo totius sententiæ est, *q. d.* Noli velle mentiri omne, id est, ullum mendacium; quia ex uno venies ad secundum, tertium et quartum, et tandem in assiduitatem, sive consuetudinem mentiendi, quæ pessima est : hæc enim faciet ut etiam mentiaris in damnum et perniciem alterius, quæ est calumnia gravis et lethifera. Quare, ne dicito: Mentior tantum jocose vel officiose, ut aliis prosim, vel ut eos recreem : quia ex assiduitate mentiendi et linguæ volubilitate quandoque mendacium proferes, illud tibi non cogitanti excidet, cum agetur de fama, bonis et vita proximi, ac per habitum inadvertenter eum infamabis, erisque causa ut bonis, et subinde vita spolietur. Rursum ex mendacio facilis est lapsus in perjurium : qui enim crebro mentitur, et crebro jurat, impossibile est ut sæpe non juret falsum. Unde Cicero *pro Roscio Comœdo* : « Qui mentiri solet, inquit, perjurare consuevit. Quem ego, ut mentiatur, inducere possum, ut pejeret, exorare facile potero. Nam qui semel a veritate deflexit, hic non majore religione ad perjurium, quam ad mendacium perduci consuevit, etc. : propterea quæ pœna a diis immortalibus perjuro, hæc eadem mendaci constituta est. »

Dignitas veritatis

Moraliter, vide hic quanta sit dignitas veritatis, adeo ut omne mendacium, etiam minimum, sit peccatum, quia veritati contrarium. Celebre est adagium Arabum, *Centuria* 1, num. 72 et 73 : « Veritas magnificentia est, mendacium vilitas; veritas sanitas est, mendacium infirmitas. Quocirca os linguæ carcer est. » Et *Centuria* 2, num. 39 : « Lumen omnium factorum tuorum esto sermo verax. » Et num. 48 : « Omitte mendacium, ubi videris quod tibi profuturum erit : nam nocebit, tibi. Tuum quoque est hærere veritati, ubi videris quod ipsa nocebit tibi, quia ipsa proderit tibi. » Et num. 48 : « Qui notus est veracitate, recipitur ejus mendacium; et qui notus est mendacitate, non recipitur ejus veritas. » Eam enim vim opinio habet, ut ei qui vera solet loqui, etiam cum mentitur, credamus; ei vero qui sæpius mentitur, etiam tunc, cum verum dicit, fides non habeatur. Quin et Plato, lib. II *De Legibus* : « Turpissimum est, inquit, magistratum aut principem (pariter et civem) eo ipso ore mentiri, quo Deum invocat. »

Ratio a priori est, quia Deus est veritas, eaque essentialis et increata : quantum ergo ad veritatem accedis, vel ab ea recedis, tantum ad Deum accedis, vel recedis : Deus enim amat veraces quasi sui similes, mendaces odit quasi sui dissimiles. Quocirca Pythagoras censuit, « veritatem post Deum colendam esse, utpote quæ homines Deo proximos facit, » teste S. Hieronymo lib. *Contra Ruffinum*. Hinc Deus Christum amat infinite, quia ipse est Verbum Patris adæquatum et verissimum. Christo ergo Dei Verbo associantur veraces; Christi enim vox est: « Ego sum via, veritas et vita, » *Joan.* XV. Qua de causa ipse, utpote ipsa veritas, hanc veracitatis legem sancit: « Sit sermo vester : est, est; non, non; quod autem his abundantius est, a malo est, » *Matth.* V, 37. Ipse tandem pro veritate, quod, scilicet, ipse esset Messias Dei Filius, occubuit. Sic et Martyres maluerunt perdere vitam, quam fidem et veritatem. Denique S. Joannes *Apoc.* XXI, 8 : « Omnibus mendacibus, inquit, pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure, quod est mors secunda. » Nam, ut ait S. Basilius *epist.* 75 : « Mendacium est diaboli fœtus. »

QUARTA PARS CAPITIS.

QUOMODO SE QUIS GERERE DEBEAT ERGA SE ET SUOS QUOSLIBET.

v. 15. 15. NOLI VERBOSUS ESSE IN MULTITUDINE PRESBYTERORUM, ET NON ITERES VERBUM IN ORATIONE TUA, — puta, qua Deum oras et deprecaris; hanc enim significat Græcum *προσευχή*. Vetuit mendacium, nunc vetat verbositatem et garrulitatem, quasi rectam viam ad mendacium; qui enim verbosi sunt, ex multiloquio et volubilitate linguæ facile incidunt in mendacium. Hæc autem verbositas gravior et indecentior est, tum « in multitudine presbyterorum, » id est, seniorum: hos enim decet loqui, juvenes autem eos modeste et reverenter audire ac silere, uti fusius sanciet cap. XXXII, vers. 9 et seq., præsertim quia senes, ut pote sapientes et experientia pollentes, facile possunt verbosos de lapsu memoriæ, errore, vel mendacio redarguere; tum in oratione apud Deum: Deus enim non flectitur verbis, sed affectibus humilitatis, verecundiæ, devotionis, desiderii, amoris. Prohibetur hic ergo non prolixa oratio verbalis, sed irreverens tautologia et verbosa iteratio sermonis, qua Judæi et Pharisæi utebantur, putantes se instar Ciceronis blando sermone et eloquentia persuasuros Deo ut postulata concedat. Unde pro *verbosus esse*, Græce est *ἀδολεσχεῖν*, id est, garrire, nugari, ineptire, effutire quælibet, nulla habita ratione loci, temporis et personarum. Syrus accipit pro fingere et simulare; vertit enim: *Ne abscondas animum tuum* (verbis fictis et simulatis) *in congregatione principum, et ne varies verba orationis tuæ;* Vatablus: *In cœtu senum ne sis verbosus, nec in precatione tua dictum iteres.* Hoc est quod sancit Christus *Matth.* VI, 7: « Orantes autem nolite multum loqui, sicut Ethnici; putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur, » puta propter multiloquium, græce *βαττολογίαν*; battologia autem est nugacitas, ac futilis verborum profusio et repetitio. Ethnici enim putabant se hac quasi rhetorica sua deos excitare, mulcere et flectere. Contra eos docet Christus orationis essentiam, efficaciam et vim sitam esse, non in verbis oris, sed in colloquio mentis cum Deo, cujus causa et quasi anima sit desiderium, et pius animi affectus; quem tamen non negat verbis posse exprimi et foveri, tum ut et ore æque ac lingua Deum exterius laudemus; tum ut voce mentis affectus acuatur, excitetur et continuetur. Igitur cum ait Ecclesiasticus: « Ne iteres verbum in oratione, » intellige, ex infidelitate, quasi necessarium sit verba repetere, ut ea Deus possit audire; vel ne temere et sine fructu iteres. Nam alioqui Ecclesia Versus et Anthiphonas iterat, primo ex abundantia devotionis, ac ad excitandum spiritum et orationem, secundo, ad recreandos animos orantium; tertio, ad meliorem concentum; quarto, quia mystice hæc Responsoria significant opera bona sæpius esse iteranda. Ita Amalarius in Antiphonario, cap. IV, Turrecremata tractat. 66 *ad Regulam S. Benedicti*, et Suarez lib. IV *De Oratione vocali*, cap. II.

Rursum noster Emmanuel Sa sic exponit: « Ne iteres verbum in oratione tua, » *q. d.* Dum oras, esto attentus, ne ob distractionem verba iteres; hoc enim indecens est et irreverens coram Deo. Hoc notent scrupulosi, qui ob metum distractionis identidem verba orationis repetunt, qua in re errant: tum quia hic metus in scrupulosis est inanis et vitiosus; tum quia repetitio hæc irreverens est; tum quia hac ratione metus suos et scrupulos alunt et augent; tum quia pronuntiando verba satisfecerunt obligationi orationis, et esto in ea distracti fuissent, distractio hæc in eis sæpe involuntaria est, ideoque peccati expers; sin voluntaria aliquo modo fuisset, ideoque peccatum aliquod, illud non iteratione verborum, sed contritione delendum est. Huc pertinet expositio Hugonis et Dionysii: Sensus, inquiunt, est, *q. d.* Oratio tua tam devota et attenta sit, ut non habeas scrupulum vel dubium, an rite vel attente verba protuleris, ideoque velis ea iterare; sed conscius tuæ devotionis et attentionis, audacter ad ulteriora progrediare.

Mystice S. Gregorius, parte III *Pastor.*, Admonit. 31, hæc refert ad eos qui in peccata, quæ planxerunt, relabuntur: « Sus, inquit, in volutabro luti cum lavatur, sordidior redditur. Et qui admissum plangit, nec tamen deserit, etc., ante Dei oculos sordidas ipsas etiam lacrymas facit. Hinc scriptum est: Ne iteres verbum in oratione tua; quo dicto nequaquam nos prohibet sæpe veniam petere, sed culpas iterare. Ac si aperte dicat: Cum male gesta defleveris, nequaquam rursus facias quod in precibus iterum plangas. » Sic et S. Chrysostomus tom. I, hom. in illud *Psal.* LXXXIV, *Non in æternum irascaris*: « Quid est, inquit, ne repetas sermonem in oratione? Quis enim non repetat? An forte illud intelligendum est de eo quod dicis Deo: Peccavi? Non repetas factum; quia cum repetis, id est, ad peccatum redieris, orationem repetis. Ergo eligendum est a sapientibus peccatum agnoscere, et dolere semper. Præterita vetusta male commissa, male cogitata, pessime delectata, inordinate dicta debent quotidie in mente manere, et semper homo

debet ista dolere, ut, cum venerint novæ suggestiones, ibi repellatur inimicus, dicendo: Adhuc doleo peccatum vetustum, quomodo admitto peccatum novum? » Idem vero Chrysostomus in *Psal.* CXLII, initio, sic explicat: « Ne iteraveris verbum in oratione: non autem hortatur ut non eadem bis dicamus, cum eum rogamus et precamur: absit: jubemur enim perseverare in orationibus; sed ne differamus, quando Deo aliquid fuerimus polliciti, et id solvere properemus. Et ideo dicit alibi: Ne differas reddere votum. » Huic sensui favet Syrus: *Ne varies verba orationis tuæ.*

Vers. 16. 16. NON ODERIS LABORIOSA OPERA ET RUSTICATIONEM CREATAM AB ALTISSIMO. — Græce: *Non oderis laboriosam operationem et agriculturam creatam ab Altissimo.* In Syro hæc sententia deest. Vatablus: *Laboriosum opus ne prosequaris odio, nec agriculturam ab Altissimo institutam.* Copula *et* est exegetica et emphatica, *q. d.* Ne oderis laboriosum opus, quale imprimis est agricultura. Sic Christus ait *Marc.* cap. XVI, vers. 7: « Dicite discipulis, et (id est, *præsertim*) Petro, » quasi omnium capiti et principi. Commendat amorem laboris et agriculturæ quinque de causis. *Prima,* quia labor excludit otium, quod est fons et origo malorum omnium: quantum ergo malorum ab ignavia feres, tantum bonorum a labore, imo amplius capies. Idcirco natura dedit homini geminas manus, ut iis assidue laboret.

Primo.

Secundo. *Secunda,* quia « homo nascitur ad laborem, et avis ad volatum, » ait Job cap. V, vers. 7. Hinc Rabbinus quidam eruditus dixit: « Ama opus, et odio habeto doctoratum, » *q. d.* De re et opere, non de inani nomine et titulo sis sollicitus. Causa est quam dat Salomon *Proverb.* XIV, 23: « In omni opere erit abundantia; ubi autem verba sunt plurima, ibi frequenter egestas, » *q. d.* Rerum copia paritur laborando, non otiando et garriendo. Hebræus: *In omni labore erit augmentum, verbum labiorum vero ad defectum;* Septuaginta: *In omni sollicito erit abundantia, dulcis autem et carens dolore in egestate erit;* Chaldæus: *In omni quod sollicitum te facit, erit tibi commodum, et labia superflua in egestate erunt.* Maximus, *serm.* 32, celebrat Democritum qui, rogatus qua re laboriosi differrent a desidiosis respondit: « Illa qua impii a piis, spe scilicet bona. » Sperant quippe, qui corpus laboribus exercent, pinguia laborum præmia; desides autem semper præsentem intuentur paupertatem. Quocirca Severus Imperator tribuno symbolum dedit, *Laboremus;* Pertinax Imperator, *Militemus,* ait Spartianus. Idem sibi dicat fidelis; nam, ut ait Job cap. VII, 1: « Militia est vita hominis super terram, et sicut dies mercenarii, dies ejus. » Memorabile est, quod in historia Romana legimus, Scipionem Nasicam ambientem ædilitatem, ab ea repulsum, eo quod competitoris sui manum agricultura duratam contrectans, ironice rogasset, an manibus incedere terramque calcare consuesset? Phryges vero eum qui bovem, aut instrumentum quodpiam agricolandi sustulisset, morte mulctabant, teste Stobæo, *serm.* 42.

Tertia. *Tertia,* quia labor vegetat et roborat corpus, æque ac animum. Hebræorum est gnome: « In quo quisque laborat, ex eo fructum feret, » nimirum homines industrii semper fructum colligunt sui laboris; nam, ut umbra corpus, sic utilitas laborem animi aut corporis comitatur. Ergo, si commodum quæris et robur, ne fuge laborem; si e nuce nucleum edere vis, frange nucem. Quocirca Aristoteles, lib. I *Œconom.,* agriculturam ait omnium artium esse optimam, eo quod sit secundum naturam, nec bellando aut mercando, uti milites et mercatores, sed laborando a terra, quæ omnium est mater, victum quærat. Et Virgilius lib. II *Georgic.*:

> O fortunatos nimium, sua si bona norint,
> Agricolas, quibus ipsa procul discordibus armis
> Fundit humo facilem victum justissima tellus.

Et inferius:

> At secura quies, et nescia fallere vita,
> Dives opum variarum, etc., extrema per illos
> Justitia excedens terris vestigia fecit.

Est enim agricultura « ars omnium innocentissima, » ait S. Augustinus. Plura vide apud Catonem et Columellam præfat. *De Re rustica;* Plinium lib. XVIII, cap. V; Xenophontem in *Œcon.;* Varronem lib. I, cap. II; Stobæum *serm.* 54, et alios.

Quarto. *Quarta,* quia labor vitia excludit, et virtutes inserit, puta innocentiam, patientiam, fortitudinem, uti patet in agricolis. Rursum labor parit heroica opera. Ita S. Dominicus Loricatus rogatus, quomodo ad tantum vitæ rigorem (præter enim vigilias et jejunia assidua, quotidie flagellis se cædebat per integrum psalterium) pervenisset, respondit: « Labor laborem adescat, vigilias vigiliæ pariunt. » Nam, ut aiunt Arabes: « Gusta, cibaberis, » id est, gusta laborem, et ipse vocabit te ad appetitum sui; « accede ad pinguem, et pinguesces. » Vulgo dicitur: « Fatum adjuvat conatum, et Tonans conantem. Merces præcepti, præceptum, » id est, qui laborat, ut unum præceptum observet, ei Deus quasi præmii loco concedit, ut et alia observare possit. Ita Pythagoras apud Stobæum, *serm.* 27, hortabatur suos, « ut optimum vivendi genus sibi deligerent; quamvis enim laboriosissimum esset, consuetudine tamen jucundum fore. »

Quinto. *Quinta,* quia agricultura a Deo instituta est, et homini demandata in statu innocentiæ, *Genes.* II, 15: « Tulit ergo Dominus Deus hominem, et posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum. » Rursum mox a peccato hanc pœnitentiam Deus homini injunxit: « In laboribus comedes ex ea (terra) cunctis diebus vitæ tuæ. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, » *Genes.* III,

vers. 17. Agricola ergo fuit Adam, Abel, Seth, Henoch, Noe, Abraham, Isaac, Jacob, omnesque Patriarchæ. Vide dicta locis citatis, et *Genes.* IX, 20. Sic Romulus, Remus, Camillus, primique Romani nobiles fuere agricolæ, et a rastris ad arma et sceptra vocati sunt. Unde Cicero lib. I *Offic.*: « Omnium rerum, inquit, ex quibus aliquid acquiritur, nihil est agricultura melius, nihil dulcius, nihil libero homine dignius. » Et: « Agricolæ ita semper vivunt, ut quæstum norint nullum; fructum autem eum solum, quem labore pepererint. » Quocirca S. Augustinus, *hæres.* 46, Manichæos ridet quasi stolidos, quod damnarent agriculturam: « Vinum, ait, non bibunt, dicentes fel esse principum tenebrarum, etc. Herbas atque arbores sic putant vivere, ut vitam, quæ illis inest, et sentire credant, et dolere cum læduntur; unde agriculturam, quæ omnium artium est innocentissima, tanquam plurium homicidiorum ream dementes accusant. » Denique Alfonsus, rex Aragonum, videns senem ebrium dicentem « vinum esse lac senum: » « Sed regum, inquit, cibus est honos, quem dii immortales non otio aut luxu, sed improbis laboribus multisque sudoribus vendunt. » Testis Panormitanus lib. I *De Gestis Alfonsi.*

Mystice, rusticatio nostra est cultura animæ, tum propriæ, tum alienæ. Rus enim nostrum nobis a Deo ad excolendum commissum, est anima, juxta illud S. Pauli I *Corinth.* III, 9: « Dei agricultura estis. » Et vers. 6: « Ego plantavi, Apollo rigavit; sed Deus incrementum dedit. » Pro hoc rure omnes labores alacriter subeundi sunt, omnesque dolores tolerandi, uti eos subiit et toleravit S. Paulus cæterique Apostoli, ob spem messis amplæ et æternæ in gloria cœlesti, juxta illud *Psal.* CXXV, 6: « Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. » « Ergo, inquit S. Ambrosius, lib. VIII *in Lucam,* cap. XVI, ita exerceamus et colamus agrum nostrum in istius culturæ munere constituti, ut in illa superiore Jerusalem, ubi legis vera custodia celebratur, habeamus similaginem de manipulis nostris, quos beati qui potuerint congregare, ut venientes veniant in exsultatione tollentes manipulos suos. »

Vers. 17. 17. NON TE REPUTES (προσλογίζου, id est, computes, associes, adjungas, vel computari et annumerari permittas) IN MULTITUDINE INDISCIPLINATORUM. — Græce ἁμαρτωλῶν, id est *peccatorum,* qui Deum non timent, nec ejus vindictam prævident et verentur. At vero tu qui fidelis es et sapis,

Vers. 18. 18. MEMENTO IRÆ (vindictæ Dei in peccatores), QUONIAM NON TARDABIT. — Vatablus: *Non te adjungas multitudini scelerosorum; sed vindictam moram non esse facturam memineris.* Syrus priorem partem aliter vertit; sic enim habet: *Ne ames animam tuam* (te ipsum) *præ homine, qui est tecum; recordare quoniam furor non transit.* Hoc accipe cum grano salis, nimirum, *q. d.* Ne ita ames te, ut proximum præ te despicias, spolies, opprimas; alioqui enim ordo charitatis poscit, ut magis nos quam alios diligamus. Unde sequitur:

Vers. 19. 19. HUMILIA VALDE SPIRITUM TUUM, QUONIAM VINDICTA CARNIS IMPII, IGNIS ET VERMIS. — Explicat iram Dei, quam vers. præcedent. dixit non tardaturam, per ignem et vermem, ut ejus consideratione et metu humiliemus nos, et fugiamus superbiam, cui hic ignis et vermis a Deo parati sunt. Unde Græca hæc trajiciunt, sicque ordinant: *Humilia valde animam tuam. Memento, quoniam ira non tardabit, quoniam vindicta impii, ignis et vermis.* S. Ephrem, tract. *De Timore Dei,* sic legit: « Ne superbias, neque dilateris; sed te ipsum humilia: ultio quippe impiorum ignis et vermis. » Sed paraphrastice, ut videtur, quædam explicationis causa addit et interserit. Syrus rursum alio abit: *Multum multum humilia spiritum tuum, quoniam finis omnium hominum in altum fit, q. d.* Quia finis hominum est altus, puta, gloria cœlestis, ad quam ducit humilitas, utpote quæ sola exaltat. Præclare S. Bernardus *De Interiori domo,* cap. XXVIII: « Qui sibi displicet, ait, Deo placet; et qui sibi vilis est, Deo charus est. Arabicus: *Humilia animam tuam valde valde, quoniam ultimum esse hominum in pulverem et corruptionem.*

Valde humiliandum. Primo.

Nota τὸ *valde, q. d.* Humilia et deprime te sub Deo et Angelis, sub hominibus, sub omnibus creaturis usque in infernum, sicut P. Franciscus Borgia ponebat se ad pedes Judæ proditoris, imo sub Lucifero et dæmonibus; quia pluries, gravius et diutius peccasti illis: unicum enim peccatum mortale est summum malum, quod in orbe esse aut fingi potest; ipsum ergo est summa vilitas evertenda in gehennam, ut ibi puniatur igne et verme, præsertim peccatum superbiæ. Humilia te ergo, et te vermem agnosce, ac dic cum Christo: « Vermis sum ego, et non homo, » ut vermes gehennæ evadas. Unde S. Bernardus in *Formula vitæ honestæ*: « Ista tria, inquit, habe semper in mente: Quid fuisti, quid es, et quid eris? Quid fuisti, quia sperma fœtidum. Quid es, quia vas stercorum. Quid eris, quia esca vermium. Similiter imagineris eorum pœnas, qui sunt in inferno, et quod nunquam finiantur, et pro quam modica delectatione tanta mala patiuntur. »

S. Vincentius Ferrerius sui ævi apostolus, tract. *De Vita spiritali,* simpliciter, sed pie et nervose ita scribit et præscribit: « Qui vult fugere laqueos et tentationes diaboli, sentiat de seipso sicut de uno corpore mortuo, pleno vermibus et male olenti, et sicut de uno cadavere, quod dedignatur videre et intueri, imo super quod claudit nares propter ejus pessimum odorem et fœtorem, et a quo avertit faciem, ut non videat talem et talem abominationem. Sic oportet, charissime,

facere semper mihi et tibi; sed plus mihi, quia tota vita mea fœtida est, totus fœtidus sum, et corpus meum, et anima mea, et omnia, quæ intra me sunt, fæce et putredine peccatorum et iniquitatum fœtidissima et abominabilissima sunt; et quod deterius est, quotidie hunc fœtorem in me sentio recentius et angustius revocari. » Et inferius: « Et sicut sibi et Deo fœtere se credit et sentit: sic etiam credat et sentiat, quod non solum coram Angelis et sanctis animabus, sed etiam coram omnibus hominibus viventibus sit abominabilis et fœtidus: et quia facta et dicta sua non solum homines videre et audire dedignantur, sed quod nares suas claudant et avertant facies suas, ne ipsum videant; et tanquam fœtidum cadaver de medio eorum expellant, et sit ab eis alienatus et separatus et projectus, sicut plus quam leprosus, usquequo veniat et reveniat ad seipsum. Et si quis de eo justitiam faceret, et de corpore suo sentiat quod justum est, et ita credat, etiamsi sibi oculi eruerentur, nasus truncaretur, manus abscinderentur, et aures, et os, et sic de aliis sensibus corporalibus et membris; quia cum his omnibus Deum offendit, et Creatorem. Item, quod despici desideret et contemni, et quod omnia vituperia, verecundias, diffamationes, injurias, blasphemias, et cætera adversa summo cum gaudio et lætitia recipiat, et patienter ferat. Et oportet quod diffidas de teipso totaliter, et de omnibus bonis tuis, et de tota vita tua, et convertas te totum, et reclines super brachia Jesu Christi pauperrimi et vilissimi, et improperati, despecti, et mortui propter te, usquequo tu sis mortuus in omnibus sentimentis tuis humanis, et Jesus Christus crucifixus vivat in corde tuo, et in tua anima, et totus transformatus et transfiguratus cordialiter sit in te: ut nunquam videas, nec sentias, nec audias, nisi ipsum solum stantem in cruce propter te mortuum et suspensum, ad exemplum Virginis Mariæ, mortuus in mundo, et vivens in fide. » Et post nonnulla: « Debet etiam circa seipsum exerceri alio septiformi affectu. *Primo* scilicet, quod totus de suis vitiis et defectibus confundatur. *Secundo*, ut peccata sua tanquam offensiva, et sui ipsius maculativa acutissimo et acerbissimo dolore plangat et deploret. *Tertio*, humiliatione sui et conculcatione cum contemptu, ut scilicet totis viribus se sicut rem vilissimam et fœtidissimam spernat, et contemni appetat, ut dictum est. *Quarto*, rigore severissimo, ut scilicet corpus suum asperrime maceret, et macerari appetat, tanquam peccato fœtidum, imo tanquam latrinam et sentinam et tumulum omnium fœditatum. *Quinto*, ira implacabili contra omnia vitia sua, et contra radices et inclinationes vitiorum suorum. *Sexto*, vigore pervigili et strenuo, ut scilicet omnes sensus, actus, potentias suas semper cum quadam virilissima strenuitate, in omne bonum teneat pervigiles et attentos. *Septimo*, discretione perfectæ modestiæ, seu moderantiæ, ut scilicet in omnibus districtissime servet mensuram et modum: videlicet, inter nimium et non satis, ut scilicet nihil sit in eo superfluum, nihil diminutum, aut defectivum, nec plus quam debeat, aut minus quam deceat. »

Secundo, τὸ *valde*, ait Dionysius, significat multas nos habere ad humiliandum rationes et stimulos: *prima* est consideratio peccatorum commissorum; *secunda*, fragilitas propria; *tertia*, naturæ imperfectio: homo enim in serie creaturarum rationalium est infimus, nec eo inferior creari potest, uti nonnulli censent; *quarta*, sordes et putredines corporis; *quinta*, comparatio cum Sanctis et Beatis; *sexta*, quia nihil habet ex se, nec suum; *septima*, consideratio judicii divini; *octava*, consideratio divinæ majestatis; *nona*, vindicta superbiæ quam Siracides hic assignat ignem et vermem, idque apposite. Nam, ut ait Plinius lib. XI, cap. XXXII: « Vermes in ligno nascuntur, ubicumque humor est nimius, et lignum corrodunt. » Addit, cap. XXXVII, « nulli vermium generi oculos esse. » Ita superbus oculos non habet, quibus se suamque miseriam cognoscat; sed instar Tiresiæ cæcus, putat se esse quod non est, quia nimio philautiæ humore, et quasi hydrope oppletus est; sed hæc superbia eum corrodet et perdet.

Tertio, τὸ *valde* significat varios esse gradus et actus humilitatis, per quos sensum humilem descendere oportet, ut in humilitate crescat. Gradus hos assignat S. Benedictus in Regula: *Primus*, inquit, timor Domini; *secundus*, resignatio; *tertius*, obedientia; *quartus*, obedientia etiam in arduis; *quintus*, mala et alia quævis aperire Superiori; *sextus*, ad omnia se indignum æstimare; *septimus*, omnibus se inferiorem ex animo existimare; *octavus*, communia servare, non esse singularem; *nonus*, tacere, donec rogetur; *decimus*, non esse ad risum promptum; *undecimus*, pauca et rationabilia modeste loqui; *duodecimus*, corde et corpore præ se ferre humilitatem. Gradus humilitatis duodecim.

Porro actus humilitatis hoc ordine accipe. Actus *primus*, vilipensio sui; *secundus*, putare se ineptum ad omnia; *tertius*, nolle æstimari; *quartus*, vilem velle se haberi; *quintus*, dolere magni fieri; *sextus*, aliis se conferendo inferiorem reputare; *septimus*, resignare se totum; *octavus*, subjicere se hominibus omnibus propter Deum; *nonus*, amplecti quod humilius est. Accipe aliam eorum seriem: *primo*, nihil dicere unde laudem consequatur; *secundo*, non gaudere, cum laudatur; *tertio*, non facere quidquam ob respectum humanum; *quarto*, non se excusare; *quinto*, vanas cogitationes procul pellere; *sexto*, omnes sibi ducere superiores; *septimo*, bene accipere humilitatis occasiones. Actus novem. Primo. Secundo.

Porro Cassianus signa humilitatis assignat: *primo*, mortificatum esse; *secundo*, aperire omnia Superiori; *tertio*, omnia ex ejus arbitrio facere; *quarto*, obedientia in omnibus et mansuetudo; *quinto*, non inferre malum, et illatum pati;

sexto, nihil agere sine exemplo, aut regula; *septimo,* omni vilitate contentum esse, et inutilem operarium se existimare; *octavo,* se ex corde putare omnibus inferiorem; *nono,* cohibere linguam et modeste loqui; *decimo,* non facile ridere. Item hæc : *primo,* nolle laudari; *secundo,* simplicem esse in moribus ; *tertio,* bona de se dicta non agnoscere, aut ne ea perdat, quia cognita, timere; *quarto,* minus putare de se, quam dicatur ; *quinto,* in proximo videre, quod plus habeat sese ; *sexto,* accusare se ; *septimo,* non excusare, et correctionem admittere libenti animo ; *octavo,* nescire virtutes suas ; *nono,* humana contemnere ; *decimo,* pro persequentibus orare, et iis benefacere.

QUONIAM VINDICTA CARNIS IMPII, IGNIS ET VERMIS. — Tigurina : *Quoniam ignis et vermis supplicia sunt carnis impii, q. d.* Quia impii superbe et delicate carnem suam vestiunt, enutriunt, exaltant, hinc punietur illa igne et verme. Humilitati jungit carnem, et carnis pœnas, ignem et vermem, minatur, *q. d.* Nisi te humilies, sed superbire velis, justo Dei judicio incides in libidinem et vitia carnis : humiliato enim spiritu humiliatur et caro ; superbiente vero spiritu, superbit lascivitque et caro ; ac proinde Cassianus, S. Gregorius et alii optimum remedium castitatis assignant humilitatem. Siracidi succinit R. Levitat in *Pirke Avoth,* cap. IV : « Curvo admodum, inquit, et demisso spiritu ambules : exspectatio enim omnis hominis, vermes. »

Jam triplex est hic sententia : *primo,* quidam sicut vermem, ita et ignem non proprium, sed metaphoricum accipiunt ; *secundo,* alii accipiunt ignem proprium, sed vermem metaphoricum, puta remorsum conscientiæ ; *tertio,* alii aptissime, tam vermem quam ignem proprium et realem intelligunt.

An ignis inferni corporeus? Negat Origenes et alii.

Quæritur ergo *primo,* an ignis inferni, quo cruciantur dæmones et damnati, sit verus et corporeus, an vero figuratus et spiritalis? Figuratum et spiritalem esse censet Origenes homilia 13 *in Exodum,* ubi ait, ignem gehennæ ab igne nostro natura ipsa differre ; urendi tamen vi præditum esse. Et lib. XXI *Periarchon,* cap. XI, ignem hunc a sceleribus ipsis in animis impiorum excitari asserit, perinde ac febris ab humorum copia et pugna in corporibus humanis excitatur. Et homilia 9 *De Diversis in Matthæum locis* (licet nonnulli negent eam esse Origenis), docet ignem hunc æque ac vermem esse metaphoricum. Accedit S. Hieronymus in cap. LXVI *Isaiæ :* « Ignis, inquit, qui non exstinguitur, a plerisque conscientia accipitur peccatorum, quæ torquet in suppliciis constitutos. » Quod avide arripit sequiturque Calvinus, dum ait damnatos in inferno non alio igne aut pœna torqueri, quam quod apprehendant Deum sibi ob scelera esse iratum et offensum : hæc enim apprehensio, inquit, cruciat eos instar ignis. Verum aliud est ignis et combustio, aliud apprehensio et imaginatio.

Diserte vero S. Ambrosius, lib. VII *in Lucam,* cap. XIV : « Ergo, inquit, nec corporalium strídor aliquis dentium, neque ignis aliquis perpetuus flammarum corporalium, neque vermis est corporalis; sed hæc ideo, quia sicut ex multa cruditate et febres nascuntur et vermes : ita si quis non decoquat peccata sua, velut quadam interposita sobrietate abstinentiæ, sed miscendo peccata peccatis, tanquam cruditatem quamdam contrahat veterum et recentium delictorum, igne aduretur proprio, et suis vermibus consumetur. » Paucis autem interjectis : « Ignis est, ait, quem generat mœstitia delictorum : vermis est, eo quod irrationabilia animæ peccata mentem rei sensumque compungunt, et quædam exedunt viscera conscientiæ. » Nec magnopere ab hac sententia abhorrere videtur S. Augustinus, lib. XXI *De Civit.* cap. X. Cum enim de historia divitis Epulonis ageret : « Convenienter, inquit, responderi posset, talem fuisse illam flammam, quales oculi quos levavit, et quibus Lazarum vidit; qualis lingua, cui humorem exiguum desideravit infundi ; qualis digitus Lazari, de quo id sibi fieri postulavit : ubi tamen erant sine corporibus animæ. Sic ergo incorporalis et illa flamma, quæ exarsit, et illa guttula, quam poposcit, qualia etiam sunt visa dormientium, sive in exstasi cernentium res incorporales, habentes tamen similitudinem corporum. » Gregorius autem, lib. XV *Moralium* cap. XIX, alias XVII : « At contra, inquit, gehennæ ignis, cum sit incorporeus, et in se missos reprobos corporaliter exurat, nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur, sed creatus semel durat inexstinguibilis, et succensione non indiget, et ardore non caret. » Denique Damascenus, lib. IV *De Fide,* cap. ultim. : « Tradentur, ait, peccatores in ignem æternum, non materialem, qualis est apud nos, sed qualem novit Deus. » Denique Nyssenus, lib. *De Anima et Resurrectione,* ignem hunc accipit mysticum et metaphoricum, ut non sit aliud quam dolor amissæ beatitudinis : « Privatio, inquit, eorum quæ bona videntur, flamma animam perurens existit, guttam aliquam ex pelago bonorum, quibus Sancti affluunt et abundant, et consolationem desiderans, et non adipiscens. »

Afferri possunt et rationes : *prima,* quia ignis hic agit in dæmones incorporecs : ergo incorporeus et ipse sit oportet ; nec enim corpus agere potest in spiritum ; *secunda,* quia Græci in concilio Florentino censuerunt in Purgatorio non esse ignem verum, quo purgentur animæ ; nec tamen eos reprehenderunt Latini. Ergo idem dicendum est de igne inferni ; passim enim Theologi censent eumdem esse ignem Purgatorii et inferni. Ratio prima. Secunda.

Verum dico, certum est in inferno verum et corporeum esse ignem, quo cruciantur tam dæ-

Affirmant cæteri. mones quam animæ et corpora damnatorum. Id probatur *primo*, ex Scriptura, quæ ubique docet damnatos in inferno puniri igne. Diserte Christus *Matth.* cap. XXV, 41 : « Discedite a me, inquit, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus. » Isaias, cap. XXX, 33 : « Præparata est ab heri Topheth, a rege præparata, profunda et dilatata. Nutrimenta ejus, ignis et ligna multa ; flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam. » Et cap. XXXIII, vers. 14 : « Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante ? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis ? » S. Marcus, cap. IX, 44 : « Vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur. » S. Joannes in *Apocalyp.* crebro docet impios in gehenna igne torqueri, ut cap. XIX, 20 : « Vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure. » Cap. XX, vers. 15 : « Qui non inventus est in libro scriptus, missus est in stagnum ignis. » Idem dicit cap. XXI, 8. Similia passim habet S. Paulus, S. Petrus cæterique Apostoli. Verba autem S. Scripturæ proprie, ut sonant, accipienda sunt, non figurate, nisi quæ necessitas cogat, quæ hic nulla apparet. Denique hic ignis erit vindicta carnis impii ; ergo corporeus, ut in carnem agat, sit oportet.

Probatur Primo.

Secundo. *Secundo*, quia damnatos in inferno igne cruciari, communis est Ecclesiæ et fidelium sensus, qui ignem gehennæ a Scriptura inculcatum verum et proprium intelligunt, non metaphoricum.

Tertio. *Tertio*, quia idem est sensus Patrum Græcorum et Latinorum. S. Cyprianus *De Laude martyrii* : « Gehenna, inquit, magno plangentium murmure et gemitu, cruciantibus flammis per horrendam spissæ caliginis noctem, sæva semper incendia camini fumantis exspirat. » Clemens Alexandrinus, lib. V *Stromat.*, ait impios puniri ἐκπυρώσει, id est, exustione et inflammatione. Idem asserit S. Justinus, lib. *Adhortat. ad Gentes*. Nazianzenus vero, orat. *in S. Lavacr.*, ignem gehennæ confert cum igne Sodomæ. S. Chrysostomus, homil. 44 et 55 *in Matth.*, et homil. *de præmiis Sanctor.* : « In ignis, ait, fluvium atque pelagus intrudentur, pelagus impertransibile, atque magnitudine acerbissimum ; in quo ignei fluctus montium instar eriguntur. » Idem, homil. 13 *in epist. ad Roman.*, et homil. 4 *in epistol. ad Ephes.* : « Expendito vitæ alterius mala quæ sint futura, regni cœlorum privationem, a gehenna inustum dolorem, vincula perpetua, exteriores tenebras, vermem venenatum, dentium fremitum, pressuram loci angustam, igneos fluvios, fornaces nunquam restinguendas. » S. Basilius in *Psal* XXVIII, « ignem illum ait, vim urendi retinere, luce tamen destitui. » Idem docet S. Hieronymus in cap. X *S. Matthæi* ; Isidorus, libro *de Summo bono*, cap. XXI, ac diserte S. Augustinus, lib. XXI *De Civitate Dei* cap. X, *De Fide et Operibus*, cap. XV, et sæpe alibi. Ac. S. Gregorius, lib. IV *Dialog.* cap. XLIX, ubi disputat, qua ratione ignis gehennæ, cum sit corporeus, in animas et dæmones, qui sunt incorporei, agere possit.

Quarto. *Quarto*, idem uno ore docent Doctores Scholastici in IV, dist. XLIV et XLIX, et I part., Quæst. LXIV, art. 3 et 4.

Quinto. Denique nisi ignis hic statuatur corporeus, difficillimum est concipere et explicare quid ignis gehennæ nomine intelligendum sit, et quis sit ignis ille spiritalis et metaphoricus.

Respondeo ad Patres negantes. Ad argumenta contrariæ sententiæ respondeo, Origenes licet excusari possit eo modo, quo cæteri, tamen de eo non multum laboro, tum quia plures alios habuit errores, tum quia symbolicus esse solet S. Scripturæ interpres, ideoque, teste S. Hieronymo, male audivit, quasi qui sensum litteralem destrueret, ut suos conceptus symbolicos stabiliret. S. Hieronymus loquitur ex sententia Origenis et similium, non ex sua, ut patet verba citata intuenti. S. Ambrosius et S. Damascenus dicunt ignem inferni non esse materialem et corporeum, non absolute, sed respectu nostri ignis ; quia, scilicet, nostro longe est subtilior, acrior, ardentior et penetrantior. Rursus, quia modus agendi ipsius non est corporeus, sed spiritalis et divinus. Agit enim ille ignis quasi instrumentum potentiæ divinæ in ipsos spiritus, puta, in dæmones et animas. Sic subinde Patres dicunt Angelos esse corporeos, non in se, sed si cum Deo, qui purissimus et celsissimus est spiritus, conferantur. Tantum enim distant a puritate Dei, quantum corpora a puritate Angelorum, et longe amplius. Denique dicitur ignis non esse materialis, quia non eget assidua nova materia, qua alatur, nec consumit corpora, quæ urit, uti facit noster, nec lucet, nec exstingui potest. Ita Damascenum interpretantur Clictovæus et S. Thomas in IV, dist. XLIV, *Quæst.* III, art. 2, ad, 1.

In S. Gregorio, pro *gehennæ ignis, cum sit incorporeus*, corrigendum est, « cum sit corporeus ; » sequitur enim, « et in se missos reprobos corporaliter exurat, » uti recte advertit Bellarminus libro II *De Purgatorio*, cap. XI. : opponit enim ignem gehennæ igni nostro, in eo quod noster, cum corporeus sit, debeat assidue foveri novis fomentis appositis ; ille vero, licet pariter corporeus sit, non debeat foveri, sed semel ab initio conditus duret inexstinguibilis. Nam, lib. IV *Dialog.* cap. XXIX, expresse docet ignem gehennæ esse corporeum. S. Augustinus loco allegato non loquitur de igne damnatorum in gehenna, sed tantum de historia Epulonis *Lucæ* cap. XVI, aitque illam, velut visionem parabolice enarrari, eo quod nominet digitum, linguam, guttam, etc., quibus carebat anima Epulonis et Lazari ; ac consequenter ignem, qui ibidem nominatur, non fuisse realem, sed imaginarium, qualis in visione Prophetis exhibetur, eo quod lingua Epulonis dicatur hoc igne cruciari. Cum ergo

constet Epulonem post mortem non habuisse linguam, sequitur pariter reali igne linguam ejus non potuisse comburi. Quare hæc linguæ ejus per ignem ustio, symbolice et parabolice explicanda est. Nam alioqui S. Augustinus ibidem, et locis paulo ante citatis diserte asserit ignem gehennæ esse corporeum. Illico enim post verba allegata subdit: « At vero in gehenna illa, quod etiam stagnum ignis et sulphuris dictum est, corporeus ignis erit. « Idem non aliud velle videtur Nyssenus: agit enim de historia et igne Epulonis, quam cum S. Augustino parabolice accipiendam censet: « Quos enim oculos, inquit, in inferno attollit dives ille, qui carneos oculos in sepulcro reliquerat? quo pacto item flammam sentit (in lingua), quod incorporeum est? quam vero linguam refrigerari per guttam cupiebat, cum ei carnea lingua non adesset? quis autem ille digitus, qui perferret ei guttam? ipse etiam sinus requietis, quis? »

Ad primam rationem. Ad primam rationem respondeo, ignem hunc agere in spiritus non naturaliter, sed supernaturaliter, quasi instrumentum omnipotentiæ Dei. «Cur enim, ait S. Augustinus lib. XXI, cap. x, non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis, etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi, si spiritus hominum, etiam ipsi profecto incorporei, et nunc potuerunt includi corporalibus membris, tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari? »

Ad secundam. Ad secundam: Certius est ignem gehennæ esse verum ignem, quam ignem Purgatorii, ob rationes jam dictas. Rursum, certum est ignem Purgatorii esse verum ignem, uti censet Ecclesia Latina. Noluerunt tamen Latini cum Græcis in concilio Florentino hac de re contendere, quia idipsum non est de fide; sufficiebat Latinis, quod Græci confiterentur Purgatorium esse, in eoque animas puniri et purgari. Habebant enim alia majoris momenti ad fidem spectantia cum Græcis tractanda, iisque persuadenda. Quocirca sessione ultima definitur Purgatorium esse, nulla ignis mentione habita.

Moraliter, disce hic quam atrox sit pœna damnatorum, scilicet, incendium, ac incendium infernale et æternum, idque juste et merito. Si ergo quæras cur Deus damnatos cruciat igne potius quam alio supplicio, respondeo *primo*, quia pœna ignis optime respondet et congruit igni concupiscentiæ, quo arserunt, et cui indulserunt in hac vita peccatores, idque significat τὸ *vindicta carnis;* in carne enim residet stimulus concupiscentiæ. Unde S. Paulus *Galat.* cap. v, vers. 17, 19, et alibi, vitia et opera carnis vocat vitia et opera concupiscentiæ. Memorabilis ac horribilis est S. Remigii, Rhemensis Episcopi, de carnis et libidinis vitio sententia: « Demptis parvulis, inquit, ex adultis propter carnis vitium pauci salvantur. » Si ergo totus pene mundus hoc avernali igne ardet, quid mirum, si et igne crucietur in gehenna? « Quia per quæ peccat quis, per hæc et torquetur, » *Sapient.* XI, 17.

Cur damnati cruciantur igne? Respondeo Primo.

Secundo. *Secundo,* quia ignis acerrimus est, et maximam habet agendi et affligendi vim in corpora, et per corpora in animas ea informantes. Rursum, magna est analogia et vicinitas animæ cum igne; inter elementa enim et corpora maxime spiritalis est ignis, unde ad animam proxime accedit: hinc et Hebr. אִישׁ *isch,* id est vir animatus, dicitur quasi אֵשׁ *esch,* id est ignis, ait Eusebius lib. XI *De Præpar.* cap. II.

Tertio. *Tertio,* apposite superbia spirituum, puta dæmonum et animarum, punitur corpore, scilicet igne, ut qui supra Deum se extollere voluerunt, corporeo igni quasi tortori subjiciantur. Hoc est quod ait hic Siracides: « Humilia valde spiritum tuum, quia vindicta carnis impii, ignis et vermis. » Hanc spirituum superborum humiliationem repræsentat ipse ignis; nam, cum natura sua postulet esse in alto summoque orbis loco, ad puniendum dæmonum hominumque superbiam, deprimitur in imum inferni centrum; et sicut ipse violenter ibi detinetur, ita et spiritus quos punit.

Quarto. *Quarto,* ignis gehennæ cum sit incorruptibilis, aptum est symbolum et instrumentum punitionis damnatorum, utpote quæ æterna est et in æternum durabit. Rursum ignis hic symbolum est cœli empyrei, ex quo corruerunt dæmones; empyreum enim a πῦρ, id est igne, dicitur, quasi igneum, quia splendidum ut ignis; sed sine calore et ardore, qui est in igne inferni: quocirca in empyreo intercisam esse flammam ignis, ait S. Basilius in *Psal.* XXVIII. Ignis ergo refricat dæmonibus cœlum empyreum, ex quo exciderunt, itaque eos torquet, dum empyreum in ignem inferni sibi commutatum vident.

Quinto. *Quinto,* ignis omnium optime exprimit ardorem furoris divini in damnatos. Porro sicut naturaliter sentimus in anima dolorem, dum corpus igne cruciatur; hic enim cruciatus a corpore transit in animam illi cohærentem, eamque informantem: ita supernaturaliter Deus vi divina per ignem efficit in anima separata talem dolorem et cruciatum, qualis naturaliter in anima corpori conjuncta ob sympathiam mutuam existit.

Ignis gehennæ sulphureus. Denique ignem gehennæ esse sulphureum liquet *Psal.* X: « Pluet super peccatores laqueos, ignis et sulphur, » etc. *Isaiæ* XXX: « Flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam. » Idem docet S. Joannes *Apocal.* cap. XIV, 20 et 21. Idem confirmatur ex eo quod Sodoma et finitimæ civitates igne sulphureo sint subversæ, *Genes.* cap. XIX, de quibus ait S. Judas, quod « ignis æterni pœnam sustinentes, factæ sunt exemplum » orbi, manifeste indicans, ignem sulphureum esse æternum; loquitur enim de pœna quæ toti mundo fuit conspicua, quæ æterna non fuit; sed ignis sulphureus, cujus pœnam ipsi sustinebant, æternus est, quamvis non idem nu-

Cur?

mero. Est enim sulphur aptissimum punitioni impiorum, tum propter vim igneam, qua facile et vehementer exardescit; tum propter odoris tetri acrimoniam, quæ fœtori peccatorum congruit; tum quia suffitui in expiationibus domorum sulphur adhiberi solet, ut inquit Plinius lib. XXXV, cap. XV. Inquinarunt peccatores domos suas, nempe animam et carnem suam peccando, dum viverent. Unde conveniens est, ut Deus igne sulphureo hasce domos, quantum fas est, expiet et quodammodo sanctificet: supplicium enim peccatorum est genus quoddam expiationis et purgationis. Hujus quoque rei signum est, quod infinita vis sulphuris, partim semper ardentis, partim non ardentis, sub terra lateat, ut ex thermis et montibus ardentibus, qui plurimi sunt per orbem, manifestum est; nam et thermæ sulphur olent, et ignes montium sulphurei sunt. Ipsa quoque fulmina, quæ iræ divinæ sunt symbola, igne sulphureo constant, et sulphur olent. Ita noster Lessius *De Attributis divin.*, in *Justitia.*

Ignis gehennæ est maxima pœnarum, quinque de causis.

Sicut ergo peccatum mortale, v. gr. libido, ebrietas, superbia est summum malorum in ratione culpæ et offensæ Dei: ita ignis gehennæ summum est malorum in ratione pœnæ et vindictæ. Idque *primo*, quia ignis hic est sulphureus et infernalis. *Secundo*, quia idem est ardentissimus, acerrimus et efficacissimus. *Tertio*, quia non tantum corpora, sed et animas immediate urit: in hac enim vita vis ignis in animam refringitur per corpus, ut non nisi refracta et quasi dimidiata ad animam perveniat: in gehenna vero ignis intime uret ipsas animas et dæmones in seipsis; anima autem sensibilior est corpore; imo tota vis sentiendi oritur et residet in anima. *Quarto*, quia ignis non solum ardore, sed et sua caligine ac fumo et fœtore sulphureo cruciabit damnatos. *Quinto*, quia ignis hic est æternus, ut exstingui, imo minui non possit. « Hæc recordare ait S. Augustinus serm. 181 *De Tempore*, cap. XVIII, et ignem illum gehennæ, his quæ te nunc exagitant, flammis libidinis et cupiditatis oppone. Ignis hic, qui in præsenti est vita, absumit cuncta, quæ recipit; ille vero, quos susceperit, semper cruciat, et pœnæ suæ semper integros servat. Propterea enim et inextinguibilis dicitur, non solum quia ipse non exstinguitur, sed quia nec eos quos susceperit, exstinguet aut perimet. Hujus autem pœnæ et ignis illius potentiam nulla vox exponere, nullus poterit sermo explicare, etc. Ubi fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum, » *Apocal.* XIV, 11.

Heu miseri stolidique mortales, qui modica carnis voluptate infatuati, quasi ebrii et amentes, Dei cœlique immemores, æternitatis obliti, velut per jocum vos mergitis in omnium ærumnarum barathrum, in immensum æternitatis oceanum, in æternantia gehennæ incendia! Quid est, o Deus immortalis, æternitas ignium, æternum in flammis vivere? O vere momentum, quod delectat; æternum, quod cruciat! O vesania hominum omni insania insanior, qui exiguo carnis gaudio arcessunt sibi æternos ignes! O æternitas rogi sulphurantis! o æternitas tartarea in flammis ignitissima, in desperatione perenni desperatissima! o mortem vitalem, et vitam mortiferam! o omninm tormentorum atrocissimum tormentum æternitas! Momento bibitur, luditur, fornicatur: momento transit voluptas, succedit illico æterna calamitas. Sic ridendo itur in perennia ignium, cursu perenni æternitatis, sæcula. Itur, at non reditur; nam finis est exordium, exordiumque finis. O finis sine fine! o mors sine morte! Cum claudit orbem temporum, orditur orbis perennis suum orbem. Æternitas, inquam, post omne tempus semper quasi rediviva, suum orditur perennitatis orbem. Cogitabat hæc assidue Reverendissimus D. Godefridus, nuper Bambergensis et Herbipolensis Episcopus, cujus pio alloquio Herbipoli fruitus sum, qui assidue æternitatem mente versans, dicere solebat: Omni momento sto ad ostium æternitatis. Idem dicito tibi, o Lector, cum te caro vel dæmon ad illicita sollicitat: Si id fecero, luam æternis ignibus; sto ad ostium æternitatis; absit ergo, ut id faciam; absit, ut tam insanus sim; ego tanti pœnitere non emo. Injice digitum in ignem, vel flammam candelæ; et si illum tolerare nequis ad horam, quomodo tolerabis æternos sulphurantis gehennæ globos?

An vermes veri in inferno? Negant aliqui.

Quæritur *secundo*, an in gehenna sint veri vermes, an metaphorici duntaxat? Multi censent tantum esse metaphoricos, puta remorsus et angores conscientiæ oblatrantis, jugiterque damnato objectantis: Cur fornicatus es? cur te inebriasti? cur non prævidisti hæc tormenta? cur tam vili esca prodegisti Deum, cœlum, felicitatem? cur tam brevi et exili voluptate accersivisti tibi hæc æterna gehennæ incendia? quam facile ea vitasses, si hæc sæpius cogitasses? Nunc tuam stultitiam, tuam vesaniam lues, et planges æterna, sed sera et inutili pœnitentia. Actum est, perii, damnatus sum, æternum ardebo. O me infelicem! o me vesanum! o me creaturarum omnium miserrimum et desperatissimum! Ita vermem hunc pro dolore et mœrore, qui quasi vermis oritur ex putredine peccati, accipiunt S. Ambrosius, lib. VII *in Lucam*, cap. XIV, cujus verba paulo ante recitavi; S. Hieronymus in cap. LXVI *Isaiæ;* S. Thomas in IV, dist. L, *Quæst.* II, art. 3, ad 1 et 2, ibique Dominicus Soto, et alii multi, ac noster Lessius lib. XIII, *De Attributis divin.*, cap. XXIV, num. 159.

Asserunt alii.

Verum S. Augustinus, lib. XXI *De Civit.* cap. IX et X; S. Basilius in *Psalm.* XXX; Prosper, lib. III *De Vita contempl.* cap. XII; S. Anselmus in *Elucidario*, S. Chrysostomus, Theophylactus, Cyrillus, Hugo Victorinus et alii, quos citavi *Isaiæ* LXVI, 23, censent hunc vermem esse proprium,

litteralem et realem. Probatur *primo*, quia in gehenna ignis est proprius, non metaphoricus; ergo et similis est vermis. *Secundo*, quia hic vermis vocatur *carnis*, quasi carnem arrodens, uti notat S. Augustinus loco citato.

Dices *primo*: Τὸ *carnis* non est in Græco. Respondeo, τὸ *carnis* est in Latinis omnibus. Olim etiam fuisse in Græco colligitur ex eo quod S. Augustinus illud legat; qui tamen S. Hieronymi versione, quæ vulgata est, utpote necdum recepta, uti non solet, sed alia vetustiore.

Dices *secundo*: Non dicitur *vermis carnis*, sed «vindicta carnis ignis et vermis,» ut sensus sit, *q. d.* Vindicta operum carnalium, vel vindicta carnis, id est concupiscentiæ, tum corporis, tum animi, cui indulserunt impii, erit ignis et vermis arrodens animam, et consequenter male etiam afficiens carnem. Aut «vindicta carnis,» id est, animæ olim carni junctæ et deditæ erit vermis et ignis. Ita S. Thomas loco citato. Verum hæc non satisfaciunt; dicitur enim «vermis vindicta carnis,» quia carnem ob peccata in ea commissa vindicabit et puniet, æque ac ignis eamdem carnem puniet et uret, non per animam, sed per se et immediate. Alioqui enim omisisset τὸ *carnis*, et nude dixisset: «Vindicta impii ignis et vermis;» præsertim quia proprie non agit de libidine, quæ est in carne; sed de superbia, quæ est in mente. Ait enim: «Humilia valde spiritum tuum, quia vindicta carnis impii, ignis et vermis.» Denique idipsum clare explicatur *Judith* cap. XVI, 21, ubi dicitur: «Dabit ignem et vermem in carnes eorum, ut urantur et sentiant usque in sempiternum.» Pluribus idipsum confirmavi *Isaiæ* cap. LXVI, 23.

Tropologice, vermis est remorsus conscientiæ.

Tropologice, vermis hic est remorsus conscientiæ jam dictus, de quo S. Bernardus lib. V *De Consider.*: «Hic est vermis, qui non moritur memoria præteritorum. Non cessat rodere conscientiam, eaque pastus esca utique inconsumptibili, perpetuat vitam. Horreo vermem mordacem, et mortem vivacem. Horreo incidere in manus mortis viventis, et vitæ morientis. Hæc secunda mors, quæ nunquam peroccidit, sed semper occidit.»

Pathetice S. Ephrem, tract. *De Abrenuntiatione et variis inferni pœnis*, sub finem tomi I, hunc vermem, puta luctum et lamenta damnatorum, repræsentat, ubi inter cætera ait: «Tunc amarissime illacrymantes ejulantesque dicent: O quo pacto in negligentia atque torpore tempus nostrum transegimus? O quomodo illusi sumus? O quomodo divinam Scripturam audientes irridentesque nos ipsos irrisimus? ibi Deus loquebatur nobis per Scripturas, et non attendebamus; hic nos jam clamamus, et ipse suam a nobis faciem avertit. Quid nobis proderunt fines mundi? Ubinam qui nos genuit pater? Ubi quæ nos peperit mater? Ubi filii? Ubi amici? Ubi divitiæ? Ubi substantiæ atque possessiones? Ubi turbæ? Ubi convivia? Ubi varii et intempestivi cursus? Ubi reges atque potentes? Quomodo a nullo eorum salvari modo possumus; neque vero nobis ipsi opem ferre. At penitus derelicti sumus, et a Deo et a Sanctis ejus.» Et paulo inferius: «Dicendum quid restabit? Valete, justi universi. Valete, Apostoli, Prophetæ et Martyres. Vale, cœtus Patriarcharum. Vale, Monacharum agmen. Vale, crux pretiosa atque vivifica. Vale, cœlorum regnum omni fine carens. Vale, superna Jerusalem, primitivorum mater. Vale, paradise voluptatis. Vale etiam tu, Domina Dei genitrix, mater amatoris hominum Dei. Valete, patres ac matres, filii atque filiæ; nullum siquidem vestrum visuri sumus ultra. Postea vero abiturus est unusquisque in præparatum sibi ob prævia sua opera tormentorum locum, ubi vermis eorum non moritur, neque ignis exstinguitur.»

Vers. 20.

20. NOLI PRÆVARICARI IN AMICUM PECUNIAM DIFFERENTEM. — Transit congruo ordine a cura sui ad curam amici, qui est alter ego. Jam *primo*, Lyranus sic exponit, *q. d.* Noli rumpere pristinam amicitiæ tesseram cum amico, si is differat tibi reddere pecuniam commodatam. Nam amicitia multo pretiosior est quam pecunia, uti docet Aristoteles lib. VIII *Ethic.* Majus vero bonum non est contemnendum pro minori, sed magis e converso. Sic et Rabanus, Palacius et alii passim. Verum hic sensus esto congruat Latinæ versioni, non congruit tamen Græcæ. Græcum enim διαφόρου, quod Noster vertit *differentem*, non significat tardantem, morantem, prorogantem solutionem pecuniæ debitæ, sed longe aliud.

Secundo, Jansenius ex manuscriptis legit: *Noli prævaricari in amicum pecunia differenti*, id est, ob pecuniam differentem, hoc est, ob pecuniam excellentem, aut variam et multam: Græcum enim διαφόρου significat rem præstantem et excellentem. Verum hic sensus esto congruat Græco, non congruit tamen Latino: Latine enim *differens* non significat rem præstantem et excellentem, sed aliam et diversam. Adde, lectio ejus discrepat a lectione vulgata Bibliorum impressorum.

Tertio, alii, uti notatur in margine Glossæ ordinariæ, legunt: *Noli prævaricari in amicum pecunia differentem*, qui, scilicet, in re pecuniaria a te differt et dissidet, sive, quia non tantum habet, quantum tu, sed te est pauperior; sive quia pecuniam, quam ab eo quasi tibi debitam reposcis, vel gratuito donari aut commodari efflagitas, negat, vel solvere procrastinat. Verum omnes pene codices legunt, «pecuniam (non *pecunia*) differentem;» cui lectioni sensus jam assignatus non convenit.

Differre pro distrahere.

Quarto ergo et genuine, τὸ *differentem* hic idem est quod divertentem, alio avertentem et distrahentem. Hoc enim proprie est τὸ *differre*, scilicet in diversas partes ferre, ait Donatus, auferre et alio transferre, item disturbare. Sic Plautus in *Ruden.* ait: «Nos cum scapha tempestas dex-

troversum differt, » id est, transfert et distrahit. Tacitus, lib. XXI : « Castra in plano sita vi fluminis differebantur, » id est, distrahebantur. Varro, lib. I *De Re rustica*, cap. IV : « Cythisum seritur in terra bene subacta, tanquam semen brassicæ : inde differtur (id est, transfertur) et in sesquipedem ponitur. » Terentius in *Adelph.* : « Miseram me, differor (id est, distrahor) doloribus. » Plautus in *Cistellar.* : « Miser exanimor, feror, distrahor, diripior. » Idem significat Græcum διαφέρω, id est, in diversum fero, abripio, exagito, distraho. Sensus ergo est, *q. d.* Noli prævaricari in amicum, ut ejus amicitiam abrumpas vel violes, hoc nomine, quod pecuniam, merces et lucra a te avertat, et alio differat, id est, divertat et transferat ad se et suos, vel etiam ad alienos; aut quod pecuniam tibi jure, vel ex amicitia debitam aliorsum differat, alibique expendat, itaque tibi eam numerare et solvere differat et procrastinet. Quare ex hoc sensu elicitur primus paulo ante assignatus. Vide hic quam noster Interpres sit latinus, profundus et solers.

Ratio est, quia potest amicus hujus suæ translationis justas, easque varias afferre causas, ut quod alteri eam promiserit, aut quod alter sit magis indiguus, aut quod Deo et rebus piis eam dicare cogitet, etc. Sed esto nullam justam possit prætexere causam, nisi quod ita ei faciendum videatur, itaque libeat, non tamen idcirco rumpenda tibi est pristina cum eo amicitia, quia hæc omni pecunia est potior. Nam, ut ait Cicero *De Amicitia* : « Amicus est optima et pulcherrima supellex. » Huic sensui favet Syrus : *Ne commutes amicum in* (id est, pro) *pecunia, et fratrem, qui est tibi* (pro) *auro Ophir*. Et Græca, μὴ ἀλλάξῃς φίλον ἕνεκεν διαφόρου κατὰ μηδὲ ἕν, id est, *ne commutes amicum ob differens secundum aliquid*, puta quia aliquid a te differt et divertit, alioque avertit.

Pro διαφόρου, Complut. Romana et alii legunt contrarie ἀδιαφόρου, id est indifferens. Unde aliqui vertunt : *Ne commutes bonum amicum propter indifferens*, id est, propter adiaphora, puta bona fortunæ, quæ media sunt inter virtutem et vitium, nec bona, nec mala, ideoque parvi facienda; quia sicut eis uti ad virtutem, sic iisdem abuti ad vitium possumus. Unde Tigurina vertit : *Ne permutes unquam amicum re vulgari, nec fratrem sincerum auro Ophirio, q. d.* Aurum et pecuniam ut vilia præ amicitia contemne : noli propter ea amicitiam solvere; quia si egeret amicus, dares ei tua : æstima te jam dedisse, vel dare. Hoc est quod audiemus cap. XXIX, 13 : « Perde pecuniam propter fratrem et amicum. » Et Salomon *Proverb.* XII, 26 : « Qui negligit damnum propter amicum, justus est. »

NEQUE FRATREM (tum natura, puta fratrem germanum; tum amicitia, puta amicum qui est instar fratris) CHARISSIMUM AURO SPREVERIS. — Puta propter aurum, quod ipse a te postulat, vel a te divertit, aut dare vel solvere differt. Græce et Syriace : *Ne permutes amicum pro auro Ophir*, id est, pro auro præstantissimo, quale producit regio Ophir, vel, ut Complut. et Romana legunt, *Sophir* aut *Suphir*. Septuaginta enim pro *Ophir*, vel *Hophir*, vertunt *Sophir* III *Reg.* IX, 28, et cap. X, 11, I *Paral.* XXIX, 4, quia aspiratio *h* sæpe vertitur in litteram *s*, ut ὗς, sus; ὑπὲρ, super; ὑλή, sylva. Porro Ophir, vel est Peru, unde aurum Salomonis vocatur aurum Peruim, quasi Peruanorum, II *Paral.* III, 6, in Hebræo et Græco Septuaginta; vel, ut Gaspar Varrerius, lib. *De Ophir*, est aurea Chersonesus, aut potius omnis ea ora, quæ Pegusiis, Malaca et Somatra continetur: unde noster Maffeius, lib. XVI *Histor. Indicæ*, tradit Pegusios originem et stirpem ducere a Judæis exsulibus, qui a Salomone damnati ad Ophirinas aurifodinas ea loca primi tenuerint. Aurum Ophir fuit præstantissimum et laudatissimum. Unde Isidorus censet aurum obrisum dici quasi Ophirisum. Vide quæ de Ophir et Ophas dixi *Jerem.* X, 9.

21. NOLI DISCEDERE A MULIERE SENSATA ET BONA, QUAM SORTITUS ES IN TIMORE DOMINI : GRATIA ENIM VERECUNDIÆ ILLIUS SUPER AURUM. — Ab amico transit ad uxorem quasi viro conjunctissimam, aitque : Sicut amicus non est deserendus, nec auro commutandus : sic nec uxor, in qua quatuor requirit conditiones : *primo*, ut sit sensata, id est, cordata et prudens; *secundo*, ut sit bona, id est, non vitiosa, nec cervicosa aut maligna, sed bonis et commodis moribus; *tertio*, ut sit verecunda, indeque erga maritum humilis, et erga exteros casta; *quarto*, ut habeat timorem Dei : τὸ enim *quam sortitus es in timore Dei*, tam ad uxorem, quam ad virum pertinet, *q. d.* Quam timentem Deum ab eo obtinuisti, et ipse timens Deum, merito timoris Dei, juxta illud cap. XXVI, 3 : « Mulier bona, pars bona, in parte bona timentium Deum dabitur viro pro factis bonis, » uti data est Tobiæ Sara, Isaaco Rebecca, Davidi Abigail. Græca hoc loco concise habent : *Ne discedas a muliere sapiente et bona; nam gratia ejus super aurum;* Syrus : *Ne commutes mulierem bonam et pulchram visu pro margaritis;* Tigurina : *Uxore sapiente bonaque cave ne excidas, si quam secundum religionem Domini nactus es; nam venustas ejus præstantior auro est;* vel, ut alii, *ejus enim gratia superat aurum*. Olim licebat Judæis dare uxoribus libellum repudii; monet ergo hic Sapiens, ne eum dent uxoribus, si illas sapientes, bonas et castas nacti sunt. In lege nova sublatum est repudium : certis tamen casibus permissum est tori divortium; sed suadet hic Siracides, ut illud non facile fiat, imo, si uxor sit sensata et proba, illud facere non licet. Vers. 21.

Ratio a priori est, quod mulier sensata sensate regat filios et familiam, itaque pace bonisque omnibus eam locupletet, ac marito sensata det consilia. Unde Deus dixit Abrahæ : « Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus, » *Genes.* cap. XXI, 12. Talia dedit S. Cæcilia Valeriano, Clotildis Clo- Ratio a priori.

dovæo, Monica Patritio, etc., dum eos ad fidem et salutem traduxerunt. Rursum verecundia in uxore magis rubet et rutilat quam aurum; illius enim rubor est *virtutis tinctura*, ut ait Diogenes apud Laertium, atque arx pulchritudinis, æque ac castitatis, ut ait Demades apud Stobæum, *serm.* 72. Idem Stobæus, *serm.* 31, narrat quod Pythias, Aristotelis filia, rogata quonam colore pulcherrime genæ pingerentur, responderit, colore verecundiæ. Unde S. Gregorius Nazianzenus, orat. *advers. Mulier. ambit. se ornantes* : « Unus, ait, color, in mulieribus amabilis est, nimirum, rubor ille quem pudor gignit; qui quidem a pictore nostro (Christo) pingitur; » et S. Ambrosius, lib. I *Officior.* cap. XVIII : « Pulchra, ait, virtus verecundia, et suavis gratia, quæ non solum in factis, sed etiam in ipsis spectatur sermonibus. » Hic igitur rubor est purpura honestatis. Verecundiæ pariter est, quod scribit Plutarchus in *Moral.*: « Luna, inquit, cum soli conjungitur, tum obscuratur et occultatur; cum abest, lucet : contra, proba uxor præsente marito maxime conspici debet, eodem absente maxime condi ac latere. »

Vers. 22. 22. NON LÆDAS SERVUM IN VERITATE OPERANTEM, NEQUE MERCENARIUM DANTEM ANIMAM SUAM. — Ab uxore descendit ad servum. Pro *non lædas*, Græce est μὴ κακώσεις, id est, ne affligas, ne male tractes, ne malis verbis aut verberibus afficias « servum in veritate, » id est, vere, fideliter, et ex animo, non ficte et ad oculum pro te « operantem; neque mercenarium dantem animam suam, » id est, qui non parcit sibi et labori, sed omnes animæ suæ corporisque vires operi heri, a quo conductus est, impendit, ut videatur præ nisu, conatu et sudore subinde efflare animam. In servo ergo requirit fidelitatem, in mercenario diligentiam. Unde Syrus : *Ne affligas servum, qui servit in veritate; neque mercenarium, qui laborare facit animam suam* (id est, seipsum); Tigurina: *Ne male tractes famulum operantem fideliter, nec mercenarium se tibi totum impendentem;* Antonius in *Melissa*, serm. 29, legit : « Servum opus vere facientem ne male tractato. » Huc facit illud Senecæ lib. I *De Clementia*, cap. XVIII : « Servis imperare moderate, laus est; et in mancipio cogitandum est, non quantum illud impune pati possit, sed quantum permittat æqui bonique natura, quæ parcere etiam captivis et pretio partis jubet. » Causam dat S. Paulus *Ephes.* VI, 9: « Et vos, domini, inquit, eadem facite illis (servis) remittentes minas; scientes quia et illorum et vester Dominus est in cœlis, et personarum acceptio non est apud eum. » Vide ibi dicta. Rationem œconomicam dabat M. Crassus, qui liberaliter servos habebat, imo docebat : « Quia, inquit, servi animata sunt rei domesticæ instrumenta, » Idem sensit Aristoteles in *Œconomicis*.

Vers. 23. 23. SERVUS SENSATUS SIT TIBI DILECTUS QUASI ANIMA TUA : NON DEFRAUDES ILLUM LIBERTATE, NEQUE INOPEM DERELINQUAS ILLUM.—Græce : *Servum* συνετόν, id est *prudentem, sensatum, diligat anima tua, ne defraudes illum libertate;* Syrus : *Servus sapiens*, supple, si tibi sit, *dilige eum, ut animam tuam; et ne prohibeas ab eo libertatem*, id est, ne deneges ei libertatem; Arabicus : *Ne noceas servo fideliter agenti, neque mercenario laborare facienti, vel vexanti animam suam. Dilige servum sapientem secundum dilectionem tuam animæ tuæ* (hoc est, prout te ipse diligis), *et ne prohibeas illum libertate*; Antonius in *Melissa*, serm. 23 : « Prudentem servum ex animo diligito. » Duo ergo servo prudenti ab hero præstanda docet Græcus, scilicet, primum, dilectionem ex animo; secundum, libertatem; addit tertium Latinus, ne dimittatur inops, juxta illud *Deuter.* XV, 13 : « Quem libertate donaveris, nequaquam vacuum abire patieris; sed dabis viaticum. » Porro ait : « Non defraudes illum libertate, » quando, scilicet, vel pretio se redimere potest et vult, vel tempus servitutis a lege vel aliunde præscriptum expirat, uti Hebræis indultum erat sex annis tantum servire, septimo vero anno liberos egredi, *Exodi* XXI, 2. Rursum in jubilæo omnes servi debebant liberi dimitti, *Levitic.* cap. XXV, 41. Alias servum sensatum libertate donare consilii est, non præcepti; ejus enim prudentia et virtus meretur potius libere agere quam servire, potius aliis imperare quam parere. Secus est de servis malis et insensatis : his enim utilior est servitus quam libertas.

Porro multi olim servos ob fidelitatem et officia sibi in filios adoptabant, itaque simul eos libertate et hæreditate donabant, idque hic innuere et suadere Siracidem censent nonnulli. Ita Plato, Dialog. IV *de Republ.*, ait adoptione tolli servitutem, et Plutarchus in *Politicis* suadet libertos adoptari, ut simili adoptionis spe servi heris ad nutum obsequi condiscant. Idcirco etiamnum Turcæ servos sibi obsequentes in filios adoptant; quin et Hispani nonnulli, si filius desit, servum officiosissimum in filium adoptant. Idem factitasse Hebræos insinuat Salomon *Proverb.* XVII, 2 : « Servus sapiens, inquit, dominabitur filiis stultis, et inter fratres hæreditatem dividet; » sicque putant nonnulli Salomonem adoptasse sibi Jeroboam ob ejus fortitudinem, qui deinde insolentior factus regnum decem tribuum Roboamo eripuit, sibique arrogavit. « P. Catienus Philotimus, ait Plinius lib. VII, cap. XXXVI, patronum adeo dilexit, ut hæres omnibus bonis institutus, in ejus rogum se jaceret. » Sic et servi apud Gallos eadem pyra cum heris cremabantur, teste Cæsare lib. VI *Belli Gall.* Unde de iisdem agens Pomponius Mela lib. III, cap. II : « Erant, ait, qui in rogos suorum, velut una victuri, libenter se immitterent. »

Nota : Sapiens adeo hero commendat servos et ancillas, tum quia officium heri est, suæ domus et domesticorum peculiarem habere curam : hoc enim exigit justitia œconomica et ordo charitatis; tum quia hoc ipsum redundat in decus et commodum heri : servi enim si ab hero benigne bene-

que tractentur, ipsi multo studiosius servient, ipsique per omnia placere satagent; quin et ejus mores ac virtutes æmulabuntur.

Heri mores ex servo æstimantur

Quocirca ex moribus servi solent æstimari mores heri, ut heri decus vel dedecus a servis pendeat. Audi S. Hieronymum *ad Demetriadem*: « Mores et studia dominarum plerumque ex ancillarum et comitantium moribus judicantur. » Et ad Principiam scribit, ex lascivia puellarum comitantium, de dominarum moribus judicari. S. Gregorius Nazianzenus, in carmine *Contra mulieres ornatas*, graviter asserit, « ancillas esse imagines cordis dominarum. » Sicut enim veris nuntii sunt hirundines, flos, fructus: ita et dominorum servi et ancillæ. Hinc illud proverbium apud Platonem, lib. VIII *De Republica*: « Dominas imitantes catellæ; » et illud apud Ciceronem, lib. V *Ad Atticum*: « Qualis hera, tales et ancillæ; » Terentii in *Eunucho*: « Domini similis es. » Causa est duplex: prior, quod famulos similes nobis adsciscamus: similis enim similem sibi quærit; posterior, quod servi soleant se accommodare moribus heri, eosque imbibere et induere. In ejus enim qui sibi præsidet, « veluti unici exempli, mores, ii qui subsunt, se formant, » ait Livius, lib. I, *Decade* 1. Unde Euripides apud Stobæum, *serm.* 60: « Servi, inquit, dominorum morbis inficiuntur. » Et Alexis apud eumdem:

Cur?

> **Cæterum ergo vulgus servos similes**
> **Habere videbis mores dominis.**

Et Baptista Mantuanus egregie ad Fulconem:

> **Cur tibi sint dociles servi sine crimine, Fulco?**
> **A simili mores accipiuntur hero.**

Denique « servus sensatus» et fidus « sit tibi dilectus quasi anima tua, » quia ipse pro te animam ponit in laboribus, et ponet in sanguine, si opus sit. Sic plures servi pro heris ultro se morti obtulerunt. Mero, servus Antonii, postulatus hero necem afferre, in se pugionem strinxit, et seipsum pro hero interemit, teste Plutarcho in *Antonio*. Post cladem Cannensem Romani undecim millia servorum armarunt, qui heris libertatem, Romæ imperium restituerunt, teste Valerio Maximo, lib. VII, cap. VI. Plura recenset Seneca lib. III *De Benefic.* cap. XXIII et seqq. Onesimus, servus Philemonis, conversus a S. Paulo, ab eodem Philemoni quasi cor et viscera commendatur, ut patet ex Epistola ad Philemonem. Unde Onesimus Ephesiorum tandem evasit Episcopus, ac gloriosum obiit martyrium.

Mystice, servus sensatus est corpus justi; hoc enim corpus sensatum est, quod rationi subest, quod virtuti paret, quod nullo modo divino amori moventi renititur: cui propterea libertas a vitiorum labe, et studiosorum operum opes debentur. Tale igitur corpus licet aut mendicitate prematur, aut doloribus affligatur, aut imbecillitate molestetur, felicitatem hujus vitæ non impedit, sed promovet; siquidem perfectæ virtutis instrumentum est. Perfectio quoque divitias virtutum comparat, præsertim quia ejus animum a desiderio rerum terrenarum abducit, ut rebus ad usum vitæ necessariis (quæ paucissimæ sunt) contentus, reliqua nec quærat, nec concupiscat. Dives autem est qui nihil appetit, qui suis contentus jucunde vivit.

Vers. 24

24. PECORA TIBI SUNT? ATTENDE ILLIS. — Græce ἐπισκέπτου αὐτά, id est inspice, intende, visita, cura illa; non credas ea per omnia servis: sed tu ipse ea quandoque visita, an debite a famulis tractentur et alantur. « Oculus enim Domini saginat equum; et si sunt utilia, perseverent apud te. » Sin inutilia sunt, divende, abdica, vel in cibum usumque familiæ occide et macta. Syrus: *Jumentum est tibi? experire illud; et si verum* (id est integrum et undequaque perfectum) *est, posside illud.* A cura servorum descendit ad curam pecorum, quæ pariter hero serviunt; unde jumenta vocantur a juvando.

Jumenta curanda tres ob causas. Prima.

Porro tribus de causis eorum curam commendat: *prima* est, quia heri est curare non tantum se, sed et totam familiam, ad quam pertinent et pecora. Rursum benignitas et beneficentia heri se non tantum ad homines, sed et pecora extendat oportet; sicut enim vitium sævitiæ est nimio labore obruere jumenta, aut negare eis cibum debitum: sic pariter virtus clementiæ est benignum esse in pecora, eisque de pabulo, adaquatione cæterisque commodis statis horis providere, juxta illud *Proverb.* XII, 10: « Novit (Septuaginta *miseratur*) justus jumentorum suorum animas; viscera autem impiorum crudelia. » In quæ verba S. Chrysostomus, homil. 29 in epist. *ad Romanos*: « Sunt enim, inquit, Sanctorum animæ vehementer mites, et hominum amantes, non solum erga suos, sed etiam alienos; ita ut hanc suam mansuetudinem etiam ad animantia bruta extendant. Idcirco Sapiens dixit: Justus miseretur animarum jumentorum suorum; si ergo jumentorum, multo magis hominum. »

Secunda.

Secunda, quia herus curando pecora curat seipsum, puta res suas, quibus se et familiam alit: quare stolidi et sibi ipsis iniqui sunt heri sævi, qui sua avaritia aut sævitia suos equos, boves, asinos ita onerant, ut succumbant; ita verberant, ut lacerent; ita parce alunt, ut viribus deficiant: hi enim privant se ingenti commodo, quod ex eis perciperent, si rite eos tractarent.

Tertia.

Tertia, quia inhumanitas et sævitia in pecora signum et principium est sævitiæ in homines. Quocirca ex historiis liquet eos, qui crudeles fuere in homines, sævos quoque fuisse in bestias. Ita Nero crudelis delectabatur laniena et carnificina animalium, adeoque ipse sua manu sæpe ea jugulabat, hæcque erat ejus recreatio et voluptas. Domitianus crudelis horas plures per diem vacabat captioni et mactationi muscarum; stylo enim aureo eas configebat, ut nullam vivam relinqueret; unde proverbium: « Ne musca qui-

dem. » Quocirca Oppianus, libro II *De Venatione*, venationes nimias regibus vetat, causamque dat: « Ne cæde animalium delectati, hominum quoque interneciones cogitent. » Xenophon quoque docet Cyrum se et Persas per venationem et mactationem animalium assuefecisse bello et jugulationi hominum. Hac de causa Deus Judæis jussit humanitatem in bestias, v. g. ne ararent in bove et asino, quia asinus impar est bovi, et plus æquo in eodem cum bove jugo gravatur; ne, auferendo nidos avium, caperent matrem simul cum pullis; ne alligarent os bovi trituranti : ut die septimo, puta sabbato, sinerent quiescere jumenta omnia. « Quo facilius, inquit Tertullianus, lib. II *Contra Marcionem*, cap. XVII, in pecudibus et bestiis præmeditata humanitas, in hominum refrigeria erudiretur, ut scilicet Judæi duri discerent esse humani in homines, qui a Deo humani cogebantur esse in bestias.

Tropologice, pecora sunt homines rudes et hebetes, *q. d.* Si habes homines parvi cerebri et mentis tibi commissos, compatere hebetudini et fragilitati eorum; nec tædeat te eos erudire et formare in doctrina et vita Christiana, etiamsi parum videaris proficere, memor istius:

> Gutta cavat lapidem, non vi, sed sæpe cadendo;
> Sic homo fit doctus, non vi, sed sæpe studendo.

Sic legimus S. Isidorum Archiepiscopum Hispalensem, cum puer esset, adeo hebeti fuisse ingenio, ut nihil caperet; quare de relinquendis studiis cogitans, cum mœstus juxta puteum consisteret, intuitus sulcos, quos in lapide duro crebri sitularum attractus effecerant, sic secum ratiocinatus est: Si iteratio et frequentia trahendi potest excavare lapides, utique frequentia studendi poterit polire meum ingenium, esto hebes et durum. Quare, resumpto animo, constanter studiis vacans, vir adeo doctus evasit, ut eo doctiorem illo ævo non viderit Hispania; quin et ei debeat gymnasia, academias, virosque doctos, utpote qui ejus fuere discipuli, vel asseclæ et æmuli. Ita habet ejus Vita. Id notent et imitentur qui catechizant et docent rusticos, Indos, Caphres, mancipia, quibus natura dimidium mentis duntaxat dedisse videtur, ait Aristoteles.

Symbolice, pecora sunt animales hominis appetitus, sensus et sensationes; in his enim convenimus cum pecoribus, sumusque animalia, et vivimus animaliter. His invigilandum est, ut sint utilia, et subserviant rationi ac menti, quasi suo hero et domino: cui si reluctentur et rebellent, abdicanda sunt, et mortificanda juxta illud: « Si secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis, » *Rom.* VIII, 13.

Vers. 25. 25. FILII TIBI SUNT? ERUDI (Græce παίδευσον, id est instrue, castiga, forma) ILLOS, ET CURVA (doma) ILLOS A PUERITIA ILLORUM. — Syrus: *Filios habes? erudi* (vel corripe) *illos, et accipe illis uxores in adolescentia eorum*, ne discurrant ad scorta. Vox *erudi* spectat proprie ad intellectum, vox *curva* ad affectum; uterque enim dirigendus et formandus est in pueris et juvenibus, ne vel rudes et indociles maneant, vel inflexiles et indomiti: pueris enim congenita est in intellectu ignorantia, hæc tollenda est eruditione; in affectu superbia et concupiscentia, hæc curvanda et castiganda sunt mortificatione, juxta illud *Proverb.* XIII, vers. 24: « Qui parcit virgæ, odit filium suum; qui autem diligit illum, instanter erudit. » *Curva* ergo eorum cervicem, ut discant se humiliare et obedire, ut discant frangere suos appetitus et concupiscentias, ut fugiant illecebras et mollitiem.

Vere Fabius, lib. I *Instit.* cap. III : « Mollis, ait, educatio mentis corporisque vires frangit. » Et Plutarchus, lib. *De Liberis educandis*: « Vidi, ait, patres, quibus amor nimius causa exstitit, ne amarent. » Hi imitantur simias, quæ fœtus ita arcte complectuntur, ut subinde eos enecent, teste Plinio, lib. VIII, cap. LIV. Aspera fuit illa filiorum educatio, de qua Virgilius *Æneid.* IX:

> Natos ad flumina primum
> Deferimus, sævoque gelu duramus et undis.

Plura hac de re vide apud Plutarchum in *Lycurgo;* Senecam, lib. II *De Ira*, cap. XXII; Alexandrum ab Alexandro, lib. II *Genial.* cap. XXV. Prudenter S. Chrysostomus, hom. 9 *in I ad Timoth.*, parentes monet, « ut nihil agere filiis permittant, ex iis quæ noxie jucunda sunt. » Nam, ut recte monet Clemens, lib. I *De Pædag.* cap. VII: « Silvescit vitis, nisi putetur; ita et homo. »

Pie et sapienter S. Hieronymus, epist. 7 *ad Lætam*, docet particulatim quomodo Paulam filiolam instituat: « Postquam, inquit, ablactaveris eam cum Isaac, et vestieris cum Samuele, redde pretiosissimam gemmam cubiculo Mariæ, et cunis Jesu vagientis impone. Nutriatur in monasterio, sit inter virginum choros; jurare non discat; mentiri sacrilegium putet; nesciat sæculum; vivat angelice; sit in carne, sine carne; omne hominum genus sibi simile putet. » Similia suadet S. Chrysostomus, homil. 21 in epist. *ad Ephes.*: « Peperisti, inquit, puerum? imitare Annam. Disce quid fecerit illa: mox illum subduxit, atque obtulit in templo. Quis vestrum non innumeris modis mallet filium suum fieri Samuelem, quam totius orbis regem? »

Vers. 26. 26. FILIÆ TIBI SUNT? SERVA CORPUS ILLARUM, — integrum, intactum, castum et purum. In eo enim omnis filiæ decor et dignitas consistit, præsertim quia ejus sexus et ætas fragilis est, et in vitium pronus, multique ei insidiantur. Id facies, si eam domi contineas, si a juvenibus, a conviviis, a tripudiis, a spectaculis parum honestis eam arceas: sic enim vitium passa est Dina, eo quod curiose spectarit Sichimitas, *Genes.* XXXIV. Si semper te vel matrem ducem comitemque habeat, si ancillæ et servi sint pudici, si nullum sermonem

impudicum audiat: nam corrumpunt bonos mores colloquia prava; si denique verecundiæ et pudicitiæ amor, ac impudicitiæ horror continuo ei inseratur. Quæ sane inter omnia efficacissima est castitatis medicina et custodia. Audi Ovidium, lib. III, *Elegia* 4:

> Dure vir, imposito teneræ custode puellæ,
> Nil agis : ingenio quæque tuenda suo est.
> Ut jam servaris bene corpus, adultera mens est;
> Nec custodiri, ni velit, ulla potest.
> Nec mentem servare potes, licet omnia claudas:
> Omnibus exclusis intus adulter erit.

Et paulo post:

> Centum fronte oculos, centum cervice gerebat
> Argus : et hos omnes sæpe fefellit amor.

ET NON OSTENDAS HILAREM FACIEM TUAM AD ILLAS, — tum ut severitate vultus reprimas et coerceas illarum lasciviam, levitatem, libertatem, audaciam; tum ut eadem illis pudorem et metum tui injicias, ne te offendere audeant; tum ne patris erga se blanditiis discant viris affici, et erga eos liberiores et inverecundiores fieri, ait Jansenius. Nam, ut ait Salomon : « Melior est ira risu, quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis, » *Ecclesiastæ* VII, 4. In quæ verba S. Gregorius Thaumaturgus : « Prudens ira, inquit, risui præferenda est: severa enim vultus habitudine anima ad rectum honestumque componitur; ac sapientum quidem animæ tristitia contrahuntur, stultorum autem animæ lætitia elatæ diffunduntur. » Et Isidorus Campensis : « Per tristitiam, ait, quæ in vultu apparet, cor admonetur officii sui, » præsertim cor feminæ, quod magis timore, quam amore in officio continetur. Satis est filiabus amor et familiaritas matrum : non igitur requirant etiam patrum indulgentiorem affectum. Credant ex patris severiore vultu viros esse severos, ne illorum amore facile capiantur. S. Bernardus, lib. IV *De Consid.* cap. VI : « Filiæ tibi sunt? noli faciem tuam hilarem ad eas ostendere. Nec austeritatem tamen suadeo tibi, sed gravitatem. Illa infirmiores fugat, hæc reprimit leviores. Illa si adsit, odibilem; hæc si desit, contemptibilem reddit : in omnibus tamen modus melior. Ego nec severius velim, nec dissolutius. Quid hac mediocritate gratius, ut non de severitate sis oneri, nec de familiaritate contemptui? etc. Ille convenientior habitus, si tu actu quidem severus sis, vultu serenus, verbo serius. » Clemens Alexandrinus, lib. I *Pædag.* cap. IX, citans hæc verba, *Et ne ostendas hilarem faciem ad illas* : « Qui, ait, ad gratiam loquuntur, parum diligunt; qui autem ad utilitatem acerbi sunt, in futurum sæculum beneficio afficiunt: non præsentem voluntatem Dominus, sed futuram expectavit delectationem. »

Hoc sapientis monitum servavit Sponsa, quæ, cum formosa esset, nigram se tamen sodalibus ostendit, *Cant.* I, 5. Quæ verba explicans S. Bernardus, serm. 28 *in Cant* : « Ut, inquit, remissis, mollibus, et fugitantibus disciplinam, non candorem serenitatis, sed obscurum severitatis exhibeat. » Suum, scilicet, imitata est sponsum, de quo David *Psal.* CXVII : « Castigans castigavit me Dominus, et morti non tradidit me. » In quæ verba Clemens Alexandrinus, lib. I *Pædag.* cap. VII : « A Domino, ait, castigari, et tanquam a pædagogo erudiri, est a morte liberari. » Leæna, teste Philostrato lib. VII, ut cicuretur, non nimis blande delinienda est, alioqui insolescit et ferocit; sic et mulier, præsertim filia, quam Cato vocabat animal indomitum. Margaritæ in conchis concrescunt, non sudo, sed turbato cœlo, ut docet Dioscorides et Physici; si ergo filiam vis margaritam, id est, puram et virginem, severum ei vultum ostende, juxta illud *Job.* XXIX, 24 : « Si quando ridebam ad eos, non credebant. » « Crocus, ait Plinius lib. XXI, cap. VI, gaudet calcari et atteri pede, pereundoque melius provenit. » Sic et crocea filiarum integritas. Huc facit illud S. Gregorius lib. XX *Moral.* cap. II : « Qui præest, debet et arridens timeri, et iratus amari; ut eum nec nimia lætitia vilem reddat, nec immoderata severitas odiosum. »

Tropologice, vel symbolice, filiæ Dei sunt animæ sanctæ; harum Deus corpus, id est, integritatem virtutum omnium, servat, ideoque non hilarem, sed severum eis vultum ostendit, dum eas variis tribulationibus affligit. Unde S. Gregorius, lib. X *Moral.* cap. XVII, iis applicat illud *Job* cap. XII, *Lampas contempta apud cogitationes divitum* : « Justi, inquit, simplicitas et lampas esse dicitur et contempta. Lampas, quia interius lucet; et contempta, quia exterius non lucet. Intus ardet flamma charitatis, foris nulla gloria resplendet decoris. Lucet ergo et despicitur, qui flagrans virtutibus abjectus æstimatur. » Deinde ostendit talem lampadem fuisse Christum et Paulum, ac subdit : « Sed contempta lampas, quæ in terra irrisiones tolerat, de cœlo lucidius per judicium coruscat. Unde apte subjungitur: Parata ad tempus statutum. »

27. TRADE FILIAM (nuptui sive marito, cum ad nubiles annos pervenerit, idque tempestive, antequam ejus decor, fecunditas et vigor defloreseat), ET GRANDE OPUS FECERIS. — Tigurina : *Eloca filiam, et magnum opus peregeris.* Grande, quia difficile, æque ac perutile, tum tibi, tum filiæ, tum reipublicæ. Tibi, quia ingenti ejus cura, ac procorum molestiis et periculis te liberas et exoneras: unde Syrus vertit : *Exire fac filiam, et egredietur violentia;* filiæ, quia ejus pudicitiæ consulis, eamque collocas in statu honesto per omnem vitam; reipublicæ, quia ejus conjugium dabit proles, quæ numero, officiis et meritis augeant rempublicam. Hoc consilium congruit ævo Siracidis, quo cælibatus non erat in usu, imo erat dedecori. At Christus divinius consilium dedit, dum suasit virginitatem et cælibatum. Audi Apostolum, Vers. 27.

Corinth. VII, 8 : « Dico non nuptis et viduis : Bonum est illis, si sic permaneant, sicut et ego. » Causam dat vers. 34 : « Mulier innupta et virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. » Idcirco erecta sunt tot virginum monasteria, quibus clausura a Canonibus et Concilio Tridentino severe indicta est. Nam *feminæ aut murus, aut maritus.* Trade ergo filiam viro, nisi illa meliori viro, scilicet Christo, jungi velit in monachatu.

Siracidi consentit Ben-Sira *Alphabeto* 1, littera *Mem* : « Aquæ mulieris, quæ virgo juvenis est, dulces sunt, et augent vires (alludit ad illud *Proverb.* V, vers. 15 : Bibe aquam de cisterna tua, id est, fruere uxore tua); sed aquæ mulieris vetulæ amaræ sunt ut absinthium, et debilitant vires, ut cisterna quæ aquas habuit, quas ventus hauriendo absorpsit, » *q. d.* Vetula effœta est, exhausta, infecunda et sterilis, ideoque ingrata et insipida. Quocirca S. Ignatius citatus ab Antonio in *Melissa*, lib. I, cap. XIV : « Junioribus, ait, contrahendæ sunt nuptiæ, antequam meretriciis amoribus implicentur. » Quin et Plutarchus in *Laconicis* refert Lycurgum certum tempus præscripsisse, quo puellæ nubere, juvenes ducere deberent. Rogatum cur? respondisse : « Ut soboles ex adultis, perfectæque ætatis parentibus nata, valida sit et vegeta. » Ex præpropero enim conjugio læduntur corpora gignentium, ac proles nascitur imbecillis. Denique junioribus parentibus deest apud liberos auctoritas, quam ætas conciliat.

ET HOMINI SENSATO (Græce συνετῷ, id est prudenti, intelligenti; Syrus, *sapienti*; Tigurina, *cordato*) DA ILLAM. — Græce, δώρησαι, id est *dona*, hoc est da, trade etiam sine dote. Scitum est illud Themistoclis filiam viro tenuis fortunæ, sed sapienti elocantis : « Malo virum pecunia, quam pecuniam viro indigentem. » Multorum hac in re gravis est error, qui, dum filiabus maritos quærunt, quærunt opulentos et nobiles, nec multum curant an prudentes et sapientes sint, an insipientes; unde multa infausta et lugubria filiarum cum maritis conjugia intuemur. Democritus dicebat, « qui bonum generum nactus sit, invenisse filium; qui vero malum, simul et filiam perdidisse, » teste Stobæo *serm.* 68. Sapientisssimi et felicissimi sunt, qui filiabus maritos procurant sapientes, æque ac opulentos et nobiles; uti Noemi nurui suæ Ruth procuravit maritum Booz, opibus æque ac prudentia et probitate insignem.

Filiarum elocatio quoto anno faciendæ?

Porro leges civiles et canonicæ feminam nubilem, et matrimonio maturam definiunt anno ætatis duodecimo, virum vero anno decimo quarto; at non suadent, eo exacto, statim contrahi matrimonium. Illud tantum scriptum reliquerunt, filiam posse inconsulto patre conjugium contrahere, si pater ejus nuptias distulerit usque ad annum 25, quasi senserint feminam intra illud tempus esse nuptui tradendam. Hesiodus, lib. II *De Oper. et dieb.*, viro annum trigesimum, feminæ decimum quintum ad matrimonium constituit. Solon, apud Philonem lib. II *De Opificio mundi*, quintum septenarium, id est, annum 35 nuptiis assignavit. Plato, lib. VI *De Republ.* : « Nuptiarum, ait, tempus sit puellæ ab anno decimo sexto in vigesimum, idque sit longissimum tempus ad hoc institutum, masculo a trigesimo ad trigesimum quintum. Vide Aristotelem lib. VII *Polit.* cap. XVI, ubi feminas nuptui tradendas censet anno ætatis 18, masculos 36, quia mas gignere potest usque ad annum 70, femina ad 50. Vide et Tiraquellum *Lege* 6 *connubiali.*

28. MULIER (Græce γυνή, id est, uxor,) SI EST TIBI SECUNDUM ANIMAM TUAM (talis, scilicet, qualem anima tua desiderat, quæ nimirum sit facilis et commodis moribus, quæque tuis votis æque ac ingenio et affectibus congruat), NON PROJICIAS ILLAM (ne des ei libellum repudii in lege veteri permissum et licitum), ET ODIBILI (ob pervicaciam, garrulitatem et morum improbitatem) NON CREDAS TE. — Græce, μὴ ἐκδῷς σεαυτόν, id est, *ne tradas* vel *dedas teipsum*, scilicet, in maritum, ait Jansenius. Verum jam præsupponitur esse uxor, quam proinde non suadet statim abjici, sed ut maritus ei se suaque secreta non credat. Maritus enim tradit vel dedit se uxori, cum totum se ei fidit et committit, cumque omnia sua in ejus sinum effundit, uti Samson se effudit in sinum Dalilæ, ideoque ab ea proditus, a Philistæis captus est et exoculatus. Et Amphiaraus, Eriphilæ uxori revelans suas latebras, ab ea pretio aurei monilis venditus et proditus est, teste Statio Hygino cap. LXXIII. Unde Donysius pro *non credas te*, legit, « non reveles tua occulta; » mulier enim tacere et secreta servare nequit. Unde Cleobulus : « Cum uxore, inquit, ne contende, neve ei nimium confide. » Et Cato trium se pœnitere dicebat; tertium erat, quod unquam secretum credidisset mulieri. Hoc est, quod ait Michæas, cap. VII, vers. 5 : « Ab ea quæ dormit in sinu tuo, claude ostia oris tui. » Hinc vertit Syrus : *Uxorem habes, ne dimittas eam; et si iniqua est, ne credas ei;* Vatablus : *Uxorem ex sententia nactus es, ne repudies; nec te permittas odiosæ.* Vers. 28.

Redit Siracides ad vers. 21 : « Noli discedere a muliere sensata et bona, » illudque quasi magni in familia ad pacem, concordiam et virtutem momenti commendat et inculcat. Palacius per *mulierem* accipit uxorem; per *odibilem*, concubinam, *q. d.* Noli abjicere uxorem, et adhærere concubinæ, eique te credere, quia hæc odibilis est, tum quia est causa odii et litium inter maritum et uxorem; tum quia eam mox oditurus es, cum videbis ab ea opes tuas exhauriri : olim enim polygamia erat licita, et concubina vocabatur secundaria uxor, qualis Abrahæ fuit Agar, Jacobo

Bala et Zelpha. Verum nil cogit *odibilem* restringere ad concubinam. Cuilibet enim uxori, si odibilis sit, suadet non esse credendum.

Uxor quærenda simili mariti. Nota τὸ *secundum animam*. Illo enim significat deligendam cuique esse uxorem, quæ gratis sit moribus, quæque cum marito habeat sympathiam, et moribus congruat. Tædiosa enim est vita mariti, si cum uxore indolis et complexionis sibi contrariæ jugiter versari debeat, v. g. si maritus complexionis sanguineæ et jovialis, perpetuo agere debeat cum uxore tristi, tetrica, melancholica. Rursum vulgatum est illud Pittaci apud Laertium, lib. I, cap. v: « Uxorem tibi æqualem ducito. » Rationem dat Cleobulus apud Stobæum, serm. 3 *De Temperentia* : « Si enim ex superiore familia duxeris, inquit, non affines tibi, sed dominos comparabis. » Chilon apud Stobæum, *serm.* 38, dixit filias elocandas esse ætate virgines, sed prudentia matronas. » Idem censuit uxorem humilem modico apparatu ducendam, ne pro conjuge dominam accersas domum; sat enim dotata venit puella, quæ pudicitiam et honestos mores secum defert. Idcirco Lacones sanxerunt ut virgines sine dote nuptum irent, teste Laertio lib. I, cap. IV, ut juvenum quisque ad puellæ mores respiciens, ex virtute et indole sibi congruente faceret electionem.

Vers. 29. 29. IN TOTO CORDE TUO HONORA PATREM TUUM, ET GEMITUS MATRIS TUÆ (quos in te concipiendo, utero gestando, lactando, fasciando, etc., toleravit) NE OBLIVISCARIS. — Ita hæc nectunt Latina, Romana, Græca et Syrus; quare perperam Jansenius et alii τὸ *in toto corde* annectunt versui præcedenti. Jubet ergo filio : « In, » id est *ex*, « toto corde honora, » Græce δόξασον, id est, *glorifica*, « patrem tuum ; » Tigurina : *Patrem tuum animo toto magnifica, nec dolorum matris obliviscaris.* Hoc ipsum Tobias moriens filium docuit, dicens cap. IV : « Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ tuæ. Memor enim esse debes quæ et quanta pericula passa sit propter te in utero suo. » Porro gemitus matris majores sunt, quibus illa gemit pro filio sceleribus perdito, ut in viam virtutis et gratiæ divinæ redeat, quales fuere gemitus S. Monicæ pro S. Augustino, quos ipse recenset in lib. *Confess.*

Vers. 30. 30. MEMENTO QUONIAM NISI PER ILLOS NATUS NON FUISSES, ET RETRIBUE ILLIS, QUOMODO ET ILLI TIBI. — Nonnulli codices delent τὸ *natus*, leguntque significantius, *nisi per eos non fuisses, q. d.* Sine parentibus non fuisses in rerum natura, fuisses non ens, fuisses nihil; totum enim quod es, a parentibus habes. Græca paulo aliter habent : *Memento quod per eos natus sis; et quid retribues eis sicut illi tibi? q. d.* Non potes eis par pari reddere. « Diis enim, parentibus et præceptoribus æquivalens reddi nequit. » Nostra Latina versio est nervosior, cui consentit Syrus : *Memento quia nisi ipsi tu non esses; et quis retribuet iis qui te educaverunt?* Licet enim parentes proprie tantum dent corpus filio, anima vero creetur a solo Deo, tamen, quia corpus taliter a parentibus organizatum talem poscit animam, ideoque Deus eam creat, et creando infundit corpori, hinc parentes corporis censentur quoque esse parentes animæ, saltem mediate, puta mediante corpore; vocantur enim parentes totius compositi, puta hujus hominis, qui conflatur ex anima et corpore.

An idem filius possit ex aliis parentibus nasci? Negat Vasquez.

Videtur Ecclesiasticus hoc loco sequi opinionem illorum Philosophorum et Theologorum, qui censent individuum, puta prolem hanc, determinari a causis secundis, v. g. cur nascatur hæc proles, non alia, causam esse parentes, qui hoc loco et tempore generantes determinant generationem ad hunc genitum naturaliter; nam supernaturaliter Deus potest facere ut idem filius ex alio nascatur. Hanc sententiam videtur sequi S. Thomas, qui censet individuationis causam esse materiam signatam, sive affectam hisce circumstantiis et accidentibus. Eamdem tenet Gabriel Vasquez III part., *Quæst.* XIX, disp. 74, art. 4, cap. VII, eamque probat tribus argumentis : *primo*, quia Deus est causa universalis et indeterminata, quæ determinatur ad hanc vel illam speciem (multo magis ad hoc, vel illud individuum) a causis secundis; *secundo*, quia actus liberi determinantur a voluntate libera, non a Deo : alioqui si a Deo essent prædeterminati, non essent liberi; *tertio*, quia nisi effectus determinaretur a causa secunda, posset idem numero reproduci naturaliter : si enim illa in se est indeterminata, æque ac effectus ejus, non apparet ratio cur non possit eumdem reproducere; unde sequeretur resurrectionem corporum esse naturalem, cum constet eam esse supernaturalem.

Probat. Primo. Secundo. Tertio.

Favet S. Chrysostomus, homil. 5 *de Pœnit.*, ubi quærit cur Deus Esau, quem odio habebat, non illico e medio sustulerit; ac respondet causam fuisse, ut ex eo nasceretur Job, qui alioqui natus non fuisset : « Si excisus fuisset, inquit, maximum fortasse justitiæ fructum mundus amisisset. Et qualem ? audi. Esau genuit Raguelem, Raguel Saram, Sara Job. Cerne qualis elanguisset patientiæ flos, si præveniens Deus a radice pœnas exegisset. » Idem liquet de multis Sanctis, quorum nativitatem parentes suis precibus et meritis impetrarunt. Denique non decrevit Deus nasci hos vel illos filios, nisi quia prævidit parentes eos tali die vel hora generaturos. Effectus enim non prævidetur, nisi ex prævisa causa. Excipio Christum, B. Virginem, et forte Sanctos aliquos eximios; Christus enim ante cæteros homines a Deo decretus et prædestinatus est, quasi caput et redemptor omnium; sed B. Virgo sua sanctitate meruit ut ex se potius quam ex alia femina nasceretur, uti docent Theologi.

Assentit Suarez.

Contrarium docet P. Suarez III parte, disp. 10, sect. v, et clarius in *Metaphys.* tom. I, disp. 26, et sect. v, num. 27, P. Salazar, tractat. *De Concept.* cap. XXIV, num. 24 30 et sequent. Censent enim

determinationem effectus, v. g. prolis, quoad individuum a Deo fieri, ita ut quilibet singularis effectus, qui ab una singulari causa producitur, possit etiam ab alio produci; ac proinde proles, quæ gignitur ab hoc patre, possit ab alio quoque generari; itaque a Deo determinari, ut hic in individuo ab hisce parentibus producatur, non alius, nec ex aliis; quocirca Deum, primo decrevisse ut tales totque homines in individuo existerent in mundo; deinde decrevisse ut iidem ex talibus parentibus tali tempore nascerentur.

Juxta hanc sententiam, quæ sane difficultates magnas habet, hic locus Ecclesiastici sic exponendus est: « Memento quoniam nisi per eos natus non fuisses, » quia, scilicet, Deus ultimo prædeterminavit ut ex iis solis nascereris, non ex aliis: posito autem hoc ultimo Dei decreto, impossibile fuit te ex aliis nasci, quia non potes nasci, nisi uti Deus voluit et decrevit. Imo P. Fonseca, lib. V *Metaphys.* cap. II, Quæst. XIV, sect. III, eodem redire asserit, dicere hunc effectum esse hunc numero potius quam illum, quia productus est ab hoc numero agente, et ex hac numero materia, et in hoc numero vel momento temporis, ac si quis dicat, quia divina voluntas ad hunc numero effectum naturalem in hoc numero ac tempore, naturales ejus causas determinavit.

Sententia Scoti. Porro Scotus in II, dist. 20, *Quæst.* II, opinatur in statu innocentiæ (si in eo perstitisset Adam) eodem numero futuros fuisse homines, qui nunc prædestinati sunt, et non plures, nec pauciores (nulli enim tunc fuissent reprobi), ideoque prædestinatos, qui nunc nascuntur ex reprobis, tunc nascituros fuisse ex prædestinatis. Ratio ejus est: Quia, inquit, prædestinatio facta est ante prævisum peccatum originale, et ante prævisas generationes omnium futurorum hominum; quod etiam docet Suarez lib. I *De Prædestinat.* cap. XII. Favet S. Gregorius, lib. IV *Moral.* cap. XXVI, vel XXVIII, cum ait: « Si parentem primum nulla peccati putredo corrumperet, nequaquam ex se filios gehennæ generaret; sed hi, qui nunc per redemptionem salvandi sunt, soli ab illo electi nascerentur. » Sed exponi posset S. Gregorius de electione in genere, non in individuo, *q. d.* Si Adam perstitisset, soli electi ex eo nascerentur; sed illi tunc fuissent electi per solam Dei electionem, cum nunc omnes electi sint per redemptionem Christi.

Refellitur. Verum, quidquid sit de mente S. Gregorii, communiter alii Theologi docent cum S. Augustino, electionem factam esse post prævisum peccatum originale, quia facta est ex meritis Christi, quæ hoc peccatum præsupponunt. Unde passim S. Augustinus docet electionem Sanctorum esse factam ex massa peccato originali infecta et corrupta. Rursum prædestinatio præsupponit subjectum, puta hominem, prædestinatum jam esse in rerum natura, vel esse futurum. Qui enim non est homo, nequit prædestinari ad humanam gratiam et gloriam. Denique parum probabile videtur, quod addit Scotus, ut suam sententiam jam recensitam tueatur, scilicet nonnullos, qui nunc nascuntur in sexu feminino, in statu innocentiæ nascituros fuisse in statu virili, vel e contra; præsupponit enim nunc viros et feminas nasci numero impari, in statu autem innocentiæ nascituros fuisse numero pari, ut quilibet vir suam haberet uxorem, et quælibet uxor suum virum.

Moraliter, hic disce quam parentes, et maxime Deum patrem omnium, amare et revereri debeamus. Unde Diogenes ad quemdam qui patrem spernebat: « Non te pudet, inquit, eum despicere, cui debes hoc ipsum quod tibi places? » ita Laertius lib. VI. Et Plato ad similem: « Non desines, ait, illum contemnere, cujus gratia altum sapere vis? » ita Maximus *serm.* 33. De Deo vero Moses ait Israeli: « Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, et fecit, et creavit te? » *Deut.* XXXII, vers. 6.

31. IN TOTA ANIMA TUA TIME (Græce εὐλαβοῦ, id est reverere, venerare, cole) DOMINUM, ET SACERDOTES ILLIUS SANCTIFICA. — Græce θαύμαζε, id est, suspice et admirare. Syrus: *In toto corde tuo time Deum, et sacerdotes ejus honora.* Timor Dei in Scriptura idem est quod cultus, reverentia et veneratio Dei; Deum enim ex tota anima venerari, colere et amare debemus. Ratio est, quia Deus est anima animæ. Sicut ergo corpus totum est animæ, ita anima tota debet esse Dei. Anima, ait Aristoteles lib. II *De Anima,* est causa corporis viventis in triplici genere causæ, scilicet formalis, efficientis et finalis; itidem est et Deus ipsi animæ. Rursum Deus est anima, id est vita, animæ, non tantum naturalis per creationem, sed et supernaturalis per gratiam. « Quia, inquit S. Augustinus tract. 10 *in Joannem,* vita ejus (animæ) est Deus, quomodo cum ipsa est in corpore, præstat illi vigorem, decorem, mobilitatem, officia membrorum: sic cum vita ejus Deus in ipsa est, præstat illi sapientiam, justitiam, charitatem. » Idem, lib. *De Cognitione veræ vitæ* cap. XXXI: « Deus est vita animæ, sicut ipsa est vita corporis. Sed sicut mortuum est corpus, quando animam non habet: ita anima mortua est, quando Deo caret. » Adde quod anima, et quælibet res creata, magis pendet et sustentatur a Deo, quam a seipsa. Deus enim continuo suo influxu ei dat suum esse, itaque jugiter quasi eam creat; quod si Deus suum influxum subtraheret, illico in suum nihilum, ex quo a Deo creata est, recideret. Quare anima tota magis debet amare Deum, quam seipsam, quia Deus majus est ejus bonum quam illa sit sibi ipsi.

Deus summe colendus.

Quia Deus est anima animæ.

Insuper anima est species specierum, sive forma formarum, ait Aristoteles lib. III *De Anima,* tum quia anima formarum omnium est nobilissima; tum quia ipsa recipit omnes omnium intelligibilium et cognoscibilium species. Anima

Vers. 31.

ergo quasi præstantissima debetur Deo præstantissimo, imo quaquaversum immenso, omniumque intelligibilium summo, universalissimo et perfectissimo principio. Quare vere ait Beda in *Proverbiis*:

Totus ubique manens, tota est virtute colendus.

Porro quod addit: « Sacerdotes illius sanctifica, » hoc est, sancte eos habe, ut sanctos, id est, Deo consecratos, honora, juva, sustenta; græce, *admirare, q. d.* Tanta est sacerdotum et sacerdotii excellentia, consecratio et sanctitas, ut omnes eam admirari, et admirando venerari ac revereri debeant. Hinc discant sacerdotes dignam sacerdotio vitam agere, ut sint homines cœlestes, Angeli Dei, terræ miracula: « Vivant ut numina, loquantur ut oracula; » ut sermone æque ac vita sint admirabiles, suique admirationem in laicis excitent. Rationem dat S. Ignatius, epist. 10 *ad Smyrnenses*: « Sacerdotium, ait, est omnium bonorum, quæ in mundo sunt, apex; qui adversus illud fecerit, non hominem ignominia afficit, sed Deum. » Et S. Gregorius Nazianzenus, *oratione* 21: « Sacerdos, inquit, cum Angelorum ordine et classe futurus est, qui cum Archangelis Deum celebrabit, qui ad sacrum altare sacrificia transmittet, simulque cum Christo sacerdotio fungetur; qui figmentum instaurabit, imaginemque Creatori sistet, et superno mundo opificem aget; et quod majus est, dicam, Deus erit, aliosque deos efficiet. »

Quocirca Christus sacerdotes etiam Mosaïcos honoravit, dum leprosos a se curatos ad eos transmisit, dicens: « Ite, ostendite vos sacerdotibus. » A regibus autem honorari voluit, quando tres Magos, duce stella, vocavit ad se adorandum in Bethlehem, ut ostenderet sacerdotium præstantius esse regno. Nam « purpura imperatores facit, non sacerdotes, » ait S. Ambrosius apud Theodoretum lib. V *Histor.* cap. VII; et Philo, lib. III *De Vita Mosis*: « Cidaris, inquit, pro diademate imponitur capiti, quia quantisper sacerdos honore suo fungitur et ministerio, non solum privatis hominibus est eminentior, verum etiam cunctis regibus; » et S. Chrysostomus homil. 4 de verbis Isaiæ, *Vidi Dominum*: « Regi, inquit, corpora commissa sunt, sacerdoti animæ. Rex maculas corporum remittit, sacerdos autem maculas peccatorum. Ille cogit, hic exhortatur; ille necessitate, hic consilio; ille habet arma sensibilia, hic arma spiritalia; ille bellum gerit cum barbaris, huic bellum est adversus dæmones; major hic principatus, propterea rex caput submittit manui sacerdotis, et ubique in veteri Scriptura sacerdotes ungebant reges. » Quocirca ignis a Deo immissus in Nadab et Abiu sacerdotes, eo quod ignem alienum obtulissent, eos quidem afflavit et exanimavit; vestes autem eorum, utpote sacerdotales, tangere non est ausus, ut hoc miraculo sanciret dignitatem sacerdotii, *Levit.* x, 5.

32. IN OMNI VIRTUTE TUA DILIGE EUM QUI TE FECIT. Vers. 32. — Pro *virtute* græce est δυνάμει, id est potentia, possibilitate; Vatablus, *omni vi, et*, id est ideo, ut scilicet ostendas te Deum diligere ex tota virtute et vi tua, *sacerdotes illius sanctifica;* Syrus: *In toto corde tuo honora Creatorem tuum.* Citat *Deuter.* cap. VI, 5, juxta Septuaginta: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua;* ubi pro *fortitudine*, Hebraice est *ex toto valde tuo;* Septuaginta, *ex tota virtute tua;* quod S. Lucas, cap. X, 27, vertit, *ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua;* Vatablus, *pro omni virili tuo,* id est, ex omni tua facultate et possibilitate, ex omni tuo valore et vigore, validissime et valentissime, ac si fieri posset, *nimis* (hoc enim significat hebr. מאד *meod*), dilige Deum, juxta illud *Psalm.* CXVIII: « Tu mandasti mandata tua custodiri nimis. » S. Bernardus, serm. 29 *in Cant.*: « Non abduci, ait, blanditiis, nec seduci fallaciis, nec injuriis frangi, toto corde, tota anima, tota virtute diligere est. » Ratio est, quia Deus est omne bonum, imo oceanus immensus bonorum omnium; ergo omnibus viribus appetendus et diligendus.

Quid hic præcipiatur, et quibus de causis, fuse docui *Deuter.* VI, 5. Quibus adde Richardum de S. Victore, tract. *De Gradibus charitatis,* septem dilectionis Dei gradus assignare: « *Primus* est, inquit, ut amor sit inseparabilis, ut anima cum Apostolo dicere possit: Quis me separabit a charitate Christi? *secundus,* quod sit insatiabilis: ignis enim nunquam dicit: Sufficit; nihilque sibi egisse unquam videntur, et servos se dicunt inutiles, qui eo sunt succensi; *tertius,* quod sit invictus. Fortis enim ut mors dilectio, et aquæ multæ non potuerunt exstinguere charitatem; *quartus,* quod sit delectabilis, dicereque anima possit amore isto succensa: Introduxit me rex in cellaria sua, memor fui Dei, et delectatus sum; *quintus,* quod vulneret animam ardentibus desideriis et plurimis, quibus optat ut omnes ei serviant, et omnes trahere ad eum conatur; *sextus,* quod semper Deum sitiat, semper eum præsentem habeat, omnis ei creatura memoriam illius revocet; *septimus,* quod desideret conjungi et esse cum Christo, non tædio vitæ, sed charitate impulsus, quisquis ea fuerit inflammatus. » Exclamemus ergo identidem cum Psalte *Psal.* XVII, 1: «Diligam te, Domine, fortitudo mea; Dominus firmamentum meum et refugium meum, et liberator meus. Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, et humilia respicit in cœlo et in terra? Quid mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? Benedic, anima mea, Domino, et omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus. Exaltare super cœlos, Deus, et super omnem terram gloria tua. »

Amoris Dei septem gradus.

Rursum virtus, ait Aristoteles lib. I *De Cœlo*, textu 1, cap. XVI, ac ex eo noster Alvarez de Paz, lib. III *De Vita spirit.*, part II, cap. XXI, « est illud

summum ac præstantissimum, ad quod vis aut potentia alicujus valet pertingere. Nam si quis posset centum talenta portare, vis ejus est ad portandum quinquaginta aut octoginta, virtus vero ad portandum centum; et si possit ambulare et perniciter currere, vis est ad ambulandum, et virtus ad velocissime currendum. « Hanc autem esse hujus nominis notionem confirmat nomen vir, a quo (teste Cicerone *Tuscul.* II) dicta est. » Vir enim (ut ait Lactantius lib. *De Opificio Dei*, cap. XII) nominatus est, quod in eo major vis est quam in femina, et hinc virtus nomen accepit. A qua etiam significatione sacræ paginæ non abhorrent, hoc nomen pro robore, potestate et fortitudine non semel usurpantes : Domine, Domine, virtus salutis meæ (inquit David *Psalm.* CXXXIX), obumbrasti caput meum in die belli; » et *Psalm.* XVII « Deus, qui præcinxit me virtute, et posuit immaculatam viam meam; » et rursus *Psalm.* XXXII : « Præcinxisti me virtute ad bellum, et supplantasti insurgentes in me subtus me. » Hinc astra virtutes appellantur, quod eorum motu et influxu Deus inferiora gubernet, et magna ac mirabilia perficiat. Verbo quippe Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Hinc etiam virtutes, tum morales, tum intellectuales, tum Theologicæ, hoc nomen acceperunt, quod potentias aut vires nostras operibus bonis et malis expositas, ad opus optimum inclinent, et ad præstantissimas functiones disponant.

Quid sit ex tota virtute diligere?

Est ergo virtus, si ejus primævam notionem attendamus, nisus et conatus et impetus rei, totum quod potest facientis, et ad summum ac sibi præstantissimum anhelantis. Quare tunc Deum ex omni virtute diligimus, cum voluntatem excitamus ut omni conatu Deum diligat, et vires alias seu potentias erigimus, ut non segniter, non oscitanter, sed strenue ac diligenter in Dei obsequium ac voluntatem intendant. »

Unde S. Thomas, *Opusc.* 61, cap. XXIII, hunc sensum exprimens sic ait : « Diligis Dominum, non tantum ex vi, sed etiam ex virtute, cum diligendo et laborando experiris summum potentiæ; quod si in hoc summo et ultimo termino actum dilectionis semper continuares, tunc non tantum ex virtute, sed etiam ex tota virtute diliges. Sed quia in vita mortali non est possibile ut quis in omnibus bonis actibus suis summum conatum adhibeat, considerandum est quomodo hæc sententia vitæ justorum peregrinantium accommodetur, ut possint eam utcumque servare, et Deum ex tota virtute diligere. Illi sane dicuntur ex virtute diligere, qui Dei sunt diligentes amatores, qui Deum fervide amant, et qui gnaviter et strenue omnem (quantum possunt) defectum et imperfectionem cavent, et virtutis opera ad suum statum et munus pertinentia sedule, sollicite et diligenter exercent. Quidam enim (ut Bernardus, serm. 3 *De Pentecoste*, optime annotavit) accipiunt Spiritum Sanctum, spiritum charitatis ad salutem; quidam vero accipiunt ad fervorem. Illi accipiunt ad salutem, qui in toto corde suo revertuntur ad Dominum Deum suum, qui omni crimini valedicunt, et spiritu contritionis emundati gratiam et charitatem accipiunt. Illi accipiunt ad fervorem, cum in cordibus perfectorum (ut verbis sanctissimi Patris utar) vehementius spirans, validum ignem charitatis accendit, ut non solum in spe filiorum Dei, sed etiam in tribulationibus glorientur, contumeliam gloriam reputantes, opprobrium gaudium, despectionem exaltationem. » Nam, ut ait S. Chrysostomus, serm. 6 *De Passione Domini* : « Adversis probatur amor, affectio pensatur periculis, pœnis examinatur dilectio, morte perfecta charitas innuitur. Jure itaque Bernardus supremum amoris gradum, quem cœlesti patriæ reservat, cum, videlicet, homo se pure diligit propter Deum, et seipsum quodam modo perdit, tanquam non sit, et omnino semetipsum non sentit, et a semetipso exinanitur et annullatur, solis Martyribus in hac vita audet certa ratione concedere. Putamusne (inquit) hanc gratiam, vel ex parte sanctos Martyres assecutos, in illis adhuc victoriosis corporibus constitutos? Magna vis prorsus amoris illas animas introrsus rapuerat, quæ ita sua corpora feris exponere, et tormenta contemnere valuerunt. »

Porro S. Thomas, opusc. 61 *De Dilect. Dei*, cap. XXIII, paulo subtilius distinguit virtutem a fortitudine : « Quod virtus sit summus conatus virium nostrarum ad agendum, fortitudo vero summus conatus ad sustinendum. » Cui consentit S. Augustinus, lib. I *De Moribus Eccles.* cap. XXII : « Amor, inquit, quem tota sanctitate inflammatum esse oportet in Deum, in non appetendis istis temperans, in amittendis fortis vocatur. » Et infra : « Nihil est tam durum atque ferreum, quod non amoris igne vincatur. Quo cum se anima rapit in Deum, super omnem carnificinam libera et admiranda volitabit pennis pulcherrimis et integerrimis, quibus ad Dei complexum amor castus innititur. » Et lib. I *De Morib. Manich.* cap. XV, dicit, « fortitudinem esse amorem omnia propter Deum facile perferentem. Quare diligere ex omni virtute, est ita Deum amare, ut quis nec tentationibus cedat, nec in tribulationibus et minis, sive a dæmone, sive ab hominibus intentatis succumbat; sicut accidit Davidi, uxorem alienam contra jus et fas accipienti, Petro neganti, discipulis fugientibus; et accidit multis aliis, qui ad tempus fide viva credunt, et in tempore tentationis recedunt. Hujus amoris ex omni fortitudine meminit Paulus, quando sui amoris robur et firmitatem edixit : Quis, ait, nos separabit a charitate Christi? tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius? et statim : Certus sum quia neque mors, neque vita, » etc. *Rom.* III. Talem amorem habebat Sponsa dicens *Cantic.* VIII : « Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. »

Scripsit S. Catharina Senensis instinctu Spiritus Sancti dialogum brevem, sed succulentum et aureum, *De Consummata perfectione*, in quo perfectionem sitam esse docet in jugi et plena conformatione voluntatis nostræ cum divina; hanc autem conformationem fieri per dilectionem Dei ex toto corde et tota virtute, quæ tria requirit, eaque ita illi describit Deus: « *Primo*, ut voluntatem tuam ab omni amore affectuque terreno et carnali prorsus amoveas, segreges, mundifices, ita ut in ista vita nihil transitorium, nihil caducum, nihil temporale ames nisi propter me, te propter me, et proximum propter me. Quoniam divinus amor terreni affectus, aut alterius cujusvis amoris consortium pati non potest. Unde quantum eum terrenarum rerum contagione infeceris, tantum et in mei amore peccabis, et de tua perfectione deperdes. Mentem quippe ut munda et sancta sit, omnia quæ corpus sentit, fastidire necesse est. Effice igitur ne quidquam ex his quæ a bonitate mea vestros in usus profecta sunt, te a me amando impediat; sed omnia adjuvent, accendant, inflamment. Quoniam vobis illa creando concessi, ut bonitatis meæ largitatem latius ex ipsis dignoscentes, me abundantiore quoque amore prosequeremini. »

Perfectio in quo sita?

Respondeo Primo.

« *Secundo*, ut omnes cogitationes, actus et opera tua dirigas ad meum solummodo honorem et gloriam, semperque solius meæ laudis studiosissima, des operam precibus, verbis et exemplis, et quomodo possis, ut non tu tantum sic, sed alii omnes tecum pariter et eodem modo affecti sint, utque universi me unum norint, ament, colant; hocque mihi magis placet, quam primum, quoniam magis implet voluntatem meam. *Tertium*, quod reliquum est, si assecuta fueris, tibi nil deesse, teque consummatam integritatem consecutam scito. Illud autem hoc est, ut summo desiderio quæras, nitaris et studeas ad hanc pervenire mentis dispositionem, ut mihi ita conjuncta sis, tuaque meæ (quæ perfectissima est) ita similis sit conformisque voluntas, ut nolis non solum malum, sed et bonum, quod ipse nolim, utque eveniat quidquid velit, et undecumque velit in istius vitæ miseria, sive spiritualibus, sive temporalibus in rebus, minime frangatur pax tua, turbeturque quies mentis tuæ; sed inconcussa fide semper teneas me Deum tuum omnipotentem magis amare te, quam tu teipsam, meque tui diligentissimam habere curam, et multo diligentiorem quam tu. Quanto magis sic te mihi commiseris dederisque, tanto magis te adjuvans, tibi semper adero, et tu ipsa clarius cognosces, ac uberius senties circa te dulcissimam charitatem meam. Ad hanc autem perfectionem perveniri non potest, nisi per stabilem constantiam, ac absolutam propriæ voluntatis abnegationem. »

Secundo.

Tertio.

Et inferius : « Ad hanc igitur si pervenire vis, tibi est in summa humilitate perstandum, et ex vera atque intima miseriæ et inopiæ tuæ cognitione, id unum jugiter vehementerque affectandum, ut mihi soli pareas, meamque solius voluntatem observes. Quo autem id præstare queas, necesse est ut per mentis conceptum, et animi existimationem tibi habitaculum circum undique concameratum, ex solius meæ voluntatis materia construas; teque eo concludas, et semper inhabites, ut quocumque eas, nunquam ex eo egrediaris; quocumque prospicias, nunquam extra aspicias; sed tuos mentis et corporis sensus mea semper circumstet voluntas, nec quidquam aliud loquaris, cogites aut efficias, nisi quod mihi placet, et meæ esse voluntatis credas, sicque te quidquid agendum erit, Sanctus Spiritus edocebit. »

Et post nonnulla : « His vero per firmam fidem mente ac meditatione collectis, cognosces tribulationes, tentationes, difficultates, dolores, infirmitates et adversa omnia, ob nullam aliam causam me gubernante provenire, nisi utilitatis et salutis vestræ gratia, ut per ea quæ videntur vobis mala, a pravitate corrigamini, et ad virtutem, qua itur ad verum et summum bonum vobis incognitum, perducamini. Cognosces præterea hoc fidei lumine perlustrata, me Deum tuum magis posse, scire, velle bonum tuum quam tu, teque id nec posse, nec scire, nec velle absque gratia mea. »

Hac ratione Sancti fiunt perfecti, faciles, læti et ad quosvis casus imperturbabiles. « Prospiciunt namque claro et purgatissimo mentis oculo, a me summo Universi gubernatore mirifica sapientia, charitate et ordine cuncta administrante, non nisi bona posse provenire, meque sibi ac rebus suis melius utiliusque prospicere, quam ipsimet per se sciant, possint ac velint; sicque omnibus in rebus quæ eveniant, quasque sustineant (ut ut sint), me auctorem, et non proximum, firmo considerantes proposito, quadam invicta et inexpugnabili patientia ita roborantur, ut non solum æquo animo, sed libenti ac gaudenti sustineant, degustantes in omnibus, sive intrinsecus, sive extrinsecus accidant, meæ ineffabilis dulcedinem charitatis. Quod est sentire de me in bonitate, in omnibus (inquam) tribulationibus difficultatibusque attendere, credere et læto animo gratoque meditari, me disponere omnia suaviter, et ex profundo meæ dilectionis fonte cuncta provenire. Atque hujus ultimæ considerationis, compositionisque sanctissimæ maximum bonum nil aliud corrumpit, impedit et perdit, quam propria voluntas vestra, et amor vestri, quæ si tollerentur a vobis, tolleretur et infernus vobis : tum ille qui maledictis æterno mentis et corporis tormento paratus; tum ille qui maledictis æterno mentis et corporis tormento paratus est; tum ille quem in mortali vita multiplici agitatione animi, ac vario curarum æstu, imo sustinetis errore. »

Porro Ascetæ et contemplationi dediti, ita Deum ex tota virtute diligunt, ut non tantum singula

ejus præcepta observare, in ejus voluntatem se suaque cuncta resignare, illis per omnia se conformare studeant : sed etiam omnes animæ vires et potentias illi unire, in eumque per amorem transfundere et transformare satagant, ut eum unum jugiter cogitent et ament, cum miro mentis gaudio et jubilo, ut in eo, velut abysso sapientiæ, pulchritudinis, gloriæ, voluptatum et bonorum omnium immergantur et absorbeantur, idque faciunt per varios modos et actus. « *Primus* est, quo Deo perfectiones illas, quas habet, gratularis ex amore ardenti, et gaudes, adeo ut si qua illi deesset, et in tua foret manu, ei liberalissime illam tribueres; *secundus*, quo eas supra omnia æstimas, præ Deo omnia despicis, omnibusque et tibi ipsi renuntias, ut uno illo fruaris, ut uni illi placeas, qui infinities pluris est omnibus quæ sunt, et in infinitis mundis esse possunt; *tertius* actus est, quo desideras illum amare summo affectu ob ejus perfectiones, quæ singulæ et infinitæ sunt, et dignæ amore infinito, et optas omnium creaturarum affectus, quos in Deum effundere toto corde possis, eumque totis viribus amare; *quartus*, quo gaudes de omnibus quæ Deus fecit et facit, eo maxime nomine, quod ab illius manu et opera procedant, qui potentissimus, sapientissimus et optimus est; *quintus*, gaudere de honore et gloria, quæ eum afficiunt Angeli in cœlo, et optare ut homines et creaturæ eum laudent et honorent; *sextus*, desiderare Deo uniri per cognitionem et amorem, et frui et conquiescere in illa unione, qua est creaturæ omni conjunctus per essentiam, præsentiam et potentiam. » Ita noster Antonius Sucquet, lib. III *Viæ vitæ*, cap. XX, quo libro eleganter, docte et pie viam perfectionis docet.

Sex actus amoris Dei.

Tales ergo insatiabiliter Deum desiderantes, assidue ad eum suspirant et anhelant, dicuntque : Si totus mundus meus foret plenus sanctis Angelis, omnes tibi corde resignarem, Domine, quia tu es amor meus; si haberem omnium mortalium affectum, omnem Angelorum et Sanctorum spiritum, te eo complecterer, in te viverem, moverer et essem. Utinam omnes miserorum pœnas ferre possem, ut omnes te cognoscerent, colerent, diligerent. Brevis enim et levis est omnis dolor illi, quem tuus amor inebriat et transformat. « O pelagus sanctæ dilectionis atque dulcedinis, Deus meus, veni et tribue te animæ meæ. Da, ut integro corde, pleno desiderio, flammantique affectu jugiter aspirem ad te, suavissime respirem in te, te omni creaturæ præferam, propter te omni transitoriæ delectationi renuntiem, o vera et summa exsultatio mea. Pasce me, Domine, esurientem mendicum tuum jugi influxu divinitatis tuæ : hoc peto, hoc desidero, ut vehemens amor me totum penetret, repleat, atque in se transmutet. Da, benignissime Redemptor, ut dilectione tui totus ignescam, totus a me ipso deficiam, in te solo delecter, te solum sciam et sentiam. O supereffluens abyssus divinitatis, trahe et immerge me in te, totam affectionem cordis mei ita abripe, et tibi applica, ut ipsa ad cætera omnia sit prorsus exanimis. » Hæc et plura D. Ludovic. Blosius in *Aspirationibus*. Vide S. Bernardum, serm. 1 et seq. *in Cantic.*, Bonaventuram in *Itinerario mentis*, et P. Alvarez de Paz, lib. III jam citato.

Amoris suspiria.

ET MINISTROS (Græce λειτουργούς, id est sacros ministros, puta sacerdotes et Levitas, qui sacris operantur, Deoque sanctam sacrificii liturgiam offerunt) EJUS NE DERELINQUAS, — sed primitiis, decimis, oblationibus ale et sustenta, ut Deo ministrare et liturgiam peragere possint.

33. HONORA (Syrus, *lauda*) DEUM EX TOTA ANIMA TUA. — Tria debentur Deo : *primum*, timor quasi Deo, de quo dixit vers. 31; *secundum*, amor quasi patri, de quo dixit vers. 32; *tertium*, honor quasi summo omnium Domino, de quo agit hoc loco. « Filius, ait Malachias cap. I, 6, honorat patrem, et servus dominum suum; si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus? et si Dominus ego sum, ubi est timor meus? » Adde : Et si omne bonum ego sum, ubi est amor meus? Vers. 33.

ET HONORIFICA (Græce δόξασον, id est *glorifica*; Tigurina, *magnifica*) SACERDOTES. — Honor in Scriptura tria complectitur, scilicet, venerationem obedientiam, sustentationem. Unde hæc tria jubemur præstare parentibus, si indigeant, cum jubemur eos honorare. Eadem debemus sacerdotibus. Porro honor sacerdoti debitus est augustus et divinus, quia ipse est Dei vicarius, mediator et interpres apud homines. Hoc significat Græcum *glorifica*.

Honorandi sacerdotes.

Ita Alexander Magnus adoravit Jaddum pontificem, vel potius Deum in pontifice. Vide Josephum XII *Antiq.* VIII. Ita Constantinus Magnus honoravit sacerdotes et episcopos concilii Nicæni. « Significabant hoc, ait Eusebius, lib. III *De Vita Constantini*, oculi submissi, rubor in vultu, decens ingredientis motus, morum humanitate, imperialisque clementiæ mansuetudine permixta, etc.; positaque modica quadam sede, non sedit priusquam ab Episcopis annueretur. » Et inferius : « Unumquemque illorum pro cujusque dignitate magnificis muneribus honorabat. » Addit eum libellos famosos contra Episcopos quosdam sibi oblatos noluisse inspicere, sed illico flammis cremandos tradidisse. Ita Theodosius Imperator honoravit S. Ambrosium, ut jubenti adytis templi excedere illico paruerit, ac pœnitentiam ob cædem Thessalonicensium ab eo sibi impositam humiliter exceperit. Ita Carolus Magnus honoravit Pontifices Romanos, ut eorum accitu quater Romam profectus sit, ac Urbem totamque Italiam Longobardorum tyrannide liberarit. S. Ludovicus, Francorum rex sapiens et sanctus, mire venerabatur sacerdotes et Religiosos. Quocirca moriens inter aurea monita, quæ Philippo primogenito dedit, hæc exstant : « Sem-

Exempla.

per sis addictus et devotus Romanæ Ecclesiæ, et ejus Pontifici, haud secus atque spirituali patri, te morigerum præbeas. Crebro confitearis peccata tua, deligasque tibi sapientes confessarios, qui te possint instituere et docere quid agere, quid vitare te oporteat, et coram illis ita te compares, ut audeant te sincere reprehendere, et vitia tua indicare tibi. »

Basilius Imperator Constantinopolitanus *Exhort. ad Leonem filium* (habetur tom. V *Biblioth SS. Patrum*), cap. III : « Summo honore, inquit, prosequare matrem tuam Ecclesiam, quæ te in Spiritu Sancto lactavit, et tuo capiti, ad Dei per Christum laudem, coronam imperii imposuit, etc. Honora ergo Ecclesiam Dei, ut tu vicissim a Deo in honore habeare : et sacerdotes ejus reverere tanquam spirituales patres, et deprecatores pro nobis apud Deum. Honor enim, qui sacerdotibus habetur, ad Deum refertur. Et sicut propter te ministros tuos in honore habere justum est : ita et propter Deum sacerdotes ejus magni facere, et in pretio habere, sanctum. Sicut autem honor, qui eis defertur, ad Deum pertinet : ita eorum contumelia et contemptus longe etiam gravius ejus iram provocat. »

ET PROPURGA TE CUM BRACHIIS. — Hæc sententia jam deest in Græco et Syro. Quinque manuscripti codices legunt : *Et propugnato cum brachiis*, itaque legendum censet Jansenius, *q. d.* Sacerdotes Dei tuis brachiis armisque, o laice, defende et propugna. Verum in lege veteri sacerdotes se suis armis defendebant, nec aliena brachia desiderabant, uti Judas Machabæus, ejusque fratres fuere pontifices, et simul duces belli, populique vindices. Rursum omnes codices impressi cum Rabano (qui legit, *purga*) legunt, *et propurga te cum brachiis*, quod dupliciter accipi potest, *primo, q. d.* Oblationibus brachiorum, id est, quas brachiis et manibus tuis offers, quasque labore brachiorum comparasti (brachium enim laboris est symbolum, ait Pierius lib. XXXV), purga et expia peccata tua. Ita Rabanus, Palacius et Lyranus. *Secundo, q. d.* Purga peccata tua, offerendo brachia dextra, id est, armos dextros victimarum sacerdoti. Hi enim cum pectusculo ex victima debebantur sacerdoti in sacrificio pacifico, ex lege *Levit.* VII, 32; hique Hebr. vocantur שוק ימין *scoc iamin*, a Septuaginta βραχίονα δεξιόν, id est, brachia dextra, ut patet *Levit.* cap. VII, vers. 33, et cap. VIII, 25, et cap. IX, 21. Licet enim sacrificium pacificum primario non purgaret peccata, sed tantum offerretur pro pace, id est, incolumitate et salute domus vel reipublicæ, comitanter tamen et secundario offerebatur quoque pro purgatione peccatorum : pacem enim et salutem Dei habere non possumus, nisi habeamus ejus gratiam; gratiam autem habere nequimus, nisi a peccatis purgemur et expiemur.

Tropologice, « propurga te cum brachiis, » *q. d.* Expia peccata non tantum corde et ore, sed et opere; non tantum confessione, sed et satisfactione, brachiis tuis exercendo opera pœnitentiæ et charitatis. Hujus rei symbolum est in natura : tradunt enim medici e corde sinistrum ramum majoris arteriæ ad sinistrum brachium porrigi; quo tacite monet nos natura, ut amorem in corde conclusum in brachia, id est, in opera, porrigamus, juxta illud sponsi ad sponsam *Cantic.* cap. VIII, 6 : « Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, » hoc est, amorem, quo me corde amas, exterius per brachia exere, et in opera confer. Ita S. Gregorius et Theodoretus ibidem.

34. DA ILLIS PARTEM, SICUT MANDATUM EST TIBI, PRIMITIARUM (*q. d.* Da illis primitias, quæ sunt pars sive portio sacerdotibus ex lege debita; sub primitiis et decimas accipe) ET PURGATIONIS, — id est, decimas ait Lyranus. Verum decimæ non erant purgatrices peccati, sed debitæ ad sustentationem Levitarum. Melius Jansenius per *purgationem* accipit victimas pro purgatione leprosi, menstruatæ, aut alia ratione immundi, lege veteri præceptas. *Tertio*, apposite *pars purgationis* est portio victimarum, quam pro purgatione peccati lex offerri sanciebat. Ubi nota : Peccatum *Levit.* VII, 1 et sequent., distinguitur a delicto, aliæque victimæ præscribuntur pro expiatione delicti : *peccatum* enim Hebr. חטאת *chattat*, Græce ἁμαρτία, vocabatur crimen scienter et prudenter commissum ; *delictum* vero Hebr. אשם *ascam*, Græce πλημμέλεια, vocabatur crimen ignoranter per oblivionem vel imprudentiam commissum. Dicit ergo : « Da illis partem purgationis, » id est, da illis victimas pro purgatione peccati in Levitico sancitas. Vers. 34.

ET DE NEGLIGENTIA TUA (Græce, περὶ πλημμελείας, id est, de delicto ignoranter commisso) PURGA TE CUM PAUCIS. — Quod dupliciter accipi potest. *Primo, q. d.* Paucos adhibe socios vel testes, cum victimam offers pro purgatione delicti tui, tum ut famæ tuæ et pudori consulas : in sacrificio enim debebat fieri confessio delicti, eaque particularis, uti ostendi *Num.* V, 7; tum ut aliis sis exemplo, ne eos confessione tui delicti scandalizes, et ad illud imitandum invites. *Secundo, q. d.* Paucis victimis et sumptibus te purga, si pauper es, nec habes multa et magna quæ offeras. Ita Emmanuel Sa. Unde Rabanus : « Ostendit, inquit, quod oblatio, quæ ex humili mente, et pura dilectione Deo offertur, licet parva sit quantitate, multorum delictorum negligentias purgat, de quo scriptum est : Charitas operit multitudinem peccatorum, » I *Petr.* IV, 8. Et Jansenius : « Significatur, ait, quod si quis non possit sacrificium divitum offerre, saltem pauca illa et parva offerat, quæ a pauperibus exiguntur. »

35. DATUM BRACHIORUM TUORUM, ET SACRIFICIUM SANCTIFICATIONIS OFFERES DOMINO, ET INITIA SANCTORUM. — Græca de more hic concisa sunt. Igitur duos hosce versus, scilicet 34 et 35, sic effe- Vers. 35.

runt: Da ei (sacerdoti) partem, sicut præceptum est tibi, primitias et pro delicto, de quibus dixi vers. 34, « et munus armorum, et hostiam sanctificationis, et primitias sanctorum, » de quibus hoc versu. Syrus : *Da illis id quod eis debetur, tanquam id quod præceptum est : panem oblationum, et primitias manuum;* Vatablus : *Portionem suam, ut mandatum habes, tribuas eisdem primitias et lustrationes, piacularia que munera, tum præbendos armos ac lustralia sacrificia, primitiasque sacrorum.* Igitur, « datum brachiorum; » est « munus armorum; » nam, ut paulo ante dixi, in sacrificio pacifico armi dextri cum pectusculo duntaxat dandi erant sacerdoti, ideoque vocabatur armus separationis et elevationis, quia separabatur et elevabatur quasi donum Deo datum in sacerdote. « Pectusculum, inquit, elevationis, et armum separationis tuli a filiis Israel de hostiis eorum pacificis, et dedi Aaron secerdoti, et filiis ejus lege perpetua, ab omni populo Israel, *Levit.* VII, 34.

Sacrificium sanctificationis quod? Respondeo primo.

« Sacrificium sanctificationis, » *primo,* cum Dionysio Carthusiano, accipi potest holocaustum; hoc enim totum erat sanctum, id est, Deo consecratum et oblatum, quia totum in honorem Dei cremabatur, ut, sicut vers. præced. jussit dari sacrificia pro peccato, et hic per « datum brachiorum » dari sacrificia pacifica: ita per hostiam sanctificationis jubeat dari holocaustum : hæc enim erat triplex hostia, triplexque sacrificium Judæis præscriptum, *Levit.* I, 2 et 3. *Secundo,* Jansenius per « sacrificium sanctificationis » accipit sacrificium quod Nazaræi offerebant pro singulari sua sanctificatione, *Numer.* VI. Nazaræus enim Hebr. idem est, quod separatus, sanctus, consecratus Deo, quia tondendo comam, abstinens vino et sicera, totum quasi se Deo dedicabat. Plerique enim ex Judæis religiosiores faciebant hoc votum, et ad id tacite hic hortatur Siracides, ut jam sanctitatis studiosi nuncupant votum Religionis. *Tertio,* per « sacrificium sanctificationis » accipi potest sacrificium votivum, sive ex voto oblatum, quod, scilicet, voto nuncupasti et sanctificasti Domino; votum enim, quia voluntarium Deoque dicatum, dicitur estque sanctificatio voventem sanctificans, præsertim votum *cherem* sive anathematis, quo res Deo per votum promissa debebat mori, vel naturaliter, vel civiliter, itaque Deo quasi immolari, uti dixi *Levit.* XXVII. *Quarto,* Tigurina vertit, *sacrificia lustralia,* quibus, scilicet, expiabatur quis ab immunditia legali, et legaliter sanctificabatur, de quibus *Numer.* XIX. *Quinto,* Lyranus accipit sacrificia pacifica, ut τὸ *datum brachiorum,* id est armorum, exponat per « sacrificium sanctificationis. » Verum hæ duæ ultimæ expositiones minus commodæ et frigidiores videntur.

Secundo. Tertio. Quarto. Quinto.

Initia sanctorum quæ? Respondeo primo.

ET INITIA SANCTORUM. — Græce, *et primitias sanctorum,* τὸ *sanctorum* est neutrum, non masculinum, *q. d.* Rerum sanctarum. Quænam hæc? *Primo,* Vatablus vertit, *primitias sanctas;* quælibet ergo primitiæ, quia sanctæ, hoc sensu hic accipiendæ sunt. Verum has sanxit vers. præcedenti. *Secundo,* Lyranus: « initia sanctorum, » inquit, id est, sanctificationes hominum sunt primitiæ, decimæ, et cætera quæ dicta sunt, quasi omnia jam dicta unico hoc verbo recapitulet, et summatim complectatur. Huc accedit expositio Dionysii Carthusiani : « Initia sanctorum, » inquit, sunt præcipua, quæ Deo sanctificata, id est, consecrata sunt; Græcum enim ἀρχὴ (unde ἀπαρχαί, id est, initia sive primitiæ) tam initium quam præcipuum significat. Jusserat enim Deus præcipua et meliora sibi offerri. *Tertio,* magis genuine Jansenius hæc a præcedentibus distinguens : « initia sanctorum, » inquit, vocatur ea decimarum portio, quam ex omnibus decimis perceptis Levitæ debebant persolvere sacerdotibus, decimam, scilicet, decimarum, quæ ante omnia et ex optimis erat reddenda, ideoque vocatur « initia sanctorum. » Primitiæ enim vocantur sanctæ, quia Deo ex lege consecratæ et debitæ *Numer.* XVIII. Verum hac ratione Siracides solis Levitis loqueretur.

Secundo. Tertio.

Quarto ergo adde, « initia sanctorum » complecti decimas quaslibet, præsertim primas, quas Judæi ex lege *Numer.* XVIII, tenebantur quotannis solvere Levitis, et per eos sacerdotibus ; his enim Levitæ pendebant decimam decimæ, uti jam dixi. Triplices enim decimæ Judæis ex lege erant præscriptæ. *Primæ* erant omnium frugum, gregum et armentorum, quæ totæ dabantur Levitis. *Secundæ* erant, quas ex novem partibus residuis Judæi separabant, ut ex eis euntes ad tabernaculum ibi cum Levitis et sacerdotibus epularentur. *Tertiæ* erant, quæ singulis trienniis separabantur et dabantur pauperibus, viduis, pupillis et Levitis in modum eleemosynæ, de quibus omnibus dixi *Deuteron.* XIV, 22. Primæ ergo et communes decimæ vocantur « initia sanctorum, » quia erant primitiæ cæterarum decimarum, puta secundarum et tertiarum ; omnes enim decimæ erant sanctæ, quia ex lege sanctificatæ et oblatæ Domino : primæ ergo erant « initia sanctorum. » Rursus quælibet decimæ, etiam secundæ et tertiæ, possunt dici « initia sanctorum, » quia ipsæ erant sanctificatæ Deo, et per eas cætera omnia bona, quorum hæ erant decimæ, quasi per sui partem et primitias censebantur Deo esse oblata et sanctificata. Insuper secundæ decimæ erant « initia sanctorum, » quia erant decimæ rerum jam per primas decimas Deo oblatarum et sanctificatarum ; sic et tertiæ erant « initia sanctorum, » quia erant decimæ rerum, quæ per primas et secundas decimas Deo erant quasi oblatæ et dedicatæ. Unde ad tertias spectat, quod sequitur : « Et pauperi porrige manum tuam, ut perficiatur propitiatio et benedictio tua. » Igitur hic Siracides complectitur quatuor genera rerum sacerdoti debitarum, scilicet *primo,* primitias; *secundo,* sacrificia et victimas ; *tertio,* sacrificium sanctificationis, id est, vota ; *quarto,* initia sanctorum, id est decimas.

Quarto.

Quinto. *Quinto*, planissime et aptissime, per *initia*, sive primitias sanctorum, accipias dona et oblationes pro templo, puta pro ejus sartis tectis, ornatu, vasis, supellectile, panibus, oleo, etc. Nam Sanctum, vel in plurali Sancta (ob eximiam sanctitatem) vocatur tabernaculum, sive templum. Rursum Hebræi initia, sive primitias, vocant omnem oblationem et omne donum, quod Deo offertur; sicut ergo vers. præcedenti sanxit primitias (sub quibus et decimas intelligit) sacerdotibus ex lege debitas, sic hic sanxit primitias, id est, oblationes fabricæ et templo faciendas, perinde ac Canones in lege nova præcipiunt oblationes fidelium applicari non tantum sacerdotibus, sed et fabricæ templorum.

Mystice sunt eleemosynæ. Mystice, Rabanus hæc omnia refert ad eleemosynam : sic enim legit et connectit : « Datum brachiorum, et sacrificium sanctificationis offer initia sanctorum, et pauperi porrige manum tuam, » etc. *q. d.* Eleemosyna, quæ datur pauperi, est « datum brachiorum, » quia brachiis robustis et liberalibus datur ; eadem est « sacrificium sanctificationis : » *sacrificium*, quia in honorem Dei datur; *sanctificationis*, quia dantem sanctificat, vel ad sanctitatem disponit : ideoque vocatur « initia sanctorum, » quasi initium sanctitatis et justificationis.

Mystice, rursum nonnulli hoc accommodant Religiosis. Hi enim externis operibus per bona brachiorum designatis, necdum satiati, interna opera contemplationis et lectionis adjiciunt, atque in altari cordis holocaustum sanctificationis, id est seipsos, igne charitatis absumunt.

Vers. 36. 36. ET PAUPERI PORRIGE MANUM TUAM, UT PERFICIATUR PROPITIATIO ET BENEDICTIO TUA. — τὸ *propitiatio* jam non est in Græco, nec in Syro, qui sic habet : *Etiam pauperi extende manum tuam, ut compleantur benedictiones tuæ. Benedictio*, Græce εὐλογία, significat beneficentiam, liberalitatem, largam donationem. Unde Tigurina, vel potius Vatablus vertit : *Ut plena sit tua munificentia expiatioque, q. d.* Non sufficit beneficum esse in sacerdotes, quia hoc omni jure est debitum; sed, ut plena sit beneficentia, oportet eam extendere ad pauperes : illa enim pura est, pureque fit ex amore Dei, cum a paupere non speretur retributio. Hinc Deus pauperes sibi arrogat : « Tibi, inquit Psaltes, derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor, » *Psal.* IX, 34. Unde hac beneficentia in pauperes, provocat eleemosynarius vicariam Dei in se benedictionem et beneficentiam, etiam in temporalibus, juxta illud : « Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet. » Vide sequentia II *Cor.* IX, 6. Quocirca recte Noster addidit τὸ *propitiatio* : eleemosyna enim propitium nobis facit Deum, ac peccata expiat, *Daniel.* IV, 24.

Vers. 37. 37. GRATIA DATUS (corrige cum Romanis, *dati*) IN CONSPECTU OMNIS VIVENTIS, — *q. d.* Datum, sive donum gratum est omni viventi. Syrus : *Misericordia enim est in oculis omnium creaturarum, q. d.* Omnes eam amant. « Ubi enim est oculus, ibi est et amor : ubi manus, ibi et dolor ; » Tigurina : *Gratiosa est apud vivos omnes munificentia, ac ne a mortuo quidem prohibenda ;* alii : *Gratiam habet donum apud omnem viventem.* Quare perperam Dionysius hæc cum vers. præcedenti ita connectit et explicat, *q. d.* Ut perficiatur benedictio tua tibi conferenda in die judicii, in conspectu omnis viventis, gratia dati, id est, propter eleemosynam pauperibus datam.

Benefic. mortuis debita. Primum. ET MORTUO (Syrus, *a mortuo*) NON PROHIBEAS GRATIAM. — Alii, *mortuo ne deneges benignitatem*, vel beneficium. Multiplex enim mortuo debetur. Primum, funeris et sepulturæ, in quo mire laudatur Tobias. Hinc et Canones sanciunt pro sepulcro et loco sepulturæ non licere exigere pretium, sed illum gratis esse concedendum. Audi concilium Triburiense *can.* 16, quod citatur 13, Quæst. II, cap. XIV : « In Ecclesiastico, inquit, scriptum est : Mortuo non prohibeas gratiam, sciens quoniam omnes moriemur. Et : Omnia quæ de terra orta sunt, in terram convertentur. Quid terra terram vendis? Memento quod terra es, et in terram reverteris (Et alibi de homine dictum est : Terram teris, terram geris, et in terram converteris, qui de terra sumeris). Et : Quoniam mors ibi futura est, et appropinquat ; et si tardat, recordare quia non hominis est terra, sed Domini est terra et plenitudo ejus. Si terram vendis, invasione rei Dominicæ reus teneris. Gratis accepisti a Deo, gratis da pro eo. Quare interdictum sit omnibus omnino Christianis terram mortuis vendere, et debitam sepulturam denegare. » Secunda et potissima gratia, sive beneficium mortuis exhibendum, est oratio, sacrificia et suffragia pro eorum salute, ut a pœnis Purgatorii liberentur, et Dei visione cœloque donentur, uti fecit Judas Machabæus II *Machab.* XII, 43. Unde postquam præcepit eleemosynam viventibus dari, ne quis ab ea excludat mortuos, subjicit his quoque eam esse faciendam, præsertim quia eleemosynæ quæ fiunt viventibus pro salute mortuorum horum, pariter sunt eleemosynæ, idque majori fructu et commodo. Tertia gratia est, ut eorum memoria et monumenta conserventur, ac fama et honor defendatur : item ut eorum filii, filiæ, uxores et nepotes juventur, alantur, protegantur. Vide S. Augustinum lib. *De Cura pro mortuis*, ubi, cap. IX, refellit Poetas et Gentiles, qui censebant animas velut umbras vagari, nec posse inferni fluvium transmeare, quamdiu corpora manebant insepulta. Vide eumdem lib. IX *Confess.* cap. XII, de sepultura S. Monicæ matris suæ, ac S. Dionysium Areopagitam, *Ecclesiast. Hierarch.* cap. VII ; S. Cyprianum lib. I, epist. 9 *ad Furnitanos ;* S. Ambrosium, lib. *De Tobia*, cap. I ; S. Chrysostomum, homil. 69 *ad Popul.* ; Nazianzenum, oratione *in Cæsarium*. Quanta Gentilibus fuerit cura sepulcri, vide apud Alexandrum ab Alexandro, lib. III *Genial.* cap. III, et ibidem Tiraquellum.

Secundum.

Tertium.

Vers. 38. 38. NON DESIS PLORANTIBUS (ob mortem parentum, aliamve calamitatem) IN CONSOLATIONE, ET CUM LUGENTIBUS AMBULA, — lugendo cum lugentibus, ut vertit Tigurina, et flendo cum flentibus' uti monet Paulus *Rom.* XII, 15. Syrus : *Neque differas* (moreris, tardes) *a domo plorantis, et cum omnibus mœrentibus mœrens esto.* Non enim sufficit plorantes verbis consolari; sed et cum iis lugentibus lugere et plorare oportet. Hac enim luctus communione dolor alleviatur, quia in alios dividitur, et ab iis quasi sustentatur. Ita fecit Job dicens cap. XXX, 25 : « Flebam super eo qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi. »

Prima. Hæc ergo *prima* est ratio cur compassione levetur dolor afflicti : quia, scilicet, compatiens aperit cor afflicti dolore occlusum et oppressum, facitque ut dolor effluat et in se derivetur. Unde S. Ambrosius lib. III *Offic.* cap. ult.: « Solatium, inquit, hujus vitæ est, ut habeas cui pectus aperias tuum, ut colloces tibi virum fidelem, qui in prosperis gratuletur tibi, in tristibus compatiatur, in persecutionibus adhortetur, etc., qui in lætis exsultantem comprimat, in tristibus mœrentem erigat. »

Secunda. *Secunda* est, quod compatiens afflicto, ideoque consiliorum inopi, sana consilia ad dolorem mitigandum suggerat, quæ dolor patientis in seipso inveniri non sinit. Unde *Proverb.* XXVII, 9, dicitur: « Unguento et variis odoribus delectatur cor, et bonis amici consiliis anima dulcoratur; » Septuaginta : *Disrumpitur autem a calamitatibus anima.* Unde et illud Philosophi : « Animo ægrotanti medicus est oratio. »

Tertia. *Tertia,* quod compatiens amor et affectus tantum subinde est bonum, quantum malum est ipse dolor patientis : quare positus in bilance illi æquiponderat, tantumque solatur et lætificat patientem, quantum eum dolor affligit et cruciat. Rursum compatiens patienti dat quasi partem cordis sui : quare patiens duplici quasi corde, puta tam suo quam amici roboratus, levius fert dolorem. Ita S. Gregorius, lib. XX *Moral.* XXVI, in illud Job XXX, *Flebam super eo, qui afflictus erat* : « Exteriora largiens, inquit, rem extra semetipsum præbuit. Qui autem fletum et compassionem proximo tribuit, ei aliquid etiam de semetipso dedit. » Addit deinde novam rationem : « Idcirco autem plus compassionem quam datum dicimus : quia rem quamlibet plerumque dat etiam, qui non compatitur ; nunquam autem qui vere compatitur, quod necessarium proximo conspicit, negat. »

Quarta. *Quarta,* quod patiens sit quasi in mari amaritudinis demersus, ex quo per se emergere nequit : compatiens ergo compassionis affectum ei exhibens, quasi manum ei præbet, qua eum extrahat; sicut piscatores escam suggerunt pisci, ut eum e mari educant. Affectus enim est quasi esca, qua patientem adescat, itaque secum elevat ad robur et spem melioris fortunæ. Ita S. Gregorius lib. III *Moral.* cap. X : « Ordo, inquit, consolationis est, ut, cum volumus afflictum quempiam a mœrore suspendere, studeamus prius mœrendo ejus luctui concordare. Dolentem non potest consolari, qui non concordat dolori; quia in eo ipso quod a mœroris afflictione discrepat, minus ab illo recipitur, a quo mentis qualitate separatur. Emolliri itaque prius debet animus, ut afflicto congruat, congruens inhæreat, inhærens trahat. Neque enim ferrum ferro conjungitur, si non utrumque exustione ignis liquetur ; et durum molli non adhæret, nisi prius ejus duritia temperata mollescat, ut quasi hoc ipsum fiat, quod curatur ut teneat. Sic nec jacentes erigimus, nisi a rigore nostri status inclinemur. Amici igitur B. Job, ut afflictum a dolore suspenderent, curaverunt necessario simul dolere. » Nostræ ergo lacrymæ lacrymantium lacrymas detergunt et desiccant; sicut pluvia pulverulenta, quæ pulverem excitat, desiccat, non humectat.

Vers. 39. 39. NON TE PIGEAT VISITARE ÆGROTUM : EX HIS ENIM IN DILECTIONE FIRMABERIS. — Græca : *Ne pigriteris* (et sic legit S. Cyprianus lib. III *Testimon.*) *visitare ægrotum : ex his enim diligeris ;* Syrus : *Neque tædeat te visitare infirmos, quia propter hæc diligeris ;* Tigurina : *Ne dubites invisere ægrotum ; nam gratiam ex eo colliges.* Græcum enim ὀκνεῖν, significat pigere, tædere, gravari, dubitare, differre, negligere, timere, tardare, ægre et gravatim facere, omittere. Unde ὄκνος est cunctatio, ignavia, segnities, tarditas, dubitatio, timor. Hi enim affectus connexi sunt, et unus ex alio nascitur, eumque comitatur. Inde Ocnus ille fabulosus piger apud Ovidium. Quia enim morbi et morbidi nihil læti, sed omnia tristia, ipsamque mortem afferunt et repræsentant, hinc oritur tædium et pigritia eos visitandi. Jubet ergo hoc tædium superari fervore charitatis, uti fecit noster S. P. Ignatius Parisiis ab ægro, licet sibi infido, accersitus Rothomagum. Tribus enim primis leucis tantam sibi a dæmone sensit injici gravedinem, ut videretur sibi habere pedes plumbeos ; sed illud constanter tolerans et superans discussit adeo, ut reliquum itineris currendo instar cervi, divinis consolationibus affluens peregerit, uti refert Ribadeneira lib. V Vitæ ejus, cap. II. Signum ergo languentis et deficientis dilectionis est, ægre et pigre visitare infirmos. Unde in concilio Toletano, *can.* 2, quod citatur distinct. XXV, canon. *Unum,* inter alia peccata venialia igne Purgatorio expianda, ponuntur hæc : « Quoties plus loquitur quam oportet, plus facit quam expedit : quoties pauperes importune petentes exasperat : quoties in carcere positos tardius requisiverit, et infirmos tardius visitaverit. »

Rursum τὸ *visitare,* non solum adire et visere, sed et solari, consulere, benefacere, omnique ope juvare significat. Denique ex his, scilicet, omnibus jam dictis, puta dando eleemosynas,

tam mortuis quam viventibus, plorantes solando, infirmos visitando, « in dilectione firmaberis : » hæc enim sunt officia et actus dilectionis; actus autem firmant et intendunt habitum. Non facile, ait Palacius, a dæmone vincetur, qui infirmos visitare contendit; infirmi infirmitas firmat infirmam charitatem. Rursum ex his operibus in Dei dilectione firmaberis, quia firmius te diliget Deus, ac ideo non patietur te in peccata prolabi.

Ratio a priori est, quod visitare infirmos ex charitate sit actus charitatis : actus autem augent et firmant habitum : si quis visitet ægrum non proprie ex motivo charitatis, sed misericordiæ, vel alterius virtutis, etiam sic firmatur charitas. Nam virtutes omnes inter se connexæ, et earum vinculum est charitas : quocirca charitas per actus aliarum virtutum, præsertim misericordiæ et pietatis, nutritur, augetur et roboratur. Videtur, ait Dionysius, interpres in Græco legisse ἀγαπήσεις, active, id est amabis, diliges ; hoc est, in amore et dilectione cresces et firmaberis : significatur enim actus continuatus, non inchoatus. Jam legunt passive, ἀγαπηθήσῃ, id est *diligeris* : cui quoque adaptari potest nostra versio Latina, « in dilectione firmaberis, » si dilectionem non activam, sed passivam accipias, *q. d.* Per hæc augebis tui amorem, facies ut magis diligaris a Deo et hominibus, ac vicissim eos magis active diliges, tum quia amor provocat amorem, magnes enim amoris est amor; tum quia Deus illis, quos magis diligit, majorem gratiam et amorem infundit, quo vicissim eum magis amant et diligunt. Amor enim Dei est efficax, paritque sui amorem reciprocum. Summa, plenus erit sensus omnes versiones concilians, si dilectionem activam, æque ac passivam intelligas, *q. d.* Per hæc officia pietatis cresces in dilectione, ideoque vicissim magis diligeris a Deo et hominibus. Ita Dionysius.

Verum mihi valde fit verisimile, Siracidem seniorem qui hebraice hunc librum scripsit, scripsisse hoc loco תאהב *taohab*, quod est futurum conjugationis *hophal*, id est, *in dilectione poneris et firmaberis*. *Hophal* enim habet significationem passivam duplicem : respondet enim conjugationi *hiphil*, quæ est duplex activa. Igitur אהב *ahab*, sicut in *hiphil* significat, *fecit amare*, sic in *hophal* significat, *factus est amare*, vel firmatus est in amore. Unde *taohab*, quod est futurum *hophal*, significat *firmaberis in dilectione*. Hinc fit verisimile, nostram versionem Latinam traductam esse immediate ex Hebræo. Idipsum in Græco voluit imitari Siracides junior : itaque per τὸ ἀγαπηθήσῃ voluit significare non simplex passivum, scilicet, *diligeris;* sed duplex, scilicet, *incitaberis ad dilectionem*, in eaque firmaberis : sic enim vertit Latinus, et hoc significat Hebræum *taohab*. Igitur ἀγαπηθήσῃ, idem est quod ἐν ἀγάπῃ τεθήσῃ, id est, in amore collocaberis : et forte ita vertit Siracides, vel ἐν ἀγάπῃ στηριχθήσῃ, id est, in amore firmaberis. Sic exponit S. Augustinus illud *Genes.* XXII, 12 : « Nunc cognovi, quod times Deum. » *Cognovi*, id est, cognoscere te feci : Deus enim idipsum ante cognoscebat. Et illud *Roman.* VIII, 26 : « Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. » *Postulat*, id est, postulare nos facit. Nec enim Spiritus Sanctus gemere potest.

Moraliter, disce hic quam utile et sanctum sit visitare infirmos. Quod enim infirmis fit, Christus sibi factum æstimat. Unde in die judicii electis dicet : « Infirmus eram, et visitastis me, » *Matth.* cap. XXV, 36. Qui ergo infirmum visitat, Christum visitat. Quocirca S. Bonaventura in *Stimulo divini amoris*, cap. 1 : « Cur, inquit, anima, tota die anxiaris post Christum? Indicabo tibi quem diligit anima tua. Certe in infirmaria jacet, et ibi angustiatur, ibi torquetur. Curre, et sibi ministra, sibi compatere infirmanti. » Hæc ipse simplici, sed incenso stylo. S. Gregorius Nazianzenus, orat. 27 *De Cura pauperum* : « Pauperi, inquit, subveni, vestem præbe, medicamentum adhibe, vulnus alliga, de calamitate percontare, de patientia orationem habe (hæc enim, adeoque omnem opem, quæ re verbove fit, includit τὸ *visitare ægrotum*). Bono esto animo, accede. Haud quaquam ex ea re labefactaberis; haud quaquam vitium contrahes, etiamsi homines nimium molles et delicati hoc existiment, inanibus rationibus decepti, vel potius hoc sive mollitiei suæ atque inertiæ, sive impietati prætexant. » Idem Nazianzenus, *orat.* 20, mire celebrat S. Basilium, quod Cæsareæ nosodochium ædificarit, ægros omni ope adjuverit, quin et eorum vulnera osculatus sit, in iis contemplans Christum : « Quocirca, inquit, ne labra quidem vir generosus, et generosis parentibus ortus, nominisque splendore clarissimus, ægrotis admovere gravabatur. » Plura hujus rei heroica heroum exempla, uti S. Gallicani, Placillæ Imperatricis, Radegundis, Eustachii, S. Mariæ Oigniacensis, etc., exempla recensui *Isaiæ* XXXVIII, in calce capitis, et *Jacobi* I, 27.

Moralis de visitatione ægrorum.

Quomodo consolandi et admonendi sint ægri, vide apud S. Gregorium III parte *Pastor.*, Admon. 13. Idem S. Gregorius, lib. XX *Moral.* XXVI, subtiliter docet quomodo visitans ægros in dilectione firmetur : quia, scilicet, ex dilectione ægri dolores per compassionem in se transcribit, qui est insignis dilectionis actus. « Ille, inquit, perfecte tribuit, qui cum eo, quod afflicto porrigit, afflicti quoque in se animum sumit; ut prius in se dolentis passionem tranferat, et tunc contra dolorem illius per ministerium concurrat. » Illustrat id exemplo Christi : « Qui cum posset nobis etiam non moriendo succurrere, subvenire tamen moriendo hominibus voluit, quia, videlicet, minus amaret, nisi et vulnera nostra susciperet; nec vim nobis suæ dilectionis ostenderet, nisi hoc, quod a nobis tolleret, ad tempus ipse sustineret. » Idem, homil. 39 *in Evangel.*, illustre recenset exemplum. Martyrius monachus, inquit,

leprosum in via repertum, in humeros sustulit. « Statim vero ut ad monasterii aditum pervenit, is qui leprosus esse putabatur, de collo ejus exsiliens, et in ea specie apparens, qua recognosci ab hominibus solet Christus Jesus, ad cœlum Martyrio aspiciente rediit, eique ascendens dixit : Martyri, tu me non erubuisti super terram, ego te non erubescam super cœlos. » Leo IX Pontifex leprosum ante fores repertum in proprio lecto collocari jussit, qui mane quæsitus nusquam inventus est. Creditum est Christum pauperis specie eo loci recubuisse. Ita Platina, et alii in Vita Leonis IX.

Vers. 40. 40. IN OMNIBUS OPERIBUS TUIS MEMORARE NOVISSIMA TUA, ET IN ÆTERNUM NON PECCABIS. — « Ultimo ponit, ait Lyranus, directivum totius vitæ humanæ, sicut nauta sedet in ultima parte navis, ut dirigat eam, » ut, scilicet, acrem det stimulum ad studia charitatis et virtutum, ac adimplenda Dei præcepta, quæ multa hoc capite assignavit, et plura deinceps assignabit, ne quod eorum tædium surrepat. Hæc ratio est a priori. Finis enim, qui in novissimis includitur, est principium agibilium, ut docent Philosophi : omnia enim agunt propter finem ; ac præsertim in Ethica finis hominis, qui est beatitudo, eum movet et impellit ad fugam peccati et amplexum virtutis, quasi ad media quibus beatitudo obtinetur. Græca quædam legunt, ἐν πᾶσι τοῖς λόγοις, id est, in omnibus sermonibus vel verbis. Alia tamen legunt, ἔργοις, id est operibus. Ita legit Noster, idque melius et plenius : non enim in solis verbis, sed in omnibus actibus oportet meminisse novissimorum. Adde, Hebr. דבר *dabar*, id est verbum, sæpe pro facto sumi. Syrus : *In omnibus operibus tuis memor esto finis, et in æternum non peccabis*, scilicet, nunquam mortaliter, raro venialiter, ait Dionysius. Novissimorum enim intenta cogitatio retrahit a malo, et incitat ad omne bonum. Rursum, ut ait Rabanus : « Nemo potest perfecte peccatum devitare, et operibus justitiæ deservire, nisi qui sperat se quotidie de hoc mundo migrare. Qui enim considerat, qualis est in morte, semper fit timidus in operatione ; unde in oculis suis quasi jam non vivit, nil quod transit appetit, cunctis præsentis vitæ desideriis contradicit, et pene mortuum se considerat, quia moriturum minime ignorat : perfecta enim vita est mortis meditatio, quam dum justi sollicite peragunt, culparum laqueos evadunt. »

Quocirca S. Augustinus in *Speculo peccat.* cap. I : « Consideratio, ait, hujus sententiæ, destructio est superbiæ, extinctio invidiæ, medela malitiæ, effugatio luxuriæ, evacuatio vanitatis et jactantiæ, constructio disciplinæ, perfectio sanctimoniæ, præparatio salutis æternæ. » Et cap. VI : « Ne pereas, vide in hoc speculo quid es, et quid eris; cujus conceptio tabes menstrua, origo lutum, putredo finis. » Et cap. VII : « Quid tunc proderit appetitus cibi exquisiti, potus delicatus, vestis curiositas, calceamenti speciositas, carnis mollities, ventris ingluvies, ciborum superfluitas, crapula et ebrietas, domorum constructio, præbendarum acquisitio, divitiarum aggregatio? » Hæc Augustinus vel quisquis est auctor; nam cap. III citat versus Boetii, qui 170 annis fuit posterior S. Augustino.

Regula certa actionum omnium, memoria novissimorum.

Porro novissima sunt quatuor, mors, judicium, ac gehenna, et cœlestis gloria : utraque æterna, quibus qui non movetur, vel pecus est, vel lapis, non homo ; chalybs est, silex est. Tradit hic Siracides regulam certam, quæ omnes actiones nostras regulet, ordinet, sanctificet, nimirum hanc : In singulis operibus illud eligito, illud agito, quod in hora mortis voles te elegisse et egisse : « In omni opere suo dicat quisque sibi ipsi : Si modo moriturus esses, faceres istud? » ait S. Bernardus in *Speculo monach.* In singulis operibus illud eligito, illud agito, quod in die judicii, cum coram terribili tribunali Christi eorum rationem redditurus stabis, optabis te elegisse et egisse. Nihil agas, cujus in æternum te pœniteat, quod te egisse jugiter lugeas, et luas in gehenna. Stude quam optime et perfectissime singula peragere, ut de omni gaudeas, et maximis præmiis doneris in cœlo.

Quocirca S. P. Ignatius, fundator Societatis nostræ, in *Exercitiis spiratalibus*, has in dubiis, sive de vitæ statu eligendo, sive de alia re qualibet resolvenda, securas dat praxes et modos eligendi : Illum statum elige, illam partem in dubio capesse, quam voles te elegisse in articulo mortis; quod optabis te elegisse et capessivisse in die judicii, illud nunc elige et capesse. Tunc enim purum habebis judicium, quod nunc ob passiones, commoda et concupiscentias sæpe obscuratur, imo excæcatur. Tunc sincere vereque judicabis de agendis, vel non agendis, quando rebus omnibus valedices, cum jam ob respectus humanos honorum, deliciarum vel opum, sæpe distorte et perverse de iis judices.

Hæc cogitatio et regula erit efficacior, si cogites novissima non procul abesse, sed brevi tibi obventura, rursum tibi incertum esse, quo die vel hora te occupatura sint. Quocirca omni die et hora te ad illa subeunda debere esse paratum et expeditum : « Quia, qua hora non putatis, Filius hominis veniet, » uti præmonuit Christus, *Lucæ* XII, 40. Nam a morte bona pendet beata æternitas; a mala, infelix et miserrima. Cujus disparitatis symbola sunt muræna et scorpius : muræna enim in cauda animam et vitam gerit, potius quam in capite; scorpius vero in cauda gerit spiculum mortis. « Murænas, ait Plinius lib. XXII, cap. II, animam in cauda habere certum est, » ideoque « ea icta celerrime exanimari, at capitis ictu difficulter. » Sic Sancti animam habent in cauda, quia mentem defixam habent in cogitatione novissimorum, ut per bonam mortem transeant ad beatam immortalitatem. At dæmon quasi scorpius capite blanditur, cornibusque amplexa-

tur, sed ut detentum spiculo caudæ transfigat et perimat : sic enim suis initio peccati illecebras exhibet, sed eosdem in morte spiculo damnationis configit, morientesque secum rapit ad tartara. Quocirca S. Isidorus, in fine *Chronici* : « In omnibus, inquit, operibus memorare novissima tua. Quando enim unusquisque de sæculo migrat, tunc illi consummatio sæculi est. » Et Nazianzenus in *Sententiis* : « Mortem, inquit, velut præsentem semper tibi ob oculos pone; ita enim fiet, ut cum ipsi occurrendum erit, superior existas. »

Causa. Causam dat S. Bernardus serm. 2 *in Festo SS. Petri et Pauli* : « Fili, ait Sapiens, memorare novissima tua, et non peccabis; nimirum, quod hæc cogitatio maxime facit timoratum, timor expellat peccatum, negligentiam non admittat. Novissima autem nostra sunt, mors, judicium, gehenna. Quid horribilius morte? quid judicio terribilius? nam gehenna nihil potest intolerabilius cogitari. Quid metuet, si quis ad ista non trepidat, non expavescit, non timore concutitur? In omnibus operibus tuis memorare novissima tua: mortis horrorem, judicii tremendum discrimen, ardentis gehennæ metum ab oculis cordis tui elongari nullatenus patiaris. Time, o homo, quod in morte separandus es a bonis omnibus hujus corporis, et tam dulce carnis et animæ vinculum amarissimo secandum divortio erit. Time, quod in terribili judicio ei præsentandus es, in cujus manus horrendum est incidere; et eo examinante quem nihil latet, si quidem inventa fuerit in te iniquitas, alienandus ab universitate quietis et gloriæ, et segregandus a numero Beatorum. Time, quod in gehenna cruciatibus æternis et immensis exponendus es, in sorte diaboli et angelorum ejus, in igne æterno qui præparatus est eis. Dies novissimus quam sit exspectatione terribilis, fili, memorare novissima tua. » Et paulo inferius : « Unde nobis ista dissimulatio est, fratres mei? unde hæc tam perniciosa tepiditas? unde hæc securitas maledicta? Quid seducimus miseri nosipsos? Forsitan jam divites facti sumus; forsitan jam regnamus. Nonne ostium domus nostræ horribiles spiritus illi obsident? Nonne exitum nostrum larvales illæ facies præstolantur? Quis ille pavor erit, o anima mea, cum dimissis omnibus, quorum tibi est tam jucunda præsentia, gratus aspectus, cohabitatio ipsa tam familiaris, sola ingrediens incognitam regionem, occursantia tibi catervatim ruere teterrima illa monstra videbis? Quis tibi in die tantæ necessitatis occurret? quis tuebitur a rugientibus præparatis ad escam? quis consolabitur? quis deducet? Filioli mei, memoremur hæc novissima nostra, ne peccemus. » Eadem repetit sermone *De primordiis, mediis et novissimis*, ubi et addit : « Nam in morte non magnum, non parvum aliquid de bonis hujus mundi tecum delaturus es; in judicio nec fallere, nec resistere possibile erit; in gehenna nulla penitus consolatio, sed perpetuum væ, ululatus et fletus et stridor dentium. »

Gnoma Patrum de memoria novissimorum.

Hic ergo fuit sensus, hic virtutis stimulus Doctorum et Sanctorum omnium. Audi S. Augustinum, lib. II *de Genesi contra Manich.* cap. XXVIII : Nihil, ait, sic revocat homines a peccato, quemadmodum imminentis mortis cogitatio : tunc enim anteactæ vitæ coram justissimo judice reddenda ratio erit. Et serm. 3 *De Innoc.* : « Si diem mortis suæ homines jugiter cogitare vellent, animam suam ab omni cupiditate vel malitia cohiberent. » Quod ipsum magis vere de memoria judicii, sempiternorumque suppliciorum affirmatur; sic enim ait Basilius in *Psalm.* XXXV : « Si quando te senseris ad aliquod provocari peccatum, ad mentem revoca formidabile illud, nec ulli mortalium tolerabile Christi judicium, et hoc quasi freno animam cohibe. » Et S. Ambrosius *ad Virgin. lapsam*, cap. VIII : « Si mente cernerent homines peccatores, quale judicium imminet mundo, sensus humanus non dispergeretur vanitate sæculari, si non infidelitate gravaretur. »

Quantam vero vim habeant inferorum supplicia ad animum ab ommi scelere revocandum, luculenter docuit Prosper lib. III *De Vita contemp.* cap. XI : « Cogitare quale malum sit ab illo gaudio divinæ contemplationis excludi, beatissima Sanctorum omnium societate privari, fieri patriæ cœlestis extorrem, mori vitæ beatæ, morti vivere sempiternæ, in æternum ignem cum diabolo et angelis ejus expelli, ubi sit mors secunda, damnatio, exsilium, vitæ supplicium, non sentire in illo igne quod illuminat, sentire quod cruciat, exundantis incendii terribiles crepitus pati, barathri fumantis cæca caligine oculos obcæcari, profundo gehennæ fluctuantis immergi, edacissimis in æternum dilaniari vermibus, nec finiri. Hæc et similia multa cogitare nihil est aliud, quam vitiis omnibus repudium dare, et omnia blandimenta carnalia refrenare. »

Audi S. Basilium *ad filium spirit.*: « Semper, ait, ante oculos tuos versetur ultimus dies. Cum diluculo surrexeris, ad vesperum te ambigas pervenire; et cum in lectulum ad quiescendum membra tua posueris, noli confidere de lucis adventu, ut facilius te possis refrenare ab omnibus vitiis. Semper cor tuum cœlestia promissa meditetur; omnia terrena, quæ possides, in cœlestes mansiones transfer. » Rursum S. Augustinus vel quisquis est auctor *Speculi peccatoris*, tom. IX, cap. III : « Sapientis, ait, est non tam cujuslibet rei principium prospicere, quam finem exitumque providere. Felix esse comprobatur, qui sic cogitat de supplicio ante supplicium, ut postea supplicii effugiat periculum. » Et cap. V : « Utinam saperes et intelligeres, quæ mundi sunt; et provideres, quæ inferni sunt! profecto Deum timeres, superna appeteres, mundum contemneres, et infernum horreres. In illa nimis metuenda extrema hora tua quis amicorum, quis parentum tuorum veniet

cum gladiis et armis auxilium ferre? Non enim erit tunc qui te consoletur ex omnibus charis tuis. Refugium tuum tantummodo apud Deum, » etc.

Post hominem vermis, post vermem fœtor et horror:
Sic in non hominem vertitur omnis homo.

Exempla Christianorum.

Fecit hoc S. Marcella, de qua S. Hieronymus in ejus Epitaphio, epist. 16 *ad Principiam* ejus filiam : « Annis, inquit, plurimis sic suam transegit ætatem, ut ante se vetulam cerneret, quam adolescentulam fuisse meminisset, laudans illud Platonicum, qui Philosophiam meditationem mortis esse dixit; unde et noster Apostolus, *Corinth.* XV : Quotidie, inquit, morior propter vestram salutem. Et Dominus : Nisi quis tulerit crucem suam quotidie, et secutus fuerit me, non potest meus esse discipulus. Multoque ante per Prophetam Spiritus Sanctus : Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus ut oves occisionis. Et post multas ætates illa sententia : Memento semper diem mortis, et nunquam peccabis. Disertissimique præceptum Satyrici :

Vive memor lethi, fugit hora; hoc quod loquor, inde est.

Sic ergo ætatem duxit et vixit, ut semper se crederet esse morituram; sic induta est vestibus, ut meminisset sepulcri, offerens se hostiam rationabilem, vivam, placentem Deo. »

Idem in Epitaphio Nepotiani *ad Heliodorum* : « Platonis, inquit, sententia est, omnem sapientium vitam meditationem esse mortis. Laudant hoc Philosophi, et in cœlum usque ferunt; sed multo fortius Apostolus: Quotidie, inquit, morior per gloriam vestram; aliud est enim conari, aliud agere : aliud vivere moriturum, aliud mori victurum. Ille moriturus est ex gloria, iste moritur ad gloriam. Debemus igitur et nos animo præmeditari quod aliquando futuri sumus, et quod velimus nolimus, abesse longius non potest : nam si nongentos vitæ excederemus annos, ut ante diluvium vivebat humanum genus, et Mathusalem nobis tempora donarentur, tamen nihil esset præterita longitudo, quæ esse desiisset: etenim inter eum qui decem vixit annos, et eum qui mille, postquam idem vitæ finis advenerit, et irrecusabilis mortis necessitas, transactum omne tantumdem est, nisi quod senex magis onustus peccatorum fasce proficiscitur.

Optima quæque dies miseris mortalibus ævi
Prima fugit, subeunt morbi, tristisque senectus,
Et labor, et duræ rapit inclementia mortis. »

Subdit exemplum Xerxis : « Xerxes ille rex potentissimus, qui subvertit montes, maria constravit, cum de sublimi loco infinitam hominum multitudinem, et innumerabilem vidisset exercitum, flesse dicitur, quod post centum annos nullus eorum, quos tunc cernebat, superfuturus esset. O si possemus in talem ascendere speculam, de qua universam terram sub nostris pedibus cerneremus! jam tibi ostenderem totius orbis ruinas : gentes gentibus et regnis regna collisa: alios torqueri, alios necari : alios absorberi fluctibus, alios ad servitutem trahi: hic nuptias, ibi planctum : illos nasci, istos mori : alios affluere deliciis, alios mendicare : et non Xerxis tantum exercitum, sed totius mundi homines qui nunc vivunt, in brevi spatio defuturos. Vincitur sermo rei magnitudine, et minus est omne quod dicimus. Redeamus igitur ad nos, et quasi e cœlo descendentes paulisper nostra videamus. Sentisne, obsecro, quando infans, quando puer, quando juvenis, quando robustæ ætatis, quando senex factus sis? quotidie morimur, quotidie commutamur; et tamen æternos nos esse credimus. Hoc ipsum quod dicto, quod scribitur, quod relego, quod emendo, de vita mea tollitur : quot puncta notarii, tot meorum damna sunt temporum. Scribimus atque rescribimus: transeant maria epistolæ, et scindente sulcum carina, per singulos fluctus ætatis nostræ momenta minuuntur. Solum habemus lucri, quod Christi nobis amore sociamur. »

Magnus ille Simeon Stylites, non nisi unum sermonem scripto reliquit, cujus titulus est: *De semper mente complectendo suum discessum*, ubi graphice depingit animæ peccatricis morientis angustias, cum a dæmonibus cingitur ut eam in tartara abripiant; atque ex adverso animæ sanctæ lætitiam, cum ab Angelis ducitur in paradisum. Exstat in *Biblioth. SS. Patrum*, in Appendice. Porro hic Simeon e columna quotidie bis docebat populum; tota autem ejus doctrina et concio erat de novissimis, « jubens in cœlum suspicere et evolare, ac e terra discedere, et regnum quod exspectatur, visione apprehendere, et gehennæ minas timere, et terrena contemnere, et futura exspectare, » ait Theodoretus in *Histor. Patrum*, cap. XXVI. Idipsum docebat re ipsa, puta statione et oratione continua, magis quam voce et concione; stabat enim jugiter suspiciens cœlum, Deumque deprecans quasi ad eum evadere gestiens.

S. Anselmus, epist. 5 *ad Burgundium et Richeram*, ejus conjugem : « Ponite, ait, quotidie ante oculos vestros finem vestrum: cogitate intentissime cujus erunt et quid vobis proderunt, quæ post vos remanebunt. Cogitate, quo ibitis, quid vobiscum portabitis, quid ibi quod præmissum a vobis sit, invenietis. Certe non portabitis vobiscum, nec invenietis ibi aliud, quam merita vestra, sive bona, sive mala. » Et mox: Hæc cogitate, hæc inter vos die ac nocte, in secreto et in publico tractate, hæc sint colloquia vestra invicem, domine mi, amica mea. Quid facimus, quid tardamus? prope est ultima dies nostra. Quomodo expendimus vitam nostram? quomodo satisfacimus Deo pro peccatis nostris? Præparemus nos quasi

videamus in proximo diem vocationis nostræ, et ita aptemus nos ut securi eamus ad judicium; quia recepturi sumus sine dubio, prout gerimus in hac vita, sive bonum sive malum. Deus junxit nos in hac vita : faciamus ut simul nos jungat in æterna vita, et ibi videamus prolem nostram, quam sibi Deus jam assumpsit. Hæc sint studia vestra, hæc sollicitudo, hæc suspiria vestra. »

S. Joannis Eleemosynarii.

Vis exemplum magis patheticum et vivum? Accipe : S. Joannes Eleemosynarius, ut novissimorum semper recordaretur, sepulcrum sibi exstrui, sed imperfectum relinqui curavit, ac monitorem statuit, qui diebus festis sibi coram omnibus diceret: « Monumentum tuum in hodiernum usque diem est imperfectum, domine: jube ergo ut id finem accipiat; incertum est enim qua fur ingrediatur, » nempe mors. Hæc cogitatio ad tantas eleemosynas eum exstimulavit. Ita Leontius in ejus Vita. Idem fecit Theodosius cœnobiarcha, cujus Vita exstat apud Surium die 11 januarii.

S. Rembertus Archiepiscopus Bremensis, ut habet ejus Vita, dictitabat primam Philosophiæ definitionem esse meditationem mortis. Hanc ergo jugiter præmeditabatur, et ad eam se disponebat, ut impleret illud Sapientis : « Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis. » Ubi enim non est timor mortis, ibi est dissolutio vitæ; ubi vero dissolutio vitæ, ibi peccatorum abundantia; et ubi hæc, ibi perditio animæ. Timor enim semper emendat, tollit securitatem, parit sollicitudinem, superbiam dejicit, humilitatem nutrit, charitatem auget et virtutes multiplicat. Celebris est sententia S. Hieronymi : « Facile contemnit omnia, qui semper cogitat se moriturum. » Et illa: « Sive comedo, sive bibo, sive studeo, sive quid aliud ago, semper ultima illa tuba insonat auribus meis: Surgite, mortui, venite ad judicium. »

Noster B. Franciscus de Borgia dictitabat boni viri, præsertim Religiosi, exercitium esse quotidie per 24 horas se præparare ad mortem; quodque ipse tunc recte constitutus erat, quando quolibet die dicere poterat cum S. Paulo : « Quotidie morior. » Ita Ribadeneira in Vita ejus, lib. IV, cap. v. Denique S. Job, cap. XIV, 14 : « Cunctis diebus, ait, quibus nunc milito, exspecto donec veniat immutatio mea. »

Gentilium.

Idem fuit sensus Gentilium. S. Maximus, *serm.* 36, narrat Musonium interrogatum quis optime extremum diem clauderet, respondisse : « Qui semper postremum vitæ diem sibi instare proposuerit. » Plato, uti jam dixi, censuit, « omnem sapientum vitam esse meditationem mortis. »

Apud Ægyptios in solemnibus conviviis unusquispiam cadaver ligneum quam proxime ad verum effictum, convivis singulis ostendens, dicebat : « In hunc intuens, pota et oblectare, talis post mortem futurus; » licet quo fine hoc fecerint, sit ambiguum. Testis est Herodotus, lib. III.

Aristippus in maris tempestate expallescens, ea sedata, cum ei quidam insultaret: « Cur vos, Philosophi, qui prædicatis mortem non esse formidandam, expallescitis in discrimine, nos indocti non timemus? Quoniam, inquit Aristippus, non de pari anima tibi mihique cura est ac metus. » Addit Gellius eum dixisse: Ego timeo animæ Aristippi, tu non times animæ nebulonis. » Ita Laertius lib. II, cap. VIII.

Secundus Philosophus, teste eodem Laertio, rogatus ab Adriano Imperatore quid esset mors, respondit: « Mors est æternus somnus, dissolutio corporum, divitum pavor, pauperum desiderium, inevitabilis eventus, incerta peregrinatio, latro hominis, somnii pater, fuga vitæ, vivorum discessio, resolutio omnium. » Denique Seneca in *Proverbiis*: « Omnis dies, inquit, velut ultimus ordinandus est. »

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prosequitur argumentum capitis præcedentis, quomodo scilicet quis prudenter se cum proximis gerere debeat, sed circa alia hominum genera. Rursum cap. præced. docuit quid proximo cuique præstari debeat: hic vero et sequenti, quid non præstari. Primo ergo docet non esse litigandum cum potente, divite, linguato, indocto; secundo, vers. 6, *docet non esse spernendos peccatores pœnitentes, nec senes, nec inimicos mortuos; tertio, vers.* 13, *docet non esse reprehendendos peccatores obstinatos, contumeliosos, fortiores, judices, iracundos, audaces; quarto, vers.* 20, *docet consilium non esse ineundum cum fatuis et extraneis. Summa, totum fere caput suadet pacem et tranquillitatem vitæ, ejusque obices et impedimenta indicat et dissuadet.*

1. Non litiges cum homine potente, ne forte incidas in manus illius. 2. Non contendas cum viro locuplete, ne forte contra te constituat litem tibi. 3. Multos enim perdidit aurum et argentum, et usque ad cor regum extendit et convertit. 4. Non litiges cum homine linguato, et non strues in ignem illius ligna. 5. Non communices homini indocto,

ne male de progenie tua loquatur. 6. Ne despicias hominem avertentem se a peccato, neque improperes ei: memento quoniam omnes in correptione sumus. 7. Ne spernas hominem in sua senectute: etenim ex nobis senescunt. 8. Noli de mortuo inimico tuo gaudere: sciens quoniam omnes morimur, et in gaudium nolumus venire. 9. Ne despicias narrationem presbyterorum sapientium, et in proverbiis eorum conversare : 10. ab ipsis enim disces sapientiam, et doctrinam intellectus, et servire magnatis sine querela 11. Non te prætereat narratio seniorum: ipsi enim didicerunt a patribus suis. 12. Quoniam ab ipsis dices intellectum, et in tempore necessitatis dare responsum. 13. Non incendas carbones peccatorum, arguens eos: et ne incendaris flamma ignis peccatorum illorum. 14. Ne contra faciem stes contumeliosi, ne sedeat quasi insidiator ori tuo. 15. Noli fœnerari homini fortiori te: quod si fœneraveris, quasi perditum habe. 16. Non spondeas super virtutem tuam: quod si spoponderis, quasi restituens cogita. 17. Non judices contra judicem : quoniam secundum quod justum est, judicat. 18. Cum audace non eas in via, ne forte gravet mala sua in te: ipse enim secundum voluntatem suam vadit, et simul cum stultitia illius peries. 19. Cum iracundo non facies rixam, et cum audace non eas in desertum: quoniam quasi nihil est ante illum sanguis ; et ubi non est adjutorium, elidet te. 20. Cum fatuis consilium non habeas: non enim poterunt diligere nisi quæ eis placent. 21. Coram extraneo ne facias consilium: nescis enim quid pariet. 22. Non omni homini cor tuum manifestes, ne forte inferat tibi gratiam falsam, et convicietur tibi.

PRIMA PARS CAPITIS.

CUM QUIBUS NON SIT LITIGANDUM.

Vers. 1. 1. NON LITIGES CUM HOMINE POTENTE, NE FORTE INCIDAS IN MANUS ILLIUS. — Pro *litiges,* græce est διαμάχου, quod significat certare, tam verbis quam verberibus, puta tam litigare quam pugnare. Insipiens enim est, qui cum potentiore se contendit, sive lite forensi, sive pugnis vel armis, quia certum est periculum, quod illi succumbet, et in ejus laqueos incidet, ab eoque vincetur et proteretur. Unde Tigurina, puta Vatablus, vertit, *ne concertes cum homine potente ;* Syrus vero, *ne converseris cum homine qui est asperior te, ne forte incidas in manus ejus.* Huc facit proverbium Latinum : « Hinnulus leonem, » supple provocat; imo, si sapit et sibi consultum velit, ne provocet ad litem vel duellum.

Cum potentiore non litigandum. Gnomæ. Parallelæ Siracidi sunt aliarum gentium et sapientum sententiæ. Celebris est illa Alcibiadis : « Cum licet fugere, ne quære litem. » Et illa S. Gregorii Nazianzeni in *Distichis :* « Ut peritus gubernator tempestates, quoad fieri potest, devitat, sic sapientis animus gravia omnia et periculosa. » Lis autem omnis gravis est et periculosa, sed maxime ea quæ cum principe vel potente suscipitur. Nam, ut ait Seneca in *Proverbiis :* « Tempestas grandis est indignatio regis. » Arabum est adagium, *Centur.* 1, num. 2: «Ne jace sagittas in idolum ferreum, » id est, ne jace verba tua in eum qui fortior te est; « neque obsiste adversarius illi qui tibi præpollet. » Sagittæ enim in idolum ferreum jactæ illud non transfigunt, sed resultantes jacientem potius lædunt : sic potentes imbecillorum conatibus non læduntur, sed eos potius in ipsos retorquent. Cato in *Distichis :*

Cede locum læsus fortunæ; cede potenti :
Lædere qui potuit, poterit quandoque juvare.

Præclare Nazianzenus in *Tetrastichis :*

Non obtinere cuncta, nec semper, stude.
Bene vinci ames plus, improbe quam vincere
Athleta. nam non vincitur, quisquis jacet
Humi ; sed hostem sæpe sternens dejicit.

Apologus. Elegans hac de re exstat apologus leonis et vulpis, apud Gabriam, aliosque mythologos : « Amicitiam, inquit, quodam tempore junxere inter se leo, asinus, vulpes, atque ita communiter venatum exiere. Copiosa autem præda parta, jubet asinum leo illam dividere; qui similiter in tres æquales partes distribuens, sorte putabat decerni oportere, quid quisque deberet sumere. Ob hæc leo ira commotus in asinum irruit, et dilacerat, atque devorat miserum. Tum vulpem dividere jubet. At illa, in acervum congestis uni-

versis, sibi exemit parvulam portiuncuiam; atque hanc justam divisionem esse dixit, ut leoni, cujus non solum auspiciis, sed etiam laboribus omnia essent quæsita, plurima extra sortem cederent. Cui leo : Quis te, inquit, optima vulpecula, tam scite partiri docuit? Asini, respondit vulpes, mi leo fortissime, asini socii nostri casus. » Similis est apologus Phædri, lib. I *Fabularum*, cap. V : « Vacca, inquit, capella, ovis et leo in venatione cepere cervum, quo in quatuor partes diviso, dixit leo :

Ego primam tollo, quia nominor leo;
Secundam, quia sum fortis, tribuetis mihi;
Tum, quia plus valeo, me sequatur tertia;
Malo afficietur, si quis quartam tetigerit.
Sic totam prædam sola improbitas abstulit.

Affabulatio :

Nunquam est fidelis cum potente societas.

Ex hoc apologo dicta est leonina societas, cum omne commodum ad unum redit, reliquis vi fraudatis, qualis solet esse plebeiis cum præpotentibus. Exstat in *Pandectis*, in quibus ex Ulpiano refert Aristo, Cassium respondisse societatem talem coire non posse, ut alter lucrum tantum, alter damnum sentiret, et hanc societatem leoninam solitum appellare. Similem apologum ollæ et cacabi assignabit Siracides, cap. XIII, 3. Accedit quod sicut cameli (et elephantes) bibituri prius pedibus turbant aquam, ne in limpida videant suum gibbum et deformitatem. « Cameli bibunt, ait Plinius lib. VIII, cap. XVIII, obturbata conculcatione prius aqua. » Sic potentes sua auctoritate, famulatu, clamoribus, minis, turbant rei narrationem et veritatem, ne eorum causa iniquitas, tyrannis et fastus appareat. Frustra ergo cum eis litigas, qui aquam veritatis et justitiæ, limo clamorum et mendaciorum conturbant et obscurant, ut quod æquum justumque est, cerni nequeat.

Quare cum potente litigare, idem est quod cum igne belligerari, cum ignem lædere nequeas, sed certe ab eo lædendus sis et urendus : idem est ac si pusio Herculem, canis leonem, lepus lupum provocet ad duellum, quo, scilicet, ipse cædatur, lanietur ac devoretur. Quid stultius? Quocirca Favorinus sapienter cessit Hadriano imperatori, cui tamen erat infensissimus. Rogatus causam dixit : « Quidni cedam ei qui viginti tenet legiones. » Ita Ælianus in *Varia Histor.* Et Artaxerxes Aclidæ dicaci dixit : « Tibi quidem licet, quælibet in regem proloqui; mihi vero non tantum proloqui, sed et efficere. » Augustus in Pollionem fescenninos scripserat ludibrii causa. Tum Pollio : « At ego, inquit, taceo; non est enim facile in eum scribere, qui potest proscribere, » uti idem proscripsit Ovidium, et Ciceronem dedidit Antonio occidendum. Demosthenes multa dixerat in Alexandrum : quidam ergo eum corripuit hoc versu Homeri *Odyss.* α :

Cur libet irritare virum, miserande, ferocem?

Radix et causa est, quam assignat Aristoteles lib. II *Polit.* cap. V, ex eaque civitatem et rempublicam ita ordinat et disponit : « Improbitas, inquit, hominum insatiabilis est : et primo quidem sufficere dicunt pauca atque minima; mox vero ubi illa sunt consecuti, plura appetunt semper, quousque in infinitum procedant : infinita est enim cupiditatis natura, ad cujus expletionem plurimi vivunt. Horum igitur principium est, magis quam patrimoniorum exsecutio, civitatem sic instituere, ut boni quidem viri plus quam sibi competat, habere non quærant; improbi autem, et si quærant, habere non possint; hoc autem fiet, si inferiores sint, nec injuriam patiantur. »

Symbolice, homo potens est ratio et lex; hæc potens est, quia omnes per obligationem sibi subditos habet, et prævaricantes potenter punit : ne ergo in manus et vindictam ejus incidas, noli cum ea litigare, sed ei consenti et obedi juxta consilium Christi *Matth.* V, 25 : « Esto consentiens adversario tuo, cito dum es in via cum eo; ne forte adversarius tradat te judici, et judex tradat te ministro, et in carcerem mittaris. Amen dico tibi : Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem. » Mystice enim « adversarius, » græce ἀντίδικος, id est accusator, vel actor contra reum, est Dei lex, inquit S. Augustinus lib. I *De Sermone Domini in monte*, Anselmus et Beda in *Matth.* V. Via est vita præsens, judex Christus, minister diabolus, carcer infernus vel Purgatorium, quadrans minima culpa : quamquam ad litteram, ut recte ibidem docent S. Hieronymus, Ambrosius, Hilarius et auctor *Imperfecti Operis*, adversarius sit is qui a quopiam est offensus injuste, et læsus, qui nos coram Deo reos peragere potest, cui proinde paulo ante Christus jussit nos reconciliari. Eidem recte attribuas hoc Siracidis : « Ne litiges cum homine potente. »

2. NON CONTENDAS CUM VIRO LOCUPLETE, NE FORTE CONTRA TE CONSTITUAT LITEM TIBI. — Græce, *ne forte constituat contra te pondus*, puta litem, quæ te quasi pondus gravet et opprimat, sive quia testes et judices pecunia corrumpet, ut contra te judicent; sive quia litem ex lite seret, ut expensis et molestiis par non sis. *Secundo*, Jansenius pondus hoc sic explicat, *q. d.* Ne forte suis divitiis te prægravet in judicio, et etiamsi jure non vincat, sua tamen pecunia efficiat ut meliorem causam habeat. Sumpta est similitudo a bilance, in qua altera pars opposita atque librata sua gravitate vincit, et alteri præponderat; sic enim in lite pars potentior, quia plus potest, sæpe alteram vincit, non jure, sed ære. Unde Tigurina vertit, *ne contendas cum homine opulento, ne se ex adverso librans pondus tuum elevet;* vel, *ne tibi præponderet*; Syrus, *ne forte appendat* (appendendo sua gravitate elevet) *pondus tuum; tertio*, Vatablus vertit, *ne tibi* Vers. 2.

pondus apponat, *q. d.* Ne tibi difficultatem insuperabilem quasi loricam ferream objiciat. Alii, *ne quando pondere te prægravet*, ne, scilicet, pondere litium et molestiarum te premat et opprimat. Exemplum appositum dat Palacius : Sicut lupus, inquit, qui jejunus in pugna et duello impar est tauro, ante duellum vorat arenam, ejusque pondere se gravat et saburrat, ac saburratus taurum degravat et prosternit : ita causa divitis jure levior, ære fit gravior. Quare, si jejuna judicem aggreditur, vincitur; si saburrata auro, ad se judicem trahit et prosternit. Unde sequitur :

3. MULTOS ENIM PERDIDIT AURUM ET ARGENTUM, ET USQUE AD COR REGUM EXTENDIT (scilicet, suam perdendi vim et efficaciam) ET CONVERTIT, — id est, et pervertit, *q. d.* Aurum sua specie et fulgore inflectit et pervertit etiam corda regum, qui eo non egent, ut propter aurum, divitem præferant pauperi, et pro divite sententiam, licet iniquam, proferant; quanto magis aurum inflectet et pervertet corda testium et judicum tenuiorum, ut contra æquitatem causam pauperi abjudicent, et diviti adjudicent! Syrus, *quia multos perdit aurum, et etiam cor regum insanire facit;* Græcus, *aurum enim perdidit multos, cordaque regum pervertit.* Multi enim propter aurum perdunt conscientiam, ac sæpe famam et vitam. Pecuniæ enim obediunt omnia. Et : « Munera excæcant oculos sapientum, et mutant verba justorum, » *Deuter.* XVI, 19. Celebre est ænigma :

Mutnegra cum murva faciunt rectissima curva.

Nimirum, *mutnegra*, si retrogrado ordine litteras colligas, est *argentum; murva* est *aurum.* « Auro enim loquente, omnis sermo obmutescit. » Et : « Validius pugnatur aureis hastis, quam æreis vel aereis. »

Fabulantur Poetæ Herculem Cerbero offam medicatam in os injecisse, itaque illud clausisse ne latraret : sic qui offam auri judicibus in os injiciunt, illud claudunt, ut obmutescant, nec pro paupere et justitia judicare audeant. Nam, ut canit Horatius, libro III, *Ode* 16 :

Aurum per medios ire satellites,
Et perrumpere amat saxa, potentius
Ictu fulmineo.

Sicut enim fulmen sternit dura quæque, ita aurum quasi fulmen sternit justorum etiam et robustorum corda, ut danti illud causam adjudicent, etiam contra fas et æquitatem.

Excipe hic casum unum, quando, scilicet, ipsi divites et potentes adeo sunt modesti et justi, ut non modo non ægre ferant, sed et cupiant litem sibi moveri a pauperibus, qui se opprimi queruntur. Qua in re excellunt reges Hispaniæ, qui, ut justitiæ et conscientiæ suæ consulant, tribunal justitiæ summum erexerunt, illique se quoque subjecerunt, ac plebeio cuique dant facultatem vocandi in jus regem regiosque officiales, sicubi eis vis vel injuria facta sit; quare tunc libere contra potentem litigari potest; imo rex ipse gaudet se condemnari, ut justitiæ et plebeio injuriam passo satisfiat. Utinam hoc cæteri reges et principes imitentur! quot enim a principum ministris extorsiones fiunt, principibus ipsis invitis, imo insciis, de quibus nemo queri audet, quia non habet liberum tribunal, in quo de iis queri, et jus suum repetere possit? De quibus merito lamentatur Habacuc, cap. I, 4 : « Lacerata est lex, et non pervenit usque ad finem judicium; quia impius prævalet adversus justum, propterea egreditur judicium perversum. » Et vers. 14 : « Quare taces devorante impio justiorem se? et facies homines quasi pisces maris, et quasi reptile non habens principem. » Ut sicut piscis major devorat impune minorem, et animal potentius opprimit infirmius, ut lupus ovem, leo equum : sic homo potentior et ditior prædetur plebeium et pauperem, ait ibidem S. Hieronymus.

Quocirca Babylonii, id est, mundani omnes, quibus dominatur opum et avaritiæ confusio, adorant auream statuam Nabuchodonosoris, *Daniel.* III; soli tres pueri Hebræi, quia magis timuerunt Deum quam regem, illam adorare noluerunt, ideoque in fornacem ardentem conjecti, illæsi in ea perstiterunt. Qua de re præclare S. Chrysostomus, homil. 5 *in Matth.* : « Aurea, ait, imago proposita est pecunia, in qua tyrannica quædam mammonæ formatur effigies, et ad serviendum sibi cupidorum corda sollicitat; sed nequaquam nos aut sonitus tubarum, aut citharæ concentus, aut reliqua divitiarum incentiva commovent, ut imaginem adoremus avaritiæ, sed, etiamsi ardentem fornacem intrare cogamur, paupertatem dico, eam tamen et inter ignes positi diligamus. Tunc enim nos in medio flammarum blanda circumdabit roris aspersio : ne igitur pauperiei fornacem horrescamus. »

4. NON LITIGES CUM HOMINE LINGUATO (S. Augustinus in *Speculo* legit, *linguoso*), ET NON STRUES IN IGNEM ILLIUS LIGNA, — *q. d.* Si litiges cum linguato, perinde facis ac si ligna igni suggeras; accendis enim ejus ardorem loquendi et vindicandi se. Noli ergo cum eo contendere, quia contendendo non superabis, sed magis concitabis ejus loquacitatem : *linguatus* enim dicitur loquax, dicax, mordax, effrænis, qui bilis flamma succensus plaustra injuriarum eructat, estque instar canis, qui irritatus latrare non cessat. Syrus, *ne litiges cum viro contentioso, et ne ponas super ignem ligna,* quia, sicut princeps est potens robore, dives ære, sic linguatus pollet lingua. Quare, uti cum illis non esse litigandum docuit vers. 1 et 2 : sic et cum linguato non esse certandum docet hoc versu. Linguatus enim verbis et clamoribus strepit et crepitat instar lauri virentis igni impositæ. Unde illud Diogenis : « Magis vociferatur, quam laurus viridis incensa. » Hinc et adagium : « Insana lau- Vers. 4.

rus est, » dici solitum in rixarum auctorem, qui quocumque se vertit, lites suscitat. Ortum habuit ex illo quod scribit Plinius, lib. XVI, cap. XLV : « Ejus (Bebricis regis) tumulus a supremo die lauro tegitur, quam insanam vocant; quoniam si quid ex ea decerptum inferatur navibus, jurgia fiant, donec abjiciatur. » Verum hoc superstitionem olet, uti et illud quod scribit lib. XIX, cap. VII : « Ocimum cum maledictis et probris serendum præcipiunt, ut lætius proveniat. » Plura habet similia de remediis morborum, deque herbarum et gemmarum virtutibus superstitiosa, lib. XXVIII, cap. I, II et seq., et alibi.

Huic simile est illud Catonis :

Contra verbosos noli contendere verbis;

et illud Arabum, *Centur.* 1, num. 28 : « Ne scalpito (Pythagoras dixit, *ne fodito*) ignem gladio, » id est, loquacem et iratum contendendo noli irritare : sicut enim prunæ, quamdiu relinquuntur, placidæ sunt, suisque cineribus ardorem suum tegunt; quamprimum vero contrectantur et fodiuntur, ignes ostentant, vim scintillarum evomunt, ac in apertam flammam tandem erumpunt : sic loquaces et iracundi, quamdiu soli et intacti vivunt, malitiam suam cohibent et tegunt; mox vero ut tanguntur, oculis scintillant, nare fumum, ore ignes ejaculantur. Et *Centur.* 1, num. 25 : « Qui non dat lignum ad ignem, impedit illum, quo minus exardescat, » id est : « Qui pudefit ob verba scandali, impedit iram, ut non inflammetur. » Verba scandali vocantur, quæ quis ira percitus in aliquem evomit. Qui enim reprehensus, aut probro affectus pudore suffunditur, nec se contendenti et exprobranti opponit, iram ejus cohibet, et velut frigida injecta ignem restinguit. Qui vero responsat verbis acribus, quasi lignis iram accendit et inflammat, juxta illud *Proverb.* XXVI, 20 : « Cum defecerint ligna, extinguetur ignis, et susurrone subtracto jurgia conquiescent. Sicut carbones ad prunas, et ligna ad ignem : sic homo iracundus suscitat rixas, » *q. d.* Ira est instar ignis; ignis autem alitur crescitque pabulo. Igitur, sicut ignis pabulum connaturale sunt ligna : sic iræ propria fomenta sunt iratorum jurgia, detractiones, dicteria et maledicta. Vide S. Basilium, *homil.* 21, et in varios Scripturæ locos, ac S. Chrysostomum hom. 29 *ad Populum*, ubi ait : « Feræ potius quam homini iracundo cohabitandum est : hæc enim semel mansuefacta suam servat legem; illum etiam quoties mitigaveris, rursus efferatur. »

Vers. 5. 5. NON COMMUNICES HOMINI INDOCTO (Græce, *ne colludas*, id est ne converseris, ne familiaris sis jocando et colludendo cum ἀπαιδεύτῳ, id est indisciplinato, qui sub virtutis ferula, puta sub disciplina et castigatione præceptorum et morum non fuit, in eoque non didicit virtutem, ideoque practice est indoctus, ut vertit Noster), NE MALE DE PROGENIE TUA LOQUATUR, — ne si quid maculæ progenies tua occultum habet, ille proferat in lucem; solent enim tales esse libertini et arrogantes, ideoque sua magnificare et laudare, aliena parvi pendere et vituperare : quare effrænis iste colludendo effutiet id quod habet in pectore, teque et tuos parentes, vel de vilitate prosapiæ, vel de paupertate, vel de rusticitate, aliove vitio, vel scelere taxabit, itaque te vilipendet et infamabit, ac lites et jurgia concitabit. Græca habent, *ne infamentur*, vel *ignominia afficiantur progenitores tui*, scilicet per imprudentiam et arrogantem loquacitatem indocti, qui jocorum jura nescit, uti explicat Noster. Alii tamen id accipiunt de affricatione vitiorum et morum, *q. d.* Ne communices cum indisciplinato, quia si communices, disces et indues perversos ejus mores, atque ignominia afficies te et tuos parentes. Aliter hæc vertit Syrus, *ne litiges cum arrogantibus, ne probro te afficiant viri graves, q. d.* Ne arrogantibus communices, vel colludas, scilicet in salsis jocis et irrisionibus, ut sit idem quod, « ne litiges » Solent enim loquaces et dicaces jocosis salibus et scommatibus alios impetere, quibus dum alii paribus dicteriis respondent, jocus in litigium vertitur : nam omnia præcedentia hic spectant litigium. Sicut ergo jussit vers. 1, 2 et 3, ne quis litiget cum potente, divite et linguato : sic hic jubet, ne litiget cum indisciplinato et arrogante. Et hic videtur esse germanus hujus loci sensus. Ex hoc enim litigio sequuntur probra mutua, quibus invicem objiciunt et vilitatem, et crimina prosapiæ et parentum, quæ merito improbant et damnant viri graves. Sicut enim fragum serit fragum, sic scomma serit scomma, risus risum, contumelia contumeliam, lis litem. Sic ludere pro litigare, imo pro bellare et duellare sumitur, II *Reg.* II, 14 : « Surgant pueri et ludant, » id est duellent, ut patet ex sequentibus. Sic Ismael lusit cum Isaac, eum ridendo, vexando et persequendo, uti explicat Paulus *Galat.* IV, 29. Sic denique canes ludunt cum leporibus, aucupes cum avibus, mures cum felibus.

Hujus rei typus est sal, quod est symbolum sapientiæ : sicut enim sal non communicat cum igne, sed in eum injectus obstrepit et crepitat, eo quod in se contineat aquam salsam igni insulso contrariam : sic pariter sapiens non convenit cum insulso et insipienti, quia illius sapientia hujus insipientiæ obstrepit et adversatur.

SECUNDA PARS CAPITIS,

QUA DOCET NON ESSE SPERNENDOS PECCATORES, SENES, ET INIMICOS MORTUOS.

Vers. 6. 6. NE DESPICIAS HOMINEM AVERTENTEM SE A PECCATO, NEQUE IMPROPERES EI (peccata commissa, de quibus jam pœnitet. Rationem subdit) : MEMENTO QUONIAM OMNES IN CORREPTIONE (perperam legunt multi, *in corruptione*) SUMUS. — « In correptione, » id est, in peccato ; ob peccatum enim digni sumus correptione et reprehensione. Est metonymia ; ponitur enim effectus pro causa. Sensus est, *q. d.* Noli despicere peccatorem pœnitentem, eique exprobrare peccata præterita, quia et tu peccator es, adeoque omnes peccatores sumus, dignique reprehensione. Unde Syrus, *ne exprobres homini, qui pœnitet de peccatis suis : memento quod omnes nos peccavimus ;* Tigurina, *homini a peccato recedenti probrum ne objicias, sed memento nos omnes esse in crimine ;* alii, *in culpa*, ut jugiter cum Sanctis humiliter confiteri et dicere debeamus, *mea culpa.* « Omnes enim peccaverunt et egent gloria, » id est gratia « Dei, » *Roman.* III, vers. 23. Sicut ergo Christus suscepit benigne S. Magdalenam, S. Petrum, S. Paulum, S. Matthæum, Zachæum, cæterosque publicanos et peccatores : sic multo magis nos, qui æque vel magis sumus vel fuimus peccatores, eosdem benigne excipere, solari, fovere et juvare pro viribus debemus, juxta illud Pauli *Galat.* VI, 1 : « Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne et tu tenteris. Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi. » Vide ibi dicta. Siracides a litigio descendit ad contemptum ; hi enim affectus vicini sunt. Sicut ergo docuit cum quibus non sit litigandum : sic jam docet qui non sint contemnendi, esto contemptibiles esse, aut contemptum mereri videantur, quales sunt peccatores, senes, inimici mortui.

Ita hunc locum explicat S. Basilius in *Psal.* XIV, vers. 3 : « Neque enim, inquit, qui peccat, probris venit insectandus, ut scriptum est : Ne exprobres homini avertenti se a peccato (qui locus est Nostri hoc cap. vers. 6.) : nunquam enim ad delinquentium utilitatem novimus esse a quopiam assumptum ; nam, cum Apostolus in suis ad Timotheum discipulum institutionibus, præmiserit redargutionem sive reprehensionem, obsecrationem simul et increpationem ; nusquam tamen assumit opprobrium, quod fraternæ correctioni adversetur. Sane reprehensio, sive redargutio videtur sibi finem præstituere emendationem peccantis ; contra opprobrium ejus magis qui peccavit, spectat confusionem. » E confusione autem nascitur, ut excandescens ira correctus in corrigentem insurgat.

Porro, quia multi codices legunt, *quoniam omnes in corruptione sumus*, hinc istud apposite sic explicat Palacius : « Ut corpus nostrum, inquit, semper tendit ad corruptionem : est enim in eo materia, quæ semper machinatur maleficium ; ita anima nostra sibi relicta tendit ad malum, quia cuncta cogitatio humani cordis intenta est ad malum, ut in Genesi dicitur. Hinc tria collige primum, tu qui improperas avertenti se a peccato, mereris propterea tibi relinqui : at relictus tuæ corruptioni, peccabis ; secundum, minime mirari debes, si frater tuus corruptionem secum ferens labatur ; tertium, multum amare debes, si se a sua corruptione divellat. » Verum genuina lectio habet, *in correptione*, non *corruptione* : hanc enim significat Græcum ἐπιτίμιον, id est castigatio, increpatio, item ultio, mulcta, pœna, supplicium, cujus nos reos et obnoxios facit culpa et crimen : itaque legunt Biblia Romana, cæteraque emendatiora.

Denique τὸ *non despicias* per miosin accipi potest, *q. d.* Adeo non est despiciendus peccator pœnitens, ut singularis favor et honor ei deferendus sit, tum propter insignem Dei gratiam ; tum propter heroicam animi virtutem et fortitudinem, qua animum suum frenavit, et retrorsum ab incepto cursu convertit. Sic honoramus et colimus S. Magdalenam, S. Petrum, S. Paulum, S. Pelagiam, aliosque Sanctos pœnitentes. Nam, ut ait S. Gregorius : « Plerumque gratior est Deo fervens post culpam vita, quam securitate torpens innocentia. » Sapienter S. Antiochus *Serm.* 50 : « Qui contumeliosus, inquit, in proximum, exprobrat quidquam delicti, suis ipse quæ alteri intexuit et ordinavit, irretietur retibus, jure quidem : quæ enim seminaverit quis, hæc et metet. Is siquidem medio in discrimine destituitur Dei auxilio, quod per elationem mentis adeo non indolescit calamitati alienæ, ut etiam inclementer insultet ; hic ut plurimum in eamdem ruinam, nec semel prolabetur. » Exemplum dat Cassianus, *Collat.* II, cap. XIII, in sene, qui durius castigans juvenem libidine tentatum, justo Dei judicio in eamdem tentationem incidit. Quocirca solerter S. Gregorius, lib. XXVI *Moral.* cap. XXVIII, vel juxta aliam editionem XXXVI : « Omnis, inquit, per quem necesse est aliena vitia corrigi, semetipsum prius debet solerter intueri, ne, dum aliorum culpas ulciscitur, ipse ulciscendi furore superetur. » Et B. Isidorus, lib. III *De Summo bono*, cap. III : « Non

debet, inquit, vitia aliena corripere, qui adhuc vitiorum contagionibus servit; improbum est enim arguere quemquam in alio, quod adhuc deprehendit in semetipso. »

Vers. 7. 7. NE SPERNAS (Græce ἀτιμάσῃς, id est, inhonores, spernas, infamia vel ignominia afficias) HOMINEM IN SUA SENECTUTE : ETENIM EX NOBIS SENESCUNT. — Syrus, *ne irrideas hominem qui senuit: memento quod ex nobis senescunt, q d.* Senes prodeunt e nobis, suntque nostræ ætatis et cœtus complementum et perfectio; si ergo eos spernimus, nos ipsos, nostrumque cœtum spernimus et inhonoramus. Non ait : *Nos senescimus,* vel *senescemus,* quia hoc sæpe falsum est: ex pueris enim et juvenibus vix decima pars senescit; plurimi enim præmoriuntur, antequam ad senium pertingant. Ait ergo: « Ex nobis senescunt, » id est, nemo nisi ex nobis senescit, omnesque nos senescere possumus; at non senescimus omnes, sed aliqui ex nobis : qui illi futuri sint, nobis incertum est: vide ergo, o juvenis, qui senem rides, tibi pariter posse obtingere, et forte reipsa obventurum ut senescas, tuncque rideris et ipse.

Senes non spernendi, cur?

Gnomæ. « Solent senes, ait Palacius, esse importuni, morosi, rixosi; dicunt faciuntque inepte multa. Ea causa spernuntur a multis. At indigne spernam; siquidem et ego senex ero. Non igitur spernam, ne spernar; imo contra senes venerandi sunt, ut in quibus Dei æternitas resplendet. Tu vero intellige contemptum senis esse peccatum, quod promeretur, ut, cum senuerit qui sprevit, spernatur. » Unde S. Cyprianus, *epist.* 38, Rogatianum Episcopum propter senectutem a quodam diacono contemptum, exemplo Samuelis consolatur : « Cum, inquit, Samuel sacerdos a Judæorum populo ob senectutem, sicut tu modo, contemneretur, exclamavit iratus Dominus : Non te spreverunt, sed me. Et ut hoc ulcisceretur, excitavit Saul regem, qui eos injuriis gravibus affligeret, et per omnes contumelias et pœnas superbum populum calcaret et premeret, ut contemptus sacerdos de superbo populo ultione divina vindicaretur. » Porro Antisthenes apud Stobæum, *serm.* 113, aiebat vitam nostram similem esse vino, quod, dum deficit, acescit; hinc senes sunt acidi et amari. Quare hæc antipathia morum et amorum æque ac annorum in senibus, fastidio est juvenibus, juxta illud Menandri: « Molestus vir est inter juvenes senex. » Et illud Comici: « Odiosa est hæc ætas adolescentulis. » Causam dat Pausanias lib. VII : « Ita natura comparatum est, ait, ut senes quavis in re juvenibus adversentur, atque in primis obliti se juvenes aliquando fuisse, eorum sint affectibus oppido quam offensi. » De senum vitiis vide S. Hieronymum, *epist.* 21; Plinium, lib. VII, cap. L; S. Basilium, orat. 4 *De Pœnitentia.*

Quocirca sapienter monet hic Siracides juvenes, ut senum mores ferant, cogitantes se in eosdem quandoque casuros. Sensim enim incogitantibus obrepit senectus, tacitisque senescimus annis. Id exemplo ciconiarum declarat Plinius lib. X, cap. XXIII : « Ut ciconias, ait, nemo advenire sentit, sed advenisse; nemo discedere, sed discessisse, quod noctu clanculumque faciant utrumque : ita juventutem nemo intelligit discedere, sed discessisse; et senectutem non sentimus advenire, sed advenisse. » Sic arenam, vel aquas in clepsydra effluxisse miramur, cum fluere non viderimus. Nam, ut ait Seneca lib. III, cap. XXIV : « Quotidie, inquit, morimur; quotidie enim demitur aliqua pars vitæ, et tunc quoque cum crescimus, vita decrescit; infantiam amisimus, deinde pueritiam, deinde adolescentiam; usque ad hesternum quidquid transiit temporis, periit. Nunc ipsum, quem agimus, diem cum morte dividimus; quemadmodum clepsydram non extremum stillicidium exhaurit, sed quicquid ante defluxit: sic ultima hora qua esse desinimus, non sola mortem facit, sed sola consummat : tunc ad illam pervenimus, sed diu venimus. »

Præclare S. Cyprianus, lib. *De Mortalitate,* et ex eo Rabanus: « Hæc sententia, ait, mundo data est, hæc Dei lex est, ut omnia orta occidant, et cuncta senescant, et infirmentur fortia, et magna minuantur. Canos videmus in pueris, capilli deficiunt, antequam crescant. Nec ætas in senectutem desinit, sed incipit a senectute. Sic in ortu suo ad finem nativitas properat. Sic quodcumque nunc nascitur, mundi ipsius senectute degenerat; ut nemo mirari debeat singula in mundo cœpisse deficere, quando totus ipse jam mundus in defectione sit, et in fine. » Ad hanc gnomen facit Lacedæmoniorum τριχορία, sive triplicis chori cantilena, puta senum, puerorum, juvenum. Senum hæc erat cantio :

Trichoria Spartanorum.

Nos fuimus olim strenui juvenculi.

Deinde puerorum hæc erat:

Præstantiores nos futuri olim sumus.

Denique juvenum hæc erat:

At nos sumus, vel experire, si velis.

Hunc chorum Spartæ instituit Tyrtæus, ut triplex ætatum discrimen repræsentaret. Nam pueritia ingressus est vitæ, virilis ætas progressus, senecta exitus.

Porro senectutis commoda et incommoda, laudes et vituperia recenset Cicero lib. *De Senectute,* et Stobæus *serm.* 116 et 117, ubi citat illud Euripidis: « Quid aliud est senex, quam vox et umbra? » Et illud Antiphanis : « Senectus est velut ara malorum; ad ipsam enim omnia confugisse videntur. » Et illud Patroclis: « Senectus est vitæ hiems. » Et illud Democriti: « Senectus omnimoda imperfectio est; omnia habet et omnibus indiget. » Præclare S. Ephrem, serm. ascetico ad imitationem *Proverb.* 6 : « Honora Dominum, inquit, et viæ tuæ prosperabuntur. Honora sacerdotem et presbyterum, ut in te benedictio oris ipsorum

veniat. Honora senes, tanquam qui diu multumque Christo servierunt. Honora fratres tuos, velut Christi servos, ut ab ipsis diligaris. » Et inferius: « Ne senes ad opus compellas; nam carnes juventutis suæ in exercitatione attriverunt, et sufficit recta conscientia timenti Dominum. » Vide dicta *Levit.* XIX, 32, ad illa: « Coram cano capite consurge. »

Vers. 8. 8. NOLI DE MORTUO INIMICO TUO GAUDERE, SCIENS QUOD OMNES MORIMUR, ET IN GAUDIUM VOLUMUS VENIRE, — *q. d.* Cum morimur, « volumus in gaudium, » id est, quietem et pacem, quæ causat gaudium, « venire. » At hæc pax (si fieri posset) turbaretur, si sciremus inimicos nostros de nostra morte gaudere. Ita Palacius. Aut potius, ut Jansenius, *q. d.* Cupimus omnes in gaudia cœli introire; ideoque abstinere debemus ab omni malo, quale est gaudere de morte inimici. Verum pro *volumus*, uti legit S. Augustinus in *Speculo*, et alii multi, corrigendum est, *nolumus*: ita enim legunt codices Romani, Rabanus, Glossa, Lyranus. Sensus est, *q. d.* Nolumus ut, cum mortui fuerimus, inimici de nostra morte gaudeant. Ergo et nobis pari jure de inimici morte non est gaudendum. Quod enim tibi non vis fieri, alteri ne feceris, ait prima et universalis charitatis ac justitiæ lex: solet enim Deus talionem peccantibus reddere, ut quod quis injuste aliis fecit, idem ipse juste ab aliis vicissim patiatur: quocirca qui gaudent de morte inimicorum, ipsi sæpe justo Dei judicio cito moriuntur, ac mortui fiunt gaudium, irrisio et subsannatio inimicis suis. Ex Græco sic vertas, *ne insulta mortuo, sed memento nos omnes esse morituros*; Syrus, *ne læteris super homine, qui moritur: memento quod omnes nos morimur*, id est, continuo cursu ad mortem decurrimus, ita ut vita nostra sit inchoatio mortis, imo continua et longa quædam mors, juxta illud: « Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non reverteruntur, » II *Reg.* XIV, 14. Sapienter S. Hieronymus, vel potius S. Paulinus epist. 14 : *ad Celant.* « Quasi, inquit, compendiosum quoddam commonitorium tibi Evangelii eligenda sententia est, et superscribenda cordi tuo, quæ ad totius justitiæ breviarium Dominico ore profertur: Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, hæc vos facite illis; cujus præcepti vires exprimens jungit: Hæc enim lex est et Prophetæ. Ad omnem actum, verbum, cogitatum hæc sententia retractetur, quæ tibi quasi speculum quoddam paratum, et ad manum semper positum, qualitatem tuæ voluntatis ostendat, ac etiam vel de injusto opere redarguat, vel de justo lætificet. »

Alludit ad illud Salomonis *Proverb.* XXIV. 17 : « Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, et in ruina ejus ne exsultet cor tuum, ne forte videat Dominus, et displiceat ei. » Et ad illud *Job.* XXXI, 29 : « Si gavisus sum ad ruinam ejus, qui me oderat; et exsultavi, quod invenisset eum malum. » Hac de causa Deus minatur et intentat excidium Idumæis, eo quod ipsi lætati essent in excidio Judæorum per Chaldæos, *Ezechiel.* XXXV, 15 : « Sicut gavisus es, inquit, super hæreditatem domus Israel, eo quod esset dissipata, sic faciam tibi : dissipatus erit mons Seir et Idumæa omnis. » Et Jeremias, *Thren.* IV, 21 : « Gaude, ait, et lætare, filia Edom; ad te quoque perveniet calix, inebriaberis atque nudaberis. » Et *Psal.* CXXXVI, 7 : « Memor esto, Domine, filiorum Edom in die (excidii) Jerusalem, qui dicunt : Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea. »

Sapienter Virgilius, lib. X *Æneid.*, cum narrasset Turnum Pallanti a se occiso insultasse, ejusque balteo ovantem se accinxisse, admonens subjicit :

> **Nescia mens hominum fati sortisque futuræ,**
> **Et servare modum rebus sublata secundis;**
> **Turno tempus erit, magno cum optaverit emptum**
> **Intactum Pallanta, et cum spolia ista diemque**
> **Oderit.**

Nam idcirco Turnus in duello occisus est ab Ænea, eo quod videret eum accinctum balteo sui Pallantis. Sic enim Turno strato et supplici insultat Æneas lib. XII *Æneid.* :

> **Tune hinc spoliis indute meorum**
> **Eripiare mihi? Pallas te hoc vulnere, Pallas**
> **Immolat, et pœnam scelerato ex sanguine sumit.**

Præclare S. Gregorius in locum jam citatum S. Jobi, XXII *Moral.* cap. VI : « Sciendum, inquit, est, quia inimici dilectio tunc veraciter custoditur, cum nec de profectu addicimur, nec de ruina illius lætamur. Nam sæpe in dilectionis imagine erga inimicum animus fallitur, seque hunc diligere æstimat, si ejus vitæ contrarius non existat. Sed dilectionis vim occulte et veraciter, aut profectus inimici, aut casus interrogat. Hac etenim de re ad plenum semetipsam mens hominis nescit, nisi eum, quem sibi adversarium credit, in defectu vel profectu mutasse modum sui status invenerit: si enim de prosperitate addicitur, et de calamitate se odientis lætatur, constat, quia non amat, quem non vult esse meliorem; eumque etiam stantem voto persequitur, quem cecidisse gratulatur. » Subdit deinde casum, quo licet gaudere de casu inimici, scilicet ob noxam, quam aliis injuste infert. Ait ergo : « Sed inter hæc sciendum est, quia evenire plerumque solet, ut non amissa charitate et inimici nos ruina lætificet, et rursum ejus gloria sine invidiæ culpa contristet: cum et ruente eo, quosdam bene erigi credimus, et proficiente illo plerosque injuste opprimi formidamus. Qua in re mentem nostram, nec ejus jam defectus erigit, nec ejus profectus addicit, si recta nostra cogitatio non quid in ipso, sed quid de ipso circa alios agatur, attendit. Sed ad hæc scrutanda valde est necessarium subtilissimæ discretionis examen; ne, cum nostra odia exsequimur, fallamur sub specie utilitatis alienæ. »

Vers. 9. 9. NE DESPICIAS (alii, *ne negligas*) NARRATIONEM PRESBYTERORUM (id est, senum) SAPIENTUM, ET IN PROVERBIIS EORUM CONVERSARE. — Est miosis : minus enim dicitur, et plus significatur: « non despicias, » id est, studiose audias, haurias et sequaris, « narrationem » senum, tum historiarum et exemplorum præteriti ævi, quas ipsi vel viderunt, vel a patribus audierunt; tum monitorum, consiliorum, documentorum similiumque rerum, quæ te docebunt prudentiam; « et in proverbiis eorum conversare, » mente ea pertractando, ruminando et meditando. *Proverbia*, vel ut Græce est, *parœmiæ*, Hebr. משלי *misle*, vocantur non solum adagia, apologi, similitudines; sed et quælibet sententiæ acutæ, vel graviter dictæ, quæ moribus formandis et componendis deserviunt, uti dixi initio libri. Unde Tigurina vertit, *in pronuntiatis eorum;* Vatablus, *in sententiis*, vel *scite dictis eorum versare ;* Syrus, *ne derelinquas narrationes sapientum, et in parabolis eorum esto disputans* (ruminando eas tecum, vel cum aliis eorum vim disquirendo et perscrutando), vel *calcans* assidue eas terendo, in iisque incedendo, et juxta eas vitam instituendo. Causam subdit :

Vers. 10. 10. AB IPSIS ENIM DISCES SAPIENTIAM ET DOCTRINAM INTELLECTUS, ET SERVIRE MAGNATIS SINE QUERELA. — « Sapientiam » vocat cognitionem rerum multarum et magnarum; « doctrinam intellectus » vocat Ethicam, sive prudentiam, qua quis intelligenter, id est prudenter, cum quibuslibet versetur, et munia sua peragat. Græca de more concisa sic habent, *ab illis enim disces* παιδείαν, id est *disciplinam*, et εὐμαρῶς, id est *faciliter*, et dextre, *servire proceribus*; Syrus, *ab iis accipies doctrinam in tempore, quo steteris coram principibus*. Magna enim opus est prudentia et dexteritate, ut quis rite conversetur in aulis principum, vel reipublicæ negotia tractet cum fide, et simul cum gratia omnium, ne vel princeps, vel consiliarii, vel aulici, vel populus de eo queratur, aut queri possit : pauci enim a principe exaltati in aula consenescunt sine offensa, quin et plerique gratia principis et gradu suo excidunt; qui ergo sapiunt, tempestive ruinam prævident, et ex aula se subducunt.

In aulis quomodo versandum? Aulici ergo prudentes norunt faciuntque illud Taciti : « Quanto quisque promptior obsequio, tanto citius honoribus et opibus extollitur. » Et illud Sapientis: « Invidiam supera modestia et humilitate; injurias vince patientia. Omnibus omnia fias : quæ tollere non potes, dissimula; scommata et probra hilaris absorbe. » Unde ille rogatus quomodo præter aliorum morem in aula consenuisset, respondit : « Omnibus me substernendo, et accepta injuria gratias agendo. » Nebridium laudat S. Hieronymus, epist. *ad Salvinam*, ejus nuper uxorem, jam viduam : « Nutritus, ait, in palatio, contubernalis et condiscipulus Augustorum, non est inflatus superbia, nec cæteros homines adducta fronte contempsit; sed cunctis amabilis, ipsos principes amabat ut fratres, venerabatur ut dominos. Ministros autem eorum, et universum ordinem palatii sic sibi charitate sociarat, ut qui merito inferiores erant, officiis se pares arbitrarentur. Difficile factu est gloriam virtute superare, et ab his diligi quos præcedas. »

Exemplum Nebridii.

Qui hanc artem nesciunt, aulam experiuntur caulam, imo caulæ incolis miseriores evadunt. Nam, ut ait Plutarchus in *Arato* : « Amicitiæ regum et tyrannorum ferventes ac repentinæ, et ardore quodam amoris subito incenduntur; sed labefactari expugnarique facile possunt, et veluti ventis, invidiæ atque calumniæ flatibus assidue agitantur. » Apposite quoque Polybius, lib V : « Brevia momenta plerumque extollunt homines, rursumque deprimunt; imprimis vero eos qui in aulis versantur : isti enim profecto similes sunt mensarum calculis, qui prout calculatori lubet, modo assem, modo talentum valent : ita aulici ad nutum principis modo beati, modo miseri fiunt. »

Vers. 11. 11. NON TE PRÆTEREAT NARRATIO SENIORUM : IPSI ENIM DIDICERUNT A PATRIBUS SUIS. — Græca, *ne discedas a narratione seniorum; ipsi enim a patribus suis nacti sunt eruditionem*. Ita Complutenses et Tigurina. At Syrus, *ne contristeris in narrationibus senum, qui audierunt a patribus suis. q. d.* Doctrina senum est sedata et solida, quia traditione a patribus accepta, longoque usu et experientia confirmata : illam ergo sequere, non juvenum inventiones et conceptus, qui uti præfervidi et acuti sunt, ita sæpe instabiles, fallaces, difficultatibus et erroribus, quos non præviderunt, quique postea deprehenduntur, se suosque involvunt et implicant.

Ibis in senio odorata.

Hoc est quod toties inculcat Moses et Prophetæ, ut filii doceantur a parentibus, juvenes a senibus : « Docebis, inquit, ea filios et nepotes tuos, » *Deut.* IV, 9, et cap. XI, 19; *Isaiæ* XXXIX, 21; *Psal.* LXXVII, 3. Prudenter Plutarchus lib. *An seni sit gerenda resp.* : « Sicut ibin aiunt (inquit) cum vetus est facta, exhalatis virosis ac turbidis partibus, odoratiorem habere aromaticam virtutem : sic decretum senile nullum tumultuosum habet consilium; sed gravia omnia et firma. Quapropter juvenum gratia senibus est in republica versandum, ut quomodo Plato de vino aqua diluto ait, insanum deum alio sobrio coerceri atque temperari : ita cautio senilis cum fervente in populo juvenum, ac bacchante gloriæ et honorum studio commixta, insaniam et nimiam vehementiam eorum reprimat. »

Vers. 12. 12. QUONIAM AB IPSIS DISCES INTELLECTUM (Græce σύνεσιν, id est intelligentiam, prudentiam), ET IN TEMPORE NECESSITATIS DARE RESPONSUM, — ut respondeas apte et congrue loco, tempori et personis, quando interrogatus de re gravi, dubia vel ancipiti, necesse tibi erit respondere apposite et prudenter, ne quem offendas et periculum incurras.

Tigurina, *quapropter sapere disces ab eis, et opportuno tempore respondere.* Magnæ sapientiæ et prudentiæ est posse rite quibuslibet interrogantibus respondere : cum enim vita nostra plena sit difficultatibus, dubiis, ignorantiis, difficile est omnibus vere et prudenter respondere, ac dare cuique sapiens consilium : hoc autem a senum prudentia, quasi a fonte affatim promemus. Huc facit illud Euripidis in *Bellerophonte* : « Tempus multam ac variam doctrinam parit. » Et illud illius apud Apuleium, lib. V *De Asino aureo* : « Sum rusticanus et opilio; sed senectutis prolixæ beneficio multis experimentis instructus. » Hinc et illud vulgo tritum : « Vino veteri utere. » Et illud Plinii lib. XXII, cap. XXV : « Vetus panis medetur oculis. » Denique Job cap. XII, 12 : « In antiquis, ait, est sapientia, et in multo tempore prudentia. » Festive R. Josi in *Pirke Avoth*, id est, in *Apophthegm. Patrum* : « Qui, inquit, a junioribus discit, similis est ei qui omphacium bibit, aut acerbam uvam, et vinum non satis excoctum; qui autem senes habet magistros, hic assimilatur bibenti vinum vetus, quod ut plurimum optimum est ac præcipuum, ac uvas comedit jam plane maturas. » In vestibus enim quæritur novitas, in vino vetustas.

TERTIA PARS CAPITIS,

QUA DOCET NON ESSE ARGUENDOS OBSTINATOS, CONTUMELIOSOS, FORTIORES, JUDICES, IRACUNDOS, AUDACES.

Vers. 13. 13. NON INCENDAS CARBONES PECCATORUM, ARGUENS EOS : ET NE INCENDARIS FLAMMA IGNIS PECCATORUM ILLORUM, — *q. d.* Ne peccatorem suis cupidinibus affixum et incorrigibilem arguas : alioqui ejus bile velut carbonibus accensis incenderis flamma peccatorum, id est, scelerum ejus. Hoc est, ne irrites bilem scelerati, ne ejus flamma comburaris, ne scilicet ab illo irato et excandescente lædaris, vel ab eo ad similem iram, lites, rixas et cædes atque scelera provoceris. Cum enim non est spes emendationis, nec aliud ex correptione speratur, quam indignatio correpti, vel etiam corripientis, insipienter et cum periculo illa adhibetur. Græca, *ne accendas carbones peccatoris, ne incendaris in igne flammæ ejus;* Syrus, *ne sis communicans cum impio consummato* (id est, perfecto, absoluto : hic enim vocatur peccator, a peccandi habitu et obstinatione, juxta illud *Psal.* I, 1 : « Beatus vir, qui non abiit in concilio impiorum, et in via peccatorum non stetit »), *et ne ardeas in flamma ignis ejus;* Tigurina, *ne inflammes carbones scelerosi* (reprehendendo), *ut ne confleris flammis ignis* (peccatorum) *ejus;* alii, *ne incende carbones peccatoris, ne conflagres igne flammæ ipsius.* Pulchra est metaphora a carbonibus, *q. d.* Sicut carbones restincti non ardent; at, si tolle vel flabello succendantur, non tantum ardent, sed et urunt accendentem : ita qui iram et malitiam peccatoris sopitam excitat, ab ea sæpe corripitur et perditur. Non ergo sunt hic duo præcepta, ut volunt nonnulli, scilicet, primum, ne suscites bilem peccatori; secundum, ne simili bile corripitor : sed unicum, scilicet, ne suscita bilem peccatori, quia, si hoc feceris, eadem incenderis, id est læderis, et male mulctaberis, vel simili bile contendendo cum eo accenderis : utrumque enim significat τὸ *incenderis.* Copula ergo *et* copulat hic, non præceptum cum præcepto, sed fructum præcepti cum præcepto; unde idem valet quod *ut,* uti vertit Tigurina : quare Græca non habent τὸ *et.* Alio sensu ait Apostolus *Roman.* XII, 20 : « Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus : » illi enim sunt carbones charitatis, qui charitatem inimici accendunt. Unde explicans subdit : « Noli vinci a malo; sed vince in bono malum. » Hi vero sunt carbones choleræ, qui choleram peccatoris inflammant. Nam, ut ait S. Basilius homil. *De Ira* : « Sicut canis latrans alterius canis tumultum provocat, sic et animum tuum quiescentem vox illius excitat, et facti estis inter vos latrantes. Dixit ille aliquid contumeliosum; tu vero insipientis imitatus stultitiam, majori furore reddidisti, » etc. Et S. Gregorius, lib. VII, *epist.* 51, et V *Moral.* XXXI : « Fit plerumque, ait, ut ad manus ira prosiliat, et eo furor membra in actibus foris exerceat, quo intus ipsam membrorum dominam mentem captivam tenet. » Plura vide apud eumdem eodem libro, cap. LI, LII et LIII.

Congruo ordine Siracides a contemptu aliorum descendit ad increpationem : hæc enim duo sunt vicina et quasi contigua. Sicut ergo a vers. 6 hucusque docuit qui non sint contemnendi, sic jam et deinceps docet qui non sint increpandi et arguendi, nimirum obstinati, contumeliosi, fortiores, judices, iracundi, audaces. Hac de causa Ezechias rex vetuit populo ne Rabsaci Assyrio blasphemanti responderet, ne scilicet responsione irritatus magis insolesceret et blasphemaret, *Isaiæ* XXXVI, 21. In quem locum S. Hieronymus lib. II *in Isaiam* : « Iratus Ezechias, inquit, agens cuncta fideliter, universaque consilio, ideo jusserat blas-

phemanti Assyrio non responderi, ne eum ad majores blasphemias provocarent. Unde scriptum est: Ne succendas carbones peccatoris. »

In ira nemo corrigendus.

Idem S. Hieronymus vel potius Beda (Commentarius enim *in Proverb*, non est S. Hieronymi, sed Bedæ) in cap. XIX *Proverb.*: « Subjectum, inquit, tibi quemlibet si errare conspicis, diligenter castigare curato; quod si curari renuit, ita circa illum circumspecte et temperanter age, ne quid omnino in tuis verbis vel actibus, unde amplius peccet, inveniat. Qui impatiens est, sustinebit damnum: si enim duritia contradicentis fratris, quem erudire cœpisti, provocatus ipse in impatientiæ vitium labaris, damnum profecto tuæ virtutis incurris: et cum illi durius forte increpando, spem promerendæ salutis, agendæque pœnitentiæ, quam habuerat, rapueris, rationem pro eo quod fratrem scandalizasti, districto judici reddes. »

Quocirca S. Basilius in *Regul. brevior.*, interrog. 90, quærit quo animi affectu quis alium corripere debeat; et respondet: « Quali uteretur pater et medicus, cum misericordia ac lenitate, si filium suum curaret. » Et S. Bernardus in tract. *De Gradibus humilitatis*: « Apostoli, inquit, præceptum est ut mansueto, id est, eo spiritu fratri ægrotanti subvenias, quo tibi vis subveniri, cum ægrotas. » At medici, quæ cruda sunt, nec concocta, moveri prohibent. Hinc Hippocrates *Aphoris.* 22 primæ partis jubet « concocta medicari, et movere non cruda, neque in principiis. » Hippocratem de more secutus Galenus *Aphorismo* 11 primæ sect.: « In exacerbationibus, inquit, et quibus per circuitum fiunt accessiones, in ipsa accessione abstinere oportet. » Sicut ergo dum febris, similisve morbus incrudescit, abstinendum est pharmacis, ne morbus exacerbetur et increscat: sic pariter, dum peccator ira similive passione exacerbatur, est abstinendum correptione, et exspectandum, dum passio detumuerit, ipseque menti redditus medicinam correctionis admittat.

Exemplum pelicani.

Hujus rei symbolum est avis dicta pelicanus, vel onocrotalus: hunc enim eumdem esse cum pelicano docet Aldrovandus tom. III *Ornithologicæ* lib. XIX, cap. II, quia rudit et vociferatur instar asini: unde stoliditatis et imprudentiæ est symbolum, ait Horus Apollo. Cum enim aucupes ejus nidum accendunt, ipsa advolat, et quassatione alarum ignem restinguere dum conatur, non tantum eum velut flabello magis accendit, sed et alas suas amburit, quo fit ut volare non possit, itaque ab aucupe capiatur, teste Pierio *Hierogl.* lib. XX, cap. LXI. Sic pariter, qui peccatorem iratum corripiunt acrius, non eum corrigunt, sed magis inflammant, ut utrinque jurgari incipiant, ac subinde a verbis ad verbera transeatur. Quid hoc est aliud, quam cum cane rixari, et latranti oblatrare, quam contra furnum æstuantem hiare, quam leonem minis velle cicurare? Quid enim est ira, nisi fera indomita, puta leo vel tigris, quæ furore, non ratione, agitur? Unde cap. XXVIII, 13, ait Siracides: « Certamen festinatum incendit ignem et lis festinans effundit sanguinem, etc. Si sufflaveris in scintillam, quasi ignis exardebit; et si expueris super illam, extinguetur. » Sapienter Poeta:

Dum furor in cursu, currenti cede furori.

Et R. Simeon in *Pirke Avoth*, id est, in *Apophthegm. Patrum*, cap. IV: Noli, inquit, frustra conari, ut eum blandis sermonibus lenias, in quo adhuc fervet iracundiæ spiritus; neque in vanum studeas amici tui mitigare dolorem, cum adhuc ei ante oculos extensus jacet mortuus; nec devoventi se præ ira de voti absolutione sermonem facias; nec denique videre eum aut consolari quæras in fervore calamitatis suæ. Sed cum lugente luge, uti fecerunt amici Job cap. II, vers. 13. Denique symbolum est Pythagoræ: « Ignem ferro ne cædito, id est, ne irrites furentem; » et: « Gladium acutum sepone, id est, vitæ iracundiam. » Simile est illud Euripidis:

Dicentibus duobus, irato altero,
Qui non repugnat dictis, est sapientior.

Vers. 14. 14. NE CONTRA FACIEM STES CONTUMELIOSI, NE SEDEAT QUASI INSIDIATOR ORI TUO, *q. d.* Noli jurgari et rixari (unde Itali *contrastare* vocant litigare, contendere, rixari) cum contumelioso; quia ipse insidiose observabit omnia tua verba, ut ex iis te calumnietur, traducat, infamet et opprimat. Quocirca Græca habent, *ne assurgas* (ad verba acria et contentiosa) *propter contumeliosum, ne insideat velut insidiæ ori tuo*; Syrus, *ne consurgas a facie iniqui, ne fiat insidiæ coram te*; Tigurina, *ne inveharis in contumeliosum* (Vatablus, *ne commoveariś a contumelioso*), *ut ne quasi subsessor ori tuo insidietur*. Varietas hæc versionum clare mentem Siracidis explanat. Cui succinit adagium Arabicum, *Centur.* 1, num. 12: « Esto asinus silvestris, cui superveniunt viatores, » id est, quando superveniunt tibi rixæ, et rixosi, declina eas, fuge, nec consiste. Solet enim onager velocissime abripi, ita ut ab instituto cursu revocari nequeat. Xenophon in *Cyro Minore*, lib. I, tantam ejus pernicitatem fuisse scribit, ut equos cursu longe superaret. Simili studio quoque rixosi et contumeliosi fugiendi sunt. Præclare S. Gregorius Nazianzenus, epist. 62 *ad Eustachium maledicum*: « Eruditus sum, inquit, ut, cum calvus essem, cum ariete obversa fronte ne congrederer, nec crabronem lacesserem et irritarem, hoc est, linguam ad maledicendum paratiorem. »

Vers. 15. 15. NOLI FOENERARI FORTIORI TE; QUOD SI FOENERAVERIS, QUASI PERDITUM HABE. — Græce: *Esto quasi qui perdidit*. Porro *fœnerari*, id est, mutuum dare. Hebr. enim נשה *nasa*, æque ac Græcum δανείζω, tam mutuo, quam usuræ tribuitur, tamque mutuare quam fœnerari, et ad usuram dare significat: unde δάνειον est mutuum, debitum, æs alie-

num, fœnus. Sic fœnerari pro mutuare capitur cap. XXII, vers. 2 et 10, ubi pluribus hæc sententia, mutuique damna recensentur. Nam usura jure naturæ et divino est illicita : quare prohibita fuit tam Judæis quam Gentibus, etsi Judæi moderni censeant sibi licitum esse fœnerari Christianis cæterisque Gentibus, modo non fœnerentur Judæis, idque censeant sibi indultum illis *Deuter.* XXIII, 19, verbis : « Non fœneraberis fratri tuo ad usuram, sed alieno. » Verum perperam, uti ibidem ostendi.

« *Fortiorem* hic, non viribus validum, sed elatione tumidum nuncupat, ait Rabanus, quia superbo, id est hæretico, communicare injuriæ magis est incrementum, quam quietis emolumentum. Et ideo in omni re magis devitandum est ejus consortium, quam alicujus lucri aut eloquentiæ per eum appetendum adminiculum. Perdit enim fœnus, qui ingrato tribuit; et minuit substantiam, qui perverso communicat. » Syrus vertit : *Ne mutuum dederis ei qui est fortior te, et si mutuum dederis, esto sicut amittens;* Tigurina : *Ne quid mutuo dederis homini potentiori; quod si dederis, pro amisso habeas :* quia ille robore et potentia sua fretus non solvet, imo arrogans censebit mutuum suum esse, sibique debitum; nec tu audebis repetere : quod si audeas, non poteris eum cogere; imo periculum est ne pejus ab eo mulcteris. Videtur hæc sententia diversa plane et disparata a præcedentibus, quales in hoc opere, æque ac in Proverbiis, sunt multæ. Veteres enim gnomologi non curant sententiarum ordinem, nec connexionem; potest tamen hæc præcedentibus sic apte connecti, *q. d.* Noli fœnerari fortiori te : quia, cum fœnus ab eo repetes, cogeris contrastare, ut præcessit, id est, litigare et rixari cum eo, ut sicut vers. præcedenti dixit, non esse contendendum cum contumelioso, quasi cum cane latrante: sic hic dicat non esse contendendum cum potente et robusto, quasi cum leone rugiente.

Vers. 16. 16. NON SPONDEAS SUPER VIRTUTEM TUAM (supra vires tuas) : QUOD SI SPOPONDERIS, QUASI RESTITUENS COGITA, — *q. d.* Cogita qua ratione illud restituere et solvere poteris. Unde Græca habent : *Ne fidejubeas super vires tuas; quod si fidejusseris, esto sollicitus perinde ac soluturus;* Syrus : *Ne fidejubeas ei qui fortior est te, et si fidejusseris, esto sicut solvens.* Qui enim fidejussor est pro debito alterius, sæpe eo deficiente, debitum ejus solvere cogitur. Unde illud : « Sponde, noxa præsto est; » quod inter tria præcipua Apollinis oracula erat tertium, teste Laertio. Pythagoræ vox est : « Age res præclaras, nihil magnifici interim promittens. » Theagenes vero ludibrium fuit sui ævi, quod, cum pauper esset, multa tamen supra vires promitteret : unde vocatus est καπνός, id est fumus, quod fumos verborum venderet. Optime Salomon : « Nubes et ventus, ait, et pluviæ non sequentes, vir gloriosus, et promissa non complens, » *Proverb.* XXV, 14. Minus recte Palacius spondere accipit pro vovere, *q. d.* Noli Deo vovere quippiam, quod sit supra vires tuas, vel tibi valde difficile : quia, quod vovisti, teneberis præstare, saltem partem quam potes, si totum non potes. Græcum enim ἐγγυήσῃ, non vovere, sed fidejubere et spondere significat. Nam sicut vers. præced. cautionen dedit de mutuo, sic hic dat de fidejussione. Potest tamen hæc sententia extendi ad quodvis promissum. Græcum enim ἐγγυάω non tantum significat fidejubeo, sed et fidem do, sive promitto, ut sensus sit, *q. d.* Ne promittas quid supra vires, ne fidem tuam homini obliges ad præstandum aliquid, quod tam facultatem superat; quia si fidem tuam obligaveris, cogeris eamdem re ipsa præstare. Hac ratione hæc sententia a pari vel potiori extendi vel aptari potest ad votum, quod est promissio facta Deo, *q. d.* Ne voveas rem aliquam, v. g. religionem, cujus austeritatem et onera vires tuæ non ferant, vel ægre ferant. Ita Rabanus, et noster Jacobus Alvarez de Paz *De Exterm. mali,* lib. III, part. I, cap. 8, et alii. Hoc est quod dicitur *Eccles.* V, 3 : Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere, etc. Quodcumque voveris, redde; multoque melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere. » *Deuter.* XXIII, 21 : « Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus; et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. »

Alludit ad *Proverb.* VI, 1, ubi Salomon graphice arctam fidejussionis obligationem et periculum depingit : « Fili, ait, si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es verbis oris tui, et captus es propriis sermonibus. Fac ergo quod dico, fili mi, et temetipsum libera, quia incidisti in manum proximi tui. Discurre, festina, suscita animam tuam : ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. Eruere quasi damula de manu creditoris (quasi venatoris), et quasi avis de manu aucupis, » *q. d.* Imitare damulas et aves, quæ omni studio retia vitant aut effugiunt. Damula est dorcas, vel caprea, quæ ægre a venatore capitur, teste Plinio, tum quia visu est acutissimo, indeque a δέρκειν, id est, videndo, dicta est dorcas : videns ergo eminus venatores et retia, illico diffugit; tum quia velocissima est et agillima, adeo ut retia transiliat, et in montes ac rupium juga hominibus bestiisque impervia transcendat, et quasi transvolet. Simili modo et tu laqueos creditorum omni conatu effugito.

Tropologice S. Gregorius, III parte *Pastor.*, Admonit. 5, hæc recte adaptat Præpositis et Pastoribus; hi enim spondent, seque obligant pro cura et salute subditorum, ac proinde pro ea jugiter solliciti esse et pervigilare debent, uti ait Paulus *Hebr.* XIII, 18 : « Spondere, ait, pro amico, est alienam animam in periculo suæ conversationis et sollicitudinis accipere, » etc.

Vers. 17. 17. NON JUDICES CONTRA JUDICEM, QUONIAM SECUNDUM QUOD JUSTUM EST, JUDICAT. — Pro *judices,* Græce

est δικάζου, quod verbum est forense, significatque causam agere, litigare, æque ac judicare. Pro *quod justum est, judicat*, videtur Noster in Græco legisse, κατὰ τὸ δίκαιον κρίνει. Jam legunt, κατὰ τὴν δόξαν αὐτοῦ κρίνουσιν αὐτόν, id est, *ne judices*, vel *causam agas*, contra judicem, *quia secundum opinionem ejus judicabunt eum, q. d.* In dubio an judicatum sit bene, præsumptio erit pro judice; præsumitur enim judex a principe, vel republica maturo consilio constitutus, esse æquus, sapiens, jurisperitus, causamque exacte examinasse, ac proinde dicent eum justas habuisse causas ita judicandi, etiamsi illæ subinde alios lateant. Rursum judices alii cæteris paribus judicabunt pro judice, ejusque sententiam confirmabunt, quasi ejus in officio socii et symmystæ, ne et ipsorum sententia ab aliis judicibus vicissim retractetur, et quasi injusta damnetur. Porro Græcum δόξα significat quoque dignitatem; unde aliqui vertunt, *nam secundum dignitatem jus ei reddunt, q. d.* Dicent judicem, utpote in dignitate et officio constitutum, jus habere, et juste judicasse; quare *sententia secundum ipsum pronuntiabitur*, ut vertit Tigurina.

Solent plebeii, cum in lite causa ceciderunt, ex dolore et indignatione queri de judice, quasi ab eo sibi facta sit injuria, eo quod causa eorum in communi vel abstracto spectata, speciem quamdam æquitatis habere videatur; qua in re graviter errant et peccant, quia non considerant circumstantias particulares facti, quæ sæpe speciem acti mutant, ut ex æquo fiat iniquum. Rursum gnorant jura positiva, sive divina, sive humana, puta Canonica et civilia, secundum quæ judex judicavit. Monet ergo eos Siracides, ut a judicio hoc fallaci et temerario abstineant. Sicut enim philosopho in re philosophica, Theologo in re Theologica, medico in re medica, fabro in re fabrili: ita judici in re judicata fides est adhibenda: « Unicuique enim in sua arte credendum est, » nisi manifeste appareat contrarium, scilicet eum vel ob munera, vel ob gratiam divitum, vel per crassam ignorantiam iniquam tulisse sententiam. Adde: Deus cuique in officio adest, ut illo rite perfungatur. Adest ergo judici, ut recte judicet, juxta illud: « Divinatio in ore regis; in judicio non errabit os ejus, » *Proverb.* XVI, vers. 10. Multo magis: « Divinatio in ore judicis, in judicio non errabit os ejus. » Ad judicem enim proprie judicium spectat, potius quam ad regem. Noli ergo temere judicem judicare tum, ne contra stimulum calcitres: judicis enim judicio stabitur, non tuo; tum ut in judice Deum, cujus vices gerit, nonores. Scriptum est enim *Psal.* LXXXI, 1: « Deus stetit in synagoga deorum (Hebr. *elohim*, id est *judicum*); in medio autem deos (judices) dijudicat, » ubi Chaldæus vertit, *Deus, cujus majestas commoratur in congregatione justorum, qui potentes sunt in lege, in medio judicum in veritate judicat, q. d.* Deus assistit judicibus, ut vice sua recte justeque judicent. Et II *Paral.* XIX, 6: « Non homini, sed Deo judicatis, qui vobiscum est in verbo judicii. » Deo ergo detrahit, qui detrahit judici, ait Lyranus. Hujus rei symbolum fuit virga Mosis et Aaronis, quæ in se sicca, a Deo tamen electa fronduit, floruit, fructusque illico protulit, ac plagas Ægypto intulit, vindicans oppressionem Hebræorum. Virga enim symbolum est recti judicii, quod exhibet judex, cum a Deo electus fuerit. Tunc enim a Deo quasi animatus et inspiratus, fructus veritatis, veras, inquam, sententias, profert et proloquitur.

Salomonem secutus Pythagoras, hoc statuit symbolum: « Staterem ne ingrediaris, id est, limites judicii et justitiæ ne excedas. » Ita Plutarchus lib. *De Liber. educ.* Huc facit apophthegma Syrorum: « Libræ ne opponas ferrum, id est, judici et justitiæ ne ponas obstaculum, ut tuam duritiem duramque cervicem illi opponas. » Syrus plane aliorsum abit; sic enim vertit: *Ne sedeas cum judice iniquo in judicio, ne secundum voluntates ejus judices cum eo.*

18. CUM AUDACE (Græce τολμηροῦ, id est temerario, audace, feroci) NON EAS IN VIA, NE FORTE GRAVET MALA SUA IN TE, — ne, scilicet, mala sua in te exoneret, iisque te gravet; quia, cum multa faciat ex audacia et temeritate, imprudenter et periculose, ejus periculorum eris particeps, quia consiliorum et actionum ejus habeberis conscius et socius, quin et ipse te pertrahet, ut ei revera coopereris, sisque in audacia sodalis. Pro « gravet in te, » græce est, βαρύνεται κατά σου, quod Complutenses vertunt, *ne gravetur contra te;* alii, *ne tibi sit gravis;* Tigurina, *ne facias iter cum temerario, ne ingravescat adversum te, q. d.* ne temerarie te invadat, spoliet, affligat, lædat vel occidat. Unde Syrus, *cum homine aspero ne incedas per viam, ne forte asperum faciat* (aggravet) *malum tuum.* Vers. 18.

IPSE ENIM SECUNDUM VOLUNTATEM SUAM VADIT, ET SIMUL CUM STULTITIA ILLIUS PERIES, — *q. d.* Ipse enim sequitur, non rationem ducem, sed suam temeritatem et cupiditatem, quæ eum et te cum eo perdent. Græce, *nam ipse, quod valuerit, faciet, et tu simul cum amentia illius peribis;* Syrus, *quoniam ille coram facie sua vadit, et tu in stultitiam ejus peribis.* Hoc est quod ait Salomon *Proverb.* XVIII, 2: « Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris quæ versantur in corde ejus. Porro, « qui nihil omnino timet, sed omnia adit, audax efficitur, » ait Aristoteles lib. II *Ethic.* cap. II. Idem lib. III, cap. VII: « Audaces, ait, præcipites sunt, voluntque ante ipsa pericula periclitari: in ipsis vero constituti absistunt; sed fortes, in operibus ipsis acres ac celeres, antea quieti sunt. » Unde sapienter Salomon *Proverb.* XXIV: « Noli, ait, esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso; ne forte discas semitas ejus, et sumas scandalum animæ tuæ. » Audax vitandus est.

Audax ergo similis est tauro, qui præit agmen armentorum, quem proinde omnia velut caput et ducem sequuntur. Rursum audax est velut flu-

men rapidum, quod omnia magno impetu convolvit, agitat et jactat, donec secum abripiat in mare; sic audax omnes secum rapit ad rapinas, stupra, cædes, ac tandem in gehennam. Sic Catilina nobilissimos Romanorum sua audacia pertraxit in conjurationem contra patriam ac bellum, quo omnes cum eo misere trucidati sunt. Sic Lucifer audax rebellans Deo traxit secum tertiam partem stellarum, id est, angelorum. Idem « misit ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen, ut eam faceret trahi a flumine, » *Apoc.* XII, 15. Idem faciunt audaces hæretici, qui in suas hæreses et scelera cætera, indeque in tartara omnes pertrahere satagunt, de quibus vide S. Gregorium lib. XIII *Moral.* cap. VII, S. Hieronymum *in Jerem.* II, S. Augustinum *in Psal.* LXXXVIII. Audacia enim facit animosos ad omne nefas, ut faciant quidquid libet, juxta illud *Psal.* LXXX, 13: «Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis. »

Tales ergo fugiendi sunt ut pestes, quæ sui contagio omnes inficiunt et necant. Nam, ut ait S. Basilius, *Constit. Monast.* cap. XXXIV : « Fit sæpe ut contagio ista latius serpens, eos etiam qui recto itinere sunt, aberrare faciat, distinctos a recta et justa via; et cunctorum exitii ille pœnas luet, a quo peccandi causa profecta fuerit. » Et paulo post : « Quocirca non absurde nos ratio impellit, ut qui spiritualem disciplinam violant, illos ab eorum qui ipsam conservant congressione secludamus. » Vide eumdem in *Reg. brevior.* interrog. 53, et *hom.* 9 : « Quemadmodum, inquit, in pestilentibus locis sensim attractus aer, latentem corporibus morbum injicit: sic identidem in mala consuetudine, maxima nobis mala hauriuntur. » Hinc Paulus II *ad Thessal.* III, 6 : « Denuntiamus autem vobis, fratres, ait, in nomine Domini nostri Jesus Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, et non secundum traditionem, quam acceperunt a nobis. » Olim Gentiles iter facturi invocabant Herculem, ut eos suo robore contra omnes hostium incursus tutaretur; nunc fideles invocant S. Raphaelem, qui dux viæ fuit Tobiæ; et S. Joseph, qui Jesum et Mariam duxit in Ægyptum. Unde supplices dicant : « Angelus et Joseph, Jesus et Maria me deducant in via. »

Huc pertinet apologus equi et muli, pulchris gnomis velut gemmis opere phrygio scite acupictus apud Cyrillum lib. II *Apologorum moralium,* cap. IV, cui titulus, *Contra audaces* : « Loricatus equus, inquit, sub milite de longe prælium odoratus, mox gloria narium erectisque auribus cum arrogantia capillorum, audacitatis suæ misit hinnitum. Cumque avida et instabili ungula se in aciem hostium immittere anhelaret, illi mulus adstitit, qui et dixit : Pone, frater, lethalem audaciam, et pavescens fuge, quoniam diræ transeunt sagittæ, ac lanceæ penetrant, et recordare quia nudus et mollis subtus te est venter tuus. At ille flamma pectoris ad verbum illud indignatus, sociali male gratus consilio talia refudit : Bene apparet, mule, quod sis asini filius, et ob hoc corde frigidus, semper timidus fuisti atque tardus. Quære tu tibi latibulum, et te custodiant mus et lepus. Quibus dictis, cum rapido cursu mox se misisset in hostem, hinc inde diris vulneribus perforatus, fuso sanguine, soluto regimine, debilitate corporis se prostravit. Deinde cum mulus semivivum hunc invenisset jacentem, derisit audacem, et subsannans arrogantem tot malis humiliatum, subjunxit : Ut quid te, carissime, Bucephalus genuit, postquam bulliente pectore vitam cum sanguine perdidisti? nimirum bene scripsit Aristoteles, quod semper calidi, corde fatui, capite furiosi, et amatores sint vini. Inde furit ebria, estque spei dedita juventus insana. » Deinde exemplis a natura situque cordis petitis ponendam docet audaciam, aitque : « Verum ne cor in audaciorem dementiam bulliat, ipsum splene subter, capite desuper, et jecore lateraliter, ad calorem ejus mitigandum, moderatrix natura vallavit. Apertis quidem oculis dormit lepus, quia qui corde est timidus, pro ejus custodia semper vigilante prudentia, in acie alatus timore requiescit securus. Sic cor parvum virtute collecta magis est vigorosum; cor autem grande naturaliter minus viget. Audax nauta facit naufragium, timorosus vero salvus venit ad portum. Quamobrem (*Proverb.* XXIV, 14) beatus homo qui semper est pavidus, quoniam ad salutem timor rebus viventibus est provisus. Quo dicto, equus audax toto fuso sanguine exstinctus est. »

Apologus audacis equi.

Exempla.

19. CUM IRACUNDO NON FACIES RIXAM, ET CUM AUDACE NON EAS IN DESERTUM. — Græca pro *iracundo* et *audace* habent unam vocem θυμώδης, id est, animosus, iracundus, audax; iracundi enim solent esse audaces, et audaces iracundi: abundant enim sanguine et bile, quæ generant iram et audaciam. Audax enim dicitur, qui aliis facile nocere audet, ait Palacius. Quare similis est sævo lupo, et tauro feroci, qui in omnes cornibus sævit instar furiæ. Tigurina, *ne committas pugnam cum iracundo, neve desertum cum eo perambules;* Syrus, *cum impio ne contendas contentione, et ne contendas cum eo in loco deserto.* Causam subdit :

Vers. 19.

QUONIAM QUASI NIHIL EST ANTE ILLUM SANGUIS (nihil æstimat effusionem sanguinis, cædem et homicidium); ET (id est idcirco) UBI NON EST ADJUTORIUM (puta, in loco deserto), ELIDET TE, — *q. d.* Duo solent absterrere a scelere et cæde, scilicet, horror facinoris, quo caret audax; et homines qui prohibeant, quibus caret solitudo, locusque desertus: quare utroque hoc freno carens audax, velut effrenis ruet in tuam necem. Unde Tigurina, *quoniam homicidium pro nihilo ducet, et ubi nihil est opis, prosternet te;* Syrus, *quoniam despicabilis est sanguis tuus in oculis ejus, et nisi habeas liberatorem, occidet te.* Quam hoc sit verum docuit parricidium Cain, qui Abelem fratrem duxit in

agrum, ibique solus solum occidit. Isidorus Pelusiota lib. I, *epist.* 322: «Sicut, inquit, haud tutum est cum homine pugnaci desertum peragrare, eodem modo haud facile est cum homine indocto sermones ineruditos movere. Ut enim ille omnibus corporis viribus in solitudine utetur, si quid, quod ipsum offendat, dictum aut actum fuerit: sic iste, nisi omnia ad ipsius inscitiam dicta fuerint, omnes et philosophicos sermones, et probos viros, ac virtutis amantes ex orbe terrarum explodit et eliminat; solet enim ut plurimum speciem fortitudinis exhibere temeritas. » Unde concludens suadet: « Quamobrem fer animo forti stultum et inconsideratum hominem, quandoquidem libenter sustines insipientes, tu qui sapiens es in Domino. »

Ratio hujus sententiæ est, quod ira sit quasi fera, quæ hominem in bestiam, v. g. in tigridem, transmutat: ira enim cum sit accensio vel fervor sanguinis circa cor, perturbat judicium, mentem obnubilat, rationem excæcat, et hominem insanire facit, ait D. Thomas I II, *Quæst.* XLVIII, art. 2 et 3. Hinc figuram humanam immutat, dum oculos facit scintillantes, vultum igneum, nares fumantes, os spumans, linguam balbutientem. Quocirca iracundus, ut aper, dentes ostentat; linguam, ut serpens, acuit; pedibus manibusque strepit, ut ursus; ut taurus, cornibus impetit; nulli, nec propinquo, nec amico, nec superiori parcit; et, ut Nyssenus ait lib. *De Beatitud.*, orat. 2 et 7, similis est energumeno, qui a dæmone agitatur, imo eo deterior est, quia motus hi irato voluntarii sunt, energumeno vero involuntarii et coacti. Siracidi consentit Salomon *Proverb.* XVIII, 14: « Spiritum, ait, ad irascendum facilem quis poterit sustinere? » Et cap. XXI, 24: « Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso, ne forte discas semitas ejus, et sumas scandalum (Pagninus, *laqueum*) animæ tuæ. » Nam, ut ait Seneca, lib. III *De Ira*, cap. I; Cætera vitia impellunt animum, ira præcipitat. Hæc non secus quam fulmina procellæque, et si qua alia irrevocabilia sunt, nec eunt, sed cadunt, vim suam magis ac magis tendit » Vide S. Basilium homil. *De Ira*, S. Ambrosium lib. I *Offic.* cap. VI, S. Gregorium lib. V *Moral.* cap. LI, LII, LIII. Salomonem secutus est Pythagoras, cujus hoc inter alia exstat symbolum apud Plutarchum *De Liber. educ.*: « Ignem igni ne addito. » Et: « Ignem gladio ne fodito, hoc est, iratos noli irritare, sed iis concede. » Vide dicta vers. 13.

Huic gnomæ antistrophe respondent parabolæ et apologi cap. XIII, vers. 1: « Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea; et qui communicaverit superbo, induet superbiam. Pondus super se tollet, qui honestiori se communicat. Et ditiori te ne socius fueris. Quid communicabit cacabus ad ollam? quando enim se colliserint, confringetur; » et vers. 20: « Omnis caro ad similem sibi conjungetur, et omnis homo simili sui sociabitur. Si communicabit lupus agno aliquando, sic peccator justo. Quæ communicatio sancto homini ad canem? aut quæ pars diviti ad pauperem? Venatio leonis onager in eremo: sic et pascua divitum sunt pauperes. »

Omnes hæ parabolæ et apologi eodem tendunt, idemque significant; quos proinde simili, eoque insigni vulpis simiam pro socio viæ eligentis, et cætera animalia respuentis apologo graphice depingit, et ad oculum repræsentat Cyrillus lib. I *Apolog. Moral.* cap. XXIV, cujus titulus: *Cum socio electo proficiscaris, aut converseris*: « Vulpes, inquit, ad declivem ætatem deducta, patrati reatus conscia, cum ad satisfaciendum peregrinari vellet, mox ejus peregrinationis rumor increbuit, atque peregrinanti canis se in comitem dedit. Cui vetula dixit: Latratu et morsu soles injuriam provocare, atque ideo non ibo tecum. Quo quidem repudiato, onager aiebat: Sequar te, soror. Cui illa: In sereno, inquit, dolens, et in tenebris gaudens lividus es: si mihi malum ingrueret, lætareris; si bonum contingeret, tristareris. Vade ergo, quia nolo in comitem luminis hostem. Quo rejecto, statim se ursus offerens advenit. Cui vulpes respondit: Nimis furiosi pectoris es, et paratam vindictæ ungulam habes; si fortassis in me, vel in alium ira desævires vel rueres, tunc aut confunderes sociam, aut ream hostiliter laniares. Tecum ergo non pergam. Tunc leoni, idipsum cum peteret: Quæso, inquit, carissime, ut mecum non venias, quoniam præcordialis validitate virtutis, multum es præsumptuosus et audax; tale quid forte velles attentare, unde vix aut nunquam pedem eriperem. Deinde dimisso leone, cum pavo se illi socium offerret, ei dixit: Nimirum propter auream pennam desideraris, et pompa effunderis, tecum non pergam, quoniam nolo caudam perdere ob tuam pennam et pompam. Quo sic repudiato, lupus se obtulit, et dixit: Quæso ut contritum recipias et pœnitentem. Cui illa: Rogo ut dimittas facinora me lugentem; quippe cum fure nullatenus vadam, ne tuæ damnationis et criminis particeps fiam. Sed et porco mox ingerenti se dixit: Vade, quia nolo tua sordescere fœditate. Tandem asino multum se commendanti, respondit: Recede a me, insensate, quoniam alicubi sine ratione clamares; et lupis accurrentibus, una tecum confunderer. » Omnibus ergo hisce rejectis, vide quos vulpes sibi socios asciverit: « Cunctis igitur his cum rationis judicio confutatis, consurgens vulpes, secum hos in socios, eorum allecta precibus, duxit: pantheram, cujus os redolet; simiam, quæ in plenilunio gaudet; agnum mitem, leporem pusillanimem, erinaceum cutis spinosæ, bovem de labore viventem, arminium sordes vitantem, formicamque prudentem. Cum quibus hilariter cum pergeret, corvus obvius dixit: Quænam est hæc caterva? Cui illa: Electus, inquit, comitatus prudentis. Nam cum electo electus eris, et qui cum sapientibus graditur, sa-

Apologus socii deligendi.

piens erit. Tum ille: Recte, inquit, judicasti. Sed doce, cum quibus conversando, quis prosperetur. Mox illa: Cum amatore, inquit, sapientiæ, et zelatore justitiæ, et cum amicitiæ fideli cultore. Quibus dictis, ultra processit. »

QUARTA PARS CAPITIS,

NON ESSE CONSULTANDUM CUM FATUIS ET EXTRANEIS.

Vers. 20. 20. CUM FATUIS CONSILIUM NON HABEAS: NON ENIM POTERUNT DILIGERE (legit ϛέρξαι, jam legunt ϛέξαι λόγον, id est, *tenere verbum*, hoc est servare secretum) NISI QUÆ EIS PLACENT, — scilicet fatua, periculosa et damnosa. Græce, *cum fatuo ne consulta: non enim poterit celare sermonem;* Tigurina, *ea quæ dicta sunt;* Syrus, *cum stulto ne conjungas* (velut visco glutinis) *secretum, quoniam non est potens ad cooperationem ejus,* ut illud tegat et celet, juxta Comicum dicentem:

Plenus rimarum sum, hac illacque perfluo.

Duplici ergo de causa vitandum est consilium stulti: prior, quia stultum, perinde ac ipse stultus est; posterior, quia ipse illud non servabit secretum. Nam *quæ eis placent* sunt garrulitas et stultitia; adde proprias eorum cupidines et commoda, *q. d.* Fatui et perversi diligunt suadentque ea quæ concupiscunt, quæque ipsis sunt commoda, non quæ tibi: propria enim commoda eis placent, non aliena. Huc facit proverbium Arabicum, *Centur.* 1, num. 26: « Ne aperi secretum tuum simiis, » id est ne detege arcanum tuum derisoribus et fatuis. Sicut enim simiæ actiones gestusque hominum, quos vident, imitantur: sic derisores eorum, quos derident, dicta factaque iterant et repræsentant. Quocirca sapienter monuit filium Tobias cap. IV: « Consilium semper a sapiente perquire. » Et Menander: « A viro prudente accipe consilium; prudens prudentium etenim est consilium. » Hinc illud invaluit: « Consilio et fortitudine chimæram superari, » quod exstat inter Alciati emblemata. Apuleius, lib. de *Dæmonio Socratis*, ita scribit: « Nonne Ulysses cum Diomede deliguntur, veluti consilium et auxilium, mens et manus, animus et gladius? Nihil egregium, nihilque magnificum perfici belle potest, in his potissimum quæ bellica negotia respiciunt, nisi maturo consilio conjungantur corporis vires. »

Porro S. Bernardus, epist. *ad Henricum Senonensem Archiepiscopum*: « Ad consilia, ait, soli eligantur, qui prudentes esse videntur et benevoli. Vix in multitudine hominum unum reperias in utraque parte consummatum. Haud facile siquidem, vel prudenti benevolentiam, vel fideli inesse sapientiam deprehendas; sine numero autem sunt, quos utriusque muneris expertes esse constiterit. »

Porro *fatui* dicuntur simplices, insulsi, insipientes, ita dicti a sapore ciborum, qui, cum non sapiunt, *fatui* vocantur, juxta illud Martialis, lib. XIII, 13: Fatui etymon.

Ut sapiant fatuæ fabrorum prandia betæ.

Aut a Fatua, de qua Justinus, lib. XLIII: « Fauno, ait, fuit uxor nomine Fatua, quæ assidue divino spiritu impleta, velut per furorem futura prænonebat; unde adhuc qui inspirari solent, fatuari dicuntur. » Fatui enim sæpe furore, quasi altiore spiritu aguntur, ut videantur enthusiastæ, vel prophetæ. Quocirca Turcæ fatuos, quasi Dei enthusiasmo actos mire venerantur, ut mihi narrarunt oculati testes, idque ad reverentiam et persuasionem sui Mahometis, qui, cum laboraret epilepsia, et deliraret, fingebat se corripi a spiritu Dei.

Vers. 21. 21. CORAM EXTRANEO NE FACIAS CONSILIUM (Græce κρυπτόν, id est secretum, vel occultandum): NESCIS ENIM QUID PARIET, — *q. d.* Nescis quid ex visis vel auditis a te, tanquam ex concepto semine apud se machinabitur, et tandem suo tempore edet in tuam perniciem, vel ignominiam, ait Jansenius. Qui enim norunt secreta alterius consilia, facile iis ad eum prodendum vel perdendum abuti possunt, præsertim extranei, quorum mens et fides incognita est, ac subinde dubia et suspecta. Græca, *nihil agas secreti cum alieno: nescis enim quid pariet.* Ita Tigurina, licet græce ad verbum sit, *coram alieno, q. d.* In conspectu exteri, cujus mens et fides non satis tibi est perspecta, nihil agas, quod velis esse occultum; græce enim est κρυπτόν, id est occultandum: quia periculum est ne illud evulget cum tuo damno et pernicie.

Moraliter nota *consilium* hic vocari secretum, quia nervus et vis, ac quasi anima consilii consistit in secreto; quod enim est anima latens in corpore, hoc est secretum latens in consilio. Id patet in bellis, ubi, si consilia invadendi hostem vel urbem sint secreta, milites imparatum hostem secreto adoriuntur et superant: sin emanent, hostis se munit, et consilium eludit. Idem est in procuratione officiorum, beneficiorum, mercium cæterarumque rerum: si enim tuum consilium celes, voto potieris; sin evulges, æmulos plures, vel invidos concitabis, qui te impedient et frustrabuntur. Idem locum habet in rebus spiritualibus. Hinc S. Ignatius, teste S. Hieronymo in *cap.* I *S. Matthæi*, dicebat Christum conceptum et natum Anima consilii est secretum.

ex Virgine, ut partus ejus celaretur diabolum; si enim ipse id rescivisset, omnibus nervis impedire sategisset.

Hinc et viri pii ac solertes sua pia proposita, quoad possunt, celant, etiam diabolum; ac tacite in mente cum Deo deliberant, illicoque quod concluserunt exsequuntur, antequam diabolus id rescire vel impedire queat. Atque experientia docet illa optime succedere; secus autem, si scilicet diu deliberes, signis prodas, evulges, diabolo resistente, mille invenies contradictiones, mille obices et difficultates, quas vix superabis. Tanti est secretum ad rem, præsertim arduam conficiendam. Hinc Festus consilium a sileo et silendo derivat, ut consilium idem sit quod cum silentio peragendum. Ita Metellus, rogatus quidnam facturus esset post domitos Macedones, respondit: « Tunicam meam exuerem, » imo exurerem, « si eam consilii mei consciam putarem. » Ita Plutarchus in *Apophthegmat. Romanis*. Et Antigonus rex rogatus a filio quando castra esset moturus: « Quid, inquit, metuis, ne solus tu non audias tubam? » Vox utique rege digna: ei arcanum non credidit, cui post mortem crediturus erat regnum. Ita Plutarchus, lib. *De Garrulit.* Hujus rei symbolo Gentiles Palladem, quæ est dea sapientiæ, dicebant inimicissimam esse cornici, eamque cornices comprimere, ac cornices nunquam ad ejus arcem advolare, ut significarent sapientiam inimicissimam esse garrulitati, cujus symbolum est cornix, utpote loquax et garrula. Ita Natalis Comes, cap. v, lib. IV *Mytholog.* Sapienter Q. Curtius, lib. IV *De Vita Alexandri*: « Res, inquit, magnæ sustineri ab eo non possunt, cui tacere grave est. » Quin et Persarum consiliarii, teste Ammiano lib. XII, silentium velut numen colebant. Romani vero silentii senatusconsulti violatores morte plectebant. Quocirca Pompeius, ait Valerius Maximus lib. III, cap. III, « dum legationis officio fungeretur, a Gentio rege interceptus, cum senatus consilia prodere juberetur, ardenti lucernæ admotum digitum cremandum præbuit, eaque patientia regi simul, et desperationem tormentis quidquam ex se cognoscendi excussit, et expetendæ populi Romani amicitiæ magnam cupiditatem ingeneravit. »

Exempla.

Alludit ad *Proverb.* XXV, 9: « Causam tuam tracta cum amico, et secretum extraneo non reveles, ne forte insultet tibi, cum audierit, et exprobrare non cesset. » *Extraneum*, græce ἀλλότριον, id est, alienum, abhorrentem: externum quemlibet accipe, sed maxime fide et religione a te tuaque gente dissidentem, quales Judæis erant Gentiles; hi enim in Scriptura vocantur בני נכר *bene nechar*, id est filii alieni, in genitivo: *alieni* scilicet Dei, quia deum alienum colunt, quos Septuaginta vocant ἀλλοτρίους, vel ἀλλογενεῖς, id est alienigenas, vel ἀλλοφύλους, id est allophylos, hoc est alienæ familiæ, puta Gentilis, quales fuere Philisthæi, Ammonitæ, Moabitæ, Idumæi, etc. Hi enim, utpote Gentiles, Judæis, quasi peregrini cultus et propriæ sectæ hominibus, erant infensi: Judæi vicissim eos, quasi idololatras, suosque æmulos et hostes adversabantur. Talibus ergo tamque infensis non erat tutum revelare secreta sua consilia. Unde Rabanus mystice per extraneos accipit hæreticos, quos Apostolus plane vitandos fidelibus esse monet, *ad Titum*, III, 10.

22. NON OMNI HOMINI COR TUUM MANIFESTES, NE FORTE INFERAT (Tigurina, *referat*) TIBI GRATIAM FALSAM, ET CONVICIETUR TIBI. — *Gratiam falsam* vocat benevolentiam fictam, *q. d.* Noli cuilibet candide animum tuum aperire, ne forte audiens candori huic tuo non respondeat, sed referat gratiam falsam, qua fingat se tibi fidum et benevolum, ut plura tuæ mentis secreta expiscetur, e quibus tuas animi ægritudines ipse perspiciat, ob easque te rideat, tibique convicietur. Vel *gratiam falsam* vocat malam, *q. d.* Pro bona gratia tua, qua ei fideliter et fidenter aperis credisque tua arcana, rependet tibi malam gratiam, puta convicium. Τὸ *falsam* jam non est in Græco, nec Syro; est tamen in Complut. Syrus sic habet, *ne omni homini reveles quod est in corde tuo, ne condemnet te gratia.* Gratia enim, si loqui posset, condemnaret te, quod gratiam illam candidæ revelationis tuæ insulso et ingrato conviciatori præstiteris, itaque illam quasi dehonestaris, et velut virginem adultero prostitueris. Unde Græca habent, *et non referat tibi gratiam*, sed pro gratia reponat contumeliam. Huc facit proverbium Arabicum, *Centuria* 2, num. 54: « Arcanum tuum de sanguine tuo est; sæpe aperuisti illud, et est causa mortis tuæ; » et *Centur.* 1, num. 7: « Ne deambula nudus per plateas, » id est, ne aperias secretum tuum coram hominibus, ne subsannent te. « Verba fac nocte, ubi non est avis nocturna, » id est, occulta arcanum tuum, et dignitatem tuam a turba idiotarum et stultorum. Et illud Epicharmi: « Sobrius esto, et memineris diffidere. » Nam, ut ait Theognis:

Vers. 22.

Fiso res periit, diffiso salva remansit·
Paucis e multis fidus adest animus.

Hoc est quod audivimus cap. VI, 6: « Consiliarius sit tibi unus de mille. »

Moraliter, hic disce quam caute servanda sint cordis arcana, quamque turpe et periculosum sit ea expiscari. Hæc enim insignis est curiositas quæ curiosum in magnas redigit angustias. Facilius enim est compescere curiositatem expiscandi secretum, quam ubi expiscatus fueris, illud tacendi. Imo, qui curiosi sunt ad expiscandum, curiosiores sunt ad propalandum: pruriunt enim ad revelandum secreta quæ norunt, ut scientiam suam venditent. Adde, esto crimen proditionis, non tamen suspicionem evadent; si enim res emanet, vehemens erit suspicio ipsos, utpote solos secreti conscios, illud evulgasse. Quocirca Philippiades poeta regi Lysimacho percharus, rogatus ab eo: « Quid vis tibi impertiam rerum

Moral. de custodia secreti.

mearum? Quodcumque voles, inquit, modo ne arcani quippiam. » Et Aristoteles, rogatus quis secretum cognitum servare posset, respondit: « Qui carbonem ignitum lingua continere poterit. » Ita Antonius in *Melissa*, part. I, serm. 72; nam, ut dicitur *Proverb.* XVI, 27: « In labiis ejus ignis ardescit; » Septuaginta, *ignem condit*. Sic Dalila expiscata secretum fortitudinis Samsonis, illud prodidit, et maritum perdidit, *Judic.* XVI. Gellius, lib. I, cap. XXIII, memorat Romanos senatores adeo celebrasse silentium Papyrii pueri, qui secretum senatus matri, non tantum verbis, sed et verberibus illud exigenti, prodere noluerat, ut ei inter pueros soli aditum in curiam concesserint, eique Prætextati cognomen honoris causa indiderint, ob tacendi loquendique in ætate prætextata prudentiam. Denique Plutarchus in *Moral.* hoc remedium exquirendi fidem alicujus in servando secreto, suggerit: « Ut vas, inquit, experiamur, non vinum infundimus, sed aquam; si enim depereat, parum refert. Sic frivolum quiddam committendum amicis, quo silentii fidem experiamur, ut si effutiant, nihil sit periculi. »

Sane S. Ambrosius ita sancte servabat secretum sibi commissum, ut illud ne quidem cum Satyro fratre sibi carissimo communicaret, uti ipse refert in ejus obitu, causamque addit, dicens: « Erat enim fidele indicium, extraneo non esse proditum, quod non esset cum fratre collatum. » Unde ipse in illud *Psal.* XL, *Egrediebatur foras, et loquebatur in idipsum*: « Aptus versiculus, inquit, adversus eos qui secretum alicujus produnt. Pulchre ait: Egrediebatur foras. Foris enim lupi, foris prædones: intus Moyses in nube cum Jesu. Foris Judæi: intus Zacharias sacerdos in templo. Foris multitudo: intus Spiritus Sanctus in cordibus nostris clamat: Abba pater. Foris adversarius noster, sicut leo pervigilat ad rapinam. Foris infideles: intus fideles. Et ideo eos, qui foris sunt judicabit Deus; eos autem qui intus sunt, Christus absolvit. Egrediebatur igitur Judas, et loquebatur. Egrediebatur de fide, egrediebatur de concilio et numero Apostolorum. Egrediebatur de convivio Christi ad latrocinium diaboli. Egrediebatur de gratia sanctificationis ad laqueum mortis, qui vana ad perfidos loquebatur. Egrediebatur foras, qui vitæ internæ mysteria relinquebat. »

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Agit de iis quæ vitanda sunt in feminis, ac de periculo quod est in earum aspectu, colloquio et consortio; usque ad vers. 14. Inde usque ad finem agit de iis quæ vitanda sunt in viris, docetque vitandos esse amicos novos, homines potentes, qui habent jus necis et vitæ, injustos, linguosos et temerarios.

1. Non zeles mulierem sinus tui, ne ostendat super te malitiam doctrinæ nequam. 2. Non des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtutem tuam, et confundaris. 3. Ne respicias mulierem multivolam, ne forte incidas in laqueos illius. 4. Cum saltatrice ne assiduus sis, nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius. 5. Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius. 6. Ne des fornicariis animam tuam in ullo, ne perdas te et hæreditatem tuam. 7. Noli circumspicere in vicis civitatis, nec oberraveris in plateis illius. 8. Averte faciem tuam a muliere compta, et ne circumspicias speciem alienam. 9. Propter speciem mulieris multi perierunt: et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. 10. Omnis mulier, quæ est fornicaria, quasi stercus in via conculcabitur. 11. Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti sunt: colloquium enim illius quasi ignis exardescit. 12. Cum aliena muliere ne sedeas omnino, nec accumbas cum ea super cubitum: 13. et non alterceris cum illa in vino, ne forte declinet cor tuum in illam, et sanguine tuo labaris in perditionem. 14. Ne derelinquas amicum antiquum: novus enim non erit similis illi. 15. Vinum novum, amicus novus: veterascet, et cum suavitate bibes illud. 16. Non zeles gloriam et opes peccatoris: non enim scis quæ futura sit illius subversio. 17. Non placeat tibi injuria injustorum, sciens quoniam usque ad inferos non placebit impius. 18. Longe abesto ab homine potestatem habente occidendi, et non suspicaberis timorem mortis. 19. Et si

accesseris ad illum, noli aliquid committere, ne forte auferat vitam tuam. 20. Communionem mortis scito, quoniam in medio laqueorum ingredieris, et super dolentium arma ambulabis. 21. Secundum virtutem tuam cave te a proximo tuo, et cum sapientibus et prudentibus tracta. 22. Viri justi sint tibi convivæ, et in timore Dei sit tibi gloriatio. 23. Et in sensu sit tibi cogitatus Dei, et omnis enarratio tua in præceptis Altissimi. 24. In manu artificum opera laudabuntur, et princeps populi in sapientia sermonis sui, in sensu vero seniorum verbum. 25. Terribilis est in civitate sua homo linguosus : et temerarius in verbo suo odibilis erit.

PRIMA PARS CAPITIS.

DE IIS QUÆ IN MULIERIBUS VITANDA SUNT.

Vers. 1. 1. NON ZELES MULIEREM SINUS TUI, — *q. d.* Ne sis zelotypus uxoris tuæ, quæ in sinu tuo requiescit, et male de ea suspicans, quod scilicet alium virum amet magis quam te, aut alius rivalis tuus eam amet et insequatur. Tigurina, *uxorem quam complecteris, ne prosequaris zelotypia.* Zelotypia ingens est conjugii morbus et malum. « Zelotypia, ait Cicero *Tuscul.* IV, est ægritudo, ex eo quod alter quoque potiatur (vel potiri putetur) eo, quod ipse concupiverit; » vel (ut Chrysippus), « est ægritudo animi ex eo proveniens, quod timeat ne adsit alteri, quod cum nemine velit habere commune. » Quæ inter conjuges suspicionum, rixarum, cædium omniumque malorum est causa, uti docet Tiraquellus, leg. XIII *Connubial.* num. 28. et seq., et leg. I *Connub.* cap. I et seq. Quin et S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinianum*: « Quid, ait, prodest etiam diligens custodia, cum uxor servari impudica non possit, pudica non debeat? infida enim custos castitatis est necessitas; et illa vere pudica est, cui licuit peccare, si voluit. » Porro *mulier sinus* vocatur, quæ in sinu mariti cubat et requiescit, non tantum cum dormit, sive per diem, sive per noctem in thalamo nuptiali; sed etiam cum prandet et cœnat. Olim in mensa discumbebant, id est cubabant in toris sive lectulis mensalibus, in singulis bini vel terni: ita ut in summo cubaret frater vel amicus, in medio maritus aut parens, in imo uxor et liberi, qui proinde recumbebant in mariti vel parentis sinu. Ita Plutarchus, lib. I *Sympos.*, Quæst. III: « Locus, inquit, infra eum (medium) uxoris est aut liberorum: qui supra est, ut par est, tribuitur convivarum honoratissimo. » Quocirca Titus Livius, lib. XXXIX, carpit T. Flaminium consulem quod meretricem in convivio in loco uxoris collocasset. Sic *Deut.* XIII, 6, dicitur: « Uxor quæ est in sinu tuo; » et cap. XXVIII, 54: « Invidebit uxori quæ cubat in sinu tuo. » *Michææ* VII, 5: « Ab ea quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui. » Igitur epithetum proprium uxoris est, requiescere in sinu mariti. Ita Delrio *Adagio* 125.

NE OSTENDAT SUPER TE MALITIAM DOCTRINÆ NEQUAM, — ne scilicet te decipiat, veneno perimat, aliterve noceat, aut saltem odiat, vel minus amet, et ad alios viros affectum transferat. Nam *doctrina nequam* sive perversa est, qua vetulæ perversæ, vel etiam veneficæ, docent uxores juvenculas improbas artes, quibus maritum zelotypum fallant aut perimant, aliterve ei noceant. Unde Syrus, *ne discat contra te astutiam malam;* Græce est, *ne doceas in te doctrinam nequam;* Tigurina sive Vatablus, *ne eam malam in te artem doceas, primo,* tua zelotypia in impellendo ad malas artes jam dictas; *secundo, q. d.* Ne tua zelotypia doceas eam simili modo esse zelotypam; zelotypia enim instar scabiei sese aliis affricat, et affricando contrahitur : cum enim uxor sentit se suspectam esse marito de adulterio, vicissim ipsum incipit habere suspectum, ne scilicet ipse ob suspicionem quam contra se habet, ad alias declinet; *tertio,* plane et simpliciter, *q. d.* Noli nimis amare et zelari uxorem tuam, noli nimis arcte et anxie eam custodire, ne doceas eam adulterari, ne scilicet ipsa adversum te faciat, quod videt te de se timere vel suspicari: tum quia continua suspicio adulterii, continuam ejus imaginationem, indeque concupiscentiam suscitat; tum quia, quæ nimis arcte videt se custodiri, ex impatientia foras erumpit, ut in libertatem se vindicet; tum quia mulierum indoles est curiosa et pertinax, ac illud quod sibi adeo vetari conspicit, maxime videre et experiri concupiscit, juxta illud :

Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata.

Vere Seneca : « Quidam, inquit, fallere docuerunt, dum timent falli, et illius peccati suspicando occasionem præbuerunt. » Et diserte Ovidius, lib III *De Art.*, eleg. 4 :

Desine, crede mihi, vitia irritare vetando :
Obsequio vinces aptius ipse tuo.
Vidi ego nuper equum contra sua frena tenacem,
Ore reluctanti fulminis ire modo :

Constitit, ut primum concessas sensit habenas,
Frenaque in effusas laxa jacere jubas.

Quocirca sapienter S. Ambrosius, lib. I *De Abraham*, cap IV : « Disce, inquit, mulier, zelum deponere, qui sæpe mulieres in furorem incitat. » Mulier enim, quia minoris judicii, et cupida, magis suspicionibus et zelotypiæ est obnoxia, quæ nisi refrenentur, adeo increscunt, ut eas dementent, et in furorem agant. Prudenter et Seneca in *Proverbiis* : « Zelum, inquit, de Deo tantum habeas, non contra homines; zelari autem hominibus vitiosum est. »

Zelotypiæ cædes.

Porro, quam damnosa et funesta sit zelotypia disce ab exemplis : Clytemnestra zelotypa fuit Agamemnonis regis sui mariti, suspicando eum adamare Chryseidem, ideoque ipsum occidit. Arsinoe occidit Demetrium, putans ab eo diligi Berenicen. Cleopatra occidit Nicatorem ob zelum Rhodogynæ, quæ erat soror Phraatis regis, ut tradit Appianus in *Syriaco*. Apollonius Rhodius, lib. I *Argonauticōn*, scribit Lemnias mulieres zelotypia incensas, quod mariti captivas mulieres adamarent, maritos suos omnes dormientes, et insuper universum genus masculinum obtruncasse. Medea suspicans virum suum alias adamare, ut se de eo ulcisceretur, proprias proles, quas ex eo susceperat, occidit, de quo Ovidius, lib. I *De Art.* :

Nec dolor armasset contra sua viscera matrem,
Quæ socii damno sanguinis ulta virum est.

Zelotypiæ remedia.

Sapiens zelotypiæ remedium dat Aristoteles lib. I *Œconom.* cap. IV : « Primum, inquit, leges sint viro ad uxorem, ut injuria cesset : sic nec ipse injuriam patietur; » et lib. II. cap. II : « Maximus honor, ait, est sobriæ mulieri, si cernat virum suum observantem sibi castitatem, nec de ulla muliere magis cogitantem, sed præ cæteris omnibus hanc et suam, et fidelem sibi existimantem. Tanto enim magis studebit mulier se talem præstare, quanto magis se cognoverit fideliter ac juste a viro diligi. » Et Lactantius, lib. VI *De Vera religione* : « Exemplo continentiæ, ait, docenda est uxor, ut se caste gerat. Iniquum est enim, ut exigas, quod ipse præstare non possis. » Hoc est quod ex S. Augustino dicitur cap. *Si dicturi*, 32, *Quæst.* VI, ut quales volumus uxores nostras invenire, tales et ipsæ nos inveniant. Frustra enim petit debitum, qui, quod debet non impendit : qui non facit quod debet, non recipit quod oportet. Dicet enim uxor marito : Cur ego te colam ut maritum, cum tu non me colas ut uxorem? juxta illud Domitii apud S. Hieronymum *ad Nepotianum* : « Cur ego te habeam ut principem, cum tu non me habeas ut senatorem? » Et illud Ciceronis, *Philip.* 2 : « Non tractabo ut consulem, ne ille quidem me ut consularem. »

Denique Alfonsus Aragonum rex, teste Panormitano in ejus Vita, zelotypiæ remedium ad vitam in conjugio tranquille transigendam hoc dabat : « Sit uxor cæca, maritus autem surdus fiat. » Uxor enim oculata, videns maritum cum aliis feminis, etiam negotiorum causa, agere, fit zelotypa; inde querimoniæ et rixæ. Rursus marito molesta est uxoris garrulitas, qua molestia carebit, si fiat surdus.

2. NON DES MULIERI POTESTATEM ANIMÆ TUÆ, NE INGREDIATUR IN VIRTUTEM TUAM (ita Romana; non, *in virtute tua*, uti legunt alii), ET CONFUNDARIS. — Vers. 2.

Græce, *non des mulieri animam tuam, ut ascendat ipsa super ψυχήν*, id est, *animam tuam*. Ita Complut., sed Romana legunt *ἰσχύν*, id est *super virtutem tuam*, hoc est, super vires tuas, vel super fortitudinem tuam, ut occupet arcem animæ tuæ. Est metaphora a militibus, qui ascendunt muros, itaque capiunt urbem, vel arcem, quam Itali vocant *la fortezza*. Sensus est, *q. d.* Ne permittas uxorem « potestatem, » id est dominium, exercere, ut, scilicet, ipsa dominetur et imperet « animæ tuæ, » hoc est, tuæ voluntati et tibi ipsi; « ne » ipsa « ingrediatur in virtutem tuam, » ut, scilicet, tuum jus, auctoritatem et imperium maritale sibi usurpet, teque sibi subjiciat, cui ipsa jure naturæ, divino et humano debet esse subdita; hoc enim tibi pudori erit, cum audies effeminatus, æque ac servituti et damno; mulier enim, cum passionibus agatur, et impotentis sit animi, impotenter tibi dominabitur. Unde clare vertit Vatablus, *ne permittas animum tuum mulieri, adeo ut pessumdet potestatem tuum, tuque dedecus incurras;* alii, *ne dederis mulieri animam tuam, ut transcendat ipsa vires tuas*, ut fiat te potentior et imperiosior; alii, *ne ascendat ipsa super animam tuam, teque sibi penitus subjiciat;* Syrus, *ne dederis mulieri animam tuam;* vel, *ne committas mulieri te ipsum* (hoc enim Syri vocant, *animam tuam*), *ut dominetur ipsa supra omne quod habes*. Hæc viri permissio oritur, vel ex animi pusillanimitate, vilitate et abjectione; vel ex nimio uxoris amore, quo omnia ei indulget, eique seipsum committit et permittit; vel quod uxor viro sit nobilior, ditior, potentior. Audi S. Hieronymum lib. I *Contra Jovin.* : « Refert Seneca, cognovisse se quemdam ornatum hominem, qui exiturus in publicum fascia uxoris pectus colligabat, et ne puncto quidem horæ præsentia ejus carere poterat, potionemque nullam nisi alterius tactam labris vir et uxor hauriebant, alia deinceps non minus inepta facientes, in quæ improvida vis ardentis affectus erumpebat. Origo quidem amoris honesta erat, sed magnitudo deformis. Nihil autem interest, quam ex honesta causa quis insaniat. Unde et Xystus in Sententiis : Adulter est, inquit, in suam uxorem amator ardentior. In aliena quippe uxore omnis amor turpis est, in sua nimius. Sapiens vir judicio debet amare conjugem, non affectu. Reget impetus voluptatis, nec præceps feretur in coitum. »

Vir ne sinat uxorem dominari.

Hæc Ethices naturalis naturalia sunt præcepta; unde eadem tradiderunt Gentium sapientes. Cato

Gnomæ.

senior objurgans summam uxorum Romæ licentiam et potentiam : « Omnes, inquit, homines uxoribus dominantur : nos omnibus hominibus, nobis autem uxores; » hoc modo colligens uxores esse rerum omnium dominas. Ita ex Plutarcho in *Apophth.*, Antonius in *Melissa*, part. II, serm. 34. Rursum Cato apud Livium lib. XXXIV, monet viros, ne uxores sibi æquari sinant : « Extemplo enim, inquit, simul ac pares esse cœperint, superiores erunt. Proinde date frenos impotenti naturæ, et indomito animali ; desperate ipsas modum licentiæ facturas, nisi vos faciatis. » Sic Salomon permittens mulieres sibi dominari, ab eis protractus est ad adorandum idola. Sic Adam se subdens Evæ, se et omnes posteros perdidit. Sic Hebræi fornicantes cum Madianitis, ab eis impulsi sunt ad colendum Beelphegor, *Numer.* XXV. In quem locum Origenes : « Captivantur, inquit, Israelitæ, non ferro, sed luxu; non virtute, sed libidine. » Ideoque vindicta divina in eos desæviit, uti ibidem narratur.

Quocirca apte Ægyptii, teste Horo Apoll., muliebris in virum dominatus dedecus et noxam repræsentarunt hieroglyphico viperæ ; mas enim viperæ in congressu cum femina, caput in os ejus inserit; unde illa delectatione venerea acta in rabiem, caput maris demordet, eumque perimit, teste Plinio lib. X, cap. LXII, Æliano lib. IX, cap. XXXI, et Galeno *De Theriaca ad Pison.* Simili enim modo vir uxori se subjiciens, sinit ab ea sibi caput, id est dominium, ac non raro vitam abscindi. Mulieris ergo lacrymæ, quibus virum sibi subjicit, sunt *lacrymæ crocodili*, quibus, scilicet, ipse cranium hominis emollit et scindit, ut cerebrum ejus devoret; simili enim modo mulier suis lamentis cerebrum homini eripit, eumque sibi objicit et dementat. Talis fuit Dalila Samsoni, Xantippe Socrati, Omphale Herculi. Pittaci Mitylenæi, qui unus fuit e septem Græciæ sapientibus, gnome exstat : « Uxori dominare. » Cornelius Tacitus, lib. *De Moribus Germanor.*, refert apud Sithonas feminas dominari : in quo, ait, non modo a libertate, sed etiam a servitute degenerant. « A muliere dominari, summum est viro dedecus, » ait Philo apud Antonium in *Melissa*, tomo II, *serm.* 34. Quin et Isaias cap. III, 12, ingenti probro Judæis vertit, quod « mulieres dominatæ sunt eis. » Plutarchus in *Præceptis connub.* cap. V : « Quæ malunt, inquit, stolidis viris imperare, quam parere sapientibus, similes illis sunt, quæ ducere potius volunt cæcos, quam intelligentia visuque præditos sequi. » Ergo viri tales sunt despicabiles, uxores pariter contemptibiles. Vide Tiraquellum leg. I *Connub.*, num. 19 et seq., unde num. 26, ex Donato ait, uxorem dici ab ungendo, eo quod olim maritum lavare et ungere solerent, quasi viri famulæ, non dominæ.

Vers. 3. 3. NE RESPICIAS MULIEREM MULTIVOLAM, NE FORTE INCIDAS IN LAQUEOS ILLIUS. — « Multivolam, » id est meretricem, quæ multos vult amasios. Alii « multivolam » interpretantur, ad multorum concupiscentiam evolantem; hæc enim græce vocatur ἑταιριζομένη, quæ, scilicet, amat multos ἑταίρους, id est socios, procos et amasios; ἑταίρα enim est socia, amica, meretrix. Noster videtur legisse ἑτεριζομένη, per ε, non per αι, ab ἕτερος, *q. d.* Quæ alios et varios amat : quod eodem redit. Græca ergo sic habent : *Ne occurras mulieri meretrici, ne forte incidas in laqueos illius;* clarius Tigurina : *Mulieri meretrici ne te des obviam*, etc. Syrus : *Ne converseris cum meretrice, ne cadas in retia ejus.* Mulierem hanc multivolam, ejusque laqueos graphice depingit Salomon *Proverb.* VII, vers. 10 : « Occurrit, inquit, illi (juveni) mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas, garrula et vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos insidians, apprehensumque deosculatur juvenem, et procaci vultu blanditur,» et quæ sequuntur.

Tropologice, mulier multivola est concupiscentia : hæc enim instar mulieris, muliebria habet desideria, multaque vult et concupiscit, adeoque est insatiabilis, ac semper dicit : « Affer, affer, » *Prov.* XXX, 15. Quare ut eam effugias, noli in eam respicere, quia, sicut species mulieris, ita et concupiscentiæ est illecebrosa, mentemque infatuat et ad se rapit. Causas varias dedi *Thren.* cap. I, 8.

Rursum mulier multivola est hæresis, et hæreticorum synagoga, quæ per diversos errores volitat, ait Rabanus et ex eo Glossa.

Vers. 4. 4. CUM SALTATRICE NE ASSIDUUS SIS, NEC AUDIAS ILLAM, NE FORTE PEREAS IN EFFICACIA (illecebrosi saltus et cantus) ILLIUS. — Jansenius contendit legendum, *cum psaltrice;* Græca enim habent, μετὰ ψαλλούσης, id est, cum psallente. Alii, *cum fidicina*, id est, ea quæ ludit canitque fidibus. Unde Syrus, *cum cantatrice ne familiaris fias, ne perdat te fabulis suis;* Vatablus, *cantatricem mulierem ne frequentes, ne forte conatibus ejus capiaris;* alii, *cum fidicina ne assuesce, ne capiaris artibus ejus.* Verum Biblia Romana et cætera Latina, æque ac S. Cyprianus mox citandus, constanter habent, *cum saltatrice;* unde videtur. Interpres noster, qui antiquus est, in vetustis codicibus legisse, non ψαλλούσης, sed ἁλλούσης vel ἁλλομένης, unde Latinum *saltantis;* aspiratio enim græca in litteram Latinam *s* vertit solet. Ratio est : nam feminæ doctæ ad numeros saltare, valde virorum animos movent, et in sui amorem illiciunt suis tripudiis et choreis, uti filia Herodiadis rapuit Herodem omnesque convivas ; adeo ut pro mercede ei dimidium regni offerret, imo caput S. Joannis Baptistæ ; olim enim ars saltandi fuit mirabilis, et mire illecebrosa, adeo ut saltatrices admiratione et amore suos suspenderent spectatores, teste Rhodigino lib. V, cap. III. Adde, choreæ hæ fiunt ad numeros et cantum tibiæ,

citharæ, testudinis, clavicymbali, etc., quibus ad delicias musica vocum et cantus adjungitur, ut numerosa sit harmonia; quin et ipsæ saltatrices illecebrosæ saltando canere solent, ut tam cantu quam saltu instar Sirenum dementent et rapiant animos juvenum, juxta illud Virgilii VI *Æneid.*:

Pars pedibus plaudunt choreas, et carmina dicunt.

Et Tibullus lib. I:

Ille liquor docuit voces inflectere cantu;
Movit et ad certos nescia membra modos.

Et hoc est, quod subdit Siracides: « Nec audias illam, ne forte pereas in efficacia, » Græce ἐν ἐπιτηδεύμασιν, id est, *in exercitiis*, vel *artibus*. Ita Complutens.; aut, ut Tigurina, ἐπιχειρήμασιν, id est, *conatibus*; vel, ut Romana vertunt, *tentationibus ejus*. Porro, quanta sit vis et tentatio cantus feminei, docet Claudianus, lib. I *De Raptu Proserp.*:

Ipsa domum tenero mulcens Proserpina cantu, etc.

Et Ovidius, lib. XIV *Metamorph.*:

Unde canens dicta est sylvas et saxa movere;
Et mulcere feras, et flumina longa morari
Ore suo, volucresque vagas retinere solebat,
Quæ dum feminea modulatur carmina voce, etc.

Vere Seneca in *Proverbiis*: « Blanditia, inquit, non imperio, fit dulcis Venus. » Et: « Habet suum venenum blanda oratio. » Denique præclare S. Cyprianus *De Singul. Cleric.*: « Mulier, inquit, nunc detegit membra, nunc fatigata jactatur, aut in risum aliquando dissolvitur, nunc blanditias exhibet, et quod est venenosius super cuncta, psallere delectatur aut canere. Cujus cantu tolerabilius est audire basiliscum sibilantem. Contra quam Salomon sic nos cautos efficit: Cum saltatrice noli assiduus esse, nec audias eam, ne forte pereas in efficacia ejus. » Et rursum: « Avertite, ait, occasiones impudicas. Amputanda sunt omnia vobis, quæcumque igniferi fomitis sulphurantibus flammis candens fornax ebullientis carnis exæstuat, ne vel tenuis quidem scintilla majora conflet incendia, quod Salomon manifestat dicens: A scintilla una augetur ignis. » Periclitatur navis, si vel scintilla in vas pulveris tormentarii inciderit; et securum se censebit adolescens, qui inter ardentissimas gehennæ prunas, mulierum scilicet et libidinum irritamenta, discurrit? Ibidem S. Cyprianus hæc castitati dat attributa, vel elogia: « Castitas est munimen invictum sanctimoniæ, fortitudinis firmitas, animæ victoria, ubertas gloriarum, pax secura virtutum, debellatio inquieta bellorum, honestatis portus, ignominiæ naufragalis locus, lorica pudoris, corruptionis exitium, dissolutionis occisor, armatura virium, acquisitio triumphorum, requies salutis, vita spiritus, status qualitatis angelicæ. » Nazianzenus in *Distichis*: « Ignis stipulæ propinquus, parum tuta res: nihilo tutius, o monache, tibi fuerit mulierem virginem contubernalem habere. »

5. VIRGINEM NE CONSPICIAS, NE FORTE SCANDALIZERIS (in ruinam luxuriæ traharis) IN DECORE ILLIUS. — Romani ex Græco legunt, *in decoribus ejus*. Virginis enim multiplex est decor: *primus*, ætatis florentis; *secundus*, sexus feminei; *tertius*, virginitatis; *quartus*, elegantiæ vestium et cultus. Vatablus vertit, *ne contempleris virginem, ut ne noxam ex pretioso ejus cultu contrahas;* alii, *ne quando impingas in concupiscentiis ejus;* Syrus, *virginem ne attente inspicias, ne condemneris* (id est debitor, aut reus fias) *in dote ejus duplo;* ne, scilicet, si ex aspectu labaris in fornicationem cum ea, et pretium virginitatis ablatæ ei restituere, eamque uxorem ducere et dotare debeas, juxta legem *Exodi* XXII, 16 et 17, et *Deuter.* XXII, 29. Quocirca sapienter Job cap. XXXI, 1: « Pepigi, ait, fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. » Quin et Alexander Magnus noluit videre Darii filias jam a suis captas, dicens: « Non committam, ut cum viros vicerim, a mulieribus vincar. » Ita Plutarchus in *Alexandro*. Præclare Nazianzenus in *Præceptis ad Virgines*: Vers. 5.

Virgo sis oculis, sis ore atque auribus ipsis.

Et inferius:

Christus amore tui flagrat: ne forma virilis
Te premat, et medio sedem sibi pectore figat.

Idem *ad Seleucum*, Iambico 3:

Quodcumque labem visui accersit, fuge,
Oculos ut ipse virgines serves tuos.

Beda in *Proverb*: « Oculi petulantes, ait, cordis luxuriosi sunt proditores. » Rursum Nazianzenus in *Distichis*: « Si procul a femina abfueris, manet scintilla; si autem vitæ commercium cum ea habeas, ex parvo vento magnum incendium excitabis. » Et paulo superius: « Virgo, et oculis et abditis corporis partibus virgo esto, nec marem ullum curatorem tibi asciscas. Christum amicum habes; viros omnes aspernare. Quid tibi mortiferum toxicum intus habere opus est? Equidem in hac canitie corpus lanio, oculos premo, diurnis nocturnisque curis ter miseram animam conficio, ut eam a flamma extraham: ne sic quidem tamen, nisi admodum ægre, corpus in potestate teneo. Quanam ergo fronte tu et ætate florens, et carnes elephante ipso latiores excitans, postea mihi delicias facis, perinde atque egregii quadam puritate præditus, atque amasiam tuam spirituali duntaxat amore complectens? O aversandum amorem, quem Christus fastidit! Monachi, monasticam vitam ducite. Nam, si cum amasiis vitæ consuetudinem habeatis, non jam monachi estis. Virgo, Christum habes immortalem adjutorem, sponsum desiderabilem, erga cœlestem formam tuam zelotypum. »

Forma libidinis illex.

Porro, nihil est quod ita libidinem accendat ac decor et forma. Ita Tertullianus *De Cultu femin.*, sub initium: « Decorem, inquit, naturaliter invi-

tatorem libidinis scimus. » Leucippus apud Antonium in *Melissa*, tom. I, cap. LX : « Pulchritudo, ait, acutius, aut, si malis, velocius vulnerat quam sagitta, et per oculos in animum defluit. » Et Domitianus Imperator : « Decore, ait, nihil gratius, nihil et brevius. » Quocirca Horatius lib. IV *Carm.*, ode 13, pulchritudinem appellat facem, quod ad amorem accendat. Imo Donatus S. Hieronymi præceptor : « Veteres, inquit, ignem et calorem, quemdam quasi fervorem, dixerunt formam. Et hinc fornaces, forcipes, formam et formosos, ex quibus ignis amoris exoritur. » Et Festus Pompeius : Forma, ait, significat modo faciem cujusque rei, modo calidum, ut cum exta, quæ dantur, deforma appellantur. Servius vero in lib. VIII *Æneid.*: Forma, ait, dicitur a forvo, quod calidum significat, quod et Nonius Marcellus autumat. Quocirca Theocritus apud Laertium in *Vita Aristotelis*, formam vocat « eburneum detrimentum, » quod grata sit aspectui, sed multorum incommodorum causa. Socrates vero ibidem, formam vocat « exigui temporis tyrannidem. » Idcirco sapienter Protagoras apud Antonium in *Melissa*, tom. II, cap. XXXIII : « Uxorem, inquit, temperantem quærito, non formosam. Ille enim est thesaurus, qui surripi non potest; hæc autem animi opinio, sive persuasio. » Igitur, sicut ignis adurit ligna, sic aspectus corda. Aspicit sol speculum politum, mox flamma, quæ res objectas exurat, surgit in speculo. Aspicit vir feminam pulchram, surgit illico flamma amoris in viro. Unde Fotis meretrix apud Apuleium lib. II : « Discede, ait, miselle, a foculo, discede; nam, si te vel modice meus igniculus afflaverit, ureris intime. »

Quocirca S. Basilius, lib. *De Virgin.*, docet, virgini summe custodiendos esse oculos, ne ullius viri vel feminæ species menti infigatur: aut, si infixa sit, omni studio accersendo alias et contrarias species, omnino deleatur. Singularis in hac re fuit S. Hugo, Gratianopolis Episcopus, per 52 annos, qui cum crebro primariarum feminarum confessiones exciperet, ita oculos ab eis avertebat, ut nullam de facie, si occurreret, cognosceret, uti habet ejus Vita.

Remedium amoris, absentia.

Hinc et Philosophi remedium amoris docent esse absentiam, ne videas amicam : sic enim ejus oblivisceris, eamque e mente et phantasia erades. Ita Propertius lib. III, *eleg.* 20 :

> Magnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas,
> Ut me longa gravi solvat amore via.
> Crescit enim assidue spectando cura puellæ;
> Ipse alimenta sibi maxima præbet amor.

Imo, ut ait Virgilius lib. III :

> Uritque videndo
> Femina,

instar speculi orbicularis, radiis solis accensi. Quocirca apposite ad culpam Zaleucus, Locrensium legislator, adulteris oculos erui sanxit, ait Plutarchus V *Sympos.*; cumque ejus filius in adulterium incidisset, ut pœnam non mitigaret, sed divideret, unum oculum sibi, alterum filio erui jussit. Oculi enim sunt in amore duces, et, ut ait S. Petrus *epist.* II, cap. II, 14, « pleni adulterii, et incessabilis delicti. » Oculos autem sequitur imaginatio, imaginationem cor et amor. Unde Job cap. XXXI, 7 : « Si secutum est, inquit, oculos meos (Hebr. *si abiit post oculos*) cor meum; » et *Thren.* III, 51 : « Oculus meus deprædatus est animam meam. » Ubi plura hac de re dixi. Hinc Plato censuit visionem fieri, non recipiendo, sed emittendo spiritus visivos, illosque amorem accendere. Aristoteles vero, licet censeat visionem fieri receptione specierum, non emissione, tamen notat oculis mulierum, quæ duplicem habent pupillam, inesse virus.

6. NE DES FORNICARIIS ANIMAM TUAM IN ULLO. — Vers. 6. « Fornicariis, » id est, meretricibus; Græce enim est, πόρναις. *Dare animam* est animum adjicere, seipsum addicere, et quasi totum dedere : quo enim se adjicit anima et voluntas, eo adjicit se totus homo : animam enim sequitur corpus, et voluntatem sequuntur cæteræ potentiæ, sicut servus herum. Gaudet Siracides hac phrasi, ut patet vers. 2. Dicit, « in ullo, » id est, in ulla re, quia qui in una re, v. gr. in aspectu, adjicit animum ad meretricem, mox adjicit et vocem et linguam et mentem, totamque animam : perinde ut scintilla corripiens stipulam unam, mox proserpit, et cæteras omnes depascitur.

NE PERDAS TE (quia fornicatio enervat corpus, famam commaculat, conscientiam æternæ mortis ream efficit) ET HÆREDITATEM TUAM, — quia meretrix est bonorum charybdis et vorago, quæ divitias, licet ingentes, absorbet, ut patet in filio prodigo, qui opes suas cum meretricibus absumpsit. Græca tantum habent, *ne des scortis animam tuam, ne perdas hæreditatem tuam*; Tigurina, id est Vatablus, *ne appellas animum tuum ad meretrices, ne perdas possessionem tuam*; Syrus, *ne des meretrici animam tuam* (id est, teipsum); *ne pessumdes hæreditatem divitiarum tuarum, et ignominia afficiaris in plateis civitatis, et scribaris in offensa debitorum*. Quæ ultima verba Græcus et Noster dirimunt, referuntque ad versum sequentem. Si ergo semel animum applicueris ad meretricem, illa dementabit te, ut non nisi de illa cogites, loquaris, somnies, ejusque fias servus et mancipium, ut illa dominetur tibi tuisque opibus. Huc facit proverbium Hebræorum initio Gemaræ in *Suta* : « Quod erucæ sesamis (vel oleribus), id meretrix est in domo; » sicut enim eruca sesama vel olera, in quibus degit, vastat : sic meretrix domum, in qua habitat, consumit, ac miserum virum devorat, estque quasi teredo ossium ipsius.

Præclare S. Basilius, serm. 2 *In Divites avaros* : « Nullus, ait, concupiscentiæ muliebri satis est thesaurus : non si fluminibus fluxeris. » Lais

Corinthia meretrix pro unius noctis usura decem millia drachmarum deposcebat; quod audiens Demosthenes: « Ego, inquit, tanti pœnitere non emo, » teste Gellio lib. I, cap. VIII. Flora quæstu corporis immanes opes congessit, quarum populum Romanum hæredem scripsit: unde a Romanis inter deas relata, etiamnum forum, quod vulgo Floræ nuncupatur, obtinet. Vide S. Augustinum lib. II *De Civit.* cap. XXVII. In dies videmus meretrices esse vortices patrimoniorum, Scyllas opum, Charybdes fortunarum, ac ditissimos per eas exhauriri, fierique pauperrimos, et ad indusium redigi.

Vers. 7. 7. NOLI CIRCUMSPICERE IN VICIS CIVITATIS, NEC OBERRAVERIS IN PLATEIS ILLIUS. — Quia hæc curiositas vagandi et circumspiciendi, vagi cordis est indicium, et libidinis incentivum; necessario enim incurrit in species mulierum, quæ ejus oculos tenent, mentemque rapiunt. Sicut enim impudicus oculus, ait S. Augustinus, impudici cordis est nuntius: sic incustoditus oculus incustoditi cordis est nuntius. Vide apud eum plura lib. *De Honestate mulier.* tomo IX, et apud S. Basilium tract. *De Virginitate*, qui egregie hanc rem pertractat. Docet ergo Siracides non vagis, sed directis ante se oculis esse incedendum, rectaque pergendum eo quo tendis. Hac de causa vitiata est Dina filia Jacob a Sichem, quod curiosius per plateas urbis vagaretur et circumspiceret, *Genes.* XXXIV, 1. Græca pro *in plateis*, habent *in desertis*, vel in locis solitariis; ibi enim incentivum peccati est solitudo, cum quis putat se a nemine videri, ideoque sine pudore et infamia posse explere suam cupiditatem. Unde Tigurina: *In vicis urbis ne circumspectes, nec in secretis ejus locis oberres.*

Symbolice, quid plateis frequentibus cum solitudine infrequenti? Respondet Clemens Alexandrinus lib. III *Pædag.* cap. IV: « Est solitudo, etiamsi sit turba incontinentium, ubi non est homo pudicus. » Magis vero ad litteram Beda in *Proverbiis*: « Non vivas aliter, inquit, in solitudine, aliter in foro. »

Vers. 8. 8. AVERTE FACIEM TUAM A MULIERE COMPTA (Græce, εὐμόρφου, id est formosa, ob formam tum naturalem, tum ascititiam per ornatum comæ et vestium. Unde sequitur): ET NE CIRCUMSPICIAS SPECIEM ALIENAM. — Tigurina, *ne contempleris pulchritudinem alienam.* S. Nazianzenus, orat. *Adversus mulieres ambitiosius se ornantes*, docet eas quæ fuco gaudent, ut plurimum esse impudicas. « Ferunt, inquit, insolentem pavonem, cum curvato collo, pennisque gemmantibus circulum efficit, feminas clangore suo ad venerem invitare. Eodem modo admodum mirabor, si tu aliam ob causam formam pingas, quam ut nitidorum et salacium virorum oculos ad te convertas. » Mulier ergo fucata est idolum Veneris, et Venus colorata. Vide Tertullianum lib. *De Cultu femin.* cap. XII, ubi comptas vocat, « infelicissimas publicarum libidinum victimas, » quia « lenocinia formæ, nunquam non prostituto corpori conjuncta et dedita. » Et S. Cyprianus, lib. *De Habitu virginum*: « Ornamentorum, ait, ac vestium insignia et lenocinia fucorum, non nisi prostitutis et impudicis feminis congruunt, et nullarum fere pretiosior cultus est, quam quarum pudor vilis est. » Notat S. Chrysostomus, hom. 3 *De verbis Isaiæ*: « Non dixit, inquit, Ne videas: id enim nonnunquam fit ultro; sed, μὴ περιβλέπου, id est, ne circumspicias illam, tollens ne studio animadvertamus, ne curiose intuearis, ne contemplationi immoreris. » Et D. Augustinus in *Regul.* I, cap. XXI, ad finem primi tomi: « Oculi, inquit, vestri, etsi jaciuntur in aliquam feminarum, defigantur in nulla. » Et paulo post: « Quia sicut scriptum est: Abominatio est Domino defigens oculum. » Quamvis hic locus, neque in Vulgata reperiatur, neque unde desumptus sit ab Augustino explicetur. Huc facit illud *Thren.* III, 51: « Oculus meus deprædatus est animam meam in cunctis filiabus urbis meæ. » Ubi profunde S. Hieronymus, vel potius Rabanus citans illud *Job.* cap. XXXI, 1, *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine*, rationem reddit: « Ne prius, inquit, incaute aspiceret, quod postmodum invitus amaret. Nam semel species formæ cordi per oculos alligata, vix magni luctaminis manu solvitur. Intueri non debet, quod non debet concupisci. Ut munda mens in cogitatione servetur, deprimendi sunt oculi, quasi quidam raptores, ad culpam. » Hanc Jobi cautionem admiratus D. Chrysostomus serm. *De Joseph Patriarcha*, in I tom.: « Job, inquit, diabolum quidem videns accedentem, non fugit; sed mansit, sicut leo, viribus fidens: virgine autem visa non stetit, neque moratus in contuenda pulchritudine, sed statim secessit. » Hanc quoque causam innuit Siracides, dum subdit:

Vers. 9. 9. PROPTER SPECIEM MULIERIS MULTI PERIERUNT (Græce, ἐπλάνησαν, id est, erraverunt, seducti et decepti sunt), ET EX HOC CONCUPISCENTIA QUASI IGNIS EXARDESCIT. — Amoris enim objectum est pulchrum. Sicut ergo bonum rapit voluntatem, verum rapit intellectum: sic pulchrum rapit amorem et affectum. Vide dicta vers. 5. Siracidi succinit Ben-Sira *Alphabeto* 2, litter. *Beth*: « Bellæ mulieris specie multi pessumdati fuerunt, et robusti omnes interfecti ab ea. » Et litter. *Daleth.*: « Abstrahe carnem tuam a muliere gratiosa, tanquam a carne prunarum, » *q. d.* Caro mulieris gratiosæ, non tam caro esse videtur, quam prunæ accensæ, quæ ignem concupiscentiæ in spectantibus accendunt. Et litter. *He*: « Absconde oculos tuos a muliere gratiosa, ne capiaris reti ejus. » Nam oculi sunt proxenetæ peccati: sicut enim proxeneta mediator est inter emptorem et venditorem ad ineundum contractum: ita oculi mediatores sunt cordis et mulieris speciosæ, illudque cum hac conciliant et colligant. Rursum rete feminarum est forma, quo potentissimos et sapien-

tissimos quosque capiunt, ut ceperunt Davidem, Salomonem, Samsonem. Quocirca Socrates virum bonum aiebat debere habere, non tantum manus, sed et oculos, aures et linguas abstinentes. Sublimius S. Gregorius XXI *Moral.* II : « Intueri non licet, quod non licet concupiscere. » Nam, ut ait S. Bernardus serm. 5 *In festo omnium Sanctorum* : « Quod non videt oculus, cor non dolet. »

Libido ignis. Porro concupiscentia et libido recte comparatur igni exardescenti, tum quia per eam physice incalescit sanguis, spiritusque vitales et animales, qui generationi deserviunt; tum quia per eam animus exardescit amore rei venereæ : unde Job cap. XXXI, 1 : « Ignis est, inquit, usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina. » Idem docent Philosophi et Poetæ. Virgilius de Didone amante Æneam libro IV *Æneid.* :

Ardet amans Dido, et cæco carpitur igni.

Horatius lib. I *Carm.*, ode 27 :

Quæ te cumque domat Venus,
Non erubescendis adurit ignibus.

Lucretius lib. I :

Ignis Alexandri Phrygio sub pectore gliscens.

Ovidius III *Fastor.* :

Arserat Æneæ Dido miserabilis igne.

Tibullus lib. II, *eleg.* 4 :

Uror, io remove, sæva puella, faces.

Hinc Cupido deus libidinis cum face pingitur, qua hominum animos inflammat.

Vers. 10. 10. OMNIS MULIER, QUÆ EST FORNICARIA, QUASI STERCUS IN VIA AB OMNIBUS CONCULCABITUR. — Hic versus et sequens jam desunt in Græco et Syro. Unde Jansenius censet eos ab Interprete vel alio quopiam additos, ad explanationem versuum præcedentium. Verum hoc parum est verisimile : sic enim non haberet auctoritatem canonicam S. Scriptura; et quis tam temerarius, qui hosce versus suos S. Scripturæ, quæ est epistola Spiritus Sancti, ut ait S. Gregorius, inserere ausus fuisset? Dicendum ergo Latinum Interpretem vetustum plenius et copiosius habuisse exemplar Græcum, quam nunc exstet. Porro « fornicaria, » sive meretrix, recte comparatur stercori : *primo*, ob fœtorem, tum corporis, tum animæ; *secundo*, ob fœditatem pariter utriusque; *tertio*, ob vilitatem; *quarto*, ob abominationem. Meretrix enim omnibus passim se prostituit, et quasi stercus calcandam se permittit : unde honesti omnes eam despiciunt, abominantur et horrent, præsertim nunc, cum morbum Gallicum, qui summum cruciatum et putorem parit, suis amasiis afflat. Denique meretrix est cloaca sordium et stercorum. Unde *Ezech.* XVI, 25 : « Abominabilem fecisti, ait, decorem tuum, et divisisti pedes tuos omni transeunti. » Et *Jerem.* cap. II, 20 : « Sub omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix. » Et vers. 36 : « Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas ! » Quocirca S. Chrysostomus, homil. 24 *ad Popul.* : « Fornicator, ait, nunquam est in seipso, sed in sepulcris versatur : sepulcra sunt meretricum diversoria, cum multo fœtore, multa putredine sint repleta. » Et Plinius, lib. VIII, cap. XVII et XXVII : « Panthera, ait, sic avida est excrementorum hominis, ut, si in vase suspendatur altius, quam ut possit attingere, enecet sese defatigati porrectu corporis : ita nonullis, quod fœdissimum, id dulcissimum est. »

Vers. 11. 11. SPECIEM MULIERIS ALIENÆ MULTI ADMIRATI, REPROBI FACTI SUNT. — « Reprobi, » id est, improbi, non reprobati a Deo, et damnati ad gehennam; multi enim post fornicationem pœnitent, fiuntque sancti et electi Dei. Ita Suarez et Vasquez I part. tom. I, *Quæst.* XXIII, disp. 95, cap. IV. Sic II *Timoth.* III, 8, hæretici vocantur « reprobi circa fidem, » quia, scilicet, veram fidem reprobant, abjiciunt, corrumpunt : hi enim græce vocantur ἀδόκιμοι; multi tamen ex illis melius edocti resipiscunt et salvantur. *Secundo*, proprie « reprobi, » quia multi, imo major pars mundi, ob fornicationem et libidinem, a Deo reprobatur et damnatur. Cum enim libido frequentatur, ita animum tenet et possidet, ut evelli nequeat. Unde fornicarii fatentur sæpe cum lacrymis se velle a fornicatione abstinere, sed non posse ob inveteratam consuetudinem in re tam lubrica et illecebrosa. Quocirca S. Remigius, Rhemensis Episcopus : « Demptis parvulis, inquit, ex adultis propter carnis vitium pauci salvantur; » perinde ac ejus causa totus mundus periit diluvio, « quia omnis caro corruperat viam suam, » *Genes.* VI, 12. Quin et Seneca in *Proverbiis* : « Amor, inquit, arbitrio animi sumitur, non ponitur. Amans, quid cupiat, scit; quid sapiat, non videt. Amor extorqueri non potest, elabi potest. Amare, et sapere vix diis conceditur. » Hinc *Venus* ab ingeniosis nonnullis dicta putatur a *Ve*, id est, sine; et νοῦς, id est mente, quod hominem excæcet et mente privet. *Ve* enim priscis fuit particula privativa, ut vecors, id est, privatus corde; vesanus, id est, privatus sanitate mentis : licet Cicero Venerem a veniendo derivet, lib. II *De Natura deorum* : « Venus, inquit, dicta, quod ad res omnes veniret, atque ex ea potius venustas, quam Venus ex venustate. »

COLLOQUIUM ENIM ILLIUS QUASI IGNIS ARDESCIT, — in actu perfecto, ita ut non tantum in se ardeat, sed et audientes sui amore succendat, et ardere faciat. Unde Syrus, *et amor ejus sicut ignis exurit.* Est hebraismus, quo *cal*, id est neutrum, sumitur pro *hiphil*, id est activo. Hoc est quod ait Salomon *Proverb.* V, 3 : « Favus distillans, labia meretricis : novissima autem ejus amara quasi absinthium. » Apposite Hugo Victorinus lib. *De Carnal. nuptiis vitandis* : « In favo mellis, inquit, duo sunt, scilicet, mel et cera; in facie meretricis

duo sunt, scilicet, decor et gratia, hoc est, pulchritudo oris, et dulcedo sermonis. Cera succendit ignem, mel præbet dulcedinem. Sic pulchritudo meretricis igne libidinis inflammat carnem, blandimento lenocinantis sermonis subvertit mentem. Stillat mel ex cera, dum meretrix verba sua mollit et facit dulcia. »

Vers. 12. 12. CUM ALIENA (Græcè ὑπάνδρου, id est, conjugata, maritata, quæ aliena est, id est, alterius viri uxor) MULIERE NON SEDEAS OMNINO, NEC ACCUMBAS CUM EA SUPER CUBITUM. — Docuit vitanda esse consortia virginis, viduæ, meretricis ; nunc et conjugatæ vitanda esse docet, quia similis in ea est illecebra, ac majoris peccati, puta adulterii, periculum. Græca hic variant : nonnulla enim delent τὸ *nec accumbas super cubitum;* Complutenses legunt, μὴ κατακλιθῇς ἐπ ἀγκαλῶν μετ' αὐτῆς, id est, *ne accubueris in ulnis cum ea ;* Tigurina, *apud mulierem maritatam ne sedeas omnino, nec inter ulnas ejus recumbas.* Verum Clemens Alexandrinus, lib. II *Pædag.* cap. VLI, legit ut Noster, μὴ κατακλιθῇς ἐπ' ἀγκῶνα μετ' αὐτῆς, id est, *nec accumbas cum ea super cubitum;* et Syrus, *cum domina domus ne innitaris cubito tuo.* Olim enim cœnaturi vel pransuri mensæ non assidebant in scamnis, sed accumbebant jacentes in toris sive lectulis mensalibus, qui singuli tres convivas capiebant, ita ut cubito innixi dorsum reclinarent in sinum alterius, puta primus in sinum secundi, secundus in sinum tertii. Suadet ergo, ne vir assideat uxori alterius, præsertim in mensa in eodem lectulo recumbendo in sinu illius, aut vice versa, quia hic uxoris alienæ contactus indecens est et illecebrosus; corpus enim feminæ est quasi ignis urens animum viri. Vel ipse mulieris tactus, ait S. Hieronymus lib. I *Contra Jovin.*, quasi contagiosus et venenatus est viro fugiendus, non minus quam rabidissimi canis morsus. Multo magis contagiosum est assidere feminæ; præter enim contactum continuum, adest jugis ejus aspectus et colloquium. Unde Syrus paraphrastice vertit : *Ne multiplices vir cum muliere sermonem, et ne prolonges cum ea narrationes,* vel *confabulationes tuas.* Quocirca olim apud Hebræos (ut indicat hic Siracides), Syros cæterosque Orientales, præsertim Græcos et Persas, et etiamnum apud Italos aliasque nonnullas gentes honestatis causa, in publicis conviviis feminæ separatæ a viris discumbunt, ut patet in convivio Assueri, *Esther* I, vers. 9. Apud nonnullas alias tamen gentes feminæ cum viris accumbebant, adeoque mulier in gremio viri, vir cubito innixus cœnabat, teste Rhodigino lib. XXVII *Antiq.* cap. XXV, quod proinde carpit et dissuadet hic Siracides.

Præclare S. Cyprianus lib. *De Singular. Cleric.*: « Nunquam, inquit, securus cum thesauro latro tenetur inclusus, nec intra unam caveam habitans cum lupo tutus est agnus. Ipse se voluit superari, qui hostem proprium in suas portas induxit; et intestinum gladium sibi ipse supposuit, qui locum habitationis suæ adversarii ingressibus reseravit. » Hæc ille : vir enim mulieri cohabitans alter alteri est latro, lupus, vipera, gladius et pestis. Addit S. Cyprianus : « Qui fretus est conversari cum scandalo, sine causa dicit: Pacatus volo esse cum diabolo,» contra Apostolum dicentem : « Nolite locum dare diabolo, » *Ephes.* IV, 27, quia, scilicet, alter alteri est quasi diabolus ac gehenna; nam sibi invicem diabolicum et infernale suscitant incendium.

Vers. 13. 13. ET NON ALTERCERIS CUM ILLA IN VINO. — Græce συμβολοκοπήσῃς, quod primo, accipi potest pro συμβολὰς ποιῇς, uti legit Clemens Alexandrinus lib. II *Pædag.* cap. VII, id est, *symbola facias :* symbolum enim vocatur convivium vel symposium, quod ex collatione cujusque convivæ instruitur, ubi, scilicet, quisque sumptum pro rata solvit. Symbolum enim dicitur a συμβάλλειν, id est conferre : unde illud : « Ex symbolis convivium celebrare,» vel apparare, quod facere vetuit Concilium Laodicense can. 54, vel, ut alii, 55. Quocirca Romana vertunt, *neque agites cum illa convivia in vino;* Complutenses, *ne converseris cum ea in vino;* Syrus, *ne misceas cum ea vinum;* Tigurina, *ne committas cum ea compotandi gratia symbolum;* alii ad verbum, *ne symbolum conferas cum ea in vino.* Verum Noster, συμβολοκοπήσῃς, quasi verbum a se nove compositum, derivavit, non a σύμβολον, sed a συμβολή, id est congressio, conflictatio, conflictus prœliaris; et κοπέω, id est laboro, *q. d.* Ne labores in conflictatione, puta, ne contendas cum ea bibendo : ideoque vertit, *non alterceris,* scilicet, contendendo cum ea, ut tibi propinanti ad totidem vel ad æquales haustus integre calices evacuando respondeat; aut contendendo cum ea dicteriis, jocis, tactibus, risibus, quæ omnia concupiscentiæ sunt flabella. Gaudet Siracides compositione nova verbi κοπέω. Sic enim superius dixit, φανταστοκοπῶν, id est, qui laborat phantasia, phantasticus; et cap. XXXV, vers. 11, μὴ δωροκόπει. Sic et Salomon in *Proverbiis,* πορνοκόπον vocat scortatorem. Porro Siracides hoc verbum mutuatus videtur ex Septuaginta. Hi enim *Deuter.* XXI, 20, habent : *Filius noster,* etc. συμβολοκοπῶν, id est, symbola confert, hoc est, *comessationibus vacat,* ut vertit Noster. Eamdem vocem eodem significato usurpant Aquila, Symmachus et Theodotion *Proverb.* XXIII, vers. 20 et 21. De his symbolis plura dicam cap. XVIII, vers. 32 et 33.

NE FORTE DECLINET COR TUUM IN ILLAM (quia tam assessio quam compotatio, puta vinum, suscitat libidinem) : ET SANGUINE TUO LABARIS IN PERDITIONEM. — Græca habent πνεύματι, id est, *ne spiritu tuo labaris in perditionem,* dum, scilicet, spiritus tuus carnem et concupiscentiam sequens, labitur in adulterium, indeque in rixas et cædes. Unde Tigurina, *ne affectu tuo prolabaris in perniciem,* ut vel maritus adulteræ, vel judex te propter adulterium occidat. Verum Noster pro πνεύματι, legit αἵματι, id est *sanguine.* Sic etiam legit Clemens

Alexandrinus, lib. II *Pædag.* cap. VII, et Syrus, qui vertit, *ne sanguine damnatus sis in inferno deorsum*. Sensus ergo est, *q. d.* Noli conversari cum uxore alterius, ne irrites ejus maritum ad jurgium et pugnam, in qua effundatur sanguis tuus, vel mariti, vel utriusque, itaque labaris in perditionem vitæ tuæ, vel alienæ, ac in perditionem gehennæ æternam, uti vertit Syrus. Hinc videas magis puram, vetustam et genuinam esse Vulgatam Latinam editionem, quam sit textus Græcus. Vere Apollonius e cupidine et amore mulieris impudicæ omnia mala oriri docet, dum ita canit :

Supplicium crudele viris ac pœna cupido,
E te sunt rixæ, certamina, bella, querelæ.

Secundo, apposite noster Emmanuel Sa : *Sanguine*, inquit, id est hepate, sive jecore. In eo enim est fons sanguinis, qui inde per venas in totum corpus derivatur, et consequenter in eodem est sedes concupiscentiæ. Per *sanguinem* ergo hepar et concupiscentiam accipe metonymice, ut sensus sit, *q. d.* «Ne sanguine,» id est, concupiscentia, quæ residet in hepate et sanguine, labaris in perditionem, puta in adulterium. Jungit cor hepati, quia cor trahit hepar sanguinemque ad amandum accendit. Per cor appetitum et voluntatem accipe, aut etiam sensum et sapientiam, juxta illud vulgatum :

Cor sapit, et pulmo loquitur, fel commovet iram,
Splen ridere facit, cogit amare jecur.

SECUNDA PARS CAPITIS,

QUA POSTQUAM DOCUIT, QUÆ FEMINÆ CAVENDÆ SINT, DOCET, QUI PARITER VIRI CAVENDI SINT.

Vers. 14. 14. NE DERELINQUAS AMICUM ANTIQUUM : NOVUS ENIM NON ERIT SIMILIS ILLI. — Græce ἐπίσης, id est *æqualis, par*, ut vertit Tigurina ; Syrus, *novus non pertingit ad illum*, tum quia vetus magis est cognitus et perspectus quam novus ; tum quia cum veteri assuevisti, eique te et tua accommodasti, cum novo autem mores multos novare et mutare debebis, ut ei te accommodes; tum quia vetus longo tempore probavit suam fidelitatem et constantiam. Sunt nonnulli novarum rerum avidi, qui uti cætera, ita et amicos crebro mutant et innovant. Alii fastidiosi leviter ab amico offensi, vel si quid sibi displicens in eo animadverterint, illico eum derelinquunt, et novum quærunt. Verum in his nec stabilis amicitia esse potest, nec prudens, quia in novo amico deprehendent pariter similia, imo majora et plura, quæ displiceant. Igitur tales crebro et continuo amicos mutant; nec advertunt vitium non tam esse in amico quam in seipsis, puta novitatis aviditatem, mentis nimis teneræ et delicatæ levitatem et inconstantiam : quæ duo si resecent et mortificent, amicus vetus non displicebit; et si quid in eo displiceat, longo usu idipsum tolerare discent. Vere S. Hieronymus in cap. VII *Michææ* : « Amicus, inquit, diu quæritur, vix invenitur, difficile servatur. » Et Ben-Sira *Alphabeto* 1, littera *Resch* : « Amicum veterem ne abnegato. » Idem docuere Gentiles. Cicero, lib. *De Amicitia*, quærens an novi amici veteribus sint præferendi, sicut equis vetulis juniores anteponimus? respondet : « Indigna homine dubitatio. Non enim debent amicitiarum esse sicut aliarum rerum satietates : veterrimæ quæque (ut ea vina quæ vetustatem ferunt) debent esse suavissimæ, verumque est illud, quod vulgo dici solet : Multos modios salis simul edendos esse, ut munus amicitiæ expletum sit. Isocrates ad Demonicum : « Sero, ait, amicus fias; factus autem persevera. »

Amicus vetus novo melior, cur ?

Mystice, vetus amicus est Deus, qui nos amando prævenit, amavitque ab æterno, et amabit in æternum. Unde S. Augustinus in *Confess.* : « Sero te amavi, pulchritudo antiqua, pulchritudo nova, » quia, licet antiqua, ita tamen diligentem et contemplantem delectat, ut ei videatur semper esse nova. Idem, lib. *De Amicitia*, cap. X : « Fundamentum amicitiæ, Dei amor est, ad quem omnia quæ vel amor suggerit, vel affectus, omnia quæ occulte aliquis spiritus vel palam suadet amicus, referenda, et diligenter sunt inspicienda, ut quidquid astruitur, fundamento conveniat. » Et S. Hieronymus in cap. VII *Michææ* : « Si vis, ait, vera amicitia delectari, esto amicus Dei, sicut Moses, qui loquebatur Deo quasi amicus ad amicum. Esto amicus, ut Apostoli, ad quos Salvator ait, *Joan.* XV, 15 : Jam non dicam vos servos, quoniam servus nescit quid velit dominus; sed dicam vos amicos, quoniam perseverastis mecum in omnibus tentationibus meis. »

Vers. 15. 15. VINUM NOVUM, AMICUS NOVUS : VETERASCET (ita Romana; sed Rabanus, et alii legunt, *veterascat*), ET CUM SUAVITATE BIBES ILLUD, — *q. d.* Sicut novum vinum, puta mustum, cum ætate defæcatur, vim suam exerit, corroboratur, incalescit, fitque suave ad bibendum : sic plane et amicus novus; non ergo novus abjiciendus est ex eo quod veterem illi præposuerim, sed sustinendus est, ostendendo ei amorem et confidentiam, donec veterascat; tunc enim senties ex ejus amicitia suavitatem, æque ac utilitatem non modicam. Esto enim mustum dulce sit, et dulcius vino veteri, tamen, quia turbidum est et fæculentum, ac cru-

dum et indigestum, hinc minus sanum est, minusque generosum et gratum appetitui virili, ac propriam vini suavitatem, puta, vinosum saporem, non obtinet. Quocirca Christus *Luc.* v, 39: « Nemo, ait, bibens vetus (vinum), statim vult novum; dicit enim: Vetus melius est. » Hinc proverbium: « Vino vetere utere. » Quod mystice de sapientia intelligitur: hæc enim ab antiquis doctoribus melius discitur quam a recentibus et novis. Ergo, o Christiane, illa fides, illa doctrina, illa religio, quæ a tempore Christi et Apostolorum in Ecclesia consenuit, bibenda est. Unde Græce est, *si inveteraverit;* vel, ut Tigurina, *inveteratum, demum bibes cum voluptate;* Syrus: *Amicus novus, sicut vinum; et cum inveteraverit, potabis eum.*

Audi Macrobium et Plutarchum, lib. III *Symposiac.;* apud Rhodiginum, lib. XXVIII, cap. XXXVII: «Vini infantia, quæ prædulcis sentitur, mox dum in pubertatem abit, suavitatis induit proprietatem. » Ergo vinum novum, cum infans est, dulce quidem, at suave non est, quia vinosum saporem non habet. Unde Homerus dulcedinem melli, suavitatem vino tribuit. Et Aristoteles, lib. IV *Meteor*: « Vinum prædulce, ait, nomine quidem vinum est, re et opere non est: succus enim vinosus non est, ac propterea temulentiam minus affert, » puta, minus inebriat quam vina vinosi saporis.

Aliud dulce aliud suave.

Vers. 16. 16. NON ZELES GLORIAM ET OPES PECCATORIS. — *Zelus* multa significat, multosque actus complectitur: zelare enim *primo*, est invidere; *secundo*, dolere et indignari; *tertio*, vehementer amare; *quarto*, æmulari et imitari. Unde Syrus: *Ne æmuleris virum impium, quia nescis quis sit finis ejus. Primo* ergo, sensus esse potest, *q. d.* Ne invideas peccatori suas opes et gloriam, quia brevi hæc cum eo corruent et subvertentur. *Secundo, q. d.* Ne indigneris quod peccatores sint opulenti et gloriosi. Sic David ait *Psal.* LXXII, 3: «Zelavi super iniquos, pacem (id est, prosperitatem) peccatorum videns. » Unde hunc et zelum et indignationem de felicitate impiorum habuerunt multi Sancti veteris Testamenti, qui de ea quasi expostulant cum Deo, ut *Habacuc* cap. I, 13; *Jerem.* XII, 1; *Job* XXI, 7. *Tertio, q. d.* Ne ames et concupiscas opes et gloriam peccatoris. *Quarto,* ne imiteris peccatorum actus et modos ad comparandum opes et gloriam, juxta illud *Psal.* XXXVI, 1: « Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem. » Multi enim justi pauperes, videntes impios prosperari et ditari, secuti sunt eorum semitas, factique sunt impii, ut similem prosperitatem et divitias consequerentur.

Rationem subdit: NON ENIM SCIS QUÆ FUTURA SIT ILLIUS SUBVERSIO. — Græce καταστροφή, id est *finis, exitus,* ut vertit Syrus et Tigurina; item *subversio,* vastatio, interitus, mors. Unde ultimæ tragœdiæ pars desinens in mortem vel calamitatem, vocatur *catastrophe, q. d.* Nescis, aut non cogitas, nec consideras, quod hæc peccatorum felicitas brevi subvertenda sit, et convertenda in magnam infelicitatem, paupertatem et ignominiam, perinde ac lætum tragœdiæ initium in tristem desinit catastrophen. Id enim sæpe fit in hac vita, et semper in futura.

17. NON PLACEAT TIBI INJURIA INJUSTORUM. — Rabanus et S. Augustinus in *Speculo* legunt, *justorum;* sed eodem redit sensus, *q. d.* Non placeat tibi injuria, quam justi ab injustis patiuntur. Græca habent, μὴ εὐδοκήσῃς εὐδοκίαις ἀσεβῶν, quod Complutenses vertunt, *ne placeas tibi approbationibus impiorum;* Romana, *non bene sentias de beneplacito impiorum;* Tigurina, *quod placet impiis, tu non probes;* alii, *ne idem tibi placeat, quod impiis;* Syrus, *ne æmuleris iniquum, qui prosperatur.* Hæ versiones, licet verbis differentes, eodem tendunt; sensus enim est, *q. d.* Impiis summe placet prosperitas, opes et gloria, cum omnia illis ex sententia fluunt, illudque quasi summum bonum maximi æstimant, ideoque ut ea acquirant, injuriam crebro faciunt aliis, per rapinas, calumnias aliasque injustitias: at tu qui sapis, noli illos æmulari, noli tale habere beneplacitum, ne magni facias laudes, vel appetas eorum prosperitatem. Vers. 17.

SCIENS QUONIAM USQUE AD INFEROS NON PLACEBIT IMPIUS. — Cui? Respondet *primo,* Lyranus et Dionysius, Deo, hoc sensu, *q. d.* Impius non placebit Deo in hac vita; at in altera placebit ei, cum impietatis pœnas luet apud inferos: ibi enim placebit Deo et Sanctis in pœna justaque vindicta, qui hic displicuit in culpa. *Secundo,* melius Jansenius, *q. d.* Impius adeo non placet Deo, ut eum brevi ad inferos sit præcipitaturus, juxta illud *Psal.* XLVIII, 15: « Sicut oves in inferno positi sunt: mors depascet eos. » *Tertio,* alii plenius repetunt *tibi,* quod præcessit, et per ellipsin supplent, *cum descendet,* vel *descendens, q. d.* Quoniam descendens, vel cum descendet usque ad inferos, non placebit impius. Sic *Job* XXIV, 19: «Usque ad inferos, inquit, peccatum illius,» supple cum Chaldæo, *deducet eum.* Sic S. Joannes *epist.* I, cap. V, 16, vocat « peccatum ad mortem, » quod hominem ad mortem deducit. Sic *Prov.* II, 18, dicitur: « Et ad inferos semitæ ipsius, » supple, tendunt, vel descendunt. Sensus ergo est, *q. d.* Non placeat tibi injuria impii, quia tibi non placebit ejus pœna; nam impius ipse ob hanc injuriam usque ad inferos deprimetur, ibique acerrime punietur: sicut ergo tunc tibi non placebit impius in inferorum tormentis, sic nec tunc tibi placeat in suis prosperitatis blandimentis, quibus dominatur, aliisque iniquus est, et injurias infert.

Unde Græca pro *non placebit,* habent μὴ δικαιωθῶσιν, id est, *non justificabuntur impii usque ad inferos.* Quod *primo,* explicari potest, *q. d.* Adeo non justificabuntur impii, ut damnandi sint et relegandi usque ad inferos. *Secundo,* Tigurina

vertit : *Memento impios usque ad inferos nihil esse acturos;* Vatablus, *nihil esse dicturos, quod justum sit. Tertio,* alii vertunt : *Memento quod impii usque ad inferos non sint evasuri pœnas,* sed eas incursuri, ut τὸ μὴ δικαιωθῶσιν, id est, *non justificabuntur,* sit idem quod justi, insontes et immunes a pœna non declarabuntur : sic enim justificare subinde idem est quod justum declarare, ut cum dicitur : « In conspectu tuo non justificabitur omnis vivens. » Rursum per miosin, *non justificabuntur* idem est quod damnabuntur. Sic insons, sive innocens, capitur pro impunito, I *Regum* XXVI, 9 ; *Prov.* XI, 21 ; *Exodi* XX, 7, ubi dicitur : « Nec enim insontem habebit Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra. » *Insontem,* id est impunitum, ut explicatur *Deuter.* V, 11, *q. d.* Deus enim acriter puniet. *Quarto,* Delrio *Adagio* 197, in digressione 2, loco 77 : « Impii, inquit, usque ad inferos non justificabuntur, » id est, justam et condignam meritorum mercedem (puta, æterna supplicia) non percipient, donec ad infernum descendant, ubi nemini amplius poterunt nocere, et de ipsis fiet justitia; ideo tunc demum placebunt Sanctis in pœna, quibus viventes displicuerunt in culpa, juxta illud *Psal.* LVII, 11 : « Lætabitur justus cum viderit vindictam : manus suas lavabit in sanguine peccatoris. » Sic Itali, Galli, Germani, Hispani, Belgæ dicunt justificari, vel *justitiari* reum, cum a judice per carnificem occiditur : tunc enim reo jus suum, puta supplicium ei debitum, redditur. *Quinto,* Syrus vertit : *Recordare quod usque ad mortem non vincit, q. d.* Impius in hac vita per potentiam vincit, ac per injuriam opprimit justos, sive in judicio, sive extra illud ; at non semper vincet et opprimet, adeoque tandem a morte vincetur, victusque trahetur ad inferos; solet enim Scriptura elidere et infringere prosperitatem et injurias impiorum per commemorationem finis et pœnæ, quæ eos manet in morte et in gehenna.

Noster pro δικαιωθῶσιν videtur legisse εὐδοκήσῃ, id est, *placebit.* Siracides enim pulchre lusisse videtur in hoc verbo, *q. d.* Non placeat tibi injuria impiorum, quia non placebit tibi vindicta et flamma inferorum, quæ iis a Deo præparata et destinata est ab æterno ; non placeat tibi culpa, ne placere cogatur et pœna; non placeant tibi impii, ne placere cogantur et inferi.

Vers. 18. 18. LONGE ABESTO AB HOMINE POTESTATEM HABENTE OCCIDENDI, ET NON SESPICABERIS TIMOREM MORTIS, — *q. d.* Non anxiaberis timore mortis, non suspicaberis timide mortem ; ut per enallagen nomen ponatur pro adverbio, puta *timorem,* pro *timide;* non laborabis, nec torquebis te suspicione timida et anxia mortis. Qui enim suspicantur se in periculo mortis versari, hac suspicione et timore jugiter se cruciant; unde minimos rumores et strepitus expavescunt, instar leporum omnia pavidi circumspiciunt, omnia suspecta habent. Tigurina : *Procul absiste ab homine potestatem necis habente, nec timore mortis eris anxius;* Syrus : *Elongare ab homine, qui habet potestatem occidendi, et ne timeas a timore mortis.* Noster pathetice vertit : « Non suspicaberis timorem mortis, » quia suspicaces et timidi, præsertim in periculis constituti, pleni sunt suspicionibus et timoribus, ac timent ipsos timores, eosque ita vive imaginantur, ut suspicentur se eos videre, quasi spectra quædam et larvas, umbrasque mortis, quæ suspiciones et timores continui mortis, longe graviores sunt ipsa morte, imo multis mortibus, juxta illud : « Pejor est bello timor ipse belli. »

Palacius per *habentem potestatem occidendi* intelligit tyrannum; verum plenius generatim accipias quemvis principem, qui jus habet vitæ et necis, præsertim infidelem, quales extra Judæam erant omnes ævo Siracidis. Qui enim talem offendit, incurrit periculum vitæ, idque sæpe ob levem duntaxat offensam. Principes enim potentia elati non raro sua potestate utuntur, imo abutuntur ad libitum, ideoque ambitione, vel studio vindictæ excæcati, parva de causa hunc illumve capite mulctant, uti subinde vidimus, crebro audivimus et legimus. Ita fecit Nero, cujus sententia, teste Suetonio, hæc erat : « Nemo principum ante me scivit quid et quantum sibi liceret. » Caligula vero Antoniæ aviæ pro sua auctoritate monenti, ut quædam secus ageret, respondit : « Memento mihi omnia in omnes licere. » Quocirca sapienter Philosophus dictitabat, ad regem accedendum esse quasi ad ignem, nec nimis prope, ne ab eo aduraris ; nec nimis longe, ne non calefias ab eo. Æneas Sylvius, qui postea creatus Pontifex, dictus est Pius II, lib. I *Comment. de gestis Alfonsi* : « Illi, inquit, aulici plurimum sapiunt, qui accepto beneficio, vel mediocri, curiæ valedicunt. Ostendunt enim animum suum expletum esse, et periculo se subtrahunt, quod aulicos sæpe corripit, qui veluti sues, ubi saginati sunt, in cœnam domini mactantur. » Hinc patet, quam vitrea et fragilis sit principum amicitia, quamque ipsi sint vitrei, dum tam facile irritantur ; et ex alia parte vitreus est subditus, ut facile in offensam aliquam labatur, qua principis iram in se concitet. Jure ergo monet Siracides ab eo esse secedendum.

Ad principem accede quasi ad ignem.

19. ET SI ACCESSURIS AD ILLUM, NOLI ALIQUID COMMITTERE (Græce μὴ πλημμελήσῃς, id est, *non delinquas,* NE FORTE AUERAT VITAM TUAM. — Græca addunt, παραχρῆμα, id est, continuo, protinus, illico; Syrus, *et si appropinquaveris, ne condemnes spiritum tuum,* id est, ne facias aliquid condemnatione dignum, vel ne des ei occasionem te condemnandi, *q. d.* Cautus esto, et caute omnia circumspice, ne quid vel leve committas, ob quod ipse te condemnet, et morti adjudicet. Unde sequitur : Vers. 19.

20 COMMUNIONEM MORTIS SCITO. — Hæc verba jam desunt in Græco et Syro. Sensus est *primo, q. d.* Scito et cogita, quam apud principes mor- Vers. 20.

tes et extrema supplicia sint communia, multosque corripiant, quamque causæ mortis inferendæ apud eos sint variæ, communes et multiplices, eæque sæpe parvæ et exiguæ. Ita Jansenius. Quare cave ne te vel una earum involvat. *Secundo, q. d.* Habitare cum principe habente potestatem occidendi, præsertim cum tyranno, perinde est ac habitare cum morte, communicare cum morte, quia facile mortem, quam in cerebro et manu gerit, tibi communicabit et irrogabit. Scito ergo familiaritatem et communicationem cum principe esse communionem cum morte. Ita Lyranus. Unde hisce recte competit illud *Apocal.* VI, 8 : « Ecce equus pallidus : et qui sedebat super eum, nomen illi Mors, et infernus sequebatur eum, et data est illi potestas interficere gladio. » Simili, sed augustiori phrasi et sensu ait Paulus I *Corinth.* cap. X, 16 : « Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? » *q. d.* Calix consecrationis, puta, Eucharisticus, quem in sacrificio Missæ ex Christi institutione consecramus, nonne ipsum Christi sanguinem nobis communicat?

Exemplum hujus communionis mortis est in Mezentio tyranno, amaro vitæ pariter ac mortis tortore, qui vivos colligabat mortuis, adversos adversis, scilicet, os ori, nares naribus, manus manibus, pedes pedibus adaptans, ut eorum fœtore tabescentes enecarentur, de quo Valerius lib. IX, cap. II, et Virgilius VIII *Æneid.* :

> Mortua quin etiam jungebat corpora vivis,
> Componens manibusque manus, atque oribus ora
> (Tormenti genus), et sanie taboque fluentes
> Complexu in misero longa sic morte necabat.

Cujus meminit Clemens Alexandrinus in *Protreptico*. Porro communionem hanc mortis explicat, dum subdit :

QUONIAM IN MEDIO LAQUEORUM INGREDIERIS (*q. d.* Si verseris in aula principis et tyranni, continuo incedes inter laqueos, id est, insidias et pericula mortis), ET SUPER DOLENTIUM ARMA AMBULABIS. — Legit Interpres, ἐπ' ἀλγούντων πολεμικά, id est, super iratorum et ira dolentium ac frementium, qui in cædes et strages ruunt, arma ambulabis, *q. d.* Ambulabis super arma, quibus tyrannus multos occidit, multosque vicissim fecit dolentes, ac simili modo facile te occidere et dolentem efficere potest, *q. d.* Versaberis in certo periculo mortis, ut videaris eam semper præsentem habere et cernere. Addit Jansenius, per *dolentes* accipi posse vulneratos et prostratos in prælio, jam dolentes et gementes, ac vicinam mortem exspectantes. Hi enim cum cadant armati, in arma sua procumbunt, *q. d.* Ambulas quasi super vulneratos et saucios ad mortem, hoc est, inter saucios et occisos a tyranno vitam agis morti proximam, ideoque periculosam, miseram et infelicem. Jam legunt, ἐπ' ἐπάλξεων πόλεως, id est, *super pinnacula civitatis*, puta, super loca periculosissima ambulabis; qui enim ambulat super pinnas urbis, exponit se evidenti periculo lapsus et necis, ne, scilicet, ex alto in præceps corruens, ad terram vel saxa allidatur. Similis ergo eris funambulo, qui in fune in aere tenso ambulans, singulis momentis videtur ex alto in præceps ruiturus. Tigurina : *Scito per medios laqueos transire te, et per urbium pinnas ingredi;* Syrus : *Scito quod inter laqueos incedis, et super retia ambulas.* Sicut ergo difficile est, et pene impossibile, ut undique ambulans inter laqueos, ita caute ambulet, ut omnes omnino evadat: dum enim unum cavet, alterum vix potest cavere; et si tres quatuorve cavet, incidit in quintum : ita si in uno alterove principi places, vix cavere potes quin in aliquo alio displiceas, si pius es, Deoque servire, et conscientiæ satisfacere satagis.

Mystice, in hac vita ambulamus in medio laqueorum, quos nobis tendunt mundus, caro, et dæmon callidissimus, potentissimus et ferocissimus. Unde S. Antonius, teste S. Athanasio, vidit totum hunc mundum usque ad cœlos plenum laqueis, ac ingemiscens rogansque : « Domine, quis evadet hos laqueos? » audivit, « humilitas. » Audi S. Augustinum in *Psal.* CXLI : « Ignoras, ait, quia in medio laqueorum ingrederis, ait Scriptura. Quid est in medio laqueorum? In via Christi. Et hinc laquei, et hinc laquei; laquei a dextris, laquei a sinistris ; laquei a dextris, prosperitas sæculi; laquei a sinistris, adversitas sæculi; laquei a dextris, promissiones; laquei a sinistris, terrores. Tu in medio laqueorum ingredere, a via noli discedere, nec promissio te capiat, nec terror elidat. » Mundus plenus laqueis.

Egregie S. Chrysostomus, homil. 4 *ad Populum* : « Agnosce, inquit, quod in medio laqueorum transis, et super propugnaculis urbium ambulas; » ac ponderat τὸ *ambulas, q. d.* Non pertransis et præteris, sed continuo et assidue inter pericula multiplicia ambulas, eaque non patentia, sed occulta et insidiosa; hæc enim significat laqueus : « Obumbratus est, inquit, laqueus, quia non aperte apparet mors, neque manifesta clades; sed undique obtecta adjacet : sicut enim pueri terræ laqueos, quos avibus tendunt, sic diabolus vitæ voluptatibus peccata circumtexit. Et si lucrum occurrerit, ne lucrum aspicias solum; sed scrutare diligenter, ne forte mors et peccatum intra lucrum sit absconditum : et si videris, refuge. Rursus, cum delectatio et voluptas occurrerit, ne voluptatem solum respicias; sed ne forte iniquitas aliqua in voluptatis profundo obumbrata sit, diligenter considera : et si inveneris, resilito. Sive consulat quispiam, sive aduletur, sive obsequatur, sive honores polliceatur, sive quodcumque aliud, omnia cum diligentia examinemus, et undique consideremus, ne forte damnum aliquod, ne forte periculum aliquod ex consilio, vel honore, vel obsequio nobis eveniat, et ne celeriter et inconsiderate accurramus. »

Et mox remedium evadendi hosce laqueos assignans : « Ne deorsum, inquit, volemus, sed superiora quæramus. Etenim volatilia, donec altum aerem secant, non facile capiuntur : ita tu donec ad superiora respexeris, nec laqueo, nec ullis facile capieris insidiis. Venator est diabolus. Fias igitur ipsius lustris sublimior. In altum ascendens non amplius ullam rerum admirabitur humanarum. Sed sicut, postquam in montium verticem ascenderimus, parva nobis et urbes et mœnia esse videntur, et formicarum more nobis viri super terram ire videntur : sic, postquam supra celsam Philosophiæ cogitationem ascenderis, nihil te terrenorum percellere poterit ; sed parva videbuntur omnia, et divitiæ, et gloria, et potentia, et honor, et si quid aliud hujusmodi, cum cœlestia respicias : sicut scilicet et Paulo parva omnia videbantur, et mortuis inutiliora, quæ in præsenti vita sunt splendida. Propterea et clamabat dicens : Mihi mundus crucifixus est. Propterea et admonet dicens : Quæ sursum sunt, sapite. Propterea alæ sunt aviculis, ut effugiant laqueos : propterea ratiocinationes hominibus, ut peccata devitent. » Idem in *Psal.* CXLI : « Diabolus, inquit, suas occultat insidias ; quapropter magna nobis cautione et vigilantia opus est. Occultat enim laqueum in eleemosyna, nempe vanam gloriam, in jejunio arrogantiam, et in aliis alia, in ipsis viis in quibus ambulamus. »

Vers. 21. 21. SECUNDUM VIRTUTEM TUAM CAVE TE A PROXIMO TUO, (*q. d.* Quantum vales et potes, cave tibi a proximo tuo, ut, scilicet, caute eum, ejusque actus et consilia explores, ne quid mali tibi machinetur, nec nisi bene explorato credas, ac te et tua committas. Unde pro *cave*, græce est σχάσαι, quod significat intendere et intentissime aspicere, uti facit sagittarius, dum in scopum jaculatur. Quocirca apposite subdit) : ET CUM SAPIENTIBUS ET PRUDENTIBUS TRACTA, — *q. d.* Noli cuiquam consilia et secreta tua communicare, cum eoque tractare, nisi quem prius bene exploraveris, ac cognoveris esse sapientem, fidum et prudentem. Tigurina : *Quam potes, sedulo explores amicos* (Hebr. enim רעים *reim*, et amicos sive sodales et proximos significat), *et cum sapientibus consilia conferas ;* alii : *Pro virili conjecturam facito de proximis, et cum sapientibus consultato.* Στοχάζομαι enim significat quoque colere, et nutus ejus observare, quem colere constituisti, indeque conjectare et conjecturam de eo facere. Ita Complutenses et Romana ; Syrus generalius vertit : *Juxta fortitudinem tuam conversare* (vel *responde*) *cum proximo tuo, et cum sapientibus esto communicans* (quasi nodo colligans) *secretum.* Græca et Syrus hic intexunt aliam sententiam, qua carent Latina, scilicet, hanc : *Cum intelligentibus sit collocutio* (dissertatio, disquisitio, disputatio ; hanc enim significat διαλογισμός) *tua, et omnis enarratio tua in lege Altissimi ;* Tigurina : *Colloquia tua cum cordatis habeas, et de lege Altissimi sit omnis tua disputatio :* Græce enim est διήγησις ; Syrus : *Cum eo, qui timet Deum, sint rationes* (cogitationes, tractatus ; Italice, *li conti*) *tuæ, et omnes viæ tuæ in timore Domini.*

Vers. 22. 22. VIRI JUSTI SINT TIBI CONVIVÆ, — ut convivium tuum sit honestum et sobrium, ac conditum honestis piisque sermonibus ; injusti enim ita vacant implendo ventri, ita linguam petulanter solvunt in verba scurrilia et obscœna, detractoria, maledica (quibus sane valde a multis peccatur in conviviis), ut ea peccatorum sint plenissima ; ac proinde sapienter monet hic Siracides, ea non nisi cum justis et timoratis institui. Quocirca S. Augustinus suæ mensæ hos versus inscripserat, ut a convivis assidue legerentur :

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam vetitam noverit esse sibi.

Et ideo ait Possidius in *Vita S. Augustini* : « Omnem convivam a superfluis et noxiis fabulis, et detractionibus, sese abstinere debere admonebat. Nam et quosdam suos familiarissimos Coepiscopos illius scripturæ oblitos, et contra eam loquentes, tam aspere aliquando reprehendit, ut diceret, aut delendos esse illos de mensa versus, aut se de media refectione ad suum cubiculum surrecturum. » Ita Tobias cap. II, vers. 2, non nisi timentes Deum ad convivium vocari jussit. Unde sequitur :

ET IN TIMORE (Tigurina, *religione*) DEI SIT TIBI GLORIATIO, — *q. d.* Gloriare quod justos et timentes Deum habeas familiares et convivas, potius quam nobiles et divites, quia gloria vera est timor Dei, ac consequenter gloriosi sunt, non nobiles, sed timentes Deum, quos habes convivas. Rursum gloriare quod cum timentibus Deum epularis, cum iis Deum laudes et glorifices, quodque ab iis ad Dei laudem et glorificationem accendaris, et ipse pariter eos accendas. Syrus : *Viri justi sint comedentes mensam tuam* (epulas in mensa appositas), *et in timore Domini sit laus tua.* Talia erant primorum Christianorum convivia, quæ a charitate et amore, ac laude Dei vocabantur Agapæ, de quibus ita sancit S. Paulus *Ephes.* V, vers. 18 : « Nolite inebriari vino, in quo est luxuria ; sed implemini Spiritu Sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri Jesu Christi, Deo et Patri. » Vide ibi dicta.

Porro causa cur justos et timentes Deum velit invitari ad convivium, potius quam divites et nobiles, est quam subdit : « Et in sensu sit tibi cogitatus Dei, et omnis enarratio tua in lege Altissimi ; » ut, scilicet, cum justis et timentibus Deum tractes de Deo, ac loquaris de ejus lege : impii enim hosce de Deo et pietate sermones non capiunt, nec sapiunt, sed spernunt et fastidiunt. Atque hac ratione hi duo versus apte inter se cohærent et conjunguntur.

Vers. 23. 23. ET IN SENSU SIT TIBI COGITATUS DEI, ET OMNIS ENARRATIO TUA IN PRÆCEPTIS ALTISSIMI. — Græca hoc versu carent; sed pro eo habent hunc: *Cum sapientibus*, vel *intelligentibus sit collocutio*, vel *disquisitio tua, et omnis enarratio tua in lege Altissimi;* eumque præponunt versui præcedenti, uti dixi in fine vers. 21. Noster pro μετὰ συνετῶν, id est, *cum sapientibus*, vel *intelligentibus*, videtur legisse, μετὰ συνέσεως, id est *cum sensu*, id est *sapientia, prudentia, intelligentia*, sit tibi διαλογισμὸς Θεοῦ (jam legunt σοῦ, id est *tua*), id est, cogitatio et disquisitio Dei, *q. d.* Cogitatio tua de Deo non sit erronea, absona, absurda Deoque indigna, ut de Deo cogites, vel more Gentilium, fingendo Deum esse corporeum, finitum, futurorum nescium, improvidum, etc. Vel more hæreticorum, fingendo unam personam duntaxat in Deo, vel in tribus personis tres pariter essentias, etc. Vel more carnalium, fingendo Deum agi ira, amore, odio, concupiscentia instar hominum. Sed cogitatio et disquisitio tua de Deo sit digna, sapiens et sensata : puta, ut cogites Deum, Deique attributa talia, qualia depingit ea fides, sacræ Scripturæ et Patres. Rursum, sicut cogitatio de Deo debet esse sensata in corde et mente, sic et in ore omnis *enarratio* et locutio tua debet esse in lege Altissimi, quantum, scilicet, per occupationes et infirmitatem humanam fieri potest, *q. d.* Quando non occuparis aliis negotiis, cogita de Deo, et loquere de ejus lege, præsertim in conviviis, de quibus sermo præcessit, uti olim faciebant Christiani in Agape. Ita de S. Thoma Aquinate et de S. Dominico legimus, quod omnis eorum sermo erat cum Deo vel de Deo. Hoc consilium est, non præceptum. Aut certe : « Omnis enarratio tua sit in lege Altissimi, » id est, sit conformis legi Altissimi, ne contra eam pecces; sed juxta eam dirigas omnes tuos sermones. Hoc est præceptum. Simili sensu ait Apostolus I *Cor.* x, 31 : « Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. »

Moral. de jugi Dei memoria. Igitur τὸ *in sensu* accipi potest dupliciter. *Primo*, « in sensu, » id est, in mente, « sit tibi cogitatus Dei, » sicut in ore sit « enarratio » de lege Dei. *Secundo*, « in sensu, » id est, sensata et prudens sit cogitatio tua de Deo, uti paulo ante exposui. Id præstitit David dicens *Psal.* xv, 8 : « Providebam Dominum in conspectu meo semper; » et Moses, qui « invisibilem tanquam videns sustinuit, » *Hebr.* xi, 27; et Elias dicens : « Vivit Dominus, in cujus conspectu sto, » III *Regum* xvii, 1. Hæc porro est inchoatio quædam vitæ angelicæ et beatæ : Angeli enim semper vident faciem Patris, *Matth.* xviii, 10. Simile monitum filio dedit Tobias cap. iv, 6 : « Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum; et cave ne aliquando peccato consentias, et prætermittas præcepta Domini Dei nostri. » Et vers. 20 : « Omni tempore benedic Deum, et pete ab eo, ut vias tuas dirigat, et omnia consilia tua in ipso permaneant. » Vide Damascenum lib. I *Parallel.* cap. viii, ubi inter alia citat illud Nazianzeni : « Dei sæpius meminisse oportet, quam spiritum ducere, ut dicas : Quoties suspiro et respiro, ad te, o Deus meus, suspiro. » Et illud S. Basilii : « Dei inhabitatio in hoc sita est, ut quispiam Deum per recordationem in seipso fixum habeat. » Præclare S. Chrysostomus in *Psal.* cxl : « Omnis narratio tua sit in lege Altissimi. Si enim, inquit, didiceris nihil loqui supervacaneum, sed divinarum Scripturarum narratione mentem et os tuum perpetuo munias, erit custodia quovis adamante tutior. Per os enim sunt multæ viæ interitus, ut, quando quis obscœna, scurrilia, superba loquitur. » Nazianzenus in *Tetrastichis :*

Deo et supernis rebus haud unquam satur
Esto : dat illis plura, qui ultro sumpserint,
Sitiens sitiri, largus et cunctis fluens :
Vinci at moleste ne feras in cæteris.

Ita S. Ignatius damnatus Romæ ad bestias, prodiens in amphitheatrum, et spectantes salutans : « Huc, inquit, venio, ut pro Christo moriens illi uniar, quem insatiabiliter desidero. »

Vers. 24. 24. IN MANU ARTIFICUM OPERA LAUDABUNTUR, ET PRINCEPS POPULI IN SAPIENTIA SERMONIS SUI : IN SENSU VERO SENIORUM VERBUM. — « In manu, » id est propter, vel per industriam et artem manus artificum, « opera » eorum, quasi per eam affabre et artificiose facta, « laudabuntur. » Manus enim artificiosa magni artificis dat operi suo laudem : sic et « princeps populi » laudabitur « in sapientia, » id est, per sapientiam « sermonis sui; » sic et « verbum seniorum » laudabitur « in sensu, » id est, in prudentia, si, videlicet, prudens sit, grave et sensatum : quale decet senes. Græca sententia de more est concisa et bimembris : sic enim habet : *In manu artificum opus laudabitur, et princeps populi sapiens in sermone suo.* Vel, *de manu artificum laudatur opus, et doctor populi sapiens est de sermone suo, q. d.* Sicut ars manus laudabile facit opus artificis, sic sapiens sermo laudabiles facit principes : hoc enim est opus principis, nimirum, ut sapienti suo sermone persuadeat populo quod rectum, utile et justum est, lites componat, tumultus et seditiones dissipet, unionem, pacem et concordiam stabiliat : quæ si præstet, utique magnus erit artifex; magnus, inquam, populi rector et gubernator, magnus Apollo. Unde Tigurina vertit : *De manu artificum* (verbi gratia, quod hoc sit opus et pictura Apellis, Phidiæ, Polycleti aliorumque celebrium artificum) *opus laudem inveniet; at de sermone suo dux populi sapiens; ipse vero sermo a senili prudentia :* repete, laudem inveniet. Paulo aliter Syrus : *In sapientia judicis possidebis civitatem, et princeps populi sui sapiens et intelligens.*

Transit Siracides a præceptis ethicis, quæ vitam cujusque ad normam legis et virtutis efformant, ad politica, quæ rempublicam componunt.

Deinceps ergo usque ad cap. XI, vers. 7, instruit principes et magistratus, docetque quæ in administratione fugere, quæ sectari debeant. Hic ergo versus et sequens pertinent ad caput proximum, adeoque illud hic inchoari posset.

Vers. 25. 25. TERRIBILIS IN CIVITATE SUA HOMO LINGUOSUS : ET TEMERARIUS IN VERBO SUO ODIBILIS ERIT. — Est antithesis. Sapienti enim eloquio principis, quo civitatem totam componit, opponit linguosum et temerarium in loquendo, qui totam civitatem confundit et perturbat, ideoque procul ab ea arcendus et ablegandus est. Hic enim omnibus est terribilis, qui omnes suis dicteriis instar tauri cornupetæ impetit, litesque et rixas concitat, ideoque cunctis est odibilis. Tigurina : *Formidandus est in civitate sua vir linguax, et sermone suo temerarius* (græce προπετής, id est præceps, effusus, temerarius, effrenis, petulans, procax, protervus, insolens, contumax) *meretur odium;* Syrus : *Terribilis est in civitate vir contentiosus; et qui accipit in ore suo* (contentiones), *odiosus est.*

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet rempublicam optime gubernari a principe prudente, qui in omnibus pendet et subjicit se Deo; unde vers. 7 *usque ad* 23, *novem rationibus demonstrat, quam prava et noxia sit superbia. Denique, vers.* 23 *usque ad finem, docet, verum honorem et gloriam hominis consistere, non in superbis opibus et dignitatibus, sed in timore et obsequio Dei.*

Porro novem rationes ad cavendam superbiam sunt hæ. Prima, vers. 7, *quia ipsa odibilis est Deo et hominibus. Secunda, vers.* 8, *quia superbia est causa injustitiæ, rapinæ, contumeliæ et doli, ob quæ Deus transfert bona et regna gentium. Tertia, vers.* 9, *quia homo, licet potens et rex, ex natura sua est vilissimus.* Quid *ergo* superbit terra et cinis? *Quarta, vers* 11 *et* 12, *quia honor omnis, æque ac vita, brevis est et vanus : nam rex hodie est, et cras morietur. Quinta, vers.* 13, *quia homo post mortem erit esca serpentium et vermium. Sexta, vers.* 14, *quia superbia est apostasia a Deo. Septima, vers.* 15, *quia initium omnis peccati est superbia : qui tenuerit illam, implebitur maledictis. Octava, vers* 16 *et sequent., quia Deus subvertit thronos, opes, pompas, et memoriam superborum; humilium vero elevat et firmat. Nona, vers.* 22, *quia superbia est creatura, non Dei, sed diaboli.*

1. Judex sapiens judicabit populum suum, et principatus sensati stabilis erit. 2. Secundum judicem populi, sic et ministri ejus : et qualis rector est civitatis, tales et inhabitantes in ea. 3. Rex insipiens perdet populum suum ; et civitates inhabitabuntur per sensum potentium. 4. In manu Dei potestas terræ : et utilem rectorem suscitabit in tempus super illam. 5. In manu Dei prosperitas hominis, et super faciem scribæ imponet honorem suum. 6. Omnis injuriæ proximi ne memineris, et nihil agas in operibus injuriæ. 7. Odibilis coram Deo est et hominibus superbia : et exsecrabilis omnis iniquitas gentium. 8. Regnum a gente in gentem transfertur propter injustitias, et injurias, et contumelias, et diversos dolos. 9. Avaro autem nihil est scelestius. Quid superbit terra et cinis? 10. Nihil est iniquius quam amare pecuniam : hic enim et animam suam venalem habet, quoniam in vita sua projecit intima sua. 11. Omnis potentatus brevis vita. Languor prolixior gravat medicum. 12. Brevem languorem præcidit medicus : sic et rex hodie est et cras morietur. 13. Cum enim morietur homo, hæreditabit serpentes, et bestias, et vermes. 14. Initium superbiæ hominis, apostatare a Deo. 15. Quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor ejus : quoniam initium omnis peccati est superbia : qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, et subvertet eum in finem. 16. Propterea exhonoravit Dominus conventus malorum, et destruxit eos usque in finem. 17. Sedes ducum superborum destruxit Deus, et sedere fecit mites pro eis. 18. Radices gentium super-

barum arefecit Deus, et plantavit humiles ex ipsis gentibus. 19. Terras gentium evertit Dominus, et perdidit eas usque ad fundamentum. 20. Arefecit ex ipsis, et disperdidit eos, et cessare fecit memoriam eorum a terra. 21. Memoriam superborum perdidit Deus, et reliquit memoriam humilium sensu. 22. Non est creata hominibus superbia, neque iracundia nationi mulierum. 23. Semen hominum honorabitur hoc, quod timet Deum: semen autem hoc exhonorabitur, quod præterit mandata Domini. 24. In medio fratrum rector illorum in honore: et qui timent Dominum, erunt in oculis illius. 25. Gloria divitum, honoratorum, et pauperum, timor Dei est. 26. Noli despicere hominem justum pauperem, et noli magnificare virum peccatorem divitem. 27. Magnus, et judex, et potens est in honore: et non est major illo, qui timet Deum. 28. Servo sensato liberi servient: et vir prudens et disciplinatus non murmurabit correptus, et inscius non honorabitur. 29. Noli extollere te in faciendo opere tuo, et noli cunctari in tempore angustiæ. 30. Melior est qui operatur, et abundat in omnibus, quam qui gloriatur, et eget pane. 31. Fili, in mansuetudine serva animam tuam, et da illi honorem secundum meritum suum. 32. Peccantem in animam suam quis justificabit? et quis honorificabit exhonorantem animam suam? 33. Pauper gloriatur per disciplinam et timorem suum: et est homo qui honorificatur propter substantiam suam. 34. Qui autem gloriatur in paupertate, quanto magis in substantia? et qui gloriatur in substantia, paupertatem vereatur.

PRIMA PARS CAPITIS,

QUA DOCET REGIMEN BONUM REIPUBLICÆ PROFICISCI A PRUDENTIA PRINCIPIS, AGNOSCENTIS SE POTESTATEM OMNEM HABERE A DEO.

Vers. 1. JUDEX SAPIENS JUDICABIT POPULUM SUUM, ET PRINCIPATUS SENSATI STABILIS ERIT. — Judex, id est princeps: potissimum enim munus principis est judicium et judicare, puta, in judicio et æquitate regere populum; ut exclusa injustitia et iniquitate, servetur debitus justitiæ ordo, indeque pax et quies publica. Quæ omnia breviter complexus est regius, Propheta, prænuntians regnum Salomonis, et in eo regnum Christi, *Psal.* LXXI, 1, dum ita canit: « Deus, judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis. Judicare populum tuum in justitia, et pauperes tuos in judicio. Suscipiant montes pacem populo, et colles justitiam. Judicabit pauperes populi, et salvos faciet filios pauperum, et humiliabit calumniatorem. Orietur in diebus ejus justitia, et abundantia pacis, donec auferatur luna. Hinc principes vocantur judices; unde inscribitur liber Judicum, id est, principum Israel: tales enim fuere Othoniel, Barac, Gedeon, Samson, Samuel, etc, quorum gesta in libro Judicum describuntur. Pro *judicabit*, græce est παιδεύσει, id est docebit, erudiet juxta leges justitiæ et Dei. Rabanus legit, *vindicabit*, scilicet innocentes a nocentium injuriis.

Pro *stabilis*, Complutenses legunt τεταμένη, id est *protensus*; Romana τεταγμένη, id est *ordinatus*, et, ut Tigurina, *compositus erit*. Complutenses ergo sic habent: *Judex sapiens erudiet populum suum, et principatus prudentis protensus erit*, puta, exstendet se ad multas gentes, et ad multos annos, quia, ut Romana, *ordinatus erit*. Ordo enim facit pacem, pax utilitatem, stabilitas longævitatem et amplitudinem, juxta illud *Prov.* XXIX, 14: « Rex, qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in æternum fundabitur. » Rursum Lyranus et Jansenius pro *stabilis*, legunt *terribilis*, *q. d.* Princeps sapiens terrori erit improbis, ut nemo audeat eum invadere, uti fuit Salomon: videtur enim alludere ad illud *Cantic.* VI, 9: « Terribilis ut castrorum acies ordinata. » Verum Biblia Latina et Græca constanter habent, *stabilis*, vel *ordinatus*, non *terribilis*. Sic et Syrus: *Judex sapiens*, inquit, *docebit populum suum, et princeps sapiens stabiliet civitatem suam.*

Præclare Plinius in *Panegyrico ad Trajanum*: « Nullum, ait, est præstabilius et pulchrius Dei munus erga mortales, quam castus, sanctus et Deo simillimus princeps; » et Plutarchus in *Numa*: « Cum reges, inquit, sapientes sunt et sancti, tunc resp. maximum quoddam ac divinum donum a Deo se accepisse extistimet. » Ratio a priori est, quod tota recte gubernandi ratio consistat in sa- Vis gu-

bernandi sita in sapientia.

pientia. Hæc ergo pollens princeps sapiens omnes et omnia sapienter moderatur, componit, dirigit, gubernat. Unde Cassiodorus, lib. X *Var., epist.* 3, agens de sapientia : « Ibi, inquit, prudens invenit unde sapientior fiat ; ibi bellator reperit, unde animi virtute roboretur ; inde princeps accipit, quemadmodum subditos sub æqualitate disponat. »

S. Thomas, III part. *Quæst.* LIX, art. 1, docet Christo homini appropriari judiciariam potestatem, quia hæc requirit tria, quæ plane competunt Christo. « *Primo* enim, inquit, ad eam requiritur potestas coercendi subditos; *secundo*, zelus rectitudinis, ut non ex odio vel livore, sed amore justitiæ judicium proferat ; *tertio*, sapientia, secundum quam formatur judicium; unde dicitur *Eccli.* x, 1 : Judex sapiens judicabit populum suum. Prima autem duo præexiguntur ad judicium ; sed proprie tertium est, secundum quod accipitur forma judicii, quia ipsa ratio judicii est lex sapientiæ vel veritatis, secundum quam judicatur. Et quia Filius est sapientia genita, et veritas a Patre procedens, et ipsum perfecte repræsentans, ideo proprie judiciaria potestas attribuitur Filio Dei. »

Porro judicare hic generatim sumitur pro regere et gubernare, quod proprium est munus sapientiæ : illud autem ipsa obit per beneficentiam, qua a subditis mala quælibet arcet, et bona cuncta sapienter et benefice procurat cuique pro gradu, statu et ordine suo ; in ordine enim consistit pax et bonum reipublicæ. Qua de causa prudenter Justinianum Imperatorem ita ad beneficam sapientiam, et sapientem beneficentiam exstimulat Agapetus Diaconus in *Admonit.*, num. 60 : « Vestimentum invetustabile est beneficentiæ amictus, et incorrupta stola est charitas erga pauperes. Eum igitur oportet, qui pie regnare vult, talium indumentorum pulchritudine animam exornare. Amoris enim in egenos qui indutus est purpuram, cœlestis quoque regni compos efficitur ; » et num. 61 : « Sceptrum imperii cum a Deo susceperis, cogitato quibusnam modis placebis ei qui id tibi dedit; quoque omnibus hominibus ab eo sis prælatus, magis omnibus eum honestare festina. Porro id ipse honestamentum arbitratur maximum, si quasi teipsum, factos a se tuearis ; atque ut debiti exsolutionem, benefaciendi munus adimpleas. »

Sapientiam hanc regendi particulatim septem regulis, quas dictat septiformis Dei Spiritus, complectitur Ferrandus Diaconus Carthaginensis, in *Parænetico ad Reginum militiæ ducem* (exstat tomo V *Biblioth. SS. Patrum*) : « Si enim, inquit, gratiam confitearis, requiescet super te spiritus timoris Domini. Si vita tua speculum sit, ubi milites videant quid agere debeant, requiescet super te spiritus pietatis. Si non præesse desideres vel appetas, sed prodesse, requiescet super te spiritus scientiæ ; ille enim scit præesse, qui vult prodesse. Si diligas rempublicam sicut te ipsum, requiescet super te spiritus fortitudinis. Si humanis divina præponas, requiescet super te spiritus consilii. Si libenter audias, Noli esse multum justus, requiescet super te spiritus intellectus. Si memineris te esse Christianum, requiescet super te spiritus sapientiæ, et per septiformis spiritus abundantiam, misericors Deus. »

Quæ deinde singula ordine fuse, eleganter et sapienter prosequitur.

Basilius Imperator, *Exhort. ad Leonem filium*, cap. XX : « Manus meæ, inquit, imposuerunt capiti tuo coronam imperii a Deo delatam tibi. Redde ergo donatori munus eo dignum. Honora Deum, qui te honoravit, per honorem quem patri tuo defers ; me autem honorabis, non eodem penitus modo quo subjecti faciunt, nempe, aut genuflectens, aut latus meum stipans, aut mihi bene precans : ista enim principe viro et rege non satis digna sunt ; sed potius virtutem omnem exercens, temperantiam colens, mores tuos exornans, litterarum studia capessens, quibus animi juvenum excoli debent, et ut in summa dicam, ita te comparans, ut terreno hoc imperio dignus habeare, et imaginem regis cœlorum in terris referas. Is enim solus merito vocabitur imago Dei, a quo in regni solio collocatus es, qui omnimodam virtutem amplexatur. Isque optimo jure secundo loco post Deum a subjectis amabitur ; et tanquam de se, deque suis optime meritus, omni honore dignissimus habebitur. » Hinc fit, ut principatus sensati stabilis sit ; quia, scilicet, nititur et fundatur in sapientia, quæ stabilis est, solida et æterna. Unde Ægyptii pinxerunt sapientiam insistentem quadrato lapidi, fortunam vero rotundo, ut illius constantiam, hujus inconstantiam et volubilitatem significarent, teste Pierio *Hierogl.* 39. Ita Christi, utpote sapientissimi principis, regnum erit æternum, juxta illud *Lucæ*, cap. I, 33 : « Et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis ; » et illud *Daniel.* cap. VII, 14 : « Omnes populi, tribus et linguæ servient ipsi : potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur ; et regnum ejus, quod non corrumpetur. »

Tropologice, principatus sensati, in quo dominatur animo suisque affectibus, stabilis est, quia hoc principatu reprimit omnes affectus sibi reluctantes ; insensatus vero facit opus instabile, quia semper affectibus suis agitatus serviet, neque in libertate filiorum Dei, quam habere cœperat, permanebit. Sensati ergo sunt mystici cœli, qui sine ulla intermissione ordinatis motibus volvuntur, et in loco, in quo a Deo positi sunt, semper ad anteriora tendentes, eumdem vitæ tenorem tenent, de quibus Job, cap. XXXVII, 18 : « Tu forsitan fabricatus es cœlos, qui solidissimi quasi ære fusi sunt. »

2. SECUNDUM JUDICEM (id est principem) POPULI, Vers. SIC ET MINISTRI EJUS ; ET QUALIS RECTOR EST CIVITATIS, TALES ET INHABITANTES IN EA. — Græce, *qualis est ηγούμενος*, id est *gubernator*, vel *princeps civi-*

tatis; tales et omnes ejus incolæ : ita Tigurina; Syrus : *Sicut judex populi, sic ministri ejus; et sicut princeps urbis, sic habitatores ejus, q. d.* Ad principis mores et vitam, quasi ad normam et exemplar, conformant se, primo ministri ejus, deinde cæteri cives et subditi, juxta illud Claudiani :

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Subditque :

Nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quam vita regentis :
Mobile mutatur semper cum principe vulgus.

Versu 1 assignavit duo commoda sapientis judicis, puta principis. *Primum* est, quod erudiat et judicet, id est, juste gubernet populum; *secundum*, quod faciat rempublicam æque ac principatum suum stabilem; *tertium* hoc vers. 2 assignat, quod suam sapientiam, justitiam et virtutem in ministros cæterosque subditos influat et transfundat, perinde ac caput suos spiritus, motum et vitam transfundit in membra sibi subjecta; sicut ergo sanitas capitis derivat sanitatem ad membra, et sicut sol toti orbi lucem communicat : ita bonus princeps suam bonitatem in populum diffundit et effundit. Nam, ut ait Quintilianus *Declamat.* 8 : « Hæc est conditio principum, ut quidquid faciant, præcipere videantur; » et Cicero lib. III *De Legibus*, legem XII tabularum enarrans, qua cavebatur, « ut magistratus vitio vacarent, atque cæteris specimen essent; » hæc verba adjecit : « Ut enim cupiditatibus principum et vitiis infici solet tota civitas, sic emendari et corrigi continentia; » et paulo post : « Nam licet videre, si velis replicare memoriam temporum, quales summi civitatis viri fuerunt, tales totam civitatem fuisse. Quæcumque mutatio morum in principibus exstiterit, eamdem in populo secuturam. » Et apud Laertium Antigonus Macedonum rex, ad Zenonem scribens, cum multa de doctrina et felicitate promisisset, hoc tandem in calce subjecit : « Cujusmodi fuerit dux, ut plurimum subditos fieri necesse est. » Agesilaus quoque ille magnus et ipse Lacedæmoniorum rex, « interrogatus, quare vehementi hieme sine tunica ea ætate (is enim tum senex erat) circumiret? respondit : Quo juvenes imitentur, habentes ii quidem et senis et principis exemplum. » Auctor Plutarchus in *Apophthegmat. Laconicis*. Sed et Herodianus lib. IV : « Solent, inquit, plerumque homines vitam principis æmulari. » Ita si princeps sit bellicosus, subditi spirant bellum, nec nisi arma tractant; si sit pacis amans, omnes pacem colunt, dant se litteris, artibus, agriculturæ, etc. Si sit orthodoxus et zelans pro fide, zelum hunc imitantur vel fingunt subjecti; si sit castus, omnes castitatem profitentur; sic ex adverso, si sit hæreticus, incestus, intemperans, illico multi fiunt hæretici, incesti, intemperantes.

Narrat Q. Curtius in *Vita Alexandri Magni*, et Panormitanus in *Vita Alfonsi Aragon. reg.*, aulicos utriusque torto collo incessisse, eo quod rex uterque obstipus esset, et torto collo incederet. Rationem a priori dat Lactantius lib. IV *Divin. instit.* : « Quoniam, inquit, mores ac vitia regis imitari genus obsequii judicatur, abjecerunt omnes pietatem, ne exprobrasse scelus regi viderentur, si pie viverent; » et Plinius in *Panegyr. Trajani* : « Vita, inquit, principis, censura est, eaque perpetua; ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur, nec tam imperio nobis opus est, quam exemplo; » et S. Hieronymus *ad Heliodor.* : « Domus, inquit, Episcopi et conversatio in speculo posita, magistra est publicæ disciplinæ : quidquid feceris, id sibi omnes faciendum putant. » Quocirca tam sedulo S. Paulus monet Titum cap. II, et Timotheum *epist.* I, cap. IV, dicens : « In omnibus præbe te ipsum exemplum bonorum operum, » id est, inquit S. Chrysostomus, « exemplar vitæ atque morum; ipse esto tanquam imago propositus, tanquam animata lex, velut regula ac norma bene recteque vivendi. »

Vers. 3.

3. REX INSIPIENS PERDET POPULUM SUUM, ET CIVITATES HABITABUNTUR PER SENSUM POTENTIUM. — Aliqui legunt συνετῶν, id est *prudentium*, intelligentium; verum legendum δυναστῶν, id est *potentium*, principum, dynastarum; Tigurina, *Rex imperitus perdet populum suum, at prudentia procerum urbis incolis frequentabitur;* Syrus, *Rex iniquus perdet populum suum, et habitabitur civitas in sapientia dominorum ejus, q. d.* Rex imprudens, indeque iniquus, partim pravo suo exemplo, partim pravo suo regimine et ignavia perdit « populum, » id est, populi opes, pacem, concordiam, robur, et sæpe vitam ac conscientiam, ideoque perdit, id est, exhaurit populi frequentiam, tum quia facit, ut multi fame, bello, rixis, seditionibus occidantur; tum quia causa est, ut cives e civitate fugiant, et alio, ubi imperat princeps sapiens, ideoque spes est pacis, opum et cæterorum bonorum, commigrent. Ita populum perdiderunt Saul, Roboam, Jeroboam cæterique reges Israel impii et idololatræ. Unde per antithesin subdit : « Et civitates habitabuntur, » id est, frequentabuntur, « per sensum potentium. » Sensus enim et prudentia principum facit, ut cives et civitas opibus, pace, numero, mercibus, rerumque omnium copia floreant, juxta illud *Proverb.* XXIX, 4 : « Rex justus erigit terram, vir avarus destruit eam. » « Principes ergo crebro legant, relegant et ruminent illam Sapientis cap. VI, 2, ad se concionem : « Audite, reges, et intelligite; discite, judices finium terræ. Præbete aures vos, qui continetis multitudines, et placetis vobis in turbis nationum; quoniam data est a Domino potestas vobis, et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur; quoniam, cum essetis ministri regni illius, non recte judicastis, nec custodistis legem justitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrende et cito apparebit vobis; quoniam judicium durissimum his, qui

præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia; potentes autem potenter tormenta patientur. »

Idem a Salomone et Hebræis didicit et censuit Plato, qui lib. III *De Legibus* : « Optimarum, inquit, reipublicæ formarum optima est monarchia, quæ bonis legibus sancita est, et utitur; proxime enim ad patriam potestatem accedit. Regum tyrannis et injustum imperium popularem libertatem induxit, quod hujusmodi regum mores populus amplius pati non posset. Omnis respublica et illius forma a seipsa, propter subortas in eamdem corruptelas, deletur et evertitur; » et rursum : « Ignorantia, vel improbitas imperantium est politiæ pestis, et pernicies summa. Infinita potestas etiam in regibus ipsis quæ sese legum vinculis coerceri non patitur, est certissima regni et reipublicæ ruina, ac proxime occasuræ prognosticon. Contra quod remedium est, ut leges observentur etiam ab ipso principe, idque facere cogatur ab ordinibus regni vel invitus. » Aristoteles quoque lib. V *Politic.* cap. VIII : « Rempublicam, inquit, conservant, primo, bonarum legum inviolabilis auctoritas; secundo, magistratuum in munere obeundo prudentia, diligentia et alacritas; tertio, populi erga magistratum obsequium; quarto, civium inter se concordia et consensus; quinto, magistratus erga populum paternus animus et cura. » Hisce artibus Romulus ædificavit Romam, Constantinus Constantinopolim, Antiochus Antiochiam, Alexander Alexandriam, Jerosolymam David, Salomon et Nehemias, ac præ omnibus Christus Ecclesiam toto orbe propagavit. Hoc est quod ait Sapiens cap. VI, 26 : « Multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum, et rex sapiens populi stabilimentum est. » Alludit ad etymon hebræum et græcum; hebraice enim princeps et dominus vocatur *Adon*, vel *Adonai*, ab אדן *eden*, id est fulcrum, basis; ac græce rex vocatur βασιλεύς, quasi βάσις λαοῦ, id est, basis populi. Sicut enim ad regem suum turmatim convolant apes, sic ad regem sapientem populi; apes enim, et præsertim rex apum, sapientiæ est symbolum. Denique quam rex insipiens perdat se et populum, festive docet apologus Æsopi (qui Siracidem ducentis annis antecessit) de vulpe et simio : « Quondam, inquit, in concilio irrationalium animalium saltavit simius, et approbatus, rex ab ipsis electus est. Vulpes autem ei invidens, ut in cassi (reti) quodam carnem vidit, simium secum illuc duxit, dicens se invenisse thesaurum; se tamen eo uti nolle, sed eum regi cedere; quare eum hortata est, ut illum acciperet. At ille inconsiderate profectus, et captus a casse, quod decepisset, accusabat vulpem. Illa autem ei : O simie, inquit, talem tu habens dementiam, brutis dominaberis ? »

Apolog. simii et vulpis.

Vers. 4. 4. IN MANU DEI POTESTAS TERRÆ, ET EXSECRABILIS OMNIS INIQUITAS GENTIUM, ET UTILEM RECTOREM SUSCITABIT IN TEMPUS SUPER ILLAM. — Ita legunt Rabanus, Lyranus et alii, quin et Marcellus Pontifex *epist.* 1. Verum Græci codices, æque ac Latini Romæ correcti, delent τὸ *et exsecrabilis omnis iniquitas gentium;* sed illud idem legunt vers. 7. Græcus de more brevis et bimembris est, *potestas terræ in manu Domini, qui in tempus,* id est, ut Vatablus, *opportune, in ea suscitabit hominem utilem;* alii, *qui suo tempore quod expedit, excitat super eam.* « Magistratus enim virum ostendit, » ut ait Bias. Syrus, *in manibus Domini dominorum universum, eum, qui aptus est, in tempore constituet super illud* (universum). Dicit hoc, ut reges et principes sciant se regnum et principatum primario non a se, vel suis progenitoribus, aut a populo et republica, sed a Deo habere, ac proinde ab illo pendere, illique subditos esse, ideoque se suaque sceptra et coronas (uti faciunt sancti illi principes *Apocal.* IV, vers. 10) ante Dei pedes ponant, eique offerant, ac ea non nisi ex Dei voluntate et lege regant et administrent. Idem per umbram vidit Homerus; nam hymno in Musas et Apollinem : « Ex Musis, inquit, et procul mittente Apolline viri poetæ sunt in terra, et citharædi; ex Jove autem reges; » et Tertullianus in *Apologet.* : « Inde, ait, est Imperator, unde et homo, antequam Imperator; inde potestas illi, unde et spiritus, » juxta illud Danielis cap. V, 23, ad Baltasarem : « Deum, qui habet flatum tuum in manu sua, et omnes vias tuas, non glorificasti; » et illud Sapientis, cap. VI, 4 : « Data est a Domino potestas vobis, et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur; quoniam, cum essetis ministri regni illius, non recte judicastis, nec custodistis legem justitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. »

Agnoscunt hoc reges Christiani, dum se Dei gratia regnum obtinere in suis edictis profitentur, ut : *Philippus, Dei gratia, Hispaniæ rex,* etc. Sicut enim a Deo omnisciente, quasi fonte derivatur omnis scientia, ita ex eodem omnipotente derivatur omnis potestas; ipse ergo quasi summus mundi rector reges et principes, in hoc regimine, quasi suos vicarios sibi substituit et arrogavit, eisque potestatem dedit regendi, puniendi malos, præmiandi bonos, leges condendi; hæ enim a prima et æterna lege, quæ est in mente Dei, quasi radii a sole, rivuli a fonte, derivantur, ac proinde « exsecrabilis est Deo omnis iniquitas gentium, » præsertim illa communis et capitalis, ac fons cæterarum, scilicet idololatria, qua se suasque respublicas, regna et principatus, non Deo vero, sed vel sibi, vel suis idolis accepta referunt; sed et hæc est in manu Dei, ut eam suo tempore, vel puniat et comprimat, vel tollat, et in bonum convertat. Ita Lyranus. Quocirca ipsius, tanquam summi terræ domini, clementiæ est suscitare in ea utilem principem, cum ita ei placuerit; sicut ipsius iræ est suscitare in ea inutilem, cum talem peccata subditorum merentur, juxta illud *Job.* XXXIV, vers. 30 : « Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. »

Imprimis vero ipse, tempore opportuno a se præcognito et præfinito, utilem rectorem suscitabit super terram, Christum Dominum, qui abolita gentium idololatria, eas ad se convertet, ait Rabanus, Lyranus et alii; ac per eum suscitabit Christianos principes, qui sub Deo juste, fideliter et religiose populum gubernent. Quare populi et respublica continue a Deo flagitent ut sibi tales det reges et principes, aut jam datos tales efficiat. Unde Palacius : Christus, inquit, fuit utilis rector, quia se dedit in socium, cibum, pretium et præmium.

Secundo, Rabanus, et ex eo Glossa interlinearis : « Exsecrabilis, » inquit, id est damnabilis, est omnis iniquitas gentium, quia disperdet Deus de civitate sua omnes qui operantur iniquitatem.

Tertio, Jansenius hunc dat sensum, *q. d.* « Omnis iniquitas gentium, quæ exsecrabilis est, » id est, omnes gentes iniquæ et exsecrabiles, quia idololatræ, sunt in manu Dei, æque ac reges ac principes, *q. d.* Deus dominatur universæ terræ, omnibusque regnis, tam infidelium, quam fidelium, etsi infideles ipsum non agnoscant, ideoque corda infidelium habet in sua manu, ut ea ad se convertat, et fide sua imbuat, uti fecit per Christum.

Rursum perperam aliqui, teste Rabano, pro *exsecrabilis,* legunt, *exclamabilis* est omnis iniquitas gentium; » quod tamen sic explicat Rabanus, *q. d.* « Per prædicationem Apostolorum reprobata est infidelitas et error Gentilium, quos Salvator ad hoc misit in mundum, ut contumaces redarguerent, inscios docerent, et infirmos sanarent. »

Porro *τὸ in tempus,* Græce εἰς καιρόν, id est, *opportuno tempore,* ut vertit Tigurina, Syrus et alii. Aliter Jansenius : « In tempus, » inquit, constituet, quia nulli unquam terræ datum est, ut in perpetuum haberet utilem rectorem; sed tantum ad tempus, ut est hîc omnium rerum vicissitudo, quasi alludat ad quatuor monarchias sibi ex ordine succedentes, puta Assyriorum, Persarum, Græcorum et Romanorum, quas per symbola quatuor bestiarum describit Daniel cap. VII.

Choreæ regum et regnorum.

Vere S. Cyprianus, orat. *de Idolorum vanitate* : « Regna, ait, non merito accidunt, sed sorte variantur; et acceptum tempus certo fine custodiunt. » Et Philo, lib. *De Divina immutabilitate* : « Totus orbis, inquit, habitabilis, more navis susque deque jactatæ alternis fluctibus, nunc secundis ventis, nunc adversis utitur. Nam Verbum divinum choreas in orbem ducit, quod vulgus hominum fortunam nominat. Et cum perpetuo feratur per civitates, gentes regionesque, res aliorum aliis, omnium omnibus tribuit, subinde variantibus apud singulos temporibus, ut totus terrarum orbis tanquam una civitas, optimo reipublicæ genere administretur populari regimine. »

Monita Agapeti data Justiniano Imp.

Quocirca sapienter Justinianum Imperatorem in *Admonit.* (quod a Græcis vocatur *Scheda regia*; exstat tomo II *Biblioth. SS. Patrum*), num. 1, monet Agapetus Diaconus : « Honore, inquit, quolibet sublimiorem cum habeas dignitatem, o Imperator, honora supra omnes, qui hoc te dignatus est Deum; quoniam juxta similitudinem cœlestis regni tradidit tibi sceptrum terrenæ potestatis, ut homines edoceres justi custodiam, et eorum, qui adversus ipsum rabiunt, insectareris latratum, tum ipsius obtemperando legibus, tum subditos tibi regendo pro jure. » Et num. 5 : « Scito, o pietatis divinitus fabricatum specimen, quia quanto majoribus dignus habitus es, tribuente Deo, muneribus, tanto majori vicissim debito ei obstringeris. Ergo redde benefactori debitum gratitudinis, acceptanti debitum ut meritum, et beneficio beneficium rependenti; ipse enim semper et beneficiis prior promeretur, et ut debitum beneficia repensat. Gratitudinem autem exigit a nobis, non quæ verborum blandorum prolatione, sed quæ rerum piarum oblatione peragitur. » Et num. 7 : « Terrenarum opum instabiles divitiæ, fluviatilium undarum imitantur cursum. Modicum enim affluunt his qui habere se eas arbitrantur; mox vero refluentes ad alios accedunt. Solus autem beneficentiæ thesaurus, stabilis est possidentibus eum; bonarum enim actionum meritum ad auctores retorquetur. » Et num. 9 : « Sollicitam Imperatoris animam speculi in modum abstergi oportet, ut divinis splendoribus semper coruscet, rerumque distincta judicia inde condiscat; nihil enim adeo facit, quæ peragenda sunt conspicere, atque custodire eam perpetuo sinceram. »

S. Ludovicus inter aurea monita, quæ Philippo filio testamento reliquit, hoc primum assignat : « Fili mi, ante omnia in eam curam diligenter incumbe, ut diligas Deum. Nemo enim potest salvus esse, nisi Deum amet. Cave ne unquam admittas peccatum mortiferum; sed omnia potius ferre velis tormentorum genera, quam aliquam talem perpetrare culpam. Crebro agas gratias Deo pro bonis omnibus tibi ab illo collatis, ut dignus fias potioribus ejus beneficiis affici et augeri. Non patiaris quemquam, te audiente, perverse de Deo aut Sanctis ejus loqui; nec id sinas impune abire. »

Basilius Imperator, *Exhortat. ad Leonem filium,* cap. X : « Numinis, ait, beneficio regnum accepisti; sollicite custodias illud quasi depositum fidei tuæ commissum, ut incolume conserves. Cave autem ne, illius malus custos, degeneris aliquid atque indigni committas; sed, sicuti cæteris prælatus es, ut omnibus imperares : ita contende, ut virtute quoque cæteris antecellas; virtus enim omni principatu omnique auctoritate præstantior est. Si ergo dignitate quidem reliquis præstas omnibus, virtute autem ab alio præcelleris, Imperator es in eo quod minoris excellentiæ est; in eo vero quod præclarius est, Imperator non es, imo alterius imperio subes. Ne sis ergo

veluti supposititius atque adulterinus dominus, cum te alius præstantior reperiatur; sed verus Imperator, cum cæteris omnibus virtute antecedas. »

Vers. 5. 5. IN MANU DEI POTESTAS HOMINIS, ET SUPER FACIEM SCRIBÆ IMPONET HONOREM SUUM. — Græce δόξαν, id est, *gloriam suam*. Nota τὸ *potestas;* sic enim legunt passim Biblia Latina, Rabanus, Lyranus, Jansenius et alii passim; quasi Interpres legerit hic æque ac vers. præced. ἐξουσία, id est potestas, auctoritas, imperium, *q. d.* Sicut in manu Dei est potestas terræ, ut illi eum det principem, quem voluerit, uti dixi vers. præced., sic et in manu Dei est potestas hominis, ut, scilicet, hunc hominem creet principem potius quam alium, eumque a principatu deponat, cum ei libuerit; ita ut omnium regum, principum et magistratuum potestas sit in manu Dei, tam quoad inchoationem, quam quoad progressum et consummationem ac finem : Deus enim est qui « super faciem, » id est, super personam (ex facie enim persona una ab alia discernitur et agnoscitur : unde et *facies*, hebr. אף *aph*, græce πρόσωπον, subinde sumitur pro persona, uti alibi ostendi), « scribæ, id est, viri litterati et sapientis, « imponit honorem suum, » quando ei dat auctoritatem, non tantum docendi, sed et regendi, legesque condendi; cum, scilicet, eum ob sapientiam evehit, facitque principem vel consiliarium, præsidem vel gubernatorem. Huic sensui favet Syrus, dum vertit : *In manu Domini dominium, et timentibus se dabit gloriam suam.* Verum pro *potestas*, corrigendum et legendum est, *prosperitas;* sic enim corrigunt Biblia Romana et Græca, quæ hic pro ἐξουσία, quod præcessit, legunt, εὐοδία, id est, *prosperitas*, felicitas, *q. d.* In manu Dei est prosperare hominem, ac facere ut omnes ejus actiones et molimina prosperos habeant eventus, laudem, honorem et gloriam; præsertim vero Deus est, qui regi et principi dat prosperitatem, ut scilicet, prospere succedat ejus regimen, utque utiliter et feliciter regat. Unde Tigurina vertit : *Successus hominis est in manu Domini, idemque personæ scribæ,* vel *litterati, gloriam suam attribuit;* Vatablus, *illustrem facit;* Cajetanus, *spectabilem.*

Monita Agapeti data Justiniano Imp. Hac de causa Agapetus Diaconus pie monet Justinianum Imperatorem, ut a Deo supplex postulet crebro auxilium ad sapienter et feliciter regendum; sic enim ait in *Admon.*, num. 62 : « Recurrere ad supernum auxilium cum homo quivis debet, salutem qui exspectat, tum ante omnes Imperator, utpote qui pro omnibus sollicitus est; cum enim a Deo custodiatur, tam hostes generosa manu debellat, quam suos sedulo communit. » Et num. 63 : « Deus nulla re indiget, Imperator solo Deo. Imitare igitur nullius indigum, petentibusque fac uberem misericordiæ copiam, non exacta et ad vivum resecante rem, ratione impensarum tuum erga famulatum utens; sed omnium de sustinenda vita petitionibus satisfaciens. Longe enim satius est merito dignorum etiam indignis misereri, quam indignorum vitio dignos iis defraudare. » Et num. 35 : « Existima tunc demum te tuto regnare, cum volentibus imperas hominibus; quod enim invito animo subjicitur, seditionibus fluctuat capta occasione; quod vero vinculis benevolentiæ regitur, stabilem servat erga rectorem obedientiam. »

Basilius Imperator, *Exhortat. ad Leonem filium*, cap. XI : « Concedet tibi Deus, inquit, victorias et triumphos adversus hostes, cum ipse adversus perturbatos animi motus trophæa et titulos erexeris; qui enim invisibiles hostes devicit, eum visibiles etiam posse vincere necessario consequens est. Sed, quem voluptates superare, ut vile mancipium, et transversum ad se rapere valent, nunquam Deo lubebit eum victoriæ honore condecorare; qui vero victoriam de libidinibus et aliis animi perturbationibus partam voluntariis laboribus coronaverit, is in certum argumentum futuræ postea retributionis æternorum bonorum, etiam in hac vita de inimicis victoriam, a Deo quasi debitore concessam, jure suo referet. »

Scriba est doctor et princeps Under Nota primo : *Scriba*, hebr. סופר *sopher*, græce γραμματεύς, apud Judæos vocabatur litteratus, sapiens, doctor. Prisci enim Hebræi, quos nunc sapientes aut magistros dicimus, vocabant *sopherim*, id est scribas, a *sepher*, id est liber, litteræ, græce γραμματεῖς, quod γράμματα, id est litteras et libros, tractarent, uti dixi I *Corinth.* I, 20. Sic Esdræ, cap. VII, 6, vocatur « scriba velox in lege Domini, » id est, legis peritissimus et promptissimus in ea; scribarum enim erat Sacras Litteras incorruptas servare, correctæ earum descriptioni invigilare, illam interpretari, tum voce, tum scripto, teste Epiphanio *Hæresi* 15. Adde quod Esdras sacros libros restaurarit, non quasi ii interciderint; sed errores, qui irrepserant, corrigendo, et aliis characteribus, quos ipse invenit, quibusque deinceps semper usi sunt Hebræi, eos describendo. De hisce doctoribus locum hunc accipe, *q. d.* Deus est, qui scribæ, id est doctori, suam sapientiam indit et communicat, per quam a discipulis et populo quasi sapiens, et virtute docendi pollens honoretur; dum efficit ut ea claritate et efficacia doceat, qua populo doctrinam suam persuadeat, ac populus ex ea in Dei et virtutis cognitione, amore et operatione proficiat : hoc enim est vera philosophia et sapientia practica; quod, dum fit, ingens scribæ, id est doctori, accedit meritum, æque ac honor et gloria.

Porro notandum quod dicit, Deum suum honorem præ aliis imponere scribæ, quia propria dos, honor et gloria Dei consistit in sapientia practica; hæc enim prudentiam omnem, virtutem et sanctitatem includit, uti superius dixi. Rursum, quia sæpe Deus sapientes evehit ad principatum, facitque ut ipsi sint principes, vel certe consiliarii principum, legislatores, et gubernatores regnorum et rerumpublicarum, juxta illud Platonis, lib. V *De Repub.* : « Felices erunt respublicæ cum philosophi eas gubernabunt, aut gubernatores ea-

rum philosophabuntur. » Honor enim et gloria Dei consistit in dominio, principatu, legislatione, regimine et imperio Universi. Hinc scriba erat nomen dignitatis : scribæ enim vocabantur tunc, qui nunc Cancellarii, qui erant proximi a rege, quorum erat nomine regis decreta concipere, scribere, promulgare, reservare. Sic Saraias fuit scriba, id est, cancellarius Davidis, II *Reg.* VIII; Sobna, Ezechiæ, IV *Reg.* XVIII.

Ita Deus Christo Domino, puta, Verbo incarnato, qui est scribarum et doctorum princeps, suum dedit honorem, cum suam divinitatem, auctoritatem et imperium cum sapientia ei communicavit. Unde Palacius hunc locum proprie de Christo accipit, qui est legis novæ doctor, et scriba doctus in regno cœlorum, ac de thesauro sapientiæ suæ proferens nova et vetera, *Matth.* XIII, 52, ut sensus sit, *q. d.* In manu Dei est felicem et honoratum hominem facere. Talem in primis, et in speculum cæterorum fecit Christum, dans ei honorem suum : unde in facie Christi honor Dei positus fuit, cum in transfiguratione resplenduit facies ejus sicut sol, utpote quæ erat facies Dei. Ad hunc doctorum honorem et gloriam facit illud *Daniel.* XII, 3: « Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. »

Prosperitas est donum Dei, non fortunæ.

Moraliter, nota hic prosperitatem esse peculiare Dei donum, ideoque ab eo postulandum. Veteres putabant Fortunam esse deam, quæ daret prosperitatem; unde eam studiose colebant, ut dixi *Isaiæ* LXV, vers. 11. Verum Christiani sciunt hoc esse idolum et figmentum; norunt enim non alium quam Deum esse Fortunam fortunantem, qui, scilicet, omnia suorum fortunet et prosperet, a quo omnis nostra fortuna fiat fortunata. Unde, licet respectu causarum secundarum, quæ contingentes ad eumdem effectum producendum concurrunt, ac respectu nostri, quibus hic causarum concursus videtur esse contingens et fortuitus, dentur effectus fortuiti, sitque revera casus et fortuna; tamen respectu Dei nihil est fortuitum, nulla sors, nullus casus, quia omnia a Deo præcognita, prævisa, provisa et ordinata sunt, « ut in regno providentiæ nihil liceat temeritati, » ait Boetius. Unde S. Augustinus : « Nihil, ait, in hoc inferiori mundo geritur quod a summi illius Imperatoris aula non jubeatur aut permittatur. » Ita Jacob prosperitatem nactus a Deo, eamdem secum intulit in domum Laban soceri sui, qui proinde eum retinere cupiens et deprecans, ait : « Inveniam gratiam in conspectu tuo; experimento didici, quia benedixerit mihi Deus propter te, » *Genes.* XXX, 27. Vide ibi dicta. Sic videmus hodie homines alios esse felices, quibus omnia ex voto succedunt; alios infelices, quibus omnia contra votum eveniunt.

Quæritur, quæ sit hujus disparitatis causa. Respondet hic Siracides esse Deum, qui felices prosperat, infelices non prosperat. Prosperitas enim est donum in manu Dei, quod ipse confert, quibus vult; negat, quibus vult : quare ipse, quos vult, facit felices; quos vult, infelices. Innuit autem hic Siracides scribas, quasi doctores, præ cæteris esse prosperos et felices ; sapientia enim est felicitas prima et maxima. Hinc sapientes et sancti quotidie, dum domo exeunt, vel aliquid ordiuntur, orant ut Deus omnia eorum cogitata, dicta et facta dirigat. Ita David : « Dirige, ait, me in semitam rectam propter inimicos meos, » *Psalm.* XXVI, vers. 11; et : « Sit splendor Domini Dei nostri super nos, et opera manuum nostrarum dirige super nos, et opus manuum tuarum dirige, » *Psalm.* LXXXIX, vers. 17. Tobias moriens ita filio præcepit cap. IV, 20 : « Omni tempore benedic Deum, et pete ab eo ut vias tuas dirigat, et omnia consilia tua in ipso permaneant. » Salomon *Proverb.* III, 6 : « In omnibus viis tuis, inquit, cogita illum, et ipse diriget gressus tuos; » et cap. XVI, 9 : « Cor hominis disponit viam suam; sed Domini est dirigere gressus. » Unde S. Paulus II *ad Thessal.* III, 5, orat, dicens : « Dominus autem dirigat corda vestra in charitate Dei, et patientia Christi. » Maxime autem Deus prosperat principes regesque sapientes et probos, quia ab his pendet respublica : unde eos præ omnibus curæ et cordi habet. Sic Trajanus cœlesti voce a terræ motu omnia evertente servatus est, uti narrat Dio lib. LIII. Vespasianus in bello Judaico densissima Judæorum tela evasit, uti refert Josephus lib. V *Belli*, cap. VII. Julius Cæsar navarcho in tempestate trepidanti : « Quid times? inquit, Cæsarem Cæsarisque fortunam vehis, » teste Plutarcho in *Sertorio*. Idem dixit Carolus V Imperator in simili procella Tunetum obsidens; qui et maximis periculis in assiduis præliis, quibus ipse interfuit, a Deo ereptus est.

Vers. 6.

6. OMNIS INJURIÆ PROXIMI NE MEMINERIS, ET NIHIL AGAS IN OPERIBUS (id est, per opera) INJURIÆ. — Græce : Ἐπὶ παντὶ ἀδικήματι μὴ μνίσῃς τῷ πλησίον, καὶ μὴ πράσσε μήδεν ἐν ἔργοις ὕβρεως, id est, *in omni iniquitate ne irascaris proximo, et nihil agas in operibus contumeliæ*. Noster pro μνίσῃς, legit μιμνήσῃς, id est *memineris* ; Tigurina : *Ne succenseas proximo ob quamvis injuriam, nec quidquam per injuriam egeris;* alii : *Ne ob ullam iniquitatem cum proximo simultatem exerce, et ne quidquam facito per contumeliam.* Recitat et refricat legem *Levit.* XIX, 18 : « Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. » Vide ibi dicta. Vetat ergo privatæ injuriæ memoriam et ultionem, ne quis ei, qui se læsit, irroget ὕβριν, id est injuriam, contumeliam, contemptum, insolentiam, eique insolenter et petulanter insultet, *q. d.* « Omnis injuriæ proximi ne memineris, » id est, nullius injuriæ proximi ne memineris, ita ut illam crebro rumines, alta mente reponas, irascaris, indigneris, eamque vindicare velis, et par pari reddere. Hebræis enim *omnis non* idem est quod *nullus* vel *nulla;* nam,

Iniuriam oblivisci est heroicum.

ut ait S. Augustinus, epist. 54 *ad Lucil.* : « Injuriarum remedium est oblivio. » Jansenius hæc accipit de solis principibus, non quasi illi hic moneantur nullam injuriam vindicare, sed non omnem, quia principibus multa dissimulanda sunt.

Exemp. Sic Cicero, ait S. Augustinus, epist. 5 *ad Marcell.*, Julio Cæsari, « mores ejus extollens, dicebat quod nihil oblivisci soleret, nisi injurias. Dicebat autem hoc tam magnus laudator, tam magnus adulator; sed si laudator, talem Cæsarem noverat; si autem adulator, talem esse debere principem ostendebat, qualem illum fallaciter prædicabat. » Et Seneca, lib. *De Ira*, laudat Catonem, qui in balneo percussus, « postea satisfacienti : Non memini, inquit, percussum me; melius putavit non agnoscere, quam ignoscere. Nihil illi post tantam petulantiam mali factum, imo multum boni. » Aureliani Imperatoris symbolum erat teste Vopisco : « Quo major, eo placabilior. » Unde Bithyniam capiens cæde abstinuit. Vere Menander : « Existimandus ille præstantissimus, injurias qui ferre novit plurimas. » Exemplum dat regem apum Seneca lib. I *De Clementia* : « Noluit, ait, illum natura, nec sævum esse, nec ultionem magno constituram emere, telumque detraxit (rex apum enim caret aculeo), et iram ejus inermem reliquit; exemplum hoc magnis regibus ingens est. » Denique adeo regium est ignoscere, ut Saul, hostis Davidis, ex eo quod sibi David in spelunca pepercerat, certum regni ejus omen acceperit : « Et nunc scio, inquit, quia certissime regnaturus sis, et habiturus in manu tua regnum Israel, » I *Reg.* XXVIII, 21. Imo S. Chrysostomus, homil. 41 *in Acta*, audet dicere : « Non ulcisci, Deo facit æqualem. »

Verum esto principibus maxime, omnibus tamen indifferenter loquitur Siracides, vetatque omnibus ultionem injuriæ, quatenus ea privata est; nam, quatenus publica est, et rempublicam læsit, principes possunt, imo tenentur eam vindicare, nisi majus malum timeatur. Sapientes ergo injuriam sibi factam scribunt in pulvere, quia illius statim obliviscuntur; gratiam vero scribunt in marmore, quia ejus jugiter recordantur, ut gratias agant; superbi vero et insipientes maleficia scribunt in marmore, beneficia in pulvere, quia illorum sunt memores, horum obliviosi. Unde Aristoteles, rogatus « quid cito senesceret, » respondit : « Gratia; » « quid tarde? » respondit : « Injuria, » teste Laertio lib. I, cap. III. Præclare Beda in *Proverbiis* : « Gloriosius, inquit, est injuriam tacendo tolerare, quam respondendo vindicare. Sagittas contumeliæ virtus repellit patientiæ. Qualis apud se quisque latet, illata contumelia probat. Infeliciores sunt, qui faciunt, quam qui patiuntur injuriam. Melius est bene vinci, quam male vincere. »

Jam Syrus ita vertit, nectitque sequentibus : *In omni vitio tuo ne lædas amicum tuum, et ne ambules in via delicatorum, vel superborum. Ab omnibus peccatis et mendacio elongare, et ne ambules in via superba, quia odibilis est coram Deo, et coram hominibus superbia; et adversus utrumque* (superbiam et mendacium, puta, fraudem et injuriam) *rapina et fraus.*

Porro hæc maxime spectant ad principes, de quibus sermo præcessit et sequitur. Hi enim injuriarum privatarum debent esse immemores, nihilque per injuriam insolenter agere, ut propriæ cupiditati satisfaciant; hoc enim est tyranni. Qua de re vere ex Salomone et Hebræis, Plato lib. I *De Rep.* : « Tyrannicum, ait, est illud omne dicere justum, quod ad potentioris utilitatem pertinet; item, subditos principis vel magistratus utilitati esse destinatos. Tyrannicum est dicere principem legibus esse solutum : publica utilitas et salus debet esse scopus magistratui propositus. » Idem, lib. VIII : « Ex monarchia fit tyrannis, cum rex contempta legum auctoritate, quidvis agit pro animi sui libidine. » Et lib. IX : « Tyrannica ingenia semper improbissimis adulantur, alicui serviunt, inquieta vivunt, furiis et cruciatibus conscientiæ torquentur. Denique sunt prorsus infelicia ac misera, quamcumque vitæ lætitiam simulent, aut præ se ferant. Tyrannus quantumvis felix est, bono rege, quantumvis infelice, miserior septingentis viginti novem partibus, id est, infinitis modis. » Idem, lib. I *De Legibus* : « Civile bellum (quod ex injuriis, quæ civibus et subditis a principe inferuntur, conflatur) peregrino est periculosius, ac proinde ad civile restinguendum bella externa suscipere expedit. » Et inferius : « Etiam victoriæ ipsæ sunt sæpe ipsis quoque victoribus funestæ et Cadmææ. Itaque bella minime optanda, vel ad ea respublic. componenda. »

Tyrannus proprium commodum, princeps publicum quærit.

Platoni magistro astipulatur discipulus Aristoteles, lib. V *Polit.* cap. X et XI, ac lib. IV, cap. X : « Tyrannus est, inquit, qui omnia ad suam utilitatem, vel libidinem vindictamque animi explendam refert. Reges a civibus custodiuntur, tyranni ab extraneis. Reges amant suos cives, et ab iis amantur; tyranni eos oderunt, imo ipsosmet suos satellites metuunt. Reges sublevant subditos tributis, quantum possunt; tyranni eos onerant, ut exhauriant et opprimant. Reges nobilitatem regni, et viros bonos alunt, fovent et conservant; tyranni et nobiles et bonos viros, vel vi, vel clam tollunt. » Sic et Isocrates *ad Nicoclem* : « Ama, inquit, eos quibus imperas, et effice ut ab iis vicissim ameris. Amor populi diuturni imperii est fundamentum. » Plinius quoque in *Panegyrico ad Trajanum* : « Bonus princeps, ait, cum civibus, velut cum liberis suis versari debet. Affabilitas principis, virtus maxima. Principis fidelissima custodia est ipsius innocentia. Tyranni est, quidquid habet quisque subditus amplum, egregium, pulchrum, occupare et sibi detinere. Diligi princeps, nisi ipse diligat, non potest. » Seneca : « Nihil, ait, gloriosius principe impune læso. » Q

pluribus egregie idipsum persequitur, lib. I *De Clementia*, cap. XIX et XX. Meminerit princeps quod, cum omnes apes aculeum habeant, solus rex earum illo careat.

SECUNDA PARS CAPITIS.

DE NOXA SUPERBIÆ.

Vers. 7. 7. ODIBILIS CORAM DEO EST ET HOMINIBUS SUPERBIA: ET EXECRABILIS OMNIS INIQUITAS (ἀδικία, id est, injustitia) GENTIUM. — Tangit hic radicem mali, puta injuriæ, nimirum superbiam; ex superbia enim oritur injuriæ ultio, injustitia, contumelia omnisque iniquitas; unde contra eam deinceps agit, eamque dissuadet novem rationibus, quas in synopsi capitis recensui. Sensus ergo est, *q. d.* Ne memineris injuriæ proximi, nec eam per talionem simili injuria ulcisci velis, quia hæc memoria et ultionis appetitus oritur ex superbia, quæ exosa est Deo et hominibus, æque ac « omnis iniquitas gentium; » quia scilicet gentes atheæ, Deum vindicem non metuentes, superbe et acerbe injurias sibi illatas ulcisci solent, imo ultro injuriis alios lacessere, conviciando, spoliando, rapiendo, occidendo; ideoque Deus regnum de gente in gentem transfert propter injustitias, ut sequitur.

Posterior versus pars in Græcis variat. Quidam enim legunt, ἐξ ἀμφοτέρων πλημμελήσει ἄδικα, id est, *ex utrisque delinquet injusta, q. d.* Per utramque (injuriam, scilicet, et superbiam) multa injusta ab impiis committuntur. Alii: καὶ ἐξ ἀμφοτέρων πλημμέλεια ἀδικίας, id est, *et ex utrisque delictum injustitiæ*. Ita Complutenses; quod, licet eodem sensu jam dicto accipi possit, potest tamen et alio, *q. d.* Ex utrisque, scilicet Deo et hominibus, puta ex sensu et judicio communi, tam Dei, quam hominum, odibile (hoc enim repetendum est) pariter est peccatum injustitiæ. Unde Tigurina vertit, *et utrique facinus injustum aversantur;* quæ versio cohæret et concordat cum Vulgata. Accedit et Syrus, qui vertit, *adversus utrumque rapina et fraus;* et Arabicus: *Quoniam odibilis est superbia apud Deum, et apud homines simul, et super his omnibus ira et crudelitas,* vel oppressio, *q. d.* Deus avaritiæ et superbiæ congruam apposuit et opposuit pœnam, rapinam et fraudes, ut sicut avari et superbi aliena rapuerunt et fraudarunt, sic et ipsi ab aliis diripiantur et fraudentur.

Cur superbia exosa Deo, et hominibus? Ratio prima. Secunda.

Ratio cur superbia, et ex ea prognata injustitia et avaritia, Deo et hominibus sit exosa, est quod hæc duo vitia turbent et evertant omnem rempublicam Unde sequitur: « Regnum a gente in gentem transfertur propter injustitias, » etc. Aliam rationem dat S. Gregorius XXXIV *Moral.* cap. XVIII, quod omnes actus et gestus superbi sunt odibiles: « Cunctis namque, inquit, superba apud se cogitatione tumentibus inest clamor in locutione, amaritudo in silentio, dissolutio in hilaritate, furor in tristitia, inhonestas in actione, honestas in imagine, erectio in incessu, rancor in responsione. Horum mens semper est ad irrogandas contumelias valida, ad tolerendas infirma, ad obediendum pigra, ad lacessendos vero alios importuna; ad ea quæ facere et debet et prævalet, ignava; ad ea autem quæ facere nec debet, nec prævalet, parata. » Quam vero sit odibilis hominibus, inquit Palacius, « docet humilitas ipsis gratissima, et illud:

Parcere subjectis, et debellare superbos.

Ut sit maxime mirandum, quod adeo superbiam odiamus in omnibus, maxime tamen eam admittamus in nobis. Sed interim, quod superbi sumus, inde maxime declaratur, quia aliorum superbiam minime ferimus, aliorum subjectionem maxime desideramus. Hæc igitur superbia nostra causa est, cur ita odiamus alienam; Deus vero odit superbiam, quia ipsa omnis peccati initium est. » Rationem a priori dat S. Ambrosius in *Psalm.* CXVIII: « Deus, inquit, tanquam suæ contumeliæ propulsator, quoddam velut suscipit adversus superbiam speciale bellum, tanquam dicat: Meus iste adversarius est, qui me lacessit; mihi debetur ista congressio. » Et S. Hieronymus, epist. 45 *ad Antonium*: « Vide, frater, quale malum sit, quod adversarium habet Deum. » Superbus ergo quasi ad duellum provocat Deum; sed stulte, nam illico a tanto duellatore sternitur, uti prostrati sunt Nabuchodonosor, Antiochus, Holofernes, Aman, Herodes, etc. Quin et Seneca in *Hercule furente*: « Sequitur, inquit, superbos ultor a tergo Deus, » ut inopinantes dejiciat. Quocirca sapienter monet Prudentius in *Psychom. humilitatis et superbiæ*:

Desine grande loqui, frangit Deus omne superbum;
Magna cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur:
Disce supercilium deponere.

Merito ergo exclamat S. Bernardus: « O doxa, ait, sapiens, in millibus mortalium nihil aliud quam aurium inflatio vana; et tamen quantam putas infelicitatem hæc ipsa non tam felix vanitas, quam vana felicitas parit! Hinc namque cæcitas cordis, sicut scriptum est: Populo meus, qui te beatificant, in errorem te inducunt. Hinc cervicosus furor animositatis, hinc suspicionis labor anxius, hinc livoris crudele tormentum, et cremantis invidiæ miserior quam miserabilior cruciatus. »

Porro superbia maxime insidiatur principibus, utpote qui sublimi cæteris eminent gradu, et sæpe nullum nisi Deum superiorem agnoscunt. Quocirca Justinianum Imperatorem demissionis admonens Agapetus Diaconus in *Admonit.*, num. 19 : « Si honore, inquit, qui ab omnibus proficiscitur, perfrui vis, præsta te communem omnium benefactorem; nihil enim adeo attrahit ad benevolentiam, ut beneficii gratia, quæ detur indigentibus; quod enim ob metum præstatur obsequium, fucata figurataque est adulatio, ficti honoris titulo fallens eos qui ipsi animum advertunt; » et num. 21 : « Essentia corporis æqualis est cuilibet Imperator, potestate autem dignitatis cunctorum præsidi Deo; non enim habet in terris se quemquam altiorem. Oportet igitur ipsum ut Deum non irasci, ut mortalem non efferri. Nam, etsi effigie divina honoratus est, at pulvere tamen terreno connexus est; quo edocetur, ut erga omnes servet æqualitatem; » et num. 23 : « Talem te præsta tuos erga famulos, qualem optas erga te Dominum esse. Prout enim audimus, audiemur; et ut respicimus, respiciemur a divino cunctaque obtuente conspectu. Priores igitur nos misericordiæ misericordiam conferamus, ut pari par recipiamus; » et num. 71 : « Fastuosus et superciliosus homo, ne ut taurus alticornis elevetur; sed animadvertens carnis subsistentiam, sedare debet cordis tumorem. Nam, etsi factus est princeps in terra, ne tamen ignoret sese ortum ex terra, quam ex pulvere ad solium conscendere, atque in pulverem tandem descendere possit; » et num. 68 : « Imperator ut est omnium dominus, ita cum omnibus Dei servus existit. Tum igitur demum vocabitur Dominus, cum ipse sibi dominari, nec illicitis voluptatibus famulari patietur; cum adjutricem piam rationem assumens, invictam, scilicet, imperatricem animi perturbationum rationis expertium, indomitas cupiditates armatura castimoniæ debellabit. »

Basilius Imperator, *Exhort. ad Leonem filium*, cap. XIV : « In te propitium si Deum habere vis, inquit, ipse subjectis tuis esto propitius; nam et si aliorum dominus constitutus es, ipse tamen etiam servus es. Dominum enim habemus universi, eum videlicet, qui rerum omnium dominationem manu tenet; totius autem humani generis unus et idem auctor et propagator est, nempe, limus terræ, etiamsi alius pulvis adversus alium intumescimus. Tu igitur, qui nunc sublime elatus pulvis es, memento, quantumcumque modo emineas, futurum aliquando ut ad terram deprimaris; ita nunquam adversus humiliorem pulverem animo eftereris. Recordare peccatorum, quæ adversus Deum commisisti; ita fiet, ut facile obliviscaris peccatorum proximi adversum te. »

Vers. 3. 8. REGNUM A GENTE IN GENTEM TRANSFERTUR PROPTER INJUSTITIAS ET INJURIAS, ET CONTUMELIAS, ET DIVERSOS DOLOS. — Græce χρήματα δόλια, id est, *pecunias dolosas*, hoc est, dolo et fraude partas; item, quæ homines dolosos faciunt : sicut mors dicitur pallida, quia pallidos facit; et fossa cæca, quia inspicientium aciem sua profunditate et caligine hebetat, et quasi excæcat. Nonnulli tamen codices expungunt τὸ δόλια, id est dolosas; sic et Syrus : *Regnum*, inquit, *de populo ad populum mutatur propter peccata et superbiam et divitias*, quibus hostes et vicini inhiant; Arabicus : *Nam abstrahitur regnum de gente, ac traditur aliis propter peccata et elationem.* Τὸ *nam* dat causam, vel potius indicium et effectum odii, quo Deus prosequitur superbiam et superbos tyrannos, *q. d.* Deus eos odit, nam eos privat regno. Porro, regna transferuntur « propter injurias et injustitias, » tum quia illa propter has juste punit, et translatione mulctat Deus; tum quia ipsæ gentes injuriis his affectæ eas ulturæ armant se, omnesque vicinos concitant ad arma communia tyrannis, qui omnibus adeo infesti et injurii sunt, inferenda : uti Persæ injuriis affecti ab Assyriis, eos spoliarunt monarchia : sic et Persas Græci, et Græcos Romani.

Vere Plato, lib I *De Republ.* : « Omnis, inquit, felicitatis fons est justitia; infelicitatis autem mater injustitia; » idem, lib. X : « Deus humani generis curam gerit. Itaque justos principes beat, tum in hac, tum in futura vita; injustos autem utrobique punit. »

Porro *injustitia*, græce ἀδικία, id est vis, qua aliena occupantur, aut retinentur contra jus et leges. *Injuria*, græce ὕβρις, est procacitas, petulantia, insolentia. *Contumelia* est convicium vel probrum jactum in alium. *Doli* sunt fraudes. Igitur, cum hæ quatuor iniquitates in aliqua republica, civitate, vel regno abundarint, scito eam proximam esse ruinæ et translationi; nam, ut canit Seneca in *Thyeste* :

Ubi non est pudor,
Nec cura juris, sanctitas, pietas, fides,
Instabile regnum est.

Et Plutarchus, lib. *De Doct. princip.* : « Scripserunt, ait, et docuerunt (Philosophi) absque justitia principatum gerere, nec Jovem quidem ipsum posse. » Nimirum, « justitia firmatur solium, » *Proverb.* XVI. Et Valerius Maximus initio lib. IV : « Ii demum penates, ea civitas, id regnum æterno in gradu facile steterit, ubi minimum virium Veneris pecuniæque cupido sibi vindicaverit. » Nam, ut ait Lactantius lib. I *Divin. Instit.* cap. IV : « A quibus abest studium lucri, abest etiam voluntas peccandi et causa fallendi. »

Audi S. Augustinum lib. V *De Civit.* cap. XIII, recensentem et laudantem verba Catonis, de modo quo crevit et decrevit Romanum imperium : « Nolite, inquit, existimare majores nostros armis rempublicam ex parva magnam fecisse. Si ita esset, multo pulcherrimam eam nos haberemus; quippe sociorum atque civium, præterea armorum et equorum, major copia nobis quam illis

est. Sed alia fuere, quæ illos magnos fecerunt, quæ nobis nulla sunt: domi industria, foris justum imperium, animus in consulendo liber, neque libidini, neque delicto obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam atque avaritiam, publice egestatem, privatim opulentiam; laudamus divitias, sequimur inertiam; inter bonos et malos discrimen nullum, omnia virtutis præmia ambitio possidet. Neque mirum, ubi vos separatim sibi quisque consilia capitis, ubi domi voluptatibus, hic pecuniæ aut gratiæ servitis. Eo fit ut impetus fiat in vacuam rempublicam. »

Quamobrem ab injuria dehortatur, ac ad justitiam et beneficentiam adhortatur Justinianum Imperatorem Agapetus Diaconus num. 44 : « Inexhaustæ ait, sunt beneficentiæ opes. Nam largiendo acquiruntur et dissipando colliguntur. Has tuo insitas animo habens, munificentissime Imperator, largire omnibus affatim petentibus abs te. Infiniticuplas enim pro tuis habebis remunerationes, cum tempus reddendi vicem venerit;» et num. 47: « Tutissimam arbitrare salutis tuæ custodiam, nulla quemquam ex subditis afficere injuria; qui enim offendit neminem, suspicioni habet neminem; qui, si nulla quemquam afficere injuria tutelam conciliat, longe beneficiis collatis magis id præstabit; nam, ut tutelam exhibet, ita charitatem non prodit. »

S. Ludovicus non tantum per judices a se constitutos, sed et per se bis publice causas pauperum audiebat, easque illico ex justitia decidebat. Idem moriens Philippo filio, inter alia, hoc monitum testamento reliquit : « In administranda justitia sis rectus et severus, et ita ut leges præscribunt, eam exerceas erga subditos, neque ad dexteram, neque ad sinistram deflectens; pauperum querimonias non rejicias, donec veritas innotescat. Si quis adversum te habet querelam vel controversiam, semper ab illo stes contra teipsum, donec rem certam comperias. Si quid possideas rei alienæ, etiam id acceperis a majoribus tuis, incunctanter restituas justo possessori, ubi certo tibi constiterit; sin autem dubia res est, cura ut viri sapientes accurate et sine mora inquirant. Bellum, præsertim adversus quemlibet Christianum, sine multo consilio vide ne suscipias. Si necessitas cogat suscipere, Ecclesias et insontes nullo patiaris damno affici. »

Basilius Imperator, *Exhortat. ad Leonem filium*, cap. XXX : « Præstantissimus, ait, medicorum ille est, qui accommodatas cuique morborum generi novit adhibere curationes; et rex optimus, qui eos instituit magistratus, qui a suis subjectis omnem injuriam arcere ac propulsare queant. Sicut enim equisonis virtus propria est, equi cujusque nosse præstantiam; et venatoris, intelligere quantum quisque canum cursu valeat ad persequendas feras; ac imperatoris, milites suos cognoscere, et quisque eorum qua fortitudine sit, perspectum habere, ut in instruenda acie intelligat, quo quemque loco debeat collocare: ita boni regis est, subditorum suorum mores, animos, actus et sententias perdiscere, ut de singulis edoctus, unumquemque sciat suo ordine disponere; ac pravos quidem et pestilentes homines a republica extorres ejicere; probos autem et veritatis amantes, honoribus et publicis muneribus præficere. » Idem, cap. LXII : « Lectissimam esse regni tui coronam statuito, innocentiam et bonam conscientiam, qua te magis meliusque exornabis, quam sexcentis aliis ornamentis. Divitiæ, infida quædam res, et quæ facile dilabitur; gloria transit, robur corporis flaccessit, voluptates diffluunt; sola innocentia et boni mores in multas ætates protenduntur, et memoriam nominis æternam transmittunt ad posteros, quibus virtutem tuam æmulandam, quasi pharmacum adversus mala omnia relinques, eosque et laudatores et imitatores tuæ administrationis efficies. »

9. AVARO AUTEM NIHIL EST SCELESTIUS. — Complut. φιλαργύρου γὰρ οὐδὲν ἀνομώτερον, id est, *auri cupido enim nihil est iniquius.* Τὸ *enim* dat causam præcedentium, *q. d.* Ideo propter avaritiam, indeque natas rapinas et injustitias transferuntur regna, quia nihil avaritia est iniquius. Noster idem innuit per τὸ *autem, q. d.* Regna transferuntur, quia avara sunt et injusta, æque ac superba; avaritia autem nihil est scelestius. Igitur illa summe exosa est Deo et hominibus, qui proinde eam cum suis regibus et regnis puniunt et exscindunt. Rursum transferuntur propter superbiam, quia superbia odibilis est Deo et hominibus : « Quid enim superbit terra et cinis ? » *q. d.* Ideo tam exosa est superbia, et superbus, quia plane indignum est ut homo tam vilis, qui non est aliud quam terra et cinis, velit se extollere, imo æquare Deo. Vers. 9.

Quæres, quomodo avaro nihil sit scelestius, cum alia peccata, ut homicidium, superbia, odium, hæresis, magia, sint scelestiora. Resp. Avaritia proprie est immoderatus amor pecuniæ: hunc enim significat græca vox φιλαργυρία Hic autem, esto sit nimius, per se est peccatum veniale; mortale enim fit per aliud, si, videlicet, propter eum fiant rapinæ, usuræ, sacrilegia, omittatur Sacrum, aliudve præceptum violetur, ita ut lædatur religio, justitia, aut etiam charitas : ut si neges pauperi in gravi necessitate eleemosynam, ut tuas opes conserves et augeas. Cum ergo hic dicitur : « Avaritia nihil est scelestius, est hyperbole significans avaritiam esse rem valde scelestam. Sic per exaggerationem dicere solemus: Vino nihil est dulcius: Auro nihil fulgidius: Hoc homine nihil doctius; id est, vinum est valde dulce, esto mel sit dulcius; aurum est valde fulgidum, esto carbunculus sit fulgidior; hic homo est valde doctus, esto nonnulli sint doctiores. De sola tamen avaritia hic dicitur, quod sit valde scelesta, vel, ut græce est, *iniqua. Primo*, quia avaritia est injuria Deo; nam ei præ- Avaritia nihil scelestius. Primo.

fert aurum, adeoque illud suum facit idolum; unde avaritia ab Apostolo *Ephes.* v, 5, vocatur idololatria, et avarus idololatra. Quid ergo ea scelestius? Huc facit, quod Gentiles Jovem vocarint pecuniam, quod Jupiter pecuniæ, et per illam rebus omnibus dominetur. « Sed nimirum, inquit S. Augustinus lib. VII *De Civit.* cap. XII, hoc avaritia Jovi nomen imposuit, ut quisquis amat pecuniam, non quemlibet Deum, sed ipsum regem omnium sibi amare videatur. » Unde idipsum redarguens subdit: « Qualis ergo est ista Theologia, ubi rex deorum ejus rei nomen accepit, quam nemo sapiens concupivit? Quanto enim facilius, etc. Deus mundi rector non ab eis pecunia, sed sapientia vocaretur, cujus amor purgat a sordibus avaritiæ, hoc est, amore pecuniæ? »

Secundo. *Secundo*, quia avaritia injuria est reipublicæ: illam enim implet usuris, furtis, fraudibus, litibus, seditionibus, cædibus. Quocirca Hebræorum discipulus Plato, lib. V *De Legibus* : « Nimiæ opes, inquit, reipublicæ noxiæ; ex illis enim insolentia, dissidia, et immanis voluptatum fœdissimarum usus et luxus oritur. » Unde idem, lib. IV : « Mediocritas, ait, melius tuetur rempublicam, quam nimiæ opes. » Ac rationem subdit: « Divitiæ nimiæ socordem efficiunt rempublicam et superbam. » Unde Lycurgus prædixit tamdiu Spartam constituram incolumem, quamdiu cupido opum exularet; illa vero grassante, evertendam. Et verus fuit vates.

Tertio. *Tertio*, avaritia injuria est ipsi avaro, quia mentem ejus creatam ad fruendum Deo, inficit, polluit et deprimit ad fruendum auro, imo dejicit ad tartara. Nam avarus animam suam auro vendit diabolo et tartaro, uti dicetur vers. 10. Unde S. Thomas II II, *Quæst.* CXVIII, art. 5 : Nihil, ait, est iniquius avaro, non ratione aversionis a Deo, uti est odium, sed ratione conversionis: quia, scilicet, convertitur ad pecuniam, illique se subjicit, quæ inter creaturas est ima et vilissima. Et Palacius: Avarus, inquit, non tantum Deo et proximo, sed et sibi ipsi est nequam, quia se defraudat rebus ad victum et vitam necessariis, ut pecunias congerat; qui sibi autem est nequam, cui bonus? Avarus ergo dicere deberet cum S. Paulino : « Domine, non excrucier propter aurum et argentum: ubi enim omnia mea sint, tu scis; « et cum Psalte *Psal.* XV : « Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei; tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi. » Quocirca Vener. Beda in *Sententiis* aureas has de avaritia assignat gnomas : « Febris corporis calor : febris animi libido et avaritia.

Imperat, aut servit collecta pecunia cuique.

Pecuniæ imperare oportet, non servire. Quis dives? qui nil cupit: et quis pauper? avarus. Avarus propriæ est causa miseriæ, ingerens sibi sitim avaritiæ. Avarus nihil recte facit, nisi cum moritur, » ut pauperibus, vel liberalioribus suas opes relinquat. « Avaritia semper odiosos, largitas charos facit. Avaritia desideratis opibus non extinguitur, sed augetur.

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

Egens æque est is, qui non satis habet; et is, cui copia nulla sufficit. »

Quarto, avaritia injuria est pauperibus, imo Quarto. omnibus hominibus, quos defraudat, decipit, expilat, tum per usuras, fraudes et iniquos contractus; tum quia frumentum, vinum, oleum, quæ creata sunt ad pauperum communemque hominum usum, ipsa sibi appropriat et reservat. Vere S. Bernardus, serm. 21 *in Cant.* : « Avarus terrena esurit, ut mendicus; fidelis contemnit, ut dominus: ille possidendo mendicat, iste contemnendo servat. » Nam, ut ait Aristoteles I *Polit.* : « Amor divitiarum crescit in infinitum.

Quinto, avaritia injuria est ipsi auro et frugibus. Quinto. Bonum enim et quasi felicitas auri et frugum est, ut serviant communi hominum usui et necessitati; ad hoc enim creata sunt a Deo. Avarus autem hoc fine, usu et fructu ea privat, dum ea in horreis et arcis recondit, ibique sinit putrescere, corrumpi, et a tineis vermibusque comedi, juxta illud *Jacobi*, cap. V, vers. 2 : « Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, et vestimenta vestra a tineis comesta sunt. Aurum et argentum vestrum æruginavit, et ærugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus. » Vide quæ ibidem dixi. Quocirca S. Chrysostomus, homil. 37 *ad Populum* : « Avarus, inquit, facto et reipsa dicit: Rodat tinea, et non comedat pauper; absumat vermis, et nudus non induatur; omnia tempore consumantur, et Christus non pascatur, licet esuriat. Et S. Salvianus, lib. I *ad Eccles.* : « Avaro nihil est scelestius: quid enim pejus, inquit, quam si quis præsentia bona in futura mala convertat? » Hoc facit avarus, dum per avaritiam, fraudes, injurias, quibus sibi opes comparat, colligit sibi miser incendia gehennæ, quibus in æternum conflagrabit. Emit ergo sibi tot opibus, tot laboribus, tot injuriis infernum, cum longe facilius cœlum emere potuisset.

Sexto, avaritia injuria est omnibus elementis, Sexto. cœlis et creaturis, quia particulas terræ, quæ omnium elementorum est ima et vilissima, præfert cæteris rebus omnibus, adeoque ipsi cœlo empyreo. Quid enim est aurum et argentum nisi terra alba et rubra? ait S. Bernardus. Quid sunt vestes bombycinæ et sericæ, nisi vermium, puta bombycum, excrementa? Quid sunt uniones, nisi concharum quisquiliæ ? Quid sunt gemmæ, nisi terræ lapides, imo lapilli, quibus vana hominum æstimatio dat pretium? Quocirca Seneca in *Proverbiis* : « Monstro, inquit similis est avaritia. » Et Cicero I *Offic.* : « Nihil, ait, tam angusti animi, tamque pravi, quam amare pecuniam. » « Avarus, ait Rabanus, extrema primis, et vilissima ante-

ponit pretiosissimis. » Porro aurum et opes dicuntur res vilissimæ, non præcise, sed vulgari modo loquendi, quia sunt inter vilissimas. Nam alioqui pomum v. gr. vetitum, quod comedit Adam et Eva, ac se suosque perdidit, vilius est auro.

Septimo. *Septimo*, avaritia injuria est omnibus legibus (unde pro *scelestius*, græce est ἀνομώτερον, id est, *magis exlex, magis contra leges*) et omnibus virtutibus, quia ipsa impellit ad violandas quaslibet leges et virtutes, estque causa omnis injustitiæ et peccati, juxta illud I *Timoth.* VI : «Radix omnium malorum est cupiditas. » Ita Isidorus, lib. II *De Summo bono*, cap. XLI. Et hoc maxime hic spectat Siracides; dat enim causam cur regnum a gente in gentem transferatur propter injustitias: quia, inquit, avaritia nihil est scelestius; græce, magis exlex et iniquius. Hinc Arabum exstat proverbium *Centuria* 1, num. 89 : «Non est justitia cum avaritia, » quia difficile est justum simul et avarum esse; id maxime verum est in principibus, de quibus hoc loco agitur: hi enim, si avaritia laborent, totum regnum expilant et perdunt.

Præclare S. Leo, serm. 9 *De Passione* : «Videte, ait, quales fructus de avaritiæ radice nascantur, quam merito Apostolus radicem omnium malorum esse definivit; quia nullum peccatum sine cupiditate committitur, et omnis appetitus illicitus istius aviditatis est morbus. Amore pecuniæ vilis est omnis affectio, et anima lucri cupida etiam pro exiguo perire non metuit, nullumque est in illo corde justitiæ vestigium, in quo sibi avaritia fecit habitaculum. Hoc perfidus Judas inebriatus veneno, dum sitit lucrum, pervenit ad laqueum, et tam stulte impius fuit, ut triginta argenteis et Dominum venderet et magistrum. » Vide Cassianum lib. VII *De Institut. renunt.* cap. VI, ubi avaritiam nuncupat receptaculum vitiorum, malorum omnium radicem, et inextricabilem nequitiæ fomitem.

Hanc gnomen illustri apologo corvi et vulpis elucidat Cyrillus lib. III *Apologorum moralium*, Avaritiæ munia. cap. I. Corvus enim optans ditari, modum quæsivit a vulpe. Cui illa: « Totum, inquit officium ditescendi in tribus assiduis vitiis, et in uno continuo tormento consistit, videlicet in insatiabili cupiditate, in inquieta rapacitate, in illiberalitate Primum. continua, et in timore perpetuo. Hæc enim sunt instrumenta artis ditescendi, scilicet semper cupere : cum enim cupiditas deerit, mundanæ divitiæ minorantur; sed ubi semper hæc adorit, augentur. Minorato siquidem appetitu, caro macrescit; et eo addito, mox resarcita pinguescit. Nam ob hoc excessiva oneratur pinguedine porcus, Secundum. quia inextinguibilem patitur appetitum. Alterum vero ejus officium est, undecumque et quomodocumque rapere; propter hoc enim æstivo tempore cum plurimi fluvii deficiant, Nilus auctus fines suos transgreditur: quoniam undecumque contingit humiditas, vi caloris rapientis hauritur. Tertium. Tertium est, nihil unquam donare. Ex quo namque sursum altissimæ arbores rapiuntur, nisi quia foris minime in fructum effunduntur? atque ideo intestinum cavum semper est vacuum, eo quod chili, mox cum susceperit, sit effusivum. Ultimum vero est, timore sollicito semper parta servare. Plures etsi non datis, negligentia tamen perditis divitiis caruerunt. Audax enim pavo caudam auream perdidit, et pavidus lepus propriam pellem custodivit. » Unde concludens, paucis avaritiæ mala omnia oculis subjicit: « Hæc igitur, frater mi, oportet diligenter servare, si mundi hujus divitias cupis acquirere. Scilicet, ut sis semper cupidus illas affectando, violentus in rapiendo, avarus in servando. » Ubi hæc corvus audivit, digestam sententiam protulit: « O certe infelicissimæ paupertatis fallaces divitias mundiales, et omni cum studio sapienti detestandas! utpote quarum dilectio cupiditas est, acquisitio rapacitas, possessio illiberalitas, et conservatio timiditas est horrenda. Sed quid cupiditate scelestius? quid rapacitate iniquius? quid illiberalite deformius, et timiditate molestius? sperno de cætero immoderatas divitias Crœsi, et Assueri opum magnalia, et aurea scuta repudio Salomonis. Meæ vero divitiæ sint, sine cupiditate quietum, sine rapacitate justum, sine illiberalitate benignum, absque timiditate securum me possidere. »

QUID SUPERBIT TERRA ET CINIS? — *q. d.* Intolerabilis est homuncio, qui superbit, cum sit terra et cinis; ac proinde non mirum, si ob avaram injustitiam et superbiam regna transferantur, uti jam dixi. Hæc enim spectant ad vers. 7: « Odibilis coram Deo et hominibus est superbia. » Palacius tamen hæc refert ad avaritiam, quæ proxime præcessit; hæc enim in principibus oritur ex superbia. Ideo enim congerunt immensam vim divitiarum, quia nihil suæ magnitudini et celsitudini credunt esse satis: unde his sapienter opponit pulverem, ex quo factum est corpus, et per *cinerem* repræsentat avari peccatoris animam; sicut enim exstincto igne manet cinis sine luce, splendore et vita præcedenti: ita exstincta charitate manet anima, velut cinis, sine gratiæ vita et splendore. Hæc Palacius partim litteraliter, partim mystice. Sic et Lyranus? : *Quid superbis ex tuis divitiis*, inquit, *pulvis et cinis* » id est, qui es cito in cinerem redigendus: litteraliter enim pulvis et cinis ad corpus spectant, suntque idem; sed junguntur ad exaggerationem, et quia homo formatus est ex pulvere, desinit in cinerem. Cinis enim est residuum rei corruptæ, uti ligni combusti residuum est cinis. S. Hieronymus, lib. XIII in *Isaiæ* cap. XLVIII, pro *superbit*, legit *gloriatur*. « Quid gloriatur, inquit, terra et cinis, et ignorat fragilitatem suam? » Idem in cap. II *Joelis* : « Si eruca, inquit, parvusque vermiculus fortior est homine, quid gloriatur terra et cinis, et elata per superbiam (cum ex humo sit, a qua homo appellatur) humana contemnit? »

Aliqui codices Græci hanc sententiam præponunt, sicque nectunt : *Propter injustitias, et injurias, et contumelias, et dolos, quid superbis, terra et cinis?* Alii postponunt et jungunt versui 13 : *Cum enim morietur homo, hæreditabit serpentes, et bestias, et vermes.* Et sane cum illa recte cohæret. Unde Syrus ita nectit et vertit : *Quid superbit pulvis et cinis? in cujus vita vermes serpunt, latera ejus et intestina ejus medicus scindit. Hodie ambulat, et cras moritur.* Sic et alias subinde sententias transponit, alioque loco collocat Græcus, Syrus et Arabicus. Idem subinde contingit in Proverbiis Salomonis. Cum enim sententiæ hæ ethicæ, utpote variæ, in variis schedis essent descriptæ, varie quoque a variis compilatæ, et in ordinem digestæ sunt.

Audi Isidorum Pelusiotam, lib. I, *epist.* 493 *ad Cyrinum*, præfectura insolescentem, paraphrastice hæc explicantem : « Quid superbit terra et cinis ? Quid insolenter se gerit labes et corruptela? Quid magnifice de se sentit, ac se effert umbra ? Quid te imperii ac præfecturæ insomnium inflat? Quin tu eos cernis, qui turpiter ac fœde diem vitæ extremum claudunt? Quin tu eorum æmulum te præbes, qui probe atque insigniter vixerunt? Verum brevem principatum tanquam sempiternam potentiam arbitraris, ob quam temporis orbis conversus te curabit, præfecturam tuam ad finem impellens, atque æstui tuo terminum imponens. » Audi et S. Bernardum in *Sententiis* : « Tria hæc semper in mente habeto : Quid fuisti? Quid es? Quid eris? Quid fuisti? sperma fetidum. Quid es? vas stercorum. Quid eris? esca vermium. » Idem in *Meditat.* cap. III : « Quantumcumque caro excolatur, semper caro est. Si diligenter consideres quid per os et nares cæterosque corporis meatus egrediatur, vilius sterquilinium nunquam vidisti. Si singulas ejus miserias enumerare velis, quam sit onerata peccatis, irretita vitiis, pruriens concupiscentiis, occupata passionibus, polluta illusionibus, prona semper in malum, et in omne vitium proclivis : plenam omni confusione et ignominia invenies. Quid ergo superbis, terra et cinis; cujus conceptus culpa, nasci miseria, vivere pœna, mori angustia? Unde superbit homo, cujus conceptio culpa, nasci pœna, labor vita, necesse mori? Cur carnem tuam pretiosis rebus impinguas et adornas, quam post paucos dies vermes devoraturi sunt in sepulcro? Animam vero tuam non adornas bonis operibus, quæ Deo ab angelis ejus præsentanda est in cœlis? Quare animam tuam vilipendis, et ei carnem præponis? Dominam ancillari, et ancillam dominari, magna abusio est. Totus quidem iste mundus ad unius animæ pretium æstimari non potest : non enim pro toto mundo Deus animam suam dare voluit, quam pro anima humana dedit. Sublimius est ergo animæ pretium, quæ non nisi sanguine Christi redimi potuit. »

Drogo Hostiensis Episcopus, serm. 1 *De Sacram. Dominicæ passionis*, ante medium, tom. XXI *Biblioth. SS. Patrum* : « Quid superbis, ait, terra et cinis ? subter te sternetur tinea, et operimentum tuum vermis est : hæc tua vestis est; illuserunt tibi, qui chlamyde coccinea circumdederunt. Sic Antiochus et Domini natalis hostis Herodes, alienis vestibus depositis, in suis vermibus expirarunt. Redi ad cor tuum tandem aliquando ; redi, vetus Adam : vide ubi et quomodo te etiam vestivit novus Adam. Ostendam tibi in corpore ejus ignominias animæ tuæ. »

Denique breviter, sed nervose Origenes homilia 9 *in Ezech.* : « Quid superbit, inquit, terra et cinis, ut homo arrogantia sublevetur, oblitus quid erit, et quam fragili vasculo contineatur, et quibus stercoribus immersus sit, et qualia semper purgamenta de sua carne projiciat? quid enim ait Scriptura : Quid superbit terra et cinis? et in vita ejus projecit interanea ejus? Superbia peccatis omnibus major est, et ipsius diaboli principale peccatum. » Quin et Seneca, *epist.* 91 : « Æquat, inquit, omnes cinis : impares nascimur, pares morimur. »

Mystice, cinis in terra est prorsus inutilis ; at si calidissimæ aquæ injiciatur, sordes pannorum eluit, eosque dealbat. Cinis est memoria mortis : hæc si aquæ calidæ, id est, ardenti et lacrymosæ compunctioni injiciatur, eluit sordes animæ, præsertim superbiæ ; ita remedium inde petendum, unde morbus est ortus, puta remedium superbiæ hominis petendum est ex ipso homine, sicut caro viperæ in theriaca curat morsus viperæ.

10. NIHIL EST INIQUIUS QUAM AMARE PECUNIAM. HIC ENIM (qui eam amat) ET ANIMAM SUAM VENALEM HABET (Græce πωλεῖ, id est *facit*, quia pro auro vendit animam suam diabolo, uti faciunt magi et sagæ. Aliter et nove legit Tigurina, nimirum, *hic enim animam quoque cujusvis exigit ; animam*, id est vitam, *q. d.* Avarus cogit multos mori fame) : QUONIAM IN VITA SUA PROJECIT INTIMA SUA, — *q. d.* Avarus exuit omnem humanitatem, ac si a se viscera, in quibus est sedes misericordiæ, ob pecuniam abjecisset. Unde S. Augustinus, serm. 25 *De Verbis Domini* : « Quæ est, ait, ista aviditas concupiscentiæ? cum ipsæ belluæ habeant modum : tunc enim rapiunt, quando esuriunt; parcunt vero prædæ, cum senserint satietatem : inexplebilis est sola divitum avaritia, semper rapit, et nunquam satiatur; nec timet Deum, nec hominem reveretur; non parcit patri, non matrem agnoscit, non fratri obtemperat, nec amico fidem servat. Quæ est ista, rogo, animarum insania? amittere vitam, appetere mortem, acquirere aurum, perdere cœlum. » Hujus rei symbolum et exemplum fuit Judas qui, vendendo Christum, vendidit animam suam dæmoni : « Ideoque suspensus crepuit medius, et diffusa sunt omnia viscera ejus, » *Actor.* I, 18.

Vers. 10. Avarus projicit intima sua. Quæ ? Resp. Primo.

Secundo, D. Thomas II II, *Quæst.* CXVIII, art. 5, ad. 1, et ex eo Palacius : « Nihil, ait, avaro, ini- Secundo.

quius, quia ipse non tantum iniquus est in Deum et proximum, sed etiam in seipsum; habet enim animam suam venalem, id est, vitam suam exponit periculis pro pecunia, et ideo subdit : Quoniam in vita projecit intima sua, ut scilicet, pecuniam lucraretur. » Vendit ergo animam, id est vitam, hoc est, vitæ suæ sustentationem, ne expendat pecuniam; itaque in vita sua abjicit intima sua, hoc est, in vita abjicit vitam; non parcit vitæ, et intimis suis, ut pecuniæ parcat. Res mira : nihil est intimius, quam quod homo carnem suam nutriat et foveat; atqui avarus hunc intimum affectum a se pecuniæ causa abjecit, multo magis abjecit affectum omnem erga proximos. Hæc Palacius.

Tertio. *Tertio*, S. Augustinus, tract. 25 *in Joan.*, hæc refert ad superbiam, et per *intima* intelligit interiora Christi, cui per humilitatem incorporamur, e quibus per superbiam ejicimur, *q. d.* Superbus projicit a se viscera Christi, quibus per humilitatem incorporatus erat. Explicans enim illud *Joan.* VI : *Eum, qui venit ad me, non ejiciam foras*, subdit : « Quid superbit terra et cinis? dicat : Quid superbit? Quoniam in vita sua projecit intima sua? Quid est, projecit, nisi porro jecit? hoc est exire foras. Etenim intrare intro, appetere intima est; projicere intima, foras exire est. Intima projicit superbus, intima appetit humilis : superbia ejicimur, humilitate regredimur. Caput omnium morborum superbia, quia caput omnium peccatorum superbia. » Et paulo post : « Ut ergo causa omnium morborum curaretur, id est superbia, descendit et humilis factus est Filius Dei. Quid superbis, homo? Filius Dei propter te humilis factus est. Puderet te fortasse imitari humilem hominem, saltem imitare humilem Deum. Venit Filius Dei in homine, et humilis factus est. Præcipitur tibi ut sis humilis, non tibi præcipitur ut ex homine fias pecus. Ille Deus factus est homo, tu homo cognosce quia es homo. Tota humilitas tua est, ut cognoscas te. Ergo quia humilitatem docet Deus, dixit : Non veni facere voluntatem meam, sed ejus voluntatem qui misit me; hæc enim commendatio humilitatis est. Superbia quippe facit voluntatem suam, humilitas facit voluntatem Dei. Ideo qui ad me venerit, non ejiciam foras. Quare? Quia non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me. Humilis veni, humilitatem docere veni. Qui ad me venit, incorporatur mihi; qui ad me venit, humilis fit; qui mihi adhæret, humilis erit : quia non facit voluntatem suam, sed Dei; et ideo non ejicietur foras, quia cum superbus esset, ejectus est foras. »

Idem, lib. VI *De Musica*, cap. XIII : « Non potuit melius demonstrari quid sit superbia, quam in eo quod dictum est : Quid superbit terra et cinis? Quoniam in vita sua projecit intima sua. Cum enim anima per seipsam nihil sit; non enim aliter esset commutabilis, et pateretur defectum ab essentia. Cum ergo ipsa per se nihil sit, quidquid autem illi esse est, a Deo sit, in ordine suo manens ipsius Dei præsentia vegetatur in mente atque conscientia. Itaque hoc bonum habet intimum. Quando vero superbia intumescit, hoc illi est in extima progredi, et, ut ita dicam, inanescere, hoc est minus minusque esse. Progredi autem in extima, quid est aliud, quam intima projicere, id est, longe a se facere Deum, non locorum spatio, sed mentis affectu? » Sic et Syrus hæc refert ad pœnam superbiæ, sed per intima accipit latera, quæ ob ulcera aliosque morbos incidit medicus; sic enim vertit : *Quid superbit terra et cinis? in cujus vita vermes serpunt, latera ejus et interiora ejus medicus scindit*; et Arabicus : *Cinis, ex quo serpit vermis in vita ejus, et projicit medicus latus ejus, et intestinum ipsius.*

Audi S. Chrysostomum occasione Judæ in avaritiam detonantem, et hanc Siracidis sententiam explicantem hom. 81 *in Matth.* : « Pessima omnium hæc passio (avaritia) est; hinc sepulcrorum violatores, hinc homicidæ, hinc bella et pugnæ, hinc alia quam plurima mala oriuntur. Ubique certe avarus inutilis est, nec ad imperandum exercitui, nec ut præsit populo, commodus. Cur dico in rebus publicis, cum in privatis etiam inutilis sit? Si uxor ducenda est, non probam, sed impudentissimam omnium pro pecunia eliget. Si domus emenda, non eam, quæ homini libero conveniat, emet, sed quæ pluris posset locari. Si servi, et quid aliud comparandum est, vilissimum semper inquiret. Quid minora percurro? Si regnum orbis invaserit, cæteris omnibus miserior tamen est atque pauperior, terrarum pestis, urbium pernicies, singulorum calamitas : non enim quæ cæterorum sunt quasi sua tutatur, sed veluti unus ex multis omnia rapit, pauciora putans cæteris omnibus habere. Nam cum cupiditati eorum quæ nondum possedit, ea quæ habet, confert; nihil ea quæ habet, præ illis esse opinatur. » Deinde citans hunc Siracidis locum, subdit : « Propterea quidam ait nihil esse avaro iniquius. Qui avarus est, etiam seipsum perdit : avarus communis omnium hominum hostis : avarus non parum dolet, quia terra pro spicis aurum non producit, quia fontes non manant auro, quia montes loco lapidum aurum non habent. Avarus fertilitatem temporum moleste fert, et communi felicitate contrahitur, omnemque fastidit causam unde argentum colligere non potest : e regione vero cuncta suffert, unde vel duos solummodo capere obolos possit; omnes homines, tam pauperes, quam divites odio prosequitur : pauperes, ne quid ab eo petant; divites, quia quæ illorum sunt, non possidet; universos enim simpliciter, quæ sua esse deberent occupare putat, ac ideo quasi ab omnibus læsus, omnibus infensus est. »

Legit Interpres ἔρριψε, id est *projecit;* et recte. Jam Græca variant : nam Romana legunt ἔρριψα,

id est *projeci*: *Quoniam in vita projeci intima ejus*, quasi sint verba Dei, qui dicat se intima avari projecisse. Complutenses et alii passim legunt ἔῤῥιψαν, id est *projecerunt*: *Quoniam in vita sua projecerunt intima*, vel *intestina sua*, vel *ejus*, scilicet avari: αὐτοῦ enim est pronomen, tam reciprocum, quam absolutum, tamque *sua* quam *ejus* significat. Quod *primo* accipi potest, *q. d.* Avari projecerunt sua viscera humanitatis, uti jam exposui, ut sit enallage numeri frequens Hebræis, qua de avaro nunc in singulari, nunc in plurali loquatur: sicque idem est sensus Græci, qui Latinæ Vulgatæ.

Secundo, alii exponunt, *q. d.* Usurarii et avari omnibus odio sunt, adeo ut homines cupiant illorum viventium intestina dissipari, uti nonnullos exactores grandium tributorum et onerum a plebe membratim dissectos et concisos audivimus et vidimus. Ita poetæ inducunt Jovem dicentem, quod Juno tum demum saturatura sit odium suum in Trojanos, si Priamum vivum devoret.

Tertio, Tigurina sic legit et vertit: *Hic enim animam quoque cujusvis exigit; nam pro vita ipsius eruere viscera sua quisque cogitur*, *q. d.* Avarus animam, id est vitam, pauperum exigit; quia pro vita ipsius, ut, scilicet, ipse diviter, laute et splendide vivat, coguntur pauperes eruere viscera sua per labores, ut scilicet usuras ingentes, quas injuste exigit avarus ipsi persolvant.

Quarto, Vatablus sic, *q. d.* Hic enim etiam animam suam venalem habet, quia in vita sua viscera quoque sua ejicere paratus est, scilicet lucri causa. Noctes enim et dies laborat avarus, ut pecunias congerat, ideoque currit ad Garamantes et Indos, fatigatur, sudat, adeoque se et viscera sua consumit.

Vers. 11. 11. OMNIS POTENTATUS (in genitivo casu, *q. d.* Omnis imperii et regni est) BREVIS VITA,—*q. d.* Omnis potestas brevem habet durationem et vitam. Aliqui legunt *via*; vita enim est via ad mortem, et per eam ad immortalitatem. Hæc verba jam desunt in Græco. *Potentatus* primo, est principatus quilibet; secundo, est tyrannis: *potentatus* enim significat regimen imperiosum et violentum, quia tyranni potenter, imo impotenter, superbe et avare dominantur subditis. Porro *potentatus* sive potestates vocantur hic potestate et potentatu prædiți, puta principes et tyranni: ponitur enim abstractum pro concreto, potentatus pro potente, *q. d.* Omnis potentis vita est brevis. Siracides enim toto hoc loco perstringit superbiam et avaritiam tyrannorum. Unde Tigurina: *Omnis tyrannus brevem vitam sortitur*. Causam subdit: *Quia morbus pertinax medico gravis est. Tenacem morbum præcidit medicus; ita rex hodie vivus, cras moritur*. Græca enim sic breviter de more habent: μακρὸν ἀῤῥώστημα κόπτει (Romana legunt σκώπτει, id est *cavillatur*) ἰατρός, καὶ βασιλεὺς σήμερον καὶ αὔριον τελευτήσει, id est, *longum* vel *tenacem morbum incidit* vel *secat medicus*: *sic et rex hodie, et cras morietur*. Noster vero plenius et germanius habuit Græcum exemplar, ex quo sic transtulit: *Languor prolixior gravat medicum.*

12. BREVEM (pro μακρὸν enim videtur legisse μικρόν) LANGUOREM PRÆCIDIT MEDICUS: SIC ET REX HODIE EST, ET CRAS MORIETUR. — Arabicus, *hodie jam mortuus est, et cras jam mortuus est*; hoc est, hodie vel cras certo morietur. *Terra sors illius est.* Comparat enim tyrannidem morbo diuturno, qui gravat rempublicam, ac Deum medico, qui ut rempublicam eo liberet, illico eum pharmacis profligat, quin et igni adurit, et ferro succidit, *q. d.* ait Lyranus et Jansenius: Sicut medicus brevem, id est modicum, recentem et inchoantem morbum, illico adhibitis pharmacis et catapotiis, quin et igni ferroque, si opus sit, præcidit, ne, si inveterascat, ægrum diu affligat et fiat pertinax, ac in totum corpus pervadat, ut fiat lethalis, et sanari non possit: sic et Deus regem tyrannice imperantem, cito tollit, ne confirmet tyrannidem, eaque Deum et rempublicam gravet; quin et eam suo scelere velut cancro serpente inficiat vel opprimat. Vide nostrum P. Menochium hunc locum graviter et eleganter pertractantem lib. II *Hieropolit.* cap. VIII, num. 1. Vers. 12

Paulo aliter hæc applicat et explicat Palacius, *q. d.* « Si medicus invenit languorem chronicum, non periculosum, solet eum sustinere, et per dies multos curare: at, si languor brevis est, qui cito videtur infirmum absumpturus, quique inducias non patitur, tunc medicus omnem adhibet diligentiam, quo eum præcidat et auferat. Ita facit Deus; si rex non est iniquus, sed aut negligens, aut alio minore vitio languens, eum sustinet, non subtrahit e medio; at, si rex iniquitate sua reipublicæ pestis est, hunc præcidit, nec diu eum vivere patitur. Caveat igitur rex a potentatu tyrannico. Alias, hodie est, cras morietur. »

Tertio, Rabanus: « Languor prolixior, » etc. «Hanc comparationem, inquit, ideo facit, ut ostendat quod avaritiæ pestis, si diu mentem possederit, difficile curabitur. Si autem statim in prima fronte a spiritus ratione illi resistitur, et per Dei timorem, ac pœnarum metum ei ingressus ex cogitatione noxia occluditur, facilius ejus virtus exstinguitur. Sed et hoc multum adjuvat ad resistendum avaritiæ, si brevitas transeuntis vitæ, et futura defectio in carne, ac gehennæ horror, in anima commemoratur. Ideo subjungit: Sic et rex hodie est, et cras morietur; cum enim morietur homo, hæreditabit serpentes, et bestias, et vermes. »

Tyranni brevis ævi, Cur? causa prima.

Hæc ergo prima et potissima est causa cur tyranni cito succidantur. Eamdem dat Salomon *Proverb.* XXVIII, 16: « Dux indigens prudentia multos opprimet per calumniam; qui autem odit avaritiam, longi fient dies ejus. » Quo tacite monet principes, ut erga subditos sint benevoli et liberales, si velint esse longævi. Altera est, quia res humanæ, præsertim quæ excelsæ sunt, subjacent continuæ variationi et agitationi. Sicut enim cul- Secunda.

mina arborum maxime agitantur ventis: sic et culmina honorum turbinibus invidiæ, seditionis et bellorum jactantur, juxta illud: « Perflant altissima venti, feriuntque summos fulmina montes. » Gentiles id significarunt per fortunam, quæ gaudet res celsas novare et variare. Tertia est, quod regimen civitatis, multo magis provinciæ, regni vel totius imperii, tot afferat labores, curas, molestias, sollicitudines, angores, tristitias et melancholias, ut iis rex sollicitus brevi exedatur et consumatur. Sane Carolus V, cum Bruxellæ in consessu Ordinum ditiones et regna transferret in filium Philippum II, illacrymans dixit: « Compatior tibi, fili mi, quia ingens onus humeris tuis impono. Ego enim omnibus hisce annis, quibus illud sustinui, nunquam vel quadrantem unicum quietis et lætitiæ, quæ multis curis et fastidiis permixta et falsa non esset, obtinere potui. » Quarta oritur ex ambitione multorum, qui ad regnum, vel alias dignitates, quas si alius princeps creetur obtenturos se sperant, aspirant; maxime vero oritur ex offensa multorum, qui insolentia tyranni oppressi, ejus jugum omnibus viribus excutere satagunt. Quocirca S. Cæcilia Almachio præfecto objicienti suam Cæsarisque potentiam sapienter et intrepide respondit: « Potestas hominis sic est, quasi uter vento repletus, quem si una acus pupugerit, omnis rigor cervicis ejus follescit; » alii legunt, *mollescit*. Et S. Valerianus ejus sponsus ad eumdem: « Quid vos estis? aut quid principes vestri? Homunciones estis vestro tempore nati, tempore vestro expleto morituri; tantam Deo reddituri rationem, quantum summæ vobis tribuit potestatis. »

Tertia.

Quarta.

Gnomæ sapientium.

Hasce causas dant politici, tam Christiani, quam Philosophi. Seneca orator in *Proverbiis*: « Errat, inquit, si quis existimat tutum diu esse regem. Nihil magnum in rebus humanis, nisi animus magna despiciens. » Seneca tragœdus in *Thyeste* post actum III:

Ima permutat brevis hora summis.
Ille qui donat diadema fronti,
Quem genu nixæ tremuere gentes, etc.
Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens jacentem,
Res Deus nostras celeri citatas
Turbine versat.

Idem in *Agamemn.*:

Quidquid in altum fortuna tulit,
Ruitura levat: modicis rebus
Longius ævum est.

Idem in *Medea*:

Rapida fortuna ac levis,
Præcepsque regno eripuit, exilio dedit.

Ovidius III *Tristium*:

Nempe dat, et quodcumque libet fortuna rapitque:
Irus et est subito qui modo Crœsus erat.

Idem lib. V:

Passibus ambiguis fortuna volubilis errat,
Et tantum constans in levitate sua est.

Silius lib. IV:

Pelle moras, brevis est magni fortuna favoris.

Saturninus apud Vopiscum: « Nescitis, inquit, amici, quid mali sit imperare. Gladii et tela nostris cervicibus impendent, imminent hastæ undique, undique spicula; ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur. Non cibus pro voluptate, non iter pro auctoritate, non bella pro judicio, non arma pro studio. »

Aureæ sunt gnomæ Publii in *Mimis*.

Fortuna cum blanditur, captatum advenit.
Fortunam citius reperias, quam retineas.
Fortuna nimium quem fovet, stultum facit.
Fortuna vitrea est, quæ, cum splendet, frangitur.
Levis est fortuna, cito reposcit quæ dedit.

Ergo sequamur sapiens consilium Senecæ in *Thyeste*:

Nemo confidat nimium secundis,
Nemo desperet meliora lapsus.

Expertus hæc Severinus Boetius consul Romanus et princeps senatus, qui a Theodorico rege Gothorum in carcerem conjectus, ac tandem necatus, martyrium obiit; unde ipse in *Consol. Philosoph.* ita canit:

Quid me felicem toties jactastis, amici?
Qui cecidit, stabili non erat ille gradu.

Cicero, orat. *in Vatinium*, qui paucis diebus fuerat consul, eum irridens: « Magnum, inquit, prodigium, Quirites: Vatinio consule non sensimus ver, non æstatem, non autumnum. « Idem in alium, qui paucis horis fuerat consul Romanus: « O sanctissime consul, inquit sub quo nemo pransus est, nemo cœnavit, nemo dormivit. » De Marcello puero canit Virgilius VI *Æneid.*:

Ostendent terris hunc tantum fata, neque ultra
Esse sinent.

Idem attributum nuper Marcello II Pontifici miræ exspectationis, qui vigesimo secundo pontificatus die rebus humanis exemptus est.

Vis exempla illustria Christianorum? accipe tragica. Casimirus II, Poloniæ rex, instructo grandi convivio, proceribus exhilaratis regisque res gestas et felicitatem celebrantibus, ipse nonnulla de immortalitate animi et cœlitum beatitudine prolocutus, hausto mediocri poculo subito concidit, et paucis horis animam exhalavit, teste Matthæo Cromero lib. VI *Histor.*

Exempla.

Ladislaus, Hungariæ et Bohemiæ rex, regiæ pompæ nuptias cum Magdalena Caroli Galliæ regis filia adornans, auratas quadrigas et dynastas ac nobiles septingentos, purpura, auro gemmisque onustos, qui sponsam adducerent, Parisios

mist : ecce autem eo die, quo Parisios legatio illa ingressa est, antequam consideret, de repentino Lasdislai Pragæ mortui interitu a tabellario admonetur. Ita nuptiæ in nænias versæ, uti narrat Antonius Bonfinius lib. VIII *Rerum Hungar.*, decad. 3.

Quare olim, dum coronaretur Imperator, sepulcrorum constructores quatuor ad eum deferebant marmoris frusta varii coloris, inquirentes ex quo vellet sibi construi sepulcrum, itaque eum suæ mortalitatis admonebant, et ut prudenter imperaret. Testis est Leontius in *Vita S. Joannis Eleemosynarii*.

S. Bernardus ad Eugenium suum, jam Pontificem creatum, anno Domini 1145, scribens epist. 237 : « In omnibus, ait, operibus memento te esse hominem, et timor ejus qui aufert spiritum principum, semper sit ante oculos tuos. Quantorum in brevi Romanorum Pontificum mortes tuis oculis aspexisti (nemo Pontificum a S. Petro hucusque annos S. Petri, id est 25, attigit : multi eodem anno, imo mense quo creati, exstincti sunt)? Ipsi te prædecessores tui, tuæ certissimæ et citissimæ decessionis admoneant, et modicum tempus dominationis eorum, paucitatem dierum tuorum nuntiet tibi. Jugi proinde meditatione inter hujus præsentis gloriæ blandimenta memorare novissima tua, quia quibus successisti in sedem, ipsos sine dubio sequeris ad mortem. » Certe Stephanus II, Pontifex, sedit duntaxat dies 4; Cælestinus IV, dies 17 ; Bonifacius VI, dies 15; Sisinnius, dies 20 ; Damasus II, dies 23; Pius III, dies 26 ; Marcellus II, dies 21 ; Urbanus VII, dies 7; Leo XI, dies 27 ; qui moriens : « Quam melius, inquit, mihi foret, si monasterii, quam si cœli claves tenuissem. »

Maximilianus, primus hoc nomine Imperator, testamento cavit ut exanimum corpus suum rudi linteo involutum, sine ulla exenteratione sarcophago, quem quadriennio ante mortem parari curarat, imponerent, naribus, ore auribusque viva calce oppletis, ut exedente ea calce citius consumerentur, et irent in terram suam. Cur? ut monumentum illud assidue in oculis haberet, quod diceret : « Cogita mori, et brevi mori. Quid te dilatas et extendis? Quid multa possides, plura appetis? Quem tot provinciæ et regna non capiunt, loculus iste capiet. »

Carolus V, Maximiliani ex Philippo nepos, brevis ævi memor, ut ad mortem instantem se compararet, relictis tot regnis et imperio universo, secessit in monasterium S. Justi, ut Deo totus vacaret, nec se Cæsarem, sed Carolum vocari voluit. Imo hoc amplius ferunt, diu ante imperium abdicatum, sarcophagum sibi construi jussisse, cum funebri supellectile deportandum, clanculum tamen, quocumque iret, quem paratum habuit apud se quinque annis ubicumque locorum esset, etiam dum Mediolanum contra Gallos proficisceretur, ut jugi ejus intuitu citæ mortis admoneretur. Hæc referunt Petrus Gregorius, lib. VI *De Republ.* cap. III ; Justus Lipsius, lib. II *Monitor. et Exempl.* cap. XIV ; Laurentius Surius et alii.

Quocirca Joannes Aragonum rex, cum anno Domini 1479, febri correptus, in deliquium incidisset, mox ad se reversus, astantes intuens exclamavit : « O vanas hominum cogitationes! O miseros homines, qui ad principatus aspirant; qui divitias, opes et nimios honores affectant! O felicem pauperum conditionem, et securam illorum vitam atque beatam, qui panem comedunt cum sudore sui vultus, qui vivunt labore manuum suarum! Nam mihi misero quid regnum, quid honores, quid obsequia plurimorum contulerunt? Quid? labores, scilicet magnos, et multa corporis et animæ pericula subivi, nec unquam ætate tam longa potui mihi dies aliquot videre bonos. O me miserum et infelicem, qui tam sero fallacem mundum cognosco ! qui vitam certe vixissem multo meliorem, si non rex, sed agricultor fuissem. » Conversus autem ad imaginem Christi crucifixi, defixis in cœlum oculis : « O pientissime redemptor, inquit, parce mihi indignissimo servo tuo; miserere mei, clementissime Jesu. » Atque inter has voces et singultus animam Deo reddidit. Ita Lucius Marinæus lib. VIII *Rerum Hispaniæ*.

Hæc de regibus : de tyrannis similia, imo magis tragica, referam cap. sequenti, vers. 6. Quocirca sensate Justiniano Imperatori hanc rerum humanarum vicissitudinem objicit Agapetus Diaconus in *Admonit.*, num. 11 : « Circulus, ait, quidam humanarum revolvitur rerum, qui modo sic, modo aliter agitat ipsas et circumfert; atque in his inæqualitas est, eo quod nihil ex præsentibus in eodem statu maneat. Oportet igitur te, potentissime Imperator, in hac rerum versatili mutatione, immutabilem habere pietatis cognitionem. » Et num. 67 : « Dignitatum splendores mors haud reformidat; omnibus enim voraces suos dentes infligit. Ergo ante illius ineluctabilem adventum, opum copiam transportemus in cœlum. Nemo enim, quæ colligit in mundo, illuc profectus abducit; sed omnibus in terra derelictis, nudus de vita sua reddit rationem. » Et num. 70 : « Navis per mare commeantis imitatur transitum compendiosa præsentis vitæ conditio, quæ sane nos nautas fallens suos, et pedetentim cunctanti raptans cursu, tandem ad suum cujusque exitum perducit. Si igitur hæc ita se habent, prætercurramus præcurrentia mundi negotia, adcurramusque his quæ ad sæcula sæculorum permanent. »

Basilius Imperator, *Exhortat. ad Leonem filium*, cap. XXXVIII : « Existima, ait, fili, vitam istam nihil fixum, nihilque stabile aut perpetuum habere; nam subinde res aliter atque aliter variantur; et rotæ in morem quæ circumvolvitur, ea quæ sursum sunt, deorsum feruntur; et quæ deorsum jacent, sursum evehuntur. Quapropter neque secundis rebus extollere, neque adversis dejicere, sed utraque in fortuna constans esto et invaria-

bilis, unum hoc tibi proponens semper, benefacere; cætera Deo committe : neque cum secunda fortuna uteris, metu adversæ a superba elatione retrahere : neque etiam cum adversa, spe melioris a præcipiti dejectione relevare. Hoc enim exigui animi est, et non regia virtute subnixi : et quod futurum est videri nequit. Neque ergo tristi ac abjecto, neque renidenti et procaci unquam vultu in publicum prodi : ita enim gravis et prudens existimaberis, et quæ utrimque imminent errata vitabis, neque curiose maledicis ullam ansam præbebis obloquendi de iis quæ tibi acciderint. »

Vers. 13. 13. CUM ENIM MORIETUR HOMO, HÆREDITABIT SERPENTES, ET BESTIAS, ET VERMES. — Jansenius censet esse novam rationem, cur sit cavendum a superbia, scilicet, quod superbus non tantum sit moriturus, sed et vertendus in serpentes et vermes. Hinc Græci multi hæc jungunt cum τῷ *quid superbit terra et cinis?* Unde Tigurina sic legit et vertit, *quid tandem superbit terra et pulvis? Nam mortuum hominem serpentes, bestiæ et vermes excipient;* sic et Syrus, *quid superbit,* inquit, *pulvis et cinis, in cujus vita vermes serpunt, latera ejus et intestina ejus medicus scindit? Hodie ambulat, et cras moritur. In morte hominis tinea pars ejus, et vermis ejus coram eo serpit, q. d.* Quid superbit homo, qui est pulvis et cinis, quique tam in vita, quam in morte comeditur a vermibus. Potest tamen quoque recte cum proxime præcedentibus in Latina Vulgata aptari, quasi explicet τὸ *omnis potentatus vita brevis.* Et : *Rex hodie est, et cras morietur.* Ne quis enim dicat potentem et regem, licet moriatur in hac vita, post illam tamen habiturum aliam, in qua æque sit princeps et rex, uti Gentiles autumabant; respondet nil tale fore, sed potius regem, uti et cæteros homines, hæreditaturum serpentes, bestias et vermes. Ita Lyranus. Cum enim homo sepelitur, illico ex ejus carne, adipe et phlegmate nascuntur serpentes et bestiæ, id est, dracones et bufones, ac vermes, puta lumbrici, scarabæi aliique horridi vermes, qui omnes ejus carnes usque ad ossa depascuntur, ac eum depasti deficiente pabulo emoriuntur, et in pulverem vertuntur; itaque homo tandem redit in cinerem et pulverem, ex quo formatus est, juxta sententiam Dei in eum latam, *Genes.* III, 19 : « Pulvis es, et in pulverem reverteris. »

Sensus ergo est, *q. d.* Quid superbit homo, licet potens, princeps et tyrannus, cum omnis ejus gloria, opes et luxus vertenda sint in horridos serpentes et vermes? Hoc est quod ait Job cap. XVII, 14 : « Putredini dixi : Pater meus es; Mater mea, et soror mea, vermibus. » Et Isaias de Balsasare monarcha Babylonis, cap. XIV, 11 : « Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum; subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes. » Rursum non tantum in sepulcro, sed et in inferno tyranni cæterique impii hæreditabunt serpentes et vermes : quia torquebuntur, non tantum igne, sed et vermibus realibus, uti ostendi *Isaiæ* LXVI, 24; ac tradentur bestiis, id est dæmonibus, qui eos tanquam leones et tigrides excruciabunt. Unde orat Ecclesia pro defunctis : « Ne tradas bestiis animas confitentium tibi. » Hinc et dæmones horribiles, centaurorum et monstrorum formas assumunt, ut damnatos magis torqueant. Quocirca in Scriptura vocantur onocentauri, pilosi, lamiæ, uti dixi *Isaiæ* XXXIV, vers. 14.

Mystice Lyranus : Homo superbus et avarus, inquit, tria habet bona, scilicet animam, corpus et substantiam, sive opes. Hæc moriens relinquet tribus hæredibus, nimirum animam serpentibus, id est dæmonibus; corpus vermibus; substantiam bestiis, id est amicis, qui instar bestiarum animaliter et carnaliter vivunt. « Humilia ergo valde spiritum tuum, quoniam vindicta carnis impii ignis et vermis, » uti dixit cap. VII, vers. 19. « Justum enim est ut superbus, qui concupivit esse summus, fiat imus; » ut qui voluit præesse cæteris, subsit igni : ut qui ambivit cum Lucifero esse æqualis Deo, sit socius et cibus vermium vilissimorum et putridorum. Mystici tres hæredes superbi et avari.

S. Ephrem, tract. *De iis qui in Christo dormierunt* : « Quid, inquit, est homo? nihil. Quid homo? vermis. Quid homo? cinis ac pulvis. Quid homo? sommium. Quid homo? umbra. Ecce transivit, ecce cessavit. Finem accepit magnus ille et invictus leo, tyrannus fortis, potens atque elatus, qui cunctis formidabilis erat; nunc jacet quavis ove mitior : qui magnus videbatur super multos, factus est tanquam nullus : qui alios tenebat, detentus est : qui ligabat, vinculis constrictus est. » S. Basilius, orat. *De Morte* : « Mortalem, ait, te recordare. Terra quippe es, et in terram rursus dissolveris. Circumspice illos, qui ante te similibus se splendoribus efferebant. Ubinam sunt illi, qui civilibus dignitatibus ornati erant? ubi duces? ubi oratores? ubi principes? ubi potestates? ubi tyranni? Nonne omnia pulvis? nonne fabula? nonne in paucis ossibus memoria vitæ ipsorum conservatur? »

Vers. 14. 14. INITIUM SUPERBIÆ HOMINIS, APOSTATARE A DEO (Græce, ex versione Romana, *initium superbiæ hominis, cum apostatavit a Deo*), QUONIAM AB EO, QUI FECIT EUM, RECESSIT COR EJUS. — Tigurina, *initium superbiæ est defectio hominis a Domino, et a Creatore suo abductus animus;* Syrus, *fons peccati superbiæ, et prævaricatio* (id est, defectio a Deo, apostasia, transgressio legis divinæ) *fons utriusque illorum;* S. Cæsarius, homil. 19 *De Cura animæ,* legit, *initium apostatare a Deo omnis superbia;* S. Chrysostomus, homil. 15 *in Joan.* et *in Psalm.* CXV, vers. 1, legit, *initium superbiæ est nescire Deum; descivit enim a factore cor ejus.* « Superbi, inquit, Deum non cognoscunt; neque seipsos, quid sint, sciunt. Quo pacto enim, qui non antea cognovit opificem, agnoscit seipsum esse figmentum? quia enim nescitur Dominus, nascitur su-

perbia. Id quod attestatur Scriptura dicens : Initium superbiæ est nescire Deum. »

Est nova ratio docens quam turpis, enormis, ideoque fugienda sit superbia, petita ab ejus origine, quæ turpissima et exsecranda est. Origo enim superbiæ est apostasia a Deo : Adam enim ideo superbivit, et superbia peccavit, quia apostatavit et descivit a Deo, a quo creatus erat, conservabatur, gubernabatur, et alebatur cum tanta suavitate, honore et rerum omnium copia : descivit enim a Dei voluntate et lege, præferens ei pomum vetitum, et promissa falsa serpentis. Idem facit quivis alius superbus, imitans patrem suum superbum Adam. Porro : « Apostasia nulla major est, ait Rabanus, quam aversio creaturæ a Creatore suo; et hæc merito adscribitur superbiæ, quoniam superbia est, quod mediocre bonum assimilare vel adæquare se vult summo bono. Hoc fuit initium diabolici casus, hoc et humanæ prævaricationis exordium. »

Secundo, S. Thomas, I II, *Quæst.* LXXXIV, art. 2, ad 1, et ibidem Gregorius de Valentia, et alii hanc sententiam explicant, non de solo Adamo, sed de quolibet homine : hic enim, dum superbit, apostatat, id est, deficit a Deo. Apostasia ergo hoc modo accipitur pro conditione quadam communi omnium peccatorum. In omni enim peccato sicut est generalis quædam inobedientia, ingratitudo, odium et contemptus Dei : sic est et quædam generalis apostasia, id est, defectio a Deo, ejusque lege et voluntate. Vel sensus est, *q. d.* Prima species superbiæ est peccatum apostasiæ a Deo. Ideo enim quis non vult subjici Deo (quod est a Deo apostatare), quia perverse expetit singularem quamdam excellentiam, quod est peccatum superbiæ. Græcum enim ἀρχή tam principatum, quam principium significat; unde sic vertas, *principatum superbiæ tenet apostasia a Deo,* id est, primas in regno superbiæ occupat apostasia a Deo. Sic noster Interpres *principium* usurpat pro principatu, *Psalm.* CIX : « Tecum principium, » id est principatus, « in die virtutis tuæ. » Et *Proverb.* VIII, 22 : « Dominus possedit, » vel « creavit me in initio ; » hebr. *rescit ;* græce ἀρχήν, id est principium, vel principatum, « viarum suarum, » *q. d.* In viis, id est operibus, Dei ego sapientia primas teneo, et principatum occupo. Sic cap. I, 16, dicitur : « Initium sapientiæ timor Domini; » græce ἀρχή, *q. d.* Sapientiæ primas et principatum tenet timor Domini. Vide ibi dicta.

Præclare Cæsarius Arelatensis *homil.* 23 : « Quisquis superbus est, inquit, dæmone plenus est. » Audi Scripturam : « Immundus est ante Dominum omnis qui se exaltat. » Et iterum : « Apostatare a Deo omnis superbia. Quid est apostatare, nisi a Deo discedere? et utique qui a Deo disjungitur, diabolo sociatur. » Idem, *homil.* 18 : « Non discernuntur filii Dei, et filii diaboli, nisi humilitate atque superbia. Quemcumque superbum videris, diaboli esse filium non dubites : quemcumque humilem conspexeris, Dei esse filium confidenter credere debes. Et, ut hoc verum esse cognoscas, audi Scripturam : Initium, apostatare a Deo, omnis superbiæ. Et : Omnis, qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur. Nam quod diabolus per superbiam dejecit, Christus per humilitatem erexit : quia ad vulnus superbiæ, medicamentum humilitatis exhibuit. »

15. QUONIAM INITIUM OMNIS PECCATI EST SUPERBIA.— Vers. 15. Sic et habent Græca Complutensia. Sed Romana invertunt, sicque legunt, *quoniam principium superbiæ, peccatum.* Græca omnia delent τὸ *omnis.*

Quæres *primo,* quomodo hic versus nectitur præcedenti, et cujus rei causam dat τὸ *quoniam?* Respondeo τὸ *quoniam* more Hebræo referri potest remotius ad vers. 7, ut sit hæc nova, eaque septima ratio cur odibilis sit superbia, uti dixi in synopsi. Rursum τὸ *quoniam* referri potest ad vers. 13 proxime præcedentem, idque *primo,* hoc sensu, *q. d.* Causa, cur superbus apostatet a Deo, est ipsa superbia : hæc enim est causa omnis peccati, in quo sicut est generalis et implicita quædam superbia, sic et est generalis quædam apostasia a Deo; peccatum enim est aversio a Creatore, et conversio ad creaturam : peccator enim præponit voluntatem suam voluntati Dei, et amorem creaturæ amori Creatoris. Ita Jansenius. *Secundo, q. d.* Superbia est initium omnis peccati, ergo et apostasiæ, adeoque dum quis incipit superbire et peccare, incipit apostatare et recedere a Deo. *Tertio,* nervosius ac pressius, *q. d.* Apostasia est ἀρχή, id est principatus, et præcipua species superbiæ, quia suberbia est ἀρχή, id est principatus peccati, seu præcipuum peccatum est apostasia. Ergo apostasia est superbia, et principatus superbiæ, sive prima et maxima superbia, ideoque primum et maximum peccatum. *Quarto,* Hebr. כי *ki,* id est *quoniam,* sæpe non causam, sed effectum significat, imo sæpe encliticum est significans : *Sane, equidem, certe, verum enim vero, q. d.* Equidem, vel certe initium omnis peccati est superbia. Aut, *q. d.* Initium superbiæ hominis fuit, quod a Deo recesserit et apostatarit : unde evenit et secutum est, ut superbia facta sit initium omnis peccati. Nam ex apostasia a Deo sequuntur omnia peccata, tum quia recedens a Deo, recedit a lege et virtute, abitque in vitia; tum quia Deus deserentem se pariter deserit, privatque sua gratia : quo fit ut in quælibet peccata ruat. Sic Adamo ob apostasiam ademit justitiam originalem, qua, velut freno sublato, illico innata homini concupiscentia et superbia prosiliit, quæ eum et posteros in omnia peccata impulit. *Initium* enim hic non metaphysice (quomodo punctum dicitur initium lineæ, et unitas numeri), sed physice accipiendum est, ut sit idem quod origo, radix, causa : quomodo calor est initium calefactionis, aer rarefactionis, aqua refrigerationis, etc.; superbia enim est initium, id est, origo, mater et causa omnis peccati.

Initium omnis peccati, superbia, quo sensu? Respond.

Quæres *secundo*, quomodo superbia sit initium et causa omnis peccati, cum multa peccata oriantur ex timore, acedia, pusillanimitate, quæ contraria sunt superbiæ? *Primo*, S. Prosper lib. III *De Vita contempl.* cap. III et IV : « Nullum, ait, peccatum fieri potest, potuit, aut poterit sine superbia; siquidem nil aliud est omne peccatum, nisi contemptus Dei. » Loquitur de superbia generica, quæ est conditio inclusa in omni peccato. Sic et S. Bonaventura in II, dist. XLII, dub. 4, et Jansenius hic hunc locum explicant de superbia secundum rationem communem, quatenus ea invenitur in omni peccato : in omni enim peccato invenitur aversio a Deo, quæ est superbia. Verum alii passim hunc locum accipiunt de superbia, ut est vitium particulare oppositum humilitati. Ita S. Augustinus lib. XI *De Genesi*, cap. XV, S. Thomas I II, *Quæst.* LXXXIV, art. 2, Cajetanus

Primo.

ibid., et alii. De ea ergo *primo* sic legit et exponit Durandus in I, dist. XLII, Quæst. IV, num. 7 et 10 : Non dicitur, inquit, superbia initium omnis peccati, quia peccata carnalia, timiditatis et pusillanimitatis, non oriuntur ex superbia; sed initium peccati dicitur omnis superbia : omnis enim superbia est initium alterius peccati; vel certe, inquit, superbia hic non est vitium particulare, sed amor sui immoderatus, quem S. Augustinus vocat amorem inflantem.

Secundo.

Secundo, Gabriel Vasquez II II, Quæst. LXXXIV, disp. 136, cap. II, exponit, *q. d.* Peccatum Adæ, quod fuit superbia, fuit initium omnis peccati; omnia enim peccata hominum ex illo prognata sunt, et, ut ait Tobias cap. IV : « In ipsa initium sumpsit omnis perditio. » Primum Adæ et Evæ peccatum fuisse superbiam, non infidelitatem, ut volunt hæretici, ostendi *Genes.* III. Vide S. Thomam *Opusc.* III, cap. CXC, et Bellarminum lib. III *De Gratia*, cap. V. Eva enim et Adam audientes a serpente : « Eritis sicut dii, » appetierunt esse æquales Deo; quæ ingens fuit superbia, ideoque inobedientes Deo comederunt pomum vetitum, ac per hanc inobedientiam proprie transfuderunt in posteros peccatum originale, non per superbiam, uti docet Paulus *Rom.* V et XIX.

Tertio.

Tertio, alii accipiunt de peccato Luciferi et angelorum : hoc enim fuit primum mundi peccatum, ideoque initium cæterorum, quæ Adam et homines postea commiserunt. Primum enim Luciferi peccatum fuisse superbiam docent Patres et Scholastici. Ita S. Augustinus lib. XII *De Civit.* cap. VI, et lib. *De Natura et Gratia*, cap. XXIX, ac ex eo S. Fulgentius, lib. I *ad Monimum*, cap. VII : « Si initium, ait, peccati requiritur, nihil aliud nisi superbia invenitur. Dicit enim Scriptura : Initium omnis peccati superbia; quæ tunc initium sumpsit, cum angelus adversus Deum elatus est. » S. Ambrosius lib. IV, epist. 33, alias 84, *ad Demetriad.* : « Sive in lapsu diaboli, inquit, sive in prævaricatione hominis, initium peccati superbia est. » Sic et Franciscus Suarez, tract. *De Angelis*, lib. VII, cap. IX, num. 7 et 8 : « Initium, inquit, omnis peccati superbia est : vel quia in humano genere primum Adæ peccatum fuit superbia, ut tradit S. Augustinus lib. XIV *De Civit.* cap. XIII; vel quia primus angelus malus a superbia initium peccandi sumpsit, et ipse fuit omnium aliorum peccatorum causa vel occasio. » Ipse enim per serpentem induxit Adamum ad peccatum, ex quo omnia deinde Adæ et posterorum peccata prognata sunt. Sic et Gregorius de Valentia, tract. *De Angelis*, Quæst. XIII, punct. 3, sub initium : « Initium, inquit, omnis peccati est superbia, quia primum peccatum angelorum fuit superbia. »

Quarto, Vasquez loco jam citato : Superbia, Quarto.
inquit, est initium omnis peccati, id est, plerorumque peccatorum; non enim absolute omnia, sed multa et pleraque oriuntur ex superbia, æque ac ex cupiditate, ut ait Paulus I *Timoth.* VI; imo in nonnullis hominibus omnia oriuntur ex superbia : toti enim ea pleni sunt, nec aliud cogitant, dicunt aut agunt, quam ut appareant magni, et aliis antecellant.

Quinto, initium omnis peccati est superbia, non Quinto.
actu, sed aptitudine et proclivitate, quia omne peccatum actu non procedit a superbia, sed ab ea procedere potest, et natum est. Ita D. Thomas I, *Quæst.* LXXXIV, art. 4, ad 5, Joannes Salasar et Gregorius de Valentia, qui et hanc rationem a priori ex S. Thoma addit : Superbiæ peccatum, inquit, consistit in perverso appetitu excellentiæ et perfectionis alicujus; omne autem peccatum, quod circa bona temporalia committitur, tendit in aliquam perversam excellentiam, seu commoditatem et perfectionem hominis : ergo omne peccatum ordinatur per se in finem et scopum proprium superbiæ : ergo omne peccatum ex natura rei oriri potest ex superbia; et eatenus dicitur superbia esse initium et causa omnis peccati. Quocirca Syrus ample et nervose vertit : « *Initium delictorum hominum superbia eorum, et opera eorum insanire faciunt cor eorum, quia fons peccati superbia, et prævaricatio fons utriusque illorum*, puta, tam peccati, quam superbiæ.

Denique brevis, plana plenaque est expositio : Sexto.
« Initium omnis peccati est superbia, » tum quia primum hominis, æque ac angeli, peccatum fuit superbia, ex qua cætera prognata sunt; tum quia ex ea omnia peccata oriri nata sunt; *omnia*, id est, omnis generis peccata : non enim omnia in individuo oriuntur ex superbia. Est distributio pro generibus singulorum, non pro singulis generum, uti loquuntur Logici. Eodem sensu ait Apostolus I *Timoth.* VI : « Radix omnium malorum est cupiditas, » Græce φιλαργυρία, id est avaritia; quia, scilicet, nimius amor pecuniæ in omnia scelera omnesque miserias avarum impellit. Vide ibi dicta. Constat enim diabolum non peccasse avaritia, vel amore pecuniæ; sed superbia,

et amore excellentiæ. Ita D. Thomas et Valentia locis jam citatis. Addit S. Thomas art. 2, superbiam esse causam omnium peccatorum ordine intentionis, avaritiam vero ordine executionis. Subtilius S. Ambrosius lib. IV, *epistola* 32, et S. Augustinus lib. X *De Genesi ad litter.* cap. XV, et tract. 10 *in Joan.*, et ex eo Rabanus hic Paulum cum Siracide conciliant, dicentes superbiam esse avaritiam generalem, qua quis amplius appetit quam oportet, propter excellentiam suam. « Quid avarius illo (Adamo) cui Deus sufficere non potuit? » ait S. Augustinus. Verum græce est, φιλαργυρία, quæ significat amorem pecuniæ, non excellentiæ, uti jam dixi.

Audi S. Gregorium lib. XXXIV *Moralium*, cap. XVIII : « Omnis peccati initium, superbia. Per hanc enim ipse (Leviathan, id est, diabolus) succubuit; per hanc se sequentem hominem stravit. Eo enim telo salutem nostræ immortalitatis impetivit, quo vitam suæ beatitudinis exstinxit. » Et mox : « Sicut enim inferius radix tegitur, sed ab illa rami extrinsecus expanduntur : ita se superbia intrinsecus celat, sed ab illa protinus aperta vitia pullulant. Nulla quippe mala ad publicum prodirent, nisi hæc mentem in occulto constringeret. » Et inferius : « Alia quippe vitia eas solummodo virtutes impetunt, quibus ipsæ destruuntur, ut, videlicet, ira patientiam, gastrimargia abstinentiam, libido continentiam expugnet; superbia autem (quam vitiorum radicem diximus) nequaquam unius virtutis exstinctione contenta, contra cuncta animæ membra se erigit, ac quasi generalis ac pestifer morbus corpus omne corrumpit, ut, quidquid illa invadente agitur, etiamsi esse virtus ostendatur, non per hoc Deo, sed soli vanæ gloriæ serviatur. Quasi enim tyrannus quidam obsessam civitatem intercipit, cum mentem superbia irrumpit; et quo ditiorem quemque ceperit, eo in dominio durior exsurgit : quia quo amplius res virtutis sine humilitate agitur, eo latius ista dominatur. »

S. Bernardus, tract *De Interiori domo*, cap. XLI : « Superbia, inquit, sicut origo est omnium criminum, ita est ruina omnium virtutum. Ipsa enim in peccato prima, ipsa in conflictu postrema. Ipsa aut in exordio mentem per peccatum prosternit, aut in fine de virtutibus dejicit. » Idem, serm. 2 *De S. Andrea* : « Initium omnis peccati, et causa totius perditionis, superbia. Propterea quisquis es, qui salutem tuam operari studes, adversus hanc super caput tuum signum crucis habere memento, ut non eleveris in superbiam, ut non exaltetur cor tuum. » S. Fulgentius, epist. 3 *ad Probam* : « Superbia, ait, initium omnis peccati dicitur, ut omne peccatum de ipsa, tanquam de radice, pullulare monstretur, quæ multiplici modo miseris inferens mortem, publico certamine carnales dejicit; spirituales vero si quos incautos invenerit, occultiore conflictu prosternit. »

Rursum S. Bernardus, serm. 1 *De Adventu*. « Fugite, inquit, superbiam, fratres mei, quæso, multum fugite. Initium omnis peccati, superbia : quæ tam velociter ipsum quoque sideribus cunctis clarius micantem, æterna caligine obtenebravit Luciferum : quæ non modo angelum, sed angelorum primum in diabolum commutavit. Unde et protinus invidens nomini, quam conceperat in semetipso, in eo peperit iniquitatem; suadens ut, lignum vetitum gustans, fieret sicut Deus sciens bonum et malum. » Idem in psalm. *Qui habitat* : « Ambitio, ait, subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, livoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum ærugo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordium, ex remediis morbos creans, generans ex medicina languorem. Quantos hæc pestis nequiter supplantatos turpiter dejecit, ut cæteri quoque quos latuit occultus effossor, subito expavescerent ad ruinam? quantos trudi fecit in tenebras exteriores veste spolians nuptiali, et virtutum exercitio, et fructu pietatis evacuans? » Idem, lib. III *De Consider.*, exclamat : « O ambitio ambientium crux! quomodo omnes torquens, omnibus places? Nihil acerbius cruciat, nihil molestius inquinat, et nihil tamen apud miseros mortales majus est et celebrius. »

S. Chrysostomus, homil. 59 *in Matth.* : « Nihil, ait, superbia pejus, quæ mentis quoque vires a natura concessas ita dejicit, ut ex prudentibus stolidos et amentes efficiat. Nam, si quis cum statura cubitum non superet, instar montium, imo altiorem se putet, ac ideo se quasi montes excessurus erigat, utique insanus habebitur : sic pariter insanit, qui, cum cæteris natura sit par, iis tamen major esse et haberi contendit. » Unde subdit : « Certe quasi vile mancipium, et miserum captivum diabolus eum abducit, agitatque verberibus et mille contumeliis, quocumque velit. » Quocirca S. Gregorius III *Moral.* XVIII : « Vitiorum, ait, regina superbia, cum devinctum plane cor ceperit, mox illud septem principalibus vitiis, quasi quibusdam suis ducibus devastandum tradit. » Hinc superbia evidens est signum reproborum, uti humilitas electorum, sicut passim docent Patres. « O quam excelsus es, Domine; sed humiles sunt domus tuæ! » ait S. Augustinus lib. I *Confess.* cap. V.

Porro Pelagiani ex hac Siracidis sententia contendebant omne peccatum esse superbiam : « Tam peccare, inquiebant, superbire est, quam superbire peccare. Nam omne peccatum, Dei contemptus est : et omnis Dei contemptus, superbia est. Quid enim tam superbum, quam Deum contemnere? Omne ergo peccatum et superbia est, etiam Scriptura dicente : Initium omnis peccati, superbia est. » Verum hos refellit S. Augustinus lib. *De Natura et Gratia*, cap. XXIX. Esto enim in omni peccato sit generalis, id est, implicita et interpretativa quædam superbia, non

tamen in omni est explicita, formalis et specifica. Unde non dicit Siracides omne peccatum esse superbiam, sed initium sive originem omnis peccati esse superbiam : distinguitur ergo superbia ab omni peccato, sicut causa distinguitur a suo effectu.

QUI TENUERIT ILLAM (ab eaque se agi regique permiserit), ADIMPLEBITUR MALEDICTIS. — Complutenses, ἐξυβρίσει βδέλυγμα, id est, *injuriabit abominationem*, id est, injurias abominandas ffundet. Melius Romani legunt, ἐξομβρήσει βδέλυγμα, id est, *inundabit abominationem*, id est, multas abominationes instar undarum effundet ; Tigurina, *qui præditus est ea, profundet execrabilia, donec tandem subvertatur ;* alii, *effundet tanquam imbrem abominationem ;* alii, *circumfluet abominatione.* B. Antiochus *homil.* 44 legit, *abundabit in illum abominatio*, id est, *replebitur maledictis*, ut vertit Noster, *et abominationibus*, id est, abominandis peccatis et culpis ; consequenter et horrendis ac abominandis pœnis et tormentis, adeo ut eum plane evertant. Unde addit :

ET SUBVERTET EUM IN FINEM, — scilicet, superbia subvertet suum possessorem, puta superbum, «in finem,» id est tandem, ad extremum, vel finali et extrema subversione ; idque in hac vita, vel certe in futura, puta in gehenna : nam, ut dicitur *Prov.* XVI : « Abominatio est Domino omnis arrogans. » Rursum superbus repletur maledictis, quia omnes eum vituperant, multique illi maledicunt : omnes enim ejus fastum et mores arrogantes aversantur. Præclare S. Bernardus, serm. 17 *in Cant.* : « Ergo, ait, in cœlo concepit dolorem, et in paradiso peperit iniquitatem, prolem malitiæ, matrem mortis et ærumnarum omnium, prima parens superbia. » Cæterum in homine misero damnabilior est superbia, quam in nobili angelo : de quo idem, *serm.* 54 : « Si sic, ait, actum est cum angelo, quid de me fiet terra et cinere ? Ille in cœlo intumuit, ego in sterquilinio. Væ mihi, si tam dure in potente illo animadversum est pro eo quod elevatum est cor illius, nec ei profuit quod cognata potentibus superbia esse cognoscitur ! quid de me exigendum et misero et superbo ? » Sed inquies : Ego sum rex, ego princeps, ego episcopus, ego doctor. Ornamenta hæc pulveris sunt. Quisquis hoc dicis, memento quia pulvis es et cinis ; memento quia es lutum inauratum auro regni, principatus, episcopatus, doctoratus.

Denique, sicut superbia fuit primum primi hominis et angeli peccatum, ex quo quasi fonte cætera promanarunt : sic ex adverso humilitas prima et propria est virtus Dei hominis, puta, Christi redemptoris, ex qua quasi fonte omnes virtutes et bona promanarunt et promanant. Unde S. Ambrosius in *Psal.* CXVIII, serm. 18 : « In paradiso, ait, defecit humilitas, et ideo venit e cœlo. Humilitate Deus ipse factus homo, non modo nihil de dignitate sua dimisit, sed eam adeo conspicuam et præstabilem reddidit erga homines, ut eos Deus humilis et humiliatus suæ legi subjugaverit, et ad sui amorem et obedientiam converterit, quos Deus ipse de cœlo fulgurans, et mundum majestatis suæ magnitudine perterrefaciens, a dæmonum cultu ad sui obsequium nunquam traduxit. »

16. PROPTEREA (propter superbiam) EXHONORAVIT DOMINUS CONVENTUS MALORUM, ET DESTRUXIT EOS USQUE IN FINEM, — id est, in æternum ; vel «in finem,» id est, usque ad finem et radicem, funditus eos exscindendo. Vers. 16

Pro *exhonoravit*, Græce est παρεδόξασε, quod et dehonestare, et admirabilem facere significat. Paradoxum enim idem est quod admirabile, præter opinionem communem, novum, insolens, inauditum, incredibile ; unde Romana vertunt, *propter hoc incredibiles fecit Dominus obductiones*, id est, calamitates ; alii, *ideo Dominus graves illustresque* (novas, insolitas, admirabiles, inauditas) *importat calamitates, et evertit eas in æternum.* Tigurina sequitur prius significatum, nostroque consentiens vertit, *propterea Dominus agmina malorum affecit ignominia, et tales ad extremum subvertit ;* Syrus, *propterea divisit*, vel *dispersit Deus percussiones* (vel perturbationes) *eorum, et percussit illos plaga consummata*, id est, perfecta, et undequaque absoluta. Noster legit συναγωγάς, id est conventus : jam legunt ἐπαγωγάς, id est, inductiones calamitatum et cladum, qua voce gaudet Siracides, uti dixi cap. II, vers. 2.

Perstringit priscas illustres clades superborum, eis a Deo ob superbiam inflictas, ut fabrorum Babel, quos Deus divisione linguarum mulctavit, et per totum orbem dispersit, *Genes.* XI, 8 ; item gigantum, quos Deus mersit diluvio, *Genes.* VI, vers. 4 et 17 ; item Sodomæ : nam, ut ait Ezechiel cap. XVI, 49 : «Hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia. »

17. SEDES DUCUM SUPERBORUM DESTRUXIT DEUS, ET SEDERE FECIT MITES PRO EIS. — Græce *thronos*, sive *solia principum detraxit Dominus, eorumque loco mansuetos constituit.* Mites opponit superbis, quia sub mitibus comprehendit et humiles : qui enim mitis est, est et humilis ; sicut ex adverso, qui superbus est, est et asper. Unde Hebr. עני *ani*, vel *anaum*, et humilem, et mitem, et pauperem significat : hæc enim tria solent esse connexa. Quocirca Syrus vertit, *sedem superborum subvertit Dominus, et sedere fecit humiles loco eorum.* Ita superbos angelos detraxit e thronis cœlestibus, in iisque collocavit Apostolos, aliosque homines mites et humiles. Sic superbo Balsasare e monarchia Assyriorum dejecto, surrogavit Darium et Cyrum, qui mites fuere erga Israelitas. Sic superbum Pharaonem demersit per mitem Mosem, Holofernem stravit per mitem Judith, Aman per Esther, Sennacherib per Ezechiam, Antiochum per Machabæos ; denique Sauli inobedienti præposuit mitem David, juxta illud *Psalm.* CXXXI, 1 : Vers. 17

« Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus. »

Hinc discant principes, si velint in principatu esse longævi, illumque in posteros perpetuare, imperare mansuete et humiliter : hoc enim conciliat Deum et homines, juxta illud cap. III, 19 : « Fili, in mansuetudine opera tua perfice, et super gloriam hominum diligeris. » Vide ibi dicta. Huc allusit, imo hunc versum citavit B. Virgo canens hymnum : *Magnificat anima mea Dominum ;* ait enim : « Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles. » Ita Deus deposuit de solio imperii Diocletianum, et in ejus locum exaltavit mitem Constantinum; ac arrogantem Eugenium, eique anteposuit humilem Theodosium, qui, ut canit Claudianus, *4 Honorii Consul.* :

> Non insultare jacenti
> Malebat, mitis precibus, pietatis abundans,
> Pœnæ parcus erat : paci non intulit iram.
> Post acies odiis idem, qui terminus armis.

Alexander Severus audiens a Mammæa matre : « Molliorem tibi potestatem et contemptibiliorem imperii fecisti, tua lenitate et mansuetudine ; » respondit : « Imo securiorem, et diuturniorem. »

Vers. 18. 18. RADICES GENTIUM SUPERBARUM AREFECIT DEUS, ET PLANTAVIT HUMILES EX IPSIS GENTIBUS. — Quod dixit vers. præcedenti de principibus, nunc dicit de integris gentibus, eas, scilicet, a superbia radicitus esse eversas et evulsas, ac earum loco collocatas esse alias mites et humiles. Sicut enim, radice arboris evulsa, arescit et emoritur planta vel arbor : ita dum familiæ (hæ enim sunt gentium radices, e quibus filii, nepotes, et multiplicatio gentis, quasi rami e fibris radicis progerminant) intereunt, interit et gens ex iis conflata. Unde pro *arefecit*, græce est ἐξέτιλεν, vel ἐξέτειλεν, id est *evulsit*. Ita Romana, Tigurina et alii. Syrus, *eradicavit ;* licet Complutenses legant, ἐξεῖλε, id est *abstulit*. Rursum Complutenses addunt, ἐν δόξῃ, id est *in gloria ;* sic enim habent, *et plantavit pro illis in gloria* (in gloriosis regnis, thronis, urbibus et provinciis) *humiles*. Ita septem Chananæorum gentes ob superbiam expulit ex terra sancta, quæ a Daniele cap. VIII, vers. 13, vocatur hebr. *tsebi*, id est, pulchritudo, decor et gloria totius orbis, ac in ea pro illis collocavit Hebræos, qui inter gentes videbantur esse humillimi, imo fæces et quisquiliæ. Ita rursum Judæos superbos humilem Christum respuentes, in fide, gratia et gloria arefecit Deus, eisque surrogavit Gentiles humiliter se Christo subdentes.

Hujus sententiæ veritatem venustat apologus aeris et terræ apud Cyrillum, lib. II *Apolog. moral.* cap. I, cui titulus, *De bono humilitatis et malo superbiæ*. « Tumefactus aer, inquit, de latitudine corporali, et claritate substantiali, et sublimitate locali, spernendo terram eidem locutus est, dicens : Utquid tu punctum opacum, semper deorsum manes ? cur non interdum erigeris ? quare non dilataris ? At illa, in patientiæ firmamento humilitate fundata, patienter respondit : Ego quidem, quod asseris, fateor me esse punctum; sed hac tamen modicitate punctali corporis mundialis effecta medium, in sempiternum quiesco, cum tua tu semper magnitudine fluctues. Circa me totum cœlum revolvitur, et vitalis ejus influxus super mea stabilitate fundatur. » Deinde fusius humilitatis suæ fructus et dona recenset. « Quoniam opacum sum corpus, non sum effusa uti tu qui pervius es; imo virtutes cœlestes retineo, pretiosissimis gemmis et metallis intrinsecus ornata, rivis, herbis, brutis hominibus extrinsecus sum decorata; utpote vita viventium, materque cunctorum, universa quæ in corpore vivunt diversorum bonorum plenissimis uberibus alo. Verum, quia subtus omnia maneo, nulli unquam sum molesta, nisi cum a te mea viscera subintrante terræmotu concutior. Ut vitæ locus, quietis situs, et salutis portus, fixione perpetua gratis omnibus sum parata. Tu vero situs sursum, cum ad te confluentes vapores atque alta petentes suscipias, hinc densis nubibus dulci lumine viventia privas : hinc lethalia fulmina mandas, et coruscationum rogiferas emittis sagittas, et terribilia tonitrua fundis, et ventorum pondere rumpis, grandinis lapide conteris, procellarum turbine submergis : nimirum emissiones superbiæ tuæ gravissimæ sunt tempestates. Igitur melior est opaca humilitatis modicitas, quam sublimitatis superbæ perspicuitas procellosa. Quibus dictis arrogantem confudit. »

Apologus humilitatis. Ejus commenda.

Mystice, Deus in sanctis et religiosis viris, quos eximie diligit, vitia quælibet, et vitiosos actus et habitus, qui fere ex superbia oriuntur, et in seipsis superbi ac tumidi sunt, usque ad radicem consumit, dum eis gratiam efficacem multiplicat, qua contrarias virtutes, quæ vitiis dominantur, inserit, corroborat et amplificat. Unde S. Gregorius XXXIV *Moral.* XVIII : « Ut Leviathan iste, inquit, in cunctis quæ superius dicta sunt caderet, sola se superbia percutit ; neque enim putat illos vitiorum ramos arescere, nisi per hanc prius in radice putruisset. » Hoc est quod occinit Ezechiel cap. VII, 10 : « Ecce dies, ecce venit : egressa est contritio, floruit virga, germinavit superbia, iniquitas surrexit in virga impietatis. » Vide ibi dicta.

Vers. 19. 19. TERRAS GENTIUM EVERTIT DOMINUS, ET PERDIDIT EAS USQUE AD FUNDAMENTUM. — A gentibus descendit ad terras quas incolebant, aitque eas pariter ob superbiam incolarum funditus esse eversas. Alludit ad conflagrationem Sodomæ et Pentapolis per ignem cœlestem, quo regiones illæ antea fertilissimæ, factæ sunt sterilissimæ, imo conversæ in lacum Asphaltitem, ac proinde non tantum hominibus, sed et animalibus, piscibus, herbis, fructibus omnibus destitutæ et vacuæ, uti ostendi ex Josepho et aliis *Genes.* XIX. Tigurina, *Dominus evertit loca gentium, easque de terra funditus abolet.* Sed minus recte ; non enim agitur de abolitione gentium, sed terrarum sive regionum. Unde græce

est femininum αὐτάς, quod χώρας, id est *regiones*, refert, non ἐθνῶν, id est *gentes*; ἔθνος enim græce est generis neutri. Syrus tamen de gentibus quoque accipit, sed paraphrastice potius vertit quam verbum verbo, et sententiam sententiæ reddit. Sic enim habet, *calcanea superborum subvertit Dominus, et perdidit de terra memoriam eorum.* Sic funditus eversæ sunt potentissimæ urbes, Tyrus de qua *Isaias*, cap. XXIII, Ninive, Babylon, Ecbatana, etc., adeo ut vix earum ruinæ supersint, ac dubitetur quo loco sitæ fuerint.

Vers. 20. 20. AREFECIT (ita Romana et alii, sed Complut. legunt ἐξῆρεν, id est abstulit) EX IPSIS ET DISPERDIDIT EOS, ET CESSARE FECIT MEMORIAM EORUM A TERRA. — Jansenius sic explicat : Ex ipsis, inquit, terris, quas Deus evertit, exarescere fecit homines, ita ut omnes interirent. Verum τὸ *arefecit* spectat potius terras quam homines ; pertinet enim ad versum præcedentem : « Terras gentium evertit Dominus, » etc. *q. d.* Ita terras gentium evertit Dominus, ut quasdam ex illis prorsus arefecerit, adeo ut nec hominem, nec vivens aliquod alant. Unde aliqui vertunt, *quasdam ex eis desolavit.* Græcum enim ξηραίνω, id est, sicco, arefacio, ad terram pertinet ; unde ξηρά vocatur terra arida. Nam alludit ad concremationem Sodomæ, qua ita Pentapolis arefacta est, ut videatur versa in cinerem et favillam, ut dixi *Genes.* XIX. Unde de incolis subdit, « disperdidit eos, » Græce αὐτούς, masculine, puta incolas ; nam vers. præced. cum de terris ageret, dixit αὐτάς, feminine. Sensus ergo est, *q. d.* Deus ex terris superborum nonnullas, uti Pentapolim, ita arefecit, ut incolas Pentapolitas cum omnibus animalibus et plantis ex ea disperdiderit, eorumque memoriam cessare fecerit, imo eorum memoriam converterit in æternam ignominiam et infamiam. Syrus, *perdidit eos, et eradicavit eos, et subvertit eos, et delevit ab hominibus memoriam eorum.*

Vers. 21. 21. MEMORIAM SUPERBORUM PERDIDIT DEUS, ET RELIQUIT MEMORIAM HUMILIUM SENSU. — « Sensu, » id est mente et spiritu, qui scilicet in mente humiliter de se sentiunt, seque totos humiliant et prosternunt sub potenti manu Dei. « Memoriam » intellige cum honore et laude conjunctam, celebrem, illustrem ; hanc enim soli consequuntur humiles et sancti : alioqui gigantes, Sodomitæ aliique superbi sunt in memoria, sed ignominiosa et infami. Hic versus jam deest in Græco et Syro ; olim tamen exstitisse liquet ex S. Fabiano, *epist.* 2, qui illum citat. Hoc est quod ait Psaltes, *Psalm.* CXI, vers. 6 : « In memoria æterna erit justus, » uti videmus fieri in sanctis Apostolis, Confessoribus, Virginibus, Martyribus, quorum memoriam festo honoramus.

Humilitatis officia longævos faciunt reges. Audi humilitatis officia, quæ reges et regna faciunt longæva et felicia, ex S. Augustino, lib. V *De Civitate*, cap. XXIV : « Felices, inquit, eos dicimus si juste imperant, si inter linguas sublimiter honorantium, et obsequia nimis humiliter salutantium, non extolluntur, sed se homines esse meminerunt ; si suam potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum, majestati ejus famulam faciunt ; si Deum timent, diligunt, colunt ; si plus amant illud regnum ubi non timent habere consortes, ac se tardius vindicant, facile ignoscunt ; si eamdem vindictam pro necessitate regendæ tuendæque Reipublicæ, non pro saturandis inimicitiarum odiis, exerunt ; si eamdem veniam non ad impunitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis indulgent ; si quod aspere coguntur plerumque decernere, misericordiæ lenitate, et beneficiorum largitate compensant ; si luxuria tanto eis est castigatior, quanto posset esse liberior ; si malunt cupiditatibus pravis, quam quibuslibet gentibus imperare. »

Vers. 22. 22. NON EST CREATA HOMINIBUS SUPERBIA. — Error et excusatio superborum est, quod censeant dicantque superbiam esse magnanimitatem concreatam homini, eique a natura insitam et ingenitam, tum ut se contra invadentes defendat, tum ut ad magna aspiret ; ideoque humilitatem esse vitium naturæ tendens ad ejus depressionem, noxam et interitum : quocirca humilitas apud Gentiles fuit in vitio et vituperio, ideoque exosa, imo incognita.

Refellit hoc Siracides, dicens non esse creatam hominibus superbiam, quod *primo*, sic accipi potest, *q. d.* Superbia non est hominibus concreata et congenita, superbia non est hominibus a natura insita, vel a Creatore indita, sed aliunde, puta a dæmone ascita, et per peccatum homini impressa ; superbia ergo non est homini naturalis, sed potius naturæ vitium ; ortum enim habuit a natura, non sana et integra, sed per vitium corrupta ; Deus enim creavit Adamum rectum et humilem. Ita Rabanus : « Vitia, inquit, non sunt creata in hominibus, sed perversa voluntate rationabilis animi reperta. Initium enim superbiæ homines apostatare a Deo fecit : quoniam ab eo qui fecit eum, recessit cor ejus. » Et S. Antiochus, *homil.* 44 : « Non est concreata, inquit, homini superbia ; non enim naturalis est superbia, sed contumacissimi dæmonis simulacrum. » Ita et Glossa, Hugo, Jansenius, Dionysius Palacius et alii.

Secundo et magis apposite, q. d. Superbia non est pro hominibus creata, sed pro feris et belluis. Natura enim insevit leoni, tigridi, pardo, etc., animos ingentes et superbos, quia feræ sunt : at homini, qui homo et humanus est, insevit potius modestiam, æquitatem, mansuetudinem, et humilitatem. Unde Syrus vertit, *non est divisa* (id est, ut portio assignata) *superbia hominibus, et elatio cordis filiis mulierum, q. d.* Superbia non est pars et sors hominum, sed ferarum vel dæmonum, ut belluini sint qui eam assumunt ; quod enim in belluis est natura, et cum natura inditum, hoc in hominibus est vitium, et peccati effectus. Hinc animalis pars hominis, in qua residet concupiscentia et superbia, nobis est cum feris et bestiis

communis, imo generice eadem; sed in homine parti rationali, quasi dominæ, subditur, qua carent bestiæ. Rursum in statu innocentiæ plane supprimebatur a justitia originali, quam per peccatum perdidimus, eaque perdita, ex parte animali recrevit concupiscentia et superbia : recrevit ergo ex peccato. Si tamen homo conditus fuisset in statu puræ naturæ, tunc concupiscentia superbiæ fuisset ei naturalis, non quidem ut bonum aliquod naturæ, sed ut defectus, et quasi morbus quidam naturæ, ex conditione materiæ consequens. Vide Bellarminum, lib. V *De Amissione gratiæ*, cap. XV. Audi et S. Augustinum, qui lib. II *De Peccato origin.* cap. IV, loquens de concupiscentia, cujus reatum dicit esse originale peccatum, ut patet ex capitibus sex præcedentibus, sic ait : « Comparatur homo pecoribus per vitium, non per naturam; non pecoris vitio, sed naturæ. Tantæ namque excellentiæ est in comparatione pecoris homo, ut vitium hominis natura sit pecoris. » Idem, lib. IV *Adversus Julian.* cap. V : « Hæc autem libido, inquit, ideo malum non est in belluis, quoniam non repugnat rationi qua carent; » et cap. XIV : « Ideo, inquit, in pecoribus malum non est concupiscentia, quia non adversus spiritum concupiscit, sed eorum potius oblectat spiritum. » Et in *Psal.* CIII, concione 4 : « Quod equo, inquit, natura est, homini crimen est. »

NEQUE IRACUNDIA (Græce, *neque ira furoris*, id est, *ira furibunda*) NATIONI MULIERUM. — Tigurina, *progeniei mulierum*. Putant aliqui hæc dici de mulieribus *q. d.* Sicut superbia est vitium virorum, ita iracundia mulierum; nam mulieres solent esse iracundæ, at hæc iracundia non est eis ingenita a natura, sed ex peccato et vitio naturæ ascita. Ita Palacius, qui et rationem addit : « Nam illi irasci convenit, inquit, cui convenit posse sumere de hoste vindictam: at id femina minime potest. Nata est enim femina ut obediat, non ut ira excandescat. Mulier fortis fusum apprehendat, non arma. Molle corpus illi natura dedit; cur falso vult sub molli corpore durum gerere cor? Verba illi natura dedit suavia et blanda, quibus corda virorum demulceat, non quibus flammas evomat. »

Verum potius hæc dicuntur de hominibus a muliere geniti; *natio* enim *mulierum*, Græce γέννημα, sunt filii a mulieribus geniti, ut vertit Syrus et alii; γέννημα enim est fœtus, germen, progenies, editum vel enatum, a γεννάω, id est genero, gigno, produco. Adde, Græce est γεννήμασι, in plurali, id est *generationibus*, puta prolibus generatis a muliere. Jungit iracundiam superbiæ, quasi filiam matri, *q. d.* Superbia, et ex ea fluens iracundia, non est creata ex natura hominum, nec pro natura hominum, sed per dæmonem et peccatum inducta; homines enim cum ex muliere fragili et infirma gignantur, potius occasionem habent magnæ humilitatis et mansuetutudinis, quam iræ et superbiæ. Porro Rabanus : « Bene dicitur, inquit, iracundiam nationi mulierum non esse creatam, quia per mollitiem animi, quam sexus muliebris denotat, iracundiæ vitium surgit; quod tamen per constantiæ virtutem superatur et opprimitur. » Mollities enim et infirmitas, quia ad tolerandum invalida, hinc cum occurrunt adversa et tristia, illico fit impatiens et irascitur. Constantia vero roburque animi, quia ad tolerandum valet, hinc in adversis patiens est, et placida. Verum, cum infirmitas, infirmaque mulier, et muliere natus, considerant penitus seipsos, ponunt iras et animas. Potentum enim est, irasci; infirmorum et miserorum, gemere et precari. Audi Job cap. XIV, 1 : « Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur, et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet. Et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos, et adducere eum tecum in judicium. » *q. d.* Homo undique miseriis obrutus, est objectum misericordiæ, non judicii et iræ : quare indignum est eum superbire et irasci, dignum vero misericordiam Dei et hominum implorare. Ex muliere enim, puta ex matre Eva, trahit hoc ærumnarum pelagus. Igitur sicut pavo caudam explicans, syrmaque suum tot plumis ocellatum pictumque intuens, turgescit; sed dum oculos ad pedes deformes reflectit, detumescit, syrmaque contrahit: sic tu, o homo, qui dotibus animi et corporis superbis, intuere pedes tuæ vilitatis et miseriæ, ut ex illa discas humiliari, ex hac gemere et obsecrare. Pavo caudam suam explicat et ostentat, cum plurimos habet suæ pompæ spectatores, teste Plinio, lib. XX, cap. XX. Tu Deum et Angelos universos tuæ vilitatis æque ac humilitatis habes spectatores. Illis ergo gratum hoc spectaculum exhibe.

TERTIA PARS CAPITIS,

QUA DOCET VERUM HONOREM CONSISTERE NON IN FASTU, SED IN TIMORE DEI.

Vers. 23. 23. SEMEN HOMINUM HONORABITUR HOC, QUOD TIMET DEUM : SEMEN AUTEM HOC EXHONORABITUR (dehonestabitur), QUOD PRÆTERIT MANDATA DOMINI. — Congrue a superbia transit ad timorem Dei, huncque illi per antithesin opponit; sicut enim initium omnis peccati est superbia, sic timor Dei initium est sapientiæ, id est humilitatis omnisque virtutis. Porro superbi se per superbiam extollunt hoc fine, ut honoren-

tur, ne, si se humilient, despiciantur. Hæc est superbiæ radix. Hic ergo oppositum docet Siracides, itaque mali, puta superbiæ, radicem succidit, *q. d.* Verus honor apud Deum et homines consistit, non in fastu et ostentatione sui, sed in timore Dei: quare timens Deum honorabitur; qui autem non timent Deum, sed superbe transgrediuntur mandata Dei, hi despiciuntur et confunduntur, tam in hac vita, tum magis in futura; Deus enim superbos humiliat, humiles exaltat. Vera ergo gloria hominis est timor Dei et humilitas, quia per hæc ex homine, imo fera vel dæmone, fit Angelus, homo divinus, et quasi Deus quidam terrestris similis Christo Dei Filio, ideoque summe honorandus. Timor enim Dei dat homini esse divinum, quod longe superat omne esse naturale; quocirca timens Deum nobilior et celsior est non tantum quovis rege et principe, sed et quovis angelo, si sola ejus natura angelica spectetur. Timens enim Deum est filius et hæres Dei, eoque fruetur in æternum.

Sententia hæc copiosior est in Græco: sic enim habent Græca Romana, *semen honoratum quale? semen hominis. Semen honoratum quale? ii qui timent Dominum? Semen inhonoratum quale, semen hominis. Semen inhonoratum quale? qui prætereunt mandata.* Complutenses vero sic, *semen securitatis, qui timent Dominum; et honorata plantatio* (vel *pretiosa planta*), *qui diligunt illum. Semen ignominiæ, qui non attendunt legi; semen erroris, qui transgrediuntur mandata.* Tigurina, *est semen honorificum, qui Dominum reverentur; est semen infame, qui præcepta violant. Semen stabile* (Vatablus, *fidum* vel *tutum*) *sunt qui reverentur Dominum, et honesta planta qui eumdem diligunt. Semen infame sunt qui legem negligunt, et semen fallax* (vel *vanum*), *qui præcepta violant.* Syrus, *semen pretiosum* (vel etiam *onerosum et grave*), *quod seminatum est homini; semen pretiosum, ille qui timet Dominum; semen pretiosum ille qui custodit mandatum. Semen contemptibile* (vel etiam *illecebrosum*), *voluptuosum, quod seminatum est homini. Semen contemptibile, ille qui non facit mandatum.* Quæ omnia magnifica sunt elogia timoris et timentis Deum. Ex dictis liquet verum hominis honorem, dignitatem et nobilitatem consistere in timore Dei, ut is sit dignior et nobilior in conspectu Dei et Angelorum, qui magis timet, colit, amat et reveretur Deum.

Vera nobilitas est timor Dei.

Hac nobilitate nobilis et illustris fuit Noe, quem proinde ita celebrat Scriptura *Genes.* VI, 9: « Hæ sunt generationes Noe: Noe vir justus atque perfectus fuit in generationibus suis. » Causam dat ibidem S. Ambrosius, lib. *De Arca et Noe* cap. IV: « Noe, inquit, non genere, sed justitia laudatur; probati enim viri genus, virtutis prosapia est; quia sicut hominum genus homines, ita et animarum genus, virtutes sunt. » Hinc et « cum Deo ambulavit, » quasi æqualis cum æquali, amicus cum amico. Quæ nobilitas posset esse major? Plura hac de re dixi *Genes.* VI, 9. Sic et Plato, Cicero, Aristoteles veram nobilitatem constituerunt non in sanguine, sed in virtute, uti alibi ostendi. Hinc et Sancti in honore prælati fuere regibus. Sic Pharao supplex fuit Mosi, ut plagas Ægypti sisteret. Dixerat enim illi Deus: « Ecce constitui te Deum Pharaonis, *Exod.* cap. VII, 1. Sic Josue, cap. X, non tantum regibus terræ, sed et cœlis imperavit sistendo solem et lunam. Sic Achab reveritus est Eliam, Joram Eliseum, Jeroboam Ahiam, Ezechias Isaiam, Nabuchodonosor Jeremiam, Darius Danielem, Alexander Jaddum Pontificem, Antiochus Oniam, Constantinus Antonium, Valens Basilium, Arcadius Chrysostomum, Constantius Athanasium, etc. Et quis nescit sanctos Apostolos, Martyres, Confessores, Virgines honore plus quam humano coli a regibus et imperatoribus?

24. IN MEDIO FRATRUM RECTOR ILLORUM IN HONORE : ET QUI TIMENT DOMINUM, ERUNT IN OCULIS ILLIUS. — Non rectoris, *q. d.* Rector peculiarem curam habebit timentium Dominum, ut explicat Dionysius et Palacius, sed Domini. Rursum repetit τὸ *in honore* *q. d.* Sicut in honore apud fratres est primogenitus, quasi caput et rector cæterorum; item sicut honoratur a cœtu vel congregatione unanimiter instar fratrum viventium rector vel præpositus, tanquam vicarius Dei, repræsentans divinam majestatem mundi gubernatricem, juxta illud: « Ego dixi: Dii estis, » *Psalm.* LXXXI, 6: sic pariter, imo magis, in honore sunt in oculis Dei, hoc est apud Deum, illi qui timent Dominum. Comparat enim timentes Dominum cum rectore, quod sicut hic a subditis hominibus, sic ille a Deo honoretur. Quo significat timorem Dei majorem esse honorem, quam sit rectoratus, quia timor hic magis honoratos efficit timentes Deum quam rectoratus: summus enim honor est honorari apud Deum, imo a Deo. Hunc esse sensum patet ex sequentibus antithesibus, quibus pari modo cum aliis rebus comparat, iisque prætert timorem Dei; et ex versione Syri, quæ sic habet, *inter fratres natu grandior honorabilis est; et qui timet dominum, honorabilis est præ illo*; et Tigurinæ, quæ sic habet, *inter fratres qui præest ipsis, honore excellit: at præ ipso qui reverentur Dominum.* Vers. 24

Audi quæ de rectore et rectrice sancit S. Augustinus *epist.* 109, ubi sanctimonialibus regulam vitæ præscribit: « Præpositæ tanquam matri obediatur, honore servato, ne in illa offendatur Deus; multo magis presbytero qui omnium vestrum curam gerit. » Et mox: « Ipsa vero non se existim et potestate dominante, sed charitate serviente felicem. Honore coram hominibus prælata sit vobis, coram Deo substrata sit pedibus vestris. Circa omnes seipsam bonorum operum præbeat exemplum; corripiat inquietas, consoletur pusillanimes, suscipiat infirmas, patiens sit ad omnes, disciplinam libens habeat, metuens imponat. Et quamvis utrumque sit necessarium, tamen plus avobis amari appetat, quam timeri,

semper cogitans Deo se pro vobis reddituram esse rationem. Unde magis obediendo non solum vestri, verum etiam ipsius miseremini, quæ inter vos quanto in loco superiore, tanto in periculo majori versatur. » Et paulo ante: « Quando autem necessitas disciplinæ minoribus coercendis dicere vos verba dura compellit, si etiam in ipsis modum vos excessisse sentitis, non a vobis exigitur ut ab eis veniam postuletis, ne apud eas quas oportet esse subjectas, dum nimia servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas; sed tamen petenda est venia ab omnium Domino, qui novit etiam eas, quas plus justo forte corripitis, quanta benevolentia diligatis. »

Post hunc versum Complutenses addunt alium, nimirum : πρὸ λήξεως, ἀρχὴ, φόβος Κυρίου, ἐκβολὴ δὲ ἀρχῆς σκληρυσμὸς καὶ ὑπερηφανία, id est, *ante finem, initium, timor Domini; abjectio autem principatus, obduratio et superbia.* Vel, ut clarius vertit Tigurina, quæ pro ἀρχὴ legit ἀρχῆς, *ne deficiat imperium, obstat religio Domini; duritia vero et superbia imperium amittitur, q. d.* Principes pii sua pietate et religione confirmant et perpetuant imperium (uti promissum et præstitum Austriacæ domui conspicimus); impii vero et superbi sua impietate et superbia abbreviant et disperdunt. Viri docti probabiliter suspicantur vice πρὸ λήξεως legendum προλήψεως; unde sic vertunt, *amplificationis principium est timor Domini, ejectio autem principatus est obduratio et superbia, q. d.* Timor Domini est causa amplificationis principatus; ex adverso obduratio et superbia est causa cur princeps ejiciatur e principatu.

Vers. 25. 25. GLORIA DIVITUM, HONORATORUM, ET PAUPERUM, TIMOR DEI EST. — Pro *gloria* Græce est, καύχημα, id est gloriatio. Sensus ergo est, *q. d.* Gloriandum est tam diviti quam pauperi, tam honorato quam plebeio, non in divitiis, nec in arte qua quis excellit, sed in timore Dei: hic enim si adsit, supplet et præstat omnia; si desit, frustra adsunt cætera omnia. Unde Tigurina vertit, *tam divitis et honorati, quam pauperis decus est, religio Domini*; Syrus, *peregrinus extraneus qui pauper est, et angustiatus sibi, gloria ejus in timore Dei, q. d.* Peregrinus et pauper non dejiciat animum, nec angustietur ob suam paupertatem, et quod peregre degat; sed potius glorietur quod timeat Deum: timor enim Dei conciliabit ei Deum, qui opes sufficientes, custodiam et directionem per quaslibet gentes et vias ei præstabit. Alludit ad *Jerem.* IX, 23 : « Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et nor glorietur dives in divitiis suis; sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire et nosse me. » Vide ibi dicta.

Vers. 26. 26. NON DESPICERE (corrige cum Romanis, *noli despicere*) HOMINEM JUSTUM PAUPEREM, ET NOLI MAGNIFICARE VIRUM PECCATOREM DIVITEM. — Græce, *ut pauperem cordatum non est æquum ignominia afficere, ita virum divitem scelerosum honorari non convenit.* Ita Tigurina. Syrus, *non est cur ignominia afficias pauperem justum, neque cur honores divitem iniquum.* Educit hanc sententiam quasi conclusionem ex præcedenti : « Gloria divitum, honoratorum, et pauperum, timor Dei est; » inde enim sequitur eos qui præditi sunt timore Dei, ideoque sunt justi, esse honorandos, licet sint pauperes; eos vero qui illo carent, non esse magnificiendos, esto sint divites: sicut enim vero honore dignum non faciunt opes, sed justitia et virtus: sic contemptu et dedecore dignum non facit paupertas, sed iniquitas. Huc alludens S. Jacobus cap. II, vers. 3, graviter insectatur personarum acceptionem, qua dives præponitur pauperi. Si enim diviti dixeritis, inquit : « Tu sede hic bene; pauperi autem dicatis : Tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum; nonne judicatis apud vosmetipsos, et facti estis judices cogitationum iniquarum? » Vide ibi dicta.

Moral. de honorando justo paupere.

Præclare S. Paulinus, epist. *ad Alethium*, qui fuit maritus Ruffinæ, filiæ S. Paulæ, eaque defuncta opes mundumque contemnens se totum Deo dicavit : « Vide, inquit, rationem, facile judicabis parricidali crimine contemni pauperes nostro arbitrio, quos nullo videmus a nobis Dei opere discretos. Quomodo enim excludamus a nostris modicis habitationibus, quos Deus una nobiscum istius mundi conclusit domo? quomodo dedignemur terrenæ possessionis usu facere participes, quos et in una divinæ originis unitate consortes habemus? » Et superius laudans voluntariam ejus paupertatem Evangelicam, quam et ipse Paulinus profitebatur : « Tibi, inquit, frater in Christo unanime, cui sub hac pœna metus, et cum illa sede communitas, cujus os benedictione plenum est, cujus divitiæ ubera pauperum sunt, cujus domus hospitium Christi est, qui non jacere mendicum ante januam tuam epulante te sustines, sed contra tectis tuis lætus inducis, aut tecum epulaturum, aut etiam jejunante te saturandum. Tibi felix a peccatis egestas, et beatæ in virtutibus opes sunt. Tu et inter illos pauperes jure numeraberis, quorum est regnum cœlorum; et inter illos divites, quorum possessio civitas firma est; quia spiritu Dei dives es, et tuo pauper. » Et S. Chrysostomus, homil. 18 *in epist. ad Hebr.* : « Nihil, ait, opulentius eo qui paupertatem sponte diligit, et eam alacriter suscipit. » Fides enim et pietas opes fidelium sunt, uti docet S. Augustinus, lib. I *De Civit.* cap. X.

Ex adverso Epictetus apud Stobæum, *serm.* 2 : « Sicut, ait, viperam aut aspidem in eburneo aureoque scrinio inspiciens, non propter materiæ pretium ipsa diligis, aut magni facis tanquam felicia animalia, sed potius propter naturæ ipsorum exitialem vim abhorres ac detestaris: sic etiam in divitiis et fastu fortunæ malitiam videns inesse, non ad materiæ splendorem obstupesce, sed morum pravitatem contemne. »

27. MAGNUS, ET JUDEX, ET POTENS EST IN HONORE : Vers. 27.

ET NON EST MAJOR ILLO QUI TIMET DEUM. — « et, » id est *ac, sed, q. d.* Magnates, judices et potentes sunt in honore, et magni apud homines; at non sunt majores timente Deum, quia timor Dei super omnia se superposuit, ut audiemus cap. XXV, 14. Unde Græca habent μεγιςάνες, id est *magnates, judices et dynastæ honorabuntur, et non est aliquis eorum major timente Dominum.* Aliqui legunt in singulari μεγιςάν, quod noster Interpres vertere solet *magnas.* Unde Cardin. Sirletus, teste Francisco Luca in Notis ad hunc locum, censuit pro *magnus* legendum *magnas.* Porro varia est hic codicum Latinorum lectio. Plerique enim legunt, *magnus est dies, et judex, et potens in honore;* sed pro *est* legendum *et:* ita legunt Romani codices, idque exigunt Græci et Syri. Unde Tigurina vertit, *proceres, rectores et potentes floreant honoribus; attamen nemo eorum reverente Dominum major est.*

Vers. 28. 28. SERVO SENSATO (Græce συνετῷ, id est prudenti, sapienti, intelligenti) LIBERI SERVIENT : ET VIR PRUDENS ET DISCIPLINATUS NON MURMURABIT CORREPTUS, ET INSCIUS NON HONORABITUR. — Est sententia hæc in Latino trimembris, in Græco ex more bimembris; in eo enim tertium membrum deest, æque ac in Syro, qui sic habet, *servo sapienti liberi servient, et vir sapiens cum corripitur non fremet.* Quare Jansenius more suo censet, tertium membrum additum ab Interprete Latino explicationis gratia. Verum sic non haberet auctoritatem canonicam S. Scripturæ, quod repugnat Concilio Tridentino, *sess.* IV, præsertim quia illud proprium habet sensum, imo antithesin cum duobus membris præcedentibus : quare explicationis gratia additum dici nequit. Sic ergo tria hæc membra inter se connecto, applico et explico. Sensus, id est, prudentia et sapientia, adeo præstans est dos, ut etiam servos non tantum liberos, sed et dominos ac rectores efficiat, adeo ut ἐλεύθεροι, id est, homines liberi, ei serviant, imo servire et obedire gaudeant : quocirca etiam cum ab eo corripientur, non ægre ferent : quia « vir prudens et disciplinatus non murmurabit correptus, » Græce παιδευόμενος, id est, cum instruitur, eruditur, arguitur, corripitur; sed potius sensato se corripienti gratias aget, quod maculam hanc et nævum non vesti, nec faciei, sed moribus et animæ inhærentem, eamque turbantem aperuerit, correxerit, emacularit. Sequitur tertium membrum : « et inscius non honorabitur. » *Inscium* sive indoctum vocat imprudentem, indisciplinatum, insensatum, qui indignus est honore, id est, functione honorata. Opponit enim eum servo sensato, cui liberi serviant, *q. d.* Sensatus, etsi servus sit, dignus est qui alios regat, et cui cæteri serviant : at insensatus, esto dives et nobilis, indignus est qui alios regat, cum ipse potius quasi cæcus regi ducique debeat. Ita Palacius. Unde Tigurina vertit : *Neque enim honoribus afficietur imperitus. Secundo,* Lyranus tertium hoc membrum connectit cum secundo, quasi ejus sit antithesis, *q. d.* Vir prudens, ideoque laude et honore dignus, est qui correptus non murmurat, sed erratum corrigit; at inscius ac imprudens, qui non sustinet se, etiam dum male agit, moneri et corripi, indignus est honore; unde non honorari, sed ut insipiens et arrogans despici et contemni solet.

Primo membro alludit ad *Proverb.* X, 14 : « Filius eruditus sapiens erit, imprudente autem ministro utetur. » Hoc enim re idem est cum eo : « Servo sensato liberi » minus sapientes, ideoque imprudentes, « servient. » Causam dat Seneca lib. III *De Benefic.* : « Si quis existimat, inquit, servitutem in totum hominem descendere, fallitur; pars ejus melior est excepta : corpora obnoxia sunt, et ascripta dominis : mens quidem sui juris est. » Rursum qui bene servit, dignus est qui regat; ideoque bene servire, egregia est dispositio ad bene regendum. Unde Plato, et ex eo Plutarchus in *Reipubl. gerendæ præceptis* : « Qui ante non serviverunt, inquit, dominari recte non possunt; » et Aristoteles, lib. VII *Politic.* : « Necesse est, ait, futurum principem, subditum fuisse. » Nam, ut ait S. Augustinus, lib. XIX *De Civitate,* cap. XV : « Sicut prodest humilitas servientibus, sic nocet superbia dominantibus. » Unde fidelibus et sanctis servitus est libera, imo libertas : nam, ut idem ait in *Psal.* XCIX : « Libera servitus est apud Dominum, ubi non necessitas, sed charitas servit. Servum te charitas faciat, quia liberum te veritas fecit. » Sic et Ambrosiaster in illud I *Cor.* VII, 22 : « Qui in Domino vocatus est servus, libertus est Domini; » ereptus enim a peccatis, inquit, quæ vere servos probant, libertus fit. Hic enim omnino servus est, qui imprudenter agit; sicut et veteribus placuit, qui omnes sapientes liberos appellarunt, imprudentes servos. Unde Salomon : « Servo, inquit, sapienti liberi servient. » Quocirca Diogenes, teste Laertio lib. VI, bello captus, et in servum venditus, cum ab hero audiret : « Vide ut jussis meis obtemperes; » respondit, ἄνω ποταμῶν, id est, *sursum flumina.* Si medicum emisses æger, nonne illi obtemperares? multo magis decet herum animo ægrum, auscultare servo philosophiæ perito, » *q. d.* Virum sapientem, qualis ego sum, homini insipienti, qualis es tu, inservire, res est præpostera, et contra naturam, velut si quis contra cursum fluminis contendat. Idem Diogenes rogatus a præcone, quo titulo licitari vellet, respondit : « Novi hominibus liberis imperare; » quia, ut ait Siracides, « servo sensato liberi servient. » Τὸ enim *liberi* hic non significat filios, sed libertate gaudentes : hi enim græce vocantur ἐλεύθεροι. Ita Josepho a fratribus in servum vendito, ob sapientiam et futurorum prænotionem, servivit libera Ægyptus. Hinc et veteres, si quem servum nacti essent sapientia et prudentia pollentem, præficiebant filiis, totique familiæ, adeoque, si filii deessent, eum adoptabant, et hæredem instituebant. Quod etiamnum faciunt

Sapiens esto serviat, est liber.

Turcæ, ut superius dixi, juxta illud *Prov.* XVII, vers. 2 : « Servus sapiens dominabitur filiis stultis, et inter fratres hæreditatem dividet. »

Servi dominantes heris.

Ita Daniel ob sapientiam, captivus licet et servus, cum tribus sociis, Anania, Azaria et Misaele, a Dario et Nabuchodonosore præpositus fuit omnibus provinciis Babylonis, *Daniel.* II, 49. Hic verum est illud Horatii lib. I, *epist.* 1 :

Ad summam, sapiens uno minor est Jove : dives,
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum.

Ita Servius Tullius e serva (unde et Servius appellatus) matre, puta Ocrisia, Tanaquilis reginæ, uxoris Tarquinii Prisci, ancilla natus, creatus est rex Romanorum, ac Tarquinio in regno successit, teste Plinio lib. XXXV, cap. XVII, qui multos Romanorum servos libertate donatos recenset, qui ad regimen magnasque dignitates evaserunt, ut Chrysogonum Syllæ, Amphionem Q. Catuli, Heronem L. Luculli, Demetrium Pompeii, Hipparchum M. Antonii. Talis quoque apud Claudium Imperatorem fuit Pallas, ejusque frater Felix ex servo creatus præses Syriæ, coram quo S. Paulus a Judæis accusatus causam suam egit, *Actor.* XXIV, 3. In his locum habet proverbium : « De remo ad regnum, de coma (servi enim comam alebant) ad coronam, de furca ad sceptrum ; » servi enim collo furcam gestabant, unde furciferi dicebantur. Diogenes, teste Laertio lib. VI, cum emptus a Xeniada, ei serviret, ac amici agerent de eo liberando : « Nequaquam, inquit ; an nescitis leones non iis servire a quibus aluntur, sed altores potius servire leonibus? nam leo ubicumque est, semper leo est. »

Præclare S. Augustinus, lib. IV *De Civit.* cap. III : « Bonus, inquit, etiamsi serviat, liber est : malus autem, etiamsi regnet, servus est, nec unius hominis, sed, quod gravius est, tot dominorum quot vitiorum. » Vide eumdem in *Psal.* LXXXIV et LXXXIX, et S. Ambrosium, lib. III, epist. 7 *ad Simplic.* : « Joseph, inquit, venditus in servitutem est, et electus est ad potestatem, ut suis emptoribus imperaret. Unde pulchre Psalmista ait *Psal.* CIV : In servum venumdatus est Joseph, humiliaverunt in compedibus pedes ejus, non animam ejus. Quomodo enim humiliata est anima, de qua dicit : Ferrum pertransiit animam ejus? Nam cum aliorum animas peccatum transeat (ferrum enim peccatum est, quod est penetrabile), sancti anima ita non patuit peccato, ut magis peccatum ipsa penetraret. In servum venumdatus est, non servus factus. Quomodo hic servus, qui erudivit principes populi in illa frumentaria dispensatione? aut quomodo servus, qui totam terram acquisivit, et universum populum Ægyptiorum in servitutem redegit? Denique famulo sapienti multi, ut scriptum est, serviunt liberi ; et est servus intelligens, qui regat dominos stultos. Sola est sapientia libera, quæ divitibus pauperes præficit, et quæ servos propriis fœnerari dominis facit, fœnerari non pecuniam, sed intellectum. » Ratio ergo a priori cur « servo sensato serviant liberi, » est, quod sensatorum et sapientum sit regere, insensatorum vero et insipientum sit regi. Si ergo servus sit sensatus, herus insensatus, utique omnino congruum et æquum est illum regere, hunc regi.

Secundo membro significat, sapientis esse facile et libenter admittere monitores, ac monitionem, instructionem, correctionem. Novit enim neminem tam esse sapientem, qui in omnibus sapiat, qui nusquam erret, qui cuncta sciat ; ac præsertim novit quemque in rebus propriis ob philautiam facile decipi et cæcutire, ac proinde melius judicare exteros de nobis ipsis. Unde Palacius : Si juste argueris, inquit, gratias agito : si injuste, bonum animum arguentis lauda ; malum, aut ride, aut sustine. Ita S. Petrus, licet superior, correptus a S. Paulo, non obmurmuravit, sed modeste acquievit, uti ostendi *Galat.* II, 11. Idem a Christo reprehensus vocatusque Satan, et insimulatus quod esset modicæ fidei, humiliter sustinuit, *Matth.* XVI, 23 et XIV, 31. Alludit ad *Proverb.* IX, 8 : « Noli arguere derisorem, ne oderit te ; argue sapientem, et diliget te ; » quia, ut ibidem ait Hugo, « in hoc est quilibet sapiens, si agnoscit suam insipientiam. » Unde S. Bernardus ait : « Domine, tu scis insipientiam meam, quia scilicet in hoc sapiens sum, quod et ipse ego eam scio. » Notanda est sententia *Proverb.* XV, 32 : « Qui abjicit disciplinam, despicit animam suam ; qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis ; » et cap. XXIX, 1 : « Viro, qui correptionem dura cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus ; » et vers. 15 : « Virga atque correptio tribuit sapientiam. »

Quocirca S. Augustinus, epist. 19 *ad S. Hieronymum* ita scribit : « Identidem rogo, ut me fideliter corrigas, ubi mihi hoc opus esse perspexeris. Quanquam enim episopatus presbyterio (erat enim S. Augustinus Episcopus, sed presbyter S. Hieronymus) major est, tamen in multis rebus Augustinus Hieronymo minor est ; licet etiam a minore quolibet non sit refugienda vel dedignanda correctio. » Qua in re memorabile exemplum dedit S. Carolus Borromæus, qui mire expetebat ut quilibet eum de suis defectibus admoneret et corriperet, dictitans sibi id in optatis esse seque a monitore ingens recipere beneficium. Qua de causa in familia duos alebat sacerdotes graves, quibus id officii dederat, ut in omnes actiones suas invigilarent, et sicubi erraret, libere et fideliter admonerent. Ita habet Vita ejus lib. VIII, cap. XVI. Celebre est illud Hesiodi :

Omnia qui per se prævidet, optimus est ;
Proximus ille tamen, qui paret recta monenti ;
Sed qui nec sapit ipse, nec audit recta monentem,
Invida ei mentem misero natura negavit.

Et illud Philonis, juniores et inexpertos debere

imitari cœlos. Sicut enim hi, quia sunt rationis expertes, ab astante intelligentia reguntur, et ordinatissime moventur : sic pariter illos a senibus et expertis regi ducique oportere.

Vers. 29. 29. NOLI EXTOLLERE TE IN FACIENDO OPERE TUO, ET NOLI CUNCTARI IN TEMPORE ANGUSTIÆ. — Græce, *μὴ σοφίζου ποιῆσαι τὸ ἔργον σου, καὶ μὴ δοξάζου ἐν καιρῷ ςενοχωρίας σου*. Quod varie a variis vertitur. *Primo*, Interpres Complutens. sic, *ne velis videri sapiens in faciendo opus tuum, et ne extollas te in tempore angustiæ tuæ*; alii, *ne operis quod facis artem ostentato, neve in tempore angustiæ tuæ te efferto*, aut *gloriosus esto*. *Secundo*, Vatablus, *ne vafre*, aut *fraudulenter opus tuum agas, nec tempore difficili affectes gloriam*. *Tertio*, et magis genuine Romana, *noli excusando cunctari in faciendo opere tuo, et noli te extollere in tempore augustiæ tuæ;* Syrus, *ne piger sis ad faciendum opus tuum, et ne fias molestus in tempore egestatis tuæ, q. d.* Esto sedulus in operando, ne, si sis piger, incidas in egestatem, et cogaris mendicare, aliisque esse molestus. Tigurina clare et germane: *Ne causas nectas quo minus agas opus tuum, nec te per superbiam pudeat ipsius tempore difficili*. Idem voluit noster Interpres, qui tamen priori loco legit *δοξάζου*, unde vertit *extollere*: posteriori *σοφίζου*, unde vertit *cunctari*: *σοφίζομαι* enim tria significat. *Primo*, sapere, et velle videri sapientem, ac sapientiam artemve suam ostentare; quod secutus est Complutens.; *secundo*, sophistice, id est vafre aut fraudulenter, agere : quod sequuntur Romana, Syrus et Tigurina. Sensus ergo est, *q. d.* Noli extollere te ac gloriari de tua nobilitate, prosapia, dignitate, statu, quasi eo indignum sit laborare manibus, nec sophisticas has excusationes obtendas inertiæ tuæ, ut in die angustiæ et egestatis cunctetis, et tardus sis ad laborandum, et tuæ tuorumque necessitati providendum : quia gloriatio tua inanis est, nec ventrem tuum satiabit, sed mentem vanitate et superbia implebit. Unde sequitur: « Melior est enim, » etc., ut habent Græca.

Aliter Rabanus: « Prohibet, inquit, ne quis pro bona operatione se jactitet, quia omnis arrogantia abominatio est apud Deum; et ne quis in adversitatibus a bono opere cesset, quia tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem : spes autem non confundit. » Sic et Lyranus: « Noli, ait, te extollere, quia quidquid tibi est boni, totum est a Deo. »

Hanc gnomen apposito arundinis cum canna saccharacea contendentis apologo repræsentat Cyrillus lib. II *Apologorum*, cap. XIV, cui titulus, *Contra eos, qui cito adepti raptam altitudinem, gloriantur spernentes humiles* : « Canna arundinea, inquit, juxta cannam melleam oriens, eamdem brevi transcendens, altitudine tumens: Canna mellis, quantum temporis habes ? Cui illa respondit: Duos vitæ annos. Tunc ipsa velocius altum rapuisse se gaudens, humilemque sperniens, mox arrogantia magna dixit: Bene sit naturæ, quæ me in anno fecit te transcendere. Ad hæc canna mellis ostendens fatuæ confusionem suam, dixit: Recte es arundo, sensu arida, et omnis ventositatis impetu agitata. Non attendis quoniam, ut citius cresceres, totum altitudini nihilque profunditati dedisti ? Ex quo apparet quod intus es vacua, et foris tumescis infructuosa: nimirum sublimes arbores ut plurimum infructuosæ cernuntur; et quæ in granditate germinantur, cito desiccantur. » Deinde idipsum exemplo gallinæ, mellis, pulveris, montium et vallium evincit : « Gallina parvula omni die ovificat, at ingens struthio semel tantum in anno. Me quidem humilitatis firmitas a ventorum tempestate tutatur, tua vero tibi est altitudo tempestas; omnis enim quanto sublimior, tanto fere mutabilior est. Ut quid ergo de altitudine procellosa et vacua gloriaris? et stulte me plenam melle, et stabili brevitate fundatam confundis? Pulvis quippe quanto plus erigitur, tanto magis dispergitur; et fumus quo magis extollitur, amplius annullatur; vapor quoque altus ab æstu consumitur, et concretus in rorem dulcissimum condensatur. Montes aerei sæpe nubis caligine involvuntur, et terreneæ valles rivis inundantibus impinguantur. Igitur incomparabiliter melior est plenæ humilitatis parvitas, quam velox sublimitas omni bono evacuata. Quibus auditis arundo erubuit. »

Apologus gloriosi. Similia.

Vers. 30. 30. MELIOR EST (Græca addunt *enim*, datur enim hic causa præcedentis versiculi) QUI OPERATUR, ET ABUNDAT IN OMNIBUS, QUAM QUI GLORIATUR, ET EGET PANE. — Græca nonnulla significantius habent, *quam gloriosus obambulans et egens pane*. Solent enim hi gloriosi, desides splendide et magnifice obambulare, ut suum splendorem, imo fastum ostentent, cum interim venter eorum fame latret. « Melior, » id est potior, sapientior, ditior, ventre plenior, mente felicior. Syrus : *Melior est vir qui operatur, et abundans est divitiis, eo qui gravem se facit et indiget cibo*. Huc facit illud Comici : « Præstat divitem esse et popularem, quam nobilem et mendicum. »

Alludit, imo citat *Proverb.* XII, 9 : « Melior est pauper et sufficiens sibi, quam gloriosus et indigens pane, » quia pauper per humilitatem et laborem procurat sibi victum et vestitum; gloriosus autem per socordiam et superbiam utroque se fraudat, seque fame, mœrore et pudore confici permittit. Natus est homo ad laborem, ut ait Job cap. V, 7 : ne fugiat ergo sibi congenitum laborem. Beati sunt qui labores manuum suarum manducabunt, *Psalm.* CXXVII, 2, non qui desident otiosi. Hinc conclude, meliorem esse agricolam et mechanicum, qui labore suo facit ut non egeat, quam nobilem et splendidum, cujus splendorem lurida fames obscurat. Ita Palacius. Tropologice, melior et sapientior est qui in hac vita laborat in bonis operibus : « unde certa illi restat spes remunerationis, quam ut in vanitate dies suos consumat, et expers fiat panis illius qui de

cœlo descendit, quem qui manducaverit, non morietur in æternum. Beatus est enim qui manducat panem in regno Dei, » ait Rabanus.

Vers. 31. 31. FILI, IN MANSUETUDINE SERVA (Græce est, δόξασον, id est, honora, glorifica) ANIMAM TUAM, ET DA ILLI HONOREM SECUNDUM MERITUM SUUM. — *q. d.* Da illi honorem quem meretur, Græca, κατὰ τὴν ἀξίαν αὐτῆς, id est, *juxta dignitatem ejus*, vel *pro ejus dignitate*; Vatablus: *Fili, per mansuetudinem gloriam animæ tuæ concilia, et eam honore quem meretur affice*; Syrus: *Fili mi, in religione honora animam tuam, et da illi suavitatem, juxta id quod necessarium est illi, q. d.* Suaviter et leniter tracta animam tuam, ita et apud te, et apud alios plus proficies. Unde viri sapientes et pii docent, hominem non debere indignari animæ suæ, cum in aliquos defectus labitur; sed leniter et suaviter eam corripere ac instruere potius, et dirigere, quam reprehendere: hæc enim lenis correptio, magis quam acris eam penetrabit et movebit ad emendationem.

Jam sententia hæc Siracidis *primo*, plane et simpliciter, ut sonat, accipi potest, *q. d.* Stude mansuetudini; hæc enim honorem tibi conciliat, hæc est decus et gloria animæ tuæ, quia in ea consistit animæ pax et quies, æque ac sanctitas. Hunc sensum in tres secat Palacius: *Primus*, inquit, convenit cum præcedentibus et sequentibus, *q. d.* Fili, si pauper fueris, serva te mansuetum, non iracundum aut blasphemum. Nam iracundia dejicit hominem gradu hominis: ne igitur tu te dejeceris, sed in hominis dignitate servabis. Quod si ex ira rem opereris, peccabis in animam tuam eam necessariis defraudando. Quod malum si tu tibi intuleris, quis avertet? si tu te ita dedecore afficis, quis decorabit? » *Secundus* sensus: « Serva te, fili, tranquillum et imperturbatum. Cum enim anima tua excelsior sit rebus aliis, indignum est te ab eis turbari aut pollui. Si vero tu te turbaveris aut pollueris, quis te justum existimet? » *Tertius* est: « In patientia vestra possidebitis animas vestras. Igitur impatiens amittit se. Non ergo dat honorem animæ suæ. Quod si tu tibi contumeliam irrogas, auferens te tibi, a quo vis honorari? » Hæc Palacius. Rursum honor animæ debitus est, ut illa quasi regina imperet corpori et sensibus, quasi subditis et ancillis. Nam, ut ait Aristoteles I *Politic.*: « Anima naturaliter dominatur corpori, sicut dominus servo; cum autem hoc dominium stat, omnia bene. » Et Plato apud Stobæum, *serm.* 21: « Quæ dominantur, inquit, præ illis quæ serviunt semper sunt honoranda. Quapropter merito post dominantes deos, et eos qui illos sequuntur, animum nostrum colendum, secundoque loco habendum jubeo. Nemo autem recte animum suum honorat, nisi qui vitiis fugatis pietatem et justitiam colit. » Qui enim vitiis servit, eam dehonestat, et similem brutis, imo dæmonibus, efficit.

Porro S. Fabianus, *epist.* 2, sic legit: « Fili, in mansuetudine serva animam tuam, et da illi honorem, cui honor competit. » Indeque probat honorandos esse præpositos, non autem reprehendendos a subditis: nam, ut ait S. Bernardus serm. 85 *in Cantic.*: « Modestia animi probat virum sapientem, constantia virum virtutis ostendit. »

Secundo Rabanus: « In mansuetudine, ait, animam servat, qui per humilitatem opera exercet pietatis; et dat illi honorem secundum meritum suum, qui se spe futuræ mercedis pro studio consolatur justi laboris: quia Deus reddet singulis secundum opera sua. » Et Lyranus: « Serva, ait, in mansuetudine, id est, moderatione et securitate virtutum, animam tuam, » subjiciendo ei carnem et appetitum sensitivum.

Tertio, solerter et apposite Jansenius hæc, ut cum præcedentibus et sequentibus connectat, pressius accipit, arctatque ad studium laborandi, ut hoc labore quis sibi victum paret, quasi hic radicem inertiæ, scilicet superbiam, et ex ea nascentem impatientiam, succidat per contrariam humilitatem, et ex ea nascentem mansuetudinem, *q. d.* Noli in laborando ob laboris molestiam et difficultatem fieri impatiens, ideoque piger et tardus; sed humiliter et mansuete laborem omnem suscipe et capesce, quia per eum glorificabis animam tuam, dando illi honorem, id est, sustentationem et alimoniam, quæ ei pro sua dignitate debetur. *Honor* enim in Scriptura sæpe alimoniam significat, ut cum dicitur: « Honora patrem et matrem, » *honora*, id est cole, obedi, et ale, si indigent. Et: « Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore (id est, duplici stipendio) digni habeantur, » I *Timoth.* v, 17. Multi enim nolunt laborare, eo quod laborem se suaque dignitate indignum putent. Hoc refellit Siracides, dicens laborem esse honorem et gloriam animæ, ejusque dignitati congruum, imo debitum; quia per laborem sustentatur vita animæ in corpore, ut decenter vivere, vestiri et conversari possit: quæ omnia succiduntur per pigritiam, quæ facit hominem egere omnibus, et fame contabescere, ut anima in corpore pereat et intereat, quæ summa est animæ indignitas, æque ac injuria et calamitas.

Vers. 32. 32. PECCANTEM IN ANIMAM SUAM QUIS JUSTIFICABIT? ET QUIS HONORIFICABIT EXHONORANTEM ANIMAM SUAM? — Græce ζοὴν αὐτοῦ, id est, *vitam suam*. *Primo*, juxta primum sensum præced. vers. datum, sensus est, *q. d.* Serva animam tuam in mansuetudine, ut iræ cæterisque animi passionibus jam sedatis domineris, in quo, uti dixi, honor et decor animæ tuæ consistit. Nam si per superbiam, iram, invidiam, impatientiam, etc., pecces in animam tuam, *quis* te *justificare*, id est, justum pronuntiare, vel juste a culpa excusare poterit? rursus, quis te honore dignum censebit, cum tu ita per vitia dehonestes et conspurces animam tuam? Unde Tigurina vertit: *Quis justum dicat*

eum qui peccat in animam suam? aut quis vitam suam infamantem honoret? alii : *Quis honorabit eum qui dedecorat vitam suam?* Quot enim peccata perpetrat, tot dedecora conjicit in animam vitamque suam. Syrus : *Fili mi, eum qui condemnat animam suam, quis justificabit? aut quis honorat eum qui contemptibilem reddit animam suam?* Unde Rabanus : « Exhonorat, inquit, animam suam, qui peccatis illam polluit; et quis justitiæ illi tribuit meritum, quem constat suæ salutis habere neglectum? Omnes enim nos oportet stare ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis sui, prout gessit, sive bonum, sive malum. » *Secundo*, juxta secundum sensum vers. præced. datum, *q. d.* Piger et otiosus, qui laborando non vult sibi victum parare, peccat in animam suam, quia eam famis et mortis periculo exponit : quis ergo eum justificare aut excusare poterit? Rursus idem dehonestat animam sua acedia, otio et superbia; quis ergo eum honore dignum censebit? *q. d.* Superbus et gloriosus per superbum otium, quo laborem manuum quasi se indignum detrectat, ambit honorem et gloriam. At errat; cum enim ipse superbia et pigritia dehonestet animam suam, imo eam fame sinat contabescere, quis eum jure honorare, aut honore dignum censere poterit?

Vers 33. 33. PAUPER GLORIATUR PER DISCIPLINAM ET TIMOREM SUUM, ET EST HOMO QUI HONORIFICATUR PROPTER SUBSTANTIAM SUAM. — Pro *gloriatur* et *honorificatur*, græce est idem verbum δοξάζεται, id est honoratur, honore et gloria afficitur, *q. d.* Pauper honoratur ob morum disciplinam et timorem Dei, at dives honoratur propter opes et substantiam. Ergo potior est honor pauperis quam divitis, idque tanto, quanto potior est timor Dei omnibus mundi opibus. Ne ergo pauper tristetur, quod carens opibus, careat pariter honore mundano, quia honorem habet majorem et altioris ordinis, puta divinum ex timore Dei ; vicissim dives non superbiat quod honoretur propter opes, quia exilis est hic honor, si ad honorem, quem parit timor Dei, comparetur. Unde Tigurina : *Pauper propter scientiam suam* (practicam, quæ in bene operando et juste vivendo consistit) *et religionem, gloriam adipiscitur, et dives ob divitias in honore est;* Syrus : *Est pauper qui honoratur propter sapientiam suam, et est dives qui in honore habetur propter divitias suas.* Præclare Nazianzenus in *Tetrastichis* :

Justa paupertas melior injustis opibus.

Opibus carente nil viro securius :
Spes ille totas in Deo fixas tenet.
Melior egestas improbe partis bonis.
Vix unquam acerba sustulit quemquam fames,
At certa crimen improbis mors est viris.

Idem, in carmine *De Beatitud.* :

Felix qui Christum fortunis omnibus emit ;
Felix qui pectus tradidit omne Deo.

Idem, tract. *De Vitæ itineribus* :

Nil autem hic firmum, prævidit Christus, ut esset,
Quo tua firmorum pectora tangat amor.

Contrarium est judicium mundi et mundanorum, qui felicitatem ponunt in rerum copia, infelicitatem in inopia; unde tanti quemque æstimant, quantas habet opes, juxta adagium quod citat S. Augustinus lib. *De Doctr. Christ.* : « Quantum habebis, tantus eris. » Et illud Juvenalis *Satyr.* 3 :

Quantum quisque sua nummorum servat in arca,
Tantum habet et fidei.

Et illud olim celebre : χρήματα ἀνήρ, *pecuniæ vir.* Unde et Horatius lib. III *Serm.*, satyra 2:

Omnis enim res
Divitiis paret, quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, justus, sapiens, etiam rex.

Et Menander :

Epicharmus quidem deos esse dicit
Ventos, solem, terram, aquam, ignem, stellas :
Ego autem utiles deos esse arbitror
Argentum nostrum et aurum.
Nam illos si collocaveris in domum,
Pete quidquid voles, assequeris omnia

Verum melius sapuere Philosophi, qui paupertatem divitiis æquarunt, imo antetulerunt, tanquam sapientiæ et virtutis instrumentum. Unde Crates abjecit aurum, ut securius philosopharetur; Archesilaus paupertatem aiebat esse matrem frugalitatis, continentiæ, modestiæ, adeoque omnis virtutis gymnasium. Diogenes dictitabat eamdem omnia docere, et virtutem esse quæ per se disceretur, cum opulenti multis egeant præceptis, ut temperanter vivant, modestiam servent, corpus exerceant, etc. Ita Stobæus *serm.* 95.

Vers. 34. 34. QUI AUTEM GLORIATUR IN PAUPERTATE, QUANTO MAGIS IN SUBSTANTIA? ET QUI GLORIATUR IN SUBSTANTIA, PAUPERTATEM VEREATUR. — Hic versus rursus facit ad solandam pauperum depressionem animi, et ad retundendum divitum fastum, *q. d.* Pauperis honor est solidus, quia situs in solido timore Dei, ideoque facile crescere et augeri potest additis ei divitiis. Sæpe enim Deus timentes se ditat; quare tunc duplici titulo accedet ei honor, scilicet, titulo timoris Dei, et titulo opum. Sicut enim imago pulchra magis pulchrescit, si limbo aureo circumdetur : sic et virtus in se pulchra magis pulchrescit, si opibus honestetur : quare tunc quasi duplex viro accedit decor et honor; uti contigit Danieli, cum is ob virtutem et sapientiam præpositus fuit Babyloni, honoratus a rege omnibusque principibus, *Dan.* II, 48. Dives vero carens timore Dei, imo fastui et luxui vacans, vero honore caret, et vano duntaxat potitur, qui situs est in copia opum; vanum enim esse liquet, ex eo quod dives facile pauper effici possit, ut in dies fieri videmus ; quare tunc omni honore, etiam vano, qui situs erat in opibus, destituetur.

Alludit ad illud *Ecclesiastæ* VII, 12 : « Utilior est sapientia cum divitiis, et magis prodest videntibus solem. Sicut enim protegit sapientia, sic protegit et pecunia. Hoc autem plus habet eruditio et sapientia, quod vitam tribuunt possessori suo. » Hunc sensum exigunt Græca, quæ sic habent : *Qui vero pauper honoratus est, quanto dives esset idem honoratior? et qui infamis est in divitiis, quanto foret in paupertate magis?* Ita Tigurina. Syrus : *Qui honoratur in paupertate, in divitiis suis quanto magis? et qui contemptibilis* (vel illecebrosus et voluptuosus) *est in paupertate sua, in divitiis suis quanto magis?* Quæ verba alium innuunt sensum, *q. d.* Pauper, si timeat Deum, honoratur in paupertate sua : idem, si fiat dives, honorabitur magis. At pauper qui non timet Deum, imo sua prodigit vacando veneri et ventri, inhonoratur in paupertate sua, et multo magis inhonorabitur, si fiat dives ; quia per divitias fiet intemperantior, insolentior, superbior, itaque majus odium et probrum sibi accerset. Complutenses tantum habent : *Qui honoratur*, vel *glorificatur, in paupertate, quanto magis in substantia?*

Pauperes ergo solentur se his verbis, quibus Tobias solatus est se et filium, dicens cap. IV, vers. 23 : « Noli timere, fili mi ; pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, et recesserimus ab omni peccato, et fecerimus bene. » Et illis S. Jacobi cap. II, 5 : « Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni, quod repromisit diligentibus se? » Et illis Christi : « Pauperes evangelizantur. » Et : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, » *Matth.* V, 3. Et illis Davidis de Christo : Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea, » *Psal.* LXXXVII, 16. « Vulpes enim foveas habent, et volucres cœli nidos : filius autem hominis non habet ubi caput reclinet, » *Matth.* cap. VIII, 20.

Præclare S. Leo, serm. 4 *in Quadrages.* : « Semper dives, inquit, est Christiana paupertas, quia plus est, quod habet, quam quod non habet ; nec pavet in isto mundo indigentia laborare, cui donatum est in omnium rerum Domino omnia possidere. » Et Salvianus Massiliensis : « De illis, inquit, qui expediti ab omnibus sarcinis Salvatoris viam sequuntur, et Dominum Jesum Christum, non sanctitate solum, sed etiam paupertate imitantur, nihil est quod dici possit, nisi illud tantum, quod etiam Propheta dixit : Mihi autem nimis honorati sunt amici tui, Deus. Vos autem non aliter quam imitatores Christi honoro, non aliter quam Dei imagines colo, non aliter quam membra Christi suscipio. » Atque hi cum possessione sint divites, voluntate pauperes, possunt gloriari, tam in substantia, quam in paupertate ; imo hæc est summa gloria, divitiis per contemptum dominari, uti fecit Alethius gener S. Paulæ, uti dixi vers. 26; item Pammachius ejusdem gener, cujus proinde gloriam ita celebrat S. Hieronymus epist. 26 *ad Pammachium* : « Non est parum virum nobilem, disertum, locupletem, potentium in plateis vitare comitatum, miscere se turbis, adhærere pauperibus, rusticis cognari, de principe vulgum fieri ; sed quanto humilior, tanto sublimior est : lucet margaritum in sordibus, et fulgor gemmæ purissimæ etiam in luto radiat. » Et mox : « Antequam Pammachius Christo tota mente serviret, notus erat in senatu ; sed multi alii habebant insulas proconsulares, totus orbis hujuscemodi honoribus plenus est. Primus erat, sed inter primos præcedebat alios dignitate, sed et alios sequebatur : quamvis clarus honor, vilescit in turba ; et apud viros bonos indignior fit ipsa dignitas, quam multi indigni possident : at nunc omnes Christi Ecclesiæ Pammachium loquuntur, mirantur ; miratur orbis pauperem, quem hucusque divitem nesciebat. » Mortua enim Paulina uxore, S. Paulæ filia, ex Consule Romæ fecit se monachum, æque ac S. Paulinus, Alethius et alii isto ævo, quorum mater et antecignana fuit S. Paula, discipula S. Hieronymi. Unde de eodem paulo ante : « Nostris temporibus, inquit, Roma possidet quod mundus ante nescivit. Tunc viri sapientes, nobiles, potentes Christiani, nunc multi monachi sapientes, potentes, nobiles, quibus cunctis Pammachius meus sapientior, potentior, nobilior, magnus in magnis, primus in primis, ἀρχιστράτηγος monachorum. » Et post nonnulla : « Quis enim crederet ut consulum pronepos, et Furiani germinis decus, inter purpuras senatorum, furva tunica pullatus incederet, et non erubesceret oculos sodalium, ut deridentes se derideret? »

Anagogice Rabanus : « Pauper, inquit, est, qui in timore Domini, et observantia veræ religionis totam gloriam suam statuit ; de quo Paulus : Qui gloriatur, in Domino glorietur. Qui autem gloriatur in paupertate sua, quanto magis in substantia? Ille autem qui in tribulationibus gaudet, in necessitatibus, in angustiis nunc pro Christo, quanto magis gaudebit, quando pervenerit ad retributionem futuram, et ad divitias veras quæ electis Dei servantur in regno cœlesti? Qui autem gloriatur in substantia, paupertatem vereatur. Hoc est, ille qui totam fiduciam suam ponit in terrenarum rerum abundantia, paupertatem futuram vereatur, memoretque semper illam Evangelicam parabolam de divite purpurato et paupere Lazaro : quomodo ille de gloria temporali in tormenta projectus est æterna ; iste autem de miseria præsentis vitæ, ad gaudia conscendit sempiterna. De quo et per Jacobum dicitur : Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua, dives autem in humilitate sua ; quia omnis qui adversa humiliter pro Domino suffert, sublimiter ab illo regni præmia percipiet. E contrario autem dives in humilitate sua glorietur : quod per ironiam dicitur ; quando gloriam suam, qua de divitiis

superbiebat, et pauperes despiciebat, aut etiam opprimebat, perpetua pœna finitam esse conspexerit. »

Moral. melior est peccator humilis, quam justus superbiens.

Mystice, cum totum hoc caput impetat et exagitet superbos et superbiam, hæc accipi possunt de paupere, sed humili; ac divite, sed superbo ob suas virtutes, bona opera et merita, *q. d.* Melior est peccator pœnitens qui pauper est meritis, sed dives humilitate, quam justus dives meritis, sed iis superbiens. Hoc est quod vulgo dicitur : « Melior est peccator humilis, quam justus superbus. » Nam ille humilitate in meritis crescet, hic superbia decrescet, imo a Deo desertus labetur in peccatum mortale, quo omnia merita perdet, fietque pauperrimus. Id ita liquet in parabola Publicani humilis et Pharisæi meritis superbi, quam recenset Christus *Lucæ* XVIII, 10 et seq. Publicanus enim confitens, dicensque : « Deus, propitius esto mihi peccatori, » meruit audire a Christo : « Dico vobis : Descendit hic justificatus in domum suam ab illo : quia omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur. » De quo S. Gregorius, lib. XIX *Moral.* XVII : « Pharisæus, inquit, gratias recte egit, sed perverse se super Publicanum extulit ; civitatem cordis sui extollendo prodidit, quam abstinendo et largiendo servavit. » Et paulo post : « Unde magnopere oportet et bona semper agere, et ab ipsis nos bonis operibus caute in cogitatione custodire, ne, si mentem elevent, bona non sint, quæ non auctori militant, sed elationi. Eleazar namque in prælio elephantem feriens stravit, sed sub ipso, quem exstinxit, occubuit. Quos ergo iste significat quem sua victoria oppressit, nisi eos qui vitia superant, sed sub ipsa quæ subjiciunt superbiendo succumbunt? Quasi enim sub hoste quem prosternit moritur, qui de culpa quam superat elevatur. »

Quocirca idem S. Gregorius lib. XXI *Moral.* cap. XXVI, sapienter docet eunti in cœlum imitandos esse viatores, qui non quantum viæ confecerint, sed quantum conficiendum restet semper considerant, et præ oculis habent. Hinc Christus detonat in Angelum Laodiceæ : « Dicis quod dives sum, et locupletatus, et nullius egeo, et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus, » *Apocal.* III, 16. Audi S. Chrysostomum hom. 5 *De Incomprehensibili Dei natura* : « Atque ut plenius intelligas quam sit bonum nihil magnum de se opinari, finge animo bigam duplicem, quarum sub altera virtus juncta sit cum superbia, sub altera peccatum cum humilitate. Videbis enim bigam illam peccati virtutem facile anteire, palmamque decursionis celerioris obtinere, non peccati pernicitate, sed conjugatæ humilitatis facultate; contra bigam alteram virtutis retardari et vinci, non imbecillitate virtutis, sed superbiæ mole ac pondere. Ut enim humilitas præ summa sua excellentia peccati superat pondus, atque in cœlum pervenit : sic superbia præ nimio suo pondere, ac intolerabili onere suæ molis prævalet, adeo ut etiam levissimam illam et supernam virtutem vincat, deorsumque versus facile detrahat. » Optatus Milevitanus, lib. II *Contra Parmen.*, non longe a fine : « Publicanus, ait, humilis, hominem se esse cognoscens, sic rogavit dicens : Propitius esto mihi peccatori; sic justificari meruit. Sic superbia in Pharisæo magistro vestro de templo damnata descendit. Meliora inventa sunt peccata cum humilitate, quam innocentia cum superbia. » Quocirca prudenter S. Bernardus serm. 13 *in Cantic.* : « Magna, inquit, et rara virtus profecto est, ut magna licet operantem, magnum te nescias, et manifestam omnibus tuam te solum latere sanctitatem. Mirabilem te apparere, et contemptibilem reputare, hoc ego ipsis virtutibus mirabilius judico. »

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Cap. præcedenti egit de superbia, nunc hoc capite agit de opposita illi virtute, scilicet humilitate et modestia. Primo igitur, a vers. 1 *usque ad* 11, *sex modestiæ modos et species assignat. Nam docet sapientem esse humilem et modestum in pulchritudine et statura, in vestitu, in honore, in judicio et vituperio, in responsione et loquela, in multis negotiis et opibus. Secundo, a vers.* 11 *usque ad* 31, *duos ad eam dat stimulos, scilicet primum, vers.* 10 *et seq., quod omnia sint Dei, qui cuique suam sortem bonam vel malam, divitias vel paupertatem, pro sua sapientia et beneplacito distribuit. Secundo, vers.* 20 *et seq., quod cuique instet mors, in quo Deus cuique pro meritis præmium rependet. Docet ergo non tam a labore hominis, quam a Dei manu et munere exspectandas esse divitias, æque ac paupertatem, sapientiam, scientiam, dilectionem cæteraque omnia, ac præsertim retributionem meritorum cujusque in hora mortis. Tertio, a vers.* 31 *usque ad finem, docet in domum non esse recipiendos hospites dolosos, superbos, malitiosos et alienigenas. Recitat magnam hujus capitis partem juxta Latinam Vulgatam, pene ad verbum Lucius Papa et Martyr,* epist. 1, *qui fuit coævus Origeni, vixitque sub Gallo et Volusiano Imper. anno Domini* 254. *Unde colligas quam antiqua et sincera sit Latina versio* Ecclesiastici. *Exstat inter Decretales Pontif.* tom. I.

1. Sapientia humiliati exaltabit caput illius, et in medio magnatorum consedere illum

faciet. 2. Non laudes virum in specie sua, neque spernas hominem in visu suo. 3. Brevis in volatilibus est apis, et initium, dulcoris habet fructus illius. 4. In vestitu ne glorieris unquam, nec in die honoris tui extollaris: quoniam mirabilia opera Altissimi solius, et gloriosa, et absconsa, et invisa opera illius. 5. Multi tyranni sederunt in throno, et insuspicabilis portavit diadema. 6. Multi potentes oppressi sunt valide, et gloriosi traditi sunt in manus alterorum. 7. Priusquam interroges, ne vituperes quemquam: et cum interrogaveris, corripe juste. 8. Priusquam audias, ne respondeas verbum: et in medio sermonum ne adjicias loqui. 9. De ea re, quæ te non molestat, ne certeris: et in judicio peccantium ne consistas. 10. Fili, ne in multis sint actus tui: et, si dives fueris, non eris immunis a delicto. Si enim secutus fueris, non apprehendes: et non effugies, si præcucurreris. 11. Est homo laborans, et festinans, et dolens impius, et tanto magis non abundabit. 12. Est homo marcidus, egens recuperatione, plus deficiens virtute, et abundans paupertate. 13. Et oculus Dei respexit illum in bono, et erexit eum ab humilitate ipsius, et exaltavit caput ejus: et mirati sunt in illo multi, et honoraverunt Deum. 14. Bona et mala, vita et mors, paupertas et honestas a Deo sunt. 15. Sapientia et disciplina, et scientia legis apud Deum. Dilectio, et viæ bonorum apud ipsum. 16. Error et tenebræ peccatoribus concreata sunt: qui autem exultant in malis, consenescunt in malo. 17. Datio Dei permanet justis, et profectus illius successus habebit in æternum. 18. Est qui locupletatur parce agendo, et hæc est pars mercedis illius. 19. In eo quod dicit: Inveni requiem mihi, et nunc manducabo de bonis meis solus: 20. et nescit quod tempus præteriet, et mors appropinquet, et relinquat omnia aliis, et morietur. 21. Sta in testamento tuo, et in illo colloquere, et in opere mandatorum tuorum veterasce. 22. Ne manseris in operibus peccatorum. Confide autem in Deo, et mane in loco tuo. 23. Facile est enim in oculis Dei subito honestare pauperem. 24. Benedictio Dei in mercedem justi festinat, et in hora veloci processus illius fructificat. 25. Ne dicas: Quid est mihi opus, et quæ erunt mihi ex hoc bona? 26. Ne dicas: Sufficiens mihi sum, et quid ex hoc pessimabor? 27. In die bonorum ne immemor sis malorum; et in die malorum ne immemor sis bonorum. 28. Quoniam facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas. 29. Malitia horæ oblivionem facit luxuriæ magnæ, et in fine hominis denudatio operum illius. 30. Ante mortem ne laudes hominem quemquam, quoniam in filiis suis agnoscitur vir. 31. Non omnem hominem inducas in domum tuam: multæ enim sunt insidiæ dolosi. 32. Sicut enim eructant præcordia fœtentium, et sicut perdix inducitur in caveam, et ut caprea in laqueum: sic et cor superborum, et sicut prospector videns casum proximi sui. 33. Bona enim in mala convertens insidiatur, et in electis imponet maculam. 34. A scintilla una augetur ignis, et ab uno doloso augetur sanguis: homo vero peccator sanguini insidiatur. 35. Attende tibi a pestifero, fabricat enim mala: ne forte inducat super te subsannationem in perpetuum. 36. Admitte ad te alienigenam, et subvertet te in turbine, et abalienabit te a tuis propriis.

PRIMA PARS CAPITIS.

DE HUMILITATE ET MODESTIA, CUJUS SEX MODOS ET SPECIES ASSIGNAT.

Vers. 1. 1. SAPIENTIA HUMILIATI EXALTABIT CAPUT ILLIUS, ET IN MEDIO MAGNATORUM CONSEDERE ILLUM FACIET.— Pro *humiliati* græce est ταπεινοῦ, id est humilis, quod tripliciter accipi potest: *primo* enim humi-

lis dicitur vilis et abjectus, qualis est pauper : ita Palacius ; *secundo*, qui ex virtute humilitatis se deprimit et humiliat : ita Lyranus et Hugo ; *tertio*, qui ab iis humiliatur et deprimitur. Ita Dionysius. Quilibet ergo humilis si sapiens sit, ac sapienter, id est, modeste et humiliter, sui abjectionem ferat, vel sponte capessat, certo speret sui exaltationem : nam « omnis qui se humiliat, exaltabitur. » Hæc enim est lex ab æterna Veritate sancita, tertio a Christo repetita et stabilita, nimirum *Matth.* XXIII, 12 ; *Lucæ* XIV, 11 ; *Lucæ* XVIII, 14. Unde clare et breviter Tigurina vertit : *Sapientia exaltat caput humilis, et eum inter proceres collocat.* Hoc non semper fit in hac vita, sed sæpe : uti videre est in electione Romanorum Pontificum, Episcoporum, Prælatorum, etc. Ad hæc enim munia eligendi sunt, et eliguntur non nobiles, non divites, sed sapientes, esto humili genere nati. In altera autem vita fiet omnibus humilibus, et semper, imo in æternum. Sic S. Franciscus merito humilitatis evectus est in cœlis ad summum Angelorum ordinem, collocatusque inter Seraphinos, uti revelavit Deus, teste S. Bonaventura in *Vita S. Francisci*. Syrus, *sapientia pauperis exaltabit caput ejus, et inter principes sedere faciet eum.* Ita sapientia exaltavit humiliatum in carcere Josephum, cum eum ad principatum Ægypti evexit ; Mosen profugum, cum eum ducem et liberatorem populi constituit ; Danielem, cum eum e lacu leonum ereptum Babyloni præfecit. Humilitas ergo est scala per quam ad sublimitatem ascendere oportet ; « quia hæc est via, et non est alia præter ipsam : qui aliter vadit, cadit potius quam ascendit ; quia sola est humilitas quæ exaltat, sola quæ ducit ad vitam, » ait S. Bernardus serm. 2 *De Ascens.*

Exemplum memorabile et appositum est in Vita B. Alcuini, sive Albini Flacci, præceptoris Caroli Magni, quæ operibus ejusdem præfigitur : Carolus Magnus, inquit, orationis gratia unaque desideratæ collocutionis mutuæ cum Albino, sepulcrum S. Martini suis cum filiis Carolo, Pipino ac Ludovico, visitare studuit. Quo in loco tenens manum Albini, ait secrete : « Domine magister, quem de his filiis meis videtur tibi in isto honore, quem, indigno quanquam, dedit mihi Deus, habere me successorem ? » At ille vultum in Ludovicum dirigens, novissimum illorum, sed humilitate clarissimum, ob quam a multis despicabilis notabatur, ait : « Habebis Ludovicum humilem, successorem eximium. » Hoc tunc solus audivit Carolus ; sed cum eosdem reges erecta cervice, et Ludovicum humili orationis gratia in ecclesiam S. Stephani postea incedere cerneret, sedens in loco, quo sepeliri volebat, inquit sibi assistentibus : « Cernitis Ludovicum fratribus suis humiliorem ? Certe videbitis hunc patris celsissimum successorem. » Nec non cum, paulo post, communionem corporis Christi et sanguinis manu propria eis misceret, idem Ludovicus humilitate clarissimus, præ omnibus patri sancto inclinans, ejus osculatus est manum. Tunc vir Domini assistenti sibi ait Sigulfo : « Omnis qui se exaltat, humiliabitur ; et qui se humiliat, exaltabitur : certe istum post patrem Francia gaudebit habere Imperatorem. » Hoc nos jam factum et videmus et gaudemus. Depositi sunt qui videbantur cedri, et exaltata est oliva fructificans in domo Domini. Hucusque auctor Vitæ.

Simile, sed terribile extat apud B. Petrum Damianum epist. 14 *ad Desiderium Abbatem*, cap. VI, ubi narrat clericum blasphemum dicentem in se falsam exstitisse illam Christi sententiam : « Omnis qui se exaltat, humiliabitur. » Nam si ego, inquit, me meis adversariis humiliter inclinassem, hodie tot possessionum et clientum copiam non haberem ; clericum, inquam, hoc dicentem, in prælio cœlitus ense fulgureo fuisse transfixum.

Sola humilitas exaltat.

Alludit et quasi citat illud Salomonis : « Gloriam præcedit humilitas, » *Proverb.* XV, 33. Ratio est, quam idem dat cap. II, 2 : « Ubi fuerit superbia, ibi et contumelia ; ubi autem humilitas, ibi et sapientia. » Sapientia autem exaltat et glorificat. Unde idem, cap. XXIX, 23 : « Superbiam, inquit, sequitur humilitas, et humilem spiritu suscipiet gloria. » Nam, ut ait S. Chrysostomus homil. 15 *in Matth.* : « Sicut superbia omnium fons malorum est, ita humilitas cunctarum origo virtutum. »

Hanc gnomen apposite citavit R. Simeon ; invitatus enim ab Alexandro rege Judæorum ad convivium, ab eoque collocatus inter se et reginam, cum rex ei diceret : « En quantum te Pharisæum honoro ; » respondit : « Jure et merito id facis ; nam lex dicit : Sapientia humiliati exaltabit caput illius, et in medio magnatorum consedere faciet illum. » De quo plura in additione ad Ben-Sira in fine libri.

Gnomæ sapientum.

Idipsum a Salomone, Siracide et Hebræis dicerunt Gentium sapientes. Arabum proverbium exstat *Cent.* 1, num. 30 : « Esto in pueritia tua humilis, ut sis in senectute tua exaltatus. » E Græcis Plato, lib. V *De Republ.*, censuit, « reges non esse creandos, nisi philosophos, » puta ethicos et modestos. E Romanis Seneca in *Proverbiis* hæc habet : « Vis omnibus esse notus ? prius effice ut neminem noveris. Vis habere magnum honorem ? dabo tibi magnum imperium : Impera tibi. Si vis beatus esse, cogita hoc, primum contemnere, et contemni. » Mystice Rabanus : « Sapientia humiliati est fides Christi, quæ per dilectionem operatur. Hæc non philosophiam humanam, nec jactantiam vanam hujus mundi sectatur ; sed mansuetudinem et modestiam semper sui domini imitatur, qui dixit : Discite a me quia mitis sum, et humilis corde. Unde fiet quod subjungitur : Et invenietis requiem animabus vestris. Possessores enim suos in medio magnatorum consedere faciet, quando eos cum Patriarchis et Prophetis, cum Apostolis et Martyribus, et cæteris Sanctis regni cœlestis tribuet esse participes. »

Vers. 2. Ex specie noli judicare : cur?

2. NON LAUDES VIRUM IN SPECIE (Græce ἐν κάλλει, id est, in forma et pulchritudine) SUA, NEQUE SPERNAS HOMINEM IN VISU SUO, — id est, ob aspectum suum, ob aspectabilem et despicabilem ejus formam, si videlicet deformis sit, pusillus, contractus, gibbosus. Est Hebraismus, et Hebraica metonymia : ponitur enim potentia pro objecto, puta visus vel aspectus pro re visa et aspectabili. Tigurina, *ne laudes virum de pulchritudine sua, nec quemquam ob formam suam vituperes;* Syrus, *ne laudaveris hominem qui speciosus est in aspectu suo, et ne contumelia afficias hominem qui vilis est in aspectu suo.* « Prohibet, ait Rabanus, ne quis juxta speciem corporis æstimet qualitatem mentis, quia sicut divisa est natura animæ et corporis, ita et dignitas eorum est diversa : nec consequens est ut quantitatem staturæ sequatur modus sapientiæ. »

Causa prima.

Causa est *prima,* quod forma et pulchritudo sit quid femineum, ac proinde viro sapienti spernendum. Unde physici docent feminam et formam insignem produci, si viri semen in lævam, id est femineam, uteri muliebris partem inciderit; quod si secus contingat, marem produci. Notat Lactantius, lib. *De Opificio Dei,* cap. XII, « illum aliquid in se habere femineum supra quam decus virile patiatur, vel formam insignem, vel nimium candorem, vel corporis lævitatem, vel artus delicatos, vel staturam brevem, vel vocem gracilem, vel animum imbecillem, vel ex his plura. » Ac paulo post subdit de maribus qui minus sunt pulchri, quam feminæ : « Sed plus roboris maribus attributum est. Vir itaque est nominatus, quod major in eo vis est quam in femina, et hinc virtus nomen accipit. Item mulier, ut Varro interpretatur, a mollitie est dicta velut mollior.

Quærit S. Ambrosius lib. *De Institut. virginis,* cap. III, cur, « cum Deus, *Genes.* I, omnia opera sua laudarit, cœlum, terram, maria, noctem et diem, quod ista proficerent ad usum laboris, illa ad fructum quietis; laudaverit et feras bestias; ubi ad hominem ventum est, solus non videtur esse laudatus, propter quem omnia generata sunt? Quæ igitur causa est, nisi forte ea, quia alia in specie sunt, homo in occulto? Nihil in bestiis plus reperias, quam quod videtur : in homine nihil est inferius, quam quod videtur; qui cum ex animo constet et corpore, hoc utique in eo servit quod videtur; illud autem in eo regit, quod non videtur. Merito ergo alia in exordio laudantur, istius laudatio non promitur, sed reservatur; quia aliorum gratia foris, hujus intus est : aliorum in nativitate, hujus in corde. Quid enim tam altum et tam profundum, quam mens hominis, quæ quasi involucro quodam corporis tegitur et occultatur, ut eam haud facile quisquam introspicere et speculari queat? Ideo ergo homo non ante laudatur, quia non in forensi pelle, sed interiore homine ante probandus, sic prædicandus est : quem præclare definivit Apostolus Petrus, dicens, absconditum esse cordis hominem in incorruptione quieti et modesti spiritus, qui est ante Deum locuples. Et paulo inferius : Quid autem locupletius quam quod ad imaginem Dei est, ac similitudinem? Ad imaginem autem interior est homo, non iste exterior : ille qui sensu æstimatur, non qui oculis comprehenditur. Ille ergo nobis spectandus est, qui serius investigatur. Ideo Deus non putavit hominis fabricam esse laudandam, quia major ejus virtute est portio. Præclara quidem species, et præstantior cæteris animantibus : sed irrationabilia specie corporis æstimentur; ea autem quæ rationis plena sunt, communem laudem sequestrent. Homo igitur mihi non tam vultu, quam affectu admirandus emineat atque excellat. »

Secunda, quod Deus et natura ita partiantur sua dona, ut cui dant dotem unam, negent alteram; et cui negant unam, donent alteram. Unde feminis dedit pulchritudinem, negavit vigorem mentis et sapientiæ, quam dedit viris qui minus habent pulchritudinis. Sic Cato ait : Secunda.

Ingenio pollet cui vim natura negavit.

Cicero : « Valentissimo quisque corpore longissime abest a sapientia. »

Moral. de vanitate pulchritudinis.

Forma ergo et pulchritudo est exile et femineum bonum, ideoque caducum et despiciendum : « Est nimirum, ait Tiraquellus lib. II *Connub.* num. 19, forma res caduca, evanida, fugax, decidua, velox, fluxa, rapida, eodem pene momento virescens et arescens; non secus ac flosculi, quorum vita dialis, qui matutino tempore pulcherrimi, ante vesperum evanescunt, magna (ut scribit Plinius lib. XXI, cap. I) hominum admonitione, quæ spectatissime floreant, celerrime marcescere : quasi intelligeret Plinius formam eo celerius ociusve elabi, quo magis conspicua est. Galenus in *Exhortatione ad bonas artes* eos laudat, qui judicant formam vernis floribus esse similem, ut qui brevem voluptatem habent; simulque laudat Lesbiæ dictum : Nam qui formosus est, tantisper est, dum videtur. Fallax, ait ille omnium sapientissimus, *Proverb.* cap. ult., gratia, et vana est pulchritudo. »

Virgilius, vel quisquis est auctor in carmine *De Rosa,* sic canit :

Collige, virgo, rosas, dum flos novus et nova pubes;
Et memor esto ævum sic properare tuum.

Et Ovidius lib. II *De Arte amandi :*

Forma bonum fragile est, quantumque accedit ad annos,
Fit minor, et spatio carpitur illa suo.
Nec semper violæ, nec semper lilia florent,
Et riget amissa spina relicta rosa.

Philo Judæus, qui in nostra et Græcorum philosophia facile cæteros antecellit, in eo libro quem de Providentia scripsit : « Formositate, inquit, corporis se jactare mentis compos nemo poterit,

quæ brevi adeo exstinguitur tempore, ut, antequam florescat, defloruisse videatur. » Quod et usurpavit Eusebius lib. *De Evangel. præparat.* VIII, cap. v. Crispus quoque Sallustius, Romana ille primus in historia, de bello Jugurthino, in eamdem fere sententiam hæc prodidit : « Igitur præclara facies, magnæ divitiæ, visque corporis, et omnia alia hujuscemodi brevi dilabuntur. » Et alibi : « Dignitas formæ aut morbo, aut ætate defloresciť. » Et iterum in *Catilinaria* : « Formæ, inquit, gloria fluxa atque fragilis est. » Plutarchus in lib. *De Liberis educandis* : « Forma præcipuum est quoddam bonum, at caducum parvoque durans tempore. » Socrates autem apud Laertium, in *Vita Aristotelis*, formam appellabat ὀλιγοχρόνιον τυραννίδα, hoc est, *exigui temporis tyrannidem*, « quod scilicet ejus gratia mox deflorescerat. » Domitianus apud Suetonium dicebat, « nihil brevius esse decore. » Apuleius Platonicorum eruditissimus, et, ut censet S. Augustinus, eloquentissimus, in *Deo Socratis*, significare volens nihil esse brevius forma, scribit : « Formosus est, expecta paulisper, et non erit. » Boetius, lib. III *De Consolat. philosophiæ* : « Formæ nitor rapidus et velox, et vernalium florum velocitate fugacior. » Sed Theophrastus, teste Laertio in *Vita Aristotelis*, aiebat, « formam esse silentem fraudem, » quod sine verbis persuadeat res illicitas et noxias. Et Carneades dicebat, « formam esse regnum sine satellitio, » quod formosi sua vi impetrent quidquid volunt.

Tertia. *Tertia*, quod vis unita fortior sit se ipsa divisa : quocirca anima vim suam uniens in parvo corpore, vegetior et potentior est quam in magno, ubi eam in vasta membra dividit et dispergit. Hinc videmus parvos esse magnanimos, acres, ingeniosos, juxta illud :

Major in exiguo regnavit corpore virtus.

Ex adverso de valde magno subinde dicitur :

Nulla in tam vasto corpore mica salis.

Ita Clemens Alexandrinus, orat. *ad Gentes*, Herculem fortissimum heroem asserit fuisse parvum. Sic enim eum depingit : « Hieronymus Philosophus ipsius (Herculis) corporis narrat habitum parvum, crispo capillo, bona firmaque valetudine. Dicæarchus autem gracilem, nervosum, nigrum, naso aquilino, oculis sublatis, fusco capillo. » Gellius tamen asserit Herculem corpore

Apologus culicis. fuisse procero. Huc facit apologus culicis et leonis apud Æsopum. Culex, inquit, ad leonem accedens ait : Neque timeo te, neque fortior es me. Nam quod tibi est robur, quod laceras unguibus, et mordes dentibus, hoc et femina cum viro pugnans facit. Ego vero longe sum te fortior; si vero vis, veniamus ad pugnam : et cum tuba cecinisset, culex inhæsit mordens circa nares ipsius læves genas : leo autem propriis unguibus dilaniavit seipsum, donec indignatus est. Culex autem, victo leone, cum sonuisset tuba, et epinicium cecinisset, evolavit; araneæ vero vinculo implicitus, cum devoraretur, lamentabatur, quod cum maximis pugnans, a vili animali, aranea, occideretur. Affabulatio : Fabula dicitur in eos qui prosternunt magnos, et a parvis prosternuntur. Hinc manavit proverbium Arabum, *Cent.* 2, num. 24 : « Ne despicias debilem in conversatione ejus; nam culex fodit oculum leonis. » Sic enim leones in Mesopotamia mire infestari a culicibus testatur Strabo lib. XVI, et Marcellinus lib. XVIII.

Idipsum apologo leonis et vulpis repræsentat Cyrillus lib. I *Apologorum moral.* cap. XVIII, cujus titulus, *Neminem spernas, sed unicuique debitum honorem exhibeas* : « Cum leo, inquit, ac vulpes roboris ac fraudis inita societate ad quærendum pabulum exissent, mus ipsis occurrit; quem leo quidem facie curiali respiciens, cauda deposita, humiliter salutavit; vulpes vero, collo recto, et cauda sursum elata, subsannando derisit. At musculus astutus honorem in honorantem gratus refundens, dissimulatione vultus, non immemor injuriæ, vulpem pertransiit. Postquam deinde illi gravi famis ardore pressi, hinc inde per saltus pabulum quærentes oberrarent, accidit ut in laqueos absconditos pede minus provido pariter inciderent. Hujus ergo rei eventum cum mus intellexisset, statim accurrit, et leoninæ salutationis ac vulpinæ derisionis memor, laqueis leonis corrosis eum liberavit : at vulpi gestu humili, et contuitu deprecativo similem opem imploranti, subsannando respondit : Quid me aspicis, quam nuper despexisti inflata, et superbiens derisisti? Addiditque : O vulpes, callida quidem es, sed prudentia cares; nesciebas scilicet rebus etiam minimis vim aliquam a natura esse inditam. Quamobrem nihil est a sapiente spernendum, quoniam unaquæque res habet suum loco et tempore momentum; neque tam attendendum est ad exiguitatem molis, quam ad quantitatem virtutis. Plurima namque parvitate molis exigua, grandi-

Parvos non esse spernendos.

tate virtutis sunt maxima. » Probat deinde idipsum inductione gemmarum, pupillæ, acus, araneæ, pulicis, dicens : « Sic cæteris virtuosiores sunt lapides minores, et rerum ingentium res parvæ sunt seminales. Quid in membris pupilla minus. Qua tamen nihil carius. Et navis salus aliquando ab exiguo clavo dependet, potius quam ab ingenti malo : quippe si pannus ex vellere adornatur, sine acu tamen non induitur. Quid plura? Aranea parva virum necat, et pulex infestissimus hunc tormentat. Neminem igitur spernas, quoniam unusquisque prodesse valet; neque parum est, si non nocet. » Unde epimythium, sive finem et fructum fabulæ assignans, concludit : « Suum cuilibet honorem impendas. Quid enim honor aliud est, quam unicus actus omnium virtutum? Hic enim est prudentia, cum intenditur, cui, quando, ubi, quomodo tribuatur; justitia vero, cum non justo minus impenditur; magnanimitas, cum non debito amplius

Exempla.

Honor est actus omnium virtutum.

datur; temperantia, cum modeste defertur : nam extra modum honorare, illudere est. Quo dicto superbam irretitam dimisit. » Hinc et Cato in *Distichis* :

Corporis exigui, *inquit*, vires contemnere noli :
Ingenio pollet, cui vim natura negavit.

Denique Deus elegit parva et abjecta, « quia elegit infirma mundi, ut confundat fortia; et ignobilia et contemptibilia mundi, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt, destrueret, ut non glorietur in conspectu ejus omnis caro, » ait S. Paulus I *Corinth.* I, 28. Ita elegit pauperes et rudes Apostolos; ita elegit Davidem minimum natu inter fratres, ut esset rex Israelis, abdicato magno Saule, de quo ait Deus ad Samuelem, qui volebat Eliab primogenitum Jesse in regem ungere : « Ne respicias vultum ejus, neque altitudinem staturæ ejus; quoniam abjeci eum, nec juxta intuitum hominis ego judico; homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor, » I *Regum*, cap. XVI, vers. 7. Est hæc prima species sapientis modestiæ et humilitatis, circa speciem, staturam et formam externam. Dices : Galenus, lib. II *De Temper.* cap. VI, asserit naturam membra componere, prout moribus animæ convenit. Et Aspasius : Fieri inquit, vix potest ut omnino deformis bonus sit. Nam, ut ait S. Ambrosius lib. II *De Virginitate* : « Species corporis simulacrum est mentis, figuraque probitatis. » Resp. S. Ambrosius loquitur de honesta, modesta et gravi compositione corporis, quæ a virtute procedit, non a naturali forma; hanc autem habere potest is qui corpore minus est speciosus et pulcher. Galenus generatim loquitur. Aspasius et similes agunt de plane deformi, id est, distorto, manco, mutilo, etc. In his enim subinde anima est distorta vel manca. Unde Martialis, lib. XII :

Mens formosa in deformi corpore.

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine luscus,
Rem magnam præstas, Zoile, si bonus es.

Trita est vox, sed a vulgo : « Cave a signatis. » Et Pallados in claudum, lib. II :

Clauda tibi mens est ut pes, natura notasque
Exterior certas interioris habet.

Etsi enim hæc a Satyricis satyrice dicta sint, tamen reipsa subinde vera sunt, non tamen semper. At vero cum rectum integrumque est corpus, parum ad sapientiam et virtutem facit ejus species, puta elegantia, color, venustas, proceritas, etc. Unde Euripides :

Animus spectandus est : nihil pulchritudo
Juvat, cum quis mentem non bonam habet.

Et alibi :

Deformis sim potius, quam pulcher et malus.

Ita deformes fuere Æsopus, Hipponax, Socrates, Crates, Gellius, Agesilaus, Aristoteles parvus, gibbosus, deformis, balbutiensque, etc., qui tamen sapientia et virtute excelluere. Ita S. Paulus, S. Chrysostomus, S. Gregorius Nazianzenus, S. Hieronymus statura fuere parvi, uti ostendi *Zachar.* IV, 10, et tamen lumina Ecclesiæ.

Siracides per *speciem* maxime accipit parvitatem vel proceritatem; ob illam enim neminem esse despiciendum, nec ob hanc suspiciendum; sed in procero corpore posse esse animos exiles, et in parvo sublimes, docet exemplo apis, quæ, ut ille ait, « cum sit minima corporis parvitate, ingentes animos angusto versat in pectore. » Et S. Chrysostomus in *Psalm.* L : « Ape, inquit, quid abjectius, et quid pavone pulchrius? uter autem præstantior? Apis an pavo? non dubium quin apis. Pavonem de medio tolle, et nihil detrimenti attuleris. Apem de medio tolle, et ingens utilitas adempta erit. » Nam, ut ait Varro lib. III *De Re rustica*, cap. XVI, ab apibus tria discimus : « Ab his, inquit opus facere discunt, ab his ædificare, ab his cibaria condere. Tria enim harum, cibus, domus, opus; neque idem quod cibus cera, nec quod ea mel, nec quod mel domus. » Hinc apis Hebr. dicitur דבורה *debora*, vel a bombo quem edit, vel potius ab artificio et præstantia operis quod facit, puta a mellificio : דבר *dabar* enim et loqui, et metonymice operari significat. De api ergo subjicit Siracides :

Vers. 3. 3. BREVIS IN VOLATILIBUS EST APIS, ET INITIUM DULCORIS HABET FRUCTUS ILLIUS. — « Brevis, » Græce μικρά, id est *parva*. « Initium, » Græce ἀρχή, id est, *principatus dulcorum*, ut vertit Complutensis, *q. d.* Parva est apis, et tamen fructus ejus, puta mel quod conficit, principatum tenet dulcoris, primas obtinet in dulcedine. « Quid enim melle dulcius? » *Judic* XIV. Rursum est *initium*, id est fons, origo et causa dulcedinis. Saccharum enim dulce quidem est, sed mellis dulcedinem non vincit. Adde saccharum esse arte factum, mel vero est naturale; natura autem arti et rebus arte factis præpollet. Sic *initium* vel *principium* sæpe sumitur pro præcipuo et principatu, imo origine et causa cæterorum, uti superius dixi, et *Jacobi* I, 18.

Probat hominem sapientem non esse judicandum et spernendum ex parvitate, difformitate, vilique forma, et specie externa, per exemplum, imo typum et figuram apis. Apis enim esto corpore sit parva, specie horrida, aculeo noxia; tamen volatilium, imo animalium, est sapientissima, ac producit mel, quod primas tenet inter dulcia, adeoque quoslibet cibos licet amaros dulcorat, et sapidos efficit. Est enim mel succus dulcissimus, subtilissimus et saluberrimus, ait Plinius lib. XI, cap. V. Unde mel est typus sapientiæ, quæ omnia dulcorat et sapida efficit : ac proinde, sicut mel est in ape parva et vili, sic sapientia sæpe abscondita est in corpore parvo, deformi et vili, uti accidit in Socrate, Diogene, Aristotele aliisque jam recensitis. « Sicut apis, inquit Rabanus, aculeo pungit, et opera mellis conficit : sic et in brevi corpusculo sæpe inge-

niosa inhabitat anima, quæ et acumine viget, et in doctrina sua novit proferre suavitatem sapientiæ. »

Hinc Syrus addit τὸ causale *quia*: *Ne*, inquit, *contumelia afficias hominem, qui vilis est in aspectu suo; quia contemptibilis est in avibus apis, et superior bonitate cæterorum fructuum est fructus ejus;* Tigurina : *Parva quidem inter volucres apis est, sed fructus ejus est origo dulcium.*

Apis symbolum sapientiæ ethicæ.

Moraliter, apis symbolum est sapientiæ et prudentiæ, tum ethicæ, tum œconomicæ, tum politicæ : ethicæ, quia seipsam mira solertia, quin et aculeo tuetur ; et quia mel, quod est suavissimum, conficit, eoque æque ac thymo, et herbis ac floribus delicatissimis se pascit. Unde Virgilius lib. II *Georg.* de apibus inter multa sic canit :

Aliæ purissima mella
Stipant, et liquido distendunt nectare cellas :
Fervet opus, rodolentque thymo fragrantia mella.

Apem ergo imitetur homo, ut non nisi rebus optimis et divinis mentem pascat ; mentem, inquam, tum suam, tum proximorum, uti faciebat S. Cæcilia, de qua canit Ecclesia : « Cæcilia tibi, Domine, quasi apis argumentosa (id est operosa, sedula, industria) deservit, » quia maritum Valerianum, ejusque fratrem Tiburtium, ac insuper alios quadringentos suo zelo et suaviloquentia ad Christum convertit. Ita Severus Sulpitius scribens ad S. Augustinum (est epistola 37 inter epistolas S. Augustini) eum vocat apem : « O vere, ait, artificiosa apis, Dei construens favos, divini nectaris plenos, manantes misericordiam et veritatem; per quos discurrens deliciatur anima mea, et vitali pastu quidquid in se minus invenit, aut imbecillum sentit, resarcire et suffulcire molitur. » Sic in S. Ambrosii, dum infans esset, ore insederunt apes, ut futuram ejus melleam eloquentiam portenderent. Idem evenisse S. Dominico memorant nonnulli. Idem contigit Pindaro : Pindarus, ait Eusebius in *Chron.*, et alii, floruit olympiade LXXVI, sub tempora Xerxis, Lyricorum princeps ; unde a Poetis Dircæus cycnus appellatus est. Pindaro, cum infans esset in cunis, apis in ore ejus tanquam in alveari mella et favos deposuit, ut innueret ipsum fore portentum suaviloquentiæ. Nam mel, ait Plinius lib. XI, cap. XII, « sive cœli est sudor, sive quædam siderum saliva, sive purgantis se aeris succus purus et liquidus, etc., magnam cœlestis naturæ voluptatem affert. » Similiter apes, inquit Plinius cap. XVII, « sedere in ore infantis Platonis, tum etiam suavitatem illius prædulcis eloquii portendentes. » Denique Sophocles poeta ob linguæ dulcedinem et sermonis vim dictus est *Apis Atheniensis*, ait ex Suida Volaterranus, lib. XIX.

Apem ergo imitentur singuli, præsertim virgines. Audiant S. Ambrosium, lib. I *De Virginibus:* « Favum, inquit, mellis tua opera componant. Digna enim virginitas quæ apibus comparetur : sic laboriosa, sic pudica, sic continens. Rore pascitur apis, nescit concubitus, mella componit. Ros quoque virgineus est sermo divinus, quia, sicut ros, verba Dei descendunt. Pudor virginis est intemerata natura ; partus virginis, fœtus labiorum, expers amaritudinis, fertilis suavitatis ; in commune labor, communis est fructus. Quam te velim, filia, imitatricem esse hujus apiculæ, cui cibus flos est, ore soboles legitur, ore componitur! Hanc imitare, tu filia : verba tua nullum doli velamen obtendant, nullum habeant fraudis involucrum, ut et puritatem habeant, et gravitatis plena sint. »

OEconomicæ.

OEconomicæ, quia apes mira industria suas cellas quasi domos conficiunt, melle et cera implent, conservant et regunt ; unde apes agricolis præcipui sunt questus, ait Plinius lib. XI, cap. V. Idem, cap. VI : « Apes, inquit, primum favos construunt, ceram fingunt, id est domos cellasque faciunt ; deinde sobolem, postea mella, ceram ex floribus, melliginem e lacrymis arborum quæ glutinum pariunt, salicis, ulmi, arundinis, succo gummi, resina. His primum alveum ipsum intus totum, ut quodam tectorio, illinunt, et aliis amarioribus succis contra aliarum bestiolarum aviditates, id se facturas consciæ, quod concupisci possit. His deinde fores quoque latiores circumstruuntur. » Porro « sexangulæ omnes cellæ, a singulorum eæ pedum opere, » ait idem cap. XI. Quocirca Aristoteles lib. II *Metaphys.*: « Apes et canes, inquit, sunt prudentiores cæteris animalibus brutis. » Audi S. Chrysostomum in *Psalm.* CX : « Diligentiam, ait, et laborem discet a formica ; ab ape autem honesti amorem, societatemque, et inter se communionem, sicut dicit proverbium : Vade ad formicam, o piger, et imitare vias ejus, et sis illa sapientior. Cum enim illi non sit ager quem colat, nec habeat qui eam cogat, nec sit in potestate domini, parat æstate alimentum, et in tempore messis magnum facit acervum. Vel vade ad apem, et disce quod sit operaria, cujus labores reges et privati ad sanitatem offerunt. Atqui licet sit imbecilla viribus, et quæ sapientiam honorarit, provecta est : ipsa enim apis rursus tecum aget, ne nequidquam pulchritudinem corporum admireris, quando non adsit virtus animæ ; nec deformitatem vilipendas, quando fuerit pulchre ornatus animus. Quod ipsum quoque significans dicebat Parœmiastes : Parva in volucribus apis, et dulcedinum principium fructus ejus. »

Politicæ.

Politicæ, quia apes rempublicam habent mire ordinatam, concilia, duces, leges, mores, ait Plinius, lib. XI, cap. V : «Consumptis in proximo floribus, speculatores ad pabula ulteriora mittunt. Noctu deprehensæ in expeditione, excubant supinæ, ut alas a rore protegant, » ait Plinius, ibid. cap. VIII. Idem, cap. X : «Ratio operis, ait, mira: interdiu statio ad portas more castrorum ; noctu quies in matutinum, donec una excitet gemino

aut triplici bombo, ut buccino aliquo. Tunc universæ provolant, si dies mitis futurus est. Prædivinant enim ventos imbresque, et tunc se continent tectis. Itaque temperie cœli (et hoc inter præscita habent) cum agmen ad opera processit, aliæ flores aggerunt pedibus, aliæ aquam ore, guttasque lanugine totius corporis: quibus est earum adolescentia, ad opera exeunt et supradicta convehunt; seniores intus operantur. Quæ flores comportant, prioribus pedibus femina onerant, propter id natura scabra, pedes priores rostro; totæque onustæ remeant sarcina pandatæ. Excipiunt eas ternæ aut quaternæ, atque exonerant; sunt enim intus quoque officia divisa. Aliæ struunt, aliæ poliunt, aliæ suggerunt, aliæ cibum comparant ex eo quod allatum est. Neque enim separatim vescuntur, ne inæqualitas operis et cibi fiat et temporis. Struunt orsa ea concameratione alvei, textumque vel usque ad summa tecta deducunt, limitibus binis circa singulos arcus, ut aliis intrent, aliis exeant. »

Subdit cap. XI, apes fucos, id est, apes pigras et otiosas, expellere ac trucidare. Additque cap. XVII: « Rex apum vel non habet aculeum, vel si habet, eo non utitur, majestate tantum armatus, mira plebeii circa eum obedientia. » Et cap. X: « Mira observatio operis. Cessantium inertiam notant, castigant mox, et puniunt morte. Mira munditia: amolliuntur omnia e medio, nullæque inter opera spurcitiæ jacent. Quin et excrementa operantium intus, ne longius recedant, unum congesta in locum, turbidis diebus, et operis otio, egerunt. Cum advesperascit, in alveo strepunt minus ac mirus, donec una circumvolet eodem, quo excitavit, bombo, ceu quietem capere imperans; et hoc castrorum more. Tunc repente omnes conticescunt. » Rursum, cap. XVII: « Cum procedit (rex), una est totum examen, circaque eum conglobatur, cingit, protegit, cerni non patitur. Reliquo tempore cum populus in labore est, ipse opera intus circuit, similis exhortanti, solus immunis. Circa eum satellites quidam lictoresque, assidui custodes auctoritatis. Procedit foras, non nisi migraturo examine. Id multo intelligitur ante, aliquot diebus murmure intus strepente, apparatus indice, diem tempestivum eligentium. Si quis alam ei detruncet, non fugiet examen. Cum processere, se quæque proximam illi cupit esse, et in officio conspici gaudet. Fessum humeris sublevant, validius fatigatum ex toto portant. Si qua fassata deficit, aut forte aberravit, odore persequitur. Ubicumque ille consedit, ibi cunctarum castra sunt. » Et mox: « Duce prehenso, totum tenetur agmen; amisso dilabitur, migratque ad alios: esse utique sine rege non possunt; invitæ autem interimunt eos, cum plures fuere. » Denique asserit regem unius alvearis contra regem alterius, ubi de pascuis et floribus lis est, aciem instruere, ac ingenti rixa dimicare: « Quæ dimicatio injecto pulveris aut fumo tota disentitur. Reconciliantur vero lacte vel aqua mulsa. » Tandem cap. XX: « Vita, ait, apibus longissima, septenis annis universa. » Quocirca Virgilius et alii censent apibus vim quamdam divinam, et quasi quid numinis inesse; sic enim canit Virgilius, IV *Georg.*:

> **Esse apibus partem divinæ mentis, et haustus Æthereos dixere.**

Apes ergo imitentur universi homines etiam principes, præsertim sapientes et Religiosi. Unde recte Abbas ille in *Vitis Patrum*: « Sicut, inquit, apis ubique mel operatur, sic monachus ubique bonum opus. » Et Abbas Ampo lib. VII, cap. XXXII: « Sicut apis, inquit, quocumque vadit, mel operatur: ita et monachus quocumque pergit, si propter opus Dei perrexerit, dulcedinem bonorum actuum potest afferre. »

Ex ape ergo parva, et quoad speciem vili, docet Siracides, neminem ob parvitatem vel deformitatem debere contemni. Audi lepidam sed eruditam hac de re epistolam S. Gregorii Nazianzeni, num. 155, ad Nicobulum, qua eum redarguit, quod Alypianam filiam S. Gorgoniæ sororis suæ, ipsius vero conjugem, ob parvitatem et curvitatem despiceret: « Alypianam apud nos cavillis incessis ut parvam, ac tua proceritate indignam, o magne et vaste, ac gigantine tum forma, tum robore. Nunc demum intellexi, animum mensuræ subjici, et virtutem expendi, ac rupes margaritis præstantiores esse, corvosque lusciniis augustiores. Tu vero magnitudine tua et cubitis fruere, nec Aloïdis illis ullo modo inferiorem te præbe. Equum enim ducis, et hastam vibras, et feræ tibi curæ sunt: ipsa autem nil operis patrat, nec magni operis est radium ferre, et cœlum tenere, ac telæ assidere; id enim feminarum decus est. Quod si hoc quoque adjicias, eam orationis causa humi curvam esse, ac per ingentes mentis agitationes perpetuam cum Deo consuetudinem habere; quid hic de tua sublimitate, corporisque mensura te jactabis? Vide tempestivum silentium; loquentem audi, quam incompta sit; animadverte, quam sit femina fortis ac strenua, quas rei domesticæ utilitates afferat, quam viri amans sit. Ac tum illud Laconis dices: Certe animus in mensuram minime cadit, atque externum hominem oculos in internum conjectos habere oportet. Si hæc ad hunc modum consideres, jocari desines, eamque ut parvam deridere, tuumque conjugium faustum ac felix judicabis. » Vide quæ de nomine et forma S. Pauli, id est parvi, dixi *Rom.* I, 1, et *Zachariæ* IV, 10, ad illa verba: « Quis enim despexit dies parvos? » et *Deuter.* III, 11, de Og gigantis magnitudine. Vide et præfationem in Minores Prophetas. De symbolis et significatione apum vide Pierium *Hieroglyphico* 26.

Memorabile est quod in Vita S. Gregorii Turonensis Episcopi ad diem 17 novembris legimus, eum visitantem limina Apostolorum a S. Gregorio Magno tum Romano Pontifice introductum

in basilicam S. Petri, ac Pontificem secretam Dei dispensationem admiratum fuisse, quod in hominem adeo parvum brevisque staturæ tanta cœlitus gratia profluxisset; quod cum ille divinitus persensisset, placido vultu Pontificem respiciens: « Dominus, inquit, fecit nos, et non ipsi nos; idem in parvis, qui et in magnis. » Cumque id suæ cogitationi S. Pontifex responderi cognosceret, magis eum venerari cœpit, eumque aurea cathedra donavit, quæ etiamnum a Turonensibus religiose asservatur. Idem nuper noster Bellarminus, et ipse parvus, sed bene auritus, cuidam id merenti respondit.

Huic de apibus simile est proverbium Arabum de culicibus, *Centur.* 2, num. 24 : « Ne despicias debilem in conversatione ejus: nam culex fodit oculum leonis; » quod petitum est ex historia. Nam a culicibus in Mesopotamia mire infestari leones, e Marcellino lib. XVIII, et Strabone lib. XVI, supra ostendi. Et illud Hebr. in *Gemara*, cap. I in *Hagiga* : « Granum piperis præstat canistro cucurbitarum; » quod Nathan Justus edisseruit de quodam doctore, qui inter cæteros doctores minimus erat et acutissimus. Citat illud Angelus Caninius in lib. *De Locis Novi Testam.*, et sic explicat : « Pluris est unus sapiens, quam omnes stulti. » Et illud R. Josæ Babylonii : « Ne specta cantharum, sed id quod in eo est: nam interdum cantharus novus refertus est vino veteri, interdum cantharus vetus ne novum quidem vinum continet, » *q. d.* Ne considera speciem, sed mentem; non staturam, sed sensum; non ætatem, sed sapientiam; ne specta hominem ex forma vel ætate, sed ex moribus, eruditione, industria. Sunt enim senes bis pueri, sunt rursum juvenes senili prudentia.

Symbolice, « brevis in volatilibus, » id est, abjecta et humilis inter reginas et dominas, imo mulieres omnes, fuit apis, id est, virgo Deipara (apes enim sunt virgines, uti ostendi *Isaiæ* VII, 15), quæ mel, id est, Christum mundi delicias peperit: unde de eo cecinit Isaias, cap. VII, 17 : « Butyrum et mel comedet; » mel enim de cœlo labitur, sic et Verbum de cœlo lapsum est in uterum Virginis. Mel ergo nostrum est parvulus Emmanuel, de quo nomine multa dixi *Isaiæ* VII, 14.

Apis symbolum Christi et B. Virginis.

Apis ergo mystice symbolum est Christi, qui in ortu, veniens in mundum, dedit mel clementiæ, sed in cauda, rediens scilicet ad judicium, exeret aculeum justitiæ, dicens reprobis : « Ite, maledicti, in ignem æternum. » Item B. Virginis, ac S. Joannis Baptistæ, qui melle silvestri victitavit, ac melle cœlestis doctrinæ nutrivit, et aculeo castigationis pupugit corda Judæorum. Insuper Virginum, Religiosorum et Prædicatorum. Nam, ut ait Hugo,

Apis et prædicatoris analogiæ viginti novem.

apis *primo*, est sedula : sic et Prædicator ac Religiosus sit sedulus et fervens spiritu; *secundo*, apis est parca sibi, larga aliis : talis sit et Prædicator; *tertio*, apis brevis est, id est parva : sic Prædicator et Religiosus sit humilis; *quarto*, apis vocem habet majorem corpore : sic et Prædicator ita resonet, ut etiam auditur a mortuis per peccatum, juxta illud *Isaiæ*, XL : « Exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Jerusalem; » *quinto*, apis mel habet in ore : Prædicator suavitatem habeat in prædicatione; *sexto*, apis in grege similis est aliis : sic et Prædicator non sit singularis, sed in conversatione cæteris se adæquet, et cum Paulo dicat : « Omnibus omnia factus sum, ut omnes salvos facerem; *septimo*, apis sub rege est : sic Prædicator, licet regat alios, regatur a Christo et a suo Prælato; *octavo*, apis si ungatur oleo, perit : sic Prædicator, si ungatur oleo adulationis, interit; *nono*, apis reviviscit aceto : sic Prædicator recordatione passionis Christi vivit, et alios vivere facit; *decimo*, apis crure secat : sic Prædicator tam in se quam in aliis resecet voluptatem, quæ crure et femore designatur; *undecimo*, apis stimulum habet : sic Prædicator exstimulet pigros; *duodecimo*, apis cum vulnerat, moritur : sic Prædicator cum nimis acriter corripit, scandalizat et peccat, juxta illud *Proverb.* XXX, 33 : « Qui vehementer emungit, elicit sanguinem; » *decimo tertio*, apis casta manens prolem parit : sic Prædicator castus filios parit Christo; *decimo quarto*, apis pedes habet cassos : sic Prædicator propriam deponat voluntatem et sensum, ac S. Scripturæ sensu, Deique voluntate regatur; *decimo quinto*, apis flores pascit, non sordes : sic Prædicator cœlestibus pascatur, non terrestribus; *decimo sexto*, apis nascitur ex corio bovis : sic Prædicator mactata in se superbia, qui fuit in sæculo taurus, in claustro fiat apis, uti de Saulo factus est Paulus; *decimo septimo*, apis cellas facit sexangulas : sic Prædicatori locus orationis et studii sit solidus et varius; *decimo octavo*, apis alteri api onus gestanti de via decedit : sic Prædicator cedat et socio, juxta illud : « Alter alterius onera portate, » *Gal.* VI, 2; *decimo nono*, apis colit palmam : sic Prædicator crucem; *vigesimo*, apis frigore putrescit : sic Prædicator torpore; *vigesimo primo*, apis api pedibus nectitur : sic Prædicator Prædicatori amoris affectibus conglutinetur; *vigesimo secundo*, apis cellam inhabitat : sic et Religiosus ac Prædicator cellam S. Scripturæ incolat; *vigesimo tertio*, apis quasi cincta est : sic Prædicator fide pectus, et castitate renes cinctus est; *vigesimo quarto*, melior in apibus fit rex : sic in Religione meliores præsint et regant; *vigesimo quinto*, apis calida est : sic Prædicator ardeat igne charitatis, juxta illud Christi *Lucæ* XII, 49 : « Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur? » *vigesimo sexto*, apis fugit fumum, fœtorem, strepitum : sic et Prædicator fugiat fumum elationis, fœtorem luxuriæ, et strepitum mundi; *vigesimo septimo*, apis fert lapillum, ne vento auferatur : sic Prædicator ferat lapidem compunctionis, quo tundat pectus, ne vento inanis gloriæ abripiatur; *vigesimo octavo*, apes, defuncto rege, inter se pro novo depugnant : sic Prædicator, Prælato mortuo, pugnet ut probus eligatur; *vigesimo nono*, apis ra-

pit mel: sic Prædicator animas. Hæc omnia deinde Hugo hisce versibus complectitur :

> Sedula, parca, brevis, vox major corpore, mel dat,
> In grege sub rege est, perit uncta, revivit aceto,
> Crure secat, stimulat, vitam cum vulnere ponit,
> Casta facit prolem, pede cassa est, florida pascit,
> Nascitur ex tauro, sexangula mœnia condit;
> Fumos, fœtores, strepitum fugit, et lapides fert
> In vento, pugnat defuncto rege, rapitque,
> Cedit portanti, palmam colit, et pigra bruma :
> Rex fit in examen qui prævalet, et calet omnis.

De ape plura vide apud Varronem, Columellam, Aristotelem, Plinium locis citatis; ac de ea rursus dicendum *Proverb.* VI, 6 : « Vade ad formicam, o piger, » ubi Septuaginta addunt : *Vade ad apim.* Apis enim exemplar est laboris et industriæ.

« Brevis » ergo « in volatilibus apis, » est Christus infans, qui mellificat in animabus sanctis, et pascitur floribus inter lilia; vilis in pannis, dulcis in paleis, suavis in præsepio, suavissimus in cœlo. A Christo idem participant Christiani, præsertim Religiosi et Prædicatores, uti jam ostendi.

Vers. 4. 4. IN VESTITU (Græce, ἐν περιβολῇ ἱματίων, id est, *in circumjectione vestimentorum*, ut vertunt Romana) NE GLORIERIS UNQUAM, NEC IN DIE HONORIS TUI EXTOLLARIS.— Græce: *In amictu vestium ne gloriare, et quo tempore in gloria es, ne efferto te*; Syrus id per antithesin declarans, vertit, *eum qui indutus est indumentis vilibus ne irrideas, et ne contemnas hominem cujus amara sunt palata*, id est, hominem afflictum, qui ægro est animo. Vers. 2 et 3 elisit superbiam ob formam et pulchritudinem, hic elidit superbiam ob vestitum splendidum, ac ob dignitatem et honorem; qui enim est in dignitate, v. gr. rex, princeps et Prælatus, habet occasionem superbiendi, tum ob statum honorificum, quo cæteris eminens ab omnibus honoratur; tum ob splendorem vestium regalium, ut diadematis, sceptri, purpuræ; vel pontificalium, ut tiaræ, poderis, ephod, etc. Monet ergo Siracides, ut in illis principes et Prælati non superbiant, sed humiliter et modeste se gerant.

Explicat hunc locum S. Chrysostomus homil. 2 in epist. I *ad Tim.*, in morali : « In amictu, inquit, vestium ne glorieris. Ista pridem prædicabantur infantibus : nempe enim et saltator, et scortum, et histrio, gratiora et pretiosiora circumfert. Tineæ præterea ubi pretiosiora illa invaserint indumenta, hujus te gloriæ voluptate privabunt. Vides quam incerta, quamque instabilis sit vitæ præsentis gloria? Gloriantur in re quam vermes et gignunt, et perdunt: feruntur enim quidam ex India vermiculi hujusmodi conficere vestes. Si vestem possidere cupis superne intextam, amictum omnino mirabilem atque clarissimum, indumentum penitus aureum acquirere stude. Nempe illud aurum non metallum est, cujusmodi damnatorum effoderunt manus, verum ex virtute generatur. Induamus nos stola illa quam non homines inopes aut servi conficiunt, sed ipse Dominus se diligentibus præparat. Quid, oro, vestimento huic insertum est, quod te facit illustrem? Aurum, scilicet. Et hoc quid ad rem? Opificem enim mirantur omnes, non eum qui fuerit amictus; ille enim revera admiratione dignus est : quemadmodum et in simplicibus vestibus, non lignum in quo apud fullonem vestis tenditur, admiramur, sed opificem potius, licet ipsam lignum ferat. » Plura vide apud Tertullianum lib. *De Habitu mulierum*, et *De Cultu feminarum*, ac S. Cyprianum, tract. *De Habitu virginum.*

Gloriatus est Herodes in veste regia, et acclamatione populi vociferantis : « Dei voces, et non hominis; » quare illico percussus ab Angelo, consumptus a vermibus exspiravit, *Act.* XII, 23. Ex adverso Christus, cum triumpho quasi Messias ingrediens Jerusalem in die palmarum, acclamante turba: « Hosanna filio David, » non sese extulit, quia sciebat hunc honorem mox vertendum in contemptum, ac se quinto post die ab iisdem crucifigendum. Sic et Job cum esset rex, de regali honore non est elatus : prævidebat enim fieri posse, quod contigit, ut omnibus spoliatus sederet in sterquilinio, et testa pus e corpore abraderet.

Præclare Clemens Alexandrinus, lib II *Pædag.* cap. XII : « Sicut Evam, inquit, serpens decepit, ita etiam alias mulieres mundus muliebris aureus, esca utens serpentis figura, in probra impellit, nempe murænulas quasdam aureas et serpentes ad decorem effingens. » Et Seneca lib. II, *epist.* 47 : « Stultns est qui equum empturus, non ipsum inspicit, sed stratum ejus : sic stultissimus qui hominem ex veste æstimat, » præsertim cum vestis sit stigma peccati, uti ostendi *Gen.* III, vers. 7 et 21. Plura de modestia vestitus dixi II *Petri* III, vers. 3, et *Isaiæ* III, sub finem cap.

Porro *dies honoris* est dies, quo quis exaltatur et honoratur, v. gr. dies victoriæ et triumphi, dies electionis vel coronationis, dies celebritatis et festi, etc., imo totum tempus quo quis in magistratu vel dignitate versatur. Monet ergo ut illo non infletur, nec animo extollatur. Sic Romani duci triumphanti in curru apponebant servum (Plinius lib. XXVIII, cap. IV, vocat carnificem), qui ei crebro insusurraret: « Respice post te, hominem te memento, » uti refert Tertullianus *Apolog.* cap. XXXIII.

Porro quod ad honorem et gloriam attinet, S. Augustinus, lib. V *De Civitate*, cap. XIII, laudat Catonem, « qui quo minus petebat gloriam, eo magis illum gloria sequebatur. Quandoquidem gloria est, cujus illi cupidate flagrabant, judicium hominum bene de hominibus opinantium. Et ideo melior est virtus, quæ humano testimonio contenta non est, nisi conscientiæ suæ. » Est ergo

hæc secunda species humilitatis et modestiæ, qua quis modeste se gerit in splendore vestium et dignitatum.

Apologus gloriosi. Idipsum festivo hirci et ericii apologo docet Cyrillus, lib. II *Apolog. moral.* cap. III : « Hircus, inquit, ad fontem accedens, ut ardentia siti viscera refrigeraret, oculis in laticem nitore fulgentem conjectis, similitudinem vultus sui, quam in eum emiserat, reverberantibus rivi speculis, mox suscepit. Cumque videret caput altis cornibus ornatum, atque protensam faciem pendente barba insignem, corde hilari vocem exsultationis emisit, atque se in maximis magnificare cœpit, dicens : Quam decenter staret eminens in cornuto capite corona pavonica, et torquata cervix quam convenienter descenderet facie subtus barbata. Hunc cum audisset ericius, stans et ipse in fonte, derisit amentem, et dixit : O si post tergum oculos haberes, te de corona et torque nullo modo dignificares. Nimirum videres caudulam pudendam tuam, et mox humiliatus de fastuoso capite deponeres jactantiam. Ut quid dignificas te de maximis, et magnipendis miseriam tuam ? Pone te in libra justitiæ, tunc videbis qualis sis. Nempe pugillus es terræ, et quid te extendis in regna? o favillæ ignis, quare te erigis super stellas? Porro si te magni æstimas cum sis parvi, tentabis majora, et insufficientem mox te confundent maxima : sed si teipsum parvipendis, ubique tutus eris, quoniam humilitas parit timorem, et timor procurat securitatem, et hæc custodit salutem. Verum si teipsum in altis dignificas, jam teipsum extra mensuram judicas. » Deinde idipsum manifesta ratione evincit : « Quæso igitur, ut sequaris commune jus ; hoc autem præcipit, ut in judicio non credatur uni, nec alicui minus quam sibi, de bonis. » Ex quibus hoc epimythium sive ethicum dogma colligit : « Crede mihi, quia maxime se vilificat, qui se magnis dignificat. Sicut qui se judicat sapientem, fit amens. Lux quidem luce confunditur, et altitudo altitudine curvatur, sed altior stella mentitur aspectibus, et cunctis inferior luna super omnia decoratur. Ubi ergo est profunda humilitas, ibi excelsa est dignitas : et ubi ex temetipso est dejectio magna, ibi ex virtute tibi est dignificatio maxima. Nam dum mundanis honoribus nos judicamus indignos, tum nos humilitas sempiternis atque cœlestibus reddit dignos. Quibus auditis, hircus eruditus, quia se deificaverat, erubuit. »

Il mi-lias glorificat.

QUONIAM MIRABILIA OPERA ALTISSIMI SOLIUS, ET GLORIOSA, ET ABSCONSA, ET INVISA OPERA ILLIUS. — Græca de more concisa sic habent, *nam mirabilia sunt opera Domini*, et κρυπτά, id est *absconsa*, vel *occulta* (quod Noster vertit, *invisa*) *opera ipsius hominibus ;* Syrus, *quia dubia sunt arcana Dei, et abscondita ab hominibus opera ejus.* Dat causam cur non sit gloriandum in vestitu splendido, neque in honore et dignitate, eamque duplicem. Prior est, quod Deo soli competat gloria, illique soli liceat gloriari; quia uti ejus majestas est gloriosissima, ita pariter et opera ejus gloriosissima sunt. Ubi adverte. In Deo sunt omnes virtutes nostræ, excepta humilitate. In Deo enim non est humilitas, sed majestas et gloria : Deus enim neminem habet superiorem, cui se humiliare et subjicere possit; sed est ipsa immensa majestas, cui jure suo competit omnis honor et gloria : quam si respueret, faceret contra dignitatem suæ majestatis et divinitatis ; eamque abjiceret, et deprimeret, quæ utique illius esset gravis injuria, quod absit. Sicut ergo Deo competit gloria, sic homini competit humilitas, utpote qui in omnibus subjectus sit Deo, utpote a quo ipsam essentiam, dignitatem, honorem, vestitum, omniaque dona tam naturæ quam gratiæ, quæ habet, accepit. Porro Deus, ut humiliaret se, et sua humiliatione nos doceret humilitatem, quasi virtutem nobis congruam et propriam, sumpsit humanam naturam, in eaque humiliavit se infra creaturas, adeo ut diceret : « Ego sum vermis, et non homo, opprobrium hominum, et abjectio plebis. » Vide quanti Deus faciat humilitatem, qui pro ea fasces, et fastigium deitatis ad calces humanitatis nostræ infinito descensu inclinavit.

In Deo sunt omnes virtutes, excepta humilitate: cur?

Posterior est, quod Dei « opera » sint « abscondita et invisa, » id est, incognita hominibus, ita ut præter opinionem hominum sæpe secreto suo judicio dignitatem et vestes gloriosas homini adimat, eumque redigat ad penuriam, squalorem et pauperiem : deponit enim potentes de sede, ut canit B. Virgo. Unde exclamat Apostolus *Roman.* XI, 33 : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei ! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus ! Quis enim cognovit sensum Domini ? aut quis consiliarius ejus fuit ? » Idipsum explicans Siracides subdit : « Multi tyranni, » etc. Porro Lyranus et Hugo censent opera Dei dici *mirabilia*, eo quod mirabiliter, præter exspectationem, sæpe hominum sortem et felicitatem immutet, ut sublimes humiliet, humiles sublimet; pauperes ditet, divites depauperet. Hugo vero censet dici *mirabilia*, *primo*, quia Deus subinde malos præficit, juxta illud Jobi : « Qui regnare facit hypocritam ; » *secundo*, quia homo dum honoratur, sæpe ignorat cur sibi honorem indulgeat ; *tertio*, quia Deus efficit, ut mali regnum non evertant, nec universi ordinem perturbent, imo nec dehonestent; sed ex eorum malitia ingentia vel justitiæ vel clementiæ suæ decora elicit. Sicut ergo in ludo schaccorum rex subinde dejicitur, ac veles in regnum extollitur : sic Deus subinde reges e solio dejicit, plebeios in regnum exaltat, nimirum :

Ludit in humanis divina potentia rebus.

Unde sequitur :

Vers. 5. 5. MULTI TYRANNI SEDERUNT IN THRONO, ET INSUSPICABILIS PORTAVIT DIADEMA. — Pro *in throno*, Græce

est, ἐπ' ἐδάφους, id est, in solo, humi, super pavimentum, ut sit antithesis, *q. d.* Deus suo judicio facit, ut tyranni regno priventur, et ex solio dejiciantur in solum, ac ad humum affligantur : ex adverso facit ut vilis, de quo nemo suspicabatur, evehatur ad regnum et gestet diadema. Quocirca Tigurina vertit, *multi tyranni humi resederunt, et fuit qui diadema gestavit inexspectatus;* alii, *multi tyranni sederunt in pavimento, et is de quo minime suspicio erat, gestavit diadema.* Unde S. Gregorius Nazianzenus, orat. 2 *contra Julianum*, in eum hæc intorquens ait : « Qui potentes de sedibus deponit, et insuspicabilem (qualis fuit Valentianus, successor Juliani) diademate ornat. » Hinc nonnulli opinantur nostrum Interpretem vertisse, *in solo*, sed sciolum aliquem pervertisse *in solio*, alium ex *solio* fecisse *throno*. Verum τὸ *solio* characteribus pene omnibus differt a *throno;* et omnia Biblia Latina habent, *in throno;* sicque legit Rabanus, Lyranus, Dionysius, Hugo et cæteri ; quin et Syrus vertit, *multi contemptibiles sederunt super sedem regni, et qui non ascendebant in cor* (id est, de quibus non cogitabatur), *induti sunt vestibus gloriæ*, uti multos Pontifices vidimus, et videmus creari ac gestare diadema, imo coronam triplicem, de quibus nemo opinabatur quod ad summum hoc mortalitatis fastigium evehendi essent. Unde novis Pontificibus in coronatione accinitur : « Suscitat de pulvere egenum, et de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat,» I *Regum* II, 8, et *Psalm.* CXII, vers. 7. Quare videtur Noster pro ἐπ' ἐδάφους, legisse ἐφ' ἕδρας, id est, in sella et solio, thronoque regali. Antithesim vero hujus versus continet versus sequens.

Vers. 6. 6. MULTI POTENTES (Græce *dynastæ*) OPPRESSI SUNT VALIDE, ET GLORIOSI TRADITI SUNT IN MANUS ALTERORUM, — *q. d.* Sicut Deus mira sua providentia facit, ut tyranni per vim et tyrannidem, thronum regni occupent, iique de quibus nemo suspicabatur, portent diadema : ita vicissim ex adverso multos potentes de throno dejicit, valideque opprimit, ac gloriosos tradit in potestatem aliorum, qui eos regno, opibus, libertate et sæpe vita privant. Hoc in quibuslibet regibus et principibus, etiam legitimis, et legitime imperantibus, sæpe accidisse legimus; sed maxime in iis qui per fastum, vim vel dolum, imperium et rempublicam invaserunt; aut illud crudeliter, avare, superbe administrarunt. Nam, ut ait Demosthenes *Olynth.* 2 : « Regnum malis artibus comparatum, et vi retentum, non potest diu durare. »

Quocirca Phalaris Agrigentinorum tyrannus, epist. 34 *ad Demosthenem* : « Neque homo, inquit, si fieri posset, ut, antequam nasceretur, quænam mala passurus esset, audiret, nasci unquam voluisset; neque privatus qui tyrannidi studeret, si illius intelligeret calamitates, tyrannus potius quam privatus esse vellet : sicque Demosthenes, non nasci, et privatum quam tyrannum esse, utilius intelligo. » Cicero *Tuscul.* V narrat Dionysium tyrannum Damocli, eum beatum prædicanti, mensam regiam instruxisse, ut hujus suæ beatitudinis foret particeps; sed simul e laqueari gladium suspendisse, qui beati illius capiti immineret. Quem intuens Damocles, nec comedere, nec bibere ausus, exoravit tyrannum ut abire liceret, quod jam beatus esse nollet. Plura de his habet Petrus Gregorius lib. VI *De Republ.* cap. XIX. Unde Tigurina vertit, *multi potentes magnam subierunt infamiam, et in manus aliorum traditi sunt magnifici ;* Syrus, *multi reges ignominia affecti sunt, et multi gloriosi dejecti sunt de gloria sua.*

7. PRIUSQUAM INTERROGES, NE VITUPERES QUEMQUAM : ET CUM INTERROGAVERIS, CORRIPE JUSTE. — Græca significantius et pulchrius, πρὶν ἢ ἐξετάσῃς, μὴ μέμψῃ : νόησον πρῶτον, καὶ τότε ἐπιτίμα, id est, *priusquam exquiras, ne accuses : intellige primum, et tunc reprehende;* Tigurina, *ne quid reprehendas priusquam exploraris : fac cognoscas prius, et tum jure vituperes;* alii, *priusquam exploraveris, ne reprehendas : cognosce primum, deinde objurgato.* Hæc sententia æque ac præcedentes ad humilitatem et modestiam pertinent, novumque ejus modum et speciem suggerit, ordine tertium. Multi enim ex superbia, et ex mentis levitate, putantes se omnia scire et intelligere, præcipitant judicium, illicoque cum sinistri aliquid audiunt, credunt. Alii suas primas impressiones tenaciter retinent, ex quadam naturæ et phantasiæ pertinacia : unde quod semel illi impresserunt, constanter tenent, nec dant locum defensioni et excusationi; imo si suas impressiones vere refelli et convinci audiunt, ægre ferunt; multo minus inquirunt et explorant rei factive veritatem, sed mox quasi de illa certi, factum reprehendunt, vituperant, damnant. Quod sane temerarium est judicium, et proximo injurium, non tantum cum in publico tribunali a judice, vel coram judice id fit, sed etiam cum privata vituperatione vel censura id agitur. Tertia species modestiæ.

Monet ergo Siracides, ut in censurando prudentiam et modestiam adhibeamus, nec quippiam vituperemus, nisi prius bene examinatum et discussum : quo facto, corripiamus, sed juste, quantum scilicet facti gravitas meretur, et proximi salus ac reipublicæ incolumitas exigunt ; ideoque « animo dilectionis, non animo ultionis; ne cum parcitur carni, anima pereat, » ait S. Augustinus in *Psalm.* CII. Qua de re vide ea quæ dixi *Galat.* VI, 1, et S. Bernardum serm. 44 *in Cant.*, qui docet in correptione præmittendum oleum lenitatis; quod si non prosit, addendum vinum acrimoniæ, instar Samaritani, *Lucæ* X, 30. Hinc judici accusationem audienti dicitur : « Audi et alteram partem. » Unam aurem da accusatori, alteram servato reo se excusanti. Ita Constantinus Magnus Imperator Faustæ uxori accusanti Crispum filium de stupro leviter credidit, Crispumque innocentem occidit; Audi alteram partem gnomæ.

cujus innocentia deinde cognita inconsolabilem egit luctum, ac Faustam pariter, quæ calumniam hanc Crispo struxerat, itenremit. Sic et Theodosius sententiam mortis præcipitavit in Thessalonicenses, quod imaginem suam dejecissent; qua de causa a S. Ambrosio reprehensus, publicam egit pœnitentiam, ut narrat ex Sozomeno et aliis Baronius. « Nam sententia in sontem lata, sed dilata, revocari potest; vita vero innocenti ablata revocari non potest, » uti docet Seneca lib. *De Ira*, et lib. *De Clementia*. Hac de causa sapienter Festus, præses Romanus, rogatus a Judæis, ut S. Paulum inauditum damnaret, respondit: «Non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, priusquam is qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina, » *Actor.* XXV, 16. Et Menander: « Inexaminatum ne punias ullum. » Et Seneca tragœdus in *Medea* :

> Qui statuit aliquid parte inaudita altera,
> Æquum licet statuerit, haud æquus erit.

Sapientius S. Augustinus, serm. 202 *De Tempor.* : « Maxima pars generis humani, ait, indiscreto judicio ad reprehendendum prompta et parata esse probatur; cum tamen non ita se velit ab aliis judicari, quomodo vult alios judicare. Propter hoc Scriptura divina admonet, dicens : Priusquam interroges, ne judices quemquam; et cum interrogaveris, corripe juste. Omnis homo prius se vult interrogari, et postea, si reus est, patienter tolerat reprehendi. Et quidquid nobis omnes volumus ab aliis fieri, justum est ut hoc aliis studeamus implere. Prius cum patientia interrogemus, et solliciti simus, ut, cum aliquid certius agnoverimus, tunc aut si mala sunt, reprehendere; aut si bona, defensare valeamus. » Hac de causa Deus nobis binas dedit aures, ut utramque partem audiamus; et in medio earum unam mentem quæ judicet, et unam linguam quæ judicatum eloquatur. Unde Hebræi aures in duali vocant אזנים *oznaim*, quasi מאזנים *mozenaim*, id est bilances. Sicut enim inter duas lances media est lingula, quæ recto justoque pondere librat, examinat et ostendit pondus utriusque lancis, utrum alteri præponderet : sic duas aures nobis dedit Deus, ut utrimque rationes audiamus, easque mente libremus, examinemus et dijudicemus, ac quod justum judicaverimus, ore promamus. Quocirca S. Prosper, *epigram.* 21, hæc de non temere credendo et censendo, prudentiæ Christianæ dat documenta :

> Culpare in quoquam quæ non sunt nota, malignum est;
> Præsertim, quæ sunt cognita, si bona sunt.
> Non pateant faciles sævis rumoribus aures;
> Quæ nescire juvat, credere non libeat.
> Linquantur secreta Deo, qui, si quid opertum est,
> Inspicit, et nullis indiget indiciis.

8. PRIUSQUAM AUDIAS, NE RESPONDEAS VERBUM : ET IN MEDIO SERMONUM (male Complutenses legunt, *seniorum* ; nam Græce est λόγων, id est *sermonum* : ita Romana) NE ADJICIAS LOQUI. — Græce, μὴ παρέμβαλλε ῥῆμα, id est, *ne interjicias verbum;* Romana, *ne interloquaris*, id est, *ne interrumpas loquentem*. Est hæc quarta species modestiæ et humilitatis, æque ac prudentiæ, quæ jubet, ut non respondeas antequam plene interrogationem vel quæstionem aure exceperis, et mente conceperis Rursum ut quærentem vel narrantem quippiam non interrumpas. Respondere enim ante perceptam interrogationem, et loquentem interrumpere, est indicium et effectus, *primo*, superbiæ, qua putas te tam solertem, ut conjectes quid alter velit interrogare, ut instar Prophetæ divines quid alter mente concipiat et intendat. Unde S. Bernardus, *De Gradibus humilit.* hunc nonum assignat : « Nonus, ait, humilitatis gradus est, si linguam ad loquendum prohibeat monachus, et taciturnitatem habens usque ad interrogationem non loquatur; » *secundo*, levitatis, qua responsum præcipitas ante tempus opportunum; *tertio*, imprudentiæ, qua exponis te periculo, ut impertinenter et extra propositum respondeas, quia dum respondes de fabis, alter forte interrogare volet de aliis, ut vulgo dicitur. Unde *Proverb.* XVIII, 13, dicitur : « Qui prius respondet quam audiat, stultum se esse demonstrat, et confusione dignum; » et cap. XXIX, 20 : « Vidisti hominem velocem ad loquendum? stultitia magis speranda est quam illius correptio; » *quarto*, incivilitatis et rusticitatis : incivile enim et rusticum est, alium loquentem interrumpere, ac respondere antequam plene ejus quæstionem audieris. Quarta modestiæ species.

Porro generalis est hæc sententia; unde variis aptari potest. *Primo*, doctori, *q. d.* Antequam audiendo bene didiceris, noli alios idem docere; noli fieri magister antequam fueris discipulus. Ita Rabanus : « Qui prius, inquit, doctor esse desiderat quam discat, stultitiæ noxam non declinat. » Vide Nazianzenum, orat. 1 apologetica *de Fuga in Pontum*, ubi inter alia ait : « Alios docere aggredi priusquam ipsi satis edocti simus, et, ut vulgo dicitur, in dolio discere figulinam, id est, in aliorum animabus pietatem meditari et exercere, valde stultorum et temerariorum esse videtur. » Figuli enim non statim in dolio, sed in exiguis vasculis aut ollis figulinam addiscunt, in quibus si aberrent, ut opus reficere oporteat, parva est jactura, cum in ingenti dolio sit magna.

Secundo, judici, *q. d.* Judex non proferat sententiam donec audiat litigantes; ex accusatione duntaxat neminem condemnet, tam reum se defendentem, quam actorem accusantem audiat. Ita Rabanus : « Qui judicare, ait, proximorum facta priusquam plene causam utriusque partis dignoscat, inordinate festinat, et ille se confusione dignum demonstrat, quia magis pertinacem quam prudentem se esse probat. » Quare judices qui sapiunt, prius omnes attente audiunt, quin et aliorum sententias et judicia exquirunt,

omniaque circumlustrant, antequam suam sententiam pronuntient. Unde Petrarcha ait nos in loquendo et respondendo debere imitari citharœdos, qui antequam citharam pulsent, singulas chordas sonantes audiunt, ac inter se contemperant, ut congruum edant sonum et harmoniam. Ita hanc sententiam explicat Damasus Papa, *epistol.* 6, ut habetur XI, *Quæst.* III, can. 76 : « Eorum qui accusantur, inquit, causas discutere non licet priusquam canonice vocati ad Synodum veniant, et præsens per præsentem agnoscat veritatem, et intelligat quæ ei objiciuntur; quod et per sapientiam Salomonis (multi enim Ecclesiasticum attribuunt Salomoni, uti dixi in procemio) dicitur, juxta Septuaginta : Antequam scruteris, ne reprehendas; intellige prius, et tunc increpa. Antequam audias, non respondeas. » Alioquin dicetur tibi : « Sicut prave intellexisti, sic prave respondes, » ut habetur *de Consecrat.*, dist. 2, cap. I et XV, *Quæst.* VIII, in fine : « Priusquam audias, inquit, ne judicaveris quemquam; atque ante probationem accusationis illatæ neminem a tua communione suspendas, quia non statim qui accusatur reus est, sed qui convincitur criminosus. »

Tertio, consiliario, *q. d.* Consultus ne præcipitet consilium, donec plene rem audiat, perspiciat, comprehendat.

Quarto, in familiari colloquio donec audieris dicentem, ne respondeas, nec ejus sermonem intercidas. Afficis enim eum injuria et ignominia, si conceptum ab eo sermonem velut indignum impedis, ne prodeat in lucem; ac prodis tuam impatientiam, qua alium loquentem pati non potes; pariter et superbiam, quasi illo meliora dicturus sis. Ita Palacius. Sapientia ergo et salus hominis est, libenter et multa audire, ac tarde et pauca loqui; sicut salus leporis est silentium atque auditus acredo et celeritas, quæ eum de canibus et venatoribus admonet, ut fuga sibi consulat. Unde Plutarchus lib. IV, in *Symposiac.* Quæst. V : « Leporum, ait, oculi adeo sunt indefessi, ut etiam apertis iis dormiant. Celeritate autem exaudiendi videtur aliis anteire; cujus admiratione ducti Ægyptii, in suis sacris litteris picto lepore auditum significant. »

9. DE EA RE, QUÆ TE NON MOLESTAT, NE CERTERIS (ita quoque legit S. Lucius Pontifex *epist.* 1. *Ne certeris*, id est ne certes, ne contendas; Interpres enim Ecclesiastici et Sapientiæ *certari* usurpat pro *certare*, uti monui superius, et patet *Sapient.* XV, 9, et inferius, cap. XXXVIII, 29 : vide Franciscum Lucam in Notis hic), ET IN JUDICIO PECCANTIUM NE CONSISTAS. — « Admonet, ait Rabanus, ut in superfluis rebus non nimis simus curiosi, et peccantium pravitati non consentiamus. Nam digni sunt morte, non solum qui mala faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, » ait Paulus *Roman.* I, 32. Unde Psaltes *Psalm.* I, 1 : « Beatus vir, inquit, qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit. » Græca habent, *de re quæ non est ad te, ne certes, et in judicio peccatorum ne consideas.* Ita Complutenses. Sed Romana, Jansenius et alii legentes, περὶ πράγματος οὗ οὐκ ἔστι σοι χρεία, vertunt, *de negotio*, vel *re qua tibi non est opus, ne certes*, etc. Eodem tamen redit utraque lectio et versio, æque ac nostra. Nota τὸ *quæ te non molestat;* nam res nobis commissæ sua cura et sollicitudine nos affligunt et molestant. Tigurina, *ne contendas de eo quod tua nihil interest, nec te judicem adjungas consessui sceleratorum;* Syrus, *si est in te vis, ne contendas; et in medio iniquitatis ne multiplices fraudem.*

Est hæc quinta species modestiæ, aliena non curans. Sunt enim nonnulli immodesti, curiosi et superbi, qui omnia aliorum facta examinare, judicare et censere volunt, de iisque pariter inter se certant et contendunt, hi accusando, illi excusando. Jubet ergo *primo*, ut ab hoc examine, disquisitione et certamine rerum ad nos non pertinentium abstineamus, ne nostram et aliorum pacem et concordiam turbemus sine ratione et causa. *Secundo*, ut a turba illorum qui temerarie alios judicant, vel approbando, vel condemnando, ideoque peccant, abstineamus et secedamus, ne eorum pravo judicio consentiamus, vel consentire videamur, itaque animam nostram et famam contaminemus. Huc facit vetus parœmia apud Adagiographum : « Ne edas allia et fabas, » hoc est, ne bellis et contentionibus, neve judiciis intersis. Nam in bellum inferebantur allia, velut commeatus militaris, quia frugalis et durabilis. Unde illud anonymi apud Suidam : « Perdo allia in obsidione. » Allio quoque in escam dato, aves ad pugnam incitari, memorat Pierius *hieroglyph.* 24. Est enim allium acre et mordax. Hinc illud Aristophanis in *Equitibus* : « Dum ais te diligere me, alliasti me, » hoc est, pupugisti me, et adegisti ad lacrymas : has enim excitat allii odor et esus. Fabas vero esitabant judices, ne obdormiscerent, ait Suidas; aut potius fabis dabant suffragia : hinc faba notat judicium, judicumque suffragium. Sunt et qui de alliis fabisque, id est, de quisquiliis, murmurant et lites movent, uti de alliis Ægypti sibi in deserto ademptis murmurabant Hebræi *Numer.* XI, 5.

Quinta species modestiæ.

Allia symbolum contentionis, cur?

Sapienter Cicero *Tusculan.* II : « Ut refellere sine iracundia, inquit, et refelli sine pertinacia paratus simus. » Hac modestia discinditur omnis contentionum nodus; sed sunt nonnulli gallis gallinaceis iracundiores et pertinaciores, ideoque contentiosiores; hi elleboro indigent, ut iras litesque edormiant.

10. FILI, NE IN MULTIS SINT ACTUS TUI : ET, SI DIVES FUERIS, NON ERIS IMMUNIS A DELICTO. — Græca sic habent, τέκνον, μὴ περὶ πολλὰ ἐσωσαν αἱ πράξεις σου; ἐὰν γὰρ πληθυνῇς, οὐκ ἀθωωθήσῃ, id est, *fili, ne circa multa sint actus tui; si enim multiplicaveris, non eris innocens :* quia in tam multis varie et multipliciter peccare contingit.

Vers. 10.

Ex Græco ergo hæc sententia *primo*, generatim accipi potest, quasi dicta contra πολυπράγμονας, qui omnia agere, sibique arrogare volunt, itaque nihil bene agunt, vel certe non peragunt, nec ad finem perducunt, quod pariter est vitium præsumptionis et superbiæ, æque ac imprudentiæ. Unde de talibus Afer dixit, « eos nil agere, sed satagere. » Sensus ergo est, *q. d.* Ne in multis, scilicet negotiis et curis, sint actus tui, quia qui multa amplectitur, pauca stringit : pauca ergo amplectere, cura et stringe ; alioqui non eris immunis a delicto, quia non poteris omnibus attendere et satisfacere. Exemplum clarum est in nonnullis Advocatis et Procuratoribus, qui tot suscipiunt causas forenses, ut omnes fideliter et recte agere nequeant; quo fit, ut eorum negligentia sæpe clientes condemnentur, et causas justas amittant : qui peccant injustitia, ac ad restitutionem subinde tenentur.

Audi Rabanum, vel potius S. Gregorium I part. *Pastoralis*, cap. IV (ex eo transcripsit Rabanus) : « Juxta tropologiam, inquit, sæpe suscepta cura regiminis cor per diversa diverberat; et impar quisque invenitur ad singula, dum confusa mente dividitur ad multa. Unde hic consulte per sapientiam dicitur : Fili, ne in multis sint actus tui; quia videlicet nequaquam plene in uniuscujusque operis ratione colligitur, dum mens per diversa partitur. Cumque foras per insolentem curam trahitur, a timoris intimi soliditate vacuatur, fitque in exteriorum dispositione sollicita, et sui solummodo ignara ; scit multa cogitare, se nesciens ; nam cum plus quam necesse est se exterioribus implicat, quasi occupata in itinere obliviscitur quo tendebat: ita ut ab studio suæ inquisitionis aliena, ne ipsa quidem quæ patitur damna consideret, et per quanta delinquat, ignoret. »

Ratio a priori.

Ratio a priori est, quod mens et attentio hominis sit finita, imo valde exilis et limitata; quare in multa divisa minuitur, deficit et evanescit, juxta illud : « Pluribus intentus minor est ad singula sensus. » Præstat autem pauca excellenter agere, quam multa obiter et exiliter, juxta illud cap. XXXIII, 23 : « In omnibus operibus tuis præcellens esto. » Hinc Phocion apud Stobæum, sermon. *De prudentia*, ait, « difficile esse multas viæ vitas ingredi, » *q. d.* Difficile est ut multis intentus, quidpiam præcellens operetur. Et Artemidorus in *Onirocriticis* (id est, divinatione ex somniis) conjectat eum qui dormiens multos oculos se habere somniarat, plane cæcum fore, quod scilicet multitudo oculorum cæcitatem notaret; quia qui multa confuse vident, nihil rite peragunt. Et Thales Milesius ad suos dicere solebat : « Unum eligite præclarum, unum quiddam divinate præclarum. » Ita Laertius lib. I, cap. I. Et Aristoteles : « In magnis, inquit, negotiis oportet unum negotiari ad unum opus, quia melior est cura intenta circa unum, quam circa plura. » Ita ipse lib. IV *Politic.* Unde lib. V : « Princeps, inquit, nullum virum totius sui dominii debet facere custodem, » tum quia hoc nimis vastum et multiplex est opus; tum quia periculosum principi, ne scilicet custos principem principatu excludat, seque faciat principem, uti sæpius factum legimus et vidimus. Seneca, *epist.* 111 : « Magnam rem puta, ait, unum hominem agere ; præter sapientem autem nemo unum agit. Cæteri multiformes sumus. »

Juxta S. Gregorium et Rabanum ergo, et ex eo Glossam, hic locus intelligitur de multo regimine, ut τὸ *in multis* tam masculine quam neutre accipiatur, *q. d.* Ne circa multa et multos regendos occuperis ; paucos potius regendos suscipe, imo si potes, nullum, nisi teipsum. Attende tibi; si enim in die judicii vix poteris reddere rationem animæ tuæ, quomodo reddes tot centenarum vel millium animarum, quarum principatum, episcopatum, vel pastoratum, id est, regimen et curam, ambis ? Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur ? ait æterna Veritas.

Quocirca S. Augustinus, Quæst. LXVIII *in Exod.* : Quam sit, ait, observandum quod Scriptura dicit : « Fili, ne in multis sint actus tui, » patet in Mose, qui totius populi querelas et lites cognoscere volens, audiit a Jethro : « Non bonam rem facis, stulto labore consumeris, » *Exodi* XVIII, 18. Unde suasu ejus minores causas ad minores judices et officiales relegavit, majores duntaxat ipse sibi reservavit. Idem imitentur Prælati et principes. Ita Joannes Fischerus Episcopus Roffensis et Cardinalis, quo nullum Britannia, sed nec forte orbis Christianus tunc sanctiorem, doctiorem, aut vigilantiorem Præsulem habuit, ait Sanderus lib. I *De Schismate Anglic.*, quique cum Thoma Moro ab Henrico VIII occisus est, quod incestis ejus cum Anna Bolena nuptiis suffragari nollet, cum major et locupletior episcopatus illi ab eodem Henrico offerretur, eum recusavit, dictitans se perbeatum fore, si de hoc saltem minuto concredito sibi grege, deque non adeo magnis inde acceptis emolumentis in die Domini recte respondere possit, cum et de bene curatis animis, et de recte expensis pecuniis, tunc reddenda sit ratio exactior, quam mortales fere putent aut curent ; in quo genere quo quisque pauciores sibi commissos, vel homines, vel nummos haberet, eo futurus sit in altero sæculo securior; seque facile sentire ex hoc tantilli pastoratus pondere, quantum futurum esset majoris muneris onus. Scite quoque vir sapiens hujus ævi dixit : « Nulli matri plus filiorum, quam lactis ; nulli prudenti plus negotiorum, quam virium esse debet. » Hoc significat illud ænigma : « Oportet agrum imbecilliorem esse quam agricolam; » quod simili proverbio explicat Virgilius dicens : « Laudato ingentia rura, exiguum colito. » Plus enim fructuum dabit exiguus ager diligenter, quam ingens

neglectim (ut fit) cultus. S. Basilius *Constit. monast.* cap. III : « Convenit, ait, corpus in actione aliqua occupatum tenere, illudque providere, ne ipsum dum gravius quam par est premit, opprimat. » Gilbertus Abbas, qui supplevit sermones S. Bernardi *in Cant.*, serm. 1, explicans illud, *Quæsivi in lectulo quem diligit anima mea* : « In lectulo, ait, id est, in quiete ; quia cura implicat, quies explicat. »

Quocirca hæc sententia tropologice ad multa aptari potest, ut ad litteras, studia et scientias, *q. d.* Ne studeas simul multis scientiis, sed uni duntaxat : ita in iis dives et doctus evades. Sic fecit noster Franciscus Suarez, idemque aliis consuluit, æque ac P. Jacobus Laynes, qui S. Ignatio in generalatu Societatis Jesu successit, qui proinde non nisi unum librum in cubiculo habebat, et lectitabat a capite ad calcem, eoque absoluto, alium pari modo accipiebat. Quin et S. Thomas Aquinas rogatus qua ratione quis doctus evaderet? respondit : « Unum tantum lectitando librum. » Rursum aptari potest virtutibus et vitiis, *q. d.* Si vis vitia exstirpare, unum duntaxat radicitus, e quo cætera oriuntur, totis viribus exstirpandum capesse ; eo enim exstirpato, cætera sponte sua corruunt, sicut exstirpata radice corruunt rami. Si vis virtutes consequi, omnibus quidem, sed uni præcipue tibi maxime utili, vel necessariæ, intende ; ea enim habita in heroico gradu, cæteræ velut filiæ matrem, aut quasi sorores sororem sequentur : ita docent Cassianus, et alii virtutum magistri : « Pluribus enim intentus minor est ad singula sensus ; » et : « Qui duos insectatur lepores, neutrum capit. » Simili modo aliis rebus aptari potest ; unde Rabanus et ex eo Glossa, aptant compositioni librorum, *q. d.* Ne scribas multos libros, quibus non est finis, *Eccle.* XII, 12. Omnes autem libri divinæ Scripturæ unus liber sunt, juxta illud *Psalm.* XXXIX : « In capite libri scriptum est de me, » quia unum Deum, ejusque unam legem spectant omnes.

Symbolice, si vis esse perfectus, relinque multa, puta creaturas omnes ; hæ enim mentem inquinant, juxta illud S. Leonis : « Necesse est de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere. » Quare uni Creatori adhæreto, et cum Psalte dicito : « Mihi autem adhærere Deo bonum est. » Quocirca S. Ægidius socius S. Francisci rogatus, quænam esset ad sanctitatem via? respondit : « Una ad unum, una ad unum, » *q. d.* Una anima uni Deo detur, tota et in solidum. Unde huc respiciens Christus, et sortem Magdalenæ præferens sorti Marthæ, hoc est, vitam contemplativam activæ : « Martha, Martha, inquit, sollicita es, et turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea, » *Lucæ* X, 42. Ne ergo satagas multa agere, sed multum. Multum agit, qui unum quid perfecte et eximie agit ; multum agit, qui multa charitate et virtute cuncta peragit. Hoc age quod agis.

His tamen non obstat, quod viri magnanimi, zelosi et Apostolici multis se occupent, catechizando, docendo, prædicando, confessiones audiendo. Hæc enim eis multa non sunt, tum quia ad unum scopum, scilicet Dei gloriam et salutem animarum, tendunt, et sibi invicem subordinantur ; tum quia viribus eorum sunt commensurata ; tum quia unius et ejusdem charitatis sunt actus. Excederent tamen, si multa inchoarent, nihil perficerent ; si multa imperfecte, vel perperam facerent, nihil bene et plene ; si plura facerent quam vires corporis et animæ ferant ; si alienis occupati, seipsos negligerent, et spiritum orationis perderent, tumque dicerentur in multis esse actus eorum. Alioqui in multis fuere actus S. Petri, S. Pauli, ut patet II *Corinth.*, omniumque Apostolorum, qui multas gentes et totum pene mundum ad Christum converterunt ; S. Francisci Xaverii, qui toto Oriente prædicavit ; S. Ignatii fundatoris Societatis Jesu, qui in ea multa litterarum et pietatis officia instituit, Sociosque per totum orbem propagavit : quia hæc omnia unum sunt, unumque conflant munus, et quasi corpus Apostolicum, atque unam Societatem, quæ multa per multos agit, operas per varios dispertiendo.

Secundo, pressius hæc sententia spectat ad divitias, vetatque cupiditatem et studium multiplicandi eas, *q. d.* In multis, scilicet lucris et opibus coacervandis, non sint actus tui ; ne agas et satagas multa congregare, multitudinem, id est, copiam rerum parare, ut in rerum affluentia sis multus, id est, copiosus et dives. Hunc sensum poscit nostra versio, quæ τὸ πληθυνῆς, id est *multiplicatus fueris*, vertit, *dives fueris ; multus* enim sæpe idem est quod abundans, affluens et dives. Forte enim pro πληθυνῆς Noster legit πλουτίσῃς, id est *dives fias*. Rursum eumdem poscunt sequentia, quæ ad studium divitiarum pertinent ; et Syrus qui vertit, *fili mi, ne augeas domum tuam ; et qui festinat ad incrementum ejus, non justificatus est ;* ac Tigurina, *fili, ne labores multa colligere : si enim abundaris, non eris innocens.*

Ubi nota τὸ *et*, cum dicitur : « Et si dives fueris, » more Hebræo esse causale, significans *nam, enim*, ut vertit Syrus, *q. d.* Ne appetas multa congerere et ditari, quia si diteris, non eris immunis a delicto. Ipsa enim nimia cupiditas opum, ac cura et sollicitudo eas augendi et conservandi, est peccatum, saltem veniale, et non raro mortale, quando scilicet id fit per usuras, illicitos contractus, fraudes, etc. Unde *Proverb.* XXVIII, 22, dicitur : « Vir, qui festinat ditari, et aliis invidet, ignorat quod egestas superveniet ei. » Ita Rabanus. Quocirca sapienter S. Bernardus : « Noli, ait, concupiscere quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant. Diserte vero S. Paulus : « Qui, inquit, volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem, » I *Timoth.* cap. VI, 9.

Denique S. Hieronymus : «Dives, inquit, aut injustus, aut injusti hæres. »

Sexta species modestiæ.

Est hæc sexta species modestiæ et humilitatis, quæ suadet de quis nimis multa negotia, quibus opes et lucra captet, ambiat.

SI ENIM SECUTUS FUERIS, NON APPREHENDES : ET NON EFFUGIES, SI PRÆCUCURRERIS. — Complutenses, *non effugies aufugiens*; alii, *neque si aufugies, effugies;* Tigurina sive Vatablus, *aut si quod persecutus fueris, non assequeris; nec tamen impune abieris,* scilicet immunis a peccato, puta a culpa et pœna. Syrus fere contrarie vertit, *fili mi, si non cucurreris, non apprehendes; et si non quæsieris, non invenies.* Probavit non esse studendum divitiis, eo quod dives non sit immunis a delicto : nunc idipsum alia ratione probat, scilicet, quod si sequaris divitias, non assequeris. Sed quid sibi vult τὸ *et non effugies, si præcucurreris?* Jansenius sic explicat, *q. d.* Non effugies paupertatem, etiamsi eam coneris præcurrere, si Deus eam velit tibi immittere. Verum paupertatis nulla præcessit mentio; et per illam mutatur suppositum, scilicet *divitiæ,* cum tamen unum et idem suppositum hic exigat comparatio duorum cursorum. Hinc enim exhibentur quasi in stadio duo cursores, unus velox, alter tardus : velocem si tardus sequatur, non apprehendet; si sequatur, non effugiet quin ab eo, utpote velociore, comprehendatur. Duo hi cursores significant hominem et divitias : velox cursor sunt divitiæ, tardus est homo ; qui si eas sequatur, non apprehendet; si præcurrat, non effugit. Ita Rabanus, Lyranus, Palacius et alii. Melius ergo Tigurina et Emmanuel Sa suppositum dant *delictum,* quod præcessit, *q. d.* « Si præcucurreris, » id est, festinaris ad opes, non effugies delictum. Sed et hic mutatur suppositum, scilicet divitiæ in delictum.

Primo ergo Lyranus, idem retinens fere suppositum, scilicet divitias, sic explicat : Si, inquit, secutus fueris divitias, immoderate quærendo, non apprehendes, id est, non assequeris intentum, scilicet, habere sufficientiam, propter quam divitiæ quæruntur; quia per eas non satiatur cupido, sed magis acquiritur indigentia. Nam earum cupidus quanto plus acquirit, tanto plus habere sitit. « Et non effugies, » scilicet indigentiam, « si præcucurreris, » accipiendo divitias a parentibus tuis. Nam si fueris cupidus, non eris contentus, sed ad habendum majora anxius; et si fueris prodigus, cito consumes, et indigens fies. Hæc Lyranus.

Secundo, Palacius sic explicat : « Divitiæ currunt et fugiunt a te. Si tu invalidus fueris, sequeris eas, sed non apprehendes. At si velut validus et potens præcurris eas, et fugientes tenes, non effugies delictum. Est hæc prosopopœia. Divitiæ fugiunt sequentem; at si contingat ut sequens eas præcurrat, et illas teneat, tenent illæ eum, captivant, et iniquitatis servum efficiunt. Est enim dictum Pauli : Qui volunt divites fieri, incidunt in laqueum diaboli, etc. Ergo si cum bona conscientia eas sequaris, non apprehendes; si per malam eas præcurris, non effugies quin te illæ mergant in interitum et perditionem. » Hucusque Palacius.

Tertio et genuine, *q. d.* Noli studere multis opibus coacervandis, quia si eas sequaris, putans te tuis laboribus illas tibi paraturum, non apprehendes illas : sin vero eas non cures, negligas, spernas, imo fugias et præcurras, illæ te ambient, sequentur et assequentur, si Deus eas tibi destinarit. Sicut enim honor sequitur fugientem, fugit sequentem, sic et opes. Hoc sæpe verum est in hac vita, semper in futura, de qua exponit Rabanus, sed anagogice : « Si, inquit, secutus fueris, non apprehendes; et non effugies, si præcucurreris : quia non est in potestate accipientis, sed dantis. Nam si per æstum avaritiæ incitatus exardescit divitias aggregare, veras divitias non appetit; et si fidei devotione præcurrat virtutum opera exercere, prosequentur eum in futura remuneratione opes supernæ. »

Vult enim docere Siracides divitias non tam parari nimiis curis et laboribus, quam esse donum Dei, et a Deo dari, cui ipsi libuerit, ac proinde eum sæpe dare eas parum laborantibus, negare vero eas multum laborantibus. Id enim significat comparatio festinantis ditari, sed frustra; ac marcidi, quem quasi otiosum ditat Deus : quam subnectit et expandit per tres versus proxime sequentes. Deus ergo, ut doceat homines non sibi, nec suis laboribus opes arrogare, sed eas exspectare et poscere a Deo, dat sæpe eas parum sollicitis, sed in se sperantibus; negat vero valde sollicitis, quia suis laboribus præfidunt, et Deo diffidunt.

Alludit ad *Proverb.* XXIII, 4 : « Noli laborare ut diteris, sed prudentiæ tuæ pone modum. Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere : quia facient sibi pennas quasi aquilæ, et volabunt in cœlum »

Qua de re illustria exempla exstant in Vitis Sanctorum. Illustre est quod legimus in Vita S. Isidori agricolæ Hispani, a Gregorio XV inter Sanctos relati, qui mane Sacris audiendis vacans, seriusque ad arationem veniens, tantum tamen et amplius agri per diem aratro subigebat, quantum cæteri qui neglecto Sacro a summo mane in vesperum aratrum duxerant; imo eo in templis orante, angeli visi sunt ejus loco terram aratro sulcare.

Rursum hujus sententiæ veritas maxime liquet in Religiosis novi Testamenti paupertatem voventibus, quibus a Christo promissum et datum est centuplum in hac vita, ac post eam vita æterna, *Matth.* XIX, 29. Qui proinde dicunt cum S. Paulo : « Sicut egentes, multos autem locupletantes; tanquam nihil habentes, et omnia possidentes, » II *Corinth.* VI, 10. Ita Rabanus, cujus præclara verba mox recitabo.

SECUNDA PARS CAPITIS,

IN QUA DUO MEDIA AD HUMILITATEM SUGGERIT, SCILICET PRIMUM, COGITARE QUOD DEUS OPES ET SORTEM CUIQUE SUAM DESTINET, ET DONET PRO SUO BENEPLACITO : SECUNDUM V. 20, MEMOREM ESSE QUOD MORS INSTET.

Vers. 12. 12. EST HOMO MARCIDUS,— Græce νωθρός, id est, languidus, torpidus, deses, ignavus, somnolentus, laborans veterno. Sic latine *marcidus* vocatur torpidus; et marcere torpore, est ignavia et inertia teneri, ait Budæus. Sic Plinius in *Panegyr.* vocat « marcidum somno; » et Ovidius, lib. II *De Ponto*, elegia 9 : « Otia marcescunt per inertes somnos; » et Claudianus lib. VI, *Paneg.* 8 : « Otia marcida luxu. » Quin et Livius, lib. VIII *Belli Punic.*, ait, « equitem marcescere desidia; » et lib. III *Belli Maced.*, « marcescere otio situque civitatem. »

EGENS RECUPERATIONE (id est, reparatione seu restauratione familiæ et annonæ), PLUS DEFICIENS VIRTUTE (id est, multum deficiens, viribus et robore), ET ABUNDANS PAUPERTATE.

13. ET OCULUS DEI RESPEXIT ILLUM IN BONO (ut ei benedicat et benefaciat: unde Græce est, *ad bona*), ET EREXIT EUM AB HUMILITATE IPSIUS, ET EXALTAVIT CAPUT EJUS ; ET MIRATI SUNT IN ILLO (id est illud, et illum) MULTI, ET HONORAVERUNT DEUM. — Probat id quod dixit, scilicet, laborantes et sollicitos subinde per omnem suum laborem non ditari, sed depauperari : ex adverso non laborantes a Deo ditari; ab exemplo, quia, inquit, sæpe homo laborat, festinat, laboribus et curis se excruciat, ut opes congerat; qui tamen non ditatur nec abundat, eo quod Deus ejus, utpote impii, labores et curas non secundet, nec prosperet; imo idem facit aliquando piis, uti S. Job, ad probandam eorum patientiam, ad purganda peccata, ad perficiendam eorum sanctitatem, ad exemplum aliorum. Ex adverso videmus sæpe quod homo marcidus, id est, languidus, tardus et torpidus, qui eget reparatione familiæ, et viribus deficit, ac abundat paupertate, ab oculo Dei benigno et benefico clementer respiciatur, erigatur, ditetur, et ad magna exaltetur; quod proinde plerique mirantur, et glorificant Deum. Unde concludit, non tam labori hominum, quam Dei munere obtingere divitias : Dei ergo gratiam cuique esse conciliandam, ab eoque sperandas et petendas esse opes, non nimias, sed commodas pro cujusque statu, familia et gradu. Quare clarius vertit Tigurina, *est qui laboret, moliatur et satagat*, ut opes congerat; *qui tamen egeat, multo magis. Est rursum qui tardus et opis indigus, viribusque destitutus, et abunde pauper, quem Dominus oculo favente respiciat, caputque ipsius conquassatum erigat, ut multis miraculo sit spectantibus qui Deum prædicent* Syrus quoque, qui concise quasi de uno et eodem, non de duobus, sic vertit, *est qui currit et fatigatur, et deficit corpus ejus; et Dominus sublimavit illum, et admirabantur super eum multi.* Hoc est quod duo reges sapientissimi et ditissimi docuerunt. David *Psal.* CXXVI, 1 : Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam. Vanum est vobis ante lucem surgere; surgite, postquam sederitis, qui manducatis panem doloris. » Et Salomon orans Deum *Proverb.* XXX, 8 : « Mendicitatem et divitias ne dederis mihi; tribue tantum victui meo necessaria. » Huc facit lemma horologii cujusdam solaris : « Aspice, et aspiciar, » *q. d.* Si tu, o sol, me aspicis, aspiciar ab omnibus : sic si Deus nos aspicit, aspicimur et honoramur ab omnibus. Respectus Dei ditat et beat

Porro præclare Rabanus in hæc Siracidis verba : « Iste locus, inquit, Christiana magis exprimit tempora in quibus illi qui paupertatem voluntariam sectantur, magis abundant omnibus bonis, quam illi qui certant in acquirendis quotidie terrenis divitiis. Quod et Psalmista in uno versiculo breviter expressit, dicens : Divites eguerunt, et esurierunt; inquirentes autem Dominum, non deficient omni bono. Terrarum siquidem divites, et pauperes Christi magnifica contrarietate distinxit; ait enim : Divites eguerunt, et non esurierunt. Quando egent divites? quando fidem non habent rectam. Quando esuriunt? quando minime pastu corporis Domini satiantur. Tales ergo divites egent, et saturati ventre, spiritu semper esuriunt. Quid enim habeant qui Deum requirunt? Subsequitur : Inquirentes autem Dominum, non deficient omni bono; quia nullo bono deficiunt, qui spiritali perfruuntur. Nam cum diligimus Dominum, in ipso omnia reperimus. Unus est qui quæritur, sed in quo omnia continentur. O lucrum mirabile! o compendium singulare! Cur nos per diversa fatigemus? ad ipsum ergo unanimiter festinemus, post quem cuncta bona ultra non quærimus, sed tenemus; sicut Apostolus dicit : Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. »

Vers. 14. 14. BONA ET MALA (non culpæ, sed pœnæ *q. d.* Læta et tristia, dulcia et amara, prospera et adversa, puta), VITA ET MORS, PAUPERTAS ET HONESTAS (id est, opulentia, divitiæ ; sic sæpe in Scriptura et apud profanos honesti vocantur divites) A DEO SUNT. — Tigurina, *a Domino proficiscuntur.* Est hæc conclusio educta ex præcedentibus, quasi præmissis, ac velut epiphonema, quo significat

Deum cuique suam sortem, vel prosperam vel adversam, item tempus vitæ et mortis, denique paupertatem vel divitias pro sua sapientia et beneplacito ab æterno decrevisse et prædestinasse, atque in tempore reipsa dare et exhibere, ac proinde neminem ea posse sibi, suoque labori et industriæ, multo minus fortunæ, arrogare; sed Dei providentiæ ea assignare debere, ideoque humiliare se sub potenti manu Dei, ab eoque suam sortem exspectare, ac petere ut vires et gratiam det ad eam rite sustinendam, vel certe ut eam in aliam meliorem commutet. Unde Syrus vertit, *bonum et malum, vita et mors, dives et pauper, coram Deo paria sunt. Paria*, quia pariter omnia sunt in manu et voluntate Dei, ut ad libitum ea mittat, revocet et commutet. Rursum *paria* sunt bonitate, tum entis, quia omnia sunt entia a Deo primo ente creata, ejusque esse participantia; tum moris, quia ad virtutem acuendam tam faciunt adversa quam prospera, tam mors quam vita, tam paupertas quam opulentia, imo sæpe magis : multi enim per adversa, per pericula mortis, per paupertatem convertuntur ad Deum, qui ejus obliviscebantur in prosperis, in vita felici, in rerum abundantia.

Quocirca Deus sæpe piis adversa et pauperiem, impiis vero prospera et opes immittit: sicut ossa solent dari canibus, inquit Palacius, ut ea rodentes sanguinem e dentibus mittant, et meliore cibo fraudentur; hic enim melior cibus est virtus et gratia, quæ datur piis. Quare pii impiis hanc felicitatem invidere non debent, sed velut modicam despicere, ac sperare longe majorem et æternam in cœlis, qua impii privabuntur; qui proinde magis compassione quam invidia sunt digni. Insuper quilibet hic tam se, quam quoslibet alios divinæ providentiæ substernat, in eamque resignet. Is enim felix, sanus, dives erit, quem Deus felicem, sanum, divitem esse voluerit; is infelix, æger et pauper erit, quem Deus talem esse ordinarit: Dei autem voluntas est rectissima, Dei judicium æquissimum, Dei ordinatio sanctissima, etiamsi hominibus subinde id non appareat.

Præclare Tertullianus, lib. II *Contra Marcion.* cap. XIV: « Ad omnia, inquit, tibi occurrit Deus, idem percutiens, sed et sanans; mortificans, sed et vivificans; humilians, sed et sublimans ; condens mala, sed et pacem faciens, ut etiam et hic respondeam hæreticis. Ecce enim, inquiunt, ipse se conditorem profitetur malorum, dicens : Ego sum qui condo mala; amplexi enim vocabuli communionem, duas malorum species in ambiguitate turbantem, quia mala dicuntur, et delicta, et supplicia; passim volunt eum conditorem intelligi malorum, ut et malitiæ injuste auctor renuntietur. Nos autem adhibita distinctione utriusque formæ, separatis malis delicti et malis supplicii, malis culpæ et malis pœnæ, suum cuique parti definimus auctorem: malorum quidem peccati et culpæ, diabolum; malorum vero supplicii et pœnæ, Deum creatorem, ut illa pars malitiæ deputetur, ista justitiæ, mala condentis judicia adversus mala delicti. »

Denique cum tam paupertas quam opulentia, tam morbi quam sanitas, tam adversa quam prospera, sint creaturæ Dei, peculiari Dei providentia et amore a Deo creatæ, et cuilibet justo immissæ et admensæ ad ejus profectum et salutem; sequitur, quod tam in his, quam in illis amare debeamus Deum creatorem : ille enim in omnibus creaturis amandus est, et omnes in illo; idque æqualiter, quia æqualiter omnes sunt creaturæ et dona Dei, imo adversa sæpe majora sunt dona Dei, quam prospera, quia magis salutifera, uti jam dixi. Rursum purior est Dei amor in adversis quam prosperis; purius enim amatur Deus in cruce et afflictione, quam in deliciis et voluptate, quia in cruce nihil habet quod amet amor carnalis vel sensualis, uti habet in deliciis. Cum ergo amatur Deus in cruce, spiritali et puro amore diligitur, quia nil in ea diligitur nisi Deus. Ex cruce vero, et puro amore Dei in cruce, discimus eumdem purum Dei amorem extendere ad opes, delicias, et prospera quæque, ut in illis nihil diligamus nisi Deum. Atque in hoc perfectio amoris et sanctitatis consistit, ut scilicet in omnibus creaturis nihil amemus nisi Deum creatorem, v. g. non amemus delicias quia gustui suaves sunt, non amemus dignitates quia honorificæ sunt, non amemus opes quia divitem et splendidum faciunt, sed tantum propter Deum, nimirum quia Deus in iis latet, in iisque amandum se offert, ut per ea illi obsequi et servire valeamus.

Signum puri amoris Dei.

Porro signum hujus puri et perfecti amoris Dei est, si æqualiter in omnibus Deum amemus; tam enim Deus est in cruce, quam in commoditate, perinde ac Christus æque dilexit Deum in monte Calvariæ, ac in monte Thabor gloriose transfiguratus ; quia in sua transfiguratione non suam gloriam et commodum, sed Dei tantum amavit; perinde ac in crucifixione non suam ignominiam, sed Dei tantum voluntatem et gloriam dilexit: tam enim Deus et Dei gloria erat in cruce Calvariæ, quam in gloria Thabor. Qua de re pie et eximie tractat Franciscus de Sales, Episcopus Genevensis, lib. X *De Amore Dei*, cap. V. Hic amor Dei spoliat amantem omni alio amore, ut dicat cum sponsa: « Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia (puri amoris), donec aspiret dies, et inclinentur umbræ. »

Quocirca pie S. Gregorius Nazianzenus, *epist.* 63 : « Gratias ago, ait, ut in lætis rebus, ita etiam in acerbis; quia exploratum habeo, nihil rerum nostrarum apud summam rationem expers esse rationis. » Quin et Seneca, lib. *Quare bonis*, etc. cap. II: « Ego vero, ait, non miror, si quando voluptatem capiunt dii, cum spectant magnos viros luctantes cum aliqua calamitate. Non video quid habeat Jupiter in terris pulchrius, quam ut

spectet Catonem jam partibus non semel fractis, stantem inter ruinas publicas rectum. » Igitur sicut in thermis ex uno latere videmus ebullire aquam calidissimam, ex alio frigidissimam, quæ in thermis commistæ temperatum et salutare efficiunt balneum: sic in hisce mundi thermis cernimus a Deo emanare bona et mala, læta et tristia, quasi ex duabus Dei mammis, misericordiæ et justitiæ; quibus inter se contemperatis, salutare homini fit balneum, ne in adversis desperet, nec in prosperis intumescat. Quare dicat cum Psalte *Psalm.* XXXIII : « Benedicam Dominum in omni tempore (adverso æque ac secundo) : semper laus ejus in ore meo. »

Mystica mors a Deo, quæ?

Mystice, hæc sententia menti et spiritui aptari potest; ejus enim ingenium, solertia, vigor, æque ac stupiditas, tarditas et hebetudo, a Deo sunt; item « vita et mors, » qua quis moritur peccatis, acediæ et vitiis, ac vivit virtutibus, fervori, perfectioni; denique « paupertas et honestas, » qua nunc abundat gratia, lætitia et consolationibus, nunc iis destituitur, plenusque est aridate, desolatione, tristitia, tentationibus. Tunc ergo dicat anima fidelis, humilis et patiens cum S. Paulo : « Scio et abundare, et penuriam pati, » *Philipp.* IV, 12.

Rursum quod aliqui, v. g. S. Paulus et Apostoli, abundent sapientia, eloquentia, fortitudine spiritus, sanctis inspirationibus, omnique gratia tam gratum faciente, quam gratis data; aliis vero hæc omnia parce dentur, pendet a Deo, qui sua dona distribuit prout vult, juxta illud Apostoli I *Corinth.* XII, 4: « Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus; et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. » Vide sequentia.

Objicies : *Sapient.* I, vers. 13, dicitur : « Deus mortem non fecit. » Ergo mors non est a Deo, Respondeo : Deus mortem primitus non creavit, quia fecit hominem immortalem; at postquam peccavit, mortem quasi justam pœnam illi inflixit, *Genes.* III : inde cuilibet tempus moriendi æque ac vivendi præfixit. Ita S. Augustinus in Sententiis collectis a S. Prospero tomo III, *Sent.* 303 : « Justum, ait, Dei judicium est, ut peccato suo quisque pereat, cum Deus peccatum non faciat, sicut mortem non fecit; et tamen quem dignum morte sensit, occidit. Unde legitur : Mors et vita a Deo est. Quæ duo non esse contraria, profecto videt, quisquis ab operibus divinis judicia divina discernit; quia aliud est creando non instituisse mortalem, aliud, judicando plectere peccatorem. » Idem in *Quæst. veteris et novi Testament., Quæst.* XXXIV : « Dum, inquit, unumquemque adjudicat quid mereatur, ab ipso est sive absolutio ad vitam, sive reatus ad mortem; non ergo inventor mortis est, sed judex, quia mortis auctor peccatum est, » etc. Eadem ratione, paupertas et honestas a Deo sunt; paupertas enim sæpe est pœna peccati, præsertim gulæ, prodigalitatis et acediæ; at non semper: nam S. Job innocenti immissa est ad probandam ejus virtutem: de quo plura vers. 13.

15. SAPIENTIA, ET DISCIPLINA, ET SCIENTIA LEGIS V APUD DEUM. DILECTIO, ET VIÆ BONORUM APUD IPSUM. — Dixit bona corporis esse a Deo : nunc idem dicit de bonis animæ, tam intellectus, ut sunt « sapientia, disciplina et scientia, » sive cognitio, « legis; » quam affectus et voluntatis, uti est « dilectio, et viæ bonorum, » id est, exercitia et actiones bonorum operum, ut habent Græca, quæ a dilectione manant. Nam, ut ait S. Dionysius *Eccles. Hierarch.* cap. II : « Primus ad divina motus, Dei dilectio est. Porro sacræ dilectionis ad divina mandata facienda principalis omnino progressus est secretissima illa et ineffabilis operatio, qua divinus in nobis status efficitur. « Hæc ergo omnia sunt « apud Deum » id est, in Deo, quasi rerum omnium principio, a quo velut sole per radios in homines sparguntur. Unde græce est, παρὰ Κυρίου, id est, *a Domino.*

Porro « sapientia » est rerum sublimium et divinarum cognitio ; « disciplina, » græce ἐπιστήμη, id est scientia, est cognitio rerum humanarum, præsertim ad mores spectantium, qualis est lex : ita S. Augustinus lib. XII *De Trinit.* cap. XIV. Unde Syrus vertit, *sapientia et continentia et scientia legis a Deo est, charitas et viæ bonorum operum ab ipso sunt,* Tigurina, *item sapientia ac scientia, legisque peritia, tum charitas et instituta bonorum operum ad eo oriuntur.* Ubi nota *vias bonorum* vocari *primo,* proposita et instituta bonorum operum; *secundo,* eorumdem actionem et executionem: per hanc enim quasi per viam ad eorum consummationem tenditur; *tertio,* modos, rationes, occasiones et circumstantias, quæ quasi viæ ad bona opera iter aperiunt. Unde S. Paulus crebro orat viam et ostium sibi aperiri Corinthi, Colossis et aliis in locis ad prædicandum ibidem Evangelium, ut patet I *Corinth.* XVI, 9; *Coloss.* IV, 3; *Apocal.* III, 8.

Idem cuilibet orandum, ut scilicet quotidie Deus vias bonorum operum nobis pandat, ideoque dicendum crebro cum Psalte: « vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me, » *Psal.* XXIV, 4. Et: « Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas! » *Psal.* CXVIII, 5. Hæ sunt viæ vitæ, quæ ducunt ad vitam gratiæ et gloriæ, de quibus *Psalm.* XV, vers. 11 : « Notas mihi fecisti vias vitæ. » Errat ergo Seneca, dicens : « Deorum immortalium munus est quod vivimus, philosophiæ quod bene vivimus. » Et ille loquens de Deo :

Det vitam, det opes ; animum æquum mi ipse parabo.

Similia dixere alii superbi Philosophi, et inter Christianos Pelagiani. Sapientius alii sibi diffisi sunt. Unde viam ingressuri Herculi sacrificabant, ut ipse iter prosperaret, teste Festo Pompeio

lib. XIV, et Alexandro ab Alexandro lib. III, cap. XXII. Sed fidelibus nullus est Hercules nisi Deus.

Vers. 16. 16. ERROR ET TENEBRÆ PECCATORIBUS CONCREATA SUNT : QUI AUTEM EXULTANT IN MALIS, CONSENESCUNT IN MALO. — Manuscripti codices habent, *qui autem exsultant in malum, consenescunt in mala.* Hic versus et præcedens desunt in Græcis Romanis, et nonnullis Latinis, ut Rabano, Lyrano, Dionysio et aliis, quos citat hic Franciscus Lucas ; habentur tamen in Græcis Complutensibus et cæteris, ubi posterior pars per elegantem paronomasiam sic habet : τοῖς δὲ γαυριῶσιν ἐπὶ κακὰ, συγγηρᾷ κακία, id est, *his vero qui exsultant in malis, consenescit malitia;* et Syrus, *error et tenebræ peccatoribus creatæ sunt, et cum illis qui in malitia nutriti sunt malitia consenescit.* Dixit vers. 14, bona et mala corporis a Deo creata esse, hisce adjunxit bona animi vers. 15, nunc addit mala animi, puta errorem et tenebras. Hæc asserit non absolute esse creata a Deo (uti voluere Manichæi), sicut dixit de malis corporis vers. 14, sed esse « peccatoribus concreata, » scilicet proprie et directe ab ipso peccato et peccatore, improprie vero et indirecte a Deo. Omne enim peccatum involvit et convictum habet aliquem errorem practicum, quo peccator judicat sibi hic nunc esse peccandum; unde ait Salomon *Prov.* XIV, vers. 22 : « Errant qui operantur malum. » Rursum peccatum inducit caliginem menti, quasi effectum sibi proprium. Judicium enim erroneum actuale, quo judicat sibi hic et nunc esse peccandum, inducit et relinquit post se simile judicium erroneum habituale. Rursum actus peccati producit propensionem et habitum ad iterandum peccatum, quod errorem jam dictum includit. Ita olim Gentes ex iteratione fornicationis, ebrietatis aliorumque scelerum æstimabant ea non esse, vel certe exigua esse peccata, uti docet Apostolus *Ephes.* cap. II, 3, et cap. V, 8. Idem etiam inter Christianos suis cupidinibus addictos fieri videmus. Hi ergo errores proprie causantur a peccato. Unde idipsum innuens subdit : « Qui autem exsultant in malis, consenescunt in malo, » *q. d.* Qui persistunt in malis, in iisque se obdurant, imo exsultant, hi sua pertinacia in malitia consenescunt, quia eam mordicus retinent, nec abdicare, aut de ea pœnitere et resipiscere volunt. Idem tamen errores improprie et indirecte causantur a Deo, quia scilicet Deus eos permittit, et quia peccatori velut indigno et ingrato aufert lumen inspirationis et gratiæ suæ, quo ablato peccator versatur in tenebris concupiscentiæ suæ : perinde ac qui noctu aufert candelam e cubiculo, tenebras in illud inducere dicitur. Vide dicta *Exodi* VII, 3, ubi recensui modos quibus Deus excæcat et indurat peccatores. Hoc est quod S. Augustinus Deum alloquens ait : « Spargis pœnales cæcitates super illicitas cupiditates. » Denique Deus proprie creavit et præparavit peccatoribus tormenta et tenebras gehennæ, *Matth.* cap. VIII, 12 (quod innuit hic Syrus), quæ damnatos inducunt in multos errores, blasphemias et desperationes.

« Error » ergo « et tenebræ peccatoribus concreata, » id est, congenita et cognata, « sunt, » quia peccator mox ut peccat, peccato suo sibi ascisit errorem et tenebras, quasi peccati cognatas. Est enim peccato sua generatio, prosapia et progenies ; sicut enim virtus virtutem, sic vitium parit vitium. Sic congenita dicitur superbiæ invidia, crapulæ libido, avaritiæ fraus ; quia superbia parit invidiam, crapula libidinem, avaritia fraudem. Rursum sicut virtus illuminat, gignit, augetque prudentiam in agendis : sic peccatum obtenebrat, gignit, augetque imprudentiam agendorum. Hinc S. Joannes I *epist.* crebro ait justos versari in luce, peccatores vero in tenebris ; adeoque ipsæ virtutes quid sunt nisi lumina veritatis ? et vitia quid sunt nisi tenebræ falsitatis ? ait quidam Sanctorum. Hoc est quod ait Psaltes *Psal.* LVII, 4 : « Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero. » Petronius exemplum dat Quartillam, quam sic loquentem inducit : « Junonem meam iratam habeam, si me unquam meminerim virginem fuisse. Nam infans cum paribus inquinata sum (notent hoc parentes, ut infantibus suis caveant), et subinde prodeuntibus annis, majoribus me pueris applicavi, donec ad hanc ætatem perveni. »

Ex dictis liquet proprie hic agi de errore qui sequitur peccata actualia, non originale, licet aliqui ad illud extendant. Illud enim omnium peccatorum et errorum fuit fons et origo. Nam, ut ait S. Augustinus lib. XXII *De Civit.* cap. XXII : « Quid aliud indicat horrenda quædam profunditas ignorantiæ, ex qua omnis error existit, qui omnes filios Adam tenebroso quodam sinu suscipit, ut homo ab illo liberari sine labore, timore, dolore non possit ? » Idem lib., I *De Peccat. mer.* XXXVIII, idem confirmat ex pullis animalium, quæ statim ut nati sunt, matrem agnoscunt, ejusque ubera sugunt : « Contra homini nato, inquit, nisi opere nutrientis admotis labris papillæ uberis ingerantur, nec ubi sint sentiunt, et juxta se jacentibus mammis magis possunt esurientes flere quam sugere. »

Vitia juventutis in senium durant.

Nota τὸ *consenescunt,* id est, usque ad senium perdurant, vitam finiunt, moriuntur, judicantur, damnantur. Hæc enim omnia per metalepsin significat τὸ *consenescunt.* Ex juventute ergo pendet senectus, ex senectute mors, ex morte judicium, ex judicio æternitas et gehenna. Nam, ut docet S. Augustinus, qualiter quis vivit, taliter et moritur ; ac sicut vixit juvenis, sic vivit et senex. Vis ergo bonum senium ? benefac, et bonis assuesce in juventute. Vis sanctam mortem ? præmitte sanctam vitam. Hinc videmus juvenes addictos veneri et ventri, senes quoque libidinosos et gulosos permanere. Quocirca Venus Libitina, id est funeralis, cognominata est, quod usque ad funus et mortem perseveret, imo et sæpe homini mortem afferat. Unde et in templo Libitinæ, quæ ad

sepulturam spectabant venumdabantur, teste Plutarcho in *Numa*. Ægyptiis quoque Venus dicta est Nephte, id est, finis et mors, teste eodem lib. *De Iside*. Hoc est quod ait Job cap. XX, 11 : « Ossa ejus implebuntur vitiis adolescentiæ ejus, et cum eo in pulvere dormient. » Quam vero hoc sit turpe et infame, declarat S. Chrysostomus homil. 1 *in epist. ad Hebr.*: « Quomodo, ait, non est absurdum, et supra veniam quod fit, ut senex in taberna sedeat, senex ad circum festinet, senex ad theatrum ascendat, veluti pueri currentes cum plebe. Vere confusio est et irrisio, ut canitie quidem ornetur extrinsecus, intrinsecus autem intellectum habeat puerilem. » Et Seneca, lib. II *Controv.* VII : « Senex, ait, amens, senex ebrius, circumdatus sertis, delibutus unguentis, et in præteritos annos retro se agens, et validus in voluptatibus quasi juvenis exsultans, nonne portentum est? Luxuriosus adolescens peccat, senex autem luxuriosus insanit. » Nimirum :

Turpe senex miles, turpe senilis amor.

Vers. 17. 17. DATIO, (id est, donum), DEI PERMANET JUSTIS (Græce εὐσεβέσι, id est piis, religiosis), ET PROFECTUS ILLIUS SUCCESSUS HABEBIT IN ÆTERNUM. — *Profectus* active hic sumitur, *q. a.* Quod Deus vult proficere et promovere, hoc successus habebit : græce enim est εὐδοκία, id est, beneplacitum Dei. Unde Palacius : Profectus, inquit, id est, quod a bona Dei voluntate profectum est ; verum vox *profectus* hoc sensu passivo non est in usu apud Latinos, ut significet, donum profectum a Deo. Syrus, *donum Dei permanet timentibus eum, et voluntas ejus in æternum firmabitur ;* Tigurina, *donum Domini apud pios permanet, et favor ipsius procedit perpetuis successibus ;* alii, *largitio Domini permanet piis, et benevolentia ejus felicitat in æternum*. Mihi verisimile est nostrum Interpretem pro εὐδοκία, legisse εὐλογία, id est benedictio : hanc enim vocem Noster vers. 24 vertit, *processus*. Sed eodem res redit : εὐδοκία enim, id est, beneplacitum Dei, parit in nobis εὐλογίαν, id est benedictionem, et beneficentiam omnemque felicitatem.

Dixit, omnia bona tam impiis quam piis data, esse dona Dei ; nunc inter illos et illa ponit discrimen : quod scilicet dona a Deo data piis, iis permaneant et prosperentur ; impiis vero data, non permaneant, nec prosperentur, uti dicit vers. sequent. quocirca illa ad modicum tempus eis a Deo data, et quasi commodata duntaxat videntur, quia sæpe in vita post brevem eorum gustum, et semper in morte, omnia eis auferuntur.

Hæc sententia locum habet in bonis temporalibus, et magis in spiritualibus. « Deus namque sua gratia semel justificatos non deserit, nisi prius ab eis deseratur, » ut ex S. Augustino ait Concilium Tridentinum *sess.* VII, cap. XI ; quin et Apostolus : « Sine pœnitentia, » Græce ἀμεταμέλητα, id est *impœnitibilia*, vel, ut alii legunt, ἀμετάθλητα, id est *immutabilia*, « sunt dona et vocatio Dei, » *Rom.* XI, 29.

Rursum gratiam quam dedit Deus justis, solet promovere, augere, perficere, juxta illud : « Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu, » *Philip.* I, 6. Unde Concilium Tridentinum, *sess.* VI, cap. XIII : « Deus enim, inquit, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle et perficere. » Quocirca Rabanus : « Solis ergo justis, inquit, hoc est fidelibus, et timentibus Deum, donum perpetuæ lucis servatur, ut in profectu virtutum ambulantes multiplici mercede in æternum remunerentur. » Duo hic nota, ait Palacius : « Prius est, Deum nunquam auferre dona sua, nisi ea homo sibi auferat : itaque in datione prior est Deus, in ablatione posterior. Objicies : Numquid non Deus lucem prophetiæ, revelationum et consolationum aliquando aufert a justis? Vide sponsam, cui sine culpa forte est absens sponsus, *Cantic.* V. Rursum nonne bona, et dona temporalia justis persæpe auferuntur? Certe S. Job ablata fuere. Respondeo : Hæc sententia et similes non significant quid semper, sed quid sæpe fiat. » Rursum, « licet jam dicta videantur justis quandoque auferri, manent tamen non in se, sed in re meliore : nam dat Deus patientiam, quæ melior multo est aut his aut illis bonis. Posterius est, dona Dei otiosa non esse, sed suos successus et proventus habere. » Ad hoc enim dantur a Deo, ut homo per ea proficiat et crescat in gratia et gloria, non modico tempore, sed in æternum : sicut lux auroræ crescit usque ad meridiem ; et sicut arbor crescit frondibus, floribus et fructibus, juxta illud : « Ibunt de virtute in virtutem ; videbitur Deus deorum in Sion, » *Psalm.* LXXXIII, 8. Et illud : « Justorum semita, quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem, » *Prov.* IV, 18.

Vers. 18. 18. EST QUI LOCUPLETATUR PARCE AGENDO (Græce, *ex attentione et parcimonia*, vel *tenacitate ;* Syrus, *ex paupertate sua*, quia scilicet attentus ad rem parce vivit), ET HÆC EST PARS MERCEDIS ILLIUS. — Tigurina, *et hunc solum consequitur fructum pro præmio suo*, suæ scilicet parcimoniæ et tenacitatis.

Vers. 19. 19. IN EO QUOD DICIT : INVENI REQUIEM MIHI, ET NUNC (Lucius Papa pro *nunc*, legit *non*, epist. 1) MANDUCABO DE BONIS MEIS SOLUS. — Græca pro *solus* habent ἀδιαλείπτως, id est indesinenter, assidue.

Vers. 20. 20. ET NESCIT QUOD TEMPUS (Græce τίς καιρός, id est, quod vel quantum tempus) PRÆTERIET (Complutenses addunt, *illum*), ET MORS APPROPINQUET, ET RELINQUAT OMNIA ALIIS, ET MORIETUR. — Alludit ad *Eccle.* IV, 8 : « Unus est, et secundum non habet, non filium, non fratrem ; et tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi ejus divitiis : nec recogitat dicens : Cui laboro, et fraudo animam meam bonis? In hoc quoque vanitas est, et afflictio pessima. » Simile est ibidem cap. VI, 2.

Dixit dona Dei permanere justis, ut iis ipsi diu utantur et fruantur, eaque in suum et aliorum com-

modum expendant, ideoque prosperos habeant successus; nunc per antithesin ostendit contrarium evenire impiis, puta avaris et tenacibus, qui mentem terræ affixam, et cor in auro sepultum habent. His enim non permanent bona, triplici de causa. *Prima* est, quod eis uti non audeant, sed avare eas in cistis recondant: quare bona non manent ipsis, sed cistis. Unde Bion apud Laertium lib. IV, cap. VII, sordes avari taxans: « Hic, inquit, facultates suas non possidet, sed ipsum possident facultates. » *Secunda*, quod sperent se iis assidue usuros, cum sitim avaritiæ expleverint, totque nummos congesserint, quot optant: hoc autem nunquam fiet, quia « crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit: » quare non ex bonis, sed ex hac inani et fallaci spe vivunt, velut chamæleontes ex aere; hæcque spes facit, ut bonis uti non audeant, sed iis uti et frui semper differant, donec suam cupiditatem expleverint: quod cum nunquam futurum sit, nunquam quoque iis usuri sunt. *Tertia*, quia nescit « quod, » id est, quantum tempus, παρελεύσεται, id est, « præteribit ipsum, » *q. d.* Nescit quanto tempore victurus sit, nescit quot anni vitæ ipsi supersint, ut eos in bonorum coacervationem, et eorum usum fructumque partiri possit. Syrus, *nescit quis sit finis suus*. Unde Anacharsis apud Laertium lib. I, cap. IX, avaris maria pernavigantibus palmarem duntaxat esse vitam asserebat, ac palmo tantum distare ipsos a morte. Cum enim quæsiisset a mercatore navigante, quanta esset crassitudo navis? ac ille respondisset, quatuor digitorum, subintulit: « Tantumdem a morte absunt, qui avaritia et lucri cupiditate irritati enavigant maria. »

Avarorum phrenesin triplex.

Apposite dicit, tempus præterire avarum: quia tempus non consistit, sed continuo fluit et præterit, hocque suo fluxu et præteritione omnia circumdat, omnia complectitur, omnia pertransit, omnia finit, occidit, sepelit, et secum præterire facit. Unde, quantum temporis vivo, tantum temporis me vitamque meam præterit et pertransit. Rursum avarus nescit nec cogitat, τίς καιρός, id est *quod*, hoc est, *quale tempus*, qualis scilicet occasio et opportunitas lucrandi opes æternas prætereat. Si enim opes expenderet in pauperes et res pias, emeret divitias maximas et æternas in cœlis. At nunc hac occasione non utitur: sequetur brevi mors, quando sero dolebit se hoc tempus amisisse et tanta lucra neglexisse, cum in morte vel invitus suas opes relinquere debeat, sine merito et fructu. Porro, avarus si sciret sibi decem, v. g. annos vitæ tantum superesse, cogitaret: Ergo satis opum per triginta annos corradam, quod abunde sufficiet ad laute vivendum per decem annos qui mihi supersunt. Quare cessabo a labore et angore congregandi, ac congregatis quiete et opipare fruar et gaudebo. At hoc nescit, nec cogitat, imo ita corradit, ac si Nestoreos annos victurus esset: et interim supervenit mors, quæ illum omnibus tanto sudore coacervatis privat, eaque ad alios, sæpe externos, ingratos et inimicos transcribit, juxta parabolam Evangelicam divitis, dicentis sibi: « Anima, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te: quæ autem parasti, cujus erunt? » *Lucæ* XII, 20. Quæ verba urgens S. Basilius, homil. *in Divitem avarum*, exclamat: « O verba stultissima! o dementiam singularem! nam si porcinam habuisses animam, quid aliud ipse enuntiare potuisses? ita pecuinus es, ita bonorum animæ ignarus, eam ut illectes carnalibus epulis, et, quæ alvi secessus recipit, animæ destines? Si quidem illa virtutem habet, si plena est bonis operibus, si Dei gratiam conciliavit ac familiariter ascivit, tunc sane multa bona habet, tunc lætari poterit bona lætitia. » Et Origenes, homil. 12 *in Jerem.*, Habes multa bona: « Frumentum, inquit, et terrenorum ubertatem fructuum esse arbitratus est bona, nesciens quia vera bona non nascuntur in terra maledicta, sed in cœlestibus regionibus. »

Porro S. Ambrosius, lib. I *Officior.* cap. XLIX: « Sæpe, inquit, quod avarus summa congesserat sollicitudine, præcipiti diffusione dilapidat hæres luxuriosus: et diu quæsita, turpis helluo, præsentium cæcus, futuri improvidus quadam absorbet voragine. Sæpe etiam speratus successor invidiam partæ acquirit hæreditatis, et celeri obitu extraneis aditæ successionis transcribit compendia. »

Denique sapienter S. Augustinus in illud *Psal.* XXXVIII, 8, *Et nunc quæ est expectatio mea? nonne Dominus? et substantia mea apud te est:* « Dominus, inquit, est exspectatio mea, qui dedit omnia ista, quæ contemnam: ipse mihi dabit et se, qui est super omnia, et per quem facta sunt omnia, et a quo factus sum inter omnia. Ipse est exspectatio mea Dominus. »

Id ipsum repræsentat Græcum σφιγγία, id est tenacitas, parcimonia, constrictio, a σφίγγω, id est stringo, astringo, constringo. Unde dicta est Sphinx, quam Poetæ fingunt esse monstrum habens faciem virginis, pennas avium, pedes leonis. Sphinx enim dicta est ab effectu, quod homines suis quæstionibus ita stringeret, ut se expedire non possent; vel quod omnium mentes suis propositionibus ligaret. Statius in lib. I *Thebaid.* scribit sphinga monstrum fuisse, alas et ungues habens, in similitudinem Harpyiarum (unde symbolum fuit avaritiæ et rapacitatis), quod insidens scopulo viæ imminenti insolubilia ænigmata prætereuntibus proponebat; quæ cum solvere non possent, ex improviso veniens, alis et unguibus ad se in rupem trahebat. Hoc autem ænigma præcipue proponebat: Quodnam animal est mane quadrupes, meridie bipes, vespere tripes? Œdipus tandem id solvit, dicens esse hominem, qui in infantia manibus et pedibus nitens, quadrupes

Sphinx quæ?

est; factus vir, graditur bipes; senex utens baculo, incedit tripes. At avari id solvere nequeunt, quia se semper bipedes fore sperant, nec de senio et morte cogitant. Porro quod dixi, sphingem fuisse harpyiam, ideoque typum avari et rapacis, confirmat quod scribit Michael Byzantius, et ex eo Pierius *Hieroglyph.* lib. I, cap. XXI, meretrices quasdam ex Megara sphinges fuisse appellatas, eo quod humano capite mansuetudinem præ se ferrent, cæterum corpore reliquo leonino rapacitatem et imperium, quod in amatores exercent, indicarent: unde Megaricæ sphinges vocantur meretrices. Rursum avaritia stringit mentem avari quasi sphinx, milleque curarum et sollicitudinum quæstiones molestissimas illi assidue suggerit et proponit, ex quibus se extricari non potest. De sphinge plura habet Natalis Comes lib. IX *Mythologiæ*, cap. XVIII.

Denique τὸ *et morietur*, Rabanus et alii nonnulli omittunt. Unde Franciscus Lucas opinatur illud in aliis codicibus irrepsisse. Nam τὸ *et morietur*, inquit, incommode positum est post, *et relinquet omnia aliis*: prius enim homo moritur quam omnia aliis relinquat, imo ex eo quod relinquat omnia aliis, satis intelligendum relinquitur quod morietur. Codex Cardinal. Bessarionis legit contrarie, *non morietur*, scilicet quoad animam, quæ immortalis immortali judici sistetur, ut immortalem pro meritis accipiat sententiam. Verum codices Romani, Complut. cæterique Græci et Latini legunt, *et morietur*: prius enim ægri testamentum condunt, in quo sua aliis legando relinquunt, ac deinde moriuntur.

21. STA IN TESTAMENTO TUO, ET IN ILLO (eum illo) COLLOQUERE, ET IN OPERE MANDATORUM TUORUM VETERASCE. — Pro *testamento*, Græce est διαθήκη, quod Septuaginta reddere solent pro ברית *berith*, id est *pactum, fœdus*: quo fit ut Græcum διαθήκη, et Latinum *testamentum*, sæpe quodlibet fœdus et pactum significet, uti ostendi I *Cor.* XI, 25, et *Hebr.* IX, vers. 20. Rursum pro *colloquere*, Græce est μέλει, id est conversare, consuetudinem habe, tracta, convive, colloquere, *q. d.* Assidue cum illo age, meditare, pertracta; unde Tigurina vertit, *fac maneas in pacto tuo, in eoque sis assiduus, ac in officio tuo consenescas*; alii, *persiste in pacto tuo, et versare in eo, et in opere tuo consenesce*; Syrus, *sta super viam tuam, et illi innitere, et in operibus ejus ambula, et veterasce*; Arabicus, *fili mi, sta supra viam tuam, et persevera in ea, et inhære illi dum vives, q. d.* Persiste in statu tuo, et modo vivendi laudabili, quem amplexus es, ut servias Deo.

Dixit avaros et impios corrogare divitias, et sæpe ditari per fas et nefas, innuens pios et timoratos depauperari: nunc ne quis piorum amore divitiarum impios æmuletur, ac opes per fas et nefas conquirat, monet et confirmat eos, ut in justitia et Dei timore persistant, eo quod Deus, si non in hac vita, certe in altera mox obventura eos æternis cœli divitiis ditabit. Ait ergo: « Sta in testamento, » id est pacto quod cum Deo inivisti, tum olim in circumcisione, tum nunc in baptismo, quo te Dei cultui addixisti, ejusque leges servaturum te spopondisti.

Hinc S. Gregorius Nazianzenus *orat.* 40 asserit baptismum non esse aliud « quam pactum quoddam cum Deo initum secundæ vitæ et purioris, ac præstantioris instituti; atque animas nostras accuratissima custodia servandas, ne falsam professionem edidisse videamur. Nam cum ad mutua hominum pacta firmanda Deus mediator adhiberi soleat, quanto periculosius est, magisque timendum, ne fœdera cum ipso Deo astricta rupisse videamur. » Et S. Chrysostomus, homil. *de Martyribus*, quod aut imitandi sunt, aut non laudandi, tomo III: « Exere vires, inquit, fortiter dimica, atrociter in prælio isto concerta. Considera pactum, conditionem attende, militiam nosce: pactum, quod spopondisti; conditionem, qua accessisti; militiam, cui nomen dedisti. »

Juvenalis, *Satyr.* 14, avarorum phrenesin et furorem incusans, exclamat:

> Sed quo divitias hæc per tormenta coactas?
> Cum furor haud dubius, cum sit manifesta phrenesis,
> Ut locuples moriaris, egenti vivere fato.

Et *Satyra* 12:

> Non propter vitam faciunt patrimonia quidam,
> Sed vitio cæci propter patrimonia vivunt.

Hinc avarum Poetæ repræsentant per Tantalum, qui apud inferos inter dulces cibos esurit, inter aquas et vina sitit. Unde Horatius lib. I *Serm.*, satyra 1:

> Tantalus a labris sitiens fugientia captat
> Flumina... quid rides? mutato nomine, de te
> Fabula narratur.

Hinc *secundo*, Lyranus et ex eo Palacius: « Sta in testamento, » hoc est, inquit, in lege Dei, quæ in Scriptura vocatur *testamentum*, sive pactum; quia conditio pacti, quod Deus nobiscum pepigit, est lex, ut scilicet ejus legem observemus. Sic dicitur cap. XLIV, 12: « In testamentis, » id est, in Dei legibus, « stetit semen eorum. » Unde addit, « in illo colloquere, » *q. d.* Legem intra te cōnsule: cum quid facturus es, legem adeas; cum quid dubitas, ab ea pete responsum. *Tertio*, particularius, « sta in testamento, » id est, obligatione et pacto, quod inivisti cum Deo quando statum vitæ delegisti, ut cum conjugio te mancipasti, cum sacerdotio initiatus es, cum in religione quapiam professus vota solemnia Deo nuncupasti, cum episcopatum, prælaturam, aut officium aliquod suscepisti. Tunc enim Deo te obligasti, et quasi cum eo pactus es, te illo statu et officio secundum leges Dei et Ecclesiæ, rite et sancte perfuncturum usque ad ultimum vitæ spiritum. Vide ergo, ut in eo quod pactus es vel vovisti, sis constans, nec resilias vel apostates, ut, si

Religioni obstrictus sis, velis eam deserere, et uxorem ducere, vel cælibem liberamque vitam agere.

Gnomæ antistrophæ Siracidi.

Huc facit proverbium Ben-Sira *Alphabet.* 1, littera *Gimel:* « Os, quod in sorte tua cecidit, illud rode: » quod ejus interpres adaptat uxori, *q. d.* Uxorem quam nactus es, sive bona sive mala sit, non dimitte, sed retine : quia repudia, licet lege veteri permissa, tamen multis displicuerunt. Nam qui priorem dimittit, sæpe in pejorem incidit; et qui prius conjugium solvit, raro felix est in secundo, uti patuit in sex conjugiis Henrici, regis Angliæ. Sic qui leviter ab uno Ordine ad alium transeunt, majores in eo experiuntur difficultates. Et illud Senecæ in *Proverbiis* : « Aberrare a fortuna tua non potes, obsidet te. » Spartam ergo quam nactus es, hanc exorna. Et illud Platonis in *Phædone* : « Nulli hominum fas est discedere ab eo quod Deus ei imperavit. » Et illud Ciceronis : « Nulli fas est e statione abire, in qua a summo Imperatore collocatus est. »

Audi Rabanum : « Stat, inquit, in testamento suo, et in illo colloquitur, qui in præcepto sibi divinitus commendato fideliter manet, et in illo assidue meditatur. In opere mandatorum Dei veterascit, qui in bonis operibus usque ad finem perseverare studet, et a peccatis omnibus, quantum possibile est, cavet. Qui enim fide stat, et juste vivere certat, benedictio Dei in æterna beatitudine illum remunerabit, et repletum fructu virtutum in superna arce collocabit. »

Porro hac phrasi, *stare*, vel *esse in testamento*, gaudet Siracides. Unde cap. XLIV, 20, de Abraham dicit : « Fuit in testamento cum illo, » *q. d.* Abraham fœdus habuit cum Deo. Cap. XLV, 8, de Aarone ait : « Statuit ei testamentum (id est pactum) æternum, » nimirum cum « dedit illi sacerdotium gentis, » Et vers. 30, de Phinees : « Statuit illi testamentum pacis, etc. ut sit illi et semini ejus sacerdotii dignitas in æternum. » Cap. XLVII, 13, de David : « Dedit illi testamentum (id est promissum et pactum) regni. » Cap. XXVIII, 9 : « Memorare testamentum Altissimi. »

Moraliter disce hic, quanta et quam necessaria sit homini constantia in sua vocatione, gradu, officio et virtute. Unde angelus ait Danieli cap. X, 11 : « Sta in gradu tuo. » Humana enim infirmitas et mutabilitas est tanta, ut sine jugi et quotidiana Dei gratia, ac strenua hominis cooperatione, diu in eo quod recte cœpit persistere nequeat, præsertim accedentibus in dies tot carnis mundique illecebris, ac assiduis dæmonum tentationibus. Quare constantiæ remedia efficacia undique conquirenda sunt, quibus se quisque contra tot hostium insultus obarmet, corroboret et confirmet. Nam, ut ait Salomon *Proverb.* XXVII, 8 : « Sicut avis transmigrans de nido suo, sic vir qui derelinquit locum suum. »

Constantiæ

Primum ergo ad constantiam medium est, humiliter agnoscere suam inconstantiam, et postulare a Deo gratiam, qua eam vincamus. Nam, ut ait Job cap. XIV, 2 : « Homo, etc., nunquam in eodem statu permanet : » *statu* tum corporis, tum mentis et voluntatis : nam nunc hoc vult, nunc illud; nunc cupit unum, mox contrarium; nunc placet ei hoc exercitium, nunc displicet. Itaque inter vulnera per peccatum originale homini inflicta, unum e præcipuis est instabilitas et inconstantia, quam nostris viribus tollere non possumus, sed sola Dei gratia, quæ proinde assidue invocanda est : Deus enim per essentiam est stabilis, constans, idem, semperque sui similis. « Ego Dominus, ait ipse *Malach.* cap. III, 6, et non mutor. » Rursum creba oratio unit nos Deo, hæcque unio facit nos constantes et immobiles. Sicut ergo naufragus qui fluctibus jactatur, scopulo vel petræ se affigit, itaque fixus manet et constans, nec ullis jactatur fluctibus aut ventis, ita et fidelis inter hujus mundi æstus et turbines, ut iis non jactetur, affigat se Deo, dicatque cum Psalte : « Mihi autem adhærere Deo bonum est. Dominus firmamentum meum, et refugium meum, protector meus, et cornu salutis meæ, » *Psalm.* XVII, vers. 2. Ita S. Gregorius in *Moral.* sæpe docet non esse aliam constantiæ et stabilitatis acquirendæ rationem, quam si mens super tempora et terrena omnia erigatur, et in æternitate Deoque æterno defigatur : in eo enim defixa nullis minis, illecebris, periculis, doloribus, terroribus movebitur, aut concutietur. Ita orabat, seque Deo uniebat Psaltes, dicens : « Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis, » *Psalm.* LXVII, 29. Et Judith cap. IX, vers. 14, occisura Holofernem : « Da mihi, ait, Domine, in animo constantiam, » eamque a Deo impetravit. Unde cap. XVI, 12, dicitur : « Horruerunt Persæ constantiam ejus, et Medi audaciam ejus. » Et S. Paulus : « Omnia possum in eo qui me confortat, » *Philip.* IV, 13; et S. Bernardus in *Psal.* XC, serm. 8 : « Tu, ait, ne putes flexibile quippiam inveniendum in judicibus junctis petræ : qui adhæret Deo, Apostolus ait, unus spiritus est; et qui petræ jungitur, lapis unus. Quod sane Propheta non immerito suspirans : « Mihi, inquit, adhærere Deo bonum est. O familiaritatis gratiam, o honoris culmen, o fiduciæ privilegium, o prærogativam securitatis perfectæ! » Hinc creaturæ Deo viciniores sunt constantiores, ut Angeli, qui, ubi semel aliquid eligunt, id ipsum constanter retinent. Unde per primum virtutis actum quo Deo adhæserunt, confirmati fuere in gratia, gloriamque beatam adepti sunt, ut docet D. Thomas I *p. Quæst.* LXII, art. 5 in corp. Cœli quoque constantes sunt, tum in natura, tum in ordine et motu, quem eumdem constanter servant.

Media. Primum.

Secundum medium est mortificare curiositatem varia videndi et experiendi, quæ est mater inconstantiæ, et e contrario exercere se in actibus constantiæ. Si enim duremus in officio difficili vel tribulatione aliquantulum, Deus illico succurret, et difficultatem ac dolorem vel auferet, vel

Secundum.

leniet, dabitque robur ad illum facile tolerandum, juxta illud : « Constantes estote, et videbitis auxilium Dei super vos ; » et : « Exspecta Dominum, viriliter age, confortetur cor tuum, et sustine Dominum, » *Psal.* XXVI, vers. 14. Ita Paulus vinctus corroboratus est a Deo, *Actor.* XXIII. vers. 11, dum ab eo audiit : « Constans esto ; » et cap. XVIII, 10 : « Noli timere, sed loquere, et ne taceas ; propter quod ego sum tecum : et nemo apponetur tibi ut noceat te. » Quocirca Paulus e vinculis libere fidem Christi prædicavit Festo præsidi et Agrippæ, adeo ut Agrippa diceret eum insanire : « Scit, inquit Paulus, de his rex Agrippa, ad quem et constanter loquor, » *Act.* cap. XXVI, 26. Sicut ergo ut quis doctrinam acquirat, debet constanter studere et discere ; ut fabrilem, architectonicam, pictoriam, medicam artem acquirat, debet assidue fabricare, delineare, pingere et mederi : ita multo magis ut quis virtutem, v. g. humilitatem, charitatem, abstinentiam, patientiam, acquirat, debet in eis assidue se exercere. Ita « Romani possederunt omnem locum consilio suo et patientia » (constantia), I *Machab.* VIII, vers. 3. Vegetius, *De Re milit.* : « Urbis, inquit, quam capere conaris, obsidio constanter urgenda est, et acriter premenda. » Ergo si vitium aliquod expugnare cupis, debes illud constanter et acriter oppugnare. Virtus enim et perfectio acquiri nequit, nisi quis continuo eam ut leporem insequatur. Porro nihil est tam difficile et arduum, quod non expugnet constantia, uti patet experientia in studiis, bellis, fabricis, etc. Ita Abbas ille in *Vitis Patr.* discipulum quemdam torpentem, eo quod diceret se plurimis vitiis laborare, ideoque de iis eradicandis desperaret, excitavit et instruxit. Deduxit enim eum ad hortum carduis obsitum, jussitque ut secum eum expurgaret : fecit ille, ac primo die partem unam, sequenti alteram, tertio aliam, ac continuando tandem omnes partes totumque agrum expurgavit. Addiditque : Ita fac et tu in horto animæ tuæ, jam unum vitium exstirpa, post illud aliud et aliud : quod si in eo sis constans, tandem omnia eradicabis. Quid prodest Grammaticam, Philosophiam, Theologiam inchoare, si, antequam perdiscas, deseras? utique ea quæ didicisti oblivisceris, perdesque oleum et operam quam impendisti. Quid prodest proficiscenti Romam, si pergat usque ad Alpes, si ibi victus montium asperitate subsistat? Ita non prodest inchoare studium virtutis, nisi constanter illud prosequaris, ut ad ejus culmen pertingas : non prodest tendere in cœlum, si in medio cursu subsistas. Saul, Salomon, Judas, Nicolaus Antiochenus, Tertullianus, Origenes bene cœperunt ; sed inconstantes defecerunt, suaque cœpta perdiderunt. Angeli boni in testamento et pacto cum Deo steterunt, ideoque mox beati et gloriosi effecti sunt. Lucifer cum suis in gratia creatus bene cœpit, sed non perstitit, ideoque in diabolum versus corruit in tartara. Unde de eo ait Christus *Joan.* VIII, vers. 44 : « Ille in veritate non stetit. » Religiosi ergo et fideles qui in vocatione et statu suo persistunt, imitantur angelos, fiuntque angelici ; qui apostatant, imitantur dæmones, fiuntque diabolici.

Tertium, proponere sibi exempla virorum et feminarum constantium. Ita Machabæus ille in tormentis manus constanter extendit, II *Machab.* VII, vers. 10. Ita Mathathiæ filii constanter steterunt in lege Dei. Ita convenerunt ad Judam omnes constantes corde, qui aciem hostium dissiparunt, I *Machab.* IX, 15 : « Et convaluerunt animis, non solum homines, sed et bestias ferocissimas, et muros ferreos parati penetrare, » II *Machab.* XI, vers. 9. Ita mirabantur judices videntes constantiam Petri, *Actor.* IV, 53. Clemens Ancyranus martyrium continuum sub variis Imperatoribus constanter subiit per 28 annos, ut patet ex ejus Vita. S. Servulus constanter usque ad mortem paralysim toleravit, ideoque moriens a choris Angelorum concinentibus ductus est in cœlum, teste S. Gregorio homil. 15 *in Evang.* Multa Anachoretarum millia per 50, 80, 100 annos constanter steterunt in solitudine, pœnitentia, oratione, paupertate; ac nominatim Simeon Stylites per 50, vel, ut alii volunt, 80 annos, usque ad mortem, stetit in columna, de quibus Theodoretus, Palladius et Vitæ Patrum. Quocirca nervose sic suos stimulat S. Cyprianus lib. I, epist. 5 *ad Rogat.* : « Hortamur vos per communem fidem, per pectoris nostri veram circa vos et simplicem charitatem, ut qui adversarium prima hac congressione vicistis, gloriam vestram forti et perseveranti virtute teneatis. Adhuc in sæculo sumus, adhuc in acie constituti, de vita nostra quotidie dimicamus. » Tertium.

Quartum, non multa amplecti, sed pauca stringere. Multi enim multa volunt experiri, æque ut ægri varia pharmaca, qui nunquam sanantur, quia pharmacum posterius prioris operationem impedit et divertit. Vere sapiens *Eccli.* XXXIV, 28 : « Unus ædificans, et unus destruens, quid prodest illis, nisi labor? » Ita qui hodie unum exercitium pium inchoant, cras aliud et aliud, non nisi priora destruunt, nec ullum in anima sua habitum ædificant, juxta illud *Proverb.* XVIII, 9 : « Qui mollis et dissolutus est in opere suo, frater est opera sua dissipantis. » Quocirca S. Paulus : « Unum autem, inquit, quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu, » *Phil.* III, 13. Unum ergo sequatur, qui illud vult assequi. Audi S. Basilium *ad Chilonem* : « Id tibi perspectum velim, frater, et persuasum, non eum qui bene cœpit, continuo debere decerni perfectum, ex qualicumque delineatione operis pii; sed quisquis legitimo cursu stadium istius semel absolvit vitæ. » Addit deinde stimulum periculorum : « At dorcadis in morem liberæ e reti, utque volucris

e laqueo, scito te ingredi inter medios, quibus undique cingeris, laqueos. »

Quintum. *Quintum,* diarium aliquod tibi præscribere, puta temporis distributionem, qua singulis horis suum opus et occupationem assignes, eamque quasi vitæ legem exacte servare. Ita faciebat, idque mire commendabat P. Franciscus Suarez, dicebatque hac ratione diem instar horologii ordinate ad finem decurrere cum pace et gaudio, seque ac de causa nullas in oratione pati distractiones, eo quod hora orationi assignata studia relinqueret, totamque mentem orationi affigeret, eo quod illam horam orationi destinatam haberet.

Sextum. *Sextum,* constantiam parit *primo,* amor. Qui enim aliquod opus amat, facile in eo est constans; qui autem illud aversatur, impossibile est ut in eo diu persistat: propone ergo voluntati multas rationes et commoda quæ illam moveant ad amandum exercitium, in quo cupis esse constans. *Secundo,* coram Eucharistia, Angelis et Sanctis proponere serio et sæpius se in eo constantem fore. *Tertio,* facere votum, saltem ad aliquod tempus: votum enim facit Religiosos constantes in suo Ordine; sed id fiat prudenter, et cum consilio sapientis.

Septimum. *Septimum,* sæpe cogitare illud: Omnes virtutes certant, sola perseverantia coronatur, ut ait S. Bernardus sub illud: « Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt, » *Sapient.* v, 1; et illud S. Hieronymi, epist. 28 *ad Lucinium:* « Cœpisse multorum est, ad culmen pervenisse paucorum. »

Vers. 22. 22. NE MANSERIS (Græce μὴ θαύμαζε, id est, *ne mireris*) IN OPERIBUS PECCATORUM: CONFIDE AUTEM IN DEO, ET MANE IN LOCO TUO. — Interpres legit τόπῳ, id est *loco;* jam legunt πόνῳ, id est *labore tuo.* Sed eodem redit sensus: locus enim est vitæ institutum, in quo quis laborat, servitque Deo. Hæc sententia in se clara est, et patet ex dictis. Præclare S. Bernardus, serm. 48 *in Cantic.*: « Non mediocris, ait, titulus profecto virtutis, inter pravos vivere bonum, et inter malignantes innocentiæ tenere candorem et morum lenitatem; magis autem, his qui oderunt pacem, pacificum et amicum ipsis te exhibere inimicis. » Plura de hac gnome dicam proximo opere *Proverb.* XXVII, 8.

Vers. 23. 23. FACILE EST ENIM IN OCULIS DEI SUBITO HONESTARE (Græce πλουτίσαι, id est *ditare*) PAUPEREM. — Syrus, *ne mireris de operibus iniqui, sed spera in Domino, et persevera in lumine ejus; quia facile est coram Domino ditare pauperem repente.* Sic et Arabicus. Persistit in eo quod dixit vers. 21, monens scilicet, ut quis in suo testamento, id est, pacto, vocatione et statu persistat, nec ab eo desciscat ad impietatem, dum videt impios ditari et prosperari, se vero in studio justitiæ et pietatis depauperari et pati adversa, *q. d.* Esto videas impios et peccatores prosperari, noli tamen eorum opera impia sequi; aut, si secutus es, in iis manere et persistere: sed spera in Deo, et mane in loco tuo, id est, in tuo vitæ et Dei cultus instituto, quia facile est Deo subito (Græca congeminant *cito subito, q. d.* celerrime) ditare justos pauperes sibi servientes, idque Deus facit, cum hoc æternæ eorum saluti conducit; cum autem non facit, ideo non facit, quia id eorum saluti foret noxium. Sic Deus ditavit Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, et omnes filios Israel fugientes ex Ægypto. Hæc juxta legem veterem, in qua Deus eam servantibus mercedis loco promittebat abundantiam frugum et opum. At in lege nova opes, non tam temporales et terrenas, quam spiritales et cœlestes, sibi servientibus promittit. Si ergo Dei gratia, donis et virtutibus ditari amabis, fuge peccata, confide in Domino, in vocatione qua vocatus es, permane; et cum minus suspicaberis, maxime ditaberis.

Mystice Lyranus: « Mane in loco tuo, scilicet, inquit, per amorem in Deo, qui est locus animæ quietativus, juxta illud S. Augustini: Creasti nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te. » In Deo ergo, quasi in centro suo quiescit hominis cor.

Vers. 24. 24. BENEDICTIO DEI IN MERCEDEM JUSTI (Græce εὐσεβοῦς, id est *pii*) FESTINAT, ET IN HORA (ita Rom. et Græca; perperam alii legunt, *in honore*) VELOCI PROCESSSUS ILLIUS FRUCTIFICAT. — Græce, *et in hora veloci germinat,* vel *exoriri facit benedictionem suam;* Tigurina, *brevi tempore fecerit ut efflorescat eorum prosperitas.* Confirmat id quod dixit, facile esse Deo subito honestare pauperem; quia, inquit, « benedictio, » id est, beneficentia Domini, « festinat in justi mercedem, » ut scilicet festine et cito ejus opera justitiæ merita mercede compenset. Festinat quantum est ex parte sua, suæque voluntatis et desiderii, licet ob bonum ipsius justi et cæterorum, subinde aliquantisper eam differat, ut meritum eorum, æque ac præmium et gaudium adaugeat. Sed omnis hæc dilatio modica est, et quasi nulla, si cum æternitate mercedis futuræ comparetur, esto homini ægro, afflicto et pusillanimi subinde magna hæc mora videatur. Quocirca Arabicus vertit, *si fueris justus, exspecta animæ tuæ bonum, et futurum tuum in id ad quod prævenisti,* id est, id in quo procedere in vita tua voluisti, invenies in momento mortis, futura vita, sorteque tua ad quam tendis.

Secundo, Jansenius: Τὸ *processus illius,* inquit, etiam ad hominem justum referri potest, ut sit sensus: progressus justi de virtute in virtutem per Dei benedictionem, subito magnum fructum profert, quia hic temporaliter et in futuro æterno præmio remuneratur.

Verum hunc processum proprie et per se non significat Græcum εὐλογία, sed tantum concomitanter, aut potius causaliter; Dei enim εὐλογία, id est benedictio, efficit et causat hunc virtutum processum. Hæc enim est benedictio novi Testamenti, sicut veteris fuit processus et augmentum frugum et opum. «Festinat» ergo « Dei benedictio

mercedem justi, » quia noctem non exspectat, ne videatur cum illo pernoctare labor mercenarii, contra legem ab eo sancitam *Levit.* XIX, 13; quare « in hora veloci processus illius fructificat, » quia velociter in eadem etiam hora laboris et jacti seminis boni operis, facit ut germinet et crescat culmus, ac illico maturescat, detque fructum et præmium, scilicet augmentum gratiæ, ac illustrationes, consolationes et corroborationes cœlestes ad strenue progrediendum in sanctis operibus.

Unde ex hoc loco et similibus recte colligunt melioris notæ Theologi, augmentum gratiæ, quod justus meretur per actus bonos, habitus gratiæ suæ remissiores et minus intensos, non differri usque ad mortem, vel donec justus actum aliquem habitu intensiorem eliciat, uti aliqui opinati sunt; sed in eodem instanti quo actum elicit, illi a Deo dari et infundi. Hoc enim significat τὸ *festinat*. Vide Franciscum Suarez *De Gratia, part.* III. lib. IX. cap. III, num. 25.

Anagogice, festinat Dei benedictio in mercedem justi, quia post mortem illico eum ad gloriam et regnum cœleste transfert, ait Lyranus.

Moraliter, benedictio Dei in mercedem justi festinat, cum justus serio et animose resolvit vitia levia resecare, certas virtutes acquirere, studere perfectioni, assurgere ad magnam et heroicam sanctimoniam. Tunc enim Deus, qui hac re mire delectatur, imo hæc desideria ipsi indidit, eadem ad exitum perducit, et merita mercede compensat. Si ergo me ad capessendum virtutis culmen generose animavero, non tardabit Deus quam celeriter cœpta mea promovere et perficere, meque possessione sanctitatis quam ambio ditare. Magnanimo ergo ad magnam virtutem contendenti, magna animo destinanda sunt, magna tentanda et inchoanda. Metire te magna mensura Sanctorum, inquit ille, imitare facinora S. Pauli, S. Francisci, S. Magdalenæ: qui subito per intensos et heroicos pœnitentiæ et charitatis actus, ad culmen sanctitatis evasere, quia validæ gratiæ Dei valide cooperati sunt.

Vers. 25 et 26. 25 et 26. NE DICAS : QUID EST MIHI OPUS ? ET QUÆ ERUNT MIHI EX HOC BONA ? NE DICAS : SUFFICIENS MIHI SUM, ET QUID EX HOC PESSIMABOR ? — Græce κακωθήσομαι, id est, *mali sustinebo*.

Primo, Rabanus, Lyranus et Glossa censent hæc omnia esse voces superborum, qui in sua potentia et opibus confidunt, et præsentem tantum vitam curant, vel non credunt futuram, *q. d.* Ne dicas : Quid mihi est opus confidere Deo, illi servire, illius leges observare ? Unde Complutenses legunt, *quæ est mihi necessitas complacentiæ ?* vel, *quid mihi est opus placere* (scilicet Deo) ? aut quæ ex hoc mihi accedent bona post hanc vitam ? *q. d.* Nulla. Ne dicas : Sufficiens mihi sum ad hanc vitam commode et laute transigendam; et quid ex hoc, post hanc vitam, pessimabor ? id est, quæ mala sustinebo pro meis deliciis et peccatis ? *q. d.* Nulla. Unde hoc refutans subdit : In die bonorum, id est, tempore prosperitatis in hac vita, ne immemor sis malorum, id est, punitionis in alia vita. Hunc sensum videtur exposcere quod subdit : « Quoniam facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas. »

Secundo, melius Palacius et Jansenius censent hic duas duorum contrariorum esse voces : priorem pauperis, ob suam pauperiem et ærumnas despondentis animum, et quasi desperantis; posteriorem divitis arrogantis, suisque opibus præsidentis. Prior, scilicet pauper, pusillanimis et deses, dicit : « Quid mihi est opus, scilicet vivere ? Unde ex Græco clarius vertas, *quid mihi est opus ?* quorsum vivo in hoc mundo ? quæ utilitas quod vivam ? quæ ex hoc tempore deinceps bona mihi exspectanda sunt ? *q. d.* Nulla : sed sicut hactenus vixi in pauperie, miseriis, sordibus et ærumnis plurimis, ita deinceps in iisdem vivam, aut potius infelicem animam traham. Quid ergo vivo ? quin potius vitam abrumpo ? Unde Tigurina vertit, *ne dicas : Quis mihi* χρεία ἀρεσκείας, id est *placens*, sive *jucundus usus est ? aut quænam mihi bona posthac evenient ?* Vatablus pro τίνα, id est *quænam*, legens τίνι, id est *cui*, vertit, *cuinam a me bona evenient ? quisnam jam hinc a me beneficia accipiet ? q. d.* Deinceps mihi et aliis inutilis ero, imo onerosus ; ero pondus inutile terræ, ut quid ergo vivo ?

Posterior, scilicet dives præsidens et arrogans dicit : « Sufficiens mihi sum, et quid ex hoc pessimabor ? » *q. d.* Sufficiunt mihi opes ad lautam, felicem et securam vitam; quid enim mihi tam opulento et potenti posthac mali evenire potest, quod non auro meo abigam et propulsem ? Hæc ergo est vox bonæ fortunæ, puta divitis et fortunati. Sicut prior vox fuit malæ fortunæ, puta pauperis et infortunati. Monet itaque Siracides utrumque æquanimitatis : scilicet pauperem, ne vocem hanc desperabundam emittat, sed patienter suam paupertatem sustineat, sperando meliorem sortem ; ac divitem, ne vocem præsumptuosam jam dictam sibi arroget, sed in suis opibus moderationem animi conservet, timendo sortem adversam. Idcirco subdit :

Vers. 27. In die bonorum memor esto malorum. 27. IN DIE BONORUM NE IMMEMOR SIS MALORUM : ET IN DIE MALORUM NE IMMEMOR SIS BONORUM, — *q. d.* In paupertate spera opulentiam, et in miseria felicitatem; in opulentia autem verere paupertatem, et in felicitate miseriam, quæ tibi obvenire potest : τὸ enim *immemor* hic tam futurum quam præteritum spectat, *q. d.* In die bonorum memor esto malorum quæ sensisti, et quæ rursus forte sensurus es; sic et in die malorum memor esto bonorum tam præteritorum, quam futurorum. Est hæc sententia prudentissima, æque ac utilissima; suggerit enim remedium utriusque sortis et fortunæ, scilicet memoriam contrariæ. Hinc omnibus vitæ casibus aptari potest, v. g. *primo*,

opulentiæ et paupertati, juxta sensum jam datum; *secundo*, lætitiæ et tristitiæ, *q. d.* In die tristitiæ ne cadas animo, sed memor esto lætitiæ quam aliquando habuisti, et rursum habiturus es : in die lætitiæ noli nimis exsultare, sed moderare eam, cogitando tristitiam, quam aliquando expertus es, ad ostium stare, et mox forte reversuram. *Tertio*, desolationis et consolationis divinæ, *q. d.* Dum adest gratia, noli præfidere, quia illa se subtrahet : in die ergo consolationis, memor esto desolationis; et in die desolationis, spera consolationem. Nam post tenebras spero lucem : post nubila Phœbus, post hiemem æstas, post procellam redit serenitas. Ita S. Bernardus serm. 21 *in Cantic.* : « Curabis potius, inquit (si sapis pro consilio Sapientis), in die malorum non immemor esse bonorum, atque in die bonorum non immemor esse malorum. Ergo in die virtutis tuæ noli esse securus, sed clama ad Deum cum Propheta, et dic : Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me. Porro tempore tentationis consolare, et dic cum sponsa : Trahe me post te, in odorem unguentorum tuorum curremus. Sic te non deseret spes in tempore malo, nec in bono providentia deerit, erisque inter adversa et prospera mutabilium temporum, tenens quamdam æternitatis imaginem, utique hanc inviolabilem et inconcussam constantis animi æqualitatem, benedicens Dominum in omni tempore; proindeque vindicans tibi etiam in hujus nutabundi sæculi dubiis eventibus certisque defectibus, perennis quodam modo incommutabilitatis statum, dum te cœperis renovare et reformare in insigne illud antiquum similitudinis æterni Dei, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Quippe sicut ipse est, ita et tu eris in hoc mundo, nec in adversis timidus, nec in prosperis dissolutus. » *Quarto*, honoris et opprobrii, *q. d.* Dum es in honore et gloria, memor esto te ab eo posse excidere, imo posse opprobriis et contumeliis affici, uti contigit Aman, Holoferni, Antiocho, Nabuchodonosori, etc. Vicissim dum probris et contumeliis impeteris, memor esto te honoratum quandoque fuisse, ac rursum suo tempore honorandum. *Quinto*, pacis et belli, *q. d.* In die belli spera pacem, in die pacis para arma ad bellum ; in die tentationis exspecta tranquillitatem, in die tranquillitatis præpara te ad tentationem. Causam dat S. Gregorius lib. II *in Ezech.*, hom. 19 : « Si enim, inquit, cum bona habemus, malorum reminiscimur, quæ aut jam passi sumus, aut adhuc pati possumus, accepta bona mentem non elevant, quia eorum gaudium timor memoriæ malorum premit. Et si, cum mala habemus, bonorum reminiscimur, quæ aut jam accepimus, aut adhuc non posse accipere speramus, malorum pondus animum in desperationem non deprimit, quia hunc ad spem memoria bonorum levat. Si itaque, fratres carissimi, sic per præcepta Dominica, et per Sanctorum exempla gradimur, ut nos nec prosperitas elevet, nec adversitas frangat, habere nos ante omnipotentis Dei oculos palmas hinc et inde monstramus. » Ita faciebat S. Job qui, bonis omnibus spoliatus, securus dicebat : « Si bona accepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus ? » In quæ verba idem Gregorius, lib. III *Moralium*, cap. VII : « Magna quippe, ait, consolatio tribulationis est, si, cum adversa patimur, actoris nostri ad memoriam dona revocemus. Nec frangit quod ex dolore obviat, si menti citius hoc quod ex munere sublevat, occurrat. Hinc namque scriptum est : In die bonorum ne immemor sis malorum, et in die malorum ne immemor sis bonorum. Quisquis enim dona percipit, sed donorum tempore nequaquam etiam flagella pertimescit, in elationem per lætitiam corruit. Quisquis autem flagellis atteritur, sed flagellorum tempore nequaquam se ex donis, quæ eum contigit accepisse, consolatur, a statu mentis omnimoda desperatione destruitur. Sic ergo utraque jungenda sunt, ut unum semper ex altero fulciatur, quatenus et flagelli pœnam memoria temperet doni, et doni lætitiam mordeat suspicio ac formido flagelli. »

Hac de causa « misericors Deus, ait S. Chrysostomus hom. 8 *in Matth.*, mœstis rebus quædam jucunda permiscuit. Quod certe in omnibus Sanctis fecit, quos neque tribulationes, neque jucunditates sinit habere perpetuas ; sed tum ex adversis, tum ex prosperis, justorum vitam quasi admirabili varietate contexuit, » ut hac bonorum et malorum permixtione et concatenatione eos quasi in æquilibrio teneat, ne prosperis extollantur, et adversis deprimantur. Unde S. Bernardus, serm. 2 *in Ramis palmarum* : « Propterea, ait, non simus stulti, ut occidat nos prosperitas nostra, sed in die bonorum non immemores simus malorum; et e converso. Istis enim mixtum est præsens sæculum, non sæcularibus tantum, sed etiam spiritualibus viris. Nam sæcularibus viris aliquando quæ placent, quandoque quæ displicent, videmus accidere : et ipsis nihilominus spiritualibus non semper tristia, non semper læta succedunt, sed vespere et mane dies unus. Et illud : Visitas eum diluculo, et subito probas illum. Verum hoc, interim dum præsens sæculum manet, vel manat magis et fluit. Cæterum post hoc sæculum, duo futura sunt sæcula, valde divisa et diversa : ita ut in altero non nisi fletus et stridor dentium, in altero sola gratiarum actio, et vox laudis. » Et inferius : « Licet enim multos frangat adversitas, tamen multo plures extollit prosperitas, sicut scriptum est : Cadent a latere tuo mille, sinistro scilicet, per quod signatur adversitas ; et decem millia, id est, multo plures a dextris tuis, in quibus prosperitas designatur. Denique quia utrobique periculum est, orat Sapiens et dicit : Divitias et paupertatem ne dederis mihi, ne forte aut divitiæ extollerent in super-

biam, aut paupertas dejiceret in impatientiam. Vita ergo nostra Deo prudenter ita ordinante, ex adversis et prosperis, quasi ex spinis et rosis contexitur.» Quocirca idem, lib. II *De Consider.* : « Quam rarus, ait, semper exstitit, qui non vel modice in prosperitate relaxarit animam a sui custodia et disciplina? quando hæc prosperitas non fuit incautis ad disciplinam, quod ignis ad ceram, quod solis radius ad nivem vel glaciem? Sapiens David, sapientior Salomon fuit : sed blandientibus nimis prosperis et secundis rebus, alter ex parte, alter ex toto desipuit. Magnus, qui incidens in adversa, non excidit vel parum a sapientia ; nec minor, cui præsens prosperitas si arrisit, non irrisit : quanquam facilius inveneris qui sapientiam retinuerunt contraria sibi fortuna, quam qui propitia non perdiderunt. »

Anagogice hæc refer ad bona cœli, et mala in gehennæ, *q. d.* « In die bonorum, » id est, opum et prosperitatis, ne iis infleris, « memor esto malorum » gehennæ quæ inflatos et superbos manent ; « in die malorum, » id est adversitatum, ne iis frangaris, « memor esto bonorum, » quæ in cœlo exspectas. « Non enim sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. » Huc maxime respexit Siracides; subdit enim : « Quoniam facile est coram Deo, in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas. » Ita Rabanus : « Semper, inquit, debet homo esse suspectus et sollicitus de statu salutis suæ, et timore Dei comprimere tumorem mentis, ne in prosperis elevetur ; et spe misericordiæ Dei angustiam animi sui sublevare, ne in tribulatione deficiat : quoniam facile est apud Deum humilem exaltare, et superbum humiliare. In fine enim hominis manifestabitur quali mente quis hic vixerit, et cujus sit meriti : quia filius hominis venturus est in gloria Patris sui, et tunc reddet unicuique secundum opera ejus. » Hoc diviti Epuloni in gehenna refricavit Abraham, sed sero, ad majus illius tormentum, dicens : « Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala ; nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris, » *Lucæ*, cap. XVI, vers. 25. In quæ verba S. Gregorius, homil. 40 *in Evang.* : « Mala, inquit, Lazari purgavit ignis inopiæ, et bona divitis remuneravit felicitas vitæ præsentis. Illum paupertas afflixit et tersit, istum abundantia remuneravit et repulit. Quicumque ergo in hac vita bene habetis, cum vos bona egisse recolitis, valde in iis pertimescite, ne concessa vobis prosperitas eorumdem remuneratio sit bonorum; et cum quoslibet pauperes nonnulla reprehensibilia perpetrare conspicitis, nolite despicere, nolite desperare, quia fortassis quod superfluitas tenuissimæ pravitatis inquinat, caminus paupertatis purgat. »

Cum ergo affligeris et cruciaris, cogita cruciatus damnatorum et gaudia Beatorum : ita omnis crux et dolor tibi levis et exilis videbitur. Cum deliciaris et exsultas, cogita ejulatus damnatorum, qui in hac vita exsultarunt, ac jubilum Martyrum, qui in hac vita gemuerunt : ita delicias et exsultationem velut injecta frigida temperabis, et lege rectæ rationis moderaberis. Deus enim vicem bonorum et malorum hujus vitæ in altera commutat, ut iis quibus dedit bona in hac vita, infligat mala in altera; et vice versa, juxta illud Christi *Luc.* cap. VI, vers. 21 : « Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini ; beati qui nunc fletis, quia ridebitis. » Ex adverso vers. 24 : « Væ, inquit, vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram! Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis! Væ vobis qui ridetis, quia lugebitis et flebitis! » Unde S. Hieronymus, epist. 34 *ad Julianum* : « Difficile est, inquit, imo impossibile, ut præsentibus quis et futuris fruatur bonis, ut hic ventrem et ibi mentem expleat, ut de deliciis transeat ad delicias, ut in utroque sæculo primus sit, ut in cœlo et in terra appareat gloriosus. » Quocirca Deus ipse S. Francisco inter prima ejus rudimenta vitæ spiritalis hoc revelavit et tradidit : « Francisce, aspera pro jucundis complectere, teque ipsum penitus contemne et abjice. » Simile dedit Christus S. Catharinæ Senensi : « Amara sectare tanquam dulcia; dulcia vero refugies tanquam amara. Quin et eidem duas obtulit coronas, spineam unam, auream alteram, hac lege, ut, quam eligeret in hac vita, ejus contrariam acciperet in altera. Quare ipsa illico spineam complexa, eam ita arcte suo capiti infixit, ut per plures dies dolores acerbos senserit, ideoque auream et gemmeam nunc possidet in cœlo.

Deus in altera vita sortem commutabit.

Porro Græca hic contrariam fere habent sententiam ; nimirum, *in die bonorum* (est, vel esse solet) *oblivio malorum ; et in die malorum, non recordabitur bonorum, q. d.* Monui pauperes ne in sua paupertate animum dejiciant, ac divites ne suis divitiis superbiant. Quia in die opum et bonorum solent homines oblivisci malorum, quasi bona sibi futura sint constantia et perpetua ; in die vero malorum solent oblivisci bonorum, quasi irrecuperabilium, quia sensus præsentium malorum excludit spem futurorum bonorum. Hæc nimirum est levitas animorum rebus secundis exsultantium, et adversis se abjicientium. Ita enim fit, ut quam celeriter fortunæ prosperitas securitatem gignit, tam cito miseria desperationem incutiat, juxta illud Æschyli in *Persis* :

> **Vexatus est quicumque calamitatibus,**
> **Is scit homines de fortunæ impetu**
> **Perterritos, semper plura metuere mala :**
> **Eosdem, ubi sors afflavit, confidere**
> **Semper suam usuram secunda aura ratem.**

Verum nostra Latina lectio longe verior est, et accommodatior præcedentibus et sequentibus, uti patet intuenti. Quare videntur Græca hic esse mutila, ut priori versu addendum sit μὴ ἔστω, id est, *non sit*, scilicet *in die bonorum oblivio malorum ;*

posteriori vero, pro μνησθήσεται, id est *recordabitur*, legendum videtur ἀμνησθήσεται, sicque contrarie vertendum, *et in die malorum non obliviscetur bonorum*. Nisi malis ex prioribus duobus versibus hoc loco repetendum esse τό *ne dicas*, quasi dicas : Ne dicas : In die bonorum sit oblivio malorum ; sed potius in die bonorum memor esto malorum. Rursum ne dicas : In die malorum quis non recordabitur bonorum ; sed potius in die malorum recordare bonorum.

Remedia acediæ. Tropologice, accipe ex Siracide hic duo remedia tristitiæ et acediæ. Prius est : « In die bonorum ne immemor sis malorum, » *q. d.* In die bonorum prævide et præmeditare mala quæ tibi evenire, teque contristare possunt, non quasi reipsa eventura sint (sic enim perpetuo animus cruciaretur, fieretque dejectus, contra illud Christi *Matth.* 6 : « Sufficit diei malitia sua ; » et contra illud Flacci poetæ :

Quid sit futurum cras, fuge quærere ; et
Lætus in præsens animus, quod ultra est
Oderit curare, et amara læto
Temperet risu ;

sed quod possint evenire, nec, si eveniant, esse valde mirandum. Ita enim fiet, ut malum si veniat, minus cruciet, quia novi et inopinati casus magis cruciant. Unde Seneca, *epist.* 77 : « Præcogitati mali, ait, mollis ictus venit : ideo sapiens assuescit futuris malis ; et quæ alii diu patiendo, levia facit diu cogitando. » Et Plutarchus, lib. *De Tranquil. animi*, ait : « Homerus luculento admodum exemplo docuisse mihi videtur, quam vulnificentiora sint ea quæ improviso inopinatoque feriunt. Ulysses namque, peregre reversus, repentinæ morti canis sui illacrymavit : uxori suæ flenti assidens non illacrymavit, siquidem jam ante adventum præsumpserat lacrymantis uxoris imaginem ; canis vero inopinato interitu perturbatus est. » Cicero *Tuscul.* III : « Præmeditatio, ait, futurorum malorum lenit eorum adventum. Itaque apud Euripidem a Theseo dicta laudantur :

Futuras mecum commentabar miserias,
Ut, si quæ invecta diritas casu foret,
Non me imparatum cura laceraret recens. »

Didicit hoc Theseus a præceptore suo Anaxagora. Anaxagoras enim nuntiata filii morte : « Sciebam, inquit, me genuisse mortalem » Et alius : « Sciebam me filium in mortiferum bellum, non in epulas mittere. » « Nimirum, inquit ibidem Cicero, hæc est præstans et divina sapientia, perceptas penitus et pertractatas humanas res habere ; nihil admirari cum acciderit ; nihil antequam eveniret, non evenire posse arbitrari. » Ex quo est illud Terentii :

Quamobrem omnes, cum secundæ res sunt maxime,
Meditari secum oportet quo pacto adversam ærumnam
ferant,

Et illud Plutarchi, lib. VIII *Moral.* : « Ut sapiens gubernator in tranquillitate tempestatem exspectat, ita rebus tranquillis ad dolorem aliquem præparandus est animus. » Nam, ut ait S. Gregorius, homil. 35 *in Evangel.*, « jacula prævisa minus feriunt ; » et in sapientem non cadit τὸ *non putabam*. Et Cato, lib. II :

Prospice qui veniunt, hos casus esse ferendos ;
Nam levius lædit, quidquid prævideris ante.

Posterius tristitiæ et acediæ remedium est : « In die malorum ne sis immemor bonorum. » Nimirum avocanda est cogitatio a re molesta et tristi, ac convertenda ad bonam et lætam, quæ habetur vel speratur. Unde Cassianus, lib. IX *De Institut. renunt.* cap. XIII : « Hanc ergo, inquit, perniciosissimam passionem ita de nobis expellere poterimus, si mentem nostram spiritali meditatione jugiter occupatam, futuri spe, et contemplatione repromissæ beatitudinis erigamus. Hoc enim modo universa tristitiarum genera, sive quæ ex præcedenti ira descendunt, sive quæ amissione lucri, vel detrimenti illatione nobis adveniunt, sive de irrogata generantur injuria, sive quæ de irrationabili mentis confusione procedunt, seu quæ lethalem desperationem nobis inducunt, valebimus superare ; cum æternarum rerum ac futurarum intuitu semper læti atque immobiles perdurantes, nec casibus dejecti præsentibus, nec prosperis fuerimus elati, utraque velut caduca et mox transeuntia contemplantes. » Hinc de impio, qui sibi male conscius non nisi mala exspectat, ait Job, cap. XV, 12 : « Non credit quod reverti possit de tenebris ad lucem ; » de se autem bene sibi conscio cap. XVII, 12 : « Et rursus, inquit, post tenebras spero lucem. » Et cap. XI, 17 : « Et quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam ; et cum te consumptum putaveris, orieris ut lucifer. »

Ita accidit S. Jobo, cui Deus post tribulationem felicitatem duplicavit. Idem cecinit Boetius lib. *De Consol. phil.*, dum a Theodorico rege Ariano carceri inclusus seipsum solatur spe melioris sortis, sicut Hesperus mutatur in Luciferum. Stella enim Veneris quæ solem occidentem sequitur, occidensque vocatur Hesperus, eadem mane oriens solemque præiens, vocatur Lucifer :

Et qui primæ, *inquit*, tempore noctis
Agit algentes Hesperus horas,
Solitas iterum mutat habenas,
Phœbi pallens Lucifer ortu.

Quin et Theocritus in *Batto* ita canit :

Fidere, Batte, doces, melius cras forsan habebit.
Sperandum est vivis, non est spes ulla sepultis.
Nunc pluit, et claro nunc Jupiter æthere fulget.

Denique hæc gnome Siracidis docet moderandas esse animi passiones, nimirum amorem et timorem, lætitiam et tristitiam, ut neque in lætis nimis exsultemus, neque in tristibus nimis doleamus ; sed unum memoria vel spe alterius tem-

peremus. Idcirco enim Deus læta tristibus permiscet, ut animam ducat ad passionum æquilibrium, in quo ejus virtus et perfectio consistit, uti pulchre docet S. Bernardus *serm.* 6 inter parvos : « Istæ affectiones ordinatæ, inquit, virtutes sunt; inordinatæ, perturbationes. Si timorem sequatur tristitia, desperationem generat; si amorem lætitia, dissolutionem. Sequatur ergo timorem lætitia, etc.; comitetur lætitiam tristitia, quia moderate læta amplectitur, qui tristia reminiscitur. Temperet ergo lætitiam tristitia : temperata lætitia nihil aliud quam temperantia est. »

Vers. 28. 28. QUONIAM FACILE EST CORAM DEO IN DIE OBITUS RETRIBUERE (perperam et subdole Tigurina vertit, *referre gratiam*, ad elidendum merita bonorum operum) UNICUIQUE SECUNDUM VIAS SUAS, — puta secundum actiones, opera et merita sua; hæ enim sunt viæ ethicæ sive morales, in quibus incedit et inambulat homo. Dat causam cur in die malorum memores esse debeamus bonorum, et vice versa, quia scilicet Deus cuique mercedem pro meritis retribuit, sæpe quidem in hac vita, sed semper in morte. Unde liquet sententiam jam dictam : « In die bonorum ne sis immemor malorum, » etc., maxime spectare ad bona et mala futuræ vitæ, uti superius ex Rabano dixi. Indicat enim hic Siracides Deum in hac vita non raro piis adversa, impiis prospera immittere, juxta illud *Eccles.* cap. VIII, 14 : « Sunt justi quibus mala proveniunt, quasi opera egerint impiorum; et sunt impii qui ita securi sunt, quasi justorum facta habeant; » in morte autem certo pio cuique præmium, impio pœnam pro meritis assignare.

De impiis res clara est : hi enim in morte subeunt judicium particulare, in quo accepta damnationis sententia illico rapiuntur in tartara. De piis res obscurior est, quia ævo Siracidis justi omnes descendebant in infernum ad limbum patrum; necdum enim cœlum erat apertum, sed Christi morte reserandum. Quomodo ergo tum pii in die obitus mercedem recipiebant? Resp. Recipiebant eam, quia subibant judicium particulare, in quo accipiebant sententiam felicitatis et beatitudinis, eamque illico inchoabant. Nam introibant in sinum Abrahæ, sive in limbum patrum, ibique consummati in gratia, liberi omni metu et miseria, certique de gloria cœlesti, fruebantur Dei contemplatione, et mutuo tot Patriarcharum, Prophetarum, Martyrum et Sanctorum suavissimo aspectu ac colloquio, exspectantes Christum, qui cœlum eis reseraret, eosque Dei visione beatifica donaret. Illico ergo inchoabant suam felicitatem, sed post et per Christum, qui obicem cœli peracta mortis suæ satisfactione erat reseraturus, eamdem erant consummaturi. Jam autem post Christum obice hoc sublato, et satisfactione peracta, illico omnes animæ justæ plene a peccatis purgatæ, evolant in cœlum, et Dei visione beantur. Idque significat hic Siracides. Errat ergo Calvinus, qui animas justas dormire censet, et quiescere sub altari usque ad diem judicii. Vide Bellarminum, lib. I *De SS. Beatitud.* cap. II et seq., et Gabrielem Vasquez loco mox citando, et Suarez III *part.*, tom. II, Quæst. LIX, disp. XXXII.

Dices : Siracides non dicit Deum in die obitus actu retribuere cuique mercedem, sed tantum facile esse Deo cuique retribuere. Respondet noster Gabriel Vasquez I II, Quæst. IV, disp. XIX, cap. II : « Vox *facile est* non tantum significat possibile esse Deo, sed Deum facili negotio, et absque labore in die obitus retribuere. Nam si solum denotaret possibile Deo esse, non exhortaretur ibidem nos Sapiens ad bona opera : namque ex possibilitate præmii debile sane sumeretur incentivum laboris; at ex facilitate qua Deus retribuit, magnum certe ducitur argumentum exhortationis. Neque obstat quod tempore quo hæc scripta sunt, nemo admitteretur ad visionem claram Dei : nam Sapiens indefinite loquitur, et intelligi debet secundum temporum diversitatem; tunc enim cum nondum Christus ingressus esset cœlum, mirum non est si retributio visionis differretur. »

Itaque in τῷ *facile est retribuere* est miosis et charientismus, significans facillime, certissime et plenissime Deum retribuere. Sed dicit, *facile est*, ad animandum justos pauperes et pusillanimes; sic enim ad animandum amicum afflictum partim urbanitatis, partim fiduciæ causa dicere solemus : Fidas mihi, rem omnem mihi committe; facile est mihi te adjuvare, id est, ego omnino te adjuvabo. Sic Paulus ait II *Corinth.* IX, 8 : « Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, » *potens est*, id est, potenter et certo abundare faciet, uti ibidem dixi.

29. MALITIA HORÆ OBLIVIONEM FACIT LUXURIÆ MAGNÆ. — Probat alia ratione id quod dixit vers. 27 : « In die bonorum ne sis immemor malorum, » quia scilicet sæpe post diem bonorum sequuntur dies malorum; in qua *malitia*, græce κάκωσις, id est afflictio, *horæ*, hoc est, horaria et brevis, oblivionem facit luxuriæ, id est luxus, et, ut græce est, τρυφῆς, id est deliciarum et voluptatis, etiam maximæ. Unde S. Hieronymus, lib. XVIII *in Isaiam*, sic legit, *afflictio horæ oblivionem facit deliciarum;* Syrus, *malum diei invenies bonum, et finis hominis erit semper eum*; Tigurina, *difficultas temporis affert oblivionem deliciarum*. Nam, v. g. ait Rabanus : « Cum febris valida, paupertas grandis, arripuerint hominem, omne tempus quod in sanitate et deliciis ante consumebat, in oblivionem tradit, et sola miseria vel ægritudo occupatum illum tenet, nec jam aliud cogitare permittit; vel, si aliquando et in cruciatu constituto quiddam pristinæ felicitatis in memoriam venerit, nequaquam illi refrigerium præstat, sed pœnam accumulat. »

Porro, hoc sæpe verum est in vita, sed semper in hora mortis, de qua hic sermo præcessit, et sequitur; hæc enim est hora ultima, adeoque

horizon temporum et æternitatis, adeoque vocatur *hora* antonomastice. Mors enim adimit homini omnem sensum voluptatum præteritarum, ac cruciat sensu dolorum præsentium æque ac futurorum, imo imminentium in purgatorio vel inferno. Ita dives Epulo, in flammis gehennæ omnis suæ epulationis oblitus, non aliud cogitavit, aut dixit, quam : « Crucior in hac flamma. » Idem faciunt damnati omnes, quos occupat oblivio, et quasi lethargus omnis sensus voluptatis, at non culpæ. Mire enim cruciat eos, dum cogitant quod sua culpa voluptati tam vili et modicæ indulgendo, tantas pœnas, easque æternas, sibi accersiverint, quas am facile abstinendo a voluptatibus, vitare potuissent, imo cœlestia et æterna gaudia promereri, uti videbunt fecisse Sanctos omnes, ideoque inconsolabiliter lugebunt, dicentque illud *Sapient.* v, 8 : « Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra. » Id significarunt Poetæ, cum apud inferos posuerunt Lethen fluvium, cujus potus oblivionem præteritorum induceret : λήθη enim est oblivio.

Pari modo Beati obliviscentur omnium tribulationum hujus vitæ, juxta illud *Isai.* LXV, 16 : « Oblivioni traditæ sunt angustiæ priores, et absconditæ sunt ab oculis meis; Septuaginta, *non ascendent super cor eorum.* Ubi S. Hieronymus : « Causa, ait, lætitiæ et confessionis veri Dei est, quia æterna angustiarum priorum succedet oblivio. Obliviscentur enim pristina mala non oblivione memoriæ, sed bonorum successione, juxta illud : In die bona oblivio malorum. » Additque : « Licet et possit hoc dici, quod in cœlo novo, et in terra nova, omnis conversationis pristinæ memoria deleatur, ne hoc ipsum pars malorum sit, prioris angustiæ recordari. » Verum contrarium est verius, uti dixi *Isaiæ* LXV, scilicet Sanctos recordari præteritorum malorum ad majus eorum gaudium. Huc maxime respicit Siracides; unde et subdit :

ET IN FINE HOMINIS, DENUDATIO OPERUM ILLIUS. — *Et* accipi potest ut causale more Hebræo significans *quia, q. d.* Hora mortis inducit oblivionem deliciarum totius vitæ, quia in illa anima separata a corpore subit judicium particulare, in quo omnia ejus opera a Christo judice ipsi denudantur, dum ab eo sententiam damnationis, vel salutis accipit, illicoque vel ad purgatorium, vel ad infernum, vel ad cœlum ducitur : ubi ex quantitate pœnarum vel præmiorum illico omnibus beatis vel damnatis liquet qualia et quanta fuerint eorum opera bona, vel mala. Tunc enim Christus aperit cuique suam conscientiam, ut videat omne quod egit, cogitavit, dixit per omnem vitam, juxta illud Pauli I *Corinth.* IV, 5 : « Nolite ante tempus judicare (multi enim hic videntur boni, qui in judicio apparebunt mali, et vice versa), quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium. » Unde Tigurina vertit, *acta hominis declarat ipsius exitus;* Syrus, *in ultimo sui laudatur homo.*

Porro Noster legit : ἐν συντελείᾳ, id est, *in fine* et *consummatione,* itaque legunt multi. Verum Complutenses legunt, συντέλειαν; unde sic vertunt, *consummationem hominis* facit *revelatio operum illius;* hæc enim in judicio particulari ei consummationem, id est, ultimum finem et terminum, vel gehennæ, vel cœlestis gloriæ, adducit. Unde Vatablus vertit, *hominem consummat ipsius exitus.* Hinc patet illico a morte cujusque fieri judicium ejus particulare, nec exspectari judicium universale. Rursum animas in purgatorio degentes certas esse de statu gratiæ, suaque salute : hujus enim sententiam acceperunt in judicio particulari : esto contrarium sentiant hæretici cum Luthero art. 38, et de Catholicis dubitent Dionysius Carthusianus *De Quatuor noviss.* art. 47, Roffensis art. 32, et Gersonius, lect. 1 *De Vita spirit.* : vide Bellarminum lib. II *De Purgat.* cap. VI.

30. ANTE MORTEM NE LAUDES (tanquam felicem et beatum; græce enim est, μὴ μακάριζε, id est, *ne beatifices,* hoc est, *ne beatum judices* vel *dicas,* ut vertit S. Hieronymus, lib. II *in Isaiam,* et *Thren.* cap. I) HOMINEM QUEMQUAM, QUONIAM IN FILIIS SUIS AGNOSCITUR VIR. — S. Ephrem in *Serm. ascet. ad imitat. Proverb.* legit, *ante obitum neminem prædicaveris beatum.* Additque antithesin, *et ante mortem ne desperaveris quemquam.* Hæc est conclusio ex præcedentibus quasi ex suis præmissis educta et collecta, *q. d.* Ex eo quod dixi, in fine et morte hominis fieri denudationem et judicium operum illius, sequitur ante mortem neminem prædicandum esse beatum, tum quia, quamdiu vivit, potest mutari ex bono in malum, ex felice in infelicem; tum quia multi hypocritæ videntur boni coram hominibus, qui in judicio a Christo declarabuntur esse improbi et reprobi; tum quia in morte fit judicium, in quo Christus beatudinem cuique pio decernet. Nos autem hoc Christi judicium præoccupare non debemus, nec possumus, utpote multorum, imo omnium occultorum ignari. Unde addit quartam causam : « Quoniam in filiis suis agnoscitur vir, » *q. d.* In filiis miseris vel felicibus, et maxime piis vel impiis agnoscitur institutio bona vel mala parentis, et per consequens ejus felicitas, tum mundana, tum vera et divina. Ita S. Ambrosius *De Bono mortis,* cap. VIII, cujus verba mox recitabo. Et S. Hieronymus, epist. *ad Lætam,* laudans eam quod patrem infidelem ad Christi fidem convertisset : « Sancta, inquit, et fidelis domus virum sanctificat infidelem. Jam candidatus est fidei, quem filiorum et nepotum credens turba circumdat. Ego puto etiam ipsum Jovem, si habuisset talem cognationem, potuisse in Christum credere. » Unde Tigurina vertit, *ante obitum beatum ne quemquam dixeris, quippe vir e liberis demum pernoscitur,* quia quales filii, talis pater judicandus, bonorum bonus, malorum malus :

Vers. 30. Ante mortem nemo beatus.

id enim communiter accidit, licet non semper. Unde proverbium Hebræorum : « Sicut mater, ita et filia ejus, » quæ illam moribus æmulatur. « Peculiaris enim ratio est in filiabus, quia diutius et crebrius cum matre conversantur, quam cum patre filii, » ait Procopius. Et S. Ambrosius lib. III *De Virginitate* : « Quid potuit, ait, filia de adultera matre discere, nisi damnum pudoris? » S. Chrysostomus quoque homil. 10 *in epist. ad Colos.*, sub finem : « Solent, inquit, plerumque filiolæ ad rationem educationis componi, et mores imitari maternos. Esto filiolæ tuæ castitatis et modestiæ exemplar. » Ideo, ait noster Delrio *Adagio* 910, apud Senecam, cum Clytæmnestra adultera diceret Electræ filiæ suæ : « Quis esse credat virginem? respondit filia : Natam tuam? Et Peleus in Andromacha Euripidis : Imitantur enim materna probra. Et id videte mihi, o proci, bona prognatas matre ut ducatis filias. » Juvenalis quoque :

Filiæ matris simiæ cur?

> **Scilicet exspectas ut tradat mater honestos,**
> **Atque alios mores, quam quos habet? Utile porro**
> **Filiolam turpi vetulæ producere turpem.**

Quocirca Palacius hunc locum sic explicat : « Gloria patris est filius probus, ut contra pars quædam infelicitatis est filios habuisse perversos. Ergo donec videas filios esse bonos, necdum de patris perfecta felicitate constitue. Fateor Josiam fuisse sanctum, et Ezechiam, quin et Abraham, Isaac et Jacob, etc., quibus tamen quidam filii perversi successere. Ac ita fatendum est nonnihil hos patrum suorum splendorem obscurasse. Ergo laudes parentes sanctos, sed, si illis filii mali contigere, in laudibus frenum erit. Cur igitur nos Christiani Christi gloriam obscurare contendimus? »

Agnoscitur ergo vir ex filiis, tum propriis et carnalibus, tum potius mysticis et spiritualibus. Maxime enim patet virtus et sanctitas viri, cum post se virtutis suæ hæredes multos relinquit discipulos a se edoctos et institutos, juxta illud *Proverb.* XIII, vers. 1 : « Filius sapiens doctrina patris. » Unde S. Gregorius Nazianzenus, *Orat.* 12, de Monachis loquens : « Horum, inquit, opes sunt in paupertate, possessio in peregrinatione, gloria in contemptu, potentia in infirmitate, fœcunditas in cælibatu. Siquidem præstantiores fœtus illi sunt qui secundum Deum existunt, quam qui in carne ortum ducunt : qui in deliciis minime studere, pro deliciis habent; qui regni cœlestis causa humiles sunt; qui in mundo nihil habent, et supra mundum existunt; qui in carne extra carnem vivunt; qui pro portione Dominum habent; qui propter regnum inopia laborant, et propter inopiam regnant. »

Mystice Rabanus per filios accipit bona opera; sed audi eum integre : « Nimis absurdum est, inquit, militem adhuc in agone consistentem, quasi jam victorem laudare, cum incertum sit utrum hostem vincat, aut ab eo vincatur; sed peracto bello, jam condigna palma consequitur triumphantem : ita et incertum est, cum viderimus quemlibet bene agentem, et juste viventem, utrum in eo usque ad finem perseveret, an non. Si autem in recta fide et bonis operibus perseveraverit usque ad finem vitæ, tunc jam laude dignus, et ab omnibus est prædicandus : quoniam in filiis vir agnoscitur, hoc est, ex bonis actibus hominis, meritum illius probatur. » Huc facit proverbium Arabicum, *cent.* 2, num. 20 : « Omnis ovis suspenditur e calcaneo suo, » scilicet in macello, *q. d.* Omnis homo judicatur ex actionibus et fine vitæ suæ.

Hanc sententiam edidit Solon, unus e septem Græciæ sapientibus, trecentis pene annis ante Siracidem; Solon enim vixit sub Cyro, Siracides sub Ptolemæo Philadelpho, qui post Ptolemæum Lagi successit Alexandro Magno. Solon enim, ut refert Plutarchus in ejus *Vita*, Herodotus, lib. I, Laertius, lib. I, cap. 1, « interrogatus a Crœso rege Lydorum ditissimo, num aliquem ipso feliciorem vidisset? respondit vidisse se Telum Atheniensem privatum hominem, sed qui, relictis liberis ac nepotibus bene institutis, feliciter obiisset diem. Interrogatus deinde, cui post illum tribueret elogium felicitatis, Cleotion et Biton Argivos fratres nominavit, qui cum summa pietatis laude defuncti fuerant. Indignatus rex : Nullo igitur, inquit, loco me ponis? Tum ille : Ego facile confiteor te regem opibus et imperio florentem; beatum autem non appellarim priusquam hanc vitam feliciter absolveris. Itaque cum a Cyro rege captus jussus esset ingenti pyræ imponi, ut vivus cremaretur, ter alta voce dicitur Solonem invocasse. Tum Cyri jussu interrogatus quid ea voce ter repetita sibi vellet, exposuit quæ ille olim de fortunæ variatione, veraque felicitate a Solone viro sapientissimo audisset. Per quæ, humanæ imbecillitatis Cyrus admonitus, jussit Crœsum ab igne servari, fuitque deinceps ipse apud Cyrum in summo honore; unica enim hæc sententia, et Crœsum morte liberavit, et Cyrum erudivit, sortisque humanæ labilis admonuit. » Eamdem carmine expressit Ovidius, lib. III *Metamorph.* :

> **Ultima semper**
> **Exspectanda dies homini est, dicique beatus**
> **Ante obitum nemo supremaque funera debet.**

Hæc isti Gentiles, spectantes tantam instabilitatem fortunæ et vitæ humanæ; at Siracides altius assurgit et spectat incerta exitus, ut ait S. Ambrosius in *Psal.* 1 : « Ergo dum in hac vita quisquam est, non potest definita prædicatione laudari, qui patere adhuc possit errori. Ille autem qui vitam sine offensione concluserit, jure beati appellatione censetur, quia utitur consortio beatorum. » Idem, *De Institut. virginis*, cap. III : « Laudatio hominis non in exordio, sed in fine est. Nemo enim, nisi legitime certaverit, coronabitur. Gnomæ Patrum.

Ideoque Sapiens tibi dicit : Ante mortem non laudes hominem quemquam. Qua ratione hoc dixerit, superius docuit, dicens : Quia in fine hominis nudantur opera ejus. » Idem, lib. *De Bono mortis*, cap. VIII : « Ante mortem, ait, non laudaveris quemquam. Unusquisque enim in novissimis suis cognoscitur, et in filiis suis æstimatur, si bene filios suos instituit, et disciplinis competentibus erudivit. Siquidem ad negligentiam patris refertur dissolutio filiorum. » Deinde aliam dans causam, subdit : « Tum quia unusquisque, quamdiu vivit, obnoxius est lapsui, nec senectus immunis a crimine. Ideo legis, quia Abraham mortuus est in senectute bona, eo quod in bonitate propositi sui permansit. Mors igitur vitæ est testimonium. Nam, si laudari ante gubernator non potest, quam in portum navem deduxerit; quomodo laudabis hominem prius quam in stationem mortis successerit? Et ipse sui est gubernator, et ipse vitæ hujus jactatur profundo : quamdiu in salo isto, tamdiu inter naufragia. Dux ipse, nisi confecto prælio non sumit lauream : nec miles arma deponit, nec stipendii mercedem adipiscitur, nisi hoste superato. Mors igitur stipendiorum plenitudo, summa mercedis, gratia missionis est. » Idem alibi : « Lauda post vitam, magnifica post consummationem; tunc enim nec illi qui laudat, nocere ulla poterit adulatio, neque etiam laudatum ulla tentare poterit elatio. »

S. Hieronymus, lib. II in cap. III *Isaiæ* : « Ille, inquit, est doctor Ecclesiasticus, qui lacrymas, non risum movet ; qui corripit peccatores, qui nullum beatum, nullum dicit esse felicem, nec prævenit sententiam judicis sui, dicente Scriptura Sancta : Ne beatum dicas quemquam hominem ante mortem. Sed et in alio loco legimus : Qui benedicit amico mane grandi voce, a maledicente nihil differt. Unde spernentes hominum judicia, nec laudibus eorum extollamur, nec obtrectationibus contristemur, sed ingrediamur rectam viam, et tritas a sanctis Prophetis semitas, audiamusque Jeremiam prophetam dicentem : State in viis, et videte et interrogate semitas Domini sempiternas, quæ sit via bona, et ambulate in ea. » Cassianus, *Collat.* VI, cap. XVI : « Quidquid, ait, per diligentiam vel acquiritur, vel tenetur, potest etiam per negligentiam deperire, ideoque dicitur : Ne beatifices hominem ante exitum suum. »

Huc alludens S. Ephrem prologo *De Timore Dei* : « Ante obitum, ait, neminem prædicaveris beatum, et ante mortem ne desperaveris quemquam. » S. Bernardus, serm. 5 *in Festo omnium Sanctorum* : « Nos, inquit, in vita sua laudare hominem prohibemur. Quomodo namque secura laudatio, ubi nec ipsa vita secura? Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit (ait tuba illa cœlestis), et legem certaminis ab ore ipsius legislatoris ausculta : Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Nescis quis sit perseveraturus, nescis quis sit legitime certaturus, nescis quis sit coronam acceptu-rus. Illorum lauda virtutem, quorum jam certa victoria est : illos devotis extolle præconiis, quorum secure potes adgaudere coronis. » Et inferius : « Tota interim beatitudo nostra est timere Deum, dicente Scriptura : Beatus homo qui semper est pavidus. Et item Psalmista ait : Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus. » Deinde vere beatos assignans, subjungit : « Cæterum longe aliter beati, in quibus perfecta charitas foras misit timorem, nec jam timent ambulantes in viis ejus, sed laudant potius habitantes in domo, sicut idem ait : Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Nostra interim festivitas, in timore Dei : nam illorum magis in exsultatione et laude versatur. Inde est quod secure laudantur homines qui non sua jam vivunt vita, sed Dei ; nam hominum utique vita tentatio est. » Idem, epist. 23 *ad Attonem* : « Laudarem vos, inquit, et jure laudarem, si non me revocaret illa sententia : Neminem laudaveris in vita sua. Siquidem rem laude dignam egistis, sed ei laus adscribenda est a quo accepistis et velle et perficere, quod merito laudaretur. Deum ergo per vos et in vobis operantem glorificamus, qui tamen ad hoc vobis voluit glorificari, ut et vos redderet gloriosos. Qui nimirum, cum sit mirabilis in majestate sua, etiam in sanctis suis gloriosus apparere dignatur, ne solus habeat gloriam. Ipse nempe, licet sibi sufficiens ad omnem magnificentiam, quærit tamen gloriam et in sanctis, non ut augeat sibi, sed ut suis communicet. » Et inferius : « Vana quidem laus et seductoria, qua laudatur peccator in desideriis animæ suæ, in quo qui me beatificat, in errorem inducit; sed non idcirco prædicanda et multum commendanda erit illius vita, qui dicere potest : Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus. Cum ergo laudatur homo, in quo jam vivit, non ipse, sed Christus, non in sua laudatur, sed in Christi vita, ac per hoc non laudatur contra sententiam quæ prohibet hominem laudari in vita sua. »

Hoc sapiebat S. Franciscus, qui, ut ait S. Bonaventura in ejus *Vita*, cap. VI, « studebat bonum Domini sui arcano pectoris condere, nolens patere gloriæ, quod posset occasio esse ruinæ. Nam sæpe, cum beatificaretur a pluribus, verbum hujuscemodi proferebat : Filios et filias adhuc habere possem ; nolite laudare ut securum. Nemo laudandus cujus incertus est exitus. »

TERTIA PARS CAPITIS,

DOCENS CUM QUIBUS SIT COMMUNICANDUM, CUM QUIBUS NON; UNDE MONET CAVENDUM ESSE A DOLOSO, SUPERBO, MALIGNO ET EXTRANEO.

NON OMNEM HOMINEM INDUCAS IN DOMUM TUAM : MULTÆ ENIM SUNT INSIDIÆ DOLOSI. — Tigurina, *dolosorum ;* Syrus, *fraudulenti*. Videtur legisse noster interpres δολίου, id est *dolosi*, ut habent nonnulli codices Græci. Jam Complutenses et alii legunt διαβόλου, id est calumniatoris, deceptoris, delatoris, diaboli : quanquam fere eodem redeat sensus; suadet enim ne quemlibet in domum inducamus, nec in familiam et familiaritatem nostram admittamus, nisi ante bene probatum et exploratum, quia multi sunt dolosi, qui se insinuant in domos, ut eas earumque heros et incolas ac supellectilem explorent, deprædentur, calumnientur, accusent, infament, imo perdant et interimant, uti Judas inductus in domum et familiam Christi, eum dolose prodidit et perdidit. Per dolosum maxime intelligit superbum, ut patet ex ratione quam subdit vers. seq. Superbus enim omnes modos et dolos quærit, quibus suum æmulum deprimat et perdat, seque super illum exaltet. Huc facit proverbium : « Hospes indigenam, » scilicet domo sua ejicit, ut cum servus adoptatus ejicit filium, aut miles ascititius ejicit colonos. Et: « Veniat qui proderit hospes, » *q. d.* Ille hospitio excipiatur, non qui incommodum, sed qui commodi aliquid allaturus est. Porro quod ait : « Non omnem hominem inducas in domum tuam, intellige, ait Palacius, ut in ea familiariter et diu versetur. Nam recipere quemvis ad unius noctis hospitium, cum debita observatione et obseratione domus, non est prohibendum. Nam Lot non examinabat quos hospites reciperet, et Christianos D. Hieronymus laudat, quod in foro transeuntes cogebant ad hospitium. » Imo ipse S. Hieronymus, *Apolog. contra Ruffinum*, et alibi, profitetur se omnes advenas hospitio in Bethlehem excipere, præsertim cum Romani, Roma capta a Gothis, turmatim eo profugerunt. « Solos hæreticos, inquit, non recipimus, quos vos solos recipitis. Propositum quippe nobis est pedes lavare venientium, non merita discutere. » Et S. Ambrosius in *Lucam* : « Non hæc, ait, cautio receptori datur, ne, dum hospes eligitur, hospitalitas minuatur. » Vide S. Chrysostomum, homil. *De Eleemosyna*, et *Collat.* quæ habetur in fine Comment. *in epist.* I *ad Corinthios*.

Igitur Siracides hic prudenter monet ne quis amicitiæ vel utilitatis suæ causa in domum inducat, vel in familiam recipiat ignotum, præsertim suspectum, dolosum et vafrum ; non autem vetat hospitalitatem, præsertim pauperum, profugorum et miserorum : illam enim suadet, imo subinde imperat, egestas, necessitas, charitas. Sed tunc prudentia dictat ut tibi tuisque rebus caveas quoad potes, ne inter tam varios et ignotos, e furto aliove cujuspiam scelere damnum patiare. Memini, cum ante 40 annos junior apud parentes rure agerem, in publica et communi Flandriæ fame, quotidie greges pauperum et peregrinorum stipem petentium ad domum nostram confluxisse, ac voluntate parentum me singulis eam erogasse, nullo prorsus præterito : quod si nox ingruebat, etiam hospitio excipiebamus; sed ea cautione, ut data cœna in horreum vicinum cubaturos deduceremus, tum ut tantæ turbæ satisfaceremus, tum ut domui et supellectili nostræ caveremus.

Hospites dolosi cavendi.

Mystice : « Ne quemlibet inducas in domum tuam, multæ enim sunt insidiæ diaboli, » ut habent Complutenses. Diabolus enim suggerit impiis, v. g. hæreticis, seditiosis, rixosis, libidinosis, ebriosis, invidis, detractoribus, etc., ut in domos piorum se insinuent, earumque incolas sua hæresi, seditione, rixa, libidine, gula, invidia, detractione inficiant, lites et schismata concitent, ac ad quælibet vitia impellant. Ita Eusebius Nicomediensis Arianus insinuans se in aulam Constantini Magni, ipsum infensum S. Athanasio reddidit, ejusque aulam, et Constantium filium Arianismo imbuit. Sic Ariani irrepentes in aulam Valentis Imperatoris eum Arianum, Eutychiani Justinianum Imperatorem Eutychianum, Iconomachi Leonem Imperatorem Iconomachum effecerunt. Idem hoc sæculo in Saxonia, Anglia, Scotia, Dania, Suecia, Hungaria Calvinistæ et Lutherani præstiterunt.

Notum est exemplum diaboli, qui in specie feminæ a via aberrantis noctu adiit domum Anachoretæ, suam miseriam deplorans, poscensque opem : a quo suscepta eum deinde ad libidinem pertraxit, ac mox irridens evanuit. Unde et audita est vox dæmonum ingenti clamore et cachinno exprobrantium : « O qui te usque ad cœlum extollebas ! quomodo demersus es usque ad infernum? » Quare confusus ille et desperans sæculum repetiit, præda dæmonum factus. Ita *Vitæ Patr.* lib. II, in Vita Joannis Abbatis. Deterior fuit alius dæmon, qui feminam concitavit, ut simili modo errabunda auxilium peteret ab Eremita ; a quo suscepta in cellam, dum ei ille familiarius servit, cum ea fornicatus, adeo deinde indoluit et indignatus est, ut ex dolore et pudore ad crimen celandum eam occiderit. Similis est historia et origo celebris templi B. Virginis Montis Serrati in Hispania, ut patet ex libro hac de re edito. Hic

ergo verum est *Isaiæ*: LIX, 5: « Ova aspidum ruperunt, et quod confotum fuerit, erumpet in regulum. » Notus est apologus gallinæ serpentis ovis incubantis, cui hirundo insultavit: « Quid facis, o vesana? pullos excludes, qui cum adoleverint, a te primum injuriam auspicabuntur. » Sic Tiberius Imperator, teste Suetonio in ejus *Vita*, cap. XI, de Caio Caligula successore suo aiebat, « se natricem populo Romano, Phaetontem orbi terrarum educare; » natrix serpens est aquam venenans, ut quicumque ex ea biberit emoriatur; Phaeton fertur auriga currus solaris, quem cum regere nesciret, solis radiis orbem exussit. Similis est apologus ovis lactantis catulum lupi, quem ita effert anonymus apud Adagiographum:

Lacto lupum uberibus propriis non sponte, sed horsum
Me demens adigit pastor ut id faciam.
In me rursus erit fera, postquam creverit ex me,
Natura haudquaquam vertitur officiis.

Hinc Theocritus in *Hodœporis*:

Pasce canes qui te lanient, catulosque luporum.

Et illud Varronis apud Nonium: « Crede mihi, plures dominos comedere servi, quam canes. » Solus enim fere Actæon a canibus legitur dilaceratus, cum multi domini a servis et domesticis proditi, occisi et perditi sint. Nota est historia equi Trojani, quem quia cives in urbem dirutis muris invexere, hinc a Græcis in eo latentibus dolo capta et eversa est Troja. Unde proverbium: Dureus equus, id est ligneus; δοῦρος enim est lignum, scilicet ex ligno hunc equum fabricarat Epeus doli auctor.

32. SICUT ENIM ERUCTANT PRÆCORDIA FŒTENTIUM, ET SICUT PERDIX INDUCITUR IN CAVEAM, ET UT CAPREA IN LAQUEUM: SIC ET COR SUPERBORUM, ET SICUT PROSPECTOR VIDENS CASUM PROXIMI SUI. — Græcus de more concisus et bimembris est; sic enim habet, *perdix capta in cavea, sic cor superbi, et tanquam speculator inspicit*, vel *observat casum;* hoc enim est, ἐπιβλέπει πτῶσιν; pro quo Complutenses legunt, ἐπιβὰς ἐπὶ πτῶσιν, id est, *ascendens ad casum;* Syrus, *et sicut speculator intuens casum.*

Dixit dolosum, qualis est superbus, non esse inducendum in domum; nunc id probat quatuor similitudinibus. Prima est: « Sicut enim eructant præcordia fœtentium » fœtidos vapores et anhelitus: « sic et cor superborum, » subaudi, eructat fœtida, puta superba, injuriosa, injusta, maledica, etc. Lucius Papa, *epist.* 1, Jansenius et alii pro *fœtentium* legunt, *fœtantium;* sed eodem sensu. Mulieres enim fœtantes, id est, gravidæ et prægnantes, gravem habent anhelitum, et ructus crebros ex indigestis et crudis humoribus. Anima enim circa fœtum formandum, nutriendum et augendum occupata, minus habet caloris et virium quod impendat stomacho et cibo concoquendo: unde nascitur cruditas et indigestio, indeque ructus et fœtor. Igitur sicut stomachus debilis, ideoque crudus, acidus et putidus, per os eructat suum acorem et putorem, in quem cibos etiam optimos vertit et corrumpit: sic pariter dolosus, licet ei delicata candidæ amicitiæ fercula opponas, quia corruptum odio et dolo habet mentis stomachum, jugiter tibi putorem malitiæ, doli, nequitiæ et insidiarum exhalabit. Hisce competit illud *Job.* XX, 14: « Panis ejus in utero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus. » Nam, ut explicat Nicætas: « Ut aspis imbuta veneno, e ventre illud evomit quando ei collibuerit: sic etiam hoc genus hominum ex meditato fallendi artificio, malo ac fraudi sunt cæteris. » Aspis enim, teste Æliano, et ex eo Gellio, lib. IX, cap. XXVIII, acerbam aspirationem anhelat in obvios viatores, qua eos percellit, stupefacit, mancos et impotentes reddit. Sic dolosi dolos et nequitias quas mente gerunt, exhalant in aliorum perniciem. S. Augustinus, in *Speculo*, legit *infantium;* infantes enim quia abundant pituita, quam exilis eorum calor non potest consumere, hinc crebros emittunt ructus et ventos. Verum omnes Bibliorum codices legunt *fœtentium*, vel *fœtantium.*

Altera similitudo, eaque duplex est: « Sicut perdix inducitur in caveam, et caprea in laqueum, sic et cor superborum. » Quid agit, aut patitur? Deest enim verbum, quod proinde vestigandum et supplendum est: *primo*, aliqui ex Græco active hæc accipiunt: *Perdix venatrix* (Græcum enim θηρευθείς, quod Noster et alii passive accipiunt pro *capta*, vel *quæ capitur*, Romana et alii active accipiunt, vertuntque *venatrix*) *in cavea: ita cor superbi, qui ut speculator observat casum.* Aucupes enim, ut capiant perdices, unam perdicem captam, vel mansuefactam in cavea exponunt, quæ alias sui similes ad se pelliciat, et in caveam vel retia fraudulenter inducat. Sic columbarii habent columbas et anates paleutrias, quæ alias advocant, et in retia inducunt, uti ex S. Basilio dixi *Osee* VII, vers. 2. Sensus ergo est, quasi dicat: Sicut perdix venatrix venatur perdices, easque in suum rete vel caveam dolose inducit: sic et cor superbi molitur dolos, omnesque modos observat et venatur, quibus te in casum præcipitet. Verum hic sensus Nostræ versioni, quæ habet *inducitur* passive, non *inducit* active, minus congruit.

Secundo ergo, Tigurinus clare tam græca quam latina explicat et conciliat, dum ita vertit, *ut perdix in caveam agitur, aut caprea implicatur laqueo: ita cor hominis superbi tanquam speculator observat quo dejiciaris, q. d.* Sicut perdix a venatore agitur in caveam, ita et tu ageris a superbo in ruinam. Et hoc modo prior expositio huic secundæ aptari potest: perdix enim venatrix agit alteram, quam venatur, in caveam, ac vicissim altera a venatrice agitur in caveam.

Ubi nota apposite, dolosum hospitem comparari perdici: *primo*, quia perdix est avis valde vafra et dolosa, quæ suis dolis deludit aucupes;

secundo, quia eadem est furax : furatur enim ova aliarum avium, unde perdix a perdendo dicitur, ait S. Ambrosius *epist.* 48; *tertio*, quia libidinosa est : hinc perdix capiens et vincens perdicem, victam et captam turpiter subigit, ait Aristoteles lib. IX *Histor. animal.* cap. VIII, et Plinius lib. X, cap. XXXIII. Notat ergo dolosos amicos, qui in domos amicorum se insinuant, ut eorum uxores et filias vitient et corrumpant. Verum quia Siracides jungit capturam perdicis capturæ capreæ, cui jam dicta non competunt, hinc.

Tertio, exponas planissime, *q. d.* Sicut perdix in cavea et caprea in laqueo, sic est cor superbi in domo aliena, præsertim æmuli. Sicut enim perdix in cavea est invita, omnesque modos quærit eam diffringendi, ut avolet, ideoque nil boni in ea facit, nisi quod eam fæcibus suis conspurcet : sic et cor superbi, quod super omnes et omnia se extollit, in domo aliena, videns illam sua magis instructam, ornatam, florentem, invidet et ringitur, omnesque modos cogitat, quibus eam supplantet et deprimat; unde nil boni in ea facit, nisi quod præsens sua superbia, crapula et insolentia, ac absens sua detractione, dolis et fraudibus eam conspurcet, infamet, dejiciat, et in calamitatem ruinamque præcipitet. Ita Jansenius. Porro Siracides associat perdicem capreæ, quia hæc animalia amica sunt et socialia. Perdix enim amat capream, et caprea perdicem; unde simul incedunt et pabulantur, quo fit ut ab aucupe simul capiantur. Auceps enim capreæ aut perdicis vocem imitans, invitat ad se capream vel perdicem; cumque caprea venit, accurrit et perdix ad eam quasi amicam et sociam, ac vice versa ad perdicem accurrit caprea; itaque una cum ea ab aucupe illaqueatur et capitur, ut docet Oppianus, lib. II *De Venat.* Simili modo amicus amico doloso se associans, ab eodem in laqueum et exitium inducitur. De perdice plura dixi *Jerem.* cap. XVII, 11.

Ultima similitudo est : « Sicut prospector, » græce κατάσκοπος, id est *speculator*, *q. d.* Superbus et invidus est instar speculatoris, qui ex alto observat, procurat, videt et ridet calamitatem et casum sui proximi et æmuli. Tigurina et alii hanc similitudinem nectunt cum secunda perdicis et capreæ, uti paulo ante ostendi.

Huc facit Pythagoræ symbolum : « Hirundinem sub eodem tecto ne habeas. » Quod S. Hieronymus secutus Aristotelem interpretatur abstinendum a commercio garrulorum et susurronum. Hirundo enim est garrula, suaque garrulitate aures hospitum obtundit; insuper nullam hospiti affert utilitatem, nisi quod fæcibus suis tecta conspurcet. Unde proverbium : « Hirundinum musæa. » Ad hæc, duo sunt animalia plane indocilia, quæ nulla arte cicurantur aut mansuescunt, scilicet musca et hirundo, utpote diffidens semper, semperque suspicans mali quippiam. Denique hirundo instabilis et infida est; incunte enim vere advolat, hieme instante avolat. Hirundo ergo notat hospites garrulos, dicaces, detractores, spurcos, ingratos, infidos, quales sunt uperbi et dolosi, non esse in domo excipiendos.

Syrus aliam similitudinem canis addit, quæ non est in Græco, nec in Latino : *Sicut*, inquit, *canis qui in omnem domum ingreditur et rapit, sic iniquus in omnem domum ingreditur et tumultuatur, et bona in mala convertit, et in vasis concupiscentiæ præbet offendiculum.* Quæ sultima sic exprimit Noster :

33. BONA ENIM IN MALA CONVERTENS INSIDIATUR, ET IN ELECTIS IMPONET MACULAM. — Græce μῶμον, id est vituperium et reprehensionem. Unde Momus, judex et deus censuræ apud Gentiles, qui omnia censet, carpit, redarguit : hinc et μῶμος significat maculam, ab Hebr. מום *mum*, id est macula, quia macula vitii censuram et vituperium præit, ac macula infamiæ censuram sequitur. Unde Gyraldus *De Diis Gentium*, syntag. 1 : « Momus ait, dicitur convicii, maledicentiæ ac reprehensionis deus, » quem ex nocte natum dixit Hesiodus, qui tantæ libertatis fuit in reprehendendo, ut et sandalia et crepidas Veneris reprehenderit. Sensus est, *q. d.* Superbus etsi fingat se amicum, tamen ex superbia, ut se exaltet, teque deprimat, tua bene dicta vel facta calumniabitur, et in male dicta vel facta convertet : itaque *in electis*, græce τοῖς αἱρετοῖς, id est, eligibilibus et probandis, tam factis et rebus, quam hominibus, *imponet* vitii et vituperii *maculam*. Unde Tigurina vertit, *nam bona male pervertendo insidiatur, et vitio dat laudabilia.* Aliqui legunt αἰνετοῖς, id est, *laudandis*; Complutenses legunt ἐν τοῖς αἱρετικοῖς, *in hæreticis*, hoc est in iis qui ejusdem sunt hæresis, id est, sectæ et societatis, *q. d.* Superbus suos socios perfide traducet et diffamabit. Sic Pharisæi miracula, vitam et doctrinam Christi vituperarunt, eumque vocarunt dæmoniacum, vini potorem, et amicum publicanorum. Sic Saul benefacta Davidis in malefacta convertit, eique insidiatus est usque ad necem. Sic Pharao Mosi et Hebræis, Aman Mardochæo, Babylonii Danieli per calumniam insidiati sunt, adeo ut eum secundo in lacum leonum detruserint. Præclare S. Isidorus, libro II *Sentent.* cap. XXXII : « Nonnulli, ait tantæ sunt pravitatis homines, qui, dum ipsi a malo corrigi negligunt, correctorum vitam falsa criminatione detrectant, et ad sui sceleris solatium usurpant, si vel falso compererint, quod ad infamiam bonorum objiciant, sicut est illud ex Salomone (multi enim Ecclesiasticum tribuerunt Salomoni, uti dixi in Procemio) : Bona in malum convertit impius, et in electis imponit maculam. Væ autem illi qui et suam renuit vitam corrigere, et bonorum non desinit detrectare! »

Porro Palacius hunc versum cum præcedenti sic apposite connectit et explicat : « Cave, inquit, ne in domum tuam dolosum adduoas; ut enim præcordia putris, quamvis odoratos cibos eis

Vers 33

injicias, putent semper tamen : ita licet beneficiis dolosum afficias, machinabitur tibi tamen malum; et sicut perdix inducitur in caveam, ubi, licet ibi delicatius alatur, machinatur tamen fugam e cavea; ac sicut caprea in laqueum conjecta, et ad delicias eam habentis educata, fugam continenter meditatur : ita dolosum tu in tuam domum inducis, ubi deliciose eum alis; at ille insidias tibi continenter parat, et est cor ejus, sicut prospector, qui attente videt ubi cadas, id est, ubi te cadere faciat. Bona enim tua in malum interpretabitur et convertet; et quæ tu das illi electa, ille macula nigra notat et infamat. Plane ut pectus putre, ut perdix captiva, ut caprea illaqueata, bona quæ suscipiunt, convertunt in malum quod meditantur. Quam hæc in nos quadrant, qui tot tantaque bona a Deo suscepta, in ejus offensionem convertimus! » Ex hac sententia colligit Evaristus Papa, ut habetur II, *Quæst.* VII, cap. 1, laicos non esse audiendos in accusatione Episcopi : « Quia, inquit, pro meritis subditorum disponitur a Deo vita rectorum. Et quia insidiator bona sæpissime solet convertere in malum, et in electis ponere maculam. »

Vers. 34. 34. A SCINTILLA UNA (Complutenses μικρᾶς, id est *parva*) AUGETUR IGNIS, ET AB UNO DOLOSO AUGETUR SANGUIS (id est sanguinis effusio, cædes et homicidia); HOMO VERO (ita Romana et Lucius Papa *epist.* 1; sed Jansenius pro *vero* legit *enim*) PECCATOR SANGUINI INSIDIATUR. — Græcus de more concisus et bimembris sic habet, *a scintilla parva exardescit focus : ita scelerosus homo insidiatur usque ad sanguinem;* Syrus, *ex pauca stupa accenditur ignis : sic homo iniquus effundit sanguinem, sicut aquam.*

Est hæc nova ratio cur cavendum sit a doloso et superbo, quia scilicet unus dolosus est instar scintillæ in palea vel stipula, quæ proserpendo per suas detractiones et susurros magnum litium, odiorum, rixarum et homicidiorum excitat incendium. Id sæpe fit præter mentem et intentionem dolosi : at vero ubi dolosus fit *peccator*, id est, plane se peccatis et nequitiæ dedit, tunc ex intentione *insidiatur sanguini*, ac flabello linguæ et fraudis suæ ex proposito pugnas et cædes suscitat et accendit.

Porro S. Cyprianus, lib. *De Singularitate Clericorum*, hanc sententiam applicat conversationi cum mulieribus; modica enim cum eis familiaritas instar scintillæ proserpens, magnum tandem libidinis ignem et fumum, id est incendium et infamiam, suscitat. Verum Siracides ad litteram agit de doloso, non de mulieroso.

Ex minimis maxima. Moraliter, disce hic parva vitia non esse negligenda, sed exstirpanda; sicut enim una scintilla injecta in pulverem tormentarium, turres et urbes evertit : sic unus defectus levis, data magna occasione, gravem sui et aliorum ruinam causat. « Modicum fermentum totam massam corrumpit, » ait Paulus I *Cor.* v, 6. Dolosus ergo est parvus defectus, qui aditum ad sanguinem, id est ad majora peccata, aperit. Huic gnomæ similis est illa Sallustii in *Catilina.*: « Parva scintilla contempta magnum excitavit incendium. » Et illa Solonis : « Ex minimis principiis grandes nascuntur lites, ut ignis ex scintilla; » quod citat S. Hieronymus in cap. 1 *ad Galat.*, et adaptat hæreticis. Sic Arius fuit scintilla, quæ sua hæresi totum accendit orbem. Et S. Gregorius Nazianzenus de vitiis levibus, in *Sententiis* : « Ingentem flammam perexigua quoque scintilla excitat. »

Vers. 35. 35. ATTENDE TIBI A PESTIFERO, FABRICAT ENIM MALA; NE FORTE INDUCAT SUPER TE SUBSANNATIONEM (Græce μῶμον, id est maculam, vituperium, infamiam, quæ inducit hominum derisionem et subsannationem) IN PERPETUUM. — Plane enim dignus es, quem omnes subsannent, si non caves eum qui omnes læsit, ait Palacius. Pro pestifero græce est κακούργου, id est vafri, malitiosi, qui studio et ex malitia satagit nocere : qui sane pestilens est. A tali ergo cave, quia talis quasi faber mali, non nisi malum machinatur et fabricat, ut tibi maculam infamiæ perpetuam inurat. Tigurina, *ab homine malefico et moliente mala cave, ne tibi notam inurat perpetuam.* Huc facit apologus cassitæ sive galeritæ (ita vocatur alauda, quod in capite habeat galericulum quasi cassidem) apud Æsopum. Cassita enim videns aucupem fabricantem laqueos et retia ad aucupium, accedens rogavit quid moliretur; cui ille : « Urbem fabrico. » Retibus dispositis abiit auceps, seque inter arbusta abdidit. Advolat cassita, ut Neapolin, novam urbem, inquam, speculetur, illicoque reti illaqueata capitur ab aucupe. Ad quem illa jam mœrens : « Si talem, inquit, urbem fabricas, paucos ejus habebis incolas. » Docet apologus deseri destruique ædes et familias, in quibus aliis doli et fraudes struuntur.

Apologus cassitæ.

Vers. 36. 36. ADMITTE AD TE (Græce ἐνοίκισον, id est inhabitare fac, inserere domui tuæ, eique quasi inocula) ALIENIGENAM, ET SUBVERTET TE IN TURBINE, ET ABALIENABIT TE A TUIS PROPRIIS, — scilicet rebus et opibus. Perperam multi legunt, *a viis propriis*, quod sic explicat Palacius : « Cave, inquit, ne in tuam familiaritatem inducas virum a fide alienum, ne te a tua fide velut turbo dejiciat, et a viis propriis tuæ religionis abalienet. Utinam hoc consilium accepisset Salomon! non fuisset a religione velut turbine dejectus; et Judæi, qui alienigenas susceperunt, didicerunt mores eorum. Per peram, inquam, legunt *viis*, pro *tuis;* græce enim est, τῶν ἰδίων σου, id est, *a propriis tibi*, vel *tuis;* et ita legit Lucius Papa *epist.* 1. Rursum « in turbine, » id est, instar turbinis, vel cum turbine. Minus recte codex S. Augustini in *Speculo* habet, *in torpore;* græce enim ἐν ταραχαῖς, id est, *in turbis*, concitando scilicet contra te turbas et tumultus, quibus te involvet, et a tuis bonis expellet. Tigurina, *alienum in domum tuam recipe, et cum perturbatione subvertet, exuetque te tuis possessionibus;* alii, *domo excipe alienum, et te turbis evertet, et*

abalienabit a te propria bona; Syrus, *ne adhæreas iniquo, ne forte pervertat viam tuam, et convertat te a statu* (alius codex habet, *a conspectu tuo*). Est ironia, *q. d.* Suscipe, si libet, in domum extraneum quem non nosti, nec satis explorasti; sed scito quod gravi periculo te exponis, ne ille vafre te a tua domo bonisque excludat, eaque sibi arroget et usurpet, ut fecit Jugurtha, qui in regiam receptus a Masinissa rege, ejus filios et familiam evertit; unde ortum est Romanis bellum Jugurthinum, quod describit Sallustius. Et Herodes Ascalonita ascitus in familiam Hyrcani, omnem ejus et Assamonæorum, sive Machabæorum, stirpem exstinxit, ejusque regnum usurpavit, ac Judææ se regem creavit, uti narrat Josephus in ejus Vita. Huic concinit adagium Græcorum : « Atticus advena, » quod citat Aristoteles lib. III *Rhetoric.*, dici solitum in advenas violentos, qui inquilinos sedibus suis exturbant. Duris apud Zenodotum ait ex Atticorum moribus natum, quod olim finitimos e suis sedibus exigere consueverint. Craterus inde manasse putat, quod Athenienses (in Attica primi) qui in Samum missi fuerant, indigenas expulerint.

Vidi olim Lovanii catulum vulpeculæ recens natum, ex nido matris sublatum inseri nido catulorum felis, ut ab ea lactaretur ; sed catulus vulpeculæ crescens, post paucos dies, catulos felis occidit, sibique soli nidum usurpavit. Itidem fecerunt, et faciunt alienigenæ. Unde Christus Herodem juniorem, Herodis jam dicti filium, vocavit vulpem : « Dicite, inquit, vulpi illi, » *Lucæ* XIII, 32. Denique hæc sententia sæpe vera est, at non semper : significat enim quod crebro fiat ab advena avaro et superbo. Sunt enim advenæ probi, qui hospites suos ditant et beant.

Tropologice, Admitte alienigenam, id est, opus et occupationem quæ a tuo instituto et professione aliena est; ac subvertet te in turbine, puta, cum magna animi turbatione, et abalienabit te a tuis propriis sanctitatis exercitiis, quia virtutum faciet pauperem, dum laxitatis faciet amatorem. Talibus dicat S. Basilius, et ex eo Cassianus lib. VII *De Instit. renunt.*, cap. XIX : « Senatorem perdidisti, et monachum non fecisti. » Et illud S. Gregorii : « Appetens aliena privatur suis. » Ita Clericus et Religiosus, tractans sæcularia, sua spiritalium sorte se fraudat, nec dicere potest : « Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei, » quia ejus pars et sors est sæculum. His dicit Christus gemens : « Extraneus (S. Augustinus legit, *alienatus*) factus sum fratribus meis, et peregrinus filiis matris meæ, » *Psalm.* LXVIII, 9. « Quid tibi cum mundo, qui major es mundo ? » ait S. Cyprianus. Quocirca Salomon, *Prov.* XXVII, 8 : « Sicut avis, inquit, transmigrans de loco suo, sic vir qui derelinquit locum suum. Rursum alienigena hic et peregrinus est concupiscentia, quæ Davidem cæterosque probos expellit e sede propria mentis suæ, ut vagentur per illecebras meretricum et epularum, uti docet S. Chrysostomus in *Psal.* L. Anima enim quid externum amans, quasi a se exit, et peregrinatur foris : quia anima magis est ubi amat, quam ubi animat. Porro id facit in turbine, turbando nimirum judicium rationis, ne illecebrarum fraudem videat; sicut piscatores solent perticis turbare aquas ut expiscentur anguillas, teste Aristotele lib. VIII *Histor. anim.*, cap. II, et Plinio lib. IX cap. XXII. Unde Aristophanes in *Equitibus*, eos qui in reipublicæ perturbatione se ditant et extollunt, comparat piscatoribus anguillarum. Unde et proverbium : « Piscari in aqua turbida. »

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit docere a quibus cavendum sit, nimirum ab impiis et ab inimicis. Igitur, vers. 1 *usque ad* 8, *docet benefaciendem esse justo, non impio. Inde, vers.* 8 *usque ad finem, docet inimico non esse fidendum, etiamsi amicitiam simulet.*

1. Si benefeceris, scito cui feceris, et erit gratia in bonis tuis multa. 2. Benefac justo, et invenies retributionem magnam; et si non ab ipso, certe a Domino. 3. Non est enim ei bene qui assiduus est in malis, et eleemosynas non danti : quoniam et Altissimus odio habet peccatores, et misertus est pœnitentibus. 4. Da misericordi, et ne suscipias peccatorem ; et impiis et peccatoribus reddet vindictam, custodiens eos in diem vindictæ. 5. Da bono, et non receperis peccatorem. 6. Benefac humili, et non dederis impio : prohibe panes illi dari, ne in ipsis potentior te sit. 7. Nam duplicia mala invenies in omnibus bonis, quæcumque feceris illi, quoniam et Altissimus odio habet peccatores, et impiis reddet vindictam. 8. Non agoscetur in bonis amicus, et non abscondetur in malis

inimicus. 9. In bonis viri, inimici illius ; in tristitia et in malitia illius, amicus agnitus est. 10 Non credas inimico tuo in æternum : sicut enim æramentum, æruginat nequitia illius : 11. et si humiliatus vadat curvus, adjice animum tuum, et custodi te ab illo. 12. Non statuas illum penes te, nec sedeat ad dexteram tuam, ne forte conversus in locum tuum, inquirat cathedram tuam ; et in novissimo agnoscas verba mea, et in sermonibus meis stimuleris. 13. Quis miserebitur incantori a serpente percusso, et omnibus qui appropiant bestiis? et sic qui comitatur cum viro iniquo, et obvolutus est in peccatis ejus. 14. Una hora tecum permanebit : si autem declinaveris, non supportabit. 15. In labiis suis indulcat inimicus : et in corde suo insidiatur, ut subvertat te in foveam. 16. In oculis suis lacrymatur inimicus : et si invenerit tempus, non satiabitur sanguine : 17. et si incurrerint tibi mala, invenies eum illic priorem. 18. In oculis suis lacrymatur inimicus, et quasi adjuvans suffodiet plantas tuas. 19. Caput suum movebit, et plaudet manu, et multa susurrans commutabit vultum suum.

PRIMA PARS CAPITIS,

BENEFACIENDUM ESSE PIO, NON IMPIO.

1. SI BENEFECERIS, SCITO CUI FECERIS, ET ERIT GRATIA IN BONIS TUIS MULTA. — Græce, *si benefacias, scito cui facias, et erit gratia bonis tuis;* Syrus, *si benefacias malo, nihil facis, neque est gratia gratiæ tuæ ;* Tigurina, *cum benefacis, observa cui benefacias, ut beneficia tua mereantur gratiam plurimam;* S. Athanasius vel potius Anastasius in Quæst 84 *ad Antiochum* : « Vide cui benefacias; hoc est, inquit, quid Deo facias. Si enim ad discernendos petentes id profertur, cur dicit Dominus : Da cuicumque te rogaverit? » *Lucæ* VI, *q. d.* Cum alicui benefacis, benefac propter Deum, puta propter amorem et honorem Dei ; sic non tantum homini, sed et Deo benefacies, ac proinde amplam ab eo gratiam et mercedem recipies. Sic et Rabanus : « Hortatur, inquit, ut simplici animo facias eleemosynam, quia ita solummodo misericordiæ opera apud Deum probantur, si simplici et munda intentione exhibeantur. » Verum hic sensus mysticus potius est quam litteralis; agitur enim hic de homine cui bene fit, non de Deo, ut patet ex sequenti : « Da bono, et ne receperis peccatorem. »

Primo ergo et genuine, *q. d.* Cum benefacis, vide ne benefacias ei qui beneficio tuo abutetur ad luxum, crapulam, libidinem, fastum, nequitiam, aut certe ad acediam et pigritiam. Multi enim pauperes robusti mendicant, quos satius esset laborare, et labore manuum victum sibi parare : qui ergo talibus benefacit, alit eorum inertiam et socordiam, ac vitia inde nasci solita. Unde contra hos exstat tit. in Jure *De validis mendicantibus*, ac in civitatibus bene ordinatis tales non permittuntur mendicare, tum ne alantur in otio, tum ne eleemosynas aliis laborare non valentibus præripiant, tum ne civitati et civibus sint oneri et periculo.

Secundo, q. d. Cum benefacis, vide ne beneficium vel officium conferas indigno, vel minus digno, omisso digniore. Hoc enim est contra justitiam distributivam, et sæpe commutativam. Vide Lessium tract. *De Justitia et jure*, lib. II, cap. XXXIV, dubit. 12 et sequent. Huic simile est illud Christi : « Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, » *Matth.* VII, 6.

Tertio, q. d. Cum benefacis, vide ne benefacias ingrato, doloso, invido et superbo, qui beneficio tuo armatus, et potentior factus, contra te insurget, teque supplantabit. De tali enim præcessit sermo cap. præced., vers. ultim. : « Admitte ad te alienigenam, et subvertet te in turbine. » Sic se explicat Siracides vers. 6 et seq.

Quarto et optime, vult Siracides ne beneficium indiscrete, cæce et sine ratione projiciatur in quemvis obvium, sed videatur cui conferatur, ut habeat gratiam. Gratia autem et decus beneficii in eo consistit, ut deceat donantem, æque ac donatarium, id est, eum cui donatur: decet enim beneficium beneficiato, et donum donatario esse proportionatum et commensum. Quod enim uni est nimis, alteri est parum; et quod uni est parum, alteri est nimis. Vult ergo in beneficio servari τὸ πρέπον, id est decorum, ut ipsum pariter sit gratiosum et decorum. Quod enim nobili parum est, civi nimis est ; quod parum indigenti nimis est, multum indigenti parum est; quod docto parum est, indocto nimis est, etc. Rursum beneficium personæ congruum sit oportet. Puero poma dones, viro nummos, seni vina, rustico armenta, militi arma, studioso libros, doctori officium, nobili præfecturam (incongruum enim et inutile est, si rustico lanceam, militi ligonem porrigas) : sic enim δῶρον est δῶρον, non ἄδωρον ; et χάρις est εὔχαρις, non ἄχαρις. Sic, inquam, gratia

habet gratiam, estque non ingrata, sed grata Deo et hominibus, qui proinde illi gratias referent, ac gratiam simili gratia compensabunt. Unde Syrus vertit, *erit gratia gratiæ tuæ, q. d.* Gratum et bene collocatum erit tuum beneficium, ac remuneratione dignum. Sin sine ratione profundas, ab illis nec gratiam, nec mercedem habebis. Gratia enim tam decus, quam meritum gratiæ, puta gratiarum actionem et mercedem significat : sic enim dum gratias agimus, dicimur habere vel referre gratiam. Maxime autem vult Siracides ut beneficium detur pio, non impio, de quo versu sequenti.

Nota : Non est hic sermo de eleemosynis minutis et quotidianis : « In his enim præstandis, ait Palacius, non est necesse considerare et nosse quis sit cui damus; sed sermo est de grandioribus beneficiis, quæ est necesse ut dignis dentur, ut sit gratia a Deo ei qui dat. Dices : Nonne Deus indignissimis nobis maxima beneficia præstat? Nonne solem suum oriri facit super bonos et malos? Nonne Paulus jubet inimicum pascere, et carbones ignis super ejus caput congerere? Quid enim si dignis das, nonne et Ethnici hoc faciunt? Quid, num non et Seneca vult deorum exemplo, multa etiam ingratis dari? Respondetur, absque dubio verum dici ab Auctore : nam, ut Aristoteles ait, cum liberalitas sit virtus, dabit quando, quomodo, ubi, et quibus oportet. Siquidem dare quibus non oportet, non dare, sed perdere est. Ac ideo qui eleemosynas tribuere vult, maxime domesticis fidei (ut ait Paulus) et piis (ut volebat Tobias) largietur. Ergo regulariter, et ut plurimum, qui benefacit, viro bono benefaciet, ut et beneficium (liceat ita loqui) oret pro benefico, simul oret et beneficiarius, simulque gratum habeat Deus. Quod si Deus malos etiam beneficiis afficit, id, ut ait Seneca, facit propter bonos. Si enim malos malis afficeret, pertingeret hoc malum etiam ad bonos. Idem vult Paulus, cum omnia dicit Deum facere propter electos. Jam si Paulus juxta Christi sententiam jubet beneficiis inimicum vincere, id sane jubet, quia illi dando, Christo datur. Cui gratissimum feceris, si inimicum ea ratione ad meliorem mentem adducas. Demum non negamus nonnunquam ingratis dandum esse, ut grati sint. At, ut plurimum, si benefeceris, viris bonis, et id promerentibus benefeceris. » Hæc Palacius.

Quatuor in beneficio observanda.

Docent Hebræi in beneficio quatuor esse observanda. *Primum,* ut detur quoties alter eo indiget. Unde R. Aquila, præceptor Aquilæ Pontici, dicebat, « inopem qui mane nostram beneficentiam esset expertus, si vespere redeat, non esse dimittendum vacuum. » Ita S. Gregorius Angelo se naufragum simulanti, secundo et tertio redeunti largam dedit eleemosynam, ideoque pontificatum meruit, ut habet ejus Vita. *Secundum,* ut eleemosyna detur clam et in occulto, non palam et in aperto aut publico; quod et docet Christus *Matth.* cap. VI, 2. *Tertium,* ut detur vultu hilari : « Hilarem enim datorem diligit Deus, » ut ait Apostolus II *Cor.* IX, 7. *Quartum,* ut eum cui damus, blandis verbis alloquamur. Nam dono gratiam conciliat benevolus sermo, qui sæpe plus valet et potest, quam ipsum donum.

Gnomæ sapientum.

Siracidi adstipulantur, et quasi antistropha respondent axiomata Philosophorum, P. Mimi :

Beneficium dando accipit, qui digno dedit.

Ennii :

Benefacta male locata malefacta arbitror.

Democriti in temere quibuslibet largientem : « Male pereas, quia Gratias virgines meretrices effecisti. » Ita Maximus, *serm.* 6. Comici : « Thesaurus est pulcher bene locata gratia. » Archelaus cuidam postulanti poculum in convivio negavit, deditque Euripidi, dicens : « Tu quidem dignus eras qui peteres, nec acciperes; Euripides vero dignus erat qui acciperet, etiam non petens. » Ita Plutarchus in *Regum Apophtheg.*

Antigonus, Macedoniæ rex, Thrasillo Cynico drachmam petenti : « Non est, inquit, munus regium. » Cynico subjicienti : « Talentum ergo da; » respondit : « Non est Cynicum tantum munus accipere. » Plutarchus ibidem.

Alfonsus, Aragonum rex, teste Panormitano, lib. II *De Gestis* ejus, dictitabat, « ingenti beneficio non nisi ingenti ingratitudine satisfieri, ideoque plures quidem esse qui darent, sed qui dare scirent esse perpaucos; at non ob id pigrius dandum esse et benefaciendum. »

Indignis quando benefaciendum?

Porro indignis et ingratis quandoque benefaciendum est, cum necessitas vel utilitas sive tua, sive aliena, sive privata, sive publica id exigit, præsertim ut ipsi beneficiis victi, grati et digni fiant. Ita Alexander Magnus « regium esse affirmabat, in eos a quibus male audias, bona conferre. » Alfonsus, Aragonum rex, « oblatrantibus canibus et rebellantibus offulam objiciendam » dictitabat; « Herculem etiam non rogatum laborantibus subvenire consuevisse. » S. Isidorus in *Norma vivendi,* cap. XVI : « Non eligas, ait, cui miserearis, ne forte prætereas illum qui meretur accipere. Omnibus da, ne forte, cui non dederis, ipse sit Christus. » Alexander Severus Imperator rogatus « quis esset rex optimus : » « Qui, inquit, amicos muneribus retinet, ac inimicos beneficiis ambit et reconciliat. » Ita Maximus, *serm.* 9. Vespasianus Imperator monitus ut caveret a Pomposiano, fore enim ut aliquando regnaret, non solum non cavit, sed et consulem eum fecit, dicens : « Erit olim memor tanti beneficii. » Seneca, lib. VI *De Beneficiis,* cap. XVII : « Malo, inquit, beneficium projiciam, bono reddam. Huic, quia debeo; illi, ne debeam. » Idem, lib. VII, cap. ultim., objicit : « Ingratus est; » ac respondet : « Non mihi fecit injuriam, sed sibi. Ego beneficio meo, cum darem, usus sum : nec ideo pigrius dabo, sed diligentius. Quod in hoc perdidi, ab aliis recipiam,

Sed huic ipsi beneficium dabo iterum, et tanquam bonus agricola, cura cultuque sterilitatem soli vincam. Non est magni animi beneficium dare, et perdere ; hoc est magni animi perdere, et dare; » id est, dare illi quem ingratum es expertus: ille enim perdidit beneficium. B. Jordanus, successor S. Dominici, dans tunicam pauperi, ac deinde audiens pauperem tunicam vendidisse, et pretium epulando in taberna abligurivisse: « Malo, inquit, me amisisse tunicam quam pietatem. »

Charitum trium symbola.

Denique quale debeat esse beneficium repræsentarunt Poetæ per tres Charites, sive Gratias, quarum hæc sunt nomina, Aglaia, Thalia, Euphrosyne. Has enim pinxerunt quasi tres sorores, manibus implexis, ridentes, juvenes, virgines, soluta ac perlucida veste. Causam dat Seneca, lib. I *De Beneficiis*, cap. III : « Tres, inquit, sunt, quia una est quæ det beneficium, altera quæ accipiat, tertia quæ reddat. Quid ille consertis manibus in se redeuntium chorus? Ob hoc, quia ordo beneficii per manum transeuntis, nihilominus ad dantem revertitur; et totius speciem perdit, si interruptus est : pulcherrimus, si cohæsit, et vices servavit. Ideo ridentes, quia promerentium vultus hilares sunt, quales solent esse et qui dant, et qui accipiunt beneficia. Juvenes, quia non debet beneficiorum memoria senescere. Virgines, quia incorrupta sunt et sincera, et omnibus sancta, in quibus nihil esse alligati decet, nec astricti. Solutis itaque tunicis utuntur, perlucidis autem, quia beneficia conspici volunt. »

BENEFAC JUSTO (Græce εὐσεβεῖ, id est *pio, religioso*), ET INVENIES RETRIBUTIONEM MAGNAM : ET SI NON AB IPSO (quia pauper est, vel impotens retribuere), CERTE A DOMINO. — « Retributionem, » Græce ἀνταπόδομα, id est remunerationem, mercedem, præmium; Tigurina, *pretium*. Hic ostendit quibus sit conferendum beneficium, scilicet justis, misericordibus, humilibus. Quod enim justo confertur, Christo, qui in justo per gratiam habitat, tribuitur, Christusque sibi tributum æstimat. Quod ut reipsa ostenderet, ipse subinde in specie pauperis eleemosynam petiit et accepit, uti a S. Gregorio eum accepisse narrat Joannes Diaconus in ejus Vita. Idem S. Gregorius, homil. 39 *in Evangel.*, narrat Martyrium monachum in humeros suscepisse Christum in specie leprosi. Quod ergo justo impenditur, Christo justorum parenti confertur, ac proinde a Christo amplam recipiet remunerationem. Unde in die judicii dicet: « Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare, » *Matth.* XXV, vers. 34. Causam subdit vers. 40 : « Amen dico vobis : quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis; » et cap. X, vers. 41 : « Qui suscipit justum in nomine justi (id est, hoc nomine, titulo et causa, quod justus sit), mercedem justi accipiet; » et vers. 40 : « Qui recipit vos, me recipit; et qui recipit me, recipit eum qui me misit. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet, » *q. d.* Qui recipit Prophetam, id est, prædicatorem Evangelii, quia ejus prædicator est, hic mercedem prædicatoris accipiet. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus et Beda ibidem. Ratio est, quia talis cooperatur prædicatori, eumque suis eleemosynis et auxiliis juvat ad prædicandum, ac proinde particeps est uti laboris et meriti, sic et præmii prædicatoribus assignati. Intellige, non æqualiter (plus enim recipiet prædicator), sed secundum proportionem et mensuram cooperationis et charitatis, quia prædicatorem et prædicationem ejus juvit et promovit. Sic enim jure communi, participes et receptatores furum, simili cum furibus pœna, plectuntur. Simile dat S. Gregorius homil. 20 *in Evang.*: « Quia etsi ulmus, inquit, fructum non habet, vitem tamen cum fructibus portans, hæc ipsa sua efficit quæ bene sustentat aliena: » sic pariter qui justum sustentat, sua efficit opera justitiæ, quæ justus operatur, adeoque per justum justa operatur; et qui prædicatorem sustentat, per eum prædicat et prophetat.

Alens Apostolum mercedem Apostoli recipit.

Unde ex hac Christi sententia recte colligit S. Ignatius epist. *ad Smyrnenses* : « Nimirum, inquit, qui honorat vinctum Jesu Christi, Martyrum accipiet mercedem, » quia vinctum honorando, eum ad martyrium animat et roborat. Hinc multos fideles olim hoc nomine quod Martyres animarent, alerent, servirent aut sepelirent, martyrium meritos et adeptos in Vitis Sanctorum legimus. Ex eadem pariter inferas et colligas : ergo qui viros Religiosos, Doctores, Apostolicos recipit et alit, quia tales sunt, hic mercedem Religiosorum, Doctorum et Apostolorum recipiet.

Hinc disce primo, ad insigne meritum oportere benefacere justo, non tantum materialiter, puta huic homini qui justus est, sed et formaliter quia justus est, sive intuitu justitiæ. Rursum in hac beneficentia esse gradus : nam quo justus est justior tum sibi, tum aliis, id est, quo plures ad justitiam erudit et impellit, eo magis crescit ejus meritum, æque ac præmium. Vide *Daniel.* 12, vers. 3.

Vers. 3.

3. NON EST ENIM EI BENE QUI ASSIDUUS EST IN MALIS, ET ELEEMOSYNAS NON DANTI : QUONIAM ET ALTISSIMUS ODIO HABET PECCATORES, ET MISERTUS EST POENITENTIBUS. — Græca, de more concisa, priorem tantum sententiam habent, hoc modo, *non est bene ei qui assiduus est in malis, et eleemosynam non danti.* S. Pacianus, epist. 3 *ad Sempronianum*, sub medium, legit, *assidue peccanti non misereor;* Complutenses, *non erunt bona ei qui assuetus est ad mala, et eleemosynam non separanti.* Olim enim separabatur et seponebatur nummus vel res danda in eleemosynam die Dominica in ecclesia et cœtu fidelium, ut patet I *Corinth.* XVI, 2. Legunt Complutenses χαριζομένῳ, id est, gratis danti. Unde Tigurina vertit, *assiduum in vitiis nil boni manet, nec item eum qui nihil erogat in pauperem.* Scriptum

est enim: « Date, et dabitur vobis. » Hæ sunt quasi duæ sorores : si unam tollas, scilicet *date*, altera, scilicet *dabitur vobis*, pariter abibit. Sensus est, *q. d.* Benefac justo, non autem peccatori, quia « non bene, » id est, male, imo pessime, erit ei qui assidue peccat, qui in peccatis assiduus et quasi affixus est, ideoque non cogitat de pœnitentia et eleemosyna, qua se ad pœnitentiam disponat, et peccata redimat, *q. d.* Peccatori pessime erit si in peccatis hæreat, sordescat et obsurdescat, sitque impœnitens et obduratus; ut quid ergo tali benefacias, qui sibi, aliis et Deo pessime facit? ut quid des eleemosynam ei qui aliis eleemosynam negat, nec curat eleemosyna peccata sua expiare?

Syrus aliter habet, *non est gratia ei qui honorat malum, et qui facit justo, non perdit.* S. Hieronymus, epist. *de Septem Ordin. Eccles.* cap. v, et refertur *Dist.* 93, cap. XXII *Diaconi sunt*, in fine, paraphrastice sic hanc sententiam reddit : « Moderatio Dei ac pietas solum nostrum reditum quærit, ac nos cupit longa sua bonitate salvari. Si non convertimur, si duri corde sumus, si in peccatis usque ad mortem illicite persistimus, assidue peccantium, sicut scriptum est, non miseretur Deus. »

Noster Interpres addit : « Quoniam et Altissimus odio habet peccatores, et misertus est pœnitentibus. » Quæ verba dant causam cur bene non sit nec erit peccatori, quia scilicet Deus odit peccatores : a Deo autem Deique amore omne bonum manat, sicut a Dei odio omne malum. Cum ergo odio prosequatur peccatores, hi non nisi mala ab eo exspectare debent; ut quid ergo ames eum quem odit Deus? ut quid benefacias ei cui mala omnia intentat Deus? Intellige si in peccato persistat : nam si ab eo resiliat et pœniteat, Deus eum in gratiam recipiet, imo in sortem bonam justorum et filiorum suorum transferet. Unde ait : « Et misertus est pœnitentibus. » Quæ verba per antithesin respondent ei quod præcessit : « Non est bene eleemosynas non danti? » *q. d.* Sicut Deus male facit impœnitentibus, ideoque per eleemosynas peccata non redimentibus : ita ex adverso miseretur et benefacit *pœnitentibus*, ideoque per eleemosynas peccata redimentibus. Dici tamen potius *pœnitentibus*, quam *eleemosynam dantibus, primo*, ut significet eleemosynam parum juvare, nisi dantem eas peccatorum pœniteat, imo nihil juvare si in peccatis persistere velit; *secundo*, ut significet eleemosynam ad pœnitentiam tantum disponere, pœnitentiam vero eleemosynam perficere, dum peccatorem pœnitentem justificat; *tertio*, ut innuat dantem eleemosynam solere a Deo per gratiam præveniri, impellique ad pœnitentiam, ut convertatur et justificetur.

Vers. 4. 4. DA MISERICORDI (perperam codex Complut. et S. Augustinus lib. III *De Doctrina Christiana*, cap. XVI, legunt *da misericordiam;* Græce enim est εὐσεβεῖ, id est pio, misericordi), ET NE SUSCIPIAS (id est juves, foveas, protegas) PECCATOREM. — Inter justos enim maxime digni sunt beneficentia et misericordia illi, qui in alios sunt misericordes, ut scilicet inveniant apud nos misericordiam ii, apud quos alii invenerunt, et sicut præstiterunt recipiant, juxta illud Christi : « Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur, » *Matth.* v, 7. Nota : Misericordi opponit peccatorem, quia peccatores solent esse immisericordes, ut justi solent esse misericordes, juxta illud : « Novit justus jumentorum suorum animas; viscera autem impiorum crudelia, » *Proverb.* XII, 10. Hinc in Scriptura justus vocatur חסיד *chasid*, id est pius et misericors, et justitia vocatur חסד *chesed*, id est pietas et misericordia. Vide dicta *Daniel.* IV, 24. Ratio est, quod charitas quæ constituit justum, eumdem constituit et misericordem : charitatis enim est omnes amare, omnibusque benefacere. Ex adverso peccator caret charitate, et plenus est concupiscentia et amore sui, qui omnia ad se rapere, nihil aliis dare satagit.

ET IMPIIS ET PECCATORIBUS REDDET VINDICTAM. — Hæc verba videntur esse transposita, ac præponenda ei quod dixit : « Da misericordi, et ne suscipias peccatorem; » nam si ei postponas, non recte cum eo cohærent. Unde ut cohæreant, Rabanus et alii pro *reddet*, legunt *redde, q. d.* « Tu, o homo, misericors in pios, redde impiis vindictam. » Sed perperam; sequitur enim, « custodiens eos in diem vindictæ, » quod non ad hominem, sed ad Deum pertinet. Sane Syrus æque ac Græcus, et S. Augustinus in *Speculo*, ea transferunt ad vers. 7, ubi Noster pariter eadem iterat. Sic et superius monui quædam alia hic et in Proverbiis videri transposita, sive ab Interprete, sive errore scriptorum. Verum quia Romani aliique codices vetusti ea hoc loco ponunt, dico τὸ *et* ex phrasi Hebræa accipiendum pro *quia*, et repetendum τὸ *Altissimus*, quod paulo ante præcessit, nimirum *reddet* ille cujus est reddere, et qui vers. præced. nominatus est, scilicet *Altissimus*, *q. d.* Da misericordi non peccatori, quia Altissimus impiis et peccatoribus reddet non misericordiam, sed vindictam. Cur enim dabis ei, qui in peccatis velut sus in cœno vult volutari, cui proinde Deus non gratiam, sed ultionem parat? Cur per eleemosynam servabis a morte, quem Deus velut ovem occisionis reservat ad pœnam et gehennam?

Quæres, quo sensu Siracides hoc vers. et seq. prohibet beneficium conferri in peccatorem, cum sæpe illi eleemosyna conferenda sit, tum spiritualis, tum corporalis, idque ex præcepto, cum scilicet ipse in gravi necessitate est constitutus?

Peccatori non danda eleemosyna, quo sensu? Resp. Primo.

Respondet *primo* S. Augustinus, lib. III *De Doctrina Christiana*, cap. XVI, hoc præceptum figurate esse accipiendum. Hunc enim duplicem dat canonem quo cognoscamus an verba S. Scripturæ sint proprie, an vero figurate intelligenda : « Si, inquit, præceptiva locutio est, aut flagitium aut facinus vetans, aut utilitatem aut beneficentiam

jubens, non est figurata. Si autem flagitium aut facinus videtur jubere, aut utilitatem aut beneficentiam vetare, figurata est. » Posterioris hoc assignat exemplum : « Scriptum est : Da misericordiam (eleemosynam), et ne suscipias peccatorem. Posterior pars hujus sententiæ videtur vetare beneficentiam. Ait enim : Ne suscipias peccatorem. Intelligas figurate positum, pro peccato, peccatorem, ut peccatum ejus non suscipias, » *q. d.* Ne consentias, juves, foveas peccatorem ad perpetrandum peccatum; sic enim cooperaberis peccato ejus, et cum peccante peccabis. S. Augustinum sequitur Gregorius de Valentia, I *p.*, Quæst. I, puncto 5, disp. 1, quæst. 1 : « Ne suscipias peccatorem; » figurate, inquit, hoc accipe, *q. d.* Ne promoveas vel adjuves peccatum hominis; nam paulo ante præcepit beneficentiam. Accedit S. Thomas II II, *Quæst.* XXXII, art. 9, ad 1 : « Ne suscipias peccatorem, scilicet, inquit, quatenus peccator est; sicut neque ut talis est amandus, bene autem ut proximus; » et art. 2 : « In peccatore, inquit, duo sunt, scilicet culpa et natura. Est igitur subveniendum peccatori, quantum ad sustentationem naturæ; non est autem ei subveniendum ad fomentum culpæ. Hoc enim non esset benefacere, sed potius malefacere. » Et S. Gregorius III part. *Pastor.*, Admonit. 21 : «Panem suum, inquit, et vinum peccatoribus præbet, qui iniquis subsidia pro eo quod iniqui sunt, impendit. Unde et nonnulli hujus mundi divites, cum fame cruciantur Christi pauperes, effusis largitionibus nutriunt histriones. » Et S. Ambrosius, lib. I *Offic.* cap. XXX : « Pulchrum, inquit, est eo largiri consilio, ut prosis, non ut noceas. Nam, si luxurioso ad luxuriæ effusionem, adulteræ ad mercedem adulterii largiendum putes, non est beneficentia; officere enim istud est, non prodesse. » Et S. Gregorius Nazianzenus, epist. 54 *ad Anysium* : « Multa enim sunt, inquit, in quibus iis qui beneficium accipere putantur, injuria infertur. » Et Rabanus hic : « Nonnulli divites, ait, cum fame cruciantur Christi pauperes, effusis largitatibus nutriunt histriones. » Unde Bellarminus, lib. III *De Bonis Operibus in partic.* cap. XII, censet Sirac idem hic non loqui de eleemosyna quæ datur pauperi, sed de beneficio quod in amicum vel cognatum confertur, esto non egeat; quare eum prohibere ne histrionibus, meretricibus, parasitis pecuniæ effundantur. Item ne nimis ditentur filii, nepotes, amici, juvenes, qui inde accipient occasionem prodigalitatis, comessationum, luxuriæ, superbiæ, etc., juxta illud : « Ne cultrum puero. » Qua in re peccant sæpe parentes, Prælati, principes, qui suos quos amant, officiis, censibus, opibus, beneficiis onerant, ut iis incrassentur sicut tauri, ac sua quasi pinguedine suffocentur, juxta illud *Psalm.* XVI, 10 : « Adipem suum concluserunt; » Chaldæus, *opulentia eorum multiplicata est, adipe suo operti sunt.* Et *Psal.* LXXII, 7 : « Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis; » Chaldæus, *mutata est ob pinguedinem similitudo vultuum eorum.* Hi similes sunt animalibus et resinosis arboribus, quæ nimia pinguedine et humore strangulantur et intereunt, de quibus Plinius, lib. XVII, cap. XXIV : « Et cum radices, ait, pinguescere cœperunt, intereunt, ut animalia nimio adipe. » Hoc sane non est amare, sed odisse; non fovere, sed occidere. Hinc talibus beneficia sunt veneficia, opes sunt fomenta scelerum, ac consequenter fomenta gehennæ. Quare in die judicii maledicent parentibus, Prælatis et principibus, qui eas sibi dederunt, quod se impinguarint, ut validius arderent in gehenna. Accedit Lyranus, *ne alas peccatorem,* id est, *obstinatum,* inquit, *qui ex bonis tuis foveretur in peccatis.* Peccator enim est, qui habet habitum et studium peccandi, adeoque peccatis est affixus et immersus.

Secundo, Auctor *Imperfecti in S. Matthæum,* apud S. Chrysostomum, *homil.* 26, respondet magnam eleemosynam dandam esse pio, parvam impio, eo quod illa magnam, hæc parvam habeat mercedem. Scriptum est, inquit, *Galat.* VI : « Operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei. » Qui dat infideli, modicam habet mercedem; qui autem fideli duplicem habet mercedem : primam quidem, quia fidelis Dei creatura est; secundam, quia idem Dei servus est; infideli dans unam tantum habet mercedem, scilicet quod infidelis Dei quidem creatura est, voluntate autem adversus Deum. Addit Auctor *Imperfecti,* cum dicitur : « Ne suscipias peccatorem, » intelligi publicum aut notum; nam S. Chrysostomus, serm. *De Eleemosyna et collatione in Sanctos,* qui exstat in fine Comment. *in Epist.* I *ad Corinth.*, docet pauperes non esse curiose scrutandos. Cum enim dixisset, quod dando eleemosynam, « non tam pauperibus quam nobis prosumus, plura accipientes quam dantes, » subjicit : « Sunt permulti qui nonnunquam curiosius rogant et inquirunt patriam et vitam, mores et artem, et corporis bonam valetudinem, et inde crimina intentant, et ob sanitatem de eis pœnas exposcunt. Hinc fit quod multi etiam cæcitatem corporis simulant, ut ejus calamitatis actu crudelitatem humanitatemque nostram inflectant. » Et inferius : « Quod si Deus ita diligenter nos scrutaretur, uti nos causam pauperum, nullam unquam misericordiam vel veniam assequeremur. In quo enim judicio judicatis, dicit, et vos judicabimini. Esto igitur misericors et benignus conservo, dimittenturque tibi peccata multa : miserere, et eamdem sententiam invenies. Quid tibi ipsi negotia plectis, quid curiosus es? »

Secundo.

Tertio, alii : Da misericordi, non peccatori, hoc est, inquiunt, da misericordi potius quam peccatori, ut, si uterque concurrat, nec utrique dare possis, des potius justo, eumque præferas impio. Hebræi enim, quia carent gradu comparativo, hinc eum exprimunt per negationem, scilicet

Tertio.

affirmando majus, negando minus, ut, « Misericordiam volui, et non sacrificium, » id est misericordiam malo quam sacrificium, misericordiam præfero sacrificio, *Osee* VI, 6. Vide ibi dicta. Inter probos enim et improbos in eleemosyna anteponendi sunt probi, tum quia sunt digniores, tum quia id utilius esse potest eleemosynarum largitoribus, ut docet Nazianzenus, oratione *De Pauperum cura*, S. Hieronymus, *Contra Vigilant.*, et S. Chrysostomus orat. *De Pauperibus non curiose scrutandis*. Improbis ergo, otiosis, inutilibus et pigris manus claudi debet, quo sit unde veris pauperibus benignius subveniatur. In quo imitandus est mos equisonum, inquiunt Hebræi, qui equorum caudas abscindunt, quod ob id equi certa contractioris alimenti ratione, et spinæ robore fortiores evadere existimantur.

Ita D. Thomas II II, *Quæst.* LXIII, et in *Quodlib.* Quæst VI et VIII, ubi docet quemlibet in conscientia obligari, ad beneficia eligere meliorem et digniorem. Idem docet Richardus Major, D. Soto, lib. III *De Justitia*, Quæst. ultima, art. 2, et alii. Quocirca S. Augustinus lib. *De Doctrina Christiana*, cap. XXIX : « Omnes, inquit, homines æque diligendi sunt; sed, cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui pro locorum et temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictius tibi quasi quadam sorte junguntur; » quare in beneficio præponendi sunt parentes cognatis, cives peregrinis, domestici exteris, grati ingratis, digni indignis, boni malis. Nam, ut ait Lucianus : « Malus vir dolium est perforatum, in quod omnes immittens gratias in vanum effudisti. » Et Sophocles in *Œdipod.* : « Gratiam adfert gratia, beneficium semper beneficium parit, » si scilicet digne collocetur. Esto ergo is qui benificium dat, non debeat eo fine dare, ut remunerationem accipiat, tamen, ut illud bene collocet, videat ne det ingrato et indigno. Unde illud Ciceronis : « Liberale est serere beneficium, ut metere possis fructum. » Sicut ergo præmiis scholasticis magis honorandi sunt discipuli magis studiosi, et militaribus milites magis strenui, sic et beneficiis ornandi boni præ malis : sic enim ornatur ipsa bonitas et virtus. Si enim secus fiat, dicetur vetus illud : « Cæsar dum indignos ornavit, non tam ipsos honestavit, quam ornamenta ipsa turpavit. » Denique hic est ordo honestatis et charitatis, quem ambiens sponsa ait, *Cant.* II, 4 : « Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem. »

Quarto. *Quarto*, per *peccatorem* hic accipe assiduum in malis, ut dixit vers. præced., hoc est impœnitentem et obstinatum, præsertim superbum, dolosum et insidiatorem, de quo multis egit in fine capitis præcedentis; et hic in Scriptura vocatur *peccator* per antonomasiam. Huic enim non est conferendum beneficium indebitum et liberale (de quo hic proprie agit, non de eleemosyna ob necessitatem debita), tum ut humilietur, pœniteat et resipiscat; tum ne ille potentior fiat, teque dolose supplantet; tum quia talis odibilis et exsecrabilis est Deo. Has causas assignat Siracides, dum mox subdit : « Ne in ipsis potentior te sit; nam duplicia mala invenies in omnibus bonis, quæcumque feceris illi : quoniam et Altissimus odio habet peccatores, et impiis reddet vindictam. » Siracidi consonat Ben-Sira, *Alphabeto* 1, littera *Teth* : « Bene malo ne facias, inquit, et malum non continget tibi. » Sæpe enim bonis nocuere beneficia in malos collata : sic et clementia multis principibus, qui ea usi fuerunt erga malos, exitio fuit. Exemplis plenæ sunt historiæ. Maxime vero improbis non sunt conferendi honores et dignitates; his enim ipsi abuti solent in bonorum omnium et totius Reipublicæ perniciem, et his armati potentius in bonos grassantur. Caveant ergo aulici ne pro impiis apud principes intercedant, ut eis beneficia, officia et dignitates procurent, quia omnis eorum mala administratio ac noxa Ecclesiæ et Reipublicæ in commendantium et promoventium caput recidet, ab eisque severe exigetur in tribunali Christi.

Apologus lupi et gruis. Huc facit apologus Phædri (qui fuit libertus Augusti Cæsaris), lib. I, *Fabul.* 8 de lupo et grue : Lupus, inquit, petiit a grue ut os devoratum hærens faucibus longitudine colli eximeret. Exemit grus suo cum periculo; pro quo postulans præmium, hoc a lupo retulit :

Ingrata es, inquit, ore quæ nostro caput
Incolume abstuleris, et mercedem postulas.

Et ille Isocratis ad Demonicum : « Malis benefaciens, inquit, similia patietur alienos canes pascentibus : nam et illi exhibentes, ut obvios allatrent; et improbi, juvantes se ut nocentes injuria afficiant. » Et Plutarchus in *Moral.*, benefacere malo, ait esse idem quod nutrire serpentem, qui te æque ac alios mordeat. Et Alexander Magnus « in eodem vitio ponendum esse » dicebat, « dare indignis, et dignis non dare, » ait Maximus, *serm.* 9.

Alias simplici peccatori egenti conferenda est eleemosyna ex obligatione charitatis et misericordiæ, *primo*, quia peccator ejusdem nobiscum est naturæ, puta homo nobis congener. Unde Rabanus : « Qui indigenti, inquit, eleemosynam tribuerit, nec eum propter delictum aliquod commissum spreverit, bene misericordiam jure custodit, quia natura in eleemosynarum largitione consideranda est, non persona, » quod scilicet sit peccator. Ita Aristoteles cum beneficium præstitisset improbo, dicebat se homini dedisse : « Non mores, inquit, sed hominem commiseratus sum. Etiam improbis in necessitate succurrit vir bonus. Debetur enim hoc officium, si non meritis illius qui juvatur, certe naturæ. Et bonus fieri potest qui malus est » Ita refert Laertius lib. V, cap. I. Et Seneca lib. IV *De Benef.* cap. XXV : « Si deos, inquit, imitaris, da etiam ingratis; nam et sceleratis

sol oritur, et piratis maria patent. » Idem, lib. I, cap. I: « Demus beneficia, non fœneremur. Dignus est decipi, qui de recipiendo cogitavit cum daret. » Narrat Victorinus lib. XVI, cap. VIII, Alconem adeo sagittandi fuisse peritum, ut cum filium videret serpente circumplexum, ita dextre sagittam librarit, ut serpentem confixerit, nec filium læserit. Unde Virgilius *eclog.* 5 :

Aut Alconis habes laudes, aut jurgia Codri.

Ita sapientes et justi culpam a natura, ac peccatum ab homine secernunt; illud oderunt et necant, hunc amant et promovent. Denique S. Ambrosius lib. IV, epist. 29 *ad Florianum* : « Omnibus te tribue, inquit, non eligas cui miserearis, ne forte præferas illum qui meretur accipere. Incertum est enim pro quo magis placeas Deo. » Huc facit illud : « Bonus bonis et malis prodest; malus nec bonis nec malis. » Et illud : « Da cæcus, accipe oculatus; » nam

Sæpius insidiæ latitant, et plura reposcit
Pauper, cum donat munera divitibus.

Ubi tamen adverte naturam humanam præcise non esse objectum charitatis, sed tantum amoris naturalis; hic enim fertur in, et amat naturam sibi similem. Nam charitas cum sit virtus supernaturalis et divina, exigit pariter objectum supernaturale et divinum. Igitur ut homo vel peccator charitate ametur, debet considerari non tantum qua homo, sed qua capax gratiæ et gloriæ, qua creatus ad æternam felicitatem, qua sanguine Christi redemptus, qua vocatus ad amicitiam, filiationem et hæreditatem Dei. Charitas enim est amicitia inter Deum et homines, quæ fundatur in communicatione bonorum divinorum, puta beatitudinis divinæ, quam Deus hominibus communicat, ait D. Thomas II II, *Quæst.* XXIII, art. 1. Vide eumdem *Quæst.* XXV, art. 6.

Hæc ergo secunda et potissima est ratio cur benefaciendum sit peccatori, ut scilicet per beneficia alliciamus eum ad amorem nostri et Dei, ad pœnitentiam, ad salutem; aut saltem ut impediamus vel minuamus ejus lapsus in peccata, et consequenter minuamus ejus pœnam et gehennam. Ita legimus Sanctos eleemosynis redemisse patrationem scelerum, uti fecit S. Vitalius, qui meretricibus ut qualibet nocte abstinerent a scelere, tantum pretii quotidie persolvebat, quantum illæ nocte ex scelere acquirere potuissent, atque hac sua charitate æque ac oratione, multas pudicas effecit, et ad pœnitentiam convertit. Ita habetur in Vita S. Joannis Eleemosynarii, cap. XXXV. Alii eleemosynam dant hac conditione et pacto, ut eam accipientes peccata confessione expient, ut Missam audiant, ut offensam et vindictam condonent. Quæ sane duplex est eleemosyna, ac posterior, utpote spiritalis, longe major priore. Hic enim est omnis fructus eleemosynæ, totiusque laboris Christi, et nostri, ut auferatur peccatum, ait Isaias cap. XXVII, vers. 9. Peccatum enim est summa Dei injuria, summum proximi et totius universi malum.

5 et 6. DA BONO, ET NON RECEPERIS (Græce est idem verbum quod vers. 4, ἀντιλάβῃ, id est *suscipias*, hoc est, subleves, adjuves, defendas) PECCATOREM; BENEFAC HUMILI, ET NON DEDERIS IMPIO, — puta superbo et doloso, uti jam dixi; hic enim opponitur humili : humilis enim dignus est eleemosyna, superbus vero indignus, imo dignus qui esuriat et egeat, ut discat se humiliare. Tigurina, *erga pium liberalis esto, sceleroso vero opem abnega : afflicto* (ταπεινὸς enim tum humilem, tum abjectum afflictumque significat) *benefacias, et nihil eroges in impium;* Syrus, *benefac bono, et prohibe a malo; da humili, et prohibe ab audace,* quales sunt nonnulli, qui ita audacter mendicant, ut videantur non eleemosynam, sed debitum petere, ac, si neges, minentur, imo vim afferant; qui sane non panem sed fustem merentur. Vers. 5. Vers. 6

PROHIBE PANES ILLI DARI (ita Romana; aliqui legunt *dare;* Græce, *impedi panes illius,* vel, ut Complutenses, *tuos, et dederis ei*), NE IN IPSIS (id est, per ipsos) POTENTIOR TE SIT, — ad nocendum tibi aliisque, et toti reipublicæ *q. d.* Ne tuo beneficio et patrocinio fiat potentior, tuncque pro beneficio grave maleficium rependat, ut sequitur. Græce est, ἵνα μὴ ἐν αὐτοῖς σε δυναστεύσῃ, id est, *ne in ipsis tibi dominetur,* te supprimat et opprimat : ita Romana et Complutenses. Tigurina vero, *fac eum cibis prohibeas, nec suppedites ei, quibus te possit opprimere ;* Syrus, *instrumenta armorum tuorum ne dederis ei, ne cum eis pugnet adversum te.* Hinc patet per *peccatorem* intelligi non quemlibet, sed superbum et dolosum, uti dixi. Causa enim cur vetet dari peccatori, est, ne is dono elatus donantem supprimat; quod non nisi in superbum et dolosum congruit.

7. NAM DUPLICIA MALA INVENIES IN OMNIBUS BONIS (beneficiis), QUÆCUMQUE FECERIS ILLI, — « Duplicia, » id est multiplicia, adeoque quo plus ei beneferis, eo plus maleficii ab eo recipies. Syrus, *duplum enim malum invenis tibi in tempore necessitatis tuæ.* Duplum, quia et beneficium perdidisti, et per id hostem potentem effecisti, ut pro beneficio reddat maleficium. Hinc illud Socratis : « Malis faciens bene, nutrit lupos, » de quo plura vers. 10 et seq. Vers. 7

QUONIAM ET ALTISSIMUS ODIO HABET PECCATORES, ET IMPIIS REDDET VINDICTAM. — Est hæc secunda ratio, *q. d.* Ut quid ames peccatores quos odit Deus? ut quid beneficentiam impendas hostibus Dei, quos Deus reservat ad acerrimam vindictam? Repetit et inculcat id quod dixit vers. 3. Vere S. Augustinus, et habetur 5, *Quæst.* V, cap. V *Non omnis :* « Utilius, inquit, panis esurienti tollitur, si de cibo securus justitiam negligit, quam esurienti panis frangitur, ut injustitiæ seductus acquiescat. »

Mystice Rabanus, Glossa et Hugo per *peccatorem* accipiunt hæreticum. Hic enim peccator est per

antonomasiam, ideoque in superlativo superbus et dolosus, ut potentior factus te sibi subjiciat, ac hæreticum efficiat, et in gehennam præcipitet. Hinc *duplicia* mala ab ipso recipies, quia, inquit Rabanus, duplici est corde ac duplici lingua. Rursum *duplicia*, inquit Lyranus, præterita nimirum quæ fecit, et quæ facturus est, sustentatus bonis tuis. Et, ut Hugo, *duplicia*, quia ipsum foves in errore suo, et ipse abutitur dono tuo, et utrumque danti ascribitur. Quare hoc perinde est ac si aspidi panem tribuas; nam ipsum alis, qui potentior factus te invadet et perdet, juxta illud *Job.* XX, 14: « Panis ejus in utero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus. »

SECUNDA PARS CAPITIS,

NON ESSE FIDENDUM INIMICO, ESTO SE SIMULET AMICUM.

Vers. 8. 8. NON AGNOSCETUR IN BONIS AMICUS, ET NON ABSCONDETUR IN MALIS INIMICUS. — Pro *agnoscetur*, Græci multi legunt ἐκβληθήσεται, id est, *ejicietur*, id est, in apertum proferetur et declarabitur, ait Jansenius : sed hæc explicatio alienior videtur et durior, æque ac illa Vatabli : *Amicus rebus secundis non moleste se ingerit, nec se jactat.* Melius alii vertunt, *non ejiciet se*, id est, non recedet a te, sed bonis tuis gaudebit, tecumque epulabitur. Verum corrige cum Græcis Romanis, ἐκδικηθήσεται, id est, *judicabitur, arguetur, deprehendetur.* Alii legunt, ἐπιγνωσθήσεται, id est, *agnoscetur.* Unde Tigurina vertit, *amicus rebus secundis judicari non potest, nec rebus adversis latebit inimicus;* Syrus, *non cognoscitur in bonis amicus, neque latet in malis inimicus.* Ratio prioris est, quia in rebus bonis et prosperis multi se simulant amicos, qui vere amici non sunt, ut tuam prosperitatem participent, suamque efficiant, juxta illud Ovidii lib. I *Tristium* :

Cum fueris felix, multos numerabis amicos :
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Unde illud : « Multos amicos habet felicitas. » Posterioris ratio est, quod in malis, id est adversis, inimicus prodat se per gaudium, irrisionem, dicteria, etc. Sic prodidit suam malignitatem contra David Semei maledicens illi cum fugeret Absalom; et Achitophel, dans pessimum consilium Absalomi contra David, II *Regum* XVI et XVII; et Ptolemæus filius Abobi, qui Simonem fratrem Judæ Machabæi principem Judæorum convivio excepit, in eoque ipsum cum filiis occidit, I *Machab.* cap. ult. 16.

Transit a fuga peccatoris, id est, superbi et dolosi, congrue ad fugam et cautelam inimici, quia superbi et dolosi solent bonorum divitum et honoratorum esse inimici; invident enim aliis bona, opes et honores, illisque eos exuere, seque induere ambiunt. Ad hanc cautelam præmittit duas gnomas, e quibus, quasi ex lydio lapide, quilibet cognoscat quis sit verus amicus, quis fictus et inimicus, dicitque non in prosperis, sed in adversis se prodere tam amicitiam veram quam falsam, æque ac inimicitiam. Unde explicans subdit :

Vers. 9. 9. IN BONIS VIRI, INIMICI ILLIUS IN TRISTITIA; ET IN MALITIA (id est, adversitate et afflictione; Græce ἐν κακοῖς, id est, *in malis*, id est, adversis et tristibus) ILLIUS, AMICUS AGNITUS EST, — *q. d.* In prosperis tristantur inimici, saltem occulte, si palam tristitiam ostendere non audeant; in adversis vero agnoscitur quis sit sincerus amicus. In adversis enim amicus verus amico afflicto adest, omni ope et opera, ut eum soletur, erigat et protegat. Græca posterius hemistichium aliter efferunt, sic enim habent : « In bonis viri, inimici illius in tristitia; et in malis illius, etiam amicus separabitur, vel disjungetur; Tigurina, *Rebus hominis secundis dolent inimici ejus, et rebus ejusdem adversis abscedit etiam amicus.* Verum Stephanus Pontifex, *epist.* 1, plane legit ut Noster. Estque pulchra antithesis, *q. d.* « In bonis viri, inimici illius agnoscuntur, scilicet invidendo; at in tristitia et miseria ejus, amicus agnoscitur compatiendo. In prosperitate viri crescit inimicitia inimici; in miseria ejus crescit amor amici. Ergo vere Christus agnitus est amicus, quia in tristitia et afflictione, imo et in malitia nostra, nobis succurrit. » Ita Palacius. Sic quoque legit Rabanus, licet paulo aliter dispungat; sic enim habet : « Agnitus est in bonis viri, inimicus illius; in tristitia illius amicus, » *q. d.* In prosperis agnoscitur inimicus, utpote dolens et invidens; in adversis vero agnoscitur amicus, utpote condolens et compatiens. « Nec prosperitas, inquit, amicum indicat, nec adversitas inimicum celat; quia et ille sæpe prosperitatis nostræ reverentia tegitur, et iste ex confidentia adversitatis aperitur. Vir igitur justus in flagellis positus dicat : Qui tollit ab amico suo misericordiam, timorem Domini derelinquit, quia nimirum qui ex adversitate proximum despicit, aperte convincitur quia hunc in prosperis non amavit. » Rursum Syrus plane vertit ut Noster; sic enim habet, *in bonis enim viri, inimici ejus in mœstitia sunt; et in malis ejus, discernitur amicus.* Unde liquet eos pro διαχωρισθήσεται, id est *separabitur*, uti jam legitur, legisse ἐκδικηθήσεται, id est *judicabitur;* vel ἐπιγνωσθήσεται, id est *agnoscetur*, uti legitur vers. præced. Ejus enim rationem et confirmationem dat Auctor hoc vers. Hoc est quod ait Salomon *Proverb.* XVII, 17 :

Amicus in adversis agnoscitur.

« Omni tempore diligit qui amicus est, et frater in angustiis comprobatur. »

Gnomæ sapientum. Siracidi et Salomoni consonant gnomæ Philosophorum. Demetrii Phalerei : « Veri amici in rebus lætis adsunt vocati, in adversis invocati (non vocati) et ultro. » Ita Laertius lib. V, cap. v. Plauti : « Amicus est qui in re dubia juvat. » Ennii : « Amicus certus in re incerta cernitur. » Ita refert Cicero, lib. *De Amicitia*. Chilonis : « Promptius ad amicorum adversam fortunam, quam ad res secundas accurrendum est; » nimirum rebus prosperis advolant quilibet, etiam minus amici : qui adsunt reflante fortuna, hi vere amici sunt. Ita Laertius lib. I, cap. IV. Namertes rogatus « qua ratione sincerum amicum probaret, » respondit : « Per adversam fortunam. » Ita Plutarchus in *Lacon.* Tarquinius Superbus jam exsul factus dixit se tum demum cognovisse quos habuisset amicos fidos, quos infidos, cum neutris gratiam referre posset : « Amicos ergo secundæ res parant, adversæ probant, » ait P. Syrus.

Vers. 10. 10. NON CREDAS INIMICO TUO IN ÆTERNUM : SICUT ENIM ÆRAMENTUM, ÆRUGINAT NEQUITIA ILLIUS. — Monet, inimico, etiamsi reconciliatus videatur, et amicitiam simulet, non facile esse credendum nec fidendum, quia sicut æramentum, id est, vas ex ære factum (æramenta enim sunt opera facta ex ære, sicut ferramenta ex ferro), Græce χάλκός, id est æs, vel vas æreum, licet politum sit et splendeat, facile tamen rursus æruginem, id est, virides sordes, contrahit, si videlicet aliquo humore imbuatur : ita inimicus, licet videatur reconciliatus, et splendenti amicitia fulgidus, facile tamen ad odia et nequitias suas redit; residet enim in animo ejus radix malitiæ, viror et virus malevolentiæ (quia manet alta mente repostum maleficium, quod sibi a te putat illatum), quæ naturaliter in maledicentiam et maleficentiam solitam data occasione solet erumpere, et instar absinthii progerminare. Unde Tigurina vertit, *nam similis est æri ærugine obsito malitia illius;* quod Vatablus explicat, *q. d. nam ejus malitia simulatione tecta latet ;* Syrus, *ne credas inimico tuo in æternum, quia sicut vas æneum est quod polluit socium suum,* id est, alteri vasi vel rei æruginem suam affricat ; Arabicus, *ne te decipi sinas confidendo in inimico tuo , quoniam similis est æri, quod alia æruginat.* Hisce succinit Seneca in *Prov.* : « Iratum breviter vites, inimicum diu. » Recte inimicitia comparatur ærugini : *primo,* quia utraque est vitium et corruptio rei cui inhæret; *secundo,* utraque est mordax et corrosiva; *tertio,* sicut ærugo est mali odoris, sic inimicitia malæ est famæ; *quarto,* utraque est amara et viridis; *quinto,* utraque est tenax et sæpe perpetua; *sexto,* utraque est acida : ærugo enim acerrima fit, cum æs, vel æris scobs aut ramenta, aceto macerantur, eaque utuntur medici ad erodendos callos fistularum, et delacrymationes oculorum, uti docet Plinius lib. XXXIV, cap. XI ; *septimo,* sicut ærugo ferrum aut æs erodit, sic livor hominem invidum et inimicum; et sicut ærugo offuscat splendorem æris, sic livor alienæ famæ splendorem obscurat. Quocirca ærugo metaphorice usurpatur pro linguæ mordacitate, malevolentia, maledicentia, livore et invidia, ut apud Martialem lib. II :

Inimicitia est ærugo ob septem analogias.

Uteris ore aliter, nimiaque ærugine captus,
Allatras nomen, quod tibi cumquê datum est.

Horatius I *Serm,* satyr. 4 :

Hic nigræ succus loliginis, hæc est
Ærugo mera.

Loligo piscis est nigrum humorem emittens, ut sepia, quem atramentum vocant. Succum ergo loliginis vocat obscurationem et maculam, sive denigrationem, alienæ famæ; eamdem vocat æruginem. Rursum Martialis, lib. X, epigr. 33 *ad Numatium Gallum :*

Ut tu, si viridi tinctos ærugine versus
Forte malus livor dixerit esse meos :

ærugine, id est, livore et maledictis. Sic æruginavit malitia Absalomi, cum post reconciliationem patrem regno et vita spoliare conatus est, II *Reg.* XV; et Tryphonis, qui Jonatham post amicitiam redintegratam occidit, I *Machab.* cap. XIII. A Salomone idem didicit Seneca : « Nunquam, inquit, fidelem credas eum tibi, quem ex inimico amicum habueris. » Et Comicus : « Inimicis non credens, nunquam utique damno afficieris. » Et Plutarchus, *De Educ. liber.,* hoc Pythagoræ symbolum affert : « Ne gustes quibus nigra est cauda; » inimici enim frontem candidam ostentant, sed caudam atram finemque funestum. Hi ergo similes sunt hederæ, quæ arbori sese associans et circumvolvens, omnem ejus humorem exsugit, eamque suffocat et strangulat, ait Plinius lib. XVI, cap. XXXIV, itaque illa exturbata ejus locum occupat. Rursum, ut ait Comicus : « Hi habent os in melle, cor in felle. » Insuper hi hamo escam prætendunt, ut aculeum tibi infigant, teque capiant, sicut piscatores aduncant pisces. Denique hos repræsentat gemma dicta chrysolampis, quasi aurea lux, de qua Plinius lib. XXXVII, cap. X : Chrysolampis, inquit, in Æthiopia nascitur, pallidi coloris die, et noctu ignei. » Sic enim hi palam pallent et timent; at noctu ignes sui livoris ejaculantur, cum scilicet in tenebris occulti latent.

Ne credas inimico.

Hanc parabolam apologo similem, pulchro vulpis et aspidis apologo illustrat Cyrillus lib. I *Apolog. moralium,* cap. XXIII, cujus titulus : *Si quemquam offenderis, pavesce semper hujusmodi* : « Vulpes, inquit, valde esuriens hinc inde pastum quærens, minus provide calcavit aspidem occultis anfractibus gradientem. Mox ille maximo furore percitus, se calcantem momordit.

Apologus.

At illa impatiens morsum refudit quantocius in mordentem : atque ita communis furoris venenositate in communem vindictam diffusa, divisi sunt statim, quærentes post vulnera medicinam. Deinde cum post aliquod tempus sibi invicem iterum occurrissent, mox aspis antiquæ injuriæ recordata est, et nova iracundia cœpit ad novam aspirare vindictam. Palliata igitur cordis nequitia, læto vultu procedens, proditione plena salute præmissa, callide callidam allocuta est, dicens : In veritate nunc te quærebam, charissima, ut oris morsu perditam, oris osculo redderem pacem gratam. Quid enim vitali pace mortalibus charius, terrenis jucundius, cunctis amabilius gratiusve ? Nimirum pacis fœdere cuncta manent in tranquillitate, viventia vigent, ejusque lege atque ordine civilia florent. Commune pacis est bonum. Ad hæc illa callidior, mox ejus verbis provide sic respondit : Certe divinissimum bonum pax est, si vera est; sed si sophistica sit, lux est obnubilans, vita mortifera, et dulcedo venenosa. »

Ratio a priori. Rationem a priori assignat, et acu rem tangit : « Nullum enim pejus malum est, quam inimicitia pace comparata. Igitur tecum sit, charissima, tua pax, quoniam ubi est offensæ memoria, ibi ira est; ira autem cupit vindictam, vindicta subornat fraudulentiam, quæ postmodum inferat pœnam. Cor tuum non video, sed ad rationem recurro, et ejus lumine sævum pectus tuum, licet abditum rimor. Vera namque pax nunquam offensæ reminiscitur, sed ficta ejus oblivionem non patitur : infirma vero pax oblitæ interdum injuriæ recordatur. Quare timendus semper et cavendus offensus est, quoniam tenax injuria, levis ira, exspectata vindicta, tarda clementia. Sic fratres Joseph, quem offenderant adolescentes, timebant etiam senes. Quo dicto evitato hoste discessit. »

Porro, noster Salazar in *Proverb.* cap. XXVI, vers. 25, generalem hanc de inimicitia sententiam recte appropriat invidentiæ et livori, ut sensus sit : « Adversario tuo nullo tempore confidas, quia sicut ferrum rubigine, et æs ærugine, sic animus illius ob tuam felicitatem invidia et livore carpitur et exeditur. Et sane invidentiæ et rubiginis similitudo perquam vulgata est. S. Basilius, homil. *De Invidia* : Quemadmodum, inquit, venenum ferrum, sic invidia eos qui eam possident, consumit ac vastat. Appellat autem rubiginem ferri venenum. Et Stobæus in sermone *De Invidia*, ex sententia Periandri : Sicut ærugo ferrum, sic invidia invidi animam conterit. Antisthenes etiam apud Laertium, lib. VI, cap. I : Sicut ferrum absumitur rubigine, ita invidi suo ipsorum vitio contabescunt. Ferrum enim, etiamsi nemo lædat, ex se gignit unde corrumpatur. Plutarchus etiam apud Antonium Monachum in *Melissa* : Ut ferrum, inquit, ærugine consumitur, sic invidi suopte ingenio. »

Denique nonnulli per « æramentum, » sive vas æreum, accipiunt speculum, quod olim fiebat ex ære terso et polito, uti ex Plinio et aliis ostendi *Exodi* XXXVIII. 8. Speculum enim est imago amicitiæ; sicut enim imago in speculo apparens per omnia sese accommodat objecto, ut v. g. si intuens speculum rideat, moveat caput, torqueat oculos, frendeat; illico imago speculi pariter ridere, movere caput, torquere oculos, frendere, etc., videatur : sic pariter amicus amico per omnia sese accommodat, ut quod ille vult vel non vult, hic pariter velit vel nolit; quo ille propendet, hic pariter propendeat. Amicus enim se fingit ad nutum et voluntatem amici. « Eadem velle, eadem nolle, ea demum firma amicitia est, » ait S. Hieronymus epist. 8 *ad Demetriad.* At si speculum fiat ex ære, repræsentat amicitiam vitiatam, et hypocrisi, dolo, inimicitia velatam, pictam et fictam. Sicut enim speculum æneum ærugini obnoxium est, et quantumvis ungatur, semper rursus æruginem evomit, imo, teste Plinio lib. XXXIV, cap. IX : « Æra extersa celerius rubiginem trahunt, quam neglecta, nisi oleo perungantur : » sic amicitia ficta, cum scilicet quis exterius se gerit ut amicum, interius vero retinet fibras virulentæ invidiæ et inimicitiæ, semper virus hoc evomit, ut, cum potest amico nocere, illi nocere non desistat.

Speculum est imago amicitiæ, Primo.

Secundo, sicut specula curva et concava magnas reddunt rerum imagines, quia curvæ superficiei centrum intus est, ait Scaliger *De Subtilit.*, exercit. 83, cap. IV., eadem excipientia radios solares, ignem concipiunt, ac res vicinas inflammant, eo quod radii solares in centro concavi speculi in unum collecti, vi caloris igniantur unianturque in flammam : sic pariter amici tegentes inimicitiam, curvant sese ut amicum honorent; sed sub curvitate hac dolos abscondunt, ac magnas spes quasi species, puta magna promissa, ostentant; sed interim colligunt ignem ardoremque nocendi, quo amicum exurant et perdant. Secundo.

Tertio, Plinius lib. II, cap. XXXVII : « Hominum dentibus, inquit, quoddam inest virus. Namque et speculi nitorem ex adverso nudati hebetant, et columbarum fetus implumes necant. » Sic pariter dens amici ficti, revera inimici, venenatus est, imo caninus. Ut canis enim secreto mordebit te, et canino dente famam tuam bonumque rodet. Tertio.

Quarto, speculum hebetatur menstruo munerum. Illo enim, ait Plinus lib. VII, cap. XV, « acescunt musta, sterilescunt tactæ fruges, moriuntur insita, exuruntur hortorum germina, etc., speculorum fulgor aspectu ipso hebetatur. » Idem facit inimicitiæ virus, quod instar menstrui amicitiam hebetat, omnesque charitatis et virtutum vitalium actiones consumit et exurit. Denique Plinius lib. XXVIII, cap. VII : « Bythus Dyrrachinus, inquit, hebetata aspectu specula recipere nitorem tradit, iisdem aversa rursus contuentibus; omnemque vim talem resolvi, si nullum piscem secum habeant. » Fides sit penes auctorem. Sic pariter si Quarto.

adversum amicum adulantem intueris, decipiet te; sin aversum et obtrectantem, videbis ejus livorem, ab eoque cavebis, tibique consules.

Inimico vere converso in amicum credendum est.

Intellige jam dicta, nisi constet inimicum omnem omnino inimicitiam ex animo deposuisse, eamque in veram amicitiam convertisse, ac plane reconciliatum tecum in plenam gratiam rediisse, quod apud gentes candidas bonæque indolis, quales sunt Germani, Flandri, Hollandi, etc., facile sæpeque fit. Accedit, quod Siracides hæc scripserit Judæis duræ cervicis, et Gentibus fide et gratia Dei destitutis, quæ naturæ corruptæ ductu inimicitias fovebant per omnem vitam. Jam autem post Christum, ejus exemplum et gratia dominatnr naturæ; e Christo enim audimus et discimus *Matth.* v, 44: «Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos.» Ita Christi vocatio ex Saulo fecit Paulum, id est, ex inimico amicum, ex persecutore prædicatorem, qui proinde hac Christi doctrina et grati imbutus, Judæos hostes suos juratos adeo dilexit, t optaret pro eis fieri anathema. Judæi ergo fidere poterant et debebant se suamque salutem Paulo, quem tamen ipsi suum et judaismi hostem internecinum æstimabant. Cui enim f. it et credit Christus Deus noster suam fidem, sanguinem, Ecclesiam, Sacramenta, cur non fidat homo? Hinc et Romanis ita scribit, ac de inimicis præsc ibit cap. XII, 20: «Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus.» Charitas Christi ergo adeo potens est, ut omnes inimicitiæ fibras ex animo evellat, et inimicum amico plane reconciliet, imo inimicum inimicitiam deponere, et amicum esse cogat. Charitas itaque est philtrum excantans inimicitiam, et incantans amicitiam. Vis inimicum vincere, et facere amicum; vis inimicitiam occidere, et amicitiam vivificare? benefac inimico, nec cessa donec ejus hostilitatem incensa tua charitate incenderis et consumpseris. Præclare S. Gregorius Nazianzenus in *Tetrastichis*:

Probatur.

Hoste ab ipsomet commodum quoddam lego;
Hinc namque vivo cautius, ne me queat
Is criminari.
Sit hoc et illis munus abs te, quod nihil
Luant acerbi. Sic eos reddes bonos;
Est namque leni munus amplum lenitas.

Denique sicut æs, licet natura sua semper æruginet, tamen si oleo perungatur, vi olei fit ut non æruginet, teste Plinio lib. XXXIV, cap. IX: sic pariter licet ex vitio naturæ corruptæ fiat, ut inimicitia semper amaros exhalet rancoris spiritus et motus instar æruginis, tamen per gratiam Dei, quæ instar olei mentem serenat, impinguat, exhilarat, idipsum impediri potest; præsertim cum gratia Dei subinde omnem inimicitiam funditus ex animo tollat. Quare tunc inimicitia, utpote jam stirpitus eradicata, æruginare, et virus suæ aversionis suppullulare et progerminare nequit. Igitur cum id constat tibi, inimicum scilicet omnem ex animo inimicitiam per gratiam Dei exstirpasse, planeque tam tibi quam Deo conciliatum, merito ei fidere potes et debes. Ita David confisus fuit Amasæ duci exercitus Absalomi hostis sui, ac Abner duci exercitus Isboseth filii Saulis, hostis pariter sui, dum utrumque militiæ suæ præfecit, in ejusque manus et se et tota Israelis castra collocavit, II *Reg.* XVII, 25, collato cum cap. XIX, 13, et II *Reg.* III, 13.

Quid amarius, quid salsius mari? et tamen hoc, influentibus in se fluminibus dulcibus, dulcescit ad plura stadia: quidni dulcescat in homine amarities inimicitiæ, influentibus in eum amoris beneficiis, et gratiæ divinæ dulcoribus? Quid homini inimicius serpente aspide? et tamen hic amore et alimonia vincitur, fitque cicur et amicus. Narrat Albertus Magnus lib. XXV in *aspide*: In Ægypto, inquit, alebatur aspis, eratque cicur. Cum autem catuli ejus, heri et altoris sui filium momordissent, et instillato veneno necassent; irata mater, aspis scilicet, catulos beneficii immemores, vel potius per teneram ætatem inscios et ignaros, omnes ad unum occidit.

Inimico animæ non fidendum.

Tropologice, non credas inimico animæ tuæ in æternum. Hic inimicus est dæmon, mundus et caro, sive concupiscentia: ne unquam credas diabolo, quia mendax est; nec mundo, quia fallax; nec carni, quia salax est: si eis credis, hosti tuo credis: «Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem,» *Galat* v, 17. Quocirca caro instar æris semper æruginat nequitiam, puta motus iræ, rixæ, cædis, gulæ, libidinis, etc., qui occidunt animam. Hæc est causa scelerum, quod scilicet concupiscentiam utpote nobis innatam, et ex anima nostra prodeuntem, censeamus esse amicam, cum sit hostis capitalis: hinc passim homines eam, ut amicam sequuntur, ejusque motus et impulsus per omnia adimplent. Remedium est, ut internoscas motus rationis, et motus concupiscentiæ, licet in speciem blandos, certo scias tuos summos esse inimicos. Cum ergo exsurgit in te motus iræ, gulæ, etc., consule rationem; si illi adversantem videris, illico inimicum esse proclama, contra eam te obarma, eique totis viribus resiste. Hoc est quod ait S. Petrus *epist.* I, cap. II, 11: «Obsecro vos tanquam advenas et peregrinos, abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam.» Quare castis assidue studendum est carnis et corporis mortificationi; sicut enim æs politum facile rursus æruginat, sic corpus licet purgatum facile ad impura desideria redit. Quare licet inedia et assiduis vigiliis robur amiserit, semper suspectum habe, et custodi te ab illo; nam si ad dexteram tuam ut amicus sederit, et te

Concupiscentia semper æruginat.

sibi fidentem viderit, dum minime putabis, incautum te ab illa castitatis et puritatis sublimitate dejiciet.

Rursum Rabanus hæc omnia adaptat hæresi et hæreticis. « Illi enim, inquit, veri sunt inimici, quorum doctrina plena est rubigine erroris et nequitiæ. Sermo enim eorum ut cancer serpit, et ideo non debet eis credi in æternum, etiamsi se humiliantes fingant esse fideles et Catholicos; quibus in nulla parte debemus consentire, nec potestatem in nobis tribuere, quam significat dextera, ne forte nos a loco nostro, id est a statu rectæ fidei, amoveant. Inquirunt enim cathedram nostram, hoc est, doctrinam sua malitia student subvertere. »

Gnomæ sapientum. Porro Siracidi concinit Ben-Sira, *Alphabeto* 1, littera *Mem:* « Qui honorat, inquit, contemnentes se, similis est asino, » *q. d.* Qui honorat eos quibus despectui et ludibrio est, similiter facit ut asinus, qui inservit ei a quo cæditur. Et magis illud Hebræorum: « Qui honorat hostem suum, tandem moritur manu ipsius. » Exemplum dat Scholiastes Achab regem Israel, qui honorans Benadad regem Syriæ, ab eo postea interfectus fuit, III *Reg.* cap. XX, 42, et cap. XXII, 34; et Saul, qui pepercit Agag regi Amalec, a quo postea, inquit, descendit Aman ille impius, qui Hebræum nomen delere studuit sub Assuero, sed prohibitus est ab uxore ejus Esther. Et illud Comici: « Qui amat cui odio ipsus est, bis facere stulte dico: laborem inanem ipsus capit, et illi molestiam affert. » Cleomenes rogatus, quid oporteret bonum regem facere, respondit: « Amicis benefacere, inimicis vero male. » Verum corrigens illud Aristo: « At quanto, inquit, præstantius est amicis benefacere, et ex inimicis reddere amicos? » Ita Plutarchus in *Lacon.* Utique hæc non Judaica, non Pagana, sed Christiana est vox. Similis Cleomenis fuit sententia Pompeii, quam sapientius, ut Aristo, correxit Julius Cæsar. Sic et Socrates Crœsum interrogavit, « Quid esset maximum et pretiosissimum ex regno consecutus? » Cui Crœsus: « Ut hostes ulcisceretur, et amicos beneficio afficeret. » Verum corrigens hoc Socrates: « Multo melius, inquit, fecisses, si et illos tibi amicos ascivisses. » Ita refert Maximus *serm.* 6. Avorum memoria cum Laurentius Hungariæ Palatinus diceret, imprudenter agere Sigismundum Imperatorem, qui victis hostibus non solum vitam et opes relinqueret, sed etiam inter amicos reciperet extolleretque: « Tibi, inquit Sigismundus, videtur utile inimicum occidere, neque enim mortuus bellum excitat. At ego inimicum occido dum parco, et amicum facio dum extollo. » Ita Panormitanus lib. III *De Gestis Alfonsi*, ubi et addit idem fecisse ipsummet Alfonsum.

Vers. 11. 11. ET SI HUMILIATUS VADAT CURVUS (quasi tibi supplex et venerandus; perperam pro *curvus* aliqui legunt *cervus*), ADJICE ANIMUM TUUM, ET CUSTODI TE AB ILLO. — Pro *adjice* perperam Complutenses legunt, *abjice*; Græce enim est ἐπίςησον, id est, appone, adjice animum, hoc est, *adverte*, ut vertit Tigurina, quod Itali dicunt, *sta in cervello;* Syrus, *etsi obedit tibi, et ambulat coram te curvus, da cor tuum ad timendum ab eo.* Causam subdunt Græca dum hunc versum addunt, quem non habent Latina, *et eris ei tanquam qui absterseris speculum, et cognoces quod non in finem deposuit æruginem, q. d.* Diligenter advertas, videbis temporaneam et fictam esse ejus humilitatem, quodque exterius tantum nequitiam et malevolentiam deposuit, interius autem adhuc ejus reliquias et radices servet: perinde ac cum abstergis speculum, exteriorem tantum ejus superficiem abstergis, interiorem autem non abstergis, ex qua suo tempore solitam effundet æruginem; olim enim fiebant specula ex ære, quæ proinde æruginem contrahebant, uti dixi *Exodi* XXXVIII, 8. Syrus alia phrasi, sed eodem scopo et sensu vertit, *esto illi sicut revelans secretum, et cum poterit ad demolitionem tuam, cognosces finem odii ejus,* quia demolietur te.

Alludit ad *Proverb.* XXVI, 25: « Quando submiserit vocem suam, ne credideris ei: quoniam septem nequitiæ sunt in corde illius. » Simile est istud Senecæ in *Proverb*: « Inimicum quamvis humilem docti est metuere. »

12. NON STATUAS ILLUM PENES TE, NEC SEDEAT AD V DEXTERAM TUAM, NE CONVERSUS STET IN LOCO TUO, NE FORTE CONVERSUS IN LOCUM TUUM, INIQUIRAT CATHEDRAM TUAM. — Ita legit Jansenius et alii; sed cum Romanis dele τὸ *ne conversus stet in loco tuo.* Sin illud legas, est metathesis. Prior enim pars posterioris versus combinanda est cum priori parte prioris versus, posterior cum posteriore, quod sæpe fit in rhythmis. Græca enim et Syrus sic hæc combinant, *ne statuas ipsum juxta te, nequando te subvertat, et in locum tuum subeat: ne colloces ipsum ad dexteram tuam, nequando quærat occupare sedem tuam.* Statuere aliquem penes se, est illi favere, illum protegere; collocare ad dexteram, est eum sui honoris participem facere. Sensus ergo Nostri est, *q. d.* Ne statuas illum penes te, ne conversus insurgat contra te, teque dejiciens, locum tuum occupet, in eoque consistat. Nec sedeat ad dexteram tuam, ne conversus in te cathedra tua te deturbet, ipseque in illam insiliat, eamque solus occupet, *q. d.* Noli inimicum, etsi se simulet amicum, facere consortem tui honoris et gradus, quia te excluso illam invadet, solusque obtinebit. Unde subdit:

ET IN NOVISSIMO AGNOSCAS VERBA MEA, ET IN SERMONIBUS MEIS STIMULERIS. — Græce κατανυγήσῃ, id est, pungaris, compungaris; Tigurina, *discrucieris;* Syrus vertit, *mireris.* « Stimuleris » ergo, id est crucieris mœrore et pœnitentia sera, quod hæc præcepta mea, licet prænonitus, non servaris, quodque tibi ipsi tua nimia facilitate et credulitate hanc calamitatem accersiveris. Græci codices nonnulli hoc loco hunc interserunt versum:

« Peccatum ne conduplices; nam in uno non eris innocens. » Verum eum delent Græci Complutenses, Latini et Syrus. De dexteræ symbolis plura dixi *Coloss.* III, 1, et plura dicam *Proverb.* III, 13.

13. QUIS MISEREBITUR (male quidam legunt, *medebitur;* Græce enim est ἐλεήσει, id est, ut Syrus, *miserebitur*) INCANTATORI A SERPENTE PERCUSSO, ET OMNIBUS QUI APPROPIANT BESTIIS (Græce θηρίοις, id est *feris*)? ET SIC QUI COMITATUR CUM VIRO INIQUO, ET OBVOLUTUS EST IN PECCATIS EJUS: —male aliqui legunt *suis;* repete *quis miserebitur, q. d.* Nemo, quia ipse sibi hoc malum per malorum consortium accersivit. Pro *obvolutus,* Græce est συμφυρόμενον, id est, qui admiscetur, commiscetur peccatis αὐτοῦ, id est *ejus,* puta iniqui, hoc est, qui ejus maleficiis et cædibus miscetur et conspergitur, ut inter alios ipse quoque ab eo cædatur. Sic Dioscorides lib. I, cap. XXV, vocat συμπεφυρμένον αἵματι γόμμι, id est, gummi sanguine subactum, sanguine conspersum. Sensus est, *q. d.* Sicut commiseratione dignus non est incantator familiariter versans cum serpente, si ab eo mordeatur, quia scit, et scire ac cavere debet serpentis malignitatem et virulentiam, et tamen præscius veneni temere ad eum accedit, quasi eum incantaturus. Rursum sicut commiseratione dignus non est, qui appropians feræ, v. g. ursо vel leoni, ab eo læditur vel laniatur, quia præsciebat hanc ursi feritatem, unde ab eo cavere, nec ad eum propius accedere debebat: sic pariter commiseratione dignus non est, qui comes est iniqui, puta inimici, qui se simulat amicum, si peccatis ejus obvolvatur, id est, si per peccata ejus et maleficia per nequitiam et dolos multis malis et ærumnis involvatur et implicetur, imo obvolvatur et obruatur. Unde Syrus vertit, *quis miserebitur incantatori quem mordet serpens, aut cuicumque qui appropiat bestiis? ita omnis qui communicat viro iniquo, non præteribit donec accendatur ex eo ignis,* odii et maleficentiæ, calumniæ vel cædis, quo communicans pariter conflagrabit et peribit.

Porro qui versatur cum iniquo, non tantum pœna, sed et culpa ejus sæpe involvitur. Nam ut dicitur 28, *Quæst.* I, can. 12: « Sæpe malorum consortia etiam bonos corrumpunt, quanto magis eos qui ad vitia proni sunt? Nulla igitur ultra communicatio sit Hebræis ad fidem Christianam translatis, cum iis qui adhuc in veteri ritu consistunt, ne forte eorum participatione subvertantur. » Quare sicut incantator morsus a serpente vel fera, cum qua familiarius agit, non est commiseratione dignus: sic nec qui in societatem malorum seipsum insinuat, et cum illis in peccatorum fœditate communicat. Hæc justa est pœna audacis et temerarii, qui in periculum se conjicit; ergo si pereat, sibi imputet. Quod enim de Deo dixit Psaltes, idem homini adaptes: « Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris, et cum electo electus eris, et cum perverso perverteris. » Quoniam, ut ait S. Hieronymus, epist. 7 *ad Lætam:* « Proclivis est malorum æmulatio, et quorum virtutes assequi nequeas, cito imitaris vitia. » Unde Hugo *De Institut. novit.* cap. V: « Qui, inquit, cum pejoribus conversari appetit, satis se esse vita depravatum ostendit. » Quocirca S. Basilius, *Admon. ad filium spiritualem:* « Perfectorum virorum, inquit, consortio fruere, etc. Verba enim vitæ sunt verba illorum, et incolumitas animæ iis qui ea libenter audiunt. Sicut enim sol oriens effugat caliginem, ita Sanctorum doctrina a sensibus tuis expellit tenebras. »

Apposite livorem et inimicitiam comparat serpenti et feris, quæ non nisi feritatem, fraudes, virulentiam spirant. Tritum est illud: « Homo homini Deus, homo homini fera. »

Mystice Palacius: Diabolus, inquit, est hostis noster cum amici Dei sumus; at nobis reconciliatur, dum peccamus. Si ergo te sub specie boni adoritur, tunc cave, adverte et advigila, ne forte te tuo loco, quem Deus tibi paravit in cœlo, deturbet; diabolus enim est serpens et draco antiquus, ac leo sævissimus, qui non nisi hominis perniciem sitit. Quare qui ad illum accedit, commiseratione non est dignus, quia sciens et prudens se exitio exponit.

Denique perperam Gratianus *De Pœnit.,* dist. I, canone 58 *Importuna,* ex hoc loco probat quædam peccata esse irremissibilia, aut ex magnitudine peccati, aut ex gradu officii; quia, inquit, legitur: « Quis medebitur incantatori vulnerato a serpente? » perperam enim legit *medebitur,* pro *miserebitur.* Τὸ autem *quis miserebitur* tantum significat eum commiseratione non esse dignum; Deus autem sua infinita clementia etiam indignorum miseretur.

14. UNA HORA PERMANEBIT TECUM: SI AUTEM DECLINAVERIS, NON SUPPORTABIT, — id est, non tolerabit te, tuam sortem, declinationem et adversitatem. Græce μὴ καρτερήσει, id est *non perseverabit, q. d.* Iniquus, puta falsus amicus, hora prosperitatis permanebit tecum; si autem a prosperitate declinaveris, et decideris in adversitatem, v. g. ex abundantia in inopiam, ex splendore in obscuritatem, ex gloria in ignominiam: in tua amicitia non perseverabit, sed te derelinquet instar hirundinum, quæ vere advolant, hieme avolant. Ver enim symbolum est prosperæ fortunæ, hiems adversæ. Unde Seneca: « Falsus, ait, amicus cum fortuna venit, cum fortuna recedit. » Græcus Complutensium habet, *per horam permanebit tecum in statione justa; si autem declinaveris, non tolerabit;* Tigurina, *horæ spatio justa in statione permanebit apud te; nec si inclinent res tuæ, perdurabit.* Forte alludit ad stationes et excubias militares, *q. d.* Sicut miles in statione castrensi excubat per horam, ea finita abit, et alteri cedit locum, quasi officio suo perfunctus: sic et falsus amicus per horam prosperitatis manebit tecum; ea finita quasi statione sua perfunctus, abibit, teque deseret. Vocat *stationem justam,* id est, juste et æqua- Vers. 14.

liter in quatuor horas sive vigilias distributam : quisque enim miles per horam primam vigilans, id quod sui juris et officii erat, præstabat ; tantumdem faciebat alter vigilans per horam secundam, et alter per tertiam, et alius per quartam ; sicque erat æqua et justa temporis ad vigilandum inter milites distributio, nec quis queri poterat se plus aliis gravari, quia æquale vigilandi cuique erat tempus assignatum, puta hora ; sic statio justa falsi amici est hora et tempus prosperitatis, ac proinde ea finita abit, finitque amicitiam. Syrus vertit, *quamdiu ingreditur tecum, non manifestat* se suamque infidelitatem ; *et si cecideris, non supportabis eum,* puta ejus impatientiam, querimonias, voluntatem abeundi, postulata impertinentia, etc.

Vers. 15. 15. IN LABIIS SUIS INDULCAT INIMICUS : ET IN CORDE SUO INSIDIATUR, UT SUBVERTAT TE IN FOVEAM, — *q. d.* Labiis suis dulcia loquitur inimicus, at in corde amaras coquit insidias, quibus te in foveam, id est, in ruinam et exitium, præcipitet. Græce, *labiis suis blanditur hostis, et in corde suo consultabit de te in fossam evertendo ;* Tigurina, τὸ γλυκαίνει, id est *indulcat,* per multa pene synonyma explicans, vertit, *labiis suaviloquentibus utetur inimicus, et assentabitur multa, bonisque verbis compellabit te, oculis quoque suis illacrymans, animo suo deliberat præcipitare te in foveam ;* Syrus, *in labiis suis annuit inimicus, et in corde suo meditatur consilia profunda.* Sic Homerus ait de Nestore, quod melle dulcior erat ejus oratio. Divinius Psaltes *Psalm.* XVIII, 11 : « Eloquia » Dei pronuntiat « dulciora super mel et favum. » Et Salomon, *Prov.* V, 3 : « Favus distillans, ait, labia meretricis, et nitidius oleo guttur ejus ; novissima autem illius amara quasi absinthium. » Idem, cap. XVI, 24 : « Favus mellis, ait, composita verba. » Et sponsus ad sponsam *Cant.* IV, 10 : « Favus distillans labia tua, mel et lac sub lingua tua. » Hinc tropologice infert Palacius : « Sic igitur caro nostra, inquit, inimicus noster est, etiamsi dulcia verba dicat, etiamsi lacrymas fundat, minime ei est adhibenda fides : insidiatur enim, ut nos in sepulcrum inferni conjiciat. Quid de tentationibus diaboli dici poterit ? nam homicida est qui non satiatur sanguine nostro. »

Vers. 16. 16. IN OCULIS SUIS LACRYMATUR INIMICUS ; ET SI INVENERIT TEMPUS (Græce καιρόν, id est, occasionem et opportunitatem), NON SATIABITUR SANGUINE, — *q. d.* Non tantum fictis verbis, sed et oculis blanditur inimicus : iis enim illacrymat fingens se mire dolere de inimicitia præterita, aut de adversis tibi occurrentibus ; sed data opportunitate nocendi in te hostiliter irruet, teque conficiet, adeo ut sanguine tuo quem sitivit, expleri et satiari nequeat, donec totum effuderit, teque interemerit ; quin et post necem in tuum cadaver, sepulcrum, famam, sobolem, familiam sæviet, et velut leo grassabitur. Syrus, *etiam ab oculis suis descendere facit lacrymas ; si invenerit sibi locum, non satiabitur sanguine.* Magna vis fallendi est in fictis lacrymis : hæ enim solent veri doloris interni esse indices et testes : unde plerique vim sibi afferre nequeunt, ut lacrymas fundant, nisi ingens dolor eas excutiat. Violentæ ergo valde sint oportet fallaces lacrymæ, præsertim in viris : nam feminæ lacrymas in manu habent. Sic impius Ismael ibat incedens et plorans, itaque decepit octoginta viros, quos illico obtruncavit, *Jerem.* XLI, 6. Hic verum est vetus dictum : « Columbæ oculus in serpentino corde. »

Mystice, hanc sententiam nonnulli adaptant peccatoribus, qui quandoque a Deo per conciones et inspirationes excitati compunguntur et lacrymantur ; sed mox dum redeunt ad socios, ludos, convivia, etc., relabuntur ad pristina vitia, quasi dicas : Tu, o peccator, tu, o inimice Dei, lacrymatus es, et deflesti miserum animæ tuæ statum ; sed dum post fletum et pœnitentiam peccati opportunitatem reperiebas, iterum ei immergebaris, factus canis reversus ad vomitum, et sus lota in volutabro luti : idque solito ardentius et petulantius, adeo ut ejus deliciis et illecebris te satiare non posses.

Vers. 17. 17. ET SI INCURRERINT TIBI MALA, INVENIES EUM ILLIC PRIOREM, — non ad ficte condolendum, ut Jansenius opinatur, sed ad vere nocendum tibi. Hæc enim cohærent cum eo quod præcessit, *non satiabitur sanguine, q. d.* Si in mala incideris, inimicus te præveniet, priorque illa suscitabit, vel suscitata augebit. Unde Græce est, *si tibi mala acciderint, reperies eum ibi priorem te ;* Syrus, *si occurrerit tibi malum, invenies eum tibi, tanquam hominem adjutorem.*

Vers. 18. 18. IN OCULIS SUIS LACRYMATUR INIMICUS (ita hæc verba posita vers. 16, hoc loco repetunt Romana, etsi Jansenius et alii ea hoc loco expungenda censeant), ET QUASI ADJUVANS SUFFODIET PLANTAS TUAS, — *q. d.* Finget se velle te adjuvare, ideoque lacrymabitur quasi condolens tibi, sed occulte te ruere faciet et prosternet ; perinde ac qui sub plantis alicujus terram suffodit, facit ut ille corruat in fossam sibi suppositam. Noster legit, ὑποσκάψει, id est *suffodiet ;* jam legunt, ὑποσχάσει πτέρναν σου, id est *subsecabit plantas tuas.* Ita Romana. Alii, *occulte cædet ;* alii, *pertundet plantas tuas,* id est, supplantabit et dejiciet te ; σχάζω enim idem est quod sacrifico, vel venam incido, item sisto, inhibeo, retraho, supprimo. Unde Tigurina vertit, *per speciem hominis opitulaturi calcem tuum inhibebit ;* Vatablus, *enervabit ;* Syrus, *quæret subvertere calcaneos tuos.* Quid deinde sit facturus subdit, dicens : « Caput suum movebit, » etc. Tales sunt lacrymæ meretricum, quæ amicas se simulant, cum sint inimicissimæ. Unde Ovidius *De Remediis amoris :*

Ne puellarum lacrymis moveare caveto ;
Ut flerent, oculos erudiere suos.

Verum, ut vulgo dicitur ; « Lacryma nil citius

Crocodili lacrymæ sunt meretricum, cur?

arescit. » Nimirum sunt hæ *lacrymæ* crocodili. Ferunt enim crocodilum conspecto procul homine lacrymas emittere, atque eumdem mox devorare. Alii tradunt crocodilum devorato reliquo corpore, caput lacrymis effusis macerare, ut iis findat cranium, ac medullam cerebrumque pariter devoret, quo summe delectatur. Tales fuere lacrymæ Bassiani Imperatoris apud Ælium Spartianum : « Lacrymabatur, inquit, quoties aut mentio fieret, aut imagines videret Getæ fratris quem occiderat. » Sic Ismael, simulans se plorare ob urbis et templi cladem, occidit Judæos eamdem plorantes, *Jerem.* XLI, 6. Sic multi præ se ferentes speciem pietatis, lacrymarum et devotionis, decipiunt simplices, eosque in errores, superstitiones, libidines aliaque scelera inducunt. Tales sunt Hussitæ illi in Bohemia, qui, quoties suis occurrunt, lacrymantur : nimirum sunt hæretici flentes, sicut nonnulli sunt ridentes : olim fuere flagellantes, nunc potius sunt voluptuantes : omnes sunt insidiantes, quia hypocritæ.

Vers. 19

19. CAPUT SUUM MOVEBIT, ET PLAUDET MANU, ET MULTA SUSURRANS COMMUTABIT VULTUM SUUM, — *q. d.* Præ gaudio quod te inimicum suum supplantarit, quod tantopere desiderabat, nictabit capite, manibus plaudet, et occulte multa immurmurans, quæ palam proloqui non audet, vultum a ficta prius tristitia in lætitiam commutabit, ac pro tristi lætum hilaremque ostendet. Nam, ut ait Quintilianus lib. XX, cap. III : « Præcipuum in actione, sicut in corpore ipso, caput est. Nam et dejecto humilitas, et supino arrogantia ; et in latus inclinato, languor ; et præduro ac rigente, barbaries quædam mentis ostenditur. »

Pro *susurrans*, Græce est διαψιθυρίσει : quod aliqui vertunt, *garriet;* Tigurina, *motabit caput suum, plaudetque manibus, et sparget rumores multos, vultumque suum immutabit;* Syrus, *capite suo motus* (nictus) *facit, et annuit manu, et valde mussitat, et invertit faciem suam.*

Tropologice, hæc obvenient peccatori in hora mortis et judicii. Tunc enim diabolus, qui in hac vita blanditur, ei insultabit, eumque accusabit, et a Christo damnatum lætus, plaudens, subsannans et cachinnans abripiet in tartara. Memorabile æque ac horribile est, quod de plausu dæmonis, et planctu Udonis Præsulis Magdeburgensis scribunt, anno Domini 940, Nauclerus vol. III, *gener.* 43; Fulgosius lib. IX, cap. XII; Canisius lib. V *Marialis*, cap. X. Audiant eum et paveant peccatores. Cum enim Udo impure vivens, dæmonique obsequens cœlitus hac voce : « Udo, Udo, cessa a ludo, quia lusisti satis, Udo, » admonitus, nihilominus in impuritate persisteret, raptus est ad tribunal Christi, eoque jubente a S. Mauritio capite plexus. Mox animam ad tartara rapuerunt dæmones, eamque ludibundi et exultantes obtulerunt suo principi Lucifero. Lucifer ei assurrexit, salutans eam verbis pacificis in dolo : « Bene, inquit, venisti, o princeps, et fautor, et dilatator regni nostri. Ecce parati sumus tibi et omnibus nostris fidelibus pro meritis vestris reddere talionem. Cumque Udo obmutesceret, Satan assistentibus ait : Fatigatus est ille, noster dilectus huc veniendo ; et ideo placet ut consoletur : date ergo ei manducare. Illo autem renuente et caput avertente, crudeles ministri ejus bufones et serpentes violenter illi ingesserunt, et liquorem sulphureum postmodum infuderunt. Adhuc illo non loquente, Satan præcepit dicens : Ad balneum deducatur, et post horam illico reducatur. Et ecce non procul erat puteus cooperculum habens. Quo ablato, flamma vorax usque ad cœlum erumpebat; quæ non solum arbores, et montes, et lapides, sed etiam aquam juxta manantem, velut stipulam consumebat. In quem infelicem illam Udonis animam præcipitaverunt, et postmodum extrahentes in modum ferri candentis totam igneam suo principi detulerunt. Qui subridens : Nonne, inquit, balneum suave habuisti, o princeps? Tunc, Udo damnatum se omnino videns, cœpit blasphemare et dicere : Maledictus Satan, tu, et omnis familia tua, et omne imperium tuum. Maledictus Deus qui me creavit, maledicta terra quæ me portavit, maledicti parentes qui me genuerunt, et maledicta omnis creatura quæ in cœlo et in terra. Tunc omnes dæmones una cum principe suo cœperunt manibus plaudere, et dicere : Vere dignus est iste manere nobiscum, quia peroptime scit officium nostrum. Mittatur ergo nunc ad principalem scholam damnatorum, ut videat, audiat, sentiat et discat amplius, indeque non exeat in sæcula sæculorum. Vix verba finierat, et ecce unanimiter in odiosam illam creaturam irruerunt, eamque tam impetuose in tartareum illud barathrum jactando immerserunt, ac si cœlum et terra, et omnes montes mundi hujus ad invicem quaterentur. » Qui hæc legis, Udonis exemplo sape, et blandas dæmonis suggestiones, quasi capitalis hostis insidias, cave.

Lucifer in Udonem damnatum ludibria

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docuit cap. XI, *vers.* 31 *et seq., cavendum a doloso : inde cap.* XII *monuit beneficium conferendum pio, non impio, nec credendum inimico, etiamsi reconciliationem simulet ; nunc idem argumentum prosequitur, docetque cavendum a consortio potentum et divitum, ideoque superborum ; inde, vers.* 12, *dat monita, quomodo si quis ab eis vocetur, cum eis agere debeat. Denique, vers.* 18, *docet conversandum esse cum æqualibus : amicitiam enim et familiaritatem esse debere inter æquales et similes, tum moribus, tum opibus : tales autem non esse divites et pauperes, quorum proinde dissimilem sortem et mores per varias comparationes et antitheses demonstrat. Summa, toto capite docet quam damnosa sint opulentorum et magnatum commercia.*

1. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea : et qui communicaverit superbo, induet superbiam. 2. Pondus super se tollet, qui honestiori se communicat. Et ditiori te ne socius fueris. 3. Quid communicabit cacabus ad ollam? quando enim se colliserint, confringetur. 4. Dives injuste egit, et fremet; pauper autem læsus tacebit. 5. Si largitus fueris, assumet te : et si non habueris, derelinquet te. 6. Si habes, convivet tecum, et evacuabit te, et ipse non dolebit super te. 7. Si necessarius illi fueris, supplantabit te, et subridens spem dabit, narrans tibi bona, et dicet : Quid opus est tibi? 8. Et confundet te in cibis suis, donec te exinaniat bis, et ter : et in novissimo deridebit te : et postea videns, derelinquet te, et caput suum movebit ad te. 9. Humiliare Deo, et exspecta manus ejus. 10. Attende ne seductus in stultitiam humilieris. 11. Noli esse humilis in sapientia tua, ne humiliatus in stultitiam seducaris. 12. Advocatus a potentiore discede : ex hoc enim magis te advocabit. 13. Ne improbus sis, ne impingaris ; et ne longe sis ab eo, ne eas in oblivionem. 14. Ne retineas ex æquo loqui cum illo, nec credas multis verbis illius : ex multa enim loquela tentabit te, et subridens interrogabit te de absconditis tuis. 15. Immitis animus illius conservabit verba tua, et non parcet de malitia et de vinculis. 16. Cave tibi, et attende diligenter auditui tuo : quoniam cum subversione tua ambulas. 17. Audiens vero illa quasi in somnis vide, et vigilabis. 18. Omni vita tua dilige Deum, et invoca illum in salute tua. 19. Omne animal diligit simile sibi : sic et omnis homo proximum sibi. 20. Omnis caro ad similem sibi conjungetur, et omnis homo simili sui sociabitur. 21. Si communicabit lupus agno aliquando, sic peccator justo. 22. Quæ communicatio sancto homini ad canem? aut quæ pars diviti ad pauperem? 23. Venatio leonis, onager in eremo : sic et pascua divitum sunt pauperes. 24. Et sicut abominatio est superbo humilitas : sic et execratio divitis pauper. 25. Dives commotus confirmatur ab amicis suis : humilis autem, cum acciderit, expelletur et a notis. 26. Diviti decepto multi recuperatores : locutus est superba, et justificaverunt illum. 27. Humilis deceptus est, insuper et arguitur : locutus est sensate, et non est datus ei locus. 28. Dives locutus est, et omnes tacuerunt, et verbum illius usque ad nubes perducent. 29. Pauper locutus est, et dicunt : Quis est hic? et si offenderit, subvertent illum. 30. Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia : et nequissima paupertas in ore impii. 31. Cor hominis immutat faciem illius, sive in bona, sive in mala. 32. Vestigium cordis boni, et faciem bonam difficile invenies, et cum labore.

PRIMA PARS CAPITIS.

Vers. 1. 1. QUI TETIGERIT PICEM, INQUINABITUR AB EA : ET QUI COMMUNICAVERIT SUPERBO, INDUET SUPERBIAM. — *Et*, id est *sic*, vel simili modo. *Et* enim Hebræis est nota comparationis, quæ quia nectit similia, hinc idem valet quod sic, uti videre est passim in Proverbiis. Unde Græca pro *induet superbiam*, habent, ὁμοιωθήσεται αὐτῷ, id est, *assimilabitur*, vel *similis fiet ei*, puta superbus fiet cum superbo, et sic legit S. Athanasius tractat. *De Virginit.* Syrus, *qui accedit ad picem, ipsa adhæret manui ejus; et qui communicat iniquo, induit mores ejus, q. d.* Sicut pix contacta manui tangentis adhæret, eique partem sui applicat et agglutinat : sic et iniquitas, qualis maxime est superbia superbi, adhæret eam tangenti, cum eoque conversanti, illique partem sui applicat et agglutinat, atque per eam, velut picem, eum maculat et inquinat, tum in fama, tum in conscientia : famam enim infamia dedecorat, conscientiam peccato, eoque capitali et gravi conspurcat. Exemplum est in Lucifero, qui superbiam suam omnibus suis angelis affricuit; et in Adamo, qui eamdem in omnes posteros transfudit : hinc tanta ruina angelorum, æque ac hominum.

Superbia et vitium est pix ob analogias quinque.

Porro apposite vitium, præsertim superbia, comparatur pici : *primo*, quia utraque colore est nigro et atro ; *secundo*, utraque viscosa est, seque aliis agglutinat et affricat; *tertio*, utraque gravis est odoris et fetida ; *quarto*, pix ardens fumosa est, sic et superbia. Denique superbos manet ignis gehennæ, ardens pice et sulphure. Unde Isaias cap. XXXIV, vers, 6 : « Convertentur, ait, torrentes ejus in picem, et humus ejus in sulphur; et erit terra ejus in picem ardentem. » Vide *Apoc.* XXI, vers. 8. Hinc et pix non est aliud quam combustæ resinæ fluxus, ut ait Plinius lib. XXIII, cap. I.

Causa.

Causa, cur præ cæteris vitiis superbia se affricet communicanti cum superbo, est tum proclivitas naturæ corruptæ in eam, ac innatus homini amor excellentiæ; tum quia superbus tumet turgetque spiritu elationis, eumque ore et gestu, totoque corpore exhalat : itaque eumdem efficaciter aliis aspirat, perinde ac peste laborans, quia ardentem efflat spiritum; hinc eo statim vicinos inficit, pestemque suam aliis afflat, de quo mox plura. Adde quod superbus videatur esse generosus et magnanimus, itaque se vocet, et a suis vocetur; unde fastus ejus amatur quasi virtus, non vitium : in gula vero, libidine, ira, etc., manifeste se prodit vitium, quod virtutis speciem sibi obtendere nequit : unde mox ut apparet, omnes illud horrent et fugiunt.

Antistrophæ Siracidi sunt gnomæ Philosophorum : Plutarchi, lib. *De Liberis educandis:* « Si juxta claudum habites, subclaudicare disces ; » Hesiodi :

Vicini incincti, incincti venere propinqui ;

Ovidii :

Dum spectant oculi læsos, læduntur et ipsi ;
Multaque corporibus transitione nocent.

Lippientem intuens lippit, cur?

Quærit Aristoteles in *Problem.*, sect. 7, Quæst. IV, cur lippientibus oculis unius, vicinorum oculi lippire incipiant; ac respondet : « Quoniam oculus pars nostri corporis mobilissima est, cæterarum maxime omnium rei sibi objectæ similis reddi potest : quippe qui facile moveatur ab eo qui moveat; itaque fit ut, cum perturbatum aspicit oculum, facile ipse etiam perturbetur. » Simili modo in homine mobilissimus est oculus celsitudinis et superbiæ, ut, si cujuspiam exemplum ipsum moveat, illico sponte sua moveatur ad superbiam. Idem, *Quæst.* II, quærit cur oscitante uno vicini illico oscitent; ac respondet, quoniam oscitatio in illa parte fit, in qua residet memoria, cujus sensus tenerrimus est : quare cum oscitantem aspicimus, illico oscitandi imaginatio et cupido excitatur, ut nec cogitantes oscitemus. Sic tenerrimus est in homine excellentiæ sensus, et memoriam superbiendi vellicat qui superbit : quare dum quem vana superbiæ aura oscitantem cernimus, illico eadem oscitamus et ipsi. Idem rursum, *Quæst.* IV, quærit cur tabes, pestis, scabies appropinquantibus affricetur, non autem febris, hydropisis, stupor, etc.; ac respondet quod scabies in extima corporis superficie oriatur et glutinosa sit : quo fit ut tangentem statim inficiat, eique se affricet. Tabes autem et pestis spiritum aeremque vitiant : « Qui autem appropinquarit, talem profecto spiritum trahit, qualem æger ille reddidit. Ægrotat igitur, quia morbiferum est quod spiritu trahit. »

Sicut ergo morbi qui a spiritu corrupto nascuntur, ut pestis, illico vicinis sui contagium aspirant, eo quod spiritus facile ab uno in vicinum trajiciatur : sic pariter res sese habet in convictu et conversatione superborum. Superbus enim in incessu, vestitu, verbis, non nisi fastum spirat, ideoque hunc spiritum efficaciter aliis qui secum versantur, afflat : « Morum ergo scabiem affricat convictor convictori; et : « Balbutire discit quisquis assidue cum balbo vivit. » Plutarchus, tract. *De Discrim. amici et adulatoris* : Tanta, ait, est vis consuetudinis, ut imprudentes etiam imitemur vitia eorum quibuscum vivimus; sicut Platonis familiares ejus latitudinem humerorum imitabantur; Aristotelis amici ejus balbutiem exprimebant; Alexandri Magni familiares cervicis inflexum, et vocis in dicendo asperitatem effingebant. Causam dat Plato, lib. II *De Legibus* : « Dum quis, ait, cum pravis hominum improborum moribus conflictatur, non odit, sed gaudet

magis approbans, quanquam velut per jocum reprehendit, somnians suam ipsius malitiam : tunc profecto necesse est ut similis evadat, gaudens utriscumque gaudeat. »

Præclare Seneca, lib. III *De Ira* : « Sumuntur, ait, a conversantibus mores. Et ut quædam in contractos corporis vitia transiliunt, ita animus mala sua proximis tradit : ebriosus convictores in amorem vini traxit; impudicorum cœtus fortem et siliceum virum emolliit : avaritia in proximos virus suum transtulit. Eadem e diverso ratio virtutum est, ut omne quod secum habet mitigent : nec tam valetudini profuit utilis regio, et salubrius cœlum, quam animis parum firmis in turba meliorum versari. Quæ res quantum possit intelliges, si videris feras quoque convictu nostro mansuescere, nullique immani bestiæ vim suam permanere, si hominis contubernium diu passa est. » Sapientis hujus ævi vera est gnome : « Tales nos esse, qualia sunt quotidiana colloquia; tales evadere, qualia frequenter audimus. » Idem judicium de lectione : quales libros legis, talis evades; si obscenos, obscenus; si tumidos, tumidus; si spirituales, spiritualis. Etenim lectio colloquium quoddam esse videtur.

Moral. Moraliter, disce hic quam consortia malorum sint cavenda, quia sibi similes, puta malos, efficiunt. Sic qui in monasterio vel congregatione versatur cum imperfectis et dyscolis, multas imperfectiones incurrit. Quare, si sapit, detractores, libertatis amantes, otiosos, tepidos fugiat ut pestes. « Proclivis est malorum imitatio, et quorum virtutes assequi nequeas, cito imitaris vitia, ait S. Hieronymus *epist.* 7. Et S. Cyprianus, lib. *De Spectacul.* : « Oculi nostri et aures custodiendæ sunt; cito enim in hoc assuescimus, quod audimus, scelere. Etenim vitiorum exempla oppugnant animum, impellunt, immutant, transformant : miraculo erit inter incendia vel non consumi, vel certe non incalescere. » Idem rursum : « Deplorandus ille status est, ubi jam non vitiis excusatio, sed auctoritas datur : nullum enim malum difficilius exstinguitur, quam quod multitudinis consensu asseritur, et excusatione blanditur. » Vere enim Seneca : « Insanientium multitudo insaniæ est protectio. » Denique S. Isidorus, epist. *ad Claudium ducem*, eum hortatur, ne cum hæreticis colloquatur, etiam spe conversionis eorum : « Quia, inquit, qui tangit picem, inquinatur ab ea. » Et Nazianzenus in *Tetrastichis* :

Si frequens, *ait*, sis cum malis, eris malus.
Ne munus unquam sumas de manu mali :
Veniam suorum nam petit sic criminum.

Capiditas est pix animæ. Porro S. Bernardus, serm. 82 *in Cant.*, hanc gnomen adaptat animæ, quæ ex se cœlestis, per appetitum terrenorum facta est terrena et carnalis : « Cur non, ait, quæ immortalis facta est, similia sibi immortalia appetit et æterna, ut quod est, appareat, et quod facta est, vivat? Cæterum contraria sapit et quærit, et mortalibus sese degeneri conversatione conformans, immortalitatis candorem quodam mortiferæ consuetudinis piceo colore denigrat. Quidni mortalium appetitus immortalem mortali similem, immortali dissimilem faciat? Qui tangit picem (ait Sapiens) inquinatur ab ea : fruendo mortalibus mortalitate se induit, et vestem immortalitatis incidente mortis similitudine decoloravit, non exuit. Evam attende, quomodo ejus anima immortalis immortalitati suæ gloriæ fucum mortalitatis invexit, mortalia utique affectando. Utquid enim, cum immortalis esset, mortalia non contempsit et transitoria, contenta sibi similibus immortalibus et æternis? Vidit, ait, lignum quod esset pulchrum oculis, et aspectu delectabile, ac suave ad vescendum. » Hinc liquet quod, sicut corpus animæ est pix, affricans illi, quæ in se spiritalis est, omnes corporeas affectiones, cupiditates et miserias : sic pariter eidem animæ pix est honor, opes, deliciæ : hæc enim eam inquinant, faciuntque piceam, puta superbam, avaram, gulosam et luxuriosam.

2. PONDUS SUPER SE TOLLET, QUI HONESTIORI SE COMMUNICAT. (honestiori, id est ditiori : honestas enim vocantur opes, quia faciunt hominem in victu et vestitu honestum : est metalepsis et catachresis. Unde explicans subdit) : ET DITIORI TE NE SOCIUS FUERIS. — Græca addunt, *et fortiori*, et ita legendum censet Jansenius; sic enim habent Græca, *pondus super te ne tollas, et fortiori te ac ditiori ne communica. Super te*, id est, supra vires tuas, superans te. Unde Tigurina vertit, *ne suscipias onus supra vires tuas, ac proinde ne te ipsum adjungas potentiori te, aut ditiori*; Syrus, *eum qui est honoratior te ne quæras, et ei qui est ditior te ne communices*. Multi ambiunt aulas et auras magnatum et divitum, ut eorum familiaritate honorati sint, ac dignitates, beneficia, officia et lucra captent. Verum Siracides hic sapienter idipsum dissuadet, quasi afferens *pondus*, id est, gravamen multiplex, quod in sequentibus per species enarrat. Amicitia enim et convictus, ut sit facilis et jucundus, debet esse inter pares. Unde illud Poetæ : « Si vis nubere, nube pari. » Præclare Seneca in *Proverbiis* : « Si in clientelam, ait, felicis hominis potentisque perveneris, aut veritas aut amicitia perdenda est. » Martialis, inter ea « quæ vitam faciunt beatiorem, » numerat « pares amicos. » Ubi enim sunt impares, superior vult dominari inferiori, illique multa imperat quæ inferior præ metu et pudore recusare non audet; quare potius servus est quam amicus. Rursum ut in conviviis, congressibus, consessibus, etc., æque et decenter cum magnate compareat, necesse est ut in victu, vestitu, famulis, equis, rhedis, sumptus supra opes suas faciat, easque transcendat, itaque se exhauriat et depauperet. Hæc in sequentibus prosequitur Siracides.

Vers. 2.

Agendum cum pari. Gnoma.

Huc facit illud Senecæ in *Troade* : « Grave pondus illum, inquit, magna nobilitas premit. Sic

Euclio apud Plautum Megadoro diviti postulanti filiam suam tenuis fortunæ in conjugem, respondet nolle se ut filia apud ipsum velut bovem, asinam agat. Sisyphus, Jovis et deorum amicitiam ambiens, fingitur a Poetis ab iratis diis damnatus ad saxum jugiter volvendum. Quo symbolice significant eos qui potentum amici esse cupiunt, gravia in se expensarum, opprobriorum, servitutum, etc., onera suscipere. Hinc illud : « Procul a Jove, procul a fulmine. » Et illud Horatii :

> **Dulcis inexpertis cultura potentis amici :**
> **Expertus metuet.**

Moraliter Rabanus : « Hæc, ait, juxta mortalitatem nos instruunt, ut semper humilia sectemur, quæ superba sunt penitus fugiamus, » ideoque divitum ac potentum consortia abdicemus, nec eorum opes aut pompas miremur. Lacides Cyrenæus, accersitus ab Attalo rege, respondit, « imagines eminus esse spectandas, » innuens arctam familiaritatem cum principibus minuere virtutis admirationem. Adde et periculum non raro creare. Ita Laertius, lib. IV, cap. VIII. Experiuntur id Confessarii magnatum, principum et divitum, qui præter molestias illis obsequendi, non raro conscientias suas æque ac pœnitentium periculo æternæ salutis exponunt, dum vel ex metu displicendi eis, vel ex studio placendi, non audent eos monere, sed dissimulant quæ dissimulanda non sunt, et laxant non laxanda. Quanto feliciores sunt Confessarii pauperum, qui eos libere monent, facileque ad omnem sanctitatem promovent ! Hi domini sunt, illi servi.

Vers. 3. 3. QUID COMMUNICABIT CACABUS AD OLLAM ? QUANDO ENIM SE COLLISERINT, CONFRINGETUR, — *q. d.* Si cacabo æneo allidatur olla lutea sive fictilis, utique cacabus confringet ollam : ita pariter si dives se societ et impingat in pauperem, utique eum collidet; si enim jurgentur, pauper opprimetur a divite. Cacabus ergo æneus repræsentat potentem et divitem, olla fictilis plebeium et pauperem, vel minus divitem. Unde Græca distinctius habent, *quid communicet olla cum lebete ? hic impinget, illa conteretur ;* vel, ut Tigurina, *quid ollæ poterit esse rei cum lebete ? ad quem si offenderit, illa confringetur ;* Syrus, *quid communicabit olla figuli cacabo æneo ? qui impingit in eam, et frangit eam.* Eodem cacabi et ollæ apologo trecentis pene ante Siracidem annis usus est Æsopus (hic enim fuit coævus Soloni, Crœso et Cyro; Siracides vero vixit sub Ptolemæo Lagi); producit enim fabulam duarum ollarum, unius æneæ, alterius fictilis, quæ cum vi fluminis raperentur, et fictilis sibi ruinam metueret, dixit illi ænea : « Ne metuas; curabo enim ego ne tu allidaris aut collidaris. » Cui fictilis : « Sive, inquit, me tecum, sive te mecum fluvius colliserit, utrumque sine tuo, utrumque cum meo fiet periculo: quare decretum mihi est a te disjungi. » Idipsum reipsa expertus est Æsopus cum Solone. Solon enim, quia Crœso regi Lydorum beatum se putanti liberius dixerat, ante mortem neminem censendum esse beatum, a Crœso irato neglectus et rejectus est. Doluit vicem Solonis Æsopus, qui tum Sardibus apud Crœsum in honore erat, eumque monuit : « Cum regibus, o Solon, ait, aut nequaquam, aut quam jucundissime agendum. » Cui Solon : « Minime, ait, imo, nequaquam, aut quam optime. » At Crœsus postmodum captus a Cyro, cum Solonem inclamaret, qui vere dixisset, ante mortem neminem esse beatum, sed posse fieri miserum, idque se suo exemplo discere, movit Cyrum, ut fortunæ humanæ tam volubilis memor, Crœsum dimitteret, et Solonem ob sapientiam per omnem vitam coleret, uti narrat Plutarchus in *Solone*.

Apologus cacabi et ollæ.

Ita se res habet apud homines, secus apud Deum. Deo igitur nostro benignissimo æque ac ditissimo et potentissimo æterna sit gloria, et gratiarum actio, qui nos homunciones vult sibi esse familiares, nec confringitur olla, sed potius æreus lebes : non enim in cruce nostra fragilitas, sed Christus, Patris opes et fortitudo, fractus est, I *Cor.* I, 23.

Ethicæ mythicæ et Æsopi antiquitas.

Obiter adverte hic quam vetus olimque usitata fuerit Ethica mythica, quæ per fabulas et apologos docet res morales, puta virtutes et vitia. Ita apologo rhamni periculosum fore Abimelech tyranni regimen docuit *Judicum* IX Joatham, filius Gedeonis, qui Salomonem ducentis et viginti annis antecessit. Joatham post 78 annos secutus Samson, hoc mythicum ænigma proposuit Philistæis : « De comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo, » *Judic.* XIV, vers. 14. Hinc Baruch scriba Jeremiæ, cap. III, 23, celebrat fabulatores Theman, qui scilicet per fabulas Ethicam tradiderunt. Quin et Salomon ipse, *Prov.* IX, proponit apologum sapientiæ ædificantis sibi domum, excidentis columnas septem, convivium instruentis, omnesque ad illud invitantis. Pari modo mythica apud Gentiles a priscis sæculis usitata fuit. Fabulas enim et apologos scripsit *Babrias*, seu *Gabrias* Platone antiquior, qui etiamnum exstant; unde et eos subinde cito. Item *Julius Hyginus*, Augusti Imperatoris libertus; *Phædrus* deinde, libertus Tiberii, quem Notis eruditis donatum Nicolaus Rigaltius jam pridem vulgavit; *Festus Avienus*, sub Theodosio; *Porphyrius*, impius licet, scripsit sub Constantino Imperatore opus de fabulis, quod laudat Georgius Pisides, lib. *De Mundi fabrica ;* item *Maximus Planudes* et *Antonius Liberalis*. Notæ sunt fabulæ Metamorphoseon *Ovidii* et *Poetarum*. Celebres pariter sunt mythi sive fabulæ *Æsopi*, qui mythologorum princeps floruit sub Cyro et Crœso : huic enim fabulas suas dicavit. Dictus *Æsopus*, id est Æthiops, quia labris erat niger, ait Planudes in ejus Vita; genere fuit Phryx. Ratio est, quod fabulæ et apologi, præter novitatem, suos habeant sales et lepores, sua acumina, suas gnomas facetas, sed

prudentes, quibus mire animum oblectant et oblectando erudiunt. Quare Siracides subinde ad apologos suo ævo usitatos alludit, uti hoc loco alludit ad apologum ollæ et cacabi.

Vers. 4. 4. DIVES INJUSTE EGIT, ET FREMET : PAUPER AUTEM LÆSUS TACEBIT. — Primus hic est modus quo olla a cacabo, id est, pauper a divite et potente, affligitur et confringitur, scilicet quod dives injuria afficiet pauperem, et insuper in eum fremet : pauper autem injuria affectus queri non audebit, sed tacebit, ne graviorem in se divitis iram et noxam concitet. Græca efficacius pro *tacebit* habent *orabit*, supplicabit, *q. d.* Pauper licet sit læsus a divite, ei tamen frementi supplex erit, ut ejus indignationem leniat et benevolentiam conservet. Alludit ad *Prov.* XVIII, 23 : « Cum obsecrationibus loquetur pauper, et dives effabitur rigide. » Græca hic variant : Romana enim habent ut Noster, nisi quod pro *tacebit* legunt *orabit*. Sic et alii vertunt, *dives injuriam fecit, et insuper fremit ; pauper passus est injuriam, et insuper supplicat ;* sed Complutenses sic legunt, *dives injuriam fecit, et ipsum rogabunt ; pauper* ἠδίκησε, id est *injuriam fecit, et ipse minas patietur*. Sic et Syrus, *dives enim peccat, et dissimulatur ; et pauper peccat, et animadvertitur*, juxta illud Juvenalis :

Dat veniam corvis, vexat censura columbas.

Verum pro ἠδίκησε, id est *injuriam fecit*, Noster et alii melius et nervosius passive legunt ἠδίκηται, id est, *injuria affectus est*, injuriam passus est. Tigurina, ut utrumque complectatur, pro una sententia dat duas ; ait enim : *Si dives injuriam intulit, insuper minabitur etiam ; si pauper passus est injuriam, oportet esse supplicem. Si dives fecit injuriam, illi supplicandum est insuper : si cui vero pauper obtulit injuriam, minas protinus audiet.* Dives ergo inter pauperes est sicut leo inter animalia : sicut enim leo grassatur in quælibet, nullumque ei se audet opponere, sed omnes etiam feræ ei se submittunt et permittunt : sic et dives grassatur in pauperes, nemoque ei contradicere valet vel audet ; sed omnes ei fiunt supplices, quia ejus rugitum et minas graviorum malorum formidant. Quocirca Diogenes asserebat divitias nihil aliud esse quam velamenta malitiæ : divites enim, cum nihilo sint aliis meliores, omnia sibi licere putant. Ita Laertius, lib. VI.

Potentiorum injuriæ ferendæ. Exempla. Quocirca sapienter Seneca, lib. II *De Ira*, cap. XXXIII : « Potentiorum injuriæ, inquit, hilari vultu, non patienter tantum ferendæ sunt. Notissima vox est ejus, qui in cultu regum consenuerat. Cum illum quidam interrogaret quomodo rarissimam rem in aula consecutus esset, senectutem : Injurias, inquit, accipiendo, et gratias agendo. » Subdit exemplum Pastoris equitis Romani, qui dum pro filii vita apud Caium Cæsarem supplicaret, Cæsar illico filium necari jussit, ac patrem ad cœnam invitavit : qui dolorem dissimulans, vinum bibebat perinde ac si filii sanguinem bibisset. Quæris, quare ? Habebat alterum, quem timebat sibi pariter a Cæsare eripi, si mœstum ei vultum ostendisset. Unde infert cap. XXXIV : « Cum pare contendere anceps est ; cum superiore, furiosum ; cum inferiore, sordidum. » Idem, lib. III, cap. XIV : Præxaspes, inquit, Cambysi regi intimus, eum monuit ut moderatius biberet. Rex offensus ut ostenderet se mentis compotem, filium ejus pro scopo statuit, ejusque cor sagitta transfixit, ac patrem rogavit an satis certam haberet mentem et manum. At ille negavit Apollinem potuisse certius sagittam collineare. Et cap. XV : « Harpagus, inquit, quoque tale aliquid regi suo Persarumque suaserat ; quo offensus, liberos illi epulandos apposuit, et subinde quæsiit an placeret conditura. Cui ille : Apud regem, inquit, omnis cœna jucunda est. Funeribus suis arridendum est. » Ipsemet Seneca indigne tractatus a Nerone discipulo suo, ac tandem enecatus, tacuit, imo gratias egit. « Seneca, ait Tacitus lib. XIV, qui finis omnium cum dominante, gratias agit. » Vide apologum leonis, asini et vulpis, quem recitavi cap. VIII, 1.

Porro in die judicii Deus hasce divitis et pauperis sortes commutabit : tunc enim dives tacebit, pauper fremet et tonabit, idque merito suæ taciturnitatis et patientiæ, quam habuit in hac vita. In illo enim die Apostoli cæterique Apostolicam paupertatem amplexi, divites impios condemnabunt ; judicabunt enim cum Christo duodecim tribus Israel, omnesque gentes, *Matth.* XIX, vers. 28. Unde Christus *Lucæ* XVI, vers. 9. : « Facite, ait, vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. » Hisce soliis solentur se pauperes, iisque divites extimescant, ac in pauperes sint benevoli et benefici, ut eorum quasi suorum judicum sibi favorem concilient.

Vers. 5. 5. SI LARGITUS FUERIS, ASSUMET TE (ad suam amicitiam et familiaritatem) ; ET SI NON HABUERIS, DERELINQUET TE. — Secundus est hic modus quo cacabus ollam, id est, dives pauperem affligit, quod scilicet opes et crumenam ejus emungat. Græca habent, *si utilis fueris*, vel *si utilitatem apportes, operatur in te*, vel *opus per te faciet ; sin egebis*, καταλείψει σε, id est, *deseret te* ; Complutenses legunt, καταθλίψει σε, id est, *affliget te* ; Tigurina, *si quis usus tui sit, erunt qui colant te ; sin egeas, erunt qui te deserant* ; Syrus, *si fueris prosper, colet te ; et si pauper evaseris, derelinquet te*. Divites enim uti superbi, ita avari sunt ; et quo sunt ditiores, eo plura desiderant, juxta illud : « Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ. » « Vermis divitiarum est superbia, » ait S. Augustinus.

Quocirca S. Ambrosius et Beda, imo S. Spiritus divites avaros comparat hirudini, sive sanguisugæ, quia sicut illa sanguinem hominis, sic illi facultates pauperum exsugunt, *Proverb.* XXX, 15 : « Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes : « Affer, affer. » Notat Plinius, lib. VIII, cap. X, hirudinem

elephanti, dum potat aquam, in ea se hauriendam præbere, ut sic viscera ingrediatur, ejusque sanguinem exsugat: ita divites se suaque offerunt pauperibus, ut eos sibi mancipent, exsugant et exhauriant. Hinc illud Horatii:

Non missura cutem, nisi plena cruoris hirudo.

Rursum similes sunt alteri animali sanguinis bibaci, quod ita depingit Plinius lib. XI, cap. XXXIV: « Est animal infixo semper sanguini capite vivens, atque ita intumescens: unum animalium, cui cibi non sit exitus, dehiscitque nimia satietate, alimento ipso immoriens. » Ita divites avari expilationi pauperum jugiter inhiant, donec illi immoriantur, et a morte præsente transeant ad æternam.

Vers. 6. 6. SI HABES (opes), CONVIVET (convivabitur) TECUM, ET EVACUABIT TE, ET IPSE NON DOLEBIT SUPER TE — a se evacuato, depauperato et exhausto. Pro *dolebit*, Græce est πονήσει, id est *laborabit*, quia labor est dolor, et qui laborat, dolet. Verum Tigurina proprie laborem accipit; vertit enim, *si quid habeas, reperies convictorem qui exinaniet te, nec ipse laboret*, vel *laborabit*, *q. d.* Ipse tuum, non suum, ideoque illaboratum, comedet panem; ipse tuo labore fruetur otiosus et iners, nec tibi laboranti collaborabit; sed coget te laborare, ut ipse iners labores tuos comedat. Syrus, *si habueris, jucundas faciet confabulationes suas tecum, et exinaniet te, et ipse non compatietur, donec faciat voluntatem suam tecum.* Tertius est hic modus quo dives pauperem affligit, labores ejus devorando, eum evacuando, idque sine suo labore; laborem enim relinquit pauperi, fructum vero ejus sibi otiosus et delicatus usurpat. Quocirca Solon dicebat opulentiam esse matrem saturitatis, saturitatem ferociæ ac violentiæ. Divitias comitatur luxus, luxus exit in tyrannidem, dum fœnum migrat in cornua. Ita Laertius lib. I, cap. III.

Nota τὸ *et ipse non dolebit super te* hoc enim signum est amici ficti, et irrisoris. Verus enim amicus sicut bonis amici congaudet, ita malis condolet, juxta illud: « Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, » *Rom.* XII. Unde Aristoteles, lib. IX *Ethic.* cap. III: « Amici, ait, officium est condolere de malo amici sicut de proprio. » Et S. Augustinus, lib. IX *Civit.*, cap. V: « Misericordia (quæ maxime cernitur in amicitia), ait, est alienæ miseriæ in nostro corde compassio, qua utique si possimus, subvenire compellimur. »

Vers. 7. 7. SI NECESSARIUS ILLI FUERIS, SUPPLANTABIT TE (Græce ἐπιπλανήσει, id est, decipiet te dolose, sicut qui pedem occulte pedi ambulantis interjicit, itaque eum cadere facit et supplantat); ET SUBRIDENS SPEM DABIT, NARRANS TIBI BONA, ET DICET: QUID OPUS EST TIBI? — Quartus est hic modus quo cacabus ollam, id est, dives pauperem, confringit, *q. d.* Si dives tua opera indigeat, eam poscet; sed decipiet te, quia arridens spem dabit narrando bona quæ potest et vult conferre tibi; et dicet: Qua re opus habes? dicito mihi: ego possum et volo te juvare, promovere, et ad magna evehere. Si eges nummis, edicito, habeo quos tibi mutuem, imo dem: si eges tritico, illo horrea mea plena sunt: si eges vestibus, habeo lanam, pannos, tunicas, quibus te vestiam. Quod ex his vis? quo tibi opus est? Ita magna promittens, vana spe te lactabit, donec operam tuam ei præstiteris: qua habita nihil eorum quæ promisit præstabit, nihil tuæ operæ retribuet. Syrus vertit, *placatus* (placidus) *erit tibi, donec faciat tibi quod desiderat, et decipiet te, et virum felicem vocabit te.* Magna hæc est deceptio divitis, et calamitas pauperis. Nimirum solent divites avari et superbi magnis, sed vanis, spebus et promissis lactare pauperes, donec opes et operas eorum extorqueant, ac deinde calce eos abigunt. Quæ sane magna est ingratitudo, inhumanitas et crudelitas, adeoque peccatum clamans in cœlum, *Exodi* III, 7. Hi sunt λογέμποροι, ait Cicero lib. XV *ad Attic.*, qui promissa et verba inania pro mercibus venditant, et, ut ait Sallustius in *Catilinar.* maria montesque pollicentur, juxta illud vulgo tritum: « Sunt Hermodori verba mercimonium. » Et illud Ovidii lib. I *De Art.*:

Pollicitis dives quilibet esse potest.

Sapienter et cordate Phocion, apud Stobæum serm. 1 *De Prudentia*: « Ne magna promittas, sed magna præstes. »

Vers. 8. 8. ET CONFUNDET TE IN CIBIS SUIS, DONEC TE EXINANIAT BIS ET TER; ET IN NOVISSIMO DERIDEBIT TE (*q. d.* Excipiet te opipare, ut tu illum etiam opipare reinvites, ac sic exinaniat et derideat te). ET POSTEA VIDENS, DERELINQUET TE, ET CAPUT SUUM MOVEBIT AD TE. — Quintus est hic modus quo dives affligit pauperem, nimirum quod confundat eum in cibis, scilicet, invitando eum ad convivium, ut sic cogat eum ex decentia et gratitudine vicissim invitare divitem, eique similia convivia, lauta et splendida instruere, quibus ejus opes exinaniat *bis et ter*, id est sæpius, ac tandem eum jam depauperatum et exinanitum deridebit, quasi stultum, quod ei se socium dare et æquare in conviviis præsumpserit, cum sumptibus ferendis non esset par. Quare videns eum ad egestatem redactum, non compatietur, nec succurret, sed deridens et insultans movebit caput dicens: Ecce hunc stolidum, qui mecum in conviviis instruendis magnificentia certare voluit. Ecce sua stoliditate et fastu redegit se ad teruncium, luat nunc pœnas per egestatem et famem. Unde Tigurina vertit, *parasitando* (adulando) *adiget te ad ignominiam, donec te inaniat iterum et tertio, et ad extremum etiam derideat. Postea conspicatus te deseret, et caput suum movebit adversum te.* Syrus, *confundet te placiditate sua, donec faciat voluntatem suam in te semel et iterum; magnificabitur super te,*

et tunc videbit te, et abscondet se a te, et caput suum movebit contra te.

Alludit Siracides ad illud Salomonis *Prov.* XXIII, vers. 1 : « Quando sederis ut comedas cum principe, diligenter attende quæ apposita sunt ante faciem tuam, et statue cultrum in gutture tuo.» Ubi Septuaginta, *et mitte manum tuam, sciens quod oportet te talia præparare,* ut scilicet par pari reddas, ac simili magnificentia convivium illi instruas, itaque opes tuas exhaurias, imo debita contrahas, teque et tuam familiam perdas. Quocirca Aristophanes in *Nebulis* divites comparat nasturtio, quod ab herbis et plantis vicinis omnem humorem exsugit, itaque eas arefacit et enecat, teste Columella lib. I *De Re rust.* cap. III. Simili enim modo dives exsugit opes pauperis, eumque exsuccum et exsanguem reddit : sanguis enim hominis pecunia, ait Comicus. Hinc nasturtium dicitur quasi nasi tormentum, ait Plinius lib. XIX, cap. VIII; Græce κάρδαμον dicitur, quasi καρίδαμον, id est, *domans caput* sua acrimonia. Sic dives cor pauperum domat: naribusque et cerebro ejus est tormentum, dum illud sollicitum esse cogit, artesque et modos invenire ad sumptus, quibus divitis magnificentiæ et sumptibus respondeat, eosque quasi adæquet. Pauperibus ergo ambientibus divitum amicitias dicas illud *Osee* VII : « Factus est Ephraim quasi columba seducta, non habens cor ; » quia sicut columbæ ita stolide amant sua columbaria et hominum amicitiam, ut, licet in dies videant ab eis ova et pullos capi, occidi, vorari, tamen velint eis adhærere, cum eis versari, seque eis diripiendas præbere : sic pariter pauperes divites amicos quærentes, eis se spoliandos et exhauriendos exhibent. Qua re quid stolidius?

Aliter explicat Palacius, *q. d.* Parcissime dives excipiet te in opere suo laborantem, viles tibi cibos et parcos dabit : et, quia mercede tua te frustrabitur, exinaniet te, ac novissime irridebit te.

Vers. 9, 10 et 11.

9, 10 et 11. HUMILIARE DEO, ET EXSPECTA MANUS EJUS. ATTENDE NE SEDUCTUS IN STULTITIAM HUMILIERIS. NOLI ESSE HUMILIS IN SAPIENTIA TUA, NE HUMILIATUS IN STULTITIAM SEDUCARIS. — Græca pro his omnibus hæc tantum habent, *cave ne seducaris mente, et humilieris in lætitia* (hoc est enim εὐφροσύνη, pro quo Noster legit, ἀφροσύνη, id est stultitia) *cordis tui* ; Syrus vero, *cave ne tradaris in manus ejus, et ne erres in defectu mentis ejus.* Nostræ versionis sensus est, *q. d.* Noli, o pauper, dum eges, te diviti vana promittenti nimis humiliare, eique supplicare ; sed Deo esto humilis et supplex, qui vere præstat quod promisit, et neminem se invocantem deserit : quare *exspecta manus,* id est, auxilium et beneficentiam, *ejus,* non divitis avari et fallacis. *Attende* et cave *ne seductus* speciosis, sed vanis promissis divitis, *in stultitiam,* id est stulte, te ei humilies, falso ab eo vitæ subsidium exspectando. « Noli esse humilis in sapientia tua, » *q. d.* Credes forsan sapientiam esse, diviti se humiliare ad emendicandum victum : at cave, ne per hanc creditam, sed falsam et fallacem sapientiam ei humilieris ; alioqui in ea, quam putas esse sapientiam, seduceris, deprehendesque tuo damno eam non fuisse sapientiam, sed stultitiam. Non negat Siracides quin pauper possit diviti humiliari, ab eoque opem petere ; sed jubet ne ita ei humilietur, ut omnes spes suas in eo reponat, neglecto et posthabito Deo : ne ita totus confidat in homine, ut ab eo suspensus pendeat, oblitus Dei sui ; sed potius Deo fisus, parvi estimet hominum subsidia, juxta illud : « Bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus, » *Psal.* CXVII, 9. Et : « Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus, » *Psal.* CXLV, 2. Et : « Beati omnes qui confidunt in eo, » *Psal.* II, 12. Et : « Maledictus homo, qui confidit in homine, » etc. *Jerem.* XVII, 5.

Rursum vetat ne humiliet se diviti seductori, qui pauperem vana spe exhauriat, et postea frustretur ac deludat, imo a se pauperatum irrideat : hæc est enim magna stultitia et seductio. Unde nota : τὸ *seducaris* generale est, et multa complectitur, scilicet *primo,* depauperationem pauperis ob spes illusorias divitis. *Secundo,* seductionem a fide, qua scilicet pauper a divite infideli vel hæretico cogitur fieri infidelis vel hæreticus, si ab eo vitæ subsidia exspectare velit. Qua ratione hoc ævo multi pauperes a mercatoribus Calvinistis et Lutheranis in hæresim abducti sunt, dum eorum opera in texendo, sarciendo, fabricando, etc., uti noluerunt, nisi fidem, id est, perfidiam suam, amplecterentur. Ita Rabanus, qui legit, *ne in stultitiam,* id est, stultos errores, *seducaris* a vera fide. « Non humilitatis virtutem dissuadet, ait, quæ in omnibus laudabilis est ; sed auctoritatem firmam contra expugnatores veritatis tenere docet, quia nullo modo his est cedendum, sed fortiter resistendum. » Sicut S. Paulus se iis restitisse scribit *Gal.* II et V, et II *Cor.* X, vers. 4 et 5 ; Judas vers. 22. *Tertio,* seductionem a castitate, justitia et sancta vita. Sic enim hodie multi pauperes a divitibus aluntur, ut eorum libidini, fraudibus, sceleribus subserviant ; quibus sane nimis vili pretio castitatem, sanctitatem et animam suam vendunt. Sensus ergo adæquatus est : « Noli esse humilis in sapientia tua, ne humiliatus in stultitia seducaris, » *q. d.* Noli putare quod sapientis sit, cuicumque se humiliare et substernere, ne humiliatus et deceptus, sero agnoscas et deplores tuam stultitiam, id est, irritas spes tuas, errores, libidines, etc. ; ad quas te potens, cui nimis humiliaris, deducet. Noli esse humilis, id est pusillanimis, in sapientia tua, tibi a Deo data, ne humiliatus, id est, pusillanimis factus, in stultitiam seducaris, veritatem relinquens pro falsitate verbis compositis colorata, ait Lyranus, ne facias per pusillanimitatem animi, contra id quod dictat sapientia, id est, stultum aliquid, iniquum et impium. Sapientia enim et virtus nulli, licet potentissimo, ad

scelus subdi se patitur, sed omnibus heroice et generose dominatur. Qui secus facit, insipienter et stulte facit, instar bruti cameli, qui poplites flectit, ut in dorsum onera, eaque ingentia suscipiat. Unde Etymologicum Græcum, et Evenus Parius apud Artemidorum in *Onirocrit.* lib. I, cap. V, censent *camelum* dici quasi camerum, ἀπὸ τοῦ κάμπτειν τὸν μηρόν, hoc est, a curvando femur : « Quia animal dictum camelus, ait Evenus, media femora curvat, ut puta juxta crurum altitudinem concisum ac decurtatum; unde etymon et originatio ejus Græcis κάμηλος, quasi κάμμηρος, hoc est *curvans femora.* » Idem docet Horus Apollo in *Hieroglyph.* Licet probabilius Cæl. Rhodiginus lib. VII, cap. XVIII, Varro lib. IV *De Lingua Latina* dicant : « Camelus suo nomine Syriaco in Latinum venit. » Hebræi enim et Syri dicunt גמל *gamal,* unde Latinum et Græcum *camelus.* Priori etymo simile dat Isidorus, et ex eo Aldrovandus in *Camelo.* « Camelis, inquiunt, nomen dedit causa, quod quando onerantur, ut breviores et humiles fiant, procumbant, quia Græci χαμαὶ humile et breve dicunt. » Sic stulte humiliant se mundani, dum ad bona terrena procumbunt, eaque in dorsum suscipiunt, neglecto Deo et cœlo. Unde sic apposite dixit Christus *Matth.* XIX, 24 : « Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum. » Nam, ut ait S. Ambrosius, *serm.* 65 : « Sicut illum (camelum) parvum foramen non capit oneratum mole membrorum : ita et hunc (divitem) introitus sanctus non suscipit gravatum cumulo delictorum. Uterque habet propriam sarcinam suam : ille oneratus est carnibus, iste peccatis ; et sicut ille inhabilis est angustissimæ acus cavernæ, ita et hic inconveniens est beatissimo Dei regno; nisi quod camelum corpore compositum natura, hunc autem pravum voluntas efficit. »

Cameli etymon et symbolum.

Huc facit apologus Æsopi de camelo : « Cum primum, ait, visa est camelus, homines perterriti, et magnitudinem admirati fugiebant. Ubi vero progressu temporis cognoverunt ipsius mansuetudinem, confisi sunt eo usque, ut ad eam accederent. At intellecto paulo post belluæ non inesse bilem, eo contemptus iere, ut et frena ei imponerent, et pueris agendam traderent. » Sic infrenat homines viles dæmon et mundus, cogitque suis cupiditatibus servire, omniaque mundi onera gestare, ut omnium fiat ludibrium. Huc quoque facit apologus formicæ, philomelæ et apis, quem refert Cyrillus, lib. II *Apologorum moralium,* cap. XII, cujus titulus, *Contra eos qui alta adepti magni pendunt magna et alta :* « Cum formica tranquilla æstate, acquisitis recens alis, de terræ latibulis in liquidum aerem evolasset, in amœna densis frondibus arbore jubilantem philomelam invenit. Cui dixit : Tu quis es? At illa respondit : Sum animal volatile, sed quiete jubilo luce pacata fruens. Deinde cum apem circumvolantem vidisset, sciscitata quo tenderet, mox audivit illam discurrere per flores, ex quibus sibi pastum mellis colligeret. Quibus auditis magni pendens dominationem alarum, gaudens et grata naturæ dixit : Gratias tibi, o natura, quoniam simul de profunditate et obscuritate terrena, atque de sollicitudine congregandi, et labore portandi me ereptam, in hoc loco lucis atque florum vernantium, et animalium quiescentium, ac favi stilla fruentium constituisti. » Sed audi celsitudinis pericula quæ subjicit : « Igitur cum locus iste illam non modicum delectaret, nec ex toto eam propter alas providentia dimisisset, ab ape doceri petivit, si quæ pericula ibi essent. Quæ dixit : Plura certe, nimirum desuper spiritus procellarum, lateraliter ventorum impetus, nunc frigus, nunc æstus. Hinc ungula volucrum de rapina viventium, inde retia tensa lateraliter aranearum. Ad hoc illa respondit : Effugiam omnia juvante providentia. Verum postquam rapidissimo pede, cœli æstate transacta, mellificis eduliis deficientibus, gaudiosæ quieti hiemis tempestas successit; procella de sursum irruente, atque eam cum vento pellente, necnon frigoris extra, et famis intra pernicie ipsam circumdante; mox ex alto formica descendens, solitum cœpit effugium in antiquo territorio requirere. » Vide hic superbientis depressionem et calamitatem. « Cum itaque necessitate cogente ad dimissum latibulum accurrisset, et clausum reperisset, pulsanti ab ostiaria responsum est : Unde venis, et quid portas? Cui illa : De aere, inquit, venio, et alas mecum porto. Mox illa : Nullum, inquit, hic alatum genus habitat; et qui non secum detulit fructum, inviolabili lege hinc excluditur. Tunc desperata formica locum aereum detestans, et primum laudans, exclamavit : Cognosco certe fallacem celsitudinem lucis hujus mundi a sapientibus fugiendam, utpote quiete privatam, securitatis nesciam, hinc inde innumeris vallatam angustiis, et vitalis vacuam libertatis. Quam felix sane est illa fovea obscuritatis humilis, semper stabilis, undique tuta, dulcis amicarum sororum politia, bonorum vitalium regio quietis plena! Et sic in malis formicæ prudentia quidem reddita, vita tamen ejus per superbiam est interempta. »

Ejus humiliatio.

Apologus superbi.

Præclare S. Ambrosius, lib. *De Jacob,* cap. VIII : « Manet, ait, semper inter adversa et delectabilia perfecta virtus; neque adversa de perfectione ejus quidquam minuunt, neque delectabilia adjungunt perfectioni. » Et post nonnulla : « Perfecti enim viri est communitatem naturæ sustentare animi virtute, et ad meliora adducere, nec succumbere iis quæ plerisque terribilia et formidolosa videntur; sed quasi fortem militem gravissimorum casuum sustinere incursum, conflictus subire, et quasi providum gubernatorem navim in tempestate regere, atque occurrendo insurgentibus fluctibus, magis vitare naufragium sulcando undas, quam declinando. » Huc facit apophthegma B. Laurentii Justiniani : « Vera humi-

litas in secundis est modesta et demissa, in adversis erecta et magnanima. » Ita habet Vita ejus cap. IX.

Sicut ergo est nimia justitia, de qua dicitur *Eccle.* XVII : « Noli esse justus multum » (ubi vide nostrum Pinedam septem modos seu species nimiæ justitiæ assignantem), sic est et præpostera nimiaque humilitas. Alioqui quisque sapiens debet esse humilis in sapientia sua, scientia enim inflat : quare res mira et rara est, vir sapiens et humilis. Viri graves, teste Ribadeneira in Vita S. Patris nostri Ignatii, in Societate Jesu admirati sunt tria, sive tres rerum dissimilium combinationes, scilicet primo, tantam humilitatem conjunctam cum sapientia; secundo, tantam obedientiam cum tanta prudentia; tertio, tantam castitatem cum tanta juventute. Verum sicut omnis virtus, utpote consistens in medio duorum extremorum vitiorum, suum habet excessum et nimium, sic habet et humilitas. Sicut ergo summum jus summa est injuria, et summa sapientia summa est insipientia : sic et summa humilitas summa est vilitas. Talis est, quando filius se humiliat obeditque parenti præcipienti ut furetur, quando servus nimis humiliter obedit hero jubenti violari præcepta Ecclesiæ, quando Religiosus viliter obedit Superiori mandanti illicita. Talis est quoque cum Superior nimis se demittit, cum jactura auctoritatis, de qua S. Augustinus in *Regula*, cap. XL, et habetur 86 dist., cap. *Quando* : « Quando, ait, necessitas disciplinæ in moribus coercendis dicere vos dura verba compellit, si etiam ipsi modum vos excessisse sentitis, non a vobis exigitur, ut a vobis subditis veniam postuletis, ne apud eos, quos oportet esse subjectos, dum nimium servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas. » Occasione ergo pauperum nimis se divitibus humiliantium, profertur hæc a Siracide sententia generalis, quæ tamen multis aliis in rebus locum habet.

Moral. de humilitate. Moraliter nota, quod ait : « Humiliare Deo, » verissimum, justissimum, utilissimum et sanctissimum esse. Tum quia humilitas proprie est virtus divinæ debita majestati, ait S. Bernardus; hæc enim majestas exigit, ut nos profundissime sub ea demittendo, summe et immense, si fieri posset, eam colamus et veneremur. Unde S. Petrus, *epist.* I, cap. V, 6 : « Humiliamini, ait, sub potenti manu Dei. » Vide quæ ibi dixi. Tum quia Deus jam incarnatus humilitatem summam exemplo docuit magis quam verbo, dicens : « Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris, » *Matth.* XI, 29. Unde S. Bernardus, serm. 1 *De Nativit.* : « Quid, ait, magis indignum, quid detestandum amplius, quid gravius puniendum, quam ut videns propter te Deum parvulum factum, ultra apponat homo magnificare se super terram? Intolerabilis impudentiæ est, ut ubi sese exinanivit majestas, vermiculus infletur et intumescat. » Et S. Augustinus *Soliloq.* cap. I : « Noverim me, noverim te, ut amen te, et contemnam me. » Porro S. Anselmus, lib. *De Similit.*, cap. C et seq., septem recenset gradus humilitatis : *primus* est, culpam non occultare, sed agnoscere; *secundus* est, de ea dolere; *tertius*, eam confiteri; *quartus*, ut hoc ipsum quod confitemur, ita esse persuadeamus: tunc enim pura est confessio, si eam sequitur voluntaria persuasio ; *quintus*, ut talem se ab aliis judicari consentiat; *sextus*, ut, cum ei aliqua injuria fit, ita eam suscipiat patienter, quasi commodum sibi magnum fieret; *septimus*, non tantum tunc non murmurare, sed et vindictam Dei amare, eique gratias agere : « Tunc enim Deo grata est satisfactio, cum in ejus mente qui satisfacit, nulla manet murmuratio, sed pia jugiter fervet dilectio. »

Septem gradus humilitatis.

Porro in omni occupatione, loco et tempore summe debemus Deo animam humiliare, sed maxime in oratione. Causam dat S. Bernardus, serm. *De Quatuor orandi modis* : « Omnino oportet, inquit, orationis tempore curiam intrare cœlestem, illam utique curiam, in qua Rex regum stellato sedet solio, circumdante innumerabili et ineffabili beatorum spirituum exercitu. Unde et ipse qui viderat, quia majorem numerum non invenit : Millia, ait, millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei. Quanta ergo cum reverentia, quanto timore, quanta illuc humilitate accedere debet, a palude sua procedens et repens, ranuncula vilis? Quam tremebundus et supplex, quam denique humilis et sollicitus, et toto intentus animo, majestati gloriæ, in præsentia angelorum, in concilio justorum et congregatione, assistere poterit miser homuncio? In cunctis igitur actionibus nostris multa opus est animi vigilantia, sed præcipue in oratione. Nam licet omni hora et omni loco oculi Domini super nos speculentur, maxime tamen in oratione. Porro quamvis ubique sit Deus, in cœlo tamen orandus est, ibique orationis tempore cogitandus; ut mens nostra non oratorii tecto, non aeris spatio, non ipsa retardetur nubium densitate, juxta eam formam, quæ nobis a Christo tradita est, ubi ait : Sic orabitis : Pater noster qui es in cœlis, » etc. Unde idem, serm. 7 *in Cant.*, docet angelos assistere orantibus : « Credimus, ait, sanctos angelos astare orantibus, offerre Deo preces et vota hominum, ubi tamen sine ira et disceptatione levari puras manus perspexerint. Probat hoc angelus ita loquens ad Tobiam : Quando orabas cum lacrymis, et sepeliebas mortuos, et derelinquebas prandium, et mortuos abscondebas per diem in domo tua, et nocte sepeliebas, ego obtuli orationem tuam Domino. »

Modi quatuor orandi.

SECUNDA PARS CAPITIS,

QUÆ DOCET QUOMODO AGENDUM SIT CUM POTENTIBUS ET DIVITIBUS.

Vers. 12. Modus agendi cum principibus.

12. ADVOCATUS A POTENTIORE DISCEDE : EX HOC ENIM MAGIS TE ADVOCABIT. — Tigurina, *si te potens advocet, fac refugites ; tantoque ille te vocabit magis, ac sæpius.* Hoc enim significat Græcum πλεονάζων, quod habent Complutenses. Syrus, *accedente ad* Primus. *te divite, esto elongans ab eo.* Huic affine est illud Salomonis *Prov.* XXV, 17 : « Subtrahe pedem tuum de domo proximi tui, nequando satiatus oderit te. » « Docuit nos, ait Palacius, ut principum aulas fugiamus, quantum scilicet est ex nostra voluntate. Quid si illi nos vocant ? respondet : Discede. Ubi cave intelligas, non esse veniendum, imo parendum est eorum mandato ; nec licet ab illo discedere. Sed sensus est : Ubi advocatus a potentiore, venisti, discede quam primum liceat ab aula ; non placeat ibi consistere. Ea enim ratione magis te ille vocabit. Magis enim cupimus ea quibus caremus, quam quæ ad manum habemus ; cupimus enim semper negata. » Hinc sponsa vocata a sponso dicente *Cant.* V, 2 : « Aperi mihi, soror mea, etc., quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium, » subduxit se, prætexens : « Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa ? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos ? » Vere Livius lib. V : « Spreta, ait, in tempore gloria, interdum cumulatior redit ; » et : Certum est quod continuus aspectus magnos etiam viros, nimia satietate, minus verendos facit, quia familiaritas parit contemptum. Et Euripides in *Hippolyto :*

> Heu, heu modestia, quomodo ubique pulchrum quid,
> Et gloriam bonam inter mortales affert ?

Rursum, si peracto negotio cum principe, ob quod eo evocatus es, illico discedas, ostendes *primo*, te non ambire aulas ; *secundo*, te revereri principem ; *tertio*, te esse modestum ; *quarto*, te amare vitam privatam et silentium. Quæ omnia cum sint virtutes raræ, majorem tui amorem, admirationem et cupiditatem principi concitabunt, ut te rursus et sæpius advocet : uti Saul Davidem ab aula in suam Bethlehem regressum ad se revocavit, et Cardinalis Ostiensis cæterique crebro ad se evocabant S. Franciscum, ob ejus humilitatem, modestiam et sanctimoniam. Mire enim principibus placent humiles et sancti. Idem videre et fecere Philosophi. Lacides Cyrenæus accersitus ab Attalo rege, respondit, « imagines eminus esse spectandas, » innuens arctam assiduamque familiaritatem sæpe minuere virtutis admirationem. Ita Laertius lib. IV, cap. VIII. Diogenes Cynicus Alexandri Magni visitationem neglexit, imo despexit ; paucis enim quæ natura dabat contentus, dicebat se Alexandri gratia et donis non indigere. Quam animi celsitudinem admirans Alexander dixit : « Si non essem Alexander, vellem esse Diogenes. » Ita Laertius, Plutarchus et alii in Alexandri et Diogenis Vita. Longe celsior fuit Eliseus, qui IV *Reg.* III, 13, vocatus a Joram rege Israel idololatra : « Quid, ait, mihi et tibi est ? vade ad Prophetas patris tui, etc. Vivit Dominus exercituum, in cujus conspectu sto, quod si non vultum Josaphat regis Juda erubescerem, non attendissem quidem te, nec respexissem. Nunc autem adducite mihi psaltem, » etc. Sic S. Antonius parvi faciebat litteras Constantini Magni ad se missas, ideoque magis ab eo colebatur. Idem fecit S. Hilarion, S. Simeon Stylites, S. Macarius, cæterique Ascetæ et Anachoretæ. Scite Plutarchus censuit, « non secus agendum cum rege, quam cum rogo. » Sic salutariter virum clarissimum Hecdicium Apollinaris Sidonius hortabatur *epist.* 3, lib. III : « Actutum in patriam receptui canere festina, et assiduitatem tuam periculosæ regum familiaritati celer exime ; quorum consuetudinem spectatissimus quisque flammarum naturæ bene comparat, quæ sicut paululum a se remota illuminant, ita satis admota comburunt. »

Post recensita incommoda familiaritatis cum divite et magnate, nunc docet qua ratione cum eis agendum et versandum sit ; qua de re utilia dat præcepta. Primum est hoc. « Advocatus a potentiore discede ; » sequitur secundum :

Vers. 13. Secundus.

13. NE IMPROBUS SIS, NE IMPINGARIS : ET NE LONGE SIS AB EO, NE EAS IN OBLIVIONEM, — *q. d.* Ne improbe, id est importune (sic Virgilius I *Georg.* ait : « Labor omnia vincit improbus, » id est, assiduus, importunus, insatiabilis. Ibidem anser vocatur improbus, id est, importunus. Sic Quintilianus lib. XI, cap. ult., ait : « Perfricare frontem, et quasi improbam, » id est, inverecundam, « facere. » Et Plautus : « Improbiorem non vidi faciem mulieris »), te ingeras potentioribus, « ne impingaris, » id est, ne extrudaris et ejiciaris ; sed neque nimis te elonges ab eo, ne tui obliviscatur, ac favoris et beneficiorum ejus quibus indiges, vel quandoque indigebis, sis expers. Græce μὴ ἔμπιπτε, quod Romana vertunt, *non intrudas te, ne expellaris ; et ne longe distes, ne eas in oblivionem ;* alii vertunt, *ne irrue, ne repellaris ; et ne absistas, ne oblivioni deris ;* Tigurina, *ne ingeras te, ut ne temere* (hoc enim est ἀκρίτως, id est, sine judicio, temere) *rejiciaris ; nec rursum abscedas procul, ne oblivioni tradaris* ; Syrus, *ne appropinques, ne abjiciaris ; et ne elongeris, ne odio habearis.* Ita Alexander Magnus rogatus, « quomodo ad principem sit accedendum ? » respondit, » tan-

Improbus, id est importunus.

quam ad ignem, ut neque ad eum valde prope accedas, ne comburaris; neque longe nimis abscedas, ne frigeas, et non calefias. » Secus se res habet cum Deo; vult enim ipse, utpote optimus, nos quam proxime et frequentissime ad se accedere, nihilque tam probum quam in hoc accessu esse improbum et importunum. Ita fecit Psaltes *Psalm.* LXXII : « Ut jumentum, inquit, factus sum apud te, et ego semper tecum; » et: « Mihi autem adhærere Deo bonum est. » Vide parabolam amici ab amico media nocte postulantis panes, et ob improbitatem, id est importunitatem, suam petitionem impetrantis, qua Christus Dominus significat nostras ad Deum preces debere esse continentes et importunas, *Lucæ* XXI, 8.

Vers. 14. 14. NE RETINEAS EX ÆQUO LOQUI CUM ILLO, — *q. d.* Ne sustineas loqui cum principe, quasi par cum pari, sed quasi inferior cum superiori. Legit Noster ἰσηγορεῖσθαι, id est, *æquo loqui*; ἴσος enim est æqualis. Jam legunt εἰσηγορεῖσθαι, id est *alloqui*. Tertium. Tertium hoc est documentum agendi cum principibus. Noster Emmanuel Sa putat esse hyperbaton; verba enim esse trajecta, sicque ordinanda, *q. d.* Retine, id est, contine te, ne ex æquo loquaris cum illo, quasi æqualis cum æquali. Verum hæc dura et obscura est trajectio. Dico ergo, ne retineas, id est, ne te retentes, cum potentem alloqueris, ne in alloquio ejus diu persistas; quod illi faciunt, qui sibi in dicendo placent, et protrahunt sermonem in longum quamdiu eis libuerit. Unde Græcum μὴ ἔπεχε aliqui vertunt, *ne intende, contende, protende sermonem*; Syrus vero vertit, *ne confidas colloqui cum illo*; Tigurina autem, *ne dubites colloqui cum illo*. Græcum enim ἐπέχω multa et quasi contraria significat, scilicet retinere, exspectare, sustinere, cunctari, differre; item incumbere, immorari, applicare, admovere, obtinere, instare. Omnia hæc licet in speciem contraria inter se, recte congruunt, huicque loco adaptari possunt, *q. d.* Ne confidas, id est, ne confidenter, libere, audacter, inverecunde loquaris cum principe, quasi familiaris, et par cum pari; ideoque ne æquo loquacior retentes et prolonges sermonem cum eo : cum principibus enim adeo occupatis, qui tam multos audire debent, paucis et bene præmeditatis ac præconceptis verbis agendum est, ne cum tædio eorum auribus et tempore quis abutatur; vicissim tamen non ita retentes sermonem, ut principem quasi numen aliquod ineffabile vereare, nec alloqui audeas, quin potius ne dubita cum eo loqui; esto enim sit princeps, est tamen et homo similis tui, atque ad hoc princeps constitutus est, ut te et cæterorum subditorum querelas et postulata audiat, eisque quoad potest satisfaciat. Exemplum sit Eumenes rex, qui fratribus suis crebro dicere solebat : « Si me ut rege usi fueritis, vobis tanquam fratribus gratificabor; sin autem tanquam fratre, ego vobis ut rex. » Ita Antonius in *Melissa*, p. II, serm. 1. Ita aquila gaudet aliarum avium comitatu, quæ illam sequuntur, ut prædæ ejus sint participes; at si nimis prope accedant, indignans aquila eas invadit et necat. Ita Alexander Magnus Callisthenem sibi intimum sustulit, eo quod liberior esset et loquacior, ait Dio lib. LIX. Et Apollodorus architectus rogatus ab Adriano Imperatore, quid censeret de fabrica fani Veneris, cum ingenue diceret sibi videri minus congrue fabricatum, ab eo enecatus est, ait idem Dio. Præclare Plutarchus in *Moral.* : « Sicut, ait, in vulnere prius apparet sanguis quam plaga, et sicut prius emicat fulgur, quam tonitru audiatur : ita apud multos principes prius erumpit condemnatio quam probatio, et periit delatus priusquam coarguatur. » Unde subdit Siracides :

Quartum. NEC CREDAS MULTIS VERBIS ILLIUS (est hoc quartum monitum agendi cum principe. Causam subdit) : EX MULTA ENIM LOQUELA TENTABIT TE, ET SUBRIDENS INTERROGABIT TE DE ABSCONDITIS TUIS. — Tigurina, *multis enim sermonibus pertentabit, et quasi per risum arcana tua rimabitur*; Syrus, *ne credas multitudini sermonum ejus, quia multitudo sermonum ejus tentationes, et vexat te, donec videat finem tuum.* Solent enim principes blandiri, multaque promittere ut secreta pernoscant, præsertim contra se dicta vel facta aut facienda, ideoque multis interrogationibus quasi per risum et jocum pertentant suos. Hinc solent propinare vina, et inebriare vel exhilarare eos quorum secreta expiscari volunt; ebrii enim rogati quidvis edicunt. In vino enim veritas. Hoc est quod ait Horatius *De Arte poetica* :

Reges dicuntur magnis urgere cululli,
Et torquere mero, quem perspexisse laborant.

Ita fecit Josephus scriptor *Antiquit. Judaic.*, ut ipse de se refert in Vita sua. Rursum, « ne credas multis verbis illius, » ut amittas reverentiam, induasque libertatem et audaciam, qua ex æquo et quasi par cum pari libere loquaris. Alioqui ubi te audaciorem ipse viderit, texet tecum multa verba, per quæ tentet et exploret te quasi per risum, familiariter et jocose, ut sequitur.

Vers. 15. 15. IMMITIS ANIMUS ILLIUS CONSERVABIT VERBA TUA, ET NON PARCET DE MALITIA, ET DE VINCULIS. — Perperam quidam manuscripti verba transponunt, sicque legunt, *de absconditis tuis immitis animo illius, et conservabit* (alii, *non servabit*) *verba tua.* Vide Franciscum Lucam in Notis hic. Sensus est, *q. d.* Immitis ejus animus verba tua perpendet, et, si ex illis cognoscat aut suspicetur te aliquod crimen commisisse, vel minus ei amicum fidumque fuisse, aut aliquid contra eum machinari, non parcet te affligere et vincire, sed tradet te vinculis et torturæ. Malitia enim, Græce κάκωσις, idem est quod maleficium, sive afflictio. Græca contrarie habent, *immisericors est, dicta non servaturus, nec affligere te vincireque passurus.* Ita Tigurina, *q. d.* Promittet tibi impunitatem, imo præmia, ut libere dicas si quid contra illum di-

xeris aut feceris, vel ab aliis dictum aut factum vel faciendum scias; at ubi illa dixeris et revelaris, promissa non servabit, sed te incarcerabit et puniet acriter; Syrus, *sine misericordia reddetur retributio, et non parcet animabus* (vitæ) *multorum, q. d.* Multos quos prodideris ei adversarios, occidet, etiamsi contrarium promiserit, imo jurarit.

Moraliter Palacius: «Habent aulici, ait, ex hoc textu primum, principes id habere, quod dissimulatores sint; ut enim explorent pectus tuum, mille verborum technis id conantur. Habent secundo, quod sunt animo immiti; nam mitis longe distat a superbo, quales solent principes esse. Habent tertio, quod ut plurimum offensi non parcunt, quin offendant et lædant eum a quo se læsos arbitrantur. Interim non tales sunt omnes; sed Auctor videtur in durum principem incidisse. » Hæc Palacius. Exemplum sit Thomas Morus Angliæ Cancellarius, Henrico VIII intimus, quamdiu rex in fide et castitate perstitit; ast ubi incestas Annæ Bolenæ nuptias ambivit, Thomam dissentientem sentiens carceri inclusit, ac tandem gladio peremit. Unde hunc aulæ ludum prævidens, imo pervidens, Morus ad amicum hisce versibus de eo lusit :

Exemplum Th. Mori.

Sæpe mihi jactas faciles ut principis aures
Liber, et arbitrio ludis ut ipse tuo.
Sic inter domitos sine noxa sæpe leones
Luditur, at noxæ non sine sæpe metu.
Infremit incerta crebra indignatio causa,
Et subito mors est qui modo ludus erat.
Tuta tibi non est, ut sit secura voluptas :
Magna tibi est; mihi sit, dummodo certa, minor.

Apologus philomelæ. Huc facit apologus philomelæ et accipitris apud Hesiodum, lib. I *De Diebus et Oper.* Philomela enim capta ab accipitre rogabat ut sibi parceret, quod parva esset et canora, nec sufficiens ejus ventri implendo. Cœpit ergo suaviter canere, corde licet anxio. At accipiter : Prædam, inquit, certam habeo, illam pro incerta non dimittam. Philomelam ergo laceravit et voravit. Ita subinde faciunt suis familiaribus principes et tyranni.

16. CAVE TIBI, ET ATTENDE DILIGENTER AUDITUI TUO (quid audias, quid scilicet roget princeps) : QUONIAM CUM SUBVERSIONE TUA (id est, cum periculo subversionis tuæ) AMBULAS. — Tigurina, *fac tibi caveas, et auscultes perquam attente, quia cum ruina tua ambulas, q. d.* Ut vincula et mala jam dicta a principe tibi inferenda effugias, cave tibi, et dum quid te interrogat, noli præpropere respondere; sed prius bene perpende quid ab eo audias, quid scilicet roget, et quo fine, quoniam agis cum eo qui te fortunis, statu et vita evertere potest: quare ita responsum tuum compone et tempera, ne tibi vel aliis periculum crees. Unde explicans subdit : Vers. 16.

17. AUDIENS VERO ILLA (quibus scilicet te tentat), QUASI IN SOMNIS VIDE, ET VIGILABIS. — Τὸ *in somnis* ne referas ad *audiens, q. d.* Audito verba principis quasi in somnis, id est, æstima promissa ejus non esse veracia, sed fallacia quasi somnia. Sed refer ad *vide* et *vigilabis, q. d.* Cum audis interrogata principis, noli dormitare, et oscitanter respondere, ne verbis tuis improvide prolatis capiaris et illaquearis; sed esto similis ei qui in somnis videt aliquod grave malum vel periculum sibi imminens, ideoque illico somnum discutit et evigilat, ut illud a se propulset : ita et tu omnes vires animi advoca, et vigilanter cogita quid respondere debeas. Igitur *quasi in somnis*, id est, quasi noctu vigil attentissime et secretissime hoc ipsum considera et præmeditare. Hunc sensum exigunt Græca, quæ sic habent, *cum hæc audies in somno tuo, evigila;* Tigurina, *hæc audiens per somnum tuum, evigila* ; Syrus, *cave et esto advertens, quia cum raptoribus ambulas.* Unde Palacius : Audiens, inquit, verba principis, videaris tibi tuam perditionem, velut per somnium aspicere, quæ res faciet te vigilantem et attentum. Aut : Ut qui somno pressus est, nulli alii rei attentus est, nisi illi quam somniat, ita tu attentus esto principis verbo. Vers. 17.

TERTIA PARS CAPITIS,

QUA DOCET CONVERSANDUM CUM ÆQUALIBUS.

Vers. 18. 18. OMNI VITA TUA DILIGE DEUM, ET INVOCA ILLUM IN SALUTE TUA. — Græce *in*, vel *ad salutem tuam*, ut scilicet te salvet a quovis periculo; Tigurina, *per omnem vitam tuam ama Dominum, et eum in salutem tuam invoca.* Apposite hanc sententiam præcedentibus subjungit, quia per eam periculi jam dicti remedium efficacissimum assignat, scilicet Dei amorem et invocationem, *q. d.* Ne periculum bonorum vel vitæ incurras, cum examinaris et tentaris a principe per incautum aliquod responsum, cura ut per omnem vitam Deum diligas, eumque invoces; ipse enim se diligentes et invocantes tuetur et dirigit, ut salvi et incolumes per quævis pericula incedant; ipse linguam tuam frenabit et moderabitur; ipse verba tua ita disponet et componet, ut nullum tibi creent periculum, juxta illud : « Hominis est præparare animam, et Domini gubernare linguam,» *Prov.* XVI, 1. Aliter Palacius : « Nota secundo, inquit, illud, In salute tua, quasi dicat : Indignissimum est, nec in salute, nec in infirmitate invocare; indignum est in sola infirmitate clamare; dignissimum.

et infirmitate et in salute ardenter invocare. Nec enim in salute innumeræ nos miseriæ premere cessant, ac ideo clamare constringunt. Nota tertio, plenum est periculi, Dei in salute oblivisci, juxta tritum illud Augustini : Juste moriens obliviscitur sui, qui vivens oblitus est Dei. » Apte dilectionem jungit invocationi, quia alterutra sola non sufficit; nec enim Deus te e periculo liberabit, licet eum diligas, nisi et opem ejus invoces; aut licet eum invoces, si non et eumdem diligas. Voces enim et vota impiorum non audit Dominus, et dona iniquorum non probat Altissimus, ut dicit cap. XXXIV, 23. Hoc ergo est optimum in omni periculo, tentatione et tribulatione remedium, scilicet amare et invocare Deum, juxta illud *Psal.* CXLIV, 18 : « Prope est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate. »

Vita animæ est Deus.

Præclare S. Bernardus, *serm.* 3 inter parvos : « Sicut anima, ait, vita est corporis, ita Deus vita est animæ; et sicut corpus mortuum est quod per quinque sensus ab anima non vegetatur, ita anima mortua est, quæ per hæc Domino non humiliatur. » Idem, in *Sententiis* : « Est ergo vita animæ veritas, sensus charitas. » Et Rabanus : « Cæteris, ait, reprobatis quæ mutabilia et caduca sunt, hoc solum quod stabile et mansurum est, commendat. Hoc est, ut Deum diligas, et mandata ejus conserves, et auxilium ejus quotidie implores. Quoniam bonus est Dominus sperantibus in se, animæ quærenti illum, » *Thren.* III, 25. Quapropter causa cur tota vita diligendus sit Deus, est, quod Deus sit quasi anima et vita animæ nostræ, *Deut.* XXX, 20, ac proinde æquum est ut quod corpus præstat animæ, idipsum anima præstet Deo, et ob ejus amorem cuncta faciamus. Ita D. Thomas, opusc. 61 *De Dilect. Dei*, cap. XX, et S. Augustinus in *Medit.* cap. XXXII. Sicut ergo corpus omnes vires et nervos occupat in obsequium et conservationem animæ, a qua se vitam, sensum et motum habere non ambigit; et nihil aliud timet nisi ab anima separari, aut ab ejus amplexibus avelli : itidem faciat anima Deo; illi omnes actiones, affectus, cogitationes offerat et consecret; propter illum afflictiones, dolores et tribulationes omnes sustineat; si orat, ut illi placeat, oret; si psallit, ut eum collaudet, psallat; quidquid agit, agat ut eum colat et veneretur; nullam rem capessat vel inchoet, nisi ejus amore et reverentia. Quocirca S. Gregorius Nazianzenus, orat. *De Cura pauper.* : « Non tam sæpe, ait, respirare oportet, quam meminisse Dei. » Deus enim continuo et continenter nobis benefacit, nobisque animam et vitam jugiter inspirat et creat. Et Hugo Victorinus, lib. III *De Anima:* « Sicut nullum est momentum, quo homo non utatur ac fruatur tua bonitate et misericordia : sic nullum debet esse momentum quo te præsentem non habeat in memoria. » Cingit enim nos Deus et circumdat undique sua præsentia, operatione et essentia, velut aqua, aer, ignis, imo oceanus bonorum omnium. Unde S. Augustinus in *Confess.* lib. X, cap. XXVII, suspirat et gemit : « Sero te cognovi, pulchritudo tam antiqua, tam nova, sero te amavi. Væ tempori illi quando non amavi te. Væ mihi et iterum væ, si quando non amaverim te. Utinam potius non essem, quam essem aliquando absque te ! »

Praxis jugis præsentis Dei.

Praxin piam hujus præcepti, per modum jugis præsentiæ Dei, seraphice docet Seraphicus S. Bonaventura in *epistola* sua, qua memorabilia 25 complectitur : « Vigesimum secundum, ait, est, quod Deum semper et ubique habeas in memoria, ut solutus ab omnibus creaturis, tanto mentis conatu desideriique fervore circa tuum Creatorem intendas, ut quasi omnium inferiorum oblitus, quidquid agas, et ubicumque steteris, et quibuscumque negotiis impliceris, die ac nocte, omni momento et hora Deum semper habeas in memoria, credens et cogitans te esse verissime coram eo, et ipsum cogitans undique te aspicere. Hæc autem cogita cum magna reverentia ac timore pariter et amore, et cum magna discretione : nunc ante pedes immensæ majestatis ejus prostratus, corde amarissimo peccatorum veniam postulando; nunc sacratissimæ passionis Filii Dei gladio compassionis coram ejus cruce vulneratus, cum eo lacrymosus et flebilis apparendo; nunc totius vitæ illius decursum, obliquitati tuæ velut rectitudinis lineam proponendo; nunc inenarrabilia et immensa beneficia Dei mente pertractans, gratiarum actionibus insistendo; nunc stimulis ipsius amoris ardentissime punctus, ipsum in creaturis omnibus intuendo; nunc potentiam, nunc sapientiam, nunc bonitatem et clementiam ejus attendens, eum devotissime in suis operibus collaudando; nunc desiderio patriæ cœlestis, ad ipsam gemebundis suspiriis anhelando; nunc circa nos viscera inæstimabilis charitatis ejus aspiciens, lætabunda quadam et excessiva admiratione corde et animo in ipso deficiendo; nunc te præcipitem, nunc te fugientem, nunc te ruentem; nunc Deum te tenentem, sublevantem, retinentem et attrahentem; nunc Deum te ingratum per omnia conversantem considerans, ineffabilibus divinæ misericordiæ visceribus tibi patefactis, nimio in ea charitatis ardore te conferens, totum te fletibus resolvendo; nunc vero occultissima, profundissima et summe arcana, nimiumque stupenda judicia justitiæ ejus diligenter attendens, eum in omnibus fidelis et constans cum summo amore, ingenti quoque timore ac tremore, discretus, supplex et humilis venerando; præ omnibus autem continuam et vivam memoriam ipsius sacratissimæ passionis in animo et corde tuo ferens, ei quantum potes studeas conformari. »

Vers. 19. et 20.

19. et 20. OMNE ANIMAL DILIGIT SIMILE SIBI : SIC ET OMNIS HOMO PROXIMUM SIBI. OMNIS CARO AD SIMILEM SUI CONJUNGETUR (Græce συνάγεται, id est *conjungitur*, id est, conjungi solet : unde melius vertit Noster,

conjungetur : Hebræi enim morem et consuetudinem solent exprimere per futurum), ET (id est *sic*, similiter, pariter) OMNIS HOMO SIMILI SIBI SOCIABITUR. — Græce, *omnis caro secundum genus* (secundum speciem; Hebr. לְמִינוֹ *lemino*. Vide *Gen.* cap. I, vers. 11, 12, 21, 24) *congregatur, et vir*, id est, quisque homo, *simili sibi agglutinabitur*.

Redit ad thesin totius capitis, scilicet quemque cum æquali sibi conversari debere, non cum ditiori vel potentiori; idque probat ex simili cæterorum animalium. Omne, inquit, animal diligit et conversatur cum sibi simili, ut philomelæ cum philomelis, cycni cum cycnis, oves cum ovibus : sic et homo cum proximo suo, puta cum homine; homo enim familiaris est homini, non leoni, equo, alterive animali. Unde Syrus vertit, *ex omni carne sibi et generi suo adhæret homo*. Sicut ergo «omnis caro,» id est, omne animal, ad simile, sive congener sibi, «conjungetur,» id est, conjungi solet, sic « omnis homo simili sibi, » tum in moribus, tum in opibus, «sociabitur,» puta justus cum justo, pauper cum paupere; non autem vice versa justus cum injusto, pauper cum divite. Nam, ut ait Aristoteles, lib. VIII et IX *Moral.*, « similitudo est causa amoris; » simili enim gaudet simili. Ex adverso «dispares mores, ait Cicero, lib. *De Amicitia*, disparia studia sequuntur, quorum dissimilitudo dissociat amicitias : nec ob aliam causam ullam boni improbis, improbi bonis amici esse non possunt, nisi quod tanta est inter eos, quanta maxima esse potest, morum studiorumque distantia. » Plutarchus, tract. *De Discrim. adulatoris et amici* :

> Seni, *inquit*, senilis lingua jucundissima est,
> Pueroque puer, et mulier apta feminæ :
> Ægrotus itidem ægroto, et in malis situs
> Exercito malis placet atque congruit,

Laertius adducit et illud : « Canis cani videtur pulcherrima, bovi bos, asina asino, et sus sui. » Plato, lib. VIII *De Legibus* : « Amicum, ait, vocamus simile simili, quoad virtutem, et æquale æquali. » Huc facit illud Aristotelis, VIII *Moral.* : «Semper graculus assidet graculo.» Unde graculus græce vocatur κολοιός, a κολλάω, id est *conglutino*. Et Varro graculos Latinis inde dictos vult, quod gregatim volent : licet Quintilianus malit dictionem a graculorum voce confictam. Et illud Theocriti, *Idyll.* 9 :

> Formicæ grata est formica, cicada cicadæ :
> Accipiter placet accipitri.

Idem potiori ratione accidit in hominibus. Vide S. Chrysostomum hom. 34 in I *ad Corinth.*, ubi ostendit primum caput et fundamentum diligendi proximum, esse ipsum Adam, primum omnium parentem, et communem quam ex eo trahimus naturam humanam : licet Siracides hic similitudinem potius conditionis et morum quam naturæ spectet, eamque dicat conciliare amicitiam. Præclare Nazianzenus in *Tetrastichis* :

> Benignitatis dogma quod contractius?
> Quales apud te proximos esse expetis,
> Sis talis ipsis.

Huc facit proverbium Hebræorum quod recitat R. Juda in lib. *Musar.* : « Dixerunt, ait, sapientes nostri felicis memoriæ : Omnis avis prope genus suum habitat, et omnis homo prope similem sibi : ciconiæ enim habitant cum ciconiis, non cum aquilis; aquilæ cum aquilis, non cum ciconiis. »

Rationem a priori dat Aristoteles lib. I *Ethic.* cap. XI, et lib. VIII, cap. I et seq. : « Quoniam, ait, quod secundum naturam est, jucundum est, omniaque genera inter se conjuncta secundum naturam conjuncta sunt; idcirco ut plurimum quæ similia sunt ac genere conjuncta, jucunda sunt, ut homo homini, equus equo. » Ratio ergo est, quod qui amat simile, amat naturam suam, hoc est amat seipsum, v. g. homo amat hominem, quia amat suam naturam humanam, quam videt eamdem, non numero, sed specie in alio homine. Eadem enim specie humanitas est in omnibus hominibus, sed in singulis per differentiam individualem contracta, factaque singularis et propria. Cum ergo quilibet homo amet humanitatem in semetipso, velut suam naturam, eamdem quoque amat in alio, utpote eamdem secum, saltem specie, et consequenter suam : quare hominem habentem humanitatem amat, tanquam habentem eamdem plane naturam quam ipse habet; hoc est, tanquam alterum se. Igitur eum amat, quia amat se, suamque essentiam et naturam, cujus alter est compos et particeps : amat enim suam naturam ubicumque illa sit.

Similitudo ergo hæc, est identitas naturæ, non numerica, sed specifica : de qua proinde recte ait S. Ambrosius : « Nihil tam secundum naturam, quam amare naturæ consortem. » Idem est in similitudine qualitatis, v. g. sapientiæ, sanctitatis, etc. hæc enim similitudo, est identitas qualitatis, non numerica, sed specifica. Sapiens ergo amat sapientem, justus justum, quia sibi similem, hoc est, quia eamdem specie habet dotem et qualitatem sapientiæ et virtutis, eamdem, inquam, specie, non numero. Accedit, quod similia similibus nutriantur, conserventur, augeantur; dissimilibus vero et contrariis interimantur. Hinc animalia similia simul vadunt pabulatum, fugiunt vero dissimilia. Unde Hippocrates, lib. *De Ratione victus* : « Dissimilia, ait, in locis similibus consistere non possunt, sed non agnita vagantur; quæ vero se agnoscunt, commiscentur : siquidem concordia inter se conveniunt, discordia pugnant. Propterea hominis anima nunquam nisi in homine augetur degitve; magnorum quoque animalium similiter. » Galenus etiam lib. *de Inæqual. temp. De discrasia inæquali* : « Non homo, ait, hominem morsu perimit, neque vipera viperam, neque aspis aspidem; simile siquidem simili conveniens est atque amicum, contrarium inimicum atque molestum. »

Idipsum ad ægros et morbos extendit Hippocrates, lib. I, *Aphorism.* 1, et lib. V. Diserte Avicenna, lib. I, cap. I : « Ægritudo, ait, suo medicatur contrario, et conservatur sanitas suo simili. » Et Albertus Magnus, lib. VII, cap. II : « Omnis, ait, natura desiderat simile sibi, nisi sit omnino destituta, et deducta ad inæqualitatem et discrasiam : tunc enim desiderat contrarium ; sicut febricitans febre calida et sicca, desiderat frigidum et humidum, non quidem ut illo nutriatur, sed potius ut contrarii passionem facientis reducatur et reprimatur excessus. Secundum igitur desiderium est ad simile complexioni, et connaturalem cibum. »

Idem locum habet in herbis et plantis : palma enim gaudet palma, platanus platano, cypressus cypresso ; unde ut ramus unius arboris alteri inseratur, debet illi esse similis. Audi Columellam, lib. V *De Re rustica,* cap. XI : « Omnis, ait, surculus omni arbori inseri potest, si non est ei, cui inseritur, cortice dissimilis. Si vero etiam similem fructum, et eodem tempore affert, sine scrupulo egregie inseritur. » Subdit deinde, « antiquos veluti pro lege sanxisse, eos tantum surculos posse coalescere, qui sunt cortice et fructu consimiles iis arboribus, quibus inseruntur. »

Idem quoque verum est in loco et re locata. Nam, ut ait Aristoteles, lib. IV *De Cœlo,* textu 23 et 25 : « Locus est conservativus rei locatæ, a virtute naturali quæ est in loco : unde ferri in proprium locum, est ferri ad simile, et ad perfectionem. » Denique rationem jam datam confirmat S. Thomas, I II, *Quæst.* XXVII, art. 3, ubi hunc locum Ecclesiastici citat, ut probet similitudinem esse causam amoris. Ex hoc enim, ait, quod aliqui duo sunt similes, quasi habentes unam formam, sunt quodammodo unum in forma illa : sicut duo homines sunt unum in specie humanitatis, et duo albi in albedine ; et ideo affectus unius tendit in alterum, sicut in unum sibi, et vult ei bonum sicut et sibi.

Porro maxime amorem conciliat similitudo morum, amorum et virtutum : vide Aristotelem, lib. VIII *Ethic.* cap. VIII, ubi docet amicitiam et amicum magis consistere in eo ut amet, quam ut ametur, esto redamationem requirat : « Æqualitas, ait, et similitudo amicitia est, et præcipue ea quæ est ex virtute similitudo : cum enim stabiles per se ipsi sint, etiam inter se mutuo permanent, etc. bonorum siquidem est, neque ipsos peccare, neque amicis permittere : pravi autem firmitatem nullam habent. » Audi Rabanum : « Cum multa sint genera amicitiarum, solummodo hoc unum est genus insolubile charitatis, quod nec commendationis gratia, nec officii vel munerum magnitudo, contractusve cujusquam ratio, vel naturæ necessitas jungit, sed sola similitudo virtutum : hæc est quæ nullis unquam casibus scinditur, quam non solum dissociare vel delere locorum vel temporum intervalla non prævalent, sed ne mors quidem ipsa divellit. Hæc est vera et indisrupta dilectio, quæ gemina amicorum perfectione ac virtute concrescit. Cujus semel initum fœdus nulla adversitas mutare potest, nec desideriorum varietas violare. Cætera vero interrumpit frequenter ac dividit locorum discretio, et oblivio temporalis, et verbi, vel causæ, negotiorumque contractus. Ut enim ex diversis, vel lucri, vel libidinis, vel consanguinitatis, ac necessitudinum variarum societatibus acquiri solent : ita intercedente qualibet divortii occasione solvuntur. »

Moral. de comuni vita sectanda.

Moraliter, similitudo et parilitas actuum in congregationibus conciliat aliorum amorem et benevolentiam, singularitas vero parit odium. Quare qui in monasterio vel cœtu cupit amari, et pacifice cum ædificatione vitam degere, communem sequatur mensam, communem vestitum, communes occupationes, communia exercitia. Nam qui singulares esse et videri cupiunt, et ab aliis se sequestrant, hi omnibus sunt odiosi, hos omnes notant, omnes judicant, et novæ eorum vivendi rationi detrahunt. Vide nostrum Alvarum de Paz *De Spiritali vita,* lib. V, cap. XXXVI. Hoc innuit Siracides dicens : « Omne animal diligit simile sibi, et omnis homo proximum sibi. »

Tropologice, sicut creatura gaudet sibi simili, sic et Creator. Vis ergo placere Deo ? stude indies magis et magis ei assimilari, in ejus attributis divinis, sapientia, bonitate, justitia, puritate, integritate, sanctimonia. Qua de re vide S. Thomam, opusc. 62, quod est de divinis moribus. Vis placere Christo ? æmulare ejus humilitatem, patientiam, crucem, charitatem. Ipse enim ait : « Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde, *Matth.* XI, 29. Et Apostolus *Ephes.* V, 1 : « Estote ergo imitatores Dei, sicut filii charissimi, et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. » Hinc *secundo,* adverte, ait Palacius : « Quod Deus, quia amavit hominem, homo factus est, ut vere amaret sibi similem, ut amaret proximum, et caro carni simili conjungeretur. » *Tertio* : « Igitur si omne animal sibi simile amat, cur nos non amemus Christum nobis similem, et qui ideo similis nobis factus est, ut amaretur ? » *Quarto* : « Quomodo, o Rex altissime, voluisti nobis conjungi ? sanctus (liceat dicere) canibus : certe dives, et tam dives, tam pauperibus ? » Hæc Palacius.

Paradigma charitatis est circulus.

Appositum dilectionis Dei et proximi paradigma, Dorotheus *Doctr.* 6, assignat circulum. Sicut enim, inquit ipse, lineæ totum circulum per medium secantes, quo magis a circumferentia elongantur, eo magis centro approximant, in eoque coeunt et uniuntur : sic quo magis a mundo recedimus, eo magis accedimus ad Deum, qui est animæ nostræ centrum, in eoque magis colligimur et unimur. « Quo enim, ait, magis a Dei dilectione recedimus, eo magis et a proximi amore distamus : quantum vero Dei charitati adhæremus, tantum et proximi ; quamtumque

proximo, tantum et Deo conjungimur. » Eadem enim virtute charitatis qua diligimus Deum, diligimus et proximum propter Deum : sicut eadem visione qua videmus lumen, videmus et colorem per lumen revelatum.

Vers. 21. 21. SI COMMUNICABIT LUPUS AGNO ALIQUANDO, SIC PECCATOR JUSTO, — repete *communicabit*. Pro *si*, aliqui legunt *sicut;* Græca habent τί, id est, *quid communicet lupus cum agno?* Exemplis firmat suam thesin, *q. d.* Nequit esse communio et societas inter lupum et agnum, quia inter ea est naturalis antipathia et perpetuum dissidium, adeo ut agnus viso lupo illico fugiat, quia lupus eum persequitur, laniat et devorat : sic pariter nequit esse societas inter peccatorem et justum, quia in illo dominatur peccatum, in hoc justitia, quæ toto cœlo distant, imo sibi invicem extreme adversantur. Unde Tigurina vertit, *quale est lupo cum agno commercium, talis est ad pium scelerosi ratio* : quia sicut lupus agnum, sic impius pium odit, persequitur, detrahit, et sæpe mactat. Apposite impium comparat lupo, ob sævitiam, rapacitatem, voracitatem ; justum et pium agno ob mansuetudinem, innocentiam, continentiam, et quia similis est Christo, qui ab Isaia, Jeremia, Davide, S. Joanne, et aliis passim repræsentatur per agnum. Causas dixi *Apocal.* v, 6. Dicit itaque diviti pauperum vitam, labores et sanguinem non minus dulcescere, quam carnem agninam lupo. Tyrannus ergo lupus, et leo et hyæna est. Porro Agnus hic noster divinus tantæ potentiæ et virtutis est, ut faciat agnos tuto conversari cum lupis, imo lupos vertat in agnos, sicut Saulum mutavit in Paulum, de quo prædixerat Jacob : « Benjamin lupus rapax, mane comedet prædam, et vespere dividet spolia, » *Genes.* XLIX, 27. Hoc est portentum sæculorum omnium, quod aureo Christi ævo spectandum stupet Isaias cap. XI, 6 : « Habitabit, inquit, lupus cum agno : et pardus cum hædo accubabit : vitulus et leo et ovis simul morabuntur, et puer parvulus minabit eos. » Vide ibi dicta.

Alludit ad apologum Gabriæ (qui, ut dixi vers. 3, Platonem et Siracidem antecessit) illo ævo celebrem de lupo et agno, quem ita affert Phædrus libertus Augusti Cæsaris, lib. I, *Fabul.* 1. Ad fontem levandæ sitis causa convenerant lupus et agnus. Lupus mox jurgii causam intulit : « Cur, inquit, turbulentam fecisti mihi aquam? » Cui agnus : « Qui possim id facere, lupe, cum tu superius consistas, et aqua a te ad me profluat? » Repulsus veritate lupus : « Ante hos sex menses, ait, maledixisti mihi ; » respondit agnus : « Equidem tunc necdum natus eram. » Instat lupus : « Pater tuus maledixit mihi. » Atque ita correptum lacerat injusta nece. Affabulatio : « Sic potentes, dum nocere volunt, fictis causis innocentes opprimunt. Citat hanc lupi, ovem non ratione, sed potentia vincentis, fabulam S. Basilius, epist. 80 *ad Eustathium medicum*, quod calumniantium ipse non ratione, sed potentia superetur, cum ipse sit innocens ut agnus.

Apologus lupi et agni.

Symbolice, lupus symbolum est cupiditatis, indeque noxæ et sævitiæ ; lupus enim sævit in alia animalia, ut ea vorando suæ gulæ satisfaciat ; agnus vero, utpote sola puraque herba victitans, symbolum est societatis, indeque puritatis et innocentiæ. Nam *primo*, lupi tanta est ingluvies, ut etiamsi satur sit, si præda occurrat, illico quod comedit egerat vel evomat, ut prædam vorare possit. Sic gulonum mens non aliud sapit nisi escarum saporem : « Quorum proinde non alia est occupatio, ut ait S. Bernardus, quam ingerere, digerere, egerere, » nimirum ingerunt ut digerant, digerunt ut egerant ; comedunt ut vomant, vomunt ut comedant. An non asotia hæc porcina est et lupina? de hisce dicitur :

Lupus symbolum sævitiæ et gulæ.

Primo.

Sunt quibus in solo sapientia tota palato est.

Secundo, lupi vis adeo maligna est, ut, si equus lupi vestigia calcet, obstupescat et obtorpescat. Audi Plinium, lib. XXVIII, cap. X : « Tanta vis est animalis (lupi), ut vestigia ejus calcata equis afferant torporem. » Abortire etiam equam ferunt, si lupi vestigia contingat, teste Orosio. Quocirca Ægyptii mulierem abortientem repræsentabant per equam lupi vestigia calcantem, ut refert Pierius, lib. XI ; quæ res significat lupi naturam plane feram, malignam et indomabilem, quæ cicurari nequeat. Sic prorsus fera et indomabilis est gula et cupiditas, quæ proinde hominem se sequentem et obsequentem obstupefacit, imo torpefacit, ut videatur mente captus, nec sapiat res divinas et salutiferas, sed videatur esse lupus et brutum.

Secundo.

Tertio, remedium contra hanc lupi vim obstupefacientem sunt dentes ipsius lupi, ab ipso evulsi. Audi Plinium, lib. XXVIII, cap. XIX : « Dens lupi adalligatus infantium pavores prohibet, dentientique morbos ; quod et pellis lupina præstat ; dentes quidem eorum maximi, equis quoque adalligati, infatigabilem cursum præstare dicuntur. » Et superius : « Lupi adeps illitus vulvas mollit, dolores etiam jecoris. Carnes lupi edisse parturis prodest ; aut si incipientibus parturire sit juxta qui ederit, adeo ut etiam contra illatas noxas valeat. » Ita in malo natura posuit remedium, uti et fecit in vipera ; ex carnibus enim viperæ fit theriaca, quæ curat viperarum aspidumque morsus, ac contra venena est antidotum. Similiter gulæ remedium est, dentes illi evellere, hoc est, eam mortificare et resecare ; guloso enim adimere delicias et vina, perinde est et æque durum, ac si illi dentes evellerentur. Mortificatio gulæ ergo tollit spiritalem animæ torporem, eamque facit agilem et celerem ad omne bonum, præsertim ut multas animas lucretur et pariat Christo. Hinc a lupis et lupinis dentibus, frena equorum asperrima dicta sunt lupi et lupata, quod duritiem habeant lupinorum dentium ; et quia inæqualia sunt æque ac lupini dentes, ideoque

Tertio.

morsus eorum sit asperrimus, ait Servius. Unde Ovidius :

Asper equus duris contunditur ora lupatis,
Dum placido duros accipit ore lupos.

Hi lupi et lupati, hæc frena gulæ et cupiditatis est ipsa ejusdem mortificatio et continentia, qua quasi freno omnes animi sensus corporisque membra cohibemus, frenamus, domamus, ut ad normam rationis et virtutis incedant.

Ovis post mortem timet lupum.

Nota : Tantum est dissidium odiumque lupi et ovis, ut etiam post mortem perduret : « Nam mortuæ oves mortuum lupum timent, » ait Oppianus, lib. III *Cyneget.* Argumento sit, quod fides lupinæ et ovinæ in cithara nunquam consonant, sed semper dissonant. Ad hæc, si pulsetur tympanum factum ex pelle lupina, sonum non dabit tympanum factum ex pelle ovina, licet pulsetur, teste eodem Oppiano et Alberto Magno, lib. II, in *Lupo.* Unde impius Ziscas, dux hæreticorum in Boemia, jussit ex corio suo post mortem tympanum fieri, ut eo pulsato Catholici metu correpti in prælio diffugerent, teste Krantzio in *Wandalia,* lib. XI, cap. IX. Apposite; nam hoc ipso lupum imitatus, lupum gregis Dominici, hoc est, hæreticum, se esse professus est, juxta illud Christi : « Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, » *Matth.* VII, 15. Lusit hoc eleganter Alciatus in emblemate, cui titulus, *Vel post mortem formidolosi :*

Cætera mutescunt, coriumque silebit ovillum,
Si confecta lupi tympana pelle sonent.
Hanc membrana ovium sic exhorrescit, ut hostem
Exanimis quamvis non ferat exanimem.
Sic cute detracta Ziscas in tympana versus
Boemus potuit vincere Pontifices.

Similiter pauperem compares damæ timidæ, divitem superbum lupo vel leoni, juxta illud Martialis :

Dente timetur aper, defendunt cornua cervum :
Imbelles damæ quid nisi præda sumus ?

Ex dictis collige quanta quamque magnifica et potens sit gratia Dei et Christi nostri, quæ tam contraria inter se charitate jungit et consociat, juxta illud *Isaiæ* XI, 6 : « Habitabit lupus cum agno, et pardus cum hædo accubabit. » Fecit hoc ad litteram S. Franciscus, qui Eugubii lupum mire noxium ita cicuravit, ut is innoxius quotidie per urbem ambularet, petens annonam sibi necessariam, quam illi a civibus dandam promiserat S. Franciscus, si noxa abstineret. Fecit et S. Gerasimus (male aliqui hoc tribuunt S. Hieronymo), qui leonem docuit comitari et custodire asinum, necessaria bajulantem ad cœnobium, uti habetur in *Vitis Patr.* Fecit et S. Florentius qui ursum mansuefecit, oviumque custodiæ præfecit, uti refert S. Gregorius, lib. III *Dialog.* cap. XV.

Spiritaliter idipsum quotidie facit, dum nobiles cum plebeiis, divites cum pauperibus, principes cum subditis in eadem ecclesia ac Eucharistiæ mensa conjungit, imo lupos in agnos transmutat, dum efferos et barbaros Christi jugo subjicit, humilesque et mites quasi agnos efficit.

Mira mutatio S. Andreæ Corsini.

Memorabile est quod in Vita S. Andreæ Corsini Fæsulani Episcopi legimus. Mater enim ejus gravida sibi per somnium visa est parere lupum, qui ecclesiam ingressus, agnus evaderet. Quod paulo post rei declaravit et comprobavit eventus. Nam cum adolescens venationibus vitam ducere, arma tractare, rixas prosequi, parentes negligere, aliaque hujusmodi agere cœpisset, eumque mater increpans, quod illum a Deo precibus impetrasset, somnium prædictum ei narrasset; valde commotus, statim ecclesiam Carmelitarum ingressus, cum preces fudisset, repente quasi de lupo in agnum mutatus, in illorum Religiosorum familiam recipi humiliter petiit, et impetravit; in qua mira sanctitatis laude vixit, ac deinde creatus Episcopus Fæsulanus, sibi austerus, aliis beneficus, miraculis claruit. Hac de causa Christus dixit suis : « Ite : ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos, » ut scilicet ex lupis faciatis agnos, *Lucæ* X, 3.

Vers. 22.

22. QUÆ COMMUNICATIO SANCTO HOMINI AD CANEM? AUT QUÆ PARS DIVITI AD PAUPEREM? — Legit interpres ἁγίῳ, id est *sancto,* vel ὑγιαινῷ, id est *sano ;* jam Græca habent ὑαίνῃ, id est *hyæna.* Rursum pro *communicatio* et *pars,* græce est eadem vox εἰρήνη, id est *pax ;* unde pro *pars* Jansenius et alii censent legendum *pax.* Sic ergo habent Græca, *quæ pax hyænæ cum cane, et quæ pax diviti cum egeno ?* Tigurina, *quis consensus est inter hyænam et canem, id est, inter divitem et pauperem ?* Ita et Syrus, *quid concordiæ erit hyænæ cum cane, aut quam concordiam habebit dives cum paupere ?* Hyæna est species lupi, vel lupo affinis, quæ capitales cum cane gerit inimicitias, quia insidiatur ovibus, quas protegunt canes, uti docet Ælianus, lib. VII *Histor. animalium,* cap. XXII, et Plinius, lib. VIII, cap. XXX : « Hyænis, inquit, utramque esse naturam, et alternis annis mares, alternis feminas fieri, parere sine mare, vulgus credit, Aristoteles negat. Collum et juba continuitate spinæ porrigitur, flectique nisi circumactu totius corporis nequit. Multa præterea mira traduntur; sed maxime sermonem humanum inter pastorum stabula assimulare, nomenque alicujus addiscere, quem evocatum foras laceret. Item vomitionem hominis imitari ad sollicitandos canes, quos invadat. Ab uno animali sepulcra erui, inquisitione corporum. Feminam raro capi. Oculis mille esse varietates, colorumque mutationes. Præterea umbræ ejus contactu canes obmutescere. Sicut ergo hyæna insidiatur cani, eumque obmutescere et obstupescere facit, opprimit et

devorat : sic et dives pauperem. Plura de hyænis dixi *Habacuc* cap. I, vers. 8, *Jeremiæ* cap. XII, et alibi.

Nostræ Latinæ versionis hic est sensus : Quæ potest esse communicatio hominis sancti cum cane, id est, cum immundo, iniquo et impio? sic et quæ *pars*, id est, participatio sive communio, potest esse divitis cum paupere, *q. d.* Nulla par et æqua, sed omnis impar et iniqua. Canis enim natura sua, utpote rixosus, gulosus, impudens, fœdus, et vomitum suum resorbens, nunc æque ac lege veteri, immundum est animal, adeo ut nec pretium ejus offerre liceret Deo in templo, juxta legem *Deuter.* XXIII, 18. Hinc Judæi Gentes, ob infidelitatem et impuritatem vitæ, vocabant canes ; unde Christus : « Nolite dare sanctum canibus, » *Matth.* VII, 6. Et : « Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus, » ut scilicet miracula Judæis quasi filiis debita, faciam canibus, id est Gentilibus, qualis erat Chananæa postulans filiam possessam a dæmone liberari et sanari, *Matth.* XV, 26. Sic Diogenes vocatus est Canis et Cynicus, id est caninus, ob caninam impuritatem, impudentiam et mordacitatem. Vide de cane et immundis S. Gregorium XX *Moral.* cap. IX, et S. Ambrosium, lib. II *De Pœnit.* cap. IX, et S. Hieronymum in cap. VI *Matth.* 5.

Audi Rabanum : « Sicut, inquit, rapacitas lupi cum agni innocentia non convenit, sic avari rabies cum simplicis modestia nullo modo concordat. Quæ est enim communicatio sancto homini ad immundum pollutumque sordibus peccatorem? Quia sicut canis revertitur ad vomitum suum, ita qui iterat stultitiam suam. Itaque nulla parilitas est superbi divitis cum humilitate pauperis Christi. Ille enim ad deprehendendum semper paratus est, iste ab omnibus sæculi illecebris se abstinet ; ille proximum per elationem mentis despicit, iste adversarium suum per humilitatem patientia sustinet. Sed ille imitator diaboli factus, de sublimi in tartarum decidit ; iste vero vestigia Christi secutus, de terrenis ad cœlestia regna conscendit. » Similibus luculenter probat Paulus, fidelibus non licere inire connubia cum infidelibus, II *Corinth.* cap. VI, 14 : « Nolite, ait, jugum (conjugii) ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei vivi. » Quæ omnia a pari, imo majori, facile adaptes fugæ peccatorum. Si enim justus debet adeo fugere commercium iniquorum, multo magis ipsius peccati ; qui enim peccatum perpetrat, quantum in se est, jungit in eadem anima sua justitiam cum iniquitate, lucem cum tenebris, Christum cum dæmone, fidem cum infidelitate, templum Dei cum idolo diaboli. Simile est illud *Jerem.* cap. XXIII, 28 : « Quid paleis ad triticum? » ubi Chaldæus : « Sicut paleam a tritico, inquit, sic separo impios a justis, dicit Dominus. » Similia plura acuta habent Philosophi, ut Athenæus, lib. V : « Quid scuto et sceptro? » Stratonicus : « Aliud sceptrum, aliud plectrum. » Suidas : « Quæ specillo et gladio communio? » Item : « Quid lecytho et strophio? quid bovi et delphino? quid cani et balneo? »

Nota : Probat Siracides pauperes non debere ambire societatem divitum tribus similitudinibus. *Prima* est, sicut hyænæ non convenit cum cane, sic nec diviti cum paupere. *Secunda*, vers. seq., sicut leo venatur onagros ut devoret, sic et dives pauperem. *Tertia*, vers 24, sicut superbus abominatur humilitatem, sic et dives pauperem. Rursum conjungit et combinat duas hasce antitheses, scilicet, justi cum impio, et pauperis cum divite, quasi pauperes fere sint justi, et divites impii, juxta illud : *Omnis dives, aut iniquus, aut iniqui hæres.* Nescio enim quæ sympathia et mystica cognatio est virtuti et pietati cum paupertate et pauperibus : « Infirma enim mundi elegit Deus, » I *Corinth.* I, 27. Et : « Pauperes evangelizantur, » *Matth.* cap. XI, 5. Versa vice nescio quæ antipathia sit potentioribus et ditioribus cum ipsis pauperibus et humilibus, imo cum ipsa justitia, paupertate, humilitate et pietate, ut in illud potissimum incumbant, quomodo possint vexare, expilare et opprimere mansuetos terræ. Vide *Ezech.* XXII, 29. Hæc quoad naturam corruptam, quam multi domant et superant per gratiam et virtutem. Tres similitudines.

23. VENATIO LEONIS, ONAGER IN EREMO : SIC ET PASCUA DIVITUM SUNT PAUPERES, — *q. d.* Sicut leo venatur onagros in deserto, eosque occidit et devorat : sic et dives pascitur substantia et laboribus pauperum. Tigurina, *præda leonum onagri sunt in deserto, itidemque pascua divitum pauperes ;* Syrus, *cibus leonis onagri qui in deserto, sic pascua divitis pauperes.* Vers. 23.

Onager Græca est vox ὄναγρος, significans asinum sylvestrem : componitur ex ὄνος, id est asinus, et ἄγριος, id est sylvestris. Porro leones venantur onagros, eosque maxime appetunt ad cibum, tum quia leo, cum sit ferus, ferinam carnem, qualis est onagri, appetit, eaque illius gustui optime sapit præ cæteris feris ; tum quia onagri in desertis abundant ; tum quia onagri omnesque asini natura sunt frigidi, ideoque timidi, imbelles et debiles. Unde Virgilius III *Georg.* ait : « Timidos onagros agitare cursu. » Hac de causa natura onagris miram velocitatem et pernicitatem ad fugiendum indidit. Unde Oppianus onagris tribuit « ungulas bonas et robustas, et velocitatem vento comparandam. » Leo igitur quia audax, robustus et pugnax, dominatur onagris quasi timidis : idem quia calidus, pascitur iisdem quasi frigidis. Apposite ergo pauper quia tenuis, debilis et timidus, comparatur onagro : dives vero quia robustus, audax et pugnax, leoni. Accedit quod asinus servile sit animal, omniaque onera dorso

excipiat : sic et pauper servit diviti, omniaque ejus onera humero suo excipit. Pathetice Salvianus, lib. IV *De Gubernat. Dei* : « Venatio leonis, ait, onager in eremo, sic pascua sunt divitum pauperes : quamvis tyrannidem hanc non pauperes tantum, sed pene universitas patiatur generis humani. Quid enim aliud omnium dignitas sublimium, quam proscriptio civitatum? aut quid aliud quorumdam, quos taceo, præfectura, quam præda? Nulla siquidem major paperculorum est depopulatio, quam potestas. Ad hoc enim honor a paucis emitur, ut cunctorum vastatione solvatur. Quo quid esse indignius, quid iniquius potest? Reddunt miseri dignitatum pretia, quas non emunt : commercium nesciunt, et solutionem sciunt. Ut pauci illustrentur, mundus evertitur. » Huc facit quod Lucianus in *Menippo* lucianice ait, apud inferos sancitum esse, ut animæ opulentorum ad nos redituræ, in asinos vertantur, ut a pauperibus exagitentur, sicut ipsi dum viverent, pauperes exagitarunt. Pauperes enim solent esse agasones, et asinos stimulare; nimirum, paupertas divitiis inhiantes, velut agaso asinum, insequitur et stimulat. Quocirca divitem avarum Hieroglyphici comparant gryphi, avi fortissimæ et rapacissimæ, de qua Solinus, cap. XXV, asserit, « in Asiatica Scythia terras esse locupletes, inhabitabiles tamen : nam cum auro et gemmis affluant, gryphes tenere universa, alites ferocissimas, et ultra omnem rabiem sævientes, quarum immanitate obsistente, accessus advenis difficilis ac rarus sit. » Unde Nicolaus Reusnerus, lib. II, *Emblem.* 35 :

Emblema divitum.

Solus aves vincit cunctas qui naribus uncis,
Quem leo, quem tigris, quem pavet acer equus.

De gryphe multa fabulati sunt Poetæ : sed quid vere sint gryphes, docui *Levit.* XI, vers. 13. Hoc est quod ait Job, cap. XXIV, 4 : « Subverterunt pauperum viam, et oppresserunt pariter mansuetos terræ. » Ita subinde miseri agricolæ sunt præda nobilium et militum, miseri mechanici præda sunt causidicorum avarorum, ait Palacius. Hi enim insidiantur pauperi, ut leo in spelunca sua, *Psalm.* IX.

Tropologice, S. Ephrem in *Paænesi* 1, priorem hujus versiculi partem sic adaptat monachis : « Sicut leo, inquit, formidabilis est onagris, ita monachus contrarius esse debet desideriis malis. » Vel, ut alii legunt : « Leo formidabilis est onagris, et talem se monachus ostendat adversus desideria conscientiæ improbæ. »

Leoninum imperium quale?

Leo ergo symbolum est rapacis, violenti et tyranni. Audi S. Ambrosium, lib. V *Hexam.*, de leone : « Cujus voci tantus naturaliter inest terror, ut multa animantium quæ per celeritatem possent impetum ejus evadere, rugientis ejus sonitu velut quadam vi attonita atque icta deficiant, atque ipsi in prædam cedant. » Similis est rugitus tyranni. Audi Phavorinum apud Stobæum, *serm.* 48 : « Tyranni, inquit, vultus semper ac vox minax : si leges denuntiet, graviores pœnas intentat quam delicta promereantur : si adhortationes habeat, semper ad terrorem se componit, et nunquam sine minis loquitur, ut cives vel ea ratione exterriti acquiescant. » Audi et Senecam, lib. I *De Clementia*, cap. XXVI : « Quod istud, dii boni, malum est, occidere, sævire, delectari sono catenarum, et civium capita decidere, quocumque ventum est multum sanguinis fundere, aspectu suo terrere ac fugare? quæ alia vita esset si leones ursique regnarent? si serpentibus in nos, ac noxio cuique animanti daretur potestas? Illa rationis expertia, et a nobis immanitatis crimine damnata, abstinent suis, et tuta est etiam inter feras similitudo : apud homines tantum, nec a necessariis quidem rabies temperat sibi. »

Vers. 24. 24. ET SICUT ABOMINATIO EST SUPERBO HUMILITAS : SIC ET EXSECRATIO DIVITIS PAUPER. — Quia sicut superbus odit humilitatem, sic dives odit paupertatem; hinc consequenter aversatur et pauperem, quasi paupertate humilem, ideoque vilem et despicabilem, ac proinde nequit esse societas inter pauperem et divitem, sic nec inter superbum et humilem. Tigurina, *humilitas superbo est exsecrabilis, et item pauper abominatus diviti.* « Sensus consequentia, ait Palacius, ita explicanda erat : ut est abominatio superbo humiliari, ita diviti depauperari sive pauperem esse. At, quia Auctor maluit dicere, pauper, quam paupertas, cogimur ita exponere : Abominandum est superbo in dejectionem incidere; et exsecrandum est diviti in pauperem incurrere, quem deglubere et expilare non possit. Intellige de divite avaro esse mentionem, cui sterile pratum abominatio est. »

Vers. 25. 25. DIVES COMMOTUS CONFIRMATUR AB AMICIS SUIS : HUMILIS AUTEM CUM CECIDERIT, EXPELLETUR ET A NOTIS. — Probavit pauperi non esse familiariter versandum cum divite, tribus similitudinibus : nunc idem probat per varias dissimilitudines, quibus ostendit dissimilem et disparem esse conditionem, sive sortem, pauperis et divitis, ac proinde minus inter se convenire, minusque recte inter se componi et sociari.

Sortis pauperum et divitum differentia prima.

Prima est : « Dives commotus, » Græce σαλευόμενος, id est, agitatus, conquassatus, fluctuans, nutans, illico firmatur ab amicis, qui ei consilio et auxilio omni ope et opibus succurrunt, ut labantem erigant et confirment; at vero *humilis*, Græce ταπεινός, id est, vilis et abjectus, qualis est pauper, si in litem, carcerem, spoliationem, aliamve ærumnam vel periculum inciderit, propellitur etiam ab amicis et notis. Tigurina, *dives conquassatus confirmatur ab amicis, at labefactatus humilis ab amicis etiam propellitur.* Syrus hic est diminutus, *dives*, inquit, *cadit et impellitur in malum; et pauper cadet, et impelletur de malo in malum, q. d.* Dives si cadat, cadet in simplex malum, quia illico adsunt ei amici qui ulterius malum propulsent, imo malum præsens abigant : at pauper si

cadat, in duplex, triplex et quadruplex malum cadit, quia ab omnibus protruditur ulterius de uno in aliud, de minore in majus.

Ratio disparitatis est, quia a divite omnes sperant auxilii sui amplam mercedem, a paupere vero nullam, nisi ut cum eo malis omnibus involvantur. Id expertus Job queritur cap. XIX, 13 : « Noti mei, inquit, quasi alieni recesserunt a me, dereliquerunt me propinqui mei : et qui me noverant, obliti sunt mei. » Et David *Psalm.* IX, 19 : « Quoniam non in finem oblivio erit pauperis : patientia pauperum non peribit in finem. » Et inferius, vers. 14 : « Tibi derelictus est pauper : orphano tu eris adjutor. » Et Christus *Psalm.* XXI, 12 : « Quoniam tribulatio proxima est : quoniam non est qui adjuvet. » Vere Scholiastes Theocriti : « Ruente quivis colligit ligna arbore. » Alludit ad *Proverb.* XIX, vers. 4 : « Divitiæ addunt amicos plurimos : a paupere autem et hi, quos habuit, separantur. » Et vers. 7 : « Fratres hominis pauperis oderunt eum : insuper et amici procul recesserunt ab eo. » Huc facit illud Comici :

> **Invenit amicos hominibus pecunia :**
> **Habebo amicos, si habuero pecuniam.**

Vers. 26 et 27.

26 et 27. DIVITI DECEPTO MULTI RECUPERATORES : LOCUTUS EST SUPERBA, ET JUSTIFICAVERUNT ILLUM. HUMILIS DECEPTUS EST, INSUPER ET ARGUITUR; LOCUTUS EST SENSATE, ET NON EST DATUS EI LOCUS. — Τὸ *decepto* dupliciter accipi potest. *Primo*, de damno, *q. d.* Si dives fraude, dolo, aliave arte decipiatur, ut damnum opum vel famæ incurrat, multi sunt qui illud recuperent et sarciant : sin pauper decipiatur, nemo est qui damnum sarciat, imo vero ipse quasi imprudens aut iners arguitur, velut qui sua inertia aut imprudentia damnum hoc incurrerit. Hunc sensum exigit Latina versio. Ita Palacius : « Dives, inquit, commovetur tribulationibus : non vero ad casum venit, quia firmatur ab amicis ope et consilio, ne cadat. At miser pauper, vix fortuna eum movet, cum jam ecce ruit, notis etiam ad casum impellentibus. Secundo nota, proprium divitum esse decipi, et superba loqui. Nam cum, teste Domino, divitiæ fallaces sint, nihil mirum, si dives decipiatur. Pauper aliquando fallitur, sunt enim incertæ providentiæ nostræ; at multoties sensate loquitur de divite, quem gestor negotiorum suorum aut alius decepit. Tunc enim alii adsunt, qui resarciant, si quam dives jacturam fecit. » Hæc Palacius.

Secundo, de peccato et offensa, *q. d.* Si dives deceptus in errorem vel peccatum aliquod, sive morale, sive civile, inciderit, ut aliquid faciat vel dicat contra legem Dei, Prælati, principis aut populi, multi sunt qui errorem et peccatum hoc corrigant, excusent, tegant, defendant, eumque in integrum restituant : sin pauper offenderit, ab omnibus arguitur. Unde Complutenses vertunt, *cum dives offenderit, multi adjutores : locutus est* ἀπόῤῥητα, id est *infanda*, sive *non dicenda, et justificaverunt eum* (quasi qui recte locutus sit) : *humilis offendit, et increpaverunt eum ; locutus est intellectum, et non est datus ei locus.* Alii, *collapsi divitis multi sunt sublevatores : locutus est nefanda, et justificaverunt eum. Humilis labitur, et insuper objurgant eum ; loquitur docte, nec datus ei locus;* Tigurina, *diviti lapso multi sunt adjutores, et qui nefanda quoque loquentem justum prædicent : humilem lapsum insuper etiam increpant, nec locus datur ei si corde locutus fuerit;* Syrus, *dives loquitur, et multi adjutores ejus, et responsa ejus odiosa pro elegantibus habentur : pauper loquitur, et dicunt ei ghuck* (est interjectio contemnentis et fastidientis); *et si loquitur eleganter, non dant ei locum.* Hinc liquet offensam hic maxime locutionis et linguæ accipi, uti exponit Syrus, et patet ex eo quod sequitur : « Locutus est superba, » etc. Vere S. Gregorius, lib. IV *Moral.* cap. XXIX : « Crescit, ait, culpa favoribus nutrita; curari vulnus negligitur, quod dignum præmio laudis videtur; sic magis comprehenditur peccator, et illigatur suismet perversis consiliis. » Hoc est quod queritur Psaltes : « Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et iniquus benedicitur? » *Psal.* IX, 24.

Uterque hic sensus huic loco et Græcæ ac Latinæ versioni congruit. Græcum enim σφάλλω (unde Latinum *fallo*, quod in multas deinde linguas transiit : inde enim *fallen* Germanorum, *faillir* Gallorum, *fallare* Italorum) multa significat, nimirum seduco, decipio, aberrare facio, subverto, dejicio, noceo, supplanto, turbo, everto, pessumdo, perdo : unde σφάλμα est error, lapsus, vitium, offensa, erratum, casus, jactura, clades, calamitas; et σφαλεὶς dicitur qui accepit calamitatem, affectus clade, spe destitutus, deceptus, frustratus opinione, errore falsus; et σφαλερὸς vocatur infidus, dubius, periculosus perniciosus, lubricus, incertus, inconstans, noxius, item titubans, vacillans fallente vestigio.

Est hæc secunda antithesis sortis divitis et pauperis : pauperem enim vocat humilem, quia paupertas est occasio humilitatis, sicut opes superbiæ. Secunda.

LOCUTUS EST SENSATE, ET NON EST DATUS EI LOCUS. — Contemnitur enim sermonis prudentia, propter personæ inopiam, ait Jansenius. Quod inter cæteras mundi vanitates miratur Sapiens *Eccle.* IX, 16 : « Quomodo, inquit, sapientia pauperis contempta est, et verba ejus non sunt audita? » Hinc rursum liquet τὸ *decepta* non tantum de offensa et peccato, sed et quolibet damno, errore, deceptione accipiendum esse, *q. d.* Pauper errorem suum et deceptionem excusavit et purgavit, loquendo sensate; at non est ei datus locus, id est, non est auditus, nec receptus ejus sermo.

Notat S. Chrysostomus pauperes sæpe esse prudentiores divitibus, velut humiles superbis, justos injustis; imo idem asserit Salomon *Prov.* XXVIII, 11 : « Sapiens, inquit, sibi videtur vir dives : pauper autem prudens scrutabitur eum; » Septuaginta, Pauperes divitibus sapientiores.

condemnabit; Chaldæus, *contemnit eum;* in quem locum vide nostrum Salazar sextupliciter idipsum explicantem. Sed audi S. Chrysostomum homil. *in Psal.* IV : «Quod si Deus sinit aliquos degere in mendicitate et inopia, id facit ut animam illorum corrigat, et sapientiæ studiosiorem efficiat : sciatis enim aperte, quod divitiæ quidem sunt vitiorum et errorum ministræ, paupertas autem mater philosophiæ. Idque res ipsæ indicant quotidie, quod pauperes sint divitibus prudentiores, et sapientiæ amantiores. » Idem, hom. *De divitiis et paupertate :* « Dives, ait, sive bonus, sive malus, in pauperum conscientiis apparet. Talis eris, qualem te æstimant pauperum greges. » Nam divites non aliter justi et boni esse queunt, nisi in pauperes benefici sint : id autem experiuntur sciuntque pauperes. Ab iis ergo, non a semetipsis, suæ virtutis æstimationem petant oportet.

Vers. 28 et 29. 28 et 29. DIVES LOCUTUS EST, ET OMNES TACUERUNT, ET VERBUM EJUS USQUE AD NUBES PERDUCENT. PAUPER LOCUTUS EST, ET DICUNT : QUIS EST HIC ? ET SI OFFENDERIT, SUBVERTENT ILLUM. — Est hæc tertia antithesis sortis divitis et pauperis, quod dives multos habeat adulatores, qui ejus dicta qualiacumque silentes audiant, mirentur, laudent, et usque ad sidera extollant. Pauper vero multos habeat contemptores et reprehensores, qui ejus dicta redarguant, aut, si id nequeant, ea ob dicentis vilitatem aspernentur, dicentes : Quis est hic mendicus, qui in hoc tam nobili purpuratorum consessu loqui, imo docere audet ? sicut Christo docenti insultarunt Scribæ : « Nonne hic est fabri filius ? » *Matth.* XIII, 55. Quod si in verbo quopiam lingua aut memoria lapsus erraverit, illico eum evertere et perdere satagunt. Unde Syrus : *Dives,* inquit, *loquitur, et omnes auscultant et approbant, usque ad nubes evehunt illum. Pauper loquitur, et dicunt : Quid dicit ? et, si impingat, deturbant illum.* Vis exempla ? accipe. Herodi Agrippæ peroranti assentatores acclamarunt : « Dei voces, non hominis ; » sed illico cœlitus percussus interiit, *Actor.* cap. XII. Alexander Magnus Hammonis templum ingrediens a sacerdote salutatus est : « Salve, fili, et hanc salutationem a Deo habeas. » Cui Alexander : « Lubens, o pater, excipiam eam salutationem, et posthac lubens tuus ero filius, si mihi totius orbis imperium concesseris. » Ita Plutarchus in *Vita Alexandri.* Anaxarchus, cum Alexandrum se ob Cliti necem discruciantem videret : «Contigit justitia, inquit, quæ diis assidet ; » persuadere cupiens quidquid a rege fieret, jus fasque esse ; nam et Alexander pro deo se haberi sustinebat. Ita Plutarchus et Laertius, lib. IX, cap. X. C. Caligula pariter ut deus coli volebat ; unde quæsivit a Vitellio, an non vidisset se cum luna congredi ? Cui ille : «Solis, inquit, domine, vobis diis licet invicem videre. » Ita Dio, lib. LIX. Stratocles : « Quidquid, inquit, rex (Demetrius) jubet, id erga deos sanctum, et erga homines justum est. » Ita Plutarchus in *Demetrio.* Sapientius Sigismundus Imperator, teste Ænea Sylvio, audiens adulantem : « Diis similis es, o Imperator ; » alapam ei impegit, dicentique : « Cur me cædis, Imperator ? » respondit : « Cur me mordes, adulator ? » Vere Juvenalis, *Satyra* 3 :

Tertia.

Exempla.

Quantum quisque sua nummorum servat in arca,
Tantum habet et fidei.

Et Horatius, lib. II *Serm.*, satyr. 3 :

Omnis enim res
Divitiis paret ; quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, justus, sapiens.

Ex adverso :

Haud pondus ullum pauperum verbis inest,

ait Comicus.

Præclare S. Hieronymus in illud *Eccle.* cap. IX, 17, *Verba sapientum audiuntur in silentio :* « Quemcumque, inquit, videris in ecclesia declamatorem, et cum quodam lenocinio ac venustate verborum excitare plausus, ac risus excutere, audientes in affectum lætitiæ concitare, scito signum esse insipientiæ, tam ejus qui loquitur quam ejus qui audit ; verba enim sapientum in quiete et moderato audiuntur silentio. » Pauper ergo vocem habet demissam, et paupertate interclusam : hinc et elinguis et mutus habetur. Quod si forte hiscere audet, in eum linguas distringunt : Quis est hic ? unde illi vox ? unde lingua ? Dives vero grandisonum intonat ; bullata loquitur et sesquipedalia ; ei omnes applaudunt et adulantur. Vere Quintus Curtius, lib. VIII *De Vita Alexandri Magni :* « Perniciosa adulatio, inquit, perpetuum regum malum est, quorum opes assentatio sæpius quam hostis evertit. » Et Constantinus Magnus, teste Aurelio Victore in ejus Vita : « Adulator, inquit, est sorex et tinea palatiorum. » Et S. Chrysostomus, hom. 17 *in Epist. ad Romanos :* « Sicut pueri ludentes, inquit, ex fœno coronas invicem imponunt ; coronatum autem sæpe ejus rei ignarum, post tergum irrident : ita sane et nunc qui te in faciem prædicant, apud seipsos clanculum subsannant. »

Vers. 30. Bona est substantia, cui non est peccatum.

30. BONA EST SUBSTANTIA, CUI NON EST PECCATUM IN CONSCIENTIA : ET NEQUISSIMA PAUPERTAS IN ORE IMPII. — Græca de more concisa hæc tantum habent, *bona est substantia cui non adest peccatum, et mala paupertas in ore impii.* Bonæ enim sunt divitiæ quibus nullum inest peccatum, et mala paupertas in ore impii ; hunc enim significat Græcum ἀσεβοῦς (licet Vatablus malit legere εὐσεβοῦς, id est *pii*), *q. d.* Paupertas obstat quo minus audiantur pia piorum consilia. Syrus, *bonæ sunt divitiæ sine delictis, et mala est paupertas ad latus peccatorum,* id est vicina et conjuncta peccatis. Est figura quæ a rhetoribus vocatur correctio. Quia enim multa mala dixit de divitiis et divitibus, ac ex

adverso multa bona et pia de paupertate et pauperibus : hinc, ne quis putet divitias in se esse malas, ideoque efficere malos; paupertatem vero in se esse bonam, ideoque facere bonos, ac consequenter omnes divites esse malos, omnes vero pauperes bonos : idipsum corrigit, docetque tam divitias quam paupertatem in se esse adiaphora, id est nec bona nec mala, sed bonas esse bonis, qui iis bene utuntur; malas vero malis, qui iis ad mala abutuntur.

Primo. *Primo* ergo Rabanus sic exponit : « Bona et utilis est substantia quæ per justitiam acquiritur, et non per fraudem vel avaritiam congregatur, quia hujusmodi possessoris conscientiam doli vel malitiæ peccatum non concutit. Conturbat autem domum suam qui sectatur avaritiam, quoniam abominatio est apud Deum. »

Secundo. *Secundo* et generalius : « Bona est substantia cui non est peccatum in conscientia,» *q. d.* Bonæ sunt opes bonis, qui in conscientia carent peccato : hi enim opibus quasi instrumentis utuntur ad multa bona opera eleemosynarum; ex adverso paupertas nequissima est in ore impii, quia impius ob paupertatem murmurat, blasphemat, maledicit Deo, mentitur, pejerat, fraudat, etc. Ergo conscientia bona vel mala facit divitias et paupertatem esse bonas vel malas; igitur ipsæ in se præcise non sunt malæ, sed mala est iis utentis, imo abutentis, concupiscentia, avaritia, superbia, quæ eas et earum usum facit malum; nec etiam in se bonæ sunt, sed bona est eleemosyna vel humilitas et patientia justi, quæ utralibet bene uti novit.

Pari modo deliciæ, honores, dignitates sunt adiaphora, nec bona nec mala; sed gula, superbia, ambitio ea gulosis, superbis, ambitiosis efficit mala; temperantia vero, humilitas, modestia eadem temperantibus, humilibus, modestis efficit bona. « Igitur bonæ sunt divitiæ in homine pio, ait Palacius, ut in Abraham, Isaac, Job; sed melior paupertas in eodem homine pio, » ut in Christo et Apostolis. Paupertas vero non est mala in impio, licet ipse de ea pessime dicat. « Et quod Seneca, *epist.* 88, docet divitias non esse bonas, non admodum contradicit huic sententiæ. Vocat enim ille bonum, quod bonum habentem reddit. Auctor vero noster non dicit divitias facere bonos, sed potius quod sint bona bonis et sanctis hominibus. Igitur divitiæ non dant, sed recipiunt bonitatem. » Hæc Palacius.

Huc facit illud S. Ambrosii, lib. VIII *in Lucam* : « Divitiæ ut impedimenta improbis, ita bonis sunt adjumenta virtutis. » Et illud Aristonymi apud Maximum, *serm.* 12 : « Sicut ex his qui idem vinum biberint, alii bacchantur, alii furunt, alii tamen mitiores redduntur : sic etiam qui pares habent divitias, non tamen pariter afficiuntur. » Et illud S. Bernardi, lib. IV *De Considerat.* : « Aurum et argentum, et cætera hujusmodi, quantum ad animi bonum spectant, nec bona sunt, nec mala; usus tamen horum bonus, abusio mala, sollicitudo pejor, quæstus turpior. »

Tertio. *Tertio*, apposite sic exponas : « Bona est substantia cui non est peccatum in conscientia,» *q. d.* Bona est substantia non magna et opulenta, sed carens peccato, et sancta. Justus enim suis licet paucis contentus, ditior est injusto opulento, qui nullis opibus satiatur, juxta illud Pauli : « Est autem quæstus magnus, pietas cum sufficientia,» I *Timoth.* VI, 6. « At vero nequissima est paupertas in ore impii,» *q. d.* Impius detestatur paupertatem ut rem pessimam. Eadem ergo substantia, licet tenuis, justo erit bona, quia sufficiens et jucunda; impio vero qui tenuitatem odit, et vult luxuriari, erit pessima et molestissima. Sic sæpe in Scriptura bonum vocatur id quod gratum est, jucundum et delectabile, ut: « Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum ! » *Psal.* CXXXII, 1. Ex adverso malum, nequam et nequissimum vocatur id quod ingratum est, triste et molestum, ut : « Sufficit diei malitia, id est afflictio, sua,» *Matth.* VI, 34. Significat ergo Siracides veras et bonas, id est jucundas divitias sitas esse in bona conscientia; hæc enim semper læta est, suisque contenta. Veræ autem divitiæ sunt quæ animum satiant, eumque serenum, contentum lætumque reddunt, juxta illud Poetæ :

Quis dives ? qui nil cupit. Et quis pauper ? avarus,

Pauper est cupidus : dives, suis contentus.

qui omnia cupit, et nullis opibus saturatur : quare sicut veræ opes sitæ sunt in bona conscientia, ita vera paupertas sita est in mala conscientia, qualem habet avarus. Sic Democritus rogatus, «quomodo quis dives fieri posset ? » respondit : « Si cupiditatum pauper erit; » ac proinde, «beatus est, non dives, sed divitiis bene utens.» Rursum : «Illi qui naturalibus divitiis contenti sunt, multo beatiores sunt iis, qui, cum multa possideant, plura tamen concupiscunt; illis enim nihil deest, his plura quam possident. » Ita Maximus, *serm.* 12. Addit Stobæus Democritum dixisse : « Si divitias non expetes, pauca tibi multa videbuntur; parva enim appetentia ex inopia divites facit. » Epicurus ad Pythoclem : « Si vis, ait, te divitem facere, non pecuniæ adjiciendum, sed cupiditatibus detrahendum. » Cleanthes pariter rogatus, qua ratione quis locuples evaderet?» « Si cupiditatum, inquit, fuerit inops. » Ita Stobæus, *serm.* 92. Epictetus interrogatus, « quis inter homines esset dives?» respondit : « Cui satis est quod habet. » Socrates magnifaciendas esse divitias dixit, si lætitiam sibi conjunctam haberent. Idem rogatus « quis esset ditissimus?» «Qui paucissimis, inquit, contentus est. » Ita Antonius in *Melissa*, part. I, serm. 37, ubi et addit eum dixisse : « Satius est in paucis facultatibus continentem hilariter agere, quam in magnis infeliciter. » Alcmenes objurgatus quod, cum esset ditissimus, parce tamen viveret, respondit : « Decet eum qui multa possidet, pro ratione, non

pro libidine vivere ; » judicans noxias esse opes, nisi adsit animus iis superior, qui possit earum usum, non ex copia, sed ex necessitate moderari. Ita Plutarchus in *Lacon.*

Huic expositioni valde congruit id quod sequitur : « Cor hominis, » etc.

Mystice, Lutherus, Calvinus cæterique hæretici oderunt paupertatem Evangelicam, eamque velut superstitiosam condemnant, quia hæretici impiique sunt; cupiunt enim libere vivere, ac ventri et veneri indulgere.

Vers. 31. 31. COR HOMINIS IMMUTAT (Syrus, *alterat*) FACIEM ILLIUS, SIVE IN BONA, SIVE IN MALA, — puta sive ad hilaritatem et lætitiam, sive ad tristitiam et mœstitiam. Quam paulo ante vocavit *conscientiam*, eamdem hic vocat *cor;* alludit enim ad physicam cordis in membra et faciem actionem et influxum, *q. d.* Cor bonum et sanum physice facit faciem bonam, id est succulentam, roseam, hilarem ; ex adverso cor malum, et male sanum, facit faciem malam, id est macilentam, luridam, tristem : ita pariter, moraliter sive ethice, cor bonum, id est justum et sanctum, ideoque hilare et jucundum, facit faciem bonam, id est gravem, modestam, piam et sanctam, ideoque hilarem et jucundam. Ex adverso cor malum, id est iniquum et impium, ideoque perturbatum, anxium et triste, facit faciem sibi similem, scilicet malam, id est iniquam, incompositam, dissolutam, ideoque perturbatam, anxiam et tristem. Cor enim omnes suas passiones et affectiones transmittit in reliquum corpus, sed præsertim in faciem. Nam, ut ait Jansenius : Et si vultus volvi possit varieque fingi, tamen plerumque est index animi, in quo expressa sunt signa iracundiæ, clementiæ, hilaritatis et tristitiæ; item signa conscientiæ, ac timoris et verecundiæ.

Docet ergo Siracides veras opes et paupertatem, non tam consistere in rerum copia vel inopia, quam in cordis bonitate vel malitia, ut ille sit dives et fortunatus, qui bonum habet cor et conscientiam, quæ totum corpus, ac præsertim faciem facit bonam et hilarem, in eaque se ostendit, et ab omnibus cernitur; ille vero sit pauper et miser, qui malum habet cor et conscientiam, quæ se in totum corpus, sed præsertim in faciem diffundit, eamque efficit tetram, confusam, turbidam, anxiam, tristem. « Igitur cor, ait Palacius, est, quod tristitiam aut lætitiam etiam usque ad faciem emittit. Cor pium lætitiam et velut pietatem in faciem transfundit; cor impium impietatem etiam in facie demonstrat. Si igitur vis esse felix, cordis sit tibi cura prima. Collige hinc faciem esse vestigium cordis, vehiculum animæ, lucem præcordiorum, et, ut S. Hieronymus dixit, speculum mentis. »

Facies speculum mentis. Gnomæ.

Unde illud Senecæ in *Hercule Œtæo*, act. 2 :

Licet ipsa neges.
Vultus loquitur quodcumque tegis.

Et illud Ovidii II *Metamorph.* :

Heu, quam difficile est crimen non prodere vultu!

Hoc est quod ait Isaias cap. III, 9 : « Agnitio vultus eorum respondebit eis. »

Præclare Cicero, lib. III *De Orat.* : « Omnis, inquit, motus animi suum quemdam a natura habet vultum, et sonum, et gestum. Animi imago vultus est, indices oculi; nam hæc est una pars corporis, quæ, quot animi motus sunt, tot significationes et commutationes possit efficere. Oculi enim sunt quorum tum intentione, tum conjectu, tum hilaritate motus animorum significemus. Nam oculos natura nobis, ut equo et leoni setas, caudam, aures, ad motus animorum declarandos dedit. » Et *De Petit. consul.* : « Vultus, inquit, ac frons animi est janua, quæ significat voluntatem abditam ac retrusam. » Moraliter, quanti in bonum, et quanta felicitas sit bonæ conscientiæ, ac quanta infelicitas malæ et perversæ, multis ostendi I *Joan.* II, vers. 4, et cap. III, vers. 31. Græca nonnulla, ut Complutenses addunt, καὶ ἀγαθύνει πρόσωπον ἐν τέρψει καρδίας θάλλουσα, id est, *et bonum reddit vultum in delectatione cor virens et vigens ;* juxta illud *Prov.* XVII, 22 : « Spiritus tristis exsiccat ossa : animus vero gaudens ætatem floridam facit. »

Vers. 32. 32. VESTIGIUM CORDIS BONI, ET FACIEM BONAM DIFFICILE INVENIES, ET CUM LABORE. — Græce, *vestigium cordis in bonis* (alii vertunt, *in rebus secundis*) *est vultus hilaris ; et inventio parabolarum cogitatio*, vel, ut Romana, *cogitationes cum labore, q. d.* Signum, quod cor sit in bonis, id est in rebus prosperis, hilare et lætum, est vultus hilaris, uti jam dixi; signum vero cordis occupati, et molesta parabolarum scrutatione afflicti, est cogitatio laboriosa, quæ se vultu meditabundo, severo et tristi prodit. Unde et Latini nonnulli codices post *faciem bonam*, addunt, *et inventionem parabolarum*, itaque legendum censet Jansenius, ut Latinus respondeat Græco, sensumque esse, *q. d.* Invenies difficile et cum labore vestigium cordis boni, hoc est faciem bonam, et inventionem parabolarum, id est absconditarum sententiarum, quia utrumque non nisi exercitio virtutis et studii obtinetur, hoc est, nec virtus quæ sola solide lætificat, nec sapientia quæ mentem illuminat et exhilarat, sine labore paratur. Favet versio Tigurina, *vestigium cordis rebus secundis est vultus hilaris; alioqui recondita deprehendere laboriosæ cogitationis est;* aliter Syrus, *vestigium cordis boni facies clara* (lucida), *et pluralitas narrationum conscientia peccatorum, q. d.* Qui sibi conscius est peccati, multa fabulatur et narrat, ut peccatum tegat dissimuletque, libertatem vero præ se ferat, et lætitiam bonæ conscientiæ simulet.

Nostræ Latinæ versionis hic est sensus : *Vestigium cordis boni* per appositionem vocat faciem bonam : ex hac enim quasi ex certo vestigio licet vestigare cordis bonitatem ; quare copula *et* de

more sumitur pro *id est*, ut sensus sit, *q. d. Vestigium cordis boni*, id est, *faciem bonam*, quam jam commendavi, puta hominem, qui ex conscientiæ tranquillitate, patientia et lætitia semper sit bono, id est placido, sereno, nitido et hilari vultu, difficile est invenire, tum quia pauci sunt boni et sancti ; tum quia etiam sancti facile incidunt in peccata venialia et cordis perturbationes, ut impatientiam, iram, mœstitiam, quæ faciem malam, id est iratam vel tristem, internæ iræ, vel tristitiæ indicem efficiunt ; tum quia aliquando mali, qui malo sunt corde, præ se ferunt faciem bonam et hilarem, ut internam cordis malitiam tegant et dissimulent, uti Joab hilarem vultum ostendit Abner et Amasæ, cum eos fraudulenter occidit, II *Reg.* III, 27, et cap. XX, 9. Ex adverso Esther, cap. XV, præ se ferens hilarem vultum, texit et dissimulavit internum cordis dolorem et pavorem. Ita Rabanus.

Faciem ergo *bonam* intellige constanter jugiter que bonam, id est serenam et hilarem ; hanc enim difficile est invenire. Exemplum est in S. Antonio, qui, ut scribit S. Athanasius, jugiter erat vultu læto, adeo ut ex eo solo unus ipse inter tot millia monachorum agnosceretur ab iis qui eum non norant, nec viderant.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet quis sit beatus, nimirum eum qui cavet ne verbo aut facto labatur, quique sibi et aliis est beneficus. Unde multis insectatur sordes avaritiæ. Secundo, vers. 12, *ad hanc justitiam et beneficentiam exstimulat per memoriam mortis instantis. Quare tertio, vers.* 22, *beatum ita definit et circumscribit :* Beatus vir, qui in sapientia morabitur, et qui in justitia sua meditabitur, et in sensu cogitabit circumspectionem Dei.

1. Beatus vir, qui non est lapsus verbo ex ore suo, et non est stimulatus in tristitia delicti. 2. Felix, qui non habuit animi sui tristitiam, et non excidit a spe sua. 3. Viro cupido et tenaci sine ratione est substantia, et homini livido ad quid aurum? 4. Qui acervat ex animo suo injuste, aliis congregat, et in bonis illius alius luxuriabitur. 5. Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit? et non jucundabitur in bonis suis. 6. Qui sibi invidet, nihil est illo nequius, et hæc redditio est malitiæ illius : 7. et si bene fecerit, ignoranter, et non volens facit : et in novissimo manifestat malitiam suam. 8. Nequam est oculus lividi : et avertens faciem suam, et despiciens animam suam. 9. Insatiabilis oculus cupidi in parte iniquitatis : non satiabitur donec consumat arefaciens animam suam. 10. Oculus malus ad mala : et non satiabitur pane, sed indigens et in tristitia erit super mensam suam. 11. Fili, si habes, benefac tecum, et Deo dignas oblationes offer. 12. Memor esto quoniam mors non tardat, et testamentum inferorum, quia demonstratum est tibi : testamentum enim hujus mundi, morte morietur. 13. Ante mortem benefac amico tuo, et secundum vires tuas exporrigens da pauperi. 14. Non defrauderis a die bono, et particula boni doni non te prætereat. 15. Nonne aliis relinques dolores et labores tuos in divisione sortis? 16. Da, et accipe, et justifica animam tuam. 17. Ante obitum tuum operare justitiam : quoniam non est apud inferos invenire cibum. 18. Omnis caro sicut fœnum veterascet, et sicut folium fructificans in arbore viridi. 19. Alia generantur, et alia dejiciuntur : sic generatio carnis et sanguinis, alia finitur, et alia nascitur. 20. Omne opus corruptibile in fine deficiet : et qui illud operatur, ibit cum illo. 21. Et omne opus electum justificabitur : et qui operatur illud, honorabitur in illo. 22. Beatus vir, qui in sapientia morabitur, et qui in justitia sua meditabitur, et in sensu cogitabit circumspectionem Dei. 23. Qui excogitat vias illius in corde suo, et in absconc-

ditis suis intelligens, vadens post illam quasi investigator, et in viis illius consistens : 24. qui respicit per fenestras illius, et in januis illius audiens : 25. qui requiescit juxta domum illius, et in parietibus illius figens palum, statuet casulam suam ad manus illius, et requiescent in casula illius bona per ævum : 26. statuet filios suos sub tegmine illius, et sub ramis ejus morabitur : 27. protegetur sub tegmine illius a fervore, et in gloria ejus requiescet.

PRIMA PARS CAPITIS.

Vers. 1. 1. BEATUS VIR, QUI NON EST LAPSUS VERBO EX ORE SUO, ET NON EST STIMULATUS (Græce κατενύγη, id est pungitur, compungitur) IN TRISTITIA DELICTI. — Docuit capite præcedenti divitias et amicitiam divitum non beare pauperes; unde congrue hic subjungit quid vere hominem efficiat beatum, docetque tria esse quæ id præstent, nimirum innocentiam, beneficentiam et justitiam. Innocentiam, qua quis in omnibus dictis et factis ita est cautus et circumspectus, ut nusquam labatur; beneficentiam, qua quis suis opibus utitur ad suum et aliorum bonum ; justitiam, qua quis juste vivit, et jus tam Deo quam proximis debitum tribuit. Respicit ad vers. 30 capitis præcedentis : cum illo enim hic versus apte cohæret, eumque explicat. Quod enim ibi dixit : « Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia; » hic clarius explicat, dicens : « Beatus vir, qui non est stimulatus in tristitia delicti, » id est ob admissum delictum aliquod gravius, quo inquinetur et compungitur conscientia. Quod vero ibi dixit : « Et nequissima paupertas in ore impii, » quia scilicet ob paupertatem murmurat, hic idem clare dicit : « Beatus vir, qui non est lapsus verbo ex ore suo, » ut scilicet in paupertate existens Deo aut divitibus obmurmurans, proferret verba impatientiæ, maledica, falsa, iracunda, etc. Igitur hæc sententia licet generalis sit, et omnia delicta verborum et operum spectet, profertur tamen occasione opum et paupertatis, *q. d.* Beatus vir qui non est lapsus verbo, ut ob paupertatem proferret verba murmuris, detractionis, blasphemiæ, etc. ; beatus item qui non est stimulatus in tristitia delicti, ut scilicet non commiserit delictum avaritiæ, quo opes male pepererit, aut male dispensarit, quod animum et conscientiam ejus morderet, ac tristitia afficeret, stimularet et compungeret. De avaritia enim omnis sequens est sermo.

Tria hominem beant : innocentia, beneficentia, justitia.

Nota : Pro λύπῃ, id est *tristitia*, Complutenses legunt πλήθει, id est *multitudine* delicti ; nam nemo est in hac vita, qui aliquando delictum aliquod non committat ; sed beatus est ille qui pauca et parva duntaxat admittit, miser vero qui multa et gravia.

Rursum tristitia delicti est duplex. Prior est pœnitentia et dolor de peccato præterito : hæc pia et sancta est, ideoque peccatorem facit justum et beatum. Nam, ut ait Apostolus II *Cor.* VII, 10 : « Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. » Altera tristitia est de peccato non præterito, sed præsenti, cum scilicet peccator suis usuris et opibus, vel deliciis male partis ita adhæret, iisque ita amore affixus est, ut nolit eas dimittere ; tristatur tamen et dolet quod in ea re animam suam lædat, eamque vindictæ ac gehennæ ream efficiat.

Utraque tristitia hic accipi potest : licet enim prior sancta et beata sit, tamen infelicitatem adjunctam habet, quia peccatum, licet pœnitentia deletum sit quoad culpam, magnam tamen pœnarum catenam post se relinquit, ut infamiam, damna fortunarum, virtutum et gratiarum ; denique ipsum peccasse aliquando, magna infelicitas est. Sensus ergo est, *q. d.* Beatus est qui nullius præsentis peccati, de quo tristetur, sibi est conscius ; beatior vero est, qui nullius etiam præteriti gravioris de quo doleat, sibi est conscius ; beatissimus denique est, qui ita sedulo etiam minima delicta cavet, ut nullius etiam venialis deliberate admissi culpa eum remordeat. In prima classe sunt omnes justi et sancti ; in secunda repone S. Job, dicentem cap. XXVII, 6 : « Neque reprehendit me cor meum in vita mea ; » et Ezechiam dicentem : « Memento, quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate, et in corde perfecto, et quod placitum est coram te, fecerim. » Quin et David antequam in crimina causa Bethsabee incidisset, dicebat fidens non semel : « Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ. Non proponebam ante oculos meos rem injustam, » etc. *Psalm.* C, vers. 2 ; et : « Neque iniquitas mea, neque peccatum meum, Domine : sine iniquitate cucurri, et direxi, » *Psalm.* LVIII, 5. In tertia classe primas tenet B. Virgo, secundas uterque S. Joannes Baptista et Evangelista, S. Joseph et similes ; imo S. Bonaventura adeo innocentis fuit vitæ, ut de eo dixerit Alexander Alensis : « Hic est verus Israelita, in quo videtur Adam non peccasse. »

Quocirca Tigurina clare et universaliter vertit, *beatus vir qui lapsus ore suo non est, nec mœrore peccati cruciatur ;* alii, *nec compungitur dolore peccati ;* Syrus, *beatus vir quem non pervertit cor ejus, et non est absconditum judicium ab oculis ejus.*

Isidorus Pelusiota, lib. IV, *epist.* 101, legit : « Beatus qui non est compunctus in conscientia delicti, » sicque explicat : non quod nunquam peccarit : omnes enim pœnis obnoxii sumus; aut quod nunquam tristatus sit, sed, *q. d.* Beatus est qui non est in stuporem datus a mœrore, neque suam salutem prodidit, id quod Judæ accidit, qui suspendio sibi vitam eripuit. Sic Deus dedit Judæis spiritum compunctionis, id est stuporis, insensibilitatis, obdurationis, pertinaciæ, de quo dixi *Rom.* XI, 8. Ita Isidorus.

Moral. de lapsu linguæ.

Moraliter, disce hic quam facilis sit lapsus et quanta lubricitas linguæ. Quocirca Abbas Sisois per triginta annos non aliud precabatur, quam : « Domine Jesu Christe, protege me a lingua mea. Et usque nunc, inquit, per singulos dies corruo per ipsam, et delinquo. » Addebatque : « Peregrinatio nostra est, ut teneat homo os suum; » Abbas vero Hyperichius : « Qui linguam non retinet, inquit, nec passionum retentor erit. » Ita refertur in Vitis Patrum, lib. V, libello 4 *De Continentia*, num. 39, 44 et 49. Et num. 1, recensetur dictum Abbatis Antonii : « Linguam non continens, est stabulum sine janua. » Memorabilis fuit Abbas Pambo, qui moriens palam professus est : « In hanc horam non me pœnitet alicujus sermonis quem dixerim; et sic ad Deum recedo, ut qui nec pius quidem ac religiosus esse cœperim. » Ita Palladius in *Lausiaca*, cap. X, qui et de eo addit, « quod interrogatus de re aliqua nunquam statim responderit, sed dixerit : Nondum inveni quod respondeam. Tam considerate ex Deo dabat responsa, ut a Deo cum omni metu omnes acciperent. Dicebatur etiam hanc virtutem super magnum etiam Antonium et super omnes sanctos exercuisse, nempe ut esset in loquendo accuratus et perfectus. » Porro S. Jacobus in *Epist.* cap. III, 2 : « Si quis in verbo non offendit, inquit, hic perfectus est. » Vide ibi dicta. Vice versa S. Petrus unum verbi lapsum : « Non novi hunc hominem, » puta Christum, a se prolatum doluit, luxit et flevit per omnem vitam. Audi Isidorum Pelusiotam, lib. I, *epist.* 459 : « Charitatis tuæ quæstio ad hunc modum explicari potest : Beatus vir qui non est lapsus in lingua sua, hoc est : Beatus est ille, qui nec verborum obscœnitate ac turpitudine linguam suam commaculavit, nec cuiquam offensionis ansam per contumeliam præbuit. Et non est stimulatus in tristitia delicti, nimirum, vel pœnitentia ductus ob ea quæ inhoneste ac fœde locutus est, vel quod aliquem contumeliosis verbis offenderit, at propterea dolore atque animi compunctione opus habuerit. Optabilior est enim lapsus a pavimento quam a lingua. Multi quippe, cum cecidissent, resurrexerunt; ob prolatum autem sermonem interierunt. » Lyranus aliter accipit tristitiam delicti, scilicet pro tristitia nimiæ taciturnitatis, quæ est delictum : sicut enim priori hemistichio, inquit, taxavit nimiam loquacitatem, qua quis labitur verbo : sic hoc posteriore taxat vitiosam taciturnitatem, qua quis tacet illud quod dicere tenetur. Dicitur enim delictum quasi derelictum, per quod intelligitur peccatum omissionis, tacendo quod debet dici, de quo debet homo per pœnitentiam tristari. Hæc Lyranus, verum subtilius quam solidius. Græce enim est ἁμαρτιῶν, id est peccatorum, quæ tam commissionis sunt, quam omissionis.

2. FELIX QUI NON HABUIT ANIMI SUI TRISTITIAM, ET NON EXCIDIT A SPE SUA. — *Primo*, Rabanus, Lyranus, Palacius et alii accipiunt hæc generatim de qualibet tristitia; hæc enim facit hominem melancholicum, mœstum et miserum. Unde Ecclesiastes, cap. III, vers. 12, quo hic alludit Ecclesiasticus : « Cognovi, inquit, quod non esset melius nisi lætari, et facere bene in vita sua, » *q. d.* Beatitudo hujus vitæ sita est in bene agendo et lætando; ac posterius sequitur ex priori : qui enim bene agit, semper est lætus. Unde Rabanus sic explicat : « Felix, inquit, qui in præsentis vitæ adversitatibus non contristatur, sed agonem suum Domino commendat, sperans ab ipso in futura vita mercedem laboris sui. » Et Lyranus : Excludit, inquit, acediam, quæ est impedimentum virtutis et servitii divini, redditque hominem tristem et ponderosum ad opera bona, per quæ quis ornatur ad Deum, *q. d.* Felix est qui non habuit animi sui tristitiam, scilicet in bonis operibus exsequendis, et non excidit a spe sua, quæ est certa exspectatio beatitudinis, a qua spe facit acedia decidere. Vers. 2.

Tristitiæ schema.

Egregie tristitiæ malum pingit S. Chrysostomus, epist. 7 *ad Olympiad.* : « Tristitia, inquit, animarum crudele tormentum est, dolor quidam inexplicabilis, et judicium omni judicio vindictaque deterius; nam et vermi similis est venenato, non solum carnem, sed et animam ipsam perimens; et tinea, non solum ad ossa, sed ad corda pertingens; et perpetuus quidam carnifex, non animam dilanians, sed vires animæ consumens; et jugis nox, et tenebræ profundæ, et tempestas, et turbo; febris non apparens, omni igne validius incendens; et pugna requiem non habens; et languor plurimos obscurans videntium : non enim noctis tenebræ tales sunt, qualis nox mœroris existit, non quidem veniens ex lege naturæ, sed ex cogitationum obscuritate collecta, faciem omni tyranno crudeliorem præferens, nulli facile obtemperans eorum qui eam dissolvere moliuntur. »

Diffidentia.

Secundo, alii per *tristitiam* accipiunt diffidentiam, spei, de qua sequitur, oppositam, sicque prius hemistichium posteriori plane congruit. Unde Tigurina vertit, *beatus qui non despondet animum, et spe sua in Domino sita non excidit;* et Glossa interlinealis, *felix qui non habuit animi sui tristitiam, id est,* inquit, *qui in adversitate animo non frangitur, ut desperet; et non excidit a spe sua, id est, ab operibus bonis, pro quibus speranda sunt æterna præmia.*

Ratio a priori est, quod tristitia sit causa diffi-

dentiæ, diffidentia desperationis. Audi S. Gregorium XXXI *Moral.* 17 : « De tristitia, inquit, malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa præcepta, vagatio mentis erga illicita nascitur. » Et D. Thomas, II II, *Quæst.* 20, art. 4, indagans causam desperationis : « Ad hoc, inquit, quod aliquis bonum arduum non æstimet ut possibile sibi adipisci per se, vel per alium, perducitur ex nimia dejectione; quæ quando in affectu hominis dominatur, videtur ei quod nunquam possit ad aliquod bonum relevari; et quia acedia est tristitia quædam dejectiva spiritus, ideo per hunc modum desperatio ex acedia generatur. » Hæc D. Thomas. Est enim tristitia velut pelagus quoddam, in quod si quis incidat, absorbetur, ita ut portum invenire desperet. Sic S. Paulus, II *Cor.* II, 6, 7 : « Sufficit illi, ait, qui ejusmodi est, objurgatio hæc quæ fit a pluribus, ita ut e contrario magis donetis et consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur. »

Tertio, Græca sic habent, *beatus quem non condemnavit anima sua, et qui non cecidit a spe sua, quæ est in Domino;* et Syrus, *beatus vir quem non condemnavit anima sua, et non irrita fuerunt omnia opera ejus.* Græco et Syro ergo adaptanda est nostra Latina versio, hoc modo, *beatus qui non habuit animæ suæ tristitiam*, scilicet delicti, vel de delicto, uti dixit vers. 1 : ad illum enim se refert. Repetit enim et confirmat id quod ibidem dixit, *q. d.* Beatus et felix, adeoque terque quaterque beatus est, quem non condemnat anima, nec de delicto aliquo graviore contristat, remordet, angit et affligit; ideoque non excidit a spe sua quam habet in Domino, quod scilicet beatitudine et gloria æterna eum donabit : hanc enim promisit iis qui se a delictis puros sanctosque conservant.

Ubi nota : Τὸ *non excidit a spe sua* dupliciter accipi potest : *primo*, ut sit effectus ejus quod præcessit, *q. d.* Beatus qui delicti sibi, ob quod tristetur, non est conscius; merces enim et effectus hujus suæ custodiæ et innocentiæ erit, quod non excidet a spe sua, sed gloriam speratam et innocentibus promissam certo adipiscetur. Sic spes sumitur metonymice pro re et gloria sperata; *secundo*, proprie, *q. d.* Beatus quem non condemnat anima de peccato, ideoque non excidit a spe, id est, non perdidit spem, non desperat de salute. Unde Lucius Papa, *epist.* 1, pro *non excidit a spe*, legit, *non abscedit a spe.* Nam, ut ait S. Augustinus, præfat. *in Psal.* XXXI : « Quomodo mala conscientia tota in desperatione est, sic bona conscientia tota in spe. Et erunt tria hæc de quibus dixit Apostolus I *Corinth.* XIII : Fides, spes, charitas. Et alio loco ipsa tria : Finis, inquit, præcepti est charitas, de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta; sed pro spe conscientiam posuit. Ille enim sperat, qui bonam conscientiam gerit; quem vero pungit mala conscientia, retrahit a spe, et non sibi sperat nisi damnationem : ut ergo speret regnum, habeat bonam conscientiam; et ut habeat bonam conscientiam, credat et operetur : quia quod credit, fidei est; quod operatur, charitatis. »

Moraliter nota idem esse : « Felix qui non habuit animi sui tristitiam; » et : « Beatus quem non condemnat anima sua, » ut habet Græcus, quia scilicet ille solus veram habet tristitiam, quem anima de peccato condemnat. Nam, ut docet S. Chrysostomus homil. 5 *ad Popul.*, et Cassianus, lib. IX *De Instit. renunt.* cap. X, de nulla re alia tristandum est, nisi tantum de peccato, et ob hoc abolendum duntaxat a natura et Deo nobis inditus est tristitiæ affectus. Cæteræ enim res omnes bonæ sunt; peccatum vero purum putum malum est, quod omnium et æternorum malorum est causa. Verba S. Chrysostomi et Cassiani recitavi II *Cor.* VII, vers. 9 et 10.

Et hac ratione tres expositiones jam datæ eodem recidunt, significantque beatum esse qui non peccat; in hunc enim cadere nequit tristitia nec desperatio, ut a spe et lætitia excidat. Vis ergo semper gaudere? semper bene agito; vis semper esse in læta spe salutis? semper bonam habeto conscientiam, uti paulo ante dixi ex Ecclesiaste. Vide S. Bernardum *De Interiori domo*, cap. XLV : « Vis, inquit, nunquam esse tristis? Bene vive. Bona vita semper gaudium habet, conscientia rei semper in pœna est. » Hæ ergo sunt tres fidelium charites, quæ quasi sorores ubique se comitantur, ut ubi una est, ibi sint et reliquæ duæ, nimirum innocentia sive sanctitas, lætitia et spes; sicut ex adverso tres furiæ sunt, peccatum sive mala conscientia, tristitia et desperatio, quæ se invicem comitantur, ut ubi est mala conscientia, ibi sit et tristitia ac desperatio. Tristitiæ remedium est bona conscientia.

Rursum nota beatum dici, qui non excidit a spe, id est, qui habet retinetque spem. Spes ergo est beatitudo hujus vitæ, tum quia in hac vita non habemus rem, puta gloriam, sed ejus spem; tum quia hæc spes ducit ad gloriam, unde ait Apostolus : « Spe enim salvi facti sumus, » *Rom.* 8, 24. Et Psaltes, *Psal.* II, vers. 13 : « Beati omnes qui confidunt in eo. » Rursum Apostolus *Hebr.* X, 35 : « Nolite, inquit, amittere confidentiam, quæ magnam habet remunerationem. » Et *Proverb.* XVI, 20 : « Qui sperat in Domino, beatus est. » Hoc est quod ait S. Joannes, *epist.* I, cap. III, 21, 22 : « Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum : et quidquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata ejus custodimus, et ea, quæ sunt placita coram eo, facimus. »

3. VIRO CUPIDO ET TENACI SINE RATIONE EST SUBSTANTIA, ET HOMINI LIVIDO, AD QUID AURUM? — *q. d.* Avarus frustra habet opes, cum eis non utatur, et homo lividus, id est invidus, puta avarus, frustra habet aurum, quia illud in arca recondit et sepelit. Avarum vocat invidum, quia ipse ut opes integras, earumque dominium sibi conservet, Vers. 3

earumdem usum et fructum aliis invidet. Unde videmus avaros in mensa livore et dolore affici et affligi, si v. g. ex caseo rariore et pretiosiore conviva aliquis majorem, quam ejus tenacitas patiatur, partem præscindat. Ita enim hoc sentit et affligitur, ac si tantumdem ex corpore et carne ejus præscinderes; quia scilicet hoc præscindis ex ejus avaritia, illique hoc adimis, quam ita sibi incorporavit, ut ipsa videatur esse ejus anima et vita.

Apposite a beato qui spem reponit in Deo, per antithesin descendit ad avarum, qui spem reponit in mammona et auro, *q. d.* Beatus qui cavens a peccato servit Deo, in eoque spem reponit : quare beatus non est avarus, qui servit speratque in auro, non in Deo. Totum enim hoc caput est avarorum et avaritiæ exagitatio. Græca majorem habent emphasim Ἀνδρὶ μικρολόγῳ οὐ καλὸς ὁ πλοῦτος, καὶ ἀνδρὶ βασκάνῳ ἵνα τι χρήματα, id est, ut Romana, *viro minute rationes subducenti* (parco, sordido) *non est pulchra substantia, et homini livido ad quid pecunia? q. d.* Parcum et avarum non decet, non congruit, non ornat substantia; quia nescit ea uti, nec tam illam possidet, quam ab illa possidetur : unde vere eam non habet, sed habet eam arca aut terra in quam eam defodit; et homini avaritia livido quo fine et fructu χρήματα, id est opes? *q. d.* Nullo : χρήματα enim græce dicuntur a χρῆσθαι, id est, ab utendo, quod eis ad suum aliorumve usum et commodum utendum sit; sicut opes latine dicuntur ab ope et opitulando, quod opitulentur et opem ferant indigentiæ propriæ et alienæ. Avaro ergo χρήματα non sunt χρήματα, sed ἄχρηστα, quia non sunt usui, sed otio et abusui; nec sunt opes, sed mentis inopia, quia eis ad suam aliorumque opem uti non audet : unde earum est inops, perinde ac si eas non haberet. Avaro enim tam deest quod habet, quam quod non habet. Eidem substantia non est substantia, quia neminem subsistere facit, nullius vitam sustentat. Bonum est sui diffusivum. Si avarus opes non diffundit, facit ut bona quæ habet, bona non sint. Quocirca Tigurina vertit, *viro sordido non sunt ornamento divitiæ, et quorsum pecuniæ homini invido? Pecunia* enim dicitur a pecore, quod ovis vel bovis imagine insculpta olim fuerit : pecus autem omne homini servit, vel pro eo arando, vel eum sua carne pascendo, vel sua lana et pelle vestiendo, etc. unde et *jumentum* dicitur, quod hominem juvet. Pecunia ergo avari frustra pecore insculpitur, cum nullum juvet, ac proinde vere pecunia illi non est. Quocirca Comicus avaros vocat mulos et asinos, qui aurum dorso gestant, eoque onerantur, sed eo non fruuntur. Alii, *virum sordidum non decent divitiæ, et homini avaro quorsum pecunia?* Syrus, *cordi parco non expediunt divitiæ, et viro cujus pravus est oculus, non expedit pecunia.*

Opes ab ope quam afferunt.

Pecuniæ origo et etymon.

Antistropha hisce est sententia Senecæ in *Proverbiis*, littera *A* : « Avarus nisi cum moritur, nil recte facit; » moriens enim relinquit opes aliis melius usuris. « Avarus ipse miseriæ causa est suæ. Avaro quid mali optes, nisi ut vivat diu? » Et littera *P* : « Pecuniæ imperare oportet, non servire. Pecunia, si uti scias, ancilla est; si nescias, domina est. Pecunia non satiat avarum, sed irritat. Quæ sunt maximæ divitiæ? non desiderare divitias. Quis plurimum habet? is qui minimum cupit. Inopiæ pauca desunt, avaritiæ omnia. » Et illa Biantis apud Laertium, lib. IV, cap. VII : « Avarus facultates suas non possidet, sed ipsum possident facultates. Avarus suarum rerum curam habet, quasi essent propriæ : rursum ex iisdem nihil capit utilitatis, quasi essent alienæ. » Et illa Democriti : « Avarus non possidet, sed possidetur a divitiis, quarum non tantum servus, sed et mancipium est. » Ita Maximus, *serm.* 12. Hæc enim sunt Ethicæ naturalis dogmata, quæ tum a lumine naturæ, tum a Salomone et Siracide didicerunt Plato et Philosophi.

contra avaros.

Nota : Avarus recte vocatur *lividus*, id est invidus, et avaritia invidia, quia ita avarum arctat curis, et dolore exedit ac emaciat, ut eum non tantum animo, sed et corpore vultuque lividum et pallidum efficiat, quin et livorem palloremque hunc auro, ut ita dicam, afflet. Unde Philosophus rogatus, « cur aurum palleret, » respondit : « Præ metu, quia omnes ei insidiantur. » Avarus ergo pallet ex invidia, aurum ex metu, sed invidia avari hujus metus est causa. Livido ergo ad quid aurum? nisi ut illud sibi simile lividum, luridum pallidumque efficiat. Præclare Martialis, lib. I :

Avarus est invidus. Cur?

Omnibus invideas, livide, nemo tibi.

Et :

Ecce iterum nigros corrodit lividus ungues.

Et Ovidius, lib. III *De Ponto* :

Livor, iners vitium, mores non exit in altos,
Utque latens ima vipera serpit humo.

Idem, lib. I *De Rem. amor.*

Summa petit livor, perflant altissima venti,
Summa petunt dextra fulmina missa Jovis.

Moraliter est hic locus insignis de vanitate stulta avarorum, quam multis rationibus clare depingit et oculis spectandam subjicit Siracides. *Prima* est hoc versu, quod avari frustra habeant aurum, cum eo uti non audeant; *secunda*, vers. seq., quod aliis dissipaturis illud magno labore et angore congregent; *tertia*, vers. 5, quod sibi sint nequam et injurii, dum non audent jucundari et frui suis bonis; *quarta*, quod « si avarus benefecerit, ignoranter et non volens facit : et in novissimo manifestat malitiam suam; » *quinta*, vers 9, quod avari cupiditas sit insatiabilis. Nec expleatur « donec consumat arefaciens animam suam; » *sexta*, vers. 10, quod non satietur « pane, sed indi-

Decem stultitiæ avari.

Prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Sexta.

Gnomæ

gens et in tristitia sit super mensam suam; » Septima. *septima*, vers. 12, quod cito morietur, cum ipse Octava. congreget opes quasi semper victurus; *octava*, vers. 17, quia se privat merito et mercede eleemosynæ, dum in morte invitus cogitur opes relinquere hæredibus, sæpe obliviosis et ingratis; Nona. *nona*, vers. 21, quod privet se honore liberalitatis, Decima. et infamet se per probrum avaritiæ; *decima*, vers. 25, quod privet se Dei beneficentia, tum in hac vita, tum in futura per omnem æternitatem: Deus enim beneficis est beneficus, avaris vero et maleficis avarus et maleficus.

Avarus similis monedulæ. Quocirca avari typus est avis monedula, ita dicta quod monetam, puta nummos, furetur et abscondat. Unde Plinius, lib. X, cap. XXIX: «Insubrium tractu, inquit, examina graculorum monedularumque, cui soli avi furacitas auri argentique præcipue mira est.» Et Cicero *Pro Flacco*: « Non plus aurum tibi, quam monedulæ committebant.» Et Ovidius, lib. VII *Metamorph.*, fingit Arnen conversam in monedulam, quod auro corrupta Athenas hostibus prodidisset. Rursum avari sunt gryphes, qui, ut ait Cassiodorus, lib. IX *Variar.*, feruntur « aurum jugiter effodere, atque ejus inspectione gaudere.» Quocirca Dionysius Tyrannus, cum apud filium multa ex auro vasa invenisset, indignans: « In te, inquit, non est animus regius, qui his poculis, quæ a me tam multa accepisti, neminem tibi amicum feceris.» Ita Plutarchus, in *Apophthegmatibus regum*. Præclare S. Chrysostomus, homil. 2 *ad Popul.*: « Avarus, inquit, custos est, non dominus pecuniarum; servus, non possessor: facilius enim alicui de propriis carnibus, quam ex defosso auro communicaret; a suis tanquam ab alienis abstinet, quippe sunt aliena: quæ enim aliis erogare nunquam pateretur, neque in necessariis impendere, etiamsi infinitas sustineret pœnas, quomodo hæc esse propria putaret?» Idem, *hom.* 50: « Nullum, inquit, inde emolumentum, nullas opes consequuntur, sed periculo magno atque detrimento suo aliis laborant, nihil prorsus de sudore, de labore et morte, quam plerumque obeunt, ad fructum suum convertentes.»

Vers. 4. 4. QUI ACERVAT EX ANIMO SUO (id est, qui subtrahit animo suo, id est, suo desiderio, suæ fami, puta sibi) INJUSTE, ALIIS CONGREGAT, ET IN BONIS ILLIUS ALIUS LUXURIABITUR. — Græce τρυφήσουσιν, id est deliciabuntur, voluptuabuntur, luxu diffluent alii. Porro qui acervat ex animo, vel, ut græce est, *ex anima*, est qui animam suam et genium defraudat, parce et sordide vivendo, ut opes corradat: sic enim habent Græca, ὁ συνάγων ἀπὸ τῆς ψυχῆς αὐτοῦ, συνάγει ἄλλοις, id est, *qui acervat ex anima sua, aliis asservat*; vel, *qui congregat ex anima sua* (id est, subtrahens animæ suæ), *aliis congregat*; Tigurina, *qui defraudando genio suo, comparcit aliis*; Syrus, *qui sibi ipsi subtrahit, congregat aliis, et in bonis ejus lætabitur extraneus*. Nota: Τὸ *injuste* non est in Græco nec Syro, sed apposite additur; significat enim avarum sibi esse injurium, dum corpus suo jure, id est, alimonia, rebusque ad vitam necessariis, defraudat: quod subinde est peccatum, etiam mortale. Aliter explicat Palacius, *q. d.* Qui ex animo, id est ex affectu, acervandi acervat injuste, hic juste a Deo punietur, ut non sibi sed aliis acervet.

Est hæc secunda vanitas et stultitia, adeoque congrua avarorum pœna, eaque triplex. Nam *primo*, avarus usum opum subtrahit suæ animæ, itaque tortor et carnifex est animæ suæ, dum præ avaritia cogit eam sitire, esurire, frigere, æstuare, sudare: quod si hæc Dei causa subiret, multum utique apud eum mereretur; jam quia ob avaritiam ea subit, adeo non meretur, ut demereatur, ac novas hujus vitæ et futuræ pœnas sibi accersat. *Secundo*, avarus vult sibi congregare; at revera non sibi, sed aliis thesaurizat. *Tertio*, alii luxuriose et prodige opes tanto labore et angore ab eo partas consument et dilapidabunt. Quod si id fiat eo vivente et vidente, uti non raro fit, utique hæc ingens ei est crux et afflictio.

Quocirca Democritus, teste Maximo, *serm.* 12, dicebat «avaros suarum opum non esse dominos, sed procuratores,» qui eas aliis usuris, imo abusuris, curant et procurant. Diogenes in Anaximenem: « An non pudet, inquit, eum tam multa habere, qui seipsum non habet?» Avarus enim quasi extra seipsum est, quia cor habet in auro, mentem in ære, non in æthere. Ita Maximus ibidem. Additque Platonem dicere solitum, «eos qui corpus curarent, non rem quidem suam, sed seipsos curare: qui autem pecunias, neque seipsos, neque sua, sed quam longissime a suis abesse.» Addit idem, Demosthenem, cum avarum vita functum ad sepulturam ferri videret, dixisse: « Iste cum vitam vitalem non vixerit, aliis vitam reliquit.» Lusit in voce Græca: βίος enim et vitam et victum significat *q. d.* Hic avarus victu se fraudavit, ut hæredibus ex victu vitam relinqueret.

Memorabile est quod scribit Hugo, Rhemis usurarium nummos suos anxie numerantem, ut videret num omnes forent, ne quis quid ex eis decerpsisset, audisse vocem de nummis prodeuntem: « Omnes hic sumus, sed cum Gualthero Budello (id est asinario: *baudet* enim Gallis asinum significat) erimus:» ac paulo post defunctum, uxorem cum opibus reliquisse Gualthero, qui instar asini iisdem luxuriatus est.

Vers. 5. 5. QUI SIBI NEQUAM EST, CUI ALII BONUS, (id est, commodus, utilis, beneficus) ERIT? ET NON JUCUNDABITUR IN BONIS SUIS. — Græce, ἐν χρήμασι, id est *in pecuniis suis*. Duplex hic est sensus. Prior, ait Palacius, *q. d.* « Qui sibi nequam, id est parcus, sordidus, avarus, injurius, maleficus est, cum non jucundetur, neque voluptatem capiat ex bonis suis, quomodo, jucunditatem aliis dabit, quam scilicet sibi negat?» Posterior est: « Qui sibi parcus est, nulli largus erit, et in pœnam tantæ culpæ faciet Deus ne jucunditatem ille capiat ex bo-

nis suis, ut scilicet aut ea amittat; aut, si non amiserit, habeat in tormentum et curam, non in voluptatem aut remedium. » Priori sensui favet versio Tigurina, *qui sibi malignus est, cui benignus sit, cum nihil jucundi de bonis suis percipiat?* Posteriori favet Syriaca, *qui malus est animæ suæ* (id est sibi ipsi) *cui benefacit? et non possidebit bona sua.*

Tertia, est hæc vanitas et stultitia avarorum, quod sibi ipsis sint maligni et malefici, ideoque incapaces se faciant ut in alios sint benigni et benefici : unde colligendum relinquit, quod avarus nullum bonum, nec honestum, nec utile, nec jucundum ex bonis suis percipiat, ac proinde frustra ea habeat, perinde ac si non haberet. Hoc verum est in bonis temporalibus, sed verius in spiritualibus, juxta illud Christi : « Quid enim podest homini si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? » *Matth.* XVI, 26. Quocirca sapienter S. Bernardus, lib. I *De Consider.*, monet Eugenium Pontificem, ut si alios curare velit, prius se ipsum curet : « Si totus, ait, vis esse omnium instar illius, qui omnibus omnia factus est, laudo humanitatem ; sed si plena sit, quomodo autem plena, te excluso? et tu homo es. Colligat ergo intra sinum suum : alioquin quid tibi prodest, juxta verbum Domini, si universum mundum lucreris, animæ vero tuæ detrimentum patiaris? Quamobrem cum omnes te habeant, esto etiam tu ex habentibus unus. Usquequo vadens spiritus, et non rediens, sapientibus et insipientibus debitor es, et solum negas te tibi? Stultus et sapiens, servus et liber, pauper et dives, senex et juvenis, vir et femina, clericus et laicus, justus et impius, participant te ; omnes de fonte publico bibunt pectore tuo, et tu seorsum sitiens stabis? si maledictus qui partem suam facit deteriorem ; quid ille qui se penitus reddit expertem? sane deriventur aquæ tuæ in plateas, homines et jumenta et pecora bibant ex eis, quin et camelis pueri Abrahæ potum tribuas ; sed inter cæteros bibe, et tu de fonte putei tui. Alienus, inquit, non bibat ex eo. Numquid tu alienus ? denique qui sibi nequam, cui bonus ? Memento proinde, non dico semper, sed vel interdum, reddere te ipsum tibi. »

Qui se totum aliis dat, sibi est injurius.

Vers. 6. 6. QUI SIBI INVIDET, NIHIL EST ILLO NEQUIUS, ET HÆC REDDITIO EST MALITIÆ ILLIUS, — *q. d.* Invidia omnis est mala, sed invidia qua quis propter avaritiam invidet sibi victum et vitam, est pessima, quia sibi ipsi necessaria vitæ subtrahit, ac proinde ipse sui tentus est homicida, imo parricida : pejus enim est seipsum quam alium, etiam fratrem vel cognatum, occidere ; quisque enim ex charitate obligatur magis se quam alios diligere, ideoque magis suam quam aliorum vitam conservare. Porro hæc avara invidia non tantum ingens est culpa, sed et pœna sui ipsius. Hoc est quod ait : « Et hæc est redditio malitiæ illius, » *q. d.* Hæc est justa merces et castigatio avaritiæ, quæ sibi victum vitamque invidet et eripit, ut ipsa seipsam fame, siti, frigore conficiat et interimat, ac proinde ipsa sui ipsius sit tortor et carnifex. Vere dixit Horatius, lib. I *epist* :

> **Invidia Siculi non invenere tyranni**
> **Tormentum majus.**

Hoc maxime verum est in invidia avaritiæ, qua avarus seipsum torquet, cruciat et consumit. Unde Tigurina vertit, *invidente sibi ipsi nihil pejus est, hocque adeo ipsum est malignitatis ejus præmium ;* Syrus, *eo qui nequam est animæ suæ, non est pejor, et ipse recipit retributionem malam.* Tales ergo similes sunt Timoni, qui adeo oderat homines, ut eorum morte et suspendio dum seipsos ex desperatione suspendebant, gauderet : unde et μισάνθρωπος, id est, osor hominum, est cognominatus, quasi monstrum et probrum humani generis. Porro ipse Timon censuit duo esse elementa malorum omnium, avaritiam scilicet, et ambitionem, quia sicut ex elementis omnia corpora, sic ex his duobus cætera vitia generantur. Ita Stobæus, serm. 8 *De Injustitia.*

Avarus similis Midæ.

Rursum tales similes sunt Midæ regi Phrygiæ, qui immensas opes congessit, teste Herodoto et Justino, lib. XI; unde fertur petiisse a Baccho, ut quidquid tangeret, verteretur in aurum. Ita factum, sed in pœnam petentis avari : nam et cibi versi sunt in aurum, quod cum comedere nequiret, fame contabuit. Ita Ovidius, lib. IX *Metamorph.* Hanc miseram divitum vanitatem egregie depingit Ecclesiastes, cap. VI, vers. 3 et 4 : «Si... quispiam... vixerit, inquit, multos annos, et plures dies ætatis habuerit, et anima illius non utatur bonis substantiæ suæ, sepulturaque careat; de hoc ego pronuntio, quod melior illo sit abortivus. Frustra enim venit et pergit ad tenebras, et oblivione delebitur nomen ejus. » Nempe « divitem avarum demonstrat, qui cum stultissima se parcitate crucians aliis devoranda conservet, ejusque anima cupiditate et avaritia contabescat, multo deterioris conditionis sit abortivo illo qui, statim ut natus est, interiit. Ille enim nec mala nec bona vidit ; iste vero, cum bona possederit, semper tristi cogitatione excruciatus est, et tamen ambo æquali fine rapientur, » ait Rabanus.

Vers. 7. 7. ET SI BENEFECERIT, IGNORANTER ET NON VOLENS FACIT, ET IN NOVISSIMO MANIFESTAT MALITIAM SUAM. — Est occupatio : nam contra id quod dixit, avaro nihil esse nequius, quia non tantum aliis, sed et sibi est injurius, malignus et maleficus, objicit : Ecce videmus avaros aliquando aliis benefacere Respondet, id eos facere, vel ignoranter et imprudenter, ita ut ignorent et nesciant se benefacere; vel certe nolenter et invite ex pudore et timore, cum livore et sordido animo id facere : unde livorem hunc et sordes tandem declarare vel verbis malignis, vel rugata fronte, vel gestu tristi, vel alio signo prodentes suam avaritiam, seque invite et coacte conferre vel contulisse beneficium. Unde Tigurina vertit, *quod si bene quid*

facit, imprudens et invitus id facit, et ad extremum suam prodit malitiam. Pro *ignoranter* enim Græce est ἐν λήθῃ, id est *in oblivione*, id est ignoranter, imprudenter, inscius. Ita Romana. Alii legunt, ἐν λύπῃ, id est *in tristitia*, hoc est, tristis et invitus. Tigurina utrumque conjunxit; Complutenses legunt, οὐκ' ἐκών, id est, *non volens*. Noster legit hæc duo, scilicet, ἐν λήθῃ καὶ οὐκ' ἐκών; unde vertit *ignoranter et non volens;* Syrus vertit, *si accidat quod benefecit, deceptione deceptus est.* Quocirca Isocrates ad Demonicum apposite de avaris dixit, eos τὰς χάριτας ἀχαρίτως χαρίζεσθαι, id est *gratias sine gratiis gratificari* et exhibere. Unde et Socrates censuit, « nec a mortuo petendum esse colloquium, nec ab avaro beneficium. Nam mortui aut non respondent aut lædunt; ita avarus aut non dat quod rogatur, ant infeliciter cedit accipienti, quod datur animo invito et inimico. » Hinc ei dicas, quod de Polyphemo dixit Æschylus in *Cyclope* :

Vini liquorem perdidit infusa aqua.

Atque in eum exstat proverbium : *Capra Scyria;* sicut enim hæc mulctrum, quod mulgendo lacte implevit, evertit, sic avari beneficium miscendo maleficio vitiant et evertunt : nihil enim dant nisi cum onere et spe lucri. Unde Aristoteles, lib. II *Ethic.* cap. VII : « Avarus, inquit, in accipiendo nimius est, in dando parcus. » Hinc avari symbolum est accipiter, cujus indoles est accipere et rapere alias aves. Unde S. Chrysostomus, homil. 46 *in Matth.*, Pharaonem avare imperantem Hebræis, vocat accipitrem; et Comicus rapaces causidicos vocat *accipitres pecuniæ*. Sic hodie videmus multos dare eleemosynam, non sponte et liberali animo, sed verecundia, aut metu, aut fraude, aut importunis pauperum precibus et clamoribus adactos. Qua de re illustre in Vita S. Joannis Eleemosynarii exstat exemplum Petri Publicani, sive Telonarii, qui cum avarus avare projecisset panem in caput pauperis importune petentis eleemosynam, mox correptus morbo in exstasi raptus ad tribunal Christi, vidit se accusari a dæmonibus de multis delictis, et nihil habere meritorum quod iis opponeret nisi panem jam dictum; quare audisse ab angelis : « Recedens adde huic pani, et operare. » Quo viso mutatus in alium virum, ex avaro factus est liberalissimus, adeo ut omnia sua, et tandem seipsum, in pauperes expenderit. Simile accidisse Troilo Episcopo, qui per visionem cœlestem ex avaro factus est eleemosynarius eximius, ibidem cap. XXVI narrat Leontius.

Visio Petri Telonarii.

Vers. 8. 8. NEQUAM EST OCULUS LIVIDI, ET AVERTENS FACIEM (ab inope et indigo), ET DESPICIENS ANIMAM SUAM, — *q. d.* Malignus est oculus lividi, id est invidi, puta avari, ideoque avertit faciem et oculos, ne videat, vel alienam miseriam, cui cogatur succurrere, vel opes suas miseris dari. vel ab eis consumi; ne videat, inquam, pauperes ex pane et cibis suis comedentes : imo ipse despicit animam suam, quia, uti jam dictum est, non succurrit ejus necessitati, sinitque eam fame confici, vel miseriis tabescere. Loquitur de oculo corporali, sed sub eo intelligit oculum mentis : uterque enim nequam et malignus est invido. Alludit ad etymon invidi. Dicitur enim invidus quasi non videns, vel invite videns, eum, scilicet, cui invidet; idem hebr. vocatur רע עינים *ra enaim*, id est, malus oculis, quia scilicet lividos habet oculos, quibus torve et maligne æmulum aspicit. Idem græce vocatur, βάσκανος, quasi τοῖς φάσι καίνων, καὶ τῷ βλέμματι φθείρων, id est, oculis aspectuque fascinans, vexans, enecans. Invidia enim est quasi fascinatio, sive fascinum oculorum, quod sibi aliisque exitium affert.

Invidi quasi invite videns.

Porro Ovidius, lib. II *Metamorph.*, graphice invidum et invidiam pingit dicens :

Invidiæ schema.

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto,
Nusquam recta acies.

Et post nonnulla :

Nec fruitur somno vigilantibus excita curis :
Sed videt ingratos, intabescitque videndo
Successus hominum, carpitque et carpitur una,
Suppliciumque suum est.

Quocirca Ægyptii, aliique mythologi invidiam et invidum repræsentarunt *primo*, per basiliscum : basiliscus enim, ut est apud Solinum et Ælianum, et qui eos compilavit, Majolium, ad funera terrarum natus, serpens prorsus exitialis, solo aspectu auras inficit, plantas urit, necat animalia, saxa ipsa dissolvit. Quod si se intueatur in speculo, repercusso in se halitu, propriis telis enecatur. Symbolum ergo est invidi et calumniatoris, qui cum maledicta in puram animam ejaculatur, suis ipse sagittis conficitur.

Invidi symbola. Primum, basiliscus.

In caput auctoris sic redit omne scelus.
Et cum pestiferæ torques convicia linguæ
In puros, proprio te jugulas gladio.

Secundo, per sirenes : ferunt enim sirenes sæviente tempestate quam suavissime canere; contra sereno cœlo, et tranquillo mari tristes obmutescere. Invidos pari modo alienorum res adversæ vehementer oblectant, prosperæ contristant et dejiciunt. Unde Prosper, *De Vita contemplat.* lib. III, cap. IX : « De bonorum malis, inquit, gaudent, de profectibus lugent, de inimicitiis gratuitis ardent, deprehendi pectoris sui malitiam timent; semper amari nunquam certi, amici diaboli, inimici etiam sui; omnibus odiosi; ad gaudenda anxii, ad plangenda læti; utrobique perversi. »

Secundum, sirenes.

Tertio, per polypum : polypus enim cum aliis cibis pascitur (est enim edacissimus, ad fraudem et insidias callidissimus), tum vero sua ipse membra conficit. Nam si venatio deficiat, brachia sua

Tertium, polypus.

devorat, ac ventre sic saturato, inopiam venationis levat. Deinde renascitur ei quod deest, hoc tanquam promptum prandium ad famem restringendam comparante ipsi natura. Ita Ælianus, lib. I *De Anim.* cap. XVIII. Similiter invidus aliorum invidens vitæ et fortunis, ipse tabe conficitur, sui interfector. Unde Prosper, lib. III *De Vita contempl.* cap. V : « Invidi, ait, odia inter se abscondunt, et in suos cruciatus enutriunt. »

Quartum, rana. *Quarto,* per palmam ranis obsessam : Plutarchus enim in libello *De Oraculorum silentio,* perhibet inter templi cujusdam a Cypselo consecrati donaria, exstitisse palmam æneam, ad cujus radices insculptæ visebantur plurimæ ranæ, et natrices, quos hydros nominant. Sic virtus maledicorum infestis clamoribus lacessita, eos ex eminenti loco deridet, ad cœlum velut palma luxuriosa ramorum propagine assurgens.

Conscia mens recti famæ mendacia ridet.

Quintum, bestiæ invidæ. *Quinto,* per certas bestias et feras invidas, quæ docent invidiam non esse humanam, sed ferinam. Stellio enim, ut Theophrastus ait, simul atque senectutem, membranam hibernam exuit, eam vorans eonsumit, ob invidiam ex qua laborat adversus hominem, quod suam tuniculam plane scit contra comitiales morbos plurimum valere. Cervus item non inscius dextrum suum cornu magno usui hominibus esse, hoc ipsum, invidia flagrans, ne tanto bono homines fruantur, in terra occultat. Equa pariter non ignorat se una cum pullo amoris veneficia parere. Idcirco simul atque editus pullus est, id agit, ut carunculam in pulli fronte innatam, nuncupatam hippomanes, voret. Similiter lynx urinam occultat teste Æliano, lib. VIII, cap. XXIII. Invidi similiter commoda aliis invident, quibus ipsi non utuntur. Porro Ælianus hæc omnia decerpsit ex Theophrasto in tractat. *De Animalibus quæ dicuntur invidere.* Adde ex eodem vitulum marinum, qui cum captum se videt, coagulum evomit quod epilepticis auxiliatur; echinum quoque terrestrem, qui urina corrumpit corium. « Invidus, ait Isidorus, lib. X *Etymol.*, dictus ab invidendo felicitati alterius, invisus, odiosus, ab invidia et zelo dictus. »

Invidiæ remedium constantia. Porro invidiæ remedium est animi constantia et celsitudo, ut omnem calumniam non tam dictis, quam factis heroicis confutes. Quocirca hoc adversus viros sapientes et claros potest invidia, quod adversus solem nebula : brevissimo tempore nocet, et eadem dissipata clariores radios sapientia et virtus exerit. Hoc est quod ait Valerius Flaccus, *Aragon.* lib. IV : « Iris contra nubila. »

Græca non habent τὸ *suam,* sed generatim sic : *Nequam oculus est invido, avertit vultum et despicit animas,* id est, homines hominumque vitas; Tigurina, *improbus aspectu est oculus invidi, avertit faciem, contemnit homines.* In oculis enim elucent passiones animi, præsertim ira et invidia. Unde Plinius, lib. XI, cap. XXXVII : « Neque ulla, ait, ex parte majora animi indicia cunctis animalibus, sed homini maxime, id est, moderationis, clementiæ, misericordiæ, odii, amoris, tristitiæ, lætitiæ; contuitu quoque multiformes, truces, torvi, flagrantes, limi, submissi, blandi. Profecto in oculis animus inhabitat; ardent, intenduntur, humectant, connivent; hinc illæ misericordiæ lacrymæ. Hos cum osculamur, animum ipsum videmur attingere. »

Hanc gnomen graphice apologo onagri et simiæ depingit Cyrillus, lib. II *Apologorum moral.* cap. XXIX, cui titulus, *Contra invidos* : « Sereno cœlo, inquit, ac lucido, cum per solitudinem simia satis læta discurreret, tristem jacentem onagrum inveniens, dixit illi : Quid tibi est, frater mi, quod tam lugubri contuitu ægroque vultu, livida facie et submisso capite tristis jaces? Indica mihi, rogo te; quia si quid languoris est in corpore, manu excipiam : si vero in corde, ratione seu compassione medelam exhibebo. Ad hæc quidem ille tantæ humilitatis oleo emollitus, mox sui vulneris arcanum patefecit, ac dixit : Ex aeris quippe, soror, tam pacata serenitate constringor : ejus enim serenitatis lucem oculis meis non ferentibus, in tempestatem mihi tranquillitas vertitur, et in nubem serenitas commutatur; et e contra tempestas ipsius aeris in cordis pacem cedit, et obscuritas in serenum. Quibus cum stupore auditis, notans simia livoris vitium ipsius esse tormentum, exhortationis suæ anathematizando ita cœpit officium. » Deinde eleganter invidiæ oculique invidi nequitiam pingens, ita eumdem insectatur : « Maledictus sit talis oculus, qui turbatur in lumine, et in turbine delectatur; qui cum noctua vitalem lucem videre non patitur, sed in caligine illustratur; cui gaudium luctus, lux nebula, bonum malum; cui infelix est felicitas, et calamitas felix; cui adversitas prospera, et prosperitas adversa; cui amica miseria, et ipsa bonitas inimica. O perhorrendum, pestiferum ac perversum malum! Tunc demum convertens eloquium ad onagrum, dixit : Profecto bene silvestris es asinus, qui tecum talem esse pateris oculum, qui tui cordis sit juge patibulum, et boni ac omnium inimicus. Nam cum vitæ hujus decursus, nunc adversis, nunc prosperis rebus transigatur, si te quidem contra naturam res secundæ mœstificant, semper te præcinget tristitia, et calamitas non relinquet. Sic ergo livoris vitium, possessoris sui continuum est tormentum. »

Invidiæ nequitia.

Mox pluribus a priori rationibus idipsum nervose clareque conficit dicens : « Verum cum odis invidentia quempiam propter bonum, jam principaliter ipsius hostis es boni; quoniam cujus gratia est unumquodque, at illud magis. Sed cum ipsum bonum sit Deus, a quo tanquam a suo fonte bonitatis vena manans in omnia derivatur, hinc sane convincitur, quod tu hostis Dei

Ratio a priori.

et boni sis, et tui ipsius ac omnium inimicus. Cæterum cum malitia bonitati sit contraria, vide quanta te depravavit malignitas, cui tota bonitas est adversa. Cum autem naturaliter similia quæque similibus delectentur, vide cujusmodi sis qui tempestate ac tenebris gaudes. Nisi enim corde nubilus et procellosus existeres, nequaquam te talia delectarent. Livor igitur interni turbinis gravis tempestas est mentis. Sed cum absque tranquillitate et luce nullum putetur bonum, nec delectabile, hinc te agnosce jam omni bonitate et delectatione privatum, quia paci ac lumini tam hostiliter adversaris. » Denique loco epimythii sanum consilium suggerit : « Attamen si commune bonum intelligeres, et in unoquoque hoc ipsum benignius adamares, totum bonum tuum existeret, et tecum omnia possideres; quoniam dilectum bonum, quo gaudes, tuum est. »

Gnomæ de invidia.

Moraliter, disce hic quam nequam et maligna sit invidia. Vere Beda in *Proverbiis* : « Unde bonus proficit, inquit, inde invidus tabescit. » Seneca in *Proverbiis* : « Invidiam, inquit, ferre aut felix aut fortis potest. Scias eum multis virtutibus abundare, qui alienas amat. Si non invideas, major eris; nam qui invidet, minor est. Scis quid invidia est? dolor animi est ex alienis commodis.

Invidia quid?

Scito enim illud, quia nulli invidetur nisi prædito bonitate. Invidia loquitur non quod est, sed quod subest. » Quocirca in Vita S. Paulæ de ea ait S. Hieronymus, quod ipsa armatura Dei, puta sententiis S. Scripturæ, « instruebat se contra invidiam sævientem, et patiendo injurias, furorem rabidi pectoris mitigabat. Denique usque ad diem mortis, et hujus patientia et aliorum zelus patuit, qui suum rodit auctorem, et dum æmulum lædere nititur, in semetipsum proprio furore bacchatur. »

Invidus est pusillanimis : ejus signa.

Porro invidus est pusillanimis, et invidia est pusillanimitas, cujus signa physiognomica recenset Aristoteles in *Physiognom.* cap. IX : « Qui, inquit, oculos parvos habent, sunt pusillanimes; qui concavos, malefici, reducuntur ad simiam; qui eminentes, fatui; qui parum concavos, magnanimi, referuntur ad leones. » Et cap. VI : « Avari signa sunt : facie remissus, nigri coloris, macer; quæ sunt circa faciem, quasi abrasa; facies rugosa, non carnosus, recti crines et nigri. » Quocirca S. Bernardus, *De Inter. domo*, cap. XLII : « Invidia, ait, est animi tinea : sensum comedit, pectus urit, mentem afficit, cor hominis quasi quædam pestis depascit, et cuncta bona ardore pestifero devorat. Invidus alienum bonum, suum facit invidendo peccatum. » Idem, epist. *ad Adam monach.* : « O quisquis es qui saluti invides alienæ, parcito vel tuæ. Si enim ubi invidia, ibi mors, profecto non potes simul et invidere et vivere. »

Vers. 9.

9. INSATIABILIS OCULUS CUPIDI (avari qui omnia cupit) IN PARTE INIQUITATIS. — Id est, insatiabilis est oculus avari in ea parte vel portione opum et rerum, quas inique et avare cupit et appetit; vel, ut Lyranus, insatiabilis est ea parte quam injuste acquisivit. Unde Græca brevius et clarius habent : *Avari oculus non impletur parte*, id est, nulla opum parte satiatur; sed quo plures habet, eo plures habere appetit instar hydropici, qui quo plus bibit, eo plus sitit. Unde illud :

Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

Avari sunt hydropici.

Quocirca apposite Diogenes Cynicus avaros comparabat hydropicis : sicut enim hi aqua, ita illi cupidine auri pleni distentique sunt : unde utrique amplius semper desiderant et sitiunt, sed in sui perniciem et exitium. Ita Stobæus, *serm.* 8. Alii avarum comparant serpenti qui græce dicitur dipsas, id est sitiens, eo quod suo morsu tantam in homine sitim excitet, ut nullis aquis expleri possit, sed misere in sua siti contabescat. « Dipsas, inquit Isidorus lib. XII, cap. IV, latine dicitur situla a siti : dipsades enim vocantur serpentes nocentissimi, eo quod morsi ab eis continuo inarescant. » Sic avarus inexplebiliter sitit opes, et sitiendo contabescit. Hinc Tigurina clare vertit, *oculus avari nulla portione satiatur*, quia quidquid videt appetit; cumque plura et plura semper videat, hinc pariter plura et plura semper appetit : quare etiamsi omnia quæ videt possideret, non tamen satiaretur. Qua de causa avaritia a S. Joanne vocatur concupiscentia oculorum, *epist.* I, cap. II, 16. Hinc et Syrus vertit, *in oculis stulti* (qualis est avarus) *exigua est* (videtur) *pars sua*. Sequitur hujus insatiabilis avari et avaritiæ effectus, nimirum :

NON SATIABITUR DONEC CONSUMAT AREFACIENS ANIMAM SUAM, — id est, vitam et corpus suum. Sic enim *Numer.* IX, 10, et alibi per animam metonymice significatur corpus, quia corpus est quasi domus animæ, imo est ipsa materia quam anima quasi forma informat. Animam ergo et corpus consumit avarus continuis curis, desideriis, sollicitudinibus, nimisque cupidis et anxiis cogitationibus, quibus extenuat, exsiccat et arefacit tam corpus quam mentem et spiritum, ut res spirituales ei non sapiant, imo nulla res eum delectet, nihilque ei libeat. Rursum consumit animam suam, id est seipsum totum, per synecdochen, quæ frequens est Hebræis et Syris. Unde Syrus habet, *qui accipit id quod est proximi* (hæc est pars iniquitatis, quæ præcessit), *perdit animam suam;* Græca, *iniquitas maligna* (avari et cupidi) *desiccat animam;* Tigurina, *injustitia mali exhaurit vitam ejus.*

Avaritia est iniquitas quæ ex sex rationibus.

Ubi nota avaritiam vocari ἀδικίαν, id est iniquitatem et injustitiam, *primo*, quia iniquum est quod homo tam nobilis adeo ardenter amet opes et res terrenas, eisque suam mentem et cor affigat; *secundo*, quia avaritia stimulat avarum ad fraudes, usuras aliosque iniquos contractus, turpis lucri causa ineundos; *tertio*, quia Deus opes ut plurimum iniquis largitur, ut Mauris, Judæis, usurariis : *quarto*, quia opes vix sine iniquitate

parantur et servantur, præsertim in tanta turba indigentium et pauperum; *quinto*, quia Christus, *Lucæ* VI, 24, divitibus væ intentat : « Væ, inquit, vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram. » Denique ad dexteram judicis Christi sunt mala temporalia et bona spiritalia : ad sinistram vero, scilicet in parte iniquitatis, sunt mala spiritalia, et ut plurimum bona temporalia, *Matth.* cap. XXV.

Est hæc quinta avarorum vanitas, quod seipsos sua avaritia arefaciant, exhauriant et consumant. O tormentum ! exclamat Palacius. Sitis ? aquam præsentem habes, et bibere non audes. Esuris ? prandium habes, et te non pascis. Lætitiam habes in mensa præsentem, et inde tristitiam edis; ne detrahas pecuniæ, detrahis ventri et animæ tuæ.

Tropologice Rabanus explicat sic, *q. d.* « Avarus sine fructu bonorum operum consumit vitam suam, et sterilem animam perpetuis ignibus gehennæ tradit excruciandam. » Nervosius S. Augustinus in *Psal.* CXXVIII, docet avaritiam duriora imperare avaro quam jubeat Deus : « Dura, inquit, jubet, levia jubeo (ego Deus); onus ejus grave, sarcina mea levis est; jugum ejus asperum est, jugum meum leve est : noli velle ab avaritia possideri. » Et mox idipsum probans exemplis : « Jubet, inquit, avaritia ut mare transeas, et obtemperas; jubet ut te ventis procellisque committas : jubeo ego ut ante ostium tuum ex eo quod habes des pauperi; piger es ad faciendum ante te opus bonum, et strenuus es ad transeundum mare : quia avaritia imperat, servis; quia Deus jubet, odisti. »

Vers. 10. 10. OCULUS MALUS AD MALA, ET NON SATIABITUR PANE, SED INDIGENS, ET IN TRISTITIA ERIT SUPER MENSAM SUAM, — *q. d.* Oculus malignus et lividus avari ad mala et injusta intentus est, puta ad fraudes, usuras cæterasque injustitias et peccata, quibus opes suas augeat. Idem non audet ventrem satiare pane, id est, cibo suo, sed indigens et tristis est etiam in mensa sua. Cum enim alii in mensa omnes curas et mœrores deponant, seque cibo et vino recreantes, sint læti et hilares; solus avarus in mensa sua indiget et esurit, ideoque tristatur et dolet, tum ob suam esuriem, tum eo quod domestici et convivæ ejus plus comedant et consumant, quam ejus avaritia patiatur. Græca de more brevius sic habent, *malignus oculus invidus est in pane, et deficiens in mensa sua.* Ubi nota : Pro *deficiens*, Complutenses legunt ἐλλιπὴς, id est, ut Noster vertit, *indigens;* alii legunt, ἐν λύπῃ, vel ἐλλυπὴς, id est *in tristitia*, vel *tristis*. Noster utrumque legit : unde vertit, *indigens et in tristitia erit.* Hæc enim duo sunt connexa, et indigentiam naturaliter tristitia consequitur. Tigurina vertit, *oculus malignus panem invidet* (sibi, suisque domesticis et convivis), *et ad mensam suam laborat inopia;* aliter Syrus, *oculus malus*, inquit, *multiplicat panem, et siccum projicit super mensam, q. d.* Avarus ut parcat carni aliisque cibis pretiosis, siccos panes suis apponit, imo tetrice projicit in mensam, sicut canibus projiciuntur ossa : vult ergo ventres suorum explere et saturare pane, eoque vili et atro, ne cibos majoris pretii comedant et consumant. Porro oculo avari, ait Jansenius, tribuitur non satiari pane, esse indigum et in tristitia, quia per concupiscentiam et invidiam ex aspectu oculorum excitatam, hæc sunt in avaro. Igitur *oculus malus*, id est malignus et maleficus avari, totus fertur *ad mala*, id est, maligna, avara, malefica, puta ad avaritiam, et malignam parcimoniam, qua se et alios victu et vestitu congruo defraudat, ad avaras et malignas fraudes, dolos, contractus, etc.

Sexta est hæc vanitas, imo malignitas avaritiæ.

Huc facit apophthegma Hebræorum in *Pirke Avoth*, id est, in *Sententiis Patrum :* « Tria hæc quæ sequuntur, hominem verum Abrahæ patris nostri discipulum ac sectatorem reddunt : oculus benevolus, animus lenis ac mansuetus, parvo esse contentum : qui secus facit, imitatur ac dicitur filius atque discipulus impii Balaam et iniqui pseudoprophetæ, scilicet oculus malus aut invidus, animus altus et arrogans, et cor insatiabile : hæc sunt notæ discipulorum Balaam. »

Vers. 11. 11. FILI, SI HABES (Græce καθὼς ἐὰν ἔχῃς, id est, *sicut habueris, quoad habueris*) BENEFAC TECUM (tibi), ET DEO DIGNAS OBLATIONES OFFER. — Tigurina, *pro eo quod habes, fili, bene de te merere dignaque defer Domino donaria;* Syrus, *si habes, fili mi, ministra animæ tuæ* (tibi ipsi); *et si habes, benefac tibi.* Est conclusio : ex dictis enim de avaritiæ damnis, colligit et concludit ut quisque opibus sibi a Deo datis utatur commode, iisque sibi benefaciat honeste vivendo; deinde ut ex iisdem Deo in laudem et gratiarum actionem dignas oblationes offerat, puta dando victimas Deo, ac decimas et primitias in alimoniam sacerdotum, cæterorumque Dei ministrorum. *Dignas* vocat meliores, et liberales, ac largas : tales enim debentur Deo creatori, et datori omnium. Unde tales legi veteri Judæis præscriptæ erant *Num.* XVIII, 29 : « Omnia, inquit, quæ offeretis ex decimis, et in donaria Domini separabitis, optima et electa erunt. »

Moraliter, dum vivis, benefac animæ tuæ coacervando bona opera et merita, quibus vivas in æternum. Hoc autem facies, omnia opera tua, etiam indifferentia, referendo ad Dei gloriam, Deoque offerendo. Nam mors instat, post quam non poteris operari, nec mereri, juxta illud : « Miserere animæ tuæ placens Deo, » *Eccli.* cap. XXX, 24; et illud Pauli : « Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, » *Galat.* VI, 10.

Egregias hac de re parabolas duas recenset Damascenus in *Histor. Barlaam et Josaphat*, cap. XIII et XIV. Rationem dat Rabanus : « Quia breve, inquit, est hujus vitæ spatium, in quo licet operari. Finis autem universorum appropinquat, quando jam non est tempus operandi, sed singulos quosque juxta meritum suum remunerandi.

Unde Christus : Operamini, dum dies est : venit enim nox, quando jam non licet operari, *Joan.* IX, 4 : Hic tempus est bene faciendi, illic autem mercedem accipiendi : hic tempus laboris, illic requiei : hic hora seminandi, illic fructus metendi. Unde et per Paulum dicitur : Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet. Et alibi : Qui parce (inquit) seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus, metet vitam æternam; hilarem enim datorem diligit Deus. Hinc et in Proverbiis Sapientia admonet dicens : Usquequo, piger, dormis? quando consurges a somno tuo? Paululum dormitabis, paululum conseres manus ut dormias, et veniet tibi quasi viator egestas, et pauperies quasi vir armatus. Si vero impiger fueris, veniet ut fons messis tua, et egestas longe fugiet a te. Mundus enim transit, et concupiscentia ejus : justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum. »

Citat hanc gnomen Urbanus IV Pontifex in *Psal.* L (exstat tomo I *Biblioth. SS. Patrum*), ad illa : « Tunc acceptabis sacrificium, oblationes, » id est eleemosynam, inquit. Unde subdit : « Tu, Deus, non respicis in oblationibus iniquorum, sed illas oblationes dignas te reputas et acceptas, quæ fiunt de substantia illa bona, cujus non est peccatum in conscientia ; et has a me oblationes per Sapientem requiris dicens : Fili, si habes, benefac tecum, et Deo dignas offer oblationes et holocausta : mea scilicet, hoc est, non solum de meo, sed de me toto facta. Nam hæc illa esse intelligo holocausta, de quibus tu, Domine, mihi dicis : Holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper. » Alludit ad holocaustum Christi in sacrificio Missæ.

SECUNDA PARS CAPITIS.

DE MEMORIA MORTIS QUÆ STIMULUS EST AD BENEFICENTIAM.

Vers 12. 12. MEMOR ESTO QUONIAM MORS NON TARDAT, ET TESTAMENTUM INFERORUM, QUIA (Jansenius, Rabanus et Dionysius legunt *quod*) DEMONSTRATUM EST TIBI ; TESTAMENTUM ENIM HUJUS MUNDI, MORTE MORIETUR. — Perperam aliqui apud Franciscum Lucam legunt *mortem operatur*, hoc est, certo, omnino et cito morietur : hoc enim significat illa mortis iteratio. Probatur. Ita Lyranus. Probat quod dixit : « Fili, si habes, benefac tecum (tibi), et Deo dignas oblationes offer, » ex vicinia mortis instantis, *q. d.* Noli hic avare coacervare divitias quasi perpetuo hic victurus, sed eis utere ad tuum usum et Dei gloriam, quia mors et post eam descensus ad inferos tibi instat, in qua opes tanto labore coacervatas hic relinquere debebis, nec eis amplius uti, nullique ex eis benefacere poteris. Dum ergo breve hoc vitæ tempus tibi suppetit, eis utere, ut eis tibi aliisque benefacias, Deoque dignas oblationes offeras. Sic enim mereberis amplam mercedem et gloriam tam apud Deum, quam apud homines. Ita Rabanus, Lyranus, Jansenius et alii.

Est ergo hæc septima ratio demonstrans insanam vanitatem avarorum, qui omnia coacervant, nec ulli, ne sibi quidem benefaciunt, cum omnia brevi in morte ingratis et prodigis hæredibus sint relicturi. Græca hæc tantum habent, *memor esto quoniam mors non tardat, et testamentum* (vel pactum) *inferorum non est ostensum tibi.* Quod clarius explicat Tigurina, *memento mortem moram non facere, nec tibi fatum fati* (mortis tempus) *esse declaratum, q. d.* Memento mortem certam tibi imminere, sed ejus diem et horam tibi esse incertam. Igitur semper per bona opera ad eam te præpara et dispone, ne illa te imparatum inveniat et præoccupet. Syrus, *memento quod hactenus mortem non vidisti, et condemnatio ad inferos non est ostensa tibi, q. d.* Quia non vidisti mortem, nec inferos, hinc ea non apprehendis, non æstimas; at brevi ea videbis, tunc ea æstimabis, serioque, sed sero dolebis, quod ad ea per eleemosynam, bona opera et oblationes Deo factas te non comparaveris. Noster legit affirmative sine negatione *non*, aut certe legit interrogative, hoc modo : « Et testamentum inferorum non, vel nonne ostensum est tibi? » *q. d.* Omnino tibi ostensum est. « Testamentum enim hujus mundi est, morte morietur, » *q. d.* Certa tibi est mors, quia testamentum, id est, dispositio et decretum Dei de quolibet homine et vivente terreno est, quod morte morietur, *q. d.* Deus omnes addixit morti, ergo omnibus certo moriendum est; illudque tibi ostensum est, imo in dies oculis tuis ostenditur, dum quotidie vides nunc hunc, nunc illum mori, nemine excepto.

Testamentum cœli et inferi quod? Quæres quodnam sit « testamentum inferorum? » Respondeo, est decretum mortis et inferni, latum a Deo in Adam peccantem, omnesque ejus posteros, *Genes.* II, 17, et cap. III, 19. Dicitur *inferorum*, quia tempore Siracidis ante Christum omnes, etiam Sancti, plene a peccatis expiati, post mortem descendebant ad inferos et limbum patrum, exspectantes Christum, qui pro peccatis satisfaciens cœlum aperiret, eosque inde liberaret, et in cœlum deduceret. Testamentum enim in Scriptura vocatur quodlibet pactum, decretum, dispositio, ordinatio. Græcum enim διαθήκη derivatur a διατίθημι, id est, dispono, moderor, guberno, constituo. Unde Tigurina vertit vers. 18, *fatum ævi*

est, morte morieris. Hoc ergo nobis est fatum fati, id est, mortis certum et irrevocabile decretum. Id ita esse patet ex ratione quam subdit: « Testamentum enim hujus mundi, morte morietur, » scilicet, omnis Adæ filius, *q. d.* «Testamentum inferorum, » id est, decretum Dei, ut omnes moriantur et descendant ad inferos, est ipsum testamentum sive decretum moriendi, omnibus impositum, juxta illud *Hebr.* IX, 27: « Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium. » Alludit, imo citat *Genes.* II, 17 : « In quocumque die comederis ex eo, morte morieris. » Hoc testamentum et decretum moriendi et descendendi ad inferos, demonstratum est tibi, tum e Scriptura *Genes.* II et V, tum ex sententiis Prophetarum et Sanctorum, tum ex communi experientia, quæ ostendit omnes mori. Sed audi nostrum Delrio, *Adag.* 297 : « Volunt quidam nihil aliud dici, quam unicuique moriendum, et cunctis mortis falcem imminere. Ad Arcton nata expositio, friget conglaciata. Præstat testamentum inferorum exponere legem a Domino latam mortalibus, ut ad Christi adventum usque, omnes ad inferos descenderent. Sic Rabanus et Carensis. Vocatur testamentum, quia hanc hæreditariam successionem nobis protoplastus peccando commeritam moriendo delegavit. Mors invidia diaboli in orbem introivit: ideo necessitas illa mortuis imposita ad Plutonis regiam descendendi, recte dicebatur inferni testamentum, hoc est, hæreditas et successio lege delata quam, vellent nollent, cernere et adire cogebantur. Miseram cretionem ! »

Nota : Hæc verba, *testamentum hujus mundi, morte morietur,* non sunt in Græco hoc loco, sed vers. 18, ubi pro *mundi* est αἰῶνος, id est *sæculi, q. d.* Sæculare et perpetuum est hoc mortis testamentum, sicut non ad unam gentem, sed ad omnes; sic pariter non ad unum sæculum, sed ad omnia omnino se extendit.

Porro certa unicuique est mors, sed incerta ejus dies et hora. Stimulus ergo ingens ad omnem virtutem est hic, quo olim se Ascetæ nonnulli, dum invicem occurrerent, consalutabant, ut jugem sibi mortis memoriam imprimerent: « Moriendum est, nescimus quando. » Nam, ut ait S. Chrysostomus, homil. 23 *in Acta Apost.*, « idcirco incertum voluit Deus esse quanto tempore duraturi simus, ut exspectatione incerta virtutem amplexemur semper. Et S. Ambrosius in *Psalm.* CXVIII, serm. 19 : « Quid potest, inquit, habere laudis, si effœtum corpus voluptatibus, et jam senectutis gelu frigidum, ad sera devotionis officia, deposito jam viventis vigore, convertat ?

Cogita ergo, o mortalis, hoc tuum esse testamentum, hanc tuam esse sententiam, hoc Dei de te decretum certum et immutabile : « Morte morietur Petrus. » Id liquet *Genes.* V, ubi recensitis annis 900 vitæ Adæ, Seth, Lameth, Noe, etc., singulis subdit : « Et mortuus est. » Dicitur testamentum mundi, quia pertinet ad mundum hunc sublunarem, et omnia viventia, quæ in eo sunt, *q. d.* Hæc est dispositio Dei de mundo et omnibus qui in eo vivunt: Moriatur homo et omne vivens, quod in mundo vivit. Sicut ergo in communi reorum judicio, v. g. in tribunali sanctæ Inquisitionis, dicitur ferturque sententia : Hic reus, v. g. Petrus, plectatur capite, Paulus suspendatur, Joannes comburatur, etc., ita hic datur testamentum, id est, decretum et sententia mortis in omnes omnino homines, dicendo : Morte moriatur ; nec tantum in omnes homines, sed et in omnia animalia, omneque vivens, imo in omnes res mundi, *q. d.* Testamentum mundi, id est, omnium mundanorum, puta hominum cæterorumque viventium in mundo, est: « Morte morietur ; » imo idem est et rerum inanimarum quæ in mundo sunt; his enim dicitur : Morte naturali moriatur, id est, intereat et desinat esse. Ex adverso testamentum cœli est: « Non morietur, » sed immortalis et beatus durabit in omnem æternitatem. Et testamentum inferni est : Non morietur damnatus in igne. « Vermis enim eorum non moritur, et ignis non exstinguitur, » *Isaiæ* cap. ult. Testamentum cœli et inferni.

Perperam ergo aliqui sic exponunt, *q. d.* Omne testamentum quod in mundo ab hominibus morientibus conditur, omnisque hæreditas per illud filiis posterisque relicta, morte morietur, hoc est, in morte deficiet, transibitque ad alios. Perperam quoque Palacius : Testamentum, inquit, inferorum est, quod humana natura peccando in primo parente pepigit, atque promisit se morte morituram, ac ideo in infernum descensuram. Testamentum hujus mundi est pactum quod cum mundo fecimus. Sicut enim *Isaiæ* XXVIII, 15, impii percutiunt *fœdus cum* peccato et *morte,* quo promittunt illi servire, et eo frui : sic nos velut promittimus longa vita nostra mundo frui, atque illi servire. At auctor dicit hoc testamentum non in æternum duraturum, sed citius quam velint moriturum. Ergo benefac antequam finiatur. Hæc ille, mystice potius quam ad litteram.

Siracidi succinunt sapientes omnes, Hebræi, Arabes, Græci, Latini, Persæ, Ægyptii, Syri. Hebræi, ut Ben-Sira : « Dies brevis, inquit, et opus multum, » *q. d.* Mors instat, et tamen grandis restat nobis via in cœlum. Festinemus igitur progredi in via virtutis, et merita meritis accumulare. Similiter de arte medendi dixit Hippocrates : « Ars longa, vita brevis. » Sic in lib. *Avoth* dicit R. Simon : « Dies brevis, et opus multum, et operarii pigri, et merces copiosa, et paterfamilias urget. » Gnome Hebr. de morte.

Arabes, *Centur.* 2, num. 13: « Opera et mundus, inquiunt, transibunt, et durabunt opera bona. » Et num. 16 : « Mors consumpsit eum qui discessit, et mors consumet eum qui remanet. » Et num. 46: « Cogita ingressum tuum in hunc mundum, et egressum tuum ex ipso, quia tu de nihilo factus es homo, et momento fies tanquam non fueris. Arabum.

Item considera qui fuerint ante te, reges, præfecti et nobiles; considera quomodo migrarunt ex isto mundo, tu vero sicut illi migrabis. »

Græcorum. Græci. S. Gregorius Nazianzenus in *Distichis*: « Mortem, inquit, velut præsentem semper tibi ob oculos pone; ita enim fiet ut, cum ipsi occurrendum erit, superior existas. » Idem Nazianzenus in *Monostichis* suum rectæ vitæ Alphabetum ita orditur :

Ἀρχὴν ἁπάντων καὶ τέλος ποιοῦ Θεόν,
Agendorum principium et finem constitue Deum.
Βίου τὸ κερδὸς, ἐκβιοῦν καθ' ἡμέραν,
Vitæ lucrum sit, quotidie vita excedere et mori.
Cognoscere hominum facta egregiorum stude.
Lucerna sit ratio vitæ tibi totius.
Quæcumque dat Deus, animo grato accipe.
Procella cursu timeri debet prospero.
Vir magnus esse potes frenans petulantiam.
Præstat animum quam cætera offerri Deo.

Idem in *Distichis*: « Ossa nuda spectata nos admonent, ne quid hujus vitæ nobis proprium ac certum esse credamus. » Et mox : « Rota est incerte fixa, brevis hæc et multiplex vita : sursum movetur, ac deorsum trahitur; fugiens tenetur, et manus effugit; saltat plerumque, nec tamen fugere potest; stationem suam motu trahit ac retrahit; fumus est, insomnium, et flos herbæ. » Plato in *Phædone* : « Philosophia, ait, est mortis cogitatio, id est, ut sapientiæ studiosus animum a corporis sensibus revocet, et ab illius communione liberum immunemque reddat, illius cupiditatibus repudiatis, quæ nimirum est mortis definitio, solutio et separatio a corpore.

Latinorum. Latini : Seneca in *Proverbiis* : « Homo, inquit, vitæ commodatus, non donatus est. Vita omnis brevis est, ideo immortalitas est mors honesta; » Cicero : « Exiguum nobis vitæ curriculum natura circumscripsit, gloriæ immensum. » Virgilius X *Æneid.* :

Stat sua cuique dies, breve et irreparabile tempus
Omnibus est vitæ.

Seneca in *Hercul. furente* :

Certo veniunt ordine Parcæ :
Nulli jusso cessare licet,
Nulli scriptum proferre diem.
Recipit populos urna citatos.

Et :

Prima quæ vitam dedit hora, carpsit.

Horatius lib. II *Carmin.* :

Omnes eodem cogimur, omnium
Versatur urna, serius, ocius
Sors exitura, et nos in æternum
Exilium impositura cymbæ.

S. Hieronymus, epistola *ad Cyprianum* : « Nihil, inquit, ita decipit humanum genus, quam quod dum ignorant spatia vitæ suæ, longiorem sibi sæculi hujus possessionem repromittunt. Unde et illud egregie dictum est : Nullum tam senem esse, et sic decrepitæ ætatis, ut non se adhuc uno plus anno vivere suspicetur. Ad hunc sensum pertinet et illud quod dicitur : Memorare mortis tuæ, et non peccabis; qui enim se recordatur quotidie moriturum, contemnit præsentia, et ad futura festinat. »

Persarum. Persæ. Nam, ut ait S. Hieronymus, epist. 3 *ad Heliodorum* in Epitaphio Nepotiani : « Xerxes, inquit, ille rex potentissimus, qui subvertit montes, maria constravit, cum e sublimi loco infinitam hominum multitudinem et innumerabilem vidisset exercitum, flevisse dicitur, quod post centum annos nullus eorum, quos tunc cernebat, superfuturus esset. Oh ! si possemus, addit Hieronymus, in talem ascendere speculam, de qua universam terram sub nostris pedibus cerneremus, jam tibi ostenderem totius orbis ruinas, gentes gentibus, et regnis regna collisa; et non Xerxis tantum exercitum, sed totius mundi homines qui nunc vivunt, in brevi spatio defuturos ! »

Ægyptiorum. Ægyptii. Inter apophthegmata Sanctorum Patrum Ægyptiorum, quæ habentur in fine Vitarum Patrum, recensentur hæc num. 94: « Homo habens mortem præ oculis, omni hora vincit pusillanimitatem. » Et numer. 97, dixit senex : « Ego tres res timeo, id est, cum anima egressura est de corpore, et cum in præsentiam Dei venturus sum, et cum sententia contra me data fuerit. » Et in fine inter septem documenta Abbatis Moysis sextum recensetur : « Debet homo, priusquam exeat de corpore, mundare seipsum ab omni inquinamento carnis et spiritus. » S. Antonius moriens suis præscripsit ut mane quotidie cogitent illum diem forte sibi fore ultimum, itaque omnes actus illo die quisque obeat atque si essent futuri ultimi, ipseque illo die certo esset moriturus. Simili modo e Societate nostra P. Joannes Maldonatus quotidie quinquies mortis memoriam, imo præsentiam, sibi ob oculos ponebat, indagabatque num quid esset in conscientia, quod in hora mortis eum angere vel affligere posset, et, si quid reperisset, illico per confessionem, vel eo modo quo conveniebat, illud tollebat; itaque stabat semper in procinctu singulis horis paratus ad mortem, juxta monitum Christi : « Vigilate et orate, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet. »

Syrorum. Syri. Climachus : « Sanctus, ait, est, qui non timet mortem; perfectus, qui eam desiderat. »

Apologus mortis et vitæ. Illustris mortis apologus exstat apud Damascenum in *Histor. Barlaam et Josaphat*, cap. XII : Rhinoceros, inquit, insequitur hominem; fugit homo, et fugiens in scrobem labitur, labensque amplectitur arbusculam; sed hanc assidue rodunt mures duo, albus unus, ater alter : subtus est ingens barathrum, in quo draco et serpentes fau-

ces exerunt, ut hominem ab arbore pendulum corrosa arbore deglutiant. Homo, videns mellis aliquid ex arbore stillans, melli incubat, periculorum omnium oblitus; interim corroditur arbor a muribus, ruit homo in barathrum, ibique a dracone devoratur. Rhinoceros est mors quæ hominem assidue insequitur, fugit homo labiturque in scrobem, puta in mundum hunc, ubi arborem, id est, vitam præsentem, amplectitur; sed hanc jugiter duo mures, puta dies et nox, corrodunt; infra eam est barathrum gehennæ, in quo draco diabolus cum suis dæmonibus hominem exspectat: ille videns mel, id est, voluptates hujus vitæ illis inhiat securus, donec vita a revolutione dierum et noctium consumpta, homo per mortem labatur in gehennam, ibique præda fiat dæmonum.

S. Ephrem Syrus, tract. *De Beatitudine*: « Beatus, inquit, qui assidue animo suo versat diem ex hac vita discessus, studetque sedulo paratus et intrepidus hora illa inveniri. Beatus, quicumque in hora illa emigrationis, quando cum timore et dolore anima separabitur a corpore, fiduciam repererit. Beatus, qui præsentem hanc vitam odit ac deserit, et in solo Deo omnis meditatio vitæ suæ est. » Idem, tract. *De Morte*: « Vita hæc nihil aliud est quam perpetua quædam via ad mortem, et velut quoddam iter ætatibus, quasi stationibus quibusdam, interstinctum. » Et mox: « Viator, o homo, es in hac vita; omnia præteris, omnia a tergo relinquis. »

Moral. de memoria mortis.

Moraliter, disce hic quotidie memor esse mortis, et quotidie mori, ut ad eam te disponas et aptes:

Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.

Fuit hic mos veterum. Damascenus, in *Hist. Barlaam et Josaphat*, testatur priscos Sanctorum reliquias religiose in theca ex collo pendente gestasse, non tantum venerationis, sed et memoriæ mortis causa. « S. Joannes Eleemosynarius, ait Leontius in ejus Vita, sepulcrum sibi effodit, ac quotidie a famulo moneri volebat de sepulcro, nempe parari illud, paulatimque perfici, ut hoc pacto per memoriam mortis, vitæ melioris desideria vir sanctissimus acueret. » Imo etiam de Philippo Macedonum rege refertur, « monitorem sibi in magna fortuna statuisse, qui quotidie mane sibi inclamaret, hominem eum esse, quo scilicet tumidiores animos comprimeret, et fortunæ inconstantiam cæterasque vitæ humanæ miserias animo quotidie præciperet, et ad eas se compararet. O quantum hic ruboris incutiet Christiano in die judicii! Quotidie ergo, dum incumbis, cogita an paratus sis mori: lectus enim nos merito commonet sepulcri, uti mortis imago somnus esse dicitur. Itaque incumbe, tanquam si ad judicium ea nocte rapiendus fores, et saltem contritionem cum actu fidei, spei et charitatis, et gratiarum actionis excita; vota, si Religiosus sis, renova; atque ita in pace in idipsum dormias et requiescas, » ait noster Auctor Viæ vitæ. Quin et S. Ambrosius, lib. IV, epist. 29 *ad Florianum*: « Toto animo, inquit, odi et damna quod diligit mundus. Tanquam mortuus, a labe et affectu illius te separa; sicut sepultus, nil habeas curam de sæculo; tanquam defunctus, omni terreno te abdica negotio. Contemne vivens quæ post mortem habere non poteris. »

Vide nostrum Alfonsum Rodriguez *De Perfectione*, tomo I, tract. 2, cap. v, ubi docet efficax medium ad perfectionem esse, si quis ita vivat quasi quotidie moriturus, et si ita exacte quodlibet opus faciat, ac si illud futurum sit vitæ suæ ultimum. Vide et Climachum, *gradu* 6, ubi inter alia refert Anachoretam quemdam a morte suscitatum cellæ se inclusisse, ac per annos duodecim nulli locutum fuisse, nec aliud quam panem et aquam degustasse, sed quasi attonitum assidue vim lacrymarum profudisse; ac sub mortem rogatum causam dixisse: « Nemo qui revera mortis memoriam agnoverit, peccare unquam poterit. » Memorat et alium qui dixit: « Non est præsentem diem pie pertransire, nisi hanc esse ultimam vitæ nostræ existimemus. »

13. ANTE MORTEM BENEFAC AMICO TUO, ET SECUNDUM VIRES (Græce ἰσχύν, id est *virtutem, potestatem, facultates*) TUAS EXPORRIGENS DA PAUPERI. — Græca jam non habent τὸ *pauperi*; sic enim habent, *antequam moriaris, benefac amico, et pro viribus tuis extende manum tuam, et da illi.* Sic et Syrus, *priusquam moriaris, benefac amico tuo, et quidquid petit a te, da illi;* Tigurina, *priusquam moriaris, in amicum esto beneficus, et pro eo quod potes, manum illi dando porrige.* Noster ergo antiquius et plenius habuit exemplar Græcum, in quo erat τὸ *pauperi*. Scriptura enim ubique commendat eleemosynam in pauperes, in eamque jubet expendi opes a Deo datas. Sensus ergo est, *q. d.* Ante mortem benefac amico, præsertim pauperi, in eumque liberaliter plenam manum exporrige, largas ei dando eleemosynas. Per *amicum* Lyranus accipit quemvis proximum: hic enim ex charitate amandus est; et sic accipitur amicus *Levit.* XIX, 18. Vers. 13.

Est hic tertius usus divitiarum: versus enim 11 duos assignavit, dicendo scilicet, *primum*: Benefac tibi; *secundum*: Offer Deo oblationes; hic *tertium* assignat, scilicet, ut et aliis amicis, præsertim pauperibus, benefaciamus. Huic consonat proverbium Arabicum, *Cent.* 1, num. 44: « Accende lucernam tuam ante tenebras, id est, illumina te operibus bonis, antequam superveniat tibi mors. » Et *Centur.* 2, num. 41 et 44: « Operare bona, quotiescumque potes, domesticis tuis et extraneis, et bona verba loquere, tam bonis quam malis. Provide animæ tuæ bona in operibus bonis. »

Nota τὸ *ante mortem*: non vetat, in morte, testamento relinqui legata in pios usus et alimoniam

pauperum (hoc enim commendat pius Ecclesiarum et fidelium omnium sæculorum usus); sed quod præferenda sit beneficentia et eleemosyna ante mortem facta ab homine vivo et sano, idque multis de causis : *prima* est, quod quæ in morte relinquuntur, magis coacta videantur et involuntaria; quæ vero in vita, magis voluntaria sint et libera : in vita enim relinquit homo ea quibus potest uti, in morte vero ea quibus amplius uti nequit. *Secunda,* quod quæ in vita dat vivens, ea sibi subtrahit : quæ vero in morte, ea mors illi subtrahit; liberalior ergo est dans vivens, quam moriens. *Tertia,* quod eleemosyna data a vivente ei preces pauperum Deique favorem conciliat, ut liberaliter in eum sua dona et gratias effundat; secus est in morte : post mortem enim homo novæ gratiæ est incapax, nec in ea et justitia crescere potest. Quocirca sapienter S. Lucia petiit a matre ut sortem hæreditatis obventuræ sibi assignaret in vita, quo eam illico in pauperes erogaret; cumque mater se difficilem præberet, diceretque se post mortem suam ei sortem relicturam, qua faceret quod liberet, subjunxit S. Lucia : « Melior est beneficentia in vita, quam in morte, sicuti magis illuminant faces quæ præeunt incedentem, quam quæ sequuntur, » quod eleganter dicunt Belgæ : *De keersse die voorgaet die licht best. Quarta,* quod testamenta et legata facta in morte multis litibus sint obnoxia, ac non raro tarde vel nunquam solvantur, imo ab hæredibus evertantur : quæ vero in vita dantur, everti nequeunt. Audi hac de re S. Chrysostomum homil. 18 *in Epist. ad Roman.* : « Licet, inquit, ut et ab ipso testamento commenderis, etsi non quemadmodum si, dum vivis, bene ageres; licet tamen. Quo pacto? si Christum in ipso cum hæredibus conscripseris, partemque illi totius sortis tradideris. Non pavisti Christum dum viveres? saltem abiturus hinc, quando jam non amplius eorum quæ possidebas usum ac potestatem habes, tua illi contribue; non erit, quemadmodum benignus est, curiosus aut difficilis erga te. Majoris quidem amoris signum fuerit, majoreque dignum mercede, si Christum dum vivis, paveris; si vero illud non fecisti, vel quod secundo loco licet, aggredere : nimirum, relinque illum filiis tuis cohæredem. »

Eleemosyna in vita melior quam in morte, ob quatuor causas.

Audi et S. Basilium homil. 7 *Contra divites avaros,* tenacitatis eorum excusationem recensentem et refellentem : « Nolo inquis, vendere, nolo pauperibus dare, ob vitæ necessarios usus; ego quidem bonis, dum vixero, frui volo : post mortem vero in testamento hæredes facultatum mearum ac dominos pauperes adscribam. Heu miser! tunc benignus ac liberalis hominibus eris, cum amplius inter homines non ages? cum te cadaver aspiciam, tunc fratris amantem appellabo? magna dignus eris liberalitatis laude, magnus tibi honor debebitur aut gratia, si in sepulcro jacens, et in terram conversus, magnificus ac sumptuosus apparebis? si tempore, quod ad promerendum datur, in voluptatibus ac deliciis absumpto, pauperes nequaquam aspexisti, mortuus cujusnam actionis aut operis mercedem petiturus es? nullus enim post mercatum solutum negotiatur, neque demum post certamina accedens coronatur, nec post bellum fortia gerit : nec item post vitam pietatis laudem præmiumque capiet. »

Vers. 14. Particula boni doni quæ?

14. NON DEFRAUDERIS A DIE BONO, ET PARTICULA BONI DONI (aliqui legunt, *boni diei*) NON TE PRÆTEREAT. — Redit Siracides ad illud vers. 11 : « Benefac tecum, » id est, tibi, illudque inculcat et exaggerat. *Diem bonum* vocat felicem, lætum, jucundum, *q. d.* Ne te defraudes felici et jucundo die, v. g. convivii aut festi, nec portione bonorum tibi a Deo donatorum te prives, sed ea fruaris jucunde, honeste tamen et moderate cum timore Dei, non prodigaliter ad luxum. Græca, *ne defraudes a die bono, et pars boni desiderii* (id est, boni desiderabilis) *non te prætereat*; alii, *et pars honestæ cupiditatis ne prætereat te;* Tigurina, *ne te defraudes jucundo die, nec te fructus bonæ cupiditatis prætereat;* Syrus vero, *ne prohibearis a bono diei, et concupiscentiam odibilem non concupiscas.* Videtur Syrus in Græco negationem non trajecisse, eamque combinasse cum *bonæ,* non cum *prætereat,* hoc modo : « Et fructus non bonæ (id est, malæ, odibilis) cupiditatis te prætereat. » Hoc enim in re idem est cum eo quod ipse vertit, *et concupiscentiam odibilem non concupiscas.* » Siracidi antistropha est gnome Arabum, *Centur.*. 1, num. 15 : « Ne perde margaritas in die festo, id est, ne contristeris, neque fleas in loco lætitiæ. »

Mystice est Eucharistia et oratio;

Mystice, *q. d.* Die festo cum datur tibi facultas vacandi Deo, orandi, meditandi, communicandi, legendi pia et Vitas Sanctorum, ea utere, pasce mentem cum Magdalena epulis hisce divinis. Maria enim optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Ita Lyranus. Noster P. Balthasar Alvarez, vir valde spiritualis, hoc apposite refert ad Eucharistiam, *q. d.* Post sacram Synaxin noli declinare ad res externas, sed versare cum Christo, illo fruere, illi tuas necessitates expone, gratias congruas efflagita, cum illo dissuaviare. Qua de re pulchra documenta vide in Vita ejus, quam scripsit Ludovicus de Ponte, cap. VI, § 2, pag. 74. Citavi ex eis nonnulla *Zachar.* IX, vers. 17.

Et occasione agendi.

Denique *particula bonæ diei non te prætereat,* quæ utique non est alia, quam præstandæ alicujus bonæ actionis occasio, *q. d.* Nullam occasionem exercendæ virtutis omitte; ita virtutibus meritisque dives, in iisque perfectus efficiere. Eam enim diei partem auspicatam et felicem existimat liberalis, quam donando et benefaciendo exegit; eam vero nigro calculo assignat, in qua nihil doni aut beneficii ab ipso in alios profectum est. Sic Basilius Imperator inter alia capita *Exhortationum ad filium Leonem* dictata, tom. V

Biblioth. SS. Patrum : « Largire, inquit, misericordiæ stipem egentibus, ut ipse tibi misericordiam allicias a Rege universorum Deo. Nam in eo præcipue versatur pietas, si tua non habentibus benigne impertiaris. Eum ergo diem tibi periisse existimato, in quo nemini benefeceris, pro beneficiis quæ a Deo illo die acceperis. » Titus Imperator cum aliquem diem sine insigni in quempiam beneficio transmisisset, vespere suspirans, dicebat : « Amici, diem perdidi. » Idem longe potiori ratione dicat Christianus, Sacerdos, Religiosus. Studiose ergo captanda occasio bene agendi : abit enim et avolat illico, nisi prehendatur, imo præoccupetur. Unde pro *non te prætereat*, Græce est μηδέ σε παρελθέτω, id est *non te præcurrat* aut fallat, quia occasio ocius et quasi furtim elabitur.

Charitas et Horæ sunt sorores : cur ?

Hac de causa veteres, ait Seneca, lib. I *De Benefic.* cap. III, aiebant Charites, sive Gratias, et Horas (quæ occasionis sunt symbolum, imo locus et situs) iisdem parentibus esse prognatas, scilicet Jovis et Eurynomes esse filias, Horas quidem seniores, Gratias vero juniores, ut significarent Gratias Horis, id est, occasioni, quasi subesse, ab eaque pendere, adeo ut dilationem non ferant, sed horis opportunis præstari debeant. Hunc sensum innuit vox Græca μερὶς ἐπιθυμίας ἀγαθῆς, id est, *particula boni desiderii*, vel *bonæ cupiditatis*, *q. d.* In vita hac tam brevi qua curris ad æternitatem, cave ne ulla verorum bonorum cupido, tibi a Deo immissa, tuo vitio cadat irrita et cassa. Vide nostrum P. Menochium, lib. II *Hieropolit.* cap. XXV, num. 2. Sane hoc grave et prudens est Sapientis consilium.

Vers. 15.

15. NONNE ALIIS RELINQUES DOLORES ET LABORES TUOS IN DIVISIONE SORTIS? — Dat stimulum ad beneficentiam, ut scilicet quis opibus suis sibi et aliis benefaciat : nimirum hinc, quod illas, licet multis doloribus et laboribus a se partas, cogetur brevi in morte aliis, ut filiis vel cognatis, relinquere, ut ipsi eas inter se sorte dividant, *q. d.* Quin ergo potius tu ipse opibus tuis, quæ tantis doloribus et laboribus tibi steterunt, frueris? Cur aliis asinine laboras, et fatigas teipsum? Cur aliis tuos dolores devorandos et prodigendos relinquis? Unde Græca habent, *numquid alteri relinques labores tuos, et defatigationes tuas divisioni sortis?* vel *ad divisionem sortis*, ut scilicet ipsi eos sorte inter se dividant; Tigurina, *nonne labores tuos relinques alii, et quæ opera tua comparasti, dividenda hæredibus?* Syrus, *alii enim relinques divitias tuas, et laborem tuum illis qui jaciunt sortes.* Ubi τὸ *jaciunt sortes* dupliciter accipi potest : *primo*, *q. d.* Qui sorte dividunt tuas opes; *secundo*, *q. d.* Qui lusu et jactu aleæ consument prodigentque opes tuas. Sic enim sæpe fit ut avari opes tanto studio collectas relinquant hæredibus prodigis, qui ludendo, et symposia per sortes celebrando, eas abliguriant. Complutenses, Rabanus, Lyranus et alii τὸ *in divisione sortis* referunt ad vers. seq. hoc modo : *In divisione sortis da et accipe*, idque vario sensu, uti mox ostendam. Verum Græca passim et Romana, cæteraque Latina, idipsum referunt ad præcedentia, eo modo et sensu quo dixi. Nota : Recte opes vocat *dolores;* nam, ut ait Prosper, lib. II *De Vita contempl.* cap. XIII : « Divitias qui habent, sine labore non quærunt, sine difficultate non inveniunt, sine cura non servant, sine noxia delectatione non possident, sine dolore non perdunt. »

Vers. 16 et 17.

16 et 17. DA ET ACCIPE, ET JUSTIFICA ANIMAM TUAM. ANTE OBITUM TUUM OPERARE JUSTITIAM, QUONIAM NON EST APUD INFEROS INVENIRE CIBUM. — Græca sic tantum habent, *da et accipe, et sanctifica animam tuam, quoniam non est in inferno quærere cibum.* Græca Romana pro *sanctifica* legunt, *falle animam tuam*, id est, consopi animæ tuæ curas et sollicitudines; et pro τροφήν, id est *cibum*, legunt τρυφήν, id est *delicias*. Tigurina, *da et accipe, dum sanctam conserves animam tuam* (*et ante obitum tuum exerceas justitiam*), *quoniam non est quod quæras apud manes cibaria;* Syrus, *da et accipe, et alas animam tuam, et omne quod pulchrum est ad agendum coram Deo fac; quia omnes homines consumendo consumuntur, et generationes mundi moriendo moriuntur.*

Jam τὸ *da et accipe* varie exponitur.

Multiplex hujus loci sensus.

Primus.

Primo, Rabanus sic nectit et explicat : « In divisione sortis, inquit, dat et accipit, qui hic verbum doctrinæ proximis suis impendit, et bonorum actuum exempla relinquit, ut in futuro pro hoc præmium æternæ vitæ accipiat. Justificat ille animam suam, qui per confessionem et pœnitentiam mundat mentem suam; et operatur justitiam, qui mandatorum Dei intelligentem habet custodiam; quoniam non est apud inferos invenire cibum, hoc est, pabulum vitæ. Quoniam non est, inquit, in morte qui memor sit tui : in inferno autem quis confitebitur tibi? » Verum hic sensus tropologicus est et anagogicus.

Secundus.

Secundo, Lyranus eodem modo nectens, sic explicat : « In divisione sortis da et accipe; ordinavit enim Deus quod aliqui sint pauperes, et aliqui divites pauperibus dent temporalia, et pro eis recipiant æterna. »

Tertius.

Tertio, alii, *q. d. Da* aliis quod ipsorum est, *accipe* vero quod tuum est.

Quartus.

Quarto, Palacius : « In divisione sortis da et accipe, id est, inquit, cum testamentum condis, et in eo hæreditatem tuam legas, ita hæredibus dato, ut tibi etiam accipias, scilicet quæ pro anima tua leges. Accipe partem hæreditatis, ut anima tua justificetur. Memento Machabæorum, qui vim argenti pro mortuis Hierosolymam miserunt : ita et tu ex tuo accipe, quo anima tua e Purgatorio justa discedat. Ergo hoc priore præcepto docet Auctor, ut tempore testamenti condendi ita relinquamus hæredibus, ut accipiamus nobis quod in oblationibus et eleemosynis pro justificatione animæ consumatur. Posteriore præcepto nos ad-

monet ne curam animæ nostræ hæredibus relinquamus; sed, si quid debemus nos, ante obitum solvamus; si eleemosynæ dandæ, si sacrificia litanda, id ante obitum curemus : quia apud inferos non est tempus inveniendi, seu merendi præmium æternum. »

Quintus. *Quinto*, et genuine : *Da*, id est, communica aliis; *accipe*, scilicet tibi, hoc est utere, *q. d.* Labores, id est, opes labore tuo partas ita expendas, ut earum partem aliis quibus obligaris, præsertim indigentibus, impertias; partem aliam tibi usurpes, ex eaque et jucunde et commode vivas, sicque *justifica*, Græce *sanctifica animam tuam;* dum enim opes juste, misericorditer et sancte modo jam dicto expendis, per hanc justitiam et eleemosynam sanctificas animam tuam. Dico *justitiam* : nam ante omnem eleemosynam pars opum debita aliis, vel ex justitia rigida, puta creditoribus, vel ex pietate, puta filiis et nepotibus, iis danda est; deinde quod superest dandum pauperibus. Hunc sensum exigunt præcedentia, quibus suasit ut quis opes non relinquat hæredibus, sed expendat ad suum et aliorum usum. Unde Syrus vertit *accipe, et alas animam tuam*. Avari enim nec dant nec accipiunt; prodigi accipiunt, et non dant; liberales vero et dant, et accipiunt. Ita Jansenius. Hinc et explicans subdit : « Ante obitum operare justitiam, » tum proprie dictam, *q. d.* Præsta jus quod tum aliis, tum tibi ipsi debes, exhibe id ad quod jure obligaris; tum metaphoricam, qualis est eleemosyna et beneficentia : hæc enim in Scriptura vocatur *justitia*, quia justorum et sanctorum propria est dos et virtus, uti dixi *Daniel.* IV, 24; tum genericam, quæ est complexio virtutum omnium, juxta illud Aristotelis, V *Ethic.* :

Justitia in sese virtutem amplectitur omnem.

Unde Dionysius Carthusianus : « Operare, inquit, justitiam, exsolvendo unicuique quod ei teneris, imprimis Deo obedientiam et honorem, per omnium mandatorum ad te pertinentium adimpletionem; secundo, proximis bonum exemplum, consilium atque auxilium; tertio, tibi ipsi jugem cordis custodiam; quarto, Prælato subjectionem. » Jubet enim ut ante mortem operemur omne bonum, quo mereamur post mortem æterna præmia. Alludit enim, imo citat illud *Eccle.* IX, vers. 10 : « Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos quo tu properas. »

Porro Jansenius negat hic agi de merito bonorum operum, sed tantum significari ut quis, dum vivit, bonis suis fruatur, quia post mortem iis uti non licebit, nec necesse erit, nec quidquam ab eis nobiscum efferre possumus. « Itaque extra propositum, inquit, auctores quidam hunc locum sic interpretantur, ut significetur post mortem non esse locum bonorum operum et meritorum colligendorum, quibus se homo hanc reficiat et pascat, et ideo ante mortem operandam justitiam. Quamquam enim is intellectus verus sit, est tamen extra intentionem Sapientis, qui hanc causam non adducit in illius comprobationem : Ante mortem operare justitiam; quia hoc non est in Græcis, sed in illis : Da et accipe. » Hæc Jansenius. Verum hic sensus nimis jejunus et humilis est; quare aliter sentiunt et explicant Rabanus, Lyranus, Palacius et cæteri Interpretes. Agi hic de merito bonorum operum, liquet ex eo quod ait Noster : « Ante obitum operare justitiam, » *q. d.* Ante mortem operare opera justa et sancta, quibus merearis vitam æternam : licet enim hæc verba modo desint in Græcis, tamen olim ea in illis lecta fuisse, liquet ex nostro Interprete, qui ea in Latinum transtulit, cui ex decreto Concilii Tridentini, *Sess.* IV, magis standum est quam Græcis modernis. Agi hic de merito operum probatur. Primo.

Secundo, idem liquet ex eo quod præcessit : « Da et accipe, et justifica animam tuam; » quæ verba sunt in Græco. Ex illis enim patet id quod sequitur : « Quoniam non est apud inferos invenire cibum, » non intelligi de cibo corporeo, sed spiritali, puta de justitia et merito bonorum operum. Sicut enim cibus corporis est panis, illeque corpus sustentat : sic cibus animæ sunt virtutes et bona opera, quibus illa pascitur, vegetatur et crescit in justitia Deique gratia. Unde de hoc cibo ait Christus, *Joan.* VI, 27 : « Operamini, non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis, » *q. d.* Contendite ut acquiratis opera bona fidei, spei, charitatis, quorum merces vobis maneat in vita æterna. Per cibum enim qui non perit, intelligi bona opera, significant Judæi, cum illico interrogant : « Quid faciemus, ut operemur opera Dei? » quibus respondet Christus : « Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille. » Et *Joan.* IV, 34, ait Christus : « Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei qui in cœlis est. » Obedientia ergo erat cibus et deliciæ, quibus pascebatur et deliciabatur Christus. Secundo.

Tertio, idipsum liquet ex verbis *Eccle.* cap. IX, 10, jam citatis, quo alludit hic Siracides. Ecclesiastes enim cibum hunc exponit, vocatque « opus, rationem et sapientiam, » quæ non est invenire apud inferos. Tertio.

Quarto, idipsum significant Græca, quæ pro *invenire* habent ζητῆσαι, id est *quærere*, τρόφην, id est *cibum*, vel, ut Romana, τρυφήν, id est *delicias* : quærere autem cibum et delicias futuræ vitæ, est eas mereri. Significat ergo in hac vita duntaxat, non in futura, esse tempus inveniendi, id est merendi, quo merito inveniatur et comparetur cibus æternus. Nam futurum sæculum suos habere cibos et delicias liquet ex illo Christi, *Luc.* XXII : « Et ego dispono vobis regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam. » Et potum habebat in limbo Lazarus, ex quo dives optabat linguam Quarto.

humectare, *Lucæ* cap. XVI. Reficiebantur enim in limbo Patriarchæ et justi ante Christum sua sanctitate, amore et contemplatione Dei, mutuis piis colloquiis, et spe adventus Christi.

Ita hunc locum exponit S. Augustinus in *Quæst. Veteris Testam.*, quæst. 22, ubi hanc Siracidis (quem ipse Salomonem vocat) gnomen conciliat cum illa *Psal.* CXLII, vers. 2, quæ in speciem videtur contraria : « Quid est, inquit, ut dicat Salomon : Justifica animam tuam ante obitum tuum ; » et in *Psal.* V, 42 : « Non justificabitur, ait, in conspectu tuo omnis vivens ? » Ac respondet : « Hic justificat animam suam ante mortem, qui spe vitæ futuræ consequitur fidem, ne moriatur impius. » Sed Salomon de eo dicit : « Qui sub lege vivit, et non conversatur juste ; hujusmodi ergo si corrigat animam, ut justitiæ vias ambulet, justificat animam suam ante mortem. Salomon enim propter judicium futurum consilium dedit, ne quis indiligens circa se in peccatis moriatur ; David vero de perfectione justitiæ locutus est, quia nemo justificabitur apud Deum ut dignus promissione sit, nisi fuerit mortuus cum justitia : quamdiu enim vivit, futurorum meritum non habet adhuc plenum. Unde dicit Salvator, *Matth.* X : Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. » Siracidi concinit R. Tarpon, cujus aurea gnome exstat in *Pirke Avoth*, id est in *Apophthegm. Patrum*, cap. II : « Dies brevis est, et prolixum opus, operarii tardi et pigri, merces ampla, paterfamilias autem compellens ad finem operis instat et urget. » Ibidem quinque sapientum Hebræorum hæc tria exstant documenta : « Æque tibi carum sit ac pretiosum sodalis tui bonum nomen, ac tuum. Ne te corripi sinas præcipitis iracundiæ motu. Die uno ante obitum ad pœnitentiam te para. » Ibidem, cap. III, R. Achabia filius Mahaleel : « Tria, inquit, tibi consideranda veniunt, quibus a peccato coercearis : quæ origo tuæ conditionis est, quis finis, et ante quem judicem ratio tibi reddenda est ? Unde tibi origo est ? e fœtido spermate. Quo tendis ? ad vermes et tineas. Cui judici debes astare judicium excepturus ? Regi regum terribili, et ei qui aufert spiritum principum : terribili apud reges terræ, Deo sancto et benedicto. »

Denique perperam ex loco hoc Purgatorium et suffragia pro animabus eo detentis convellere nituntur hæretici, dum sic explicant : Ante mortem operare justitiam, quia post mortem tibi prodesse non poterunt preces et pœnitentiæ, quas pro te subibunt vivi, ut inde reficiaris et pascaris. Nam *primo*, cibus significat hic merita bonorum operum, quæ apud inferos in Purgatorio non est invenire, non satisfactiones et suffragia, quæ ibi est invenire ; sed non nisi ab iis qui in hac vita operati sunt justitiam, ideoque meruerunt ut suffragiis piorum post mortem juvari possent. *Secundo*, Græce est : « Apud inferos non est quærere cibum, » *q. d.* Apud inferos non est locus merendi et comparandi merita ; hæc enim sunt quasi cibus animæ, cum satisfactiones sint quasi medicinæ, aut potius lytra ejusdem.

Mystice, noster Alvarez de Paz *De Adeptione virtutum*, lib. III, part. V, sect. 5, cap. III, hunc locum accipit de innovandis actibus vitæ spiritalis : « Da, et accipe, et justifica animam tuam, » *q. d.* Accepisti a Deo auxilium ut bene opereris ? da igitur illi bona opera, et cooperare gratiæ susceptæ, ut iterum novam accipias, et sic ad veram justitiam et sanctitatem pervenias. Ante obitum operare justitiam, quia non est apud inferos invenire justitiæ et bonorum operum cibum. At si irrepserit lassitudo, et vigor intepuerit, teipsum iterum excita, ac ad fortiter et strenue operandum coge ; quia omne opus electum, id est, fervide factum, justificabitur, et qui operatur illud, honorabitur in illo. Mystice.

Moraliter, ingens acerque est hic stimulus ad assiduum exercitium et incrementum bonorum operum in hac vita, quod scilicet post eam non sit tempus quærendi cibum, hoc est, merendi. Unde Angelus *Apocal.* X, 6, jurat per viventem in sæcula sæculorum : « Quia tempus non erit amplius. » Dum ergo mane evigilas, cogita hodiernum diem forte tibi fore ultimum. Sicut ergo apes, imminente pluvia et frigore, ardenter mel accumulant : ita tu, imminente mortis incertitudine, opera bona accumula. Quod enim hic negligis, perdis per omnia sæcula, nec illud per totam æternitatem recuperare poteris. Cogita, si Judas et damnati apud inferos, vel horam pœnitendi et merendi haberent, quam gauderent ! quid non agerent ! quas pœnitentias non ultro subirent ! Tu habes horam et diem, mensem et annum : vide ut illis bene utaris, quia postea frustra illa requires. Sapienter Angelus apud Venerabilem Bedam, lib. III *Histor.* cap. XIX, mortalibus occinit : « Nullus labor durus, nullum tempus longum, quo gloria Æternitatis acquiritur. » VIVE ÆTERNITATI. Moraliter.

Quocirca S. Gregorius Nazianzenus monuit vitam hanc esse mercatum et nundinas, in quibus cuilibet quidlibet virtutum, omnemque gratiam et gloriam emere liceat ; sed iis expletis nihil jam emendum restet ; sic enim ipse canit in *Tetrastichis* :

Hanc esse vitam nundinas credas velim.
Negotiari si scias, lucrum feres,
Caduca mutans commodis perennibus.
Post tempus illud, alterum non suppetet.

Et Seneca in *Hercule furente* :

Properat cursu
Vita citato, volucrique die
Rota præcipitis vertitur anni.
Dura peragunt pensa sorores,
Nec sua retro fila revolvunt.

Quocirca sapienter monet Ptolemæus in *Præfat. Almagesti* : « Quanto plus fini appropinquas, tanto

magis bonum cum augmento operare. » Vide ea quæ dixi *Apocal.* x, vers. 6, et cap. XIV, 13 : « Beati mortui qui in Domino moriuntur ; amodo enim dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis : opera enim illorum sequuntur illos. » Et *Prov.* VI, 6 : « Vade ad formicam, o piger, » etc. Dum ergo sumus in die sexta præsentis vitæ, colligamus manna et cibum, quo vivamus in sabbato futuræ quietis et gloriæ, ait Origenes, homil. 3 *in Psal.* XXXVI.

Vers. 18. 18. OMNIS CARO SICUT FOENUM VETERASCET. — Persistit in inculcatione mortis et necessitatis moriendi, ut per eam incitet omnes ad beneficentiam bonumque usum divitiarum ad suum et proximorum commodum. Vitam ergo brevem et mortem citam repræsentat per duas similitudines : prior est *fœni ;* per *fœnum* intellige gramen viride, quod, dum metitur et siccatur, fit fœnum. Est metonymia, *q. d.* Sicut gramen ad modicum tempus viret et floret, ac mox demessum fit fœnum, arescit, senescit et emoritur : sic et omnis caro, hoc est, omnis homo, omneque vivens. Audi Rabanum : « Comparat humanam naturam secundum carnis conditionem, ad fœni et folii similitudinem, quia sicut fœnum in terra, vel folium in arbore nascitur, crescit, virescit, exsiccatur et dejicitur : ita carnis nostræ natura nascitur ex progenie parentum, crescit in infantia atque pueritia, florescit in adolescentia, maturescit in juventute, arescit in senectute, et dejicitur in morte. Unde per Ecclesiasten dicitur : Generatio vadit et generatio venit, terra in sæculum stat. Hinc et Isaias ait : Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri ; exsiccatum est fœnum, et cecidit flos, quia spiritus Dei sufflavit in eo. »

Omnis caro fœnum.

Gnomæ Patrum.

Profundius Clemens Alexandrinus, lib. II *Pædag.* cap. 10 : « Agrum, inquit, esse hunc mundum, nos vero divina irrigatos gratia herbam esse, attonderi morte, sed tonsos rursus exoriri resurrectione. Fœnum vero allegorice dici turbam promiscuam, quæ se ad momentaneam lætitiam applicat, quæ floret parvo tempore, quæ superflua ornamenta, quæ gloriam, quæ quidvis potius quam veritatem sectatur, quæ non ad aliud est apta quam ad ignis incendium. » Hujus discipulus Origenes, homil. 1 *in Psal.* XXXVI : « Vis etiam, ait, per singula videre quomodo flos fœni sit carnis gloria ? Vide quis imperavit ante hos triginta annos, quomodo imperium ejus effloruit, continue autem sicut flos fœni emarcuit, tunc deinde alius post ipsum, deinde alius atque alius : qui deinde duces et principes ; et omnis eorum gloria et honor, non solum tanquam flos emarcuit, verum etiam tanquam pulvis aridus, et a vento dispersus, ne vestigium quidem sui reliquit. Alii etiam divitiis elati, et honoribus tumidi, prudentes vel laudabiles habiti fuere per simulatam bonitatem, vel exsecrabiles per indomitam crudelitatem. Quorum si quis vana studia constituat æmulanda, eat nunc ad cadaverum eorum reliquias, si tamen vel ipsa inveniri queant : aliquantis enim ne hoc quidem concessum est ; et tunc inveniet quomodo omnis caro fœnum est, et omnis gloria ejus ut flos fœni. » Sic Origenes de divitiis, honoribus, imperiis, de amicis, gratia, viribus et forma.

Divine S. Gregorius, lib. XVI *Moral.* cap. V : « Iniquorum, inquit, potentia fœni floribus comparatur, quia nimirum carnalis gloria, dum nitet, cadit ; dum apud se extollitur, repentino interrupta fine terminatur. Sic namque aurarum flatu in altum stipula rapitur, sed casu concito ad ima revocatur. Sic ad nubila fumus attollitur, sed repente in nihilum tumescendo dissipatur. Sic ab infimis nebula descendendo se erigit, sed exortus hanc solis radius, ac si non fuerit, abstergit. Sic in herbarum superficie nocturni roris humor aspergitur, sed diurni luminis subito calore siccatur : sic spumosæ aquarum bullæ inchoantibus pluviis excitatæ, ab intimis certatim prodeunt ; sed eo celerius diruptæ depereunt, quo inflatæ citius extenduntur ; cumque excrescunt ut appareant, crescendo peragunt ne subsistant. » S. Bernardus, serm. 35 *in Cant.*, docet, non propter naturam, sed propter vitium omnem carnem vocari fœnum. Recte, quia vicissitudo ista, instabilitas et necessitas moriendi consecuta fuit peccatum. S. Vincentius in *Monitis :*

Audi clamantem cum magna voce Prophetam,
Seu mandata legis pristina, sive nova :
Quæ laus in vultu est ? fœnum omnem credite carnem ;
Quippe ut flos fœni, gloria carnis erit.
Nam veluti flores ictus metit, atterit æstus,
Confundunt imbres, fortior aura rapit :
Sic vultum quandoque placet consumere tempus,
Et tumor, et livor despoliare potest.
Atque ipsam ut taceam quæ conterit omnia mortem,
Quanta licent morbis, febribus, ulceribus ? etc.

Alludit Siracides ad *Psalm.* LXXXIX, 6 : « Mane sicut herba transeat, mane floreat et transeat, vespere decidat, induret et arescat. » Ad quod pariter alludens S. Hieronymus, epist. 139 *ad Cyprianum* : « Sicut enim, inquit, mane virens herba, et suis floribus vernans delectat oculos contemplantium, paulatimque inarescens amittit pulchritudinem, et in fœnum quod conterendum est vertitur ; ita omnis species hominum vernat in parvulis, floret in juvenibus, viget in perfectæ ætatis viris, et repente dum nescit, incanescit caput, rugatur facies, cutis prius extenta contrahitur, ut extremo fine, quod hic dicitur vespere, id est senectute, vix moveri queat, ita ut non cognoscatur quis prior fuerit, sed pene in alium commutetur. » Græca pro *fœnum* habent ἱμάτιον, id est *vestimentum*. Omnis caro, inquit, ut vestimentum veterascet ; pactum enim αἰῶνος, id est *sæculi* (alii vertunt *sempiternum*) est : « Morte morieris, » quæ ultima verba Noster posuit vers. 12. Græcum secutus S. Augustinus, lib. XVI *De Civit.* cap. XXVII, ita hunc locum affert :

« Omnis caro sicut vestis veterascet. Testamentum est a sæculo, morte mori eos qui transgrediuntur præcepta Dei; » Tigurina, *omne animans in modum vestimenti veterascet; hoc enim est ab ævo conditum pactum: Morte morieris;* Syrus, *omnes homines consumendo consumuntur, et generationes mundi moriendo moriuntur.*

Ubi nota mortem vocari *testamentum mundi*, Græce αἰῶνος, id est *sæculi*, triplici sensu: *primo, sæculi*, quia a sæculo, puta ab ævo et æterno, conditum et decretum a Deo; *secundo, sæculi*, quia ad omnia sæcula pertinet, omnesque omnium temporum homines complectitur; *tertio, sæculi*, id est *mundi*, quia non unam gentem aut regionem, sed universum plane mundum stringit et obligat.

Vers. 19. 19. ET SICUT FOLIUM FRUCTIFICANS (Græce θάλλον, id est *germinans*) IN ARBORE VIRIDI. ALIA GENERANTUR, ET ALIA DEJICIUNTUR : SIC GENERATIO CARNIS ET SANGUINIS (id est *generatio hominum*: hi enim constant carne et sanguine) : ALIA FINITUR, ET ALIA NASCITUR. — Est syntaxis Hebraica sic latine ordinanda, *et sicut folia quæ fructificant in arbore viridi, quorum alia generantur, et alia dejiciuntur: sic generatio carnis et sanguinis alia finitur, et alia nascitur.* Est hæc secunda similitudo celeris vitæ mortisque hominis, *q. d.* Homines similes sunt foliis arborum, quorum alia nascuntur, alia dejiciuntur; nova enim quæ nascuntur, extrudunt et dejiciunt vetera : sic est et generatio hominum; alii enim nascuntur, alii moriuntur; juvenes enim qui nascuntur, succedendo extrudunt senes. Unde Græcæ voces καταβάλλει καὶ φύει tam active pro *dejicit et generat*, quam passive pro *dejiciuntur et generantur*, verti possunt. Active vertunt Complutenses et Romani, *sicut*, inquiunt, *folium germinans in arbore densa alia quidem dejicit, alia autem generat : sic generatio carnis et sanguinis alia quidem finitur, alia vero nascitur.* Sic enim sensus planus est et plenus : nam si passive vertas, hiulcus est et supplendus, ufi supplet Syrus, qui sic vertit, *sicut folia arborum quorum hæc cadunt, et hæc germinantur; sic sunt generationes carnis et sanguinis : generatio moritur, et alia generatur, q. d.* Nata folia moriuntur, ut dent locum aliis quæ nascuntur : ita et tu tendis in mortem, ut tuis des hæredibus locum. Si ergo tibi moriendum est, idque brevi, cur te bono die defraudas, et aliis tua relinquis? cur ex iis non operaris justitiam, et tibi merita conquiris, quibus vivas et beeris per omnem æternitatem ?

Homines sunt folia, Primo. Secundo. Tertio. Apposite homines comparat foliis : *primo*, quia sicut folium exile est et tenue, sic et homo ac hominis vita; *secundo*, sicut folium quovis impulsu agitatur : sic et homo qualibet tentatione; *tertio*, sicut folia in vere et æstate virent, in autumno et hieme marcescunt : sic et homines in juventute florent, in senectute arescunt et marcescunt, ac plerumque in autumno et hieme (tunc enim deficit in senibus et debilibus calor naturalis) emoriuntur; *quarto*, sicut brevis est vita virorque foliі, sic et hominis. Unde Homerus, *Iliade* V : Quarto.

> Quale foliorum genus, *inquit*, tale et hominum.
> Folia quidem alia ventus humi fundit, alia vero sylva
> Pullulans gignit, quando venit veris tempus :
> Sic hominum genus aliud quidem nascitur, aliud autem moritur.

Quinto, sicut folium et frondes ventis sursum et deorsum jactantur : sic et homo flatibus fortunæ prosperæ et adversæ vel attollitur vel deprimitur. Frondes enim a ferendo dicuntur, quod huc atque illuc a vento ferantur. Frondes, inquit Valla, arborum sunt tantum; folia autem arborum, herbarum et florum : unde folium dicitur a Græco φύλλον, ait Festus; simplici autem *l* ideo scribitur, quod antiqui consonantes non geminabant. Hoc est quod ait gemitque Job cap. XIII, 25 : « Contra folium quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, et stipulam siccam persequeris. » *Sexto*, sicut folia florum, v. g. rosarum, liliorum, tuliparum miro suo colore, odore, fulgore oculos recreant et rapiunt, sed illico cum marcescunt fastidio sunt, et everruntur in sterquilinium : sic prorsus accidit et juventuti hominis, ejusque decori et gratiæ, quæ omnia in morte velut cadavera ejiciuntur in sepulcrum. *Septimo*, sicut folia carent fructu, sed ad hoc a natura data sunt arbori vel herbæ, primo, ut eam ornent; secundo, ut eam ejusque fructum ab æstu et frigore tueantur et protegant : sic et juventus, forma, opes, reliquæque dotes naturæ quasi folia sunt, quæ carent fructu; sed ad hoc data sunt a Deo, ut fructum virtutum et bonorum operum ornent, conservent et protegant. *Octavo*, sicut ex arbore oriuntur folia, sic ex homine dotes jam dictæ. Rursum, sicut recens folium exoriens extrudit vetus, sic juventus extrudit senectam et senes, ac in eorum locum, officia et gradus militiæ, mercaturæ, gubernationis subintrat. *Nono*, sicut continua est successio foliorum, ut aliis decidentibus alia succrescant : sic est et continua generatio hominum, ut aliis deficientibus et morientibus alii subnascantur et succedant. Rursum, sicut ex eodem arboris trunco oriuntur successive alia et alia folia, alii et alii surculi et rami : sic ex eadem humana natura alii oriuntur, alii occidunt. *Decimo*, sicut arbor valde foliata parum est fructifera, quia, dum totum succum in folia effundit, parum vel nihil sibi reservat, quod in fructus conferat : ita et homines qui externum tantum decorem et pompam spectant, parum fructus gratiæ et bonorum operum proferunt. Dum enim folia sectantur, amittunt fructum, instar canis Æsopici, qui, dum umbram carnis in flumine quasi majorem invasit, carnem ipsam amisit, nec umbram requisivit : tales sunt prædicatores, qui, dum verborum ornatum quasi folia consectantur, spiritum et fructum concionis, puta motum et conversionem animarum deperdunt. Hi imitan- Quinto. Sexto. Septimo. Octavo. Nono. Decimo.

tur Adamum protoplastum, qui, dum fructum ligni vitæ amisisset, foliis ficus quasi veste se contexit, *Genes.* III, 7. *Undecimo,* cum folium necdum protulit fructum, adhuc viret et splendet; sed simul ac edidit fructum, illi quasi cedens languet, et vergit in occasum: ita et homines, dum juvenes sunt, vigent et valent; at ubi viri proles generant et familiam instruunt, illis cedunt, languescere et senescere incipiunt, ac vergere ad mortem.

Undecimo.

Vers. 20. 20. OMNE OPUS CORRUPTIBILE IN FINE DEFICIET : ET QUI ILLUD OPERATUR, IBIT CUM ILLO. — Dixit omnes homines morituros; jam pariter asserit eorum opera mundana intermoritura, *q. d.* Omnia palatia, omnes vineæ, omnes urbes, in quibus construendis desudat hominum labor et industria, cum sint res corruptibiles et corruptioni obnoxiæ, tandem deficient; et qui illa construunt, ibunt cum illis in corruptionem et interitum : quare suadeo cunctis ut illis cor non affigant, sed potius ab illis avellant, et ad domos opesque cœlestes nunquam intermorituras, per beneficentiam aliaque bona opera transferant. Græca habent, *omne opus* σηπόμενον, id est *putrescens, deficit, et qui fecit illud abibit cum illo ;* Tigurina, *omne opus marcori obnoxium deficit, et opifex ejus æque atque ipsum interit.* Omnes enim res quia conflatæ sunt e quatuor elementis, quæ per qualitates contrarias assidue inter se pugnant, hinc ex assidua hac pugna debilitantur, corrumpuntur et intereunt. Hac de causa omnes res ex sese emittunt cariem, tabem, marcorem, adeo ut et æs quod cæteris est solidius, ex se emittat æruginem, quæ ipsum consumit. Dum ergo vides columnas, pyramides, trophæa, hortos, paradisos, etc., dicito : « Omne opus corruptibile in fine deficiet, et qui illud operatur, ibit cum illo. » Id liquido videmus Romæ, ubi magnifica illa tot veterum imperatorum et principum palatia, circi, thermæ, mausolæa, etc., ita interierunt, ut vix sciatur eorum locus. Idem cæteris omnibus accidet. Vere Psaltes : « Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis, » *Psalm.* CXVIII.

Omnis res suam habet cariem.

Moraliter, opus corruptibile et putrescens, imo putridum, est concupiscentia et peccatum, quod proinde interibit, imo igne conflagrationis mundi et igne inferni deflagrabit, æque ac homo, qui illud est operatus, juxta illud S. Pauli : « Qui seminat in carne, de carne et metet corruptionem; et qui seminat in spiritu, de spiritu et metet vitam æternam, » *Galat.* VI, 8.

21. ET OMNE OPUS ELECTUM JUSTIFICABITUR : ET QUI OPERATUR ILLUD, HONORABITUR IN ILLO. — Opus electum vocat justum et sanctum, quale est opus beneficentiæ et eleemosynæ, quam paulo ante commendavit, quod opponit operi corruptibili, *q. d.* In die judicii omne opus electum et sanctum justificabitur, id est, justum et sanctum declarabitur per Christi judicis sententiam; quia ille qui illud operatus est, publice coram toto mundo honorabitur, celebrabitur et regno cœlesti adjudicabitur. Hoc est quod ait Paulus I *Cor.* III, vers. 12 : « Si quis superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, lignum, fœnum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit, etc. Si cujus opus manserit quod superædificavit, mercedem accipiet ; si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. »

In Græcis jam hic versus deest; Tigurina tamen sic eum effert, *omne opus egregium justum censebitur, et auctor ipsius laudem ex eo consequetur.* Syrus pro hoc versu et præced. hunc habet, *generatio moritur, et alia generatur, et omnia opera ejus manifestantur coram illa, et opus manuum ejus sequitur eam.*

Nota : Τὸ *electum* monet et stimulat nos, ut opera bona non qualia qualia, sed electa, eximia et heroica faciamus. Regi nil nisi electum et eximium offertur : quam ergo purum et eximium sit oportet quod Deo offertur ? ne oculus Dei lucidissimus in eo quid, non dicam vitii, sed imperfecti, vel certe minus perfecti deprehendat. Quam electum sit oportet, quod celebrent Angeli Sanctique omnes, quod coram eis fulgeat et coruscet per omnem æternitatem ? Quare Siracides noster, cap. XXXIII, 23 : « In omnibus, inquit, operibus tuis præcellens esto ; » opus enim vulgare, excellenter factum, fit excellens et singulare, magisque coruscat quam opus in se eximium, sed vulgariter factum.

TERTIA PARS CAPITIS,

QUA CONCLUDIT BEATUM ESSE QUI STUDET SAPIENTIÆ ET JUSTITIÆ, AC JUGITER COGITAT PROVIDENTIAM ET PRÆSENTIAM DEI.

Vers. 22. 22. BEATUS VIR QUI IN SAPIENTIA MORABITUR, ET QUI IN JUSTITIA SUA (τὸ *sua* non legit Jansenius, sed Romana et Complutenses) MEDITABITUR, ET IN SENSU COGITABIT CIRCUMSPECTIONEM DEI, — ut scilicet ex ea discat quomodo se in omnibus circumspecte habere debeat. Magna enim dos et virtus est circumspectio, de qua vide nostrum Alvarum de Paz *De Adeptione virtutum,* lib. III, part. II, cap. VI, § 5. Est hæc capitis totius conclusio, qua ex dictis de vanitate opum, dignitate beneficentiæ, brevitate

vitæ, et mortis vicinia, concludit beatum esse divitem non opibus et censu, sed sapientia et sensu ; ut jugiter in ea meditando, loquendo, operando quasi commoretur et habitet, atque *in*, id est *de justitia*, puta de operibus justis et sanctis exsequendis assidue meditetur, ut assidue suam justitiam adaugeat, ideoque suo *sensu*, id est, sua mente, sapientia et prudentia, cogitet *circumspectionem*, id est providentiam, *Dei ;* quæ omnia circumspiciendo recte disponit, ordinat et gubernat, ut ei se totum submittat et resignet, in eaque fidenter conquiescat. Rursum, quæ omnia, etiam secreta et occultissima, circumspiciendo intuetur et lustrat, ut bona et bonos magnis præmiis, mala et malos magnis et æternis pœnis afficiat. Ideoque jugiter ita circumspecte, caute, pie et sancte agit et vivit, quasi qui in oculis Dei omnia circumspicientis, vindicantis et remunerantis consistat, ab eoque interius et exterius, sursum et deorsum, ante et retro circumspiciatur ; quare summe cavet ne vel in minimo aspectum tantæ majestatis offendat : « Ita Moses, ait Palacius, invisibilem Deum, velut videns sustinebat, *Hebr.* XI. Ita David *Psal.* XV, dicebat : Providebam Dominum in conspectu meo semper. Ita Elias jurabat : Vivit Dominus, in cujus conspectu sto, III *Reg.* XVII. Ita et Ecclesiasticus, cap. IX, monebat ut in sensu nostro sit semper cogitatus Dei. Is ergo qui Deum Deique Filium et sapientiam continenter præ oculis animæ habet, in sapientia moratur, meditaturque quomodo coram illa justa opera faciat, cogitans se a Deo circumspici, nihilque esse intus et extra quod celare culpam Deo possit, cum ipse in circuitu totos nos videat. Is ergo qui ita Deum videt, beatus ab auctore pronuntiatur. » Hæc Palacius. Unde S. Hieronymus in *Ezech.* lib. VII, ad cap. XXII : « Memoria Dei, inquit, excludit omnia flagitia. » Et Clemens Alexandrinus, lib. III *Pædag.* cap. V : « Hac solum ratione fit, ait, ut quis nunquam labatur, si semper Deum sibi ipsi adesse existimet. »

Græca habent, *beatus vir qui in sapientia meditabitur, et qui in sensu suo disseret.* Ita Romana ; sed Complutenses sic habent, *beatus vir qui in sapientia meditabitur bona, et qui in intellectu suo disseret sancta*; alii, *excipiet sancta;* alii, *docte disputat sancta;* Tigurina, *beatus vir qui meditatur præclara per sapientiam. qui de justitia commentatur, qui per prudentiam suam sancta loquitur;* Syrus, *beatus vir qui in sapientia erit meditans, et in intelligentia contemplabitur.*

Igitur beatum et excelsum faciunt hæc tria, scilicet sapientia, justitia et circumspectio Dei. Audi Rabanum : « Beatum, inquit, eum esse describit, qui in sapientia morabitur, hoc est, in meditatione sacrarum Scripturarum assiduus erit, et secundum id quod ibi legit, recte vivendo opera facit justitiæ, et hoc agens, non humanum favorem, sed divinam quærit laudem, illi soli placere cupiens, qui inspector est cordis, et quem nemo fallere potest. » Huic affine est illud Senecæ *ad Lucilium* : « Bonus animus et rectus se facit parem Deo ; » *parem*, scilicet analogice et participate, id est similem. « Nemo est dignus Deo, nisi qui opus Dei implet. Nulla est major victoria quam vincere vitia. »

Nota τὸ *morabitur, q. d.* Assiduus, firmus et constans erit in studio sapientiæ usque ad mortem. Unde Græca Romana legunt, *morietur*, juxta illud cap. XXVII, vers. 12 : « Homo sanctus manet in sapientia sicut sol ; nam stultus ut luna mutatur, de quo ibidem plura. Rursum τὸ *morabitur*, » significat sapientem in sapientia, quasi in domo, imo templo sancto Dei, commorari. Nam « sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem, » etc. *Proverb.* IX, 1.

Nota rursum τὸ *et in justitia sua meditabitur.* Nam, ut solerter advertit Richardus de S. Victore, lib. I *De Contemplat.* part. I, cap. III : « Multum a se invicem hæc tria (cogitatio, meditatio, contemplatio) differunt, quamvis quandoque in materia conveniant. Cogitatio per devia quæque lento pede sine respectu perventionis, passim huc illuc que vagatur ; meditatio per ardua sæpe et aspera, ad directionis finem, cum magna animi industria nititur ; contemplatio libero volatu, quocumque eam fert impetus, mira agilitate circumfertur. Cogitatio serpit, meditatio incedit, et ut multum currit ; contemplatio autem omnia circumvolat, et cum voluerit, se in summis librat. Cogitatio est sine labore et fructu ; in meditatione est labor cum fructu ; contemplatio permanet sine labore cum fructu. In cogitatione evagatio, in meditatione investigatio, in contemplatione admiratio. Ex imaginatione cogitatio, ex ratione meditatio, ex intelligentia contemplatio. Intelligentia obtinet supremum locum, imaginatio infimum, ratio medium. »

Cogitatio, meditatio, contemplatio, quomodo differant.

Tropologice, S. Bernardus in *Sentent.* sentent. 7, hisce Siracidis verbis putat significari tria, quæ perfectum quoad omnes faciunt hominem, nimirum justitiam quoad proximum, circumspectionem quoad Deum, sapientiam sive judicium quoad seipsum : « Moratur siquidem, inquit, in sapientia, et sapiens est, qui semetipsum hic dijudicat, ut æternum Dei judicium evadat. » Et sub initium : « Adam, inquit, in paradiso positus, primo, perdidit circumspectionem Dei ; secundo, perdidit justitiam, quando uxoris voci plus quam divinæ obedivit : justitia enim est virtus, quæ suum cuique reddit ; tertio, amisit judicium, cum post peccatum correctus, oblique per mulierem retorsit propriam culpam in auctorem, dicens : Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi. Eisdem vero virtutum gradibus redeundum est homini in exsilio posito, quibus primus expelli meruit de paradiso. Primum itaque faciendum est judicium, deinde exercenda justitia, tandem circumspectio adhibenda. Et judicium quidem nobis, ut nos ipsos judicemus e

accusemus, justitiam proximo, circumspectionem debemus Deo. Hanc redeundi viam ostendit nobis Michæus propheta dicens : Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Deus requirat a te : utique facere judicium, et diligere misericordiam, et ambulare sollicite cum Deo tuo. Hanc salutis viam testatur Apostolus Christum docuisse, dicens : Apparuit gratia Dei salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc sæculo, etc. Sobrie scilicet quantum ad nos, juste ad proximum, pie ad Deum. »

Rursum aliqui sic exponunt : In sapientia morari, est Dei opera in sapientia facta considerare. In justitia meditari, est opera nostra quomodo juste fiant perscrutari, Circumspectionem Dei cogitare, est illum ubique præsentem et quasi nos ambientem intueri. Rursum in sapientia morari, est mente et cogitatione versari in Christo salvatore nostro, qui factus est nobis a Deo sapientia, justitia, sanctificatio et redemptio, I *Corinth.* I, vers. 30. Quocirca Dionysius Carthusianus, lib. *De Inordin. Corr.* art. 29, hanc tanquam brevissimam perfectionis regulam tradit : « Intellectu et affectu te a terrenis abstrahe, et Deo jugiter inhærere contende, » ut, sicut ait S. Ambrosius in *Psalm.* LXXVI, vers. 5 : « Semper Christum annuntiemus, Christum rogemus, Christum cogitemus, Christum loquamur; in corde nostro semper, semper in ore sit Christus. »

Christus semper in corde et ore.

Anagogice, in sapientia moratur qui vacat vitæ contemplativæ; hic enim cum sapientia moratur sicut Jacob cum Rachel, quæ typum gessit vitæ contemplativæ, uti dixi *Genes.* XXIX, vers. 24, et seq. Unde S. Gregorius, lib. II *in Ezech.* homil. 15 : « Qui sunt, inquit, in Ecclesia sancta thalami, nisi eorum corda, in quibus animæ per amorem sponso invisibili junguntur, ut ejus desiderio mens ardeat, nulla quæ jam in mundo sunt concupiscat, præsentis vitæ longitudinem pœnam deputet, exire festinet, et amoris amplexu in cœlestis sponsi visione requiescere? mens itaque, quæ jam talis est, nullam præsentis sæculi consolationem recipit; sed ad illam quam diligit, medullitus aspirat, fovet, anhelat, anxiatur. » Et S. Hieronymus, lib. II *Commentar. in Jeremiam* : « Una est, inquit, et sola Theorica, id est contemplatio Dei, cui merito omnia justificationum merita, universa virtutum studia postponuntur; activa enim vita cum corpore deficit, contemplativa autem vita hic incipitur, ut in cœlesti patria perficiatur : quia amoris ignis, qui hic ardere inchoat, cum ipsum quem amat, viderit, in amore ejus amplius ignescit. » Et sponsa *Cantic.* II, vers. 9 : « En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. In quæ verba S. Bernardus : « Præsto, inquit, est oculus, cui omnia patent, si non patet ipse; vereor aspectum exploratoris illius, qui post parietem stat, quem pro acumine visus, capreæ assimilavit Scriptura; hunc ego vereor occultum occultorum exploratorem. » Et S. Prosper, lib. *De Vita Contemplat.* cap. IV : « Vitæ, inquit, contemplativæ sectator ad conditorem suum corde illuminandus accedat, ipsi contemplando, atque insatiabiliter perfruendo vigilanter inserviat, ipsum jugiter concupiscat, præ amore ejus omnia quibus inde potest averti, refugiat; omnes cogitationes suas ac totam spem ex illius delectatione suspendat, litterarum divinarum sacris meditationibus vacet, in his se divinitus illuminatus oblectet. »

In sapientia moratur vacans contemplationi.

23. QUI EXCOGITAT VIAS ILLIUS IN CORDE SUO, ET IN ABSCONDITIS SUIS INTELLIGENS, VADENS POST ILLAM QUASI INVESTIGATOR, ET IN VIIS ILLIUS CONSISTENS. — Explicat per varias metaphoras quomodo quis in sapientia moretur, et in justitia meditetur, ac deinde vers. 25, cur talis sit beatus. Dicit ergo in sapientia et justitia meditari non esse aliud, quam excogitare vias ejus in corde suo, id est, sapientiæ rationes et modos corde suo ruminare et pertractare, itaque abscondita illius præcepta, consilia et dictamina intelligere, per quæ quasi vestigia investiget ipsam sapientiam, ut illam cominus intueri, audire, eaque frui et beari queat. Sicut enim venatores cervos, damas et lepores vestigant et sequuntur per eorum vestigia, ut eos assequantur et capiant : sic et studiosus sapientiæ ipsam per ejus effectus, doctrinam et opera quasi vestigia investigat, ut per ea ipsam assequatur et comprehendat. Ita anagogice Sancti venantur Deum, qui est ipsa sapientia increata, per orationem et studium virtutum, euntes quotidie de virtute in virtutem, ut eum cominus videre in cœlo, ejusque visione frui et beari valeant, juxta illud Pauli : « Sequor autem si quo modo comprehendam, » *Philip.* III, vers. 12. Vers. 23.

Græca habent, *qui cogitat vias ejus corde suo, et arcana ejus perpendit. Egressus sequere eam ut vestigator, et viis ejus* ἐνέδρευε, id est *inside,* vel insidiare, uti venator insidiatur lepori ; Tigurina, *qui instituta sua* (legit αὐτοῦ, alii melius legunt αὐτῆς, id est *ejus,* scilicet sapientiæ) *perpendit animo, et arcana illius cognoscit, q. d.* Beatus est Christianus, Sacerdos, Prælatus, Religiosus, etc., qui suam vocationem et institutum accurate perpendit, ejusque arcana penetrat, admiratur, ejusque observationi tota mente totisque viribus incumbit. Pergit Tigurina, *tanquam indagator prosequere eam, et viis ejus inside.* Unde Syrus, *qui commutat super vias ejus cor suum, et in semitis ejus intelliget, et ad egrediendum post eam sicut investigator, et in semitis ejus erit insidians,* id est, attentus ac vigil, non secus ac ii qui in insidiis sedent.

Audi Rabanum : « Viæ sapientiæ, inquit, sunt præcepta divina, et absconsa illius cœlestia sunt sacramenta. Hæc ergo qui diligenter discit, et

studiose meditando rimatur, hoc opere studens perficere quod sana intelligit fide, ipse sine dubio beatus erit, quia conditori suo veraciter placebit. Quod et Psalmista similiter comprobavit dicens : Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini, Beati qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde exquirunt eum. »

Vestigia Dei sunt creaturæ.

Tropologice, vestigia Dei sunt creaturæ; ex his enim vestigamus Creatorem, juxta illud *Roman.* I : « Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus et divinitas. » Ita Lyranus. Sic Macedonius Anachoreta, rogatus a venatore quid ageret in solitudine, respondit : « Ego venor Deum meum (sicut tu venaris feras), et eum capere cupio, et contemplari desidero; nec ab hac pulchra venatione cessabo. » Ita Theodoretus in *Hist. Sanctorum,* cap. XIII.

Mundus est musica.

Quin et Orpheus : « Mundi machina, inquit, est musica et admirabilis consonantia, prædicans et laudans Deum. » Vide S. Augustinum in *Soliloq.* cap. XXXI, et S. Chrysostomum homil. 9 *ad Populum.* Porro Richardus de S. Victore in *Benjamin minore,* part. I, cap. LXXIX : « Sine triplici studio, inquit, ad hujus cognitionis celsitudinem non perducimur : per studium operis, per studium meditationis, per studium orationis : multa enim experimur operando, multa invenimus investigando, multa extorquemus orando; innumera quidem, quæ nec per experientiam operis, nec per investigationem meditationis, invenire valemus, per importunitatem orationis edoceri meremur. »

Vers. 24.

24. QUI RESPICIT PER FENESTRAS ILLIUS, ET IN JANUIS ILLIUS AUDIENS, — *q. d.* Sapientiæ investigator per ejus vestigia jam dicta sequitur eam, donec per eam ad ejus palatium et templum perveniat; quo dum venerit, cum illud obseratum necdum ingredi liceat, prospiciet per fenestras, et ad januam auscultabit, ut ipsam sapientiam eminus saltem, et per umbram, videre et audire possit. Indicat nos hic, utpote corporis ærumnis circumdatos, non posse ipsam sapientiam, utpote quæ est Deus ipse, intueri cominus facie ad faciem (id enim fiet in cœlo), sed tantum eminus per speculum et ænigma, ut ait Paulus I *Corinth.* XIII.

Porro Jansenius per *fenestras* accipit Sacras Scripturas, per *januas* Ecclesiam. Per fenestras, inquit, respicit in domum sapientiæ, qui per Scripturas sacras et spiritales illuminationes contemplatur cœlestia intimius quam cæteri. In januis audit sapientiam loquentem, qui in S. Ecclesia consistens, quasi in atrio domus Dei, jam sapientiæ vicinus, omnino est audiens in tranquillitate mentis, quid loquatur in ipso Dominus : quoniam loquetur pacem in plebem suam, *Psalm.* LXXXIV. Sic et Lyranus : « Respicit, inquit, per fenestras illius, id est, per revelationes factas in novo ac veteri Testamento; et in januis illius audit, id est, in Ecclesia militante, per quam ingressus est ad triumphantem. » *Secundo,* fenestræ sunt opera Dei, *q. d.* Beatus qui per opera Dei, quasi per fenestras introspicit ejus sapientiam, bonitatem, potentiam cæterasque perfectiones, et quasi in januis ipsius, quid sibi faciendum sit, quidve fugiendum, audit.

Rabanus : « Fenestræ sapientiæ, ait, sunt testimonia S. Scripturarum; januæ sunt linguæ prædicatorum. In his qui assidue discendo commoratur, oculumque mentis, et aurem obedientiæ exhibet, ille procul dubio claritatem superni luminis percipiet. »

Alludit enim ad *Proverb.* VIII, vers. 34 : « Beatus homo qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei. » Ubi Beda, Hugo, Cajetanus et Salazar postes ostiorum sapientiæ asserunt esse doctores, qui proinde, ait Hugo, « similes sunt Mardochæo qui manebat ad januam regis, » *Esther.* II; doctores enim sunt clavigeri sapientiæ : ejus enim claves habent, ut eam discipulis reserent et patefaciant. Unde Christus ad Scribas : « Væ vobis legisperitis, inquit, quia tulistis clavem scientiæ! ipsi non introistis, et eos qui introibant, prohibuistis, » *Lucæ* XI, vers. 52.

Doctores sunt clavigeri sapientiæ.

Doctores ergo sunt janitores, et quasi Jani sapientiæ : Janus enim dictus est a priscis quasi januarum deus et præses, ad eas aperiendas vel claudendas; pari modo januas sapientiæ reserant et claudunt doctores. Et sicut Janus pingitur bifrons, ut una fronte priora, altera posteriora prospiciat : sic Doctorum est præterita evolvere, et præsentia ac futura prospicere, ac utraque suos docere. Hæ enim sunt partes et officia sapientiæ ac prudentiæ.

Unde pro *respicit* Græce est, παρακύπτων, id est, qui studiose, intente, exserto capite, et quasi toto corpore incumbens, pronusque prospicit, uti dixi *Jacobi* I, vers, 25, ubi sic dicitur : « Qui autem perspexerit (Græce, ὁ δὲ παρακύψας) in legem perfectam libertatis, et permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis; hic beatus in facto suo erit. » Quibus verbis S. Jacobus alludit ad hunc Siracidis locum, eumque explicat, ac per *fenestras sapientiæ* intelligit legem Dei, cujus assidua auditio, lectio, meditatio et exercitatio facit vere sapientem et beatum. Græca igitur hoc loco sic habent, *qui introspicit per fenestras ejus, et ad fores ejus auscultat;* Syrus, *prospiciet ad eam ex fenestris, et ad portas ejus erit auscultans.* Mystice, B. Virgo sicut est janua cœli, ita est et janua sapientiæ, eam omnibus se invocantibus reserans et pandens, uti *Proverb.* VIII, 34, fuse ostendit noster Salazar.

Vers. 25.

25. QUI REQUIESCIT (Græce, ὁ καταλύων, id est *diversatur*) JUXTA DOMUM ILLIUS, ET IN PARIETIBUS ILLIUS FIGENS PALUM. — Hic est altior gradus priori, *q. d.* Studiosus sapientiæ eam sequitur per vestigia usque ad domum ejus, ibique eam prospicit per fenestras, et ad fores auscultat : neque hoc

contentus, palum, id est *tabernaculum*, sibi figit juxta eam, ut prope eam commoretur et assidue versetur. Alludit ad pauperes, qui juxta palatia vel templa (uti vidi in Belgio) tuguria et casulas ædificant, idque levi opere et appendice exigua, quia majorem casæ partem, totumque dorsum et antrum sæpe suggerit ipse templi paries, ejusque columnæ et anterides. Simili modo asserit studiosum sapientiæ et philotheum, palum, id est tabernaculum, fixo palo innixum, constituere juxta templum sapientiæ, ut ejus doctrina, religione et sanctitate assidue affletur, totusque imbuatur. Quo significat eum specie, suavitate et dignitate sapientiæ ita capi et rapi, ut cæteris omnibus disciplinis rebusque terrenis valedicens, totum se det sapientiæ divinæ et cœlesti cognoscendæ, meditandæ et contemplandæ, juxta illud *Psal.* I, vers. 2 : « Beatus vir, qui in lege Domini meditabitur die ac nocte, » etc. Nominat *palum*, non domum, ut significet nos hic non esse cives, sed peregrinos, ideoque non habere domum, sed morari in tabernaculis, instar Hebræorum peregrinantium per desertum in terram promissam. Philotheus ergo figens palum, cui alliget tabernaculum peregrinationis suæ, in quo habitet, adhærens scilicet domui sapientiæ et cœlo, eique firma spe et conversatione incumbens, dicat cum Paulo : « Nostra conversatio in cœlis est, » *Philipp.* II, vers. 20. Unde Syrus vertit, *et habitabit in circuitu domus ejus, et in parietibus ejus pulsabit fidibus suis, q. d.* Studiosus sapientiæ Deique philosophus juxta cœlum mente habitat, ac sapientiæ Deique est fidicen, quia assidue Deum laudat, eique in hymnis et mentis gaudio exsultat et jubilat, ideoque miram non tantum sibi, sed et Deo, ac sanctis Angelis delectationem et gaudium exhibet, sicut solent fidicines ante fores exhibere principibus pulsando harmonice suas fides, suamque chelym. Tales sunt hodie viri Religiosi, qui, mundi vanitatem despicientes, totos se dant sapientiæ, rebus cœlestibus et divinis, qui proinde quasi angeli terrestres et homines cœlestes in terris agunt vitam cœlestem, adeoque in ipsis quasi cœli atriis et vestibulis versantur, proxime exspectantes ut in ipsa cœli penetralia a Christo, qui est Dei Sapientia, inducantur. Unde S. Ephrem tractatu *De Beatitudine* : « Beatus, inquit, est qui quasi angelus, imo quasi Cherubim et Seraphim, assidue assistit Deo, eumque laudat et glorificat, » etc.

Symbolice. Symbolice, noster Alvarus de Paz *De Adeptione virtutum*, lib. III, pag. 4, cap. X : Quid, ait, est juxta domum sapientiæ requiescere, nisi vitam agere sapientum vitæ similem, ac præceptis sapientiæ conformem? Quid autem est in parietibus domus sapientiæ paxillum figere, ex quo tabernaculum nos protegens dependeat, nisi nostrum refugium ac protectionem non in favore hominum, sed in bonis operibus collocare? Et quid est casulam aut humile tabernaculum in manibus sapientiæ ponere, nisi nos totos ejus gubernationi et directioni committere? Qui hæc præstiterit in corde suo, bona cœlestia per omnem æternitatem possidebit.

STATUET CASULAM SUAM AD MANUS (Græce, *ad manum*, idem est quod *ad latus, q. d.* Prope illam) ILLIUS, ET REQUIESCENT IN CASULA ILLIUS BONA PER ÆVUM. — Idem dicit et exaggerat. Tabernaculum studiosi sapientiæ vocat *casulam* ob humilitatem, quia talis studet humilitati et paupertati : hæc est enim vera sapientia, quæ nos facit humiles et pauperes spiritu in terra, ut simus locupletes in cœlo, puta in sensu, gustu et spe rerum cœlestium. Unde Chromatius in illud *Matth.* V, *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* : « Hi, ait, pauperes sunt mundo, sed divites Deo : egentes sæculo, sed locupletes Christo. » Græca habent, *statuet tabernaculum ad manum ejus, et diversabitur in diversorio bonorum;* Tigurina, *qui ad latus illius tabernaculum collocarit, is aget in hospitio bonorum;* Syrus, *habitabit in habitatione bona*. Hæc omnia non aliud significant, quam studiosum sapientiæ totum se dedere sapientiæ, eique appropinquare, quoad fieri potest, in hac vita : atque ex hac sapientiæ vicinia et contubernio percipere bona omnia per omne ævum, tum præsens, tum futurum, puta per omnem æternitatem.

Perperam Lyranus et Dionysius pro *per ævum* legunt *per eum*, scilicet, Deum vel sapientem, *q. d.* Per studium et operam sapientis omnia bona requiescunt in casa ejus : nam Romana et cæteri codices legunt *per ævum*.

Bona hæc, quæ sapienti confert sapientia, recenset Salomon *Proverb.* III, vers. 2, 4, 8, 10, 14, 15, 16, ubi sic ait : « Longitudo dierum in dextera ejus, et in sinistra illius divitiæ et gloria, etc. Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam, et qui tenuerit eam beatus. » Et vers. 22 : « Et erit vita animæ tuæ, et gratia faucibus tuis. Tunc ambulabis fiducialiter in via tua, et pes tuus non impinget. Si dormieris, non timebis; quiesces, et suavis erit somnus tuus. » Causam dat vers. 26 : « Dominus enim erit in latere tuo, et custodiet pedem tuum ne capiaris. » Fusius et nervosius sapientiæ bona describit *Sapient.* cap. VII, vers. 8 et seq., et toto cap. VIII.

Per sapientiam, toto hoc libro, practicam, scilicet cum Dei timore et amore conjunctam, intelligit Siracides. Sicut enim prudentia vera, licet proprie sit in intellectu, tamen ad affectum et voluntatem se extendit, facitque ut illa bonum honestum a se propositum amplectatur, uti docet Aristoteles in *Ethicis*: prudens enim est, non qui prudenter judicat quid faciendum sit, sed qui illud ipsum amplectitur et exsequitur; quare prudentia vera sine virtutibus cæteris esse nequit: ita pariter vera sapientia licet sit in intellectu, tamen ad voluntatem se extendit, eique persuadet Deum timere, amare, colere, obedire, etc.

Sapientiæ variæ definitiones ex S. Augustino.

Quocirca S. Augustinus sapientiam varie definit et circumscribit, ut varia ejus officia, dona et bona repræsentet. Nam lib. *Contra Academic.* cap. XV, ita eam definit : « Sapientia est via recta, quæ ad veritatem ducit; » et cap. VI : « Sapientia est rerum divinarum humanarumque scientia; » et lib. *De Beata vita,* sub finem : « Sapientia, ait, nihil est aliud quam modus animi, hoc est, quo sese animus librat, ut neque excurrat in nimium, neque infra quam plenum est coarctetur. » Idem Enchiridio *ad Laurentium,* cap. I : « Hominis sapientia, inquit, est pietas, » juxta illud *Job* cap. XXVIII : « Ecce pietas ipsa est sapientia; » Græce, pro *pietas* est θεοσέβεια, id est, *Dei cultus,* quæ et εὐσέβεια, id est, *bonus cultus,* dicitur, quo scilicet Deus colitur fide, spe, charitate. Hæc est vera sapientia. Auctor libri *De Spiritu et anima,* qui exstat tomo III S. Augustini, cap. XI : « Mens, ait, ex eo dicta est, quod emineat in anima, vel a Græco μήνη, id est luna, quia, sicut luna crescit et deficit, sic mens nunc caput summis inserit, nunc decidit in infimis; modo ad corporalia regenda deflectitur, modo æternis rationibus inspiciendis vel consulendis adhærescit. » Et mox : « Sapientia est amor boni, sive sapor boni; a sapore siquidem dicitur. Mentis visio est intelligentia, gustus sapientia. Illa contemplatur, ista delectatur, etc. In summo est sapientia. Summa namque sapientia ipse Deus est. Sapientia hominis est pietas, id est, cultus Dei. » Et inferius : « Sapientia intendit ad superna et cœlestia, prudentia ad transitoria et caduca. Nam dividit se ratio in duo, scilicet in sursum et deorsum; sursum in sapientiam, deorsum in prudentiam, quasi in virum et mulierem, ut vir sit superior et regat, mulier inferior et regatur. » Pulcherrime vero et plenissime eam definit S. Augustinus, lib. I *De Serm. Domini in monte,* cap. IX, explicans illud *Matth.* V : *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* « Sapientia, inquit, est contemplatio veritatis, pacificans totum hominem (non solum sensum vel intellectum), et suscipiens similitudinem Dei. » Facit enim ut sapiens instar Dei sit excelsus, compositus, cœlestis, imperturbatus tam in adversis quam prosperis, adeoque quasi Deus quidam in terra obambulans.

Mystice Rabanus, et ex eo Glossa : « Quid per casulam, inquit, nisi sacerdotis dignitas exprimitur? Ille enim casulam suam ad manus sapientiæ apponit, qui doctoris officium in Ecclesia gerens, sanæ doctrinæ opera justitiæ conjungit, ut auditores suos per rectam doctrinam simul instruat, et per bona exempla. »

Vers. 26 et 27.

26 et 27. STATUET FILIOS SUOS SUB TEGMINE ILLIUS, ET SUB RAMIS EJUS MORABITUR. PROTEGETUR SUB TEGMINE ILLIUS A FERVORE, ET IN GLORIA EJUS REQUIESCET. — Pergit explicare quæ quantaque bona sapienti obveniant a sapientia, ob quæ beatus censendus est, per aliam metaphoram, scilicet arboris, quæ suis ramis eum, ejusque casam adumbrat, ita ut ipse cum filiis suaviter in umbra ejus requiescat, ac protegatur ab æstu omnique aeris injuria; denique arbor hæc suis frondibus, floribus et fructibus magnum ei decus, voluptatem et gloriam afferat. Simili enim modo sapientia protegit sapientem, ejusque familiam tum physicam, ut scilicet filios et subditos juxta sapientiæ leges vivere doceat; tum mysticam, quæ conflatur ex omnibus animæ potentiis, sensibus et viribus, ita ut sub ejus tegmine, id est, protectione, tutus sit ab omni incursu tentationum et hostium; ac in ejus tutela securus, fidens, animosus et gloriosus conquiescat. Sapientia enim affert mentis tranquillitatem, lætitiam, constantiam, sublimitatem, ut in cœlo Deoque defixus, omnia mundi prospera et adversa, omnesque turbines ex alto videat et rideat, despiciat et calcet. Quæ sane ingens et heroica est virtus ac gloria; præsertim quia gloriam æternam in cœlis ipsi apparat, illumque ad eam manuducit. Unde Tigurina vertit, *in tutelam tradet ipsi liberos suos, tum sub ramis ipsius morabitur, et ab æstu protegetur per eam, atque in gloria ipsius habitabit;* Syrus, *jaciet manus suas super ramos ejus, et inter ramos ejus erit habitans, et sedebit in umbra ejus* (tutus) *ab æstu, et in cœnaculis ejus erit deambulans.*

Alludit ad domos nobilium et divitum, qui juxta eas plantant palmas, cedros, cypressos, ut domos ornent, umbra sua protegant, frondibus recreent, fructibus pascant; ac nominatim alludit ad *Isaiæ* IV, 6 : « Tabernaculum erit in umbraculum diei ab æstu, et in securitatem, et in absconsionem a turbine et a pluvia. » Vide quæ ibidem annotavi.

Mystice. Mystice, sapiens, id est sanctus, « filios, » id est opera sua, « statuet » per intentionem rectissimam soli Deo placendi « sub tegmine » ipsius Dei, ne unquam pereant; et sub ejus providentia, quasi « sub ramis » arboris pulcherrimæ « morabitur, » a quo et protectionem ab omni hostium incursu, ac gloriam tum præsentem, tum æternam, tum terrenam, tum cœlestem consequetur. Ita faciebat sponsa *Cant.* II, 3 : « Sub umbra, inquit, illius quem desideraveram sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo. » Quod Chaldæus explicans ait : « Tunc temporis, inquiens, in umbra majestatis ejus desideravi habitare, et verba legis ejus dulcia fuerunt gutturi meo, et præmia præceptorum ejus servantur mihi in sæculo venturo. » In quem locum scribens S. Gregorius : « Umbra, inquit, Christi protectio est Spiritus Sancti; Spiritus quippe Sanctus mentem quam replet, obumbrat, quia omnium tentationum fervorem temperat, et dum aura suæ inspirationis suaviter mentem tangit, quidquid noxii caloris sustinebat, expellit; et quam jam forsitan nimius vitiorum æstus marcidam fecerat, umbra Sancti Spiritus protegens recreat, ut, dum in ejus inspiratione sedens pausat, vires colligat, quibus ad æternam vitam robustius currat. »

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

In fine capitis præcedentis ostendit quanto studio studiosus sapientiæ sectetur sapientiam, ut illi appropinquet; nunc vicissim ostendit quanta benevolentia eidem sapientia occurrat, quantaque dona et gratias ei conferat. Inde, vers. 7, declarat sapientiam fugere stultos, superbos, dolosos et mendaces; ambire vero sensatos, humiles, sinceros et veraces. Denique, vers. 11, docet sapientiam et Deum non esse auctorem peccati, utpote quod exsecratur, sed cuique dedisse liberum arbitrium, ut eligat bonum vel malum, vitam vel mortem. Igitur hic insignis est descriptio liberi arbitrii, in cujus potestate est eligere sapientiam vel stultitiam, id est, virtutem vel peccatum.

1. Qui timet Deum, faciet bona: et qui continens est justitiæ, apprehendet illam, 2. et obviabit illi quasi mater honorificata, et quasi mulier a virginitate suscipiet illum. 3. Cibabit illum pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potabit illum : et firmabitur in illo, et non flectetur; 4. et continebit illum, et non confundetur : et exaltabit illum apud proximos suos, 5. et in medio Ecclesiæ aperiet os ejus, et adimplebit illum spiritu sapientiæ et intellectus, et stola gloriæ vestiet illum. 6. Jucunditatem et exsultationem thesaurizabit super illum, et nomine æterno hæreditabit illum. 7. Homines stulti non apprehendent illam, et homines sensati obviabunt illi, homines stulti non videbunt eam : longe enim abest a superbia et dolo. 8. Viri mendaces non erunt illius memores : et viri veraces invenientur in illa, et successum habebunt usque ad inspectionem Dei. 9. Non est speciosa laus in ore peccatoris : 10. quoniam a Deo profecta est sapientia. Sapientiæ enim Dei stabit laus, et in ore fideli abundabit, et dominator dabit eam illi. 11. Non dixeris : Per Deum abest; quæ enim odit ne feceris. 12. Non dicas : Ille me implanavit; non enim necessarii sunt ei homines impii. 13. Omne execramentum erroris odit Dominus, et non erit amabile timentibus eum. 14. Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. 15. Adjecit mandata et præcepta sua : 16. si volueris mandata servare, conservabunt te, et in perpetuum fidem placitam facere. 17. Apposuit tibi aquam et ignem : ad quod volueris, porrige manum tuam. 18. Ante hominem vita et mors, bonum et malum : quod placuerit ei, dabitur illi; 19. quoniam multa sapientia Dei, et fortis in potentia, videns omnes sine intermissione. 20. Oculi Domini ad timentes eum, et ipse agnoscit omnem operam hominis. 21. Nemini mandavit impie agere, et nemini dedit spatium peccandi : 22. non enim concupiscit multitudinem filiorum infidelium et inutilium.

PRIMA PARS CAPITIS.

Vers. 1. 1. QUI TIMET DEUM, FACIET BONA, — jam dicta cap. præcedenti, vers. 11, 17, 21, 23 et sequent., scilicet opera beneficentiæ, justitiæ, vestigationis sapientiæ; sed maxime dicta vers. 22, ubi Complutenses legunt, *beatus qui in sapientia meditavitur bona, et in intellectu suo disseret sancta.* Eo enim alludit : hæc enim sunt bona quæ faciet is qui timet Deum, *q. d.* Timens Deum quælibet opera bona et sancta faciet, ut iis placeat Deo, ejusque gratiam demereatur; nimirum, meditabitur justitiam, cogitabit circumspectionem Dei, respiciet per fenestras sapientiæ, figet palum in pariete domus sapientiæ, etc. Quocirca pro *bona*, Græca habent αὐτά (Noster legit ἀγαθά), *ipsa*, scilicet quæ jam dixi. Est enim hic versus quasi anacephalæosis et summaria repetitio totius cap.

præcedent. Unde aliqui Latini legunt *faciet illud*, scilicet jam dictum.

ET QUI CONTINENS (id est, compos) EST JUSTITIÆ, APPREHENDET ILLAM, — scilicet sapientiam, de qua toto cap. præcedenti fuit sermo. Ostendit quæ sint vestigia, per quæ vestigandam dixit sapientiam, docetque ea esse timorem Dei et opera justitiæ; ideoque timentes Deum, et operantes justitiam, apprehendere sapientiam cum omnibus ejus bonis jam dictis, scilicet, ut per eam protecti, securi vivant vitam quietam, hilarem, sanctam, et bonis omnibus abundantem. Græca habent, *qui timet Dominum, faciet illa; et qui compos est scientiæ legis* (non speculativæ, sed practicæ, puta justitiæ, ut vertit Noster), *comprehendet eam*; Tigurina, *qui Dominum reveretur, faciet hæc; et cognitionem legis adeptus, hanc apprehendet*; Syrus, *qui timet Deum, faciet ita; et qui docet legem, ambulabit in ea.* Pro *continens* Græce est ἐγκρατής, id est *compos*, sive qui tenet justitiam. In uno vetusto codice est, ὁ ἐλληφὼς γνῶσιν νόμου εὑρήσει αὐτήν, id est, *qui acceperit cognitionem legis, inveniet eam*, scilicet sapientiam. Sensus est, *q. d.* Qui timet Deum, ejusque legem adimplet (quod est, facere justitiam, sive jus et justum a lege præscriptum), hic apprehendet sapientiam. Non enim sola speculatione et cognitione, sed praxi et operatione legis cognitæ, acquiritur sapientia hæc vera et practica. Repetit et inculcat id quod dixit cap. I, 33 : « Concupiscens sapientiam, conserva justitiam, et Deus præbebit eam tibi. » Siracidi succinit Ananias in *Pirke Avoth*, id est in *Sententiis Patrum*, cap. III : « Omnis homo, inquit, qui plus habet operum quam sapientiæ, ejus sapientia permanet; qui autem e contrario plus habet sapientiæ quam operum, ejus sapientia diuturna et stabilis esse nequit. » Ibidem R. Eleazar : « Qui, inquit, sapientia plus quam bonis operibus abundat, cui similis est? Utique arbori multis frondibus luxurianti, paucis autem radicibus in terra fixæ. Adest ventus, repentino impetu illa concutitur, ac tandem funditus evertitur, sicut ait Jeremias, cap. XVII, 6 : Erit quasi myricæ in deserto, et non videbit cum venerit bonum; sed habitabit in siccitate in deserto, in terra salsuginis. Qui autem operibus bonis supra sapientiam affluit, cui similis est? utique arbori paucis quidem onustæ ramis, sed multas ad terram radices mittenti. Nam, etsi vis magna ventorum eam succusserit, nullatenus loco movebitur, juxta illud *Jerem.* ibidem : Erit tanquam lignum, quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas; et non timebit, cum venerit æstus, et in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum. »

Timor Dei urget ad profectum virtutis.

Porro, quo magis crescimus in justitia, eo magis apprehendimus sapientiam, magisque bonorum ejus participes efficimur. Τὸ ergo *apprehendet* significat actum non solum inchoatum, sed et crescentem ac perfectum : quanto enim quis magis timet et reveretur Deum, eique per bona justitiæ opera placere satagit, tanto magis apprehendit sapientiam, fitque sapientior. Quod cuique summe conandum est, ut Christum ducem suum sequatur, de quo scribit S. Lucas cap. II, 52 : « Jesus proficiebat sapientia, et ætate, et gratia, apud Deum et homines. » Ita Rabanus : « Quanto, ait, quis sollicitior est in custodia mandatorum Dei, et studiosior in justa conversatione, tanto largius gaudet in sapientiæ perceptione. » Horum omnium causa est timor Dei : « Qui enim, ait Noster Alvarez tract. *De Timore*, in timore Domini fuerit radicatus, is ab ipso timore sollicitabitur, ne otiosus et deses maneat, sed jugiter in sanctas actiones incumbat. Qui autem per exercitationem bonorum operum, justitiam ac virtutem apprehenderit, is sapientiam quoque, et Dei sapidam notitiam apprehendet. Quare timor ad omnia bona, quæ ad actionem et contemplationem pertinent, suam dominationem extendit. » Unde S. Bernardus, serm. *De Donis Spiritus Sancti*, cap. I, qui habetur pag. 101 : « Prima, inquit, gratia est timor Domini. Qui hanc habet gratiam, omnem odit iniquitatem, juxta illud Psalmistæ : Iniquitatem odio habui, et abominatus sum; et alio loco : Omnem viam iniquitatis odio habui. Scriptum namque est : Timor Domini odit malum. Et item : Time Deum, et recede a malo. Et de Job dicitur : Vir timens Deum, et recedens a malo. Sine hac gratia, prima gratiarum, quæ totius religionis exordium est, nullum bonum pullulare vel manare potest. Sicut enim securitas vel desidia causa est et mater omnium delictorum, sic timor Domini radix est et custos omnium bonorum. » Et S. Ephrem *De Timore Dei*, tom. I : « Qui timorem, inquit, Dei obtinet, huc illucque non evagatur animo, sed Dominum suum exspectat, ne forte repente veniat, ipsumque negligentia torpentem et imparatum offendat, separetque. Qui Deum timet, non est expers curæ ac sollicitudinis; semper enim vigil est ac sobrius. Qui timet Dominum, immodico non est deditus somno; vigilat enim et adventum Domini sui exspectat. Cui timor Dei est, in nullo se negligentem præbet, ne Dominum suum offendat. In quo timor Dei est, inertiæ atque desidiæ non se tradit; semper enim sua diligenter curat, ne condemnetur a Domino. In quo est timor Dei, semper quæ Domino suo placent, probat, eaque amplectitur et perficit; ut, cum Dominus ejus venerit, in multis ab eo laudetur : plurimorum enim bonorum causa est timor Dei possidentibus illum. »

Vers. 2. 2. ET OBVIABIT ILLI QUASI MATER HONORIFICATA, ET QUASI MULIER A VIRGINITATE SUSCIPIET ILLUM, — quæ scilicet non a viduitate, sed *a virginitate*, id est virgo, ducta est, factaque mulier, id est uxor. Unde Græce est, ὡς γυνὴ παρθενίας, id est, *tanquam uxor virginitatis*, quæ scilicet in virginitate, id est virgo, ei desponsata est, factaque conjux; ideoque mariti moribus obsequitur, seseque facile

conformat, et idcirco tenere diligitur. Græca non habent τὸ *honorificata*; sed hæc tantum, *tanquam mater obviabit ei, et quasi uxor virginitatis excipiet eum*; Tigurina, *et eum tanquam uxor virgo ducta excipiet, q. d.* Quanto honore, amore, suavitate et gaudio virgo sponsa excipit suum sponsum, cui recens desponsata est, tanto pariter sapientia excipiet sui studiosum, qui ejus amplexus et connubium ambit. Syrus, *sicut mulier adolescentiæ*, quæ ducitur in adolescentia, *appropinquabit illi*. Significat occursum sapientiæ, scilicet, sapientiam se quærentibus occurrere mira promptitudine et benevolentia, per duas similitudines, matris scilicet honorabilis, et uxoris virginis; idque,

Sapientia suis blanditur quasi mater et sponsa. Primo.

Primo, quia nulli sunt tam intensi amores in mundo quam matris erga filium, et virginis sponsæ erga sponsum. Hosce, imo multo majores, sapientia divina suo hospiti demonstrabit: majores, inquam, tanto, quanto major est spiritus quam caro, Deus quam homo, cœlum quam terra. Hos amores sentiebat ille qui dixit: « Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum, » *Psal.* LXXXIII, vers. 7; et: « Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum, » *Psalm.* XLI, vers. 3.

Secundo.

Secundo, quia in utroque honor miscetur amori, ita ut nec amor minuat reverentiam, nec reverentia amorem. Mater enim honorata, v. g. regina, filiis suis occurrens, eos amanter amplectitur ut mater, honorifice ut regina. Similiter virgo sponsa occurrit sponso casto amore, ut sponsa, sed et reverenter ac pudibunda quasi virgo. Itidem facit sapientia suis discipulis.

Tertio.

Tertio, quia uterque amor continet amoris delicias, quæ mentem consolatione adimplent, et voluptate quasi exsaturant: mater enim materno amore filiis quasi visceribus suis occurrens omnem suum affectum, ac seipsam quasi totam in eos effundit: itidem facit virgo sponsa erga sponsum. Idem facit Deus, Deique sapientia et gratia, juxta illud (quo alludit hic Siracides) *Isaiæ* LXVI, vers. 13: « Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos; videbitis, et gaudebit cor vestrum; » et vers. 11: « Ut sugatis et repleamini ab ubere consolationis ejus; ut mulgeatis, et deliciis affluatis ab omnimoda gloria ejus, etc.; ad ubera portabimini, et super genua blandientur vobis. » Porro tantus est amor Dei ejusque sapientiæ et gratiæ erga homines, ut non solum se quærentibus occurrat, sed et non quærentes, imo fugientes et aversantes, insequatur, eosque ad se alliciat et invitet, imo cogat. Quam ergo ingrati, inhumani, stolidi et barbari sunt, qui Deum adeo sui amantem negligunt, imo contemnunt et spernunt, adeoque contra eum pugnant!

Quarto.

Quarto, Rabanus: « Merito, ait, sapientia mater nuncupatur propter gratiam nutrimenti, et virgo propter speciem pulchritudinis, et sanctitatem castitatis, quoniam nihil est in ea immundum, neque coinquinatum. Ipsa est enim candor lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius; et per ipsam sanati sunt quicumque Deo placuerunt a principio. » Hoc est quod ait Sapiens, cap. VI, vers. 13: « Clara est et quæ nunquam marcescit sapientia; et facile videtur ab his qui diligunt eam, et invenitur ab his qui quærunt illam. Præoccupat qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat. Qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit: assidentem enim illam foribus suis inveniet. »

Ratio est, quia sapientia Dei est ejus bonitas; bonitatis autem est se ultro communicare: bonum enim est sui diffusivum; bonitas autem infinita infinite desiderat se communicare et diffundere. Talis est bonitas Dei et sapientiæ increatæ. Sapientiam quasi matrem sequantur ejus filii, puta sapientes et doctores, ut, scilicet, facile suam sapientiam, dona et gratias aliis communicent: ad hoc enim ea a Deo acceperunt, et per hoc magis ea augebunt, tum quia qui docet alios, docet seipsum; tum quia quo quis alacrius et diligentius docet alios, eo magis docetur a Deo; tum quia Deus liberalitate se vinci non patitur, sed liberali liberalius erogat, ut liberalior in alios esse pergat.

Quinto.

Quinto, eadem hic accipi potest *mater* et *mulier virginitatis*. Alludit enim ad occursum sponsi et sponsæ: *mater* ergo *honorificata* est sponsa præcipua, quæ erat mater familias, ideoque in summo honore habebatur a tota familia. Non enim vult sapientia, quasi ancilla et concubina, obviare quasi sponsa illi, qui aliam illi anteponit. Ubi nota olim licitam fuisse polygamiam, ita ut viro liceret ducere plures uxores; sed una de his erat primaria, quæ proinde familiam regebat, et vocabatur materfamilias, quam proinde maritus manu apprehendens, sibi certa verborum forma despondebat, tuncque dicebatur illa in mariti manum venire, vel convenire, hoc est, cooptari in matremfamilias; cæteræ vero simpliciter ducebantur et vocabantur concubinæ, vel secundariæ uxores. Ita Cicero in *Topicis*: « Si Fabiæ, inquit, pecunia legata est a viro, si ea uxor materfamilias esset, si ea in manu viri non convenerat, nihil debetur: genus enim est uxor; ejus duæ formæ, una matrumfamilias, hæ sunt quæ in manu convenerunt; altera earum, quæ uxores tantum habentur. » In quem locum scribens Severinus Boetius, lib. II, cum tribus modis uxorem duci dixisset, usu, farre, coemptione, explicatis primis duobus: « Coemptio, inquit, certis solemnitatibus peragebatur, et sese coemendo invicem interrogabant; vir ita: An sibi mulier materfamilias esse vellet; illa respondebat, velle. Mulier, an sibi paterfamilias esse vellet? ille velle respondebat. Itaque mulier viri conveniebat in manum, et vocabantur hæ nuptiæ per coemptionem. » Unde noster Pineda in cap. XXI *Job*, vers. 15, num. 9, sic explicat: « Qui continens est justitiæ, apprehendet illam, et obviabit illi quasi mater honorificata, et quasi mulier a

Nuptiarum ritus triplex.

virginitate suscipiet illum. Id est, qui justitiam, qui sanctitatem, qui Deum quærit, non oportebit universum viæ laborem et lassitudinem suscipere, ut illam consequi possit. Nam sicut inter sponsos constitutum erat, ut venienti sponso occurreret sponsa, quæ etiam erat et dicebatur materfamilias (non enim hic de matre agitur respectu filii, sed respectu patrisfamilias) : ita Deo occurrimus venienti et quærenti eos qui se inquirunt. Sic occurrit miseris Deus, *Jerem.* XV, 11 : Si non occurri tibi in tempore afflictionis. Sic occurrit laboranti, præmium largiturus, *Isaiæ* LXIV, vers. 5 : Occurristi lætanti et facienti justitiam : in viis tuis (*q. d.* in ipso medio itinere) recordabuntur (cum te præsentem viderint, tua præsentia et occursu recreati) tui. Sed ita tamen occurrit Deus, ut non solum partiri videatur nobiscum viam, et itineris molestiam ; sed fere totum quod itineris et laboris est, conficiat ipse, ac se nobis vix ex nostris finibus egressis obviam præbet, ut expressum videas *Matth.* XV, in muliere illa Chananæa : nam vix a finibus Tyri et Sidonis egressa, Christum Jesum obviam habuit, qui primum ex Judææ finibus egressus secesserat in partes Tyri et Sidonis. Ergo divina sapientia præoccupat qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat. » Hæc Pineda, cui favet et Salazar, quem mox citabo.

Tropolog. quam Deum redamare debeamus.

Tropologice, sicut Deus Deique sapientia totum suum amorem in nos effundit, quasi mater in filios, et quasi virgo in sponsum : ita vicissim nos omnem affectum ei uni dedere, imo reddere par est, ut eum solum amemus, et nil nisi propter ipsum. Hæc est enim puritas amoris ; cui depurando indies magis magisque studere nos oportet, ut spoliantes nos omni amore rerum creatarum, eum totum conferamus in Deum, ut Deum in omnibus creaturis amemus, et omnes creaturas in Deo ; ac mente abstrahamus ab amore nostro omne bonum creaturæ, ut is in solo creatore defigatur et conquiescat, v. g., dum videmus quid pulchrum, audimus quid harmonicum, sapimus quid deliciosum, in omnibus mente et amore transeamus et feramur in auctorem horum omnium, puta in Deum, qui est fons immensus omnis pulchritudinis, harmoniæ et deliciarum : in eo ergo quasi oceano nos totos per amorem immergamus et natemus, sicut pisces natant in aqua, et sicut aves volant in aere. Eum toto mentis sinu et affectu recipiamus, sicut aer recipit radios solis, sicut speculum recipit speciem regis, ut in anima nostra quasi in speculo, non nisi divinæ virtutis et amoris imago resplendeat. Sensim vero adeo depuratur hic amor, ut viri eximie spiritales et sancti, ne gratiam quidem et gloriam ament in se, sed in iis solum ament Deum, uti faciunt Beati in cœlo. Quare æqualiter Deum amant in quibuslibet creaturis, ac tam in adversis quam in prosperis, quia in utrisque æque Deum quem solum amant, reperiunt : nimirum Christum dilectum suum tam inveniunt in monte Calvariæ quam in Thabor ; sicut ergo in monte Calvariæ non amant crucem, sed Christum crucifixum : sic et in Thabor non amant gloriam, sed Christum transfiguratum et gloriosum : perinde ac eumdem venerantur in imagine tam lutea vel ænea, quam aurea, quia non æs vel aurum, sed imaginem, imo Christum in imagine venerantur. Et sicut Mathematicus triangulum considerat in se, abstrahendo ab eo quod sit ligneus vel lapideus : ita Sanctus Deum considerat et amat in creaturis tam vilibus quam pretiosis, abstrahendo ab eis, et pure contemplando et amando suum triangulum, puta SS. Trinitatem, cui dicit cum sponsa in *Cantico* toto corde : « Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, et inclinentur umbræ. » Et cum Paulo : « Omnia arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam. » Et : « Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus. Mihi vivere Christus est, et mori lucrum. » Et cum Psalte : « Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum ?

B. Virgo nobis est mater honorificata.

Allegorice B. Virgo, æternæ Sapientiæ, puta Christi Domini, genitrix, justis eam invocantibus occurrit quasi mater honorificata, ut eam appellat S. Ildefonsus, serm. 1 *De Assumpt.*, ac S. Bonaventura in *Psalterio Virginis*. Et recte : nam *primo*, ipsa est mater Dei, sive Deipara, qui post Deum summus est honoris titulus ; *secundo*, quia eam honoravit Filius Deus, cum in terra se illi quasi matri subjecit : rursum in cœlo honoravit eam, collocando a dextris suis. Cujus typus fuit in Salomone, qui simili modo honoravit Bethsabee matrem suam, III *Regum*, cap. II, vers. 19 : « Surrexit, inquit, rex in occursum ejus, adoravitque eam, et sedit super thronum suum : positusque est thronus matri regis, quæ sedit ad dexteram ejus. » Nam, ut ait Methodius, oratione *De Purificatione* : « Qui dixit : Honora patrem et matrem, ut decretum a se promulgatum observaret, omnem gratiam matri et honorem impendit ; » *tertio*, quia ipsa est mater omnium fidelium et Sanctorum. Unde a Patribus vocatur, « mater viventium, » sicut Eva vocatur « mater morientium ; » quia, ut ait S. Epiphanius, *hæresi* 78, « a Maria hæc vita mundo genita est, ut viventem gigneret, et fieret Maria mater viventium. » Et infra : « Eva mortis causa facta est hominibus, per ipsam enim mors ingressa est in mundum ; Maria vero causa vitæ, per quam genita est nobis vita, et per hanc Filius Dei advenit in mundum. » Rursum Christus moriens, nos omnes, id est, fratres suos, matri suæ commendavit et resignavit, dicens S. Joanni : « Ecce mater tua ; » S. Joannes enim omnes nos repræsentabat. Unde Origenes *Præfatione in S. Joannem* : « Christus, inquit, dicens : Mulier, ecce filius tuus, perinde est ac si dixisset : Ecce hic est Je-

Primo. Secundo. Tertio.

sus quem genuisti. Nam quisquis perfectus est, amplius non vivit ipse, sed in ipso vivit Christus; cumque in eo vivat Christus, dicitur de eo Mariæ : Ecce filius tuus Christus. » Quocirca Albertus Magnus sermone super *Missus est,* asserit B. Virginem «curam gerere maternam omnium, cui proportione sua aptari possit illud quod de Sapientia dicitur : Ipsi cura est de omnibus. » S. Augustinus, lib. *De Virginitate,* cap. VI : « Hæc, inquit, mater, spiritu est membrorum Salvatoris, cooperata est charitate, ut fideles in Ecclesia nascerentur. » S. Anselmus, lib. *De Excellent. Virginitatis,* cap. XI : Beata Dei genitrix, ait, suis meritis cuncta reparando, mater est, et domina rerum. » S. Bernardinus, tom. III, serm. 6, art. 2, cap. II : « Virgo, ait, per consensum in incarnationem, omnium electorum salutem viscerosissime expetiit et procuravit, et ex tunc in suis visceribus omnes bajulavit, tanquam verissima mater filios suos. » Unde ipsa B. Virgo S. Brigittæ, lib. IV *Revelat.* cap. CXXXVIII, revelavit se non tantum justorum, sed etiam peccatorum qui ad bonam frugem recipere se volunt, matrem esse, eisque opem ferre. Clamemus ergo cum tota Ecclesia : « Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, et hora mortis suscipe. » Et in Litaniis : « Mater divinæ gratiæ, ora pro nobis. » Denique ipsa est mater fidei, spei et charitatis, juxta illud cap. XXIV, 24 : « Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei. » De quo plura ibidem.

Nota : τὸ *obviabit* optime convenit B. Virgini, quia ipsa innumeris velut alis misericordiæ circumdata, illico advolat, ut miseris opituletur. Unde S. Anselmus, lib. *De Excellent. Virginis,* cap. VI : « Velocior, inquit, est nonnunquam salus, memorato nomine ejus (id est *Mariæ,* quam invocato nomine Domini Jesu. » Et rationem reddit : quia ad Christum tanquam ad judicem pertinet etiam punire, ad Virginem tanquam ad patronam, non nisi misereri. Porro B. Virgo proprie quasi mater occurrit B. Joanni, utpote ei a Christo in cruce data in matrem. Quocirca Ecclesia in festo S. Joannis, hæc legit loco Epistolæ. Et Albinus Flaccus, qui jussu Caroli Magni Imperatoris homilias Patrum collegit, hæc adaptat S. Joanni, ejusque festo.

Jam reliqua quæ subnectit Siracides : « Cibabit illum pane vitæ et intellectus, » etc., facile est B. Virgini adaptare, ac præsertim illud : « Mulier a virginitate; » ipsa enim in virginitate et ob virginitatem facta est mulier et mater Dei, ut sibi sit virgo, Deo mater. Unde noster Salazar in *Prov.* cap. VIII, vers. 18, num. 157, putat hic non duas, sed unam dari similitudinem : « Eadem enim, ait, est mater honorificata, quæ mulier a virginitate, græce *virginitatis,* id est virgo, *q. d.* Sapientia occurrit filio tanquam mater honorificata, id est, tanquam mater a virginitate sua, id est, tanquam mater simul et virgo. Id vero addit, ut significaret sapientiæ (de qua ibidem loquitur ad litteram) totius corruptelæ expertem sinceritatem, quæ quamvis mater appelletur, nihilominus virgo est. Neque lædit sententiam hæc interpretatio, sed potius illam exacuit. Sensus enim sic conformandus est : Occurrit illi sicut mater honorificata et virgo, id est, tanquam mater quæ filiam peperit virginitate incolumi, atque adeo sine dolore et pressura, *q. d.* Sic excepit illum veluti si foret mater aliqua, cui filius, quem virgo, atque adeo incorrupta, et sine doloribus peperit, honoris multum et obsequii deferret : hunc enim eo libentius amaret, quia voluptatem plurimam, nullum vero dolorem ipsi attulerat. Hæc vero ad B. Virginem accommodate transferuntur, quæ vere parvulos illi honorem deferentes, tanquam virgo mater excepit; a quibus cum voluptatem experta sit, dolorem hactenus nullum excepit. Majores enim natu quotquot ad ipsam accedunt, fere plurima jam admiserant peccata, quibus tantæ matri cruciatum et dolorem attulerunt; atque adeo tunc cum illos Deo parit, cum doloribus quodammodo enititur. Parvuli vero et insontes ad Mariam accedentes, atque illam honorantes, nullum dolorem vel cruciatum, sed voluptatem plurimam illi apportant. Ideo illos virgo parere jucundius et gratius illos excipere dicitur, quia istos Deo pariendo (liceat si dicere) partum Christi imitatur, quem virginitate incolumi sine dolore et cruciatu, edidit mundo. » Idem ibidem numer. 451, explicans illud eodem pertinens : « Hauriet salutem a Domino, » notat τὸ *potabit* significare, B. Virginem gratiam et honestatem non modo edendam præbere, in quo difficultatis aliquid est, sed etiam bibendam propinare, uti fecit suis dilectis, S. Bernardo, S. Anselmo, S. Damasceno, S. Bonaventuræ et aliis, qui ita ad omnem honestatem et virtutem fuere prompti et proclives, ut eam non tam comedisse quam bibisse videantur. Exempla.

Exemplum illustre et rarum est in Vita B. Hermani Josephi Ordinis Præmonstratensis. Hic enim a puero B. Virgini apprime devotus, eam per omnem vitam expertus est matrem honorificatam; quæ proinde assidue ei pecunias ad victum et vestitum procurabat, morbos sanabat, tentationes fugabat, ac in omnibus aderat, et de cunctis rebus ad salutem opportunis velut pia et liberalis mater providebat : quin et eum in sponsum accepit, nomenque sponsi sui, scilicet Joseph, ei indidit. Lege Vitam ejus, et miraberis tantam tantæ matris in suos clientes dignationem et pietatem. Exstat Vita ejus apud Surium ad diem septimum aprilis, in ultima (quæ valde adaucta est a Mosandro) editione Coloniensi.

3. CIBABIT ILLUM PANE VITÆ ET INTELLECTUS, ET AQUA SAPIENTIÆ SALUTARIS POTABIT ILLUM. — Τὸ *vitæ* et *salutaris* desunt in Græco; sic enim habet, *cibabit illum pane* συνέσεως (id est *intelligentiæ*), *et aqua sapientiæ potabit eum;* Syrus τὸ *intelligentiæ* Vers. 3.

et sapientiæ trajicit et commutat; sic enim habet, *cibabit illum pane sapientiæ, et aquis intelligentiæ potabit illum*. Dixit vers. præced. sapientiam sui studiosis occurrere amicissime, quasi matrem et quasi sponsam; nunc hujus occursus effectus fructusque significat : primus est, quod eum cibabit et potabit, sicut mater cibat filios, præsertim infantes et parvulos, et sicut sponsa prandium mensamque instruit sponso. Pro *cibabit* enim Græce est ψωμίζω, id est, in frusta concido et seco, pasco conciso cibo et particulatim in os indito, quod *turundam in os indere*, dixit Cato de avibus. Sicut ergo matres et nutrices μασσίματα, id est, omnia minima mansa infantibus et pueris in os inserunt : sic et sapientia sua dogmata particulatim divisa auribus et mentibus suorum instillat, iisque quasi suos infantes adescat. Nam uti vinum in vas amplum per utrem exiguum sensim infunditur et instillatur, ne si per angustum foramen amphora tota infundatur, angustiæ foraminis tantam copiam respuant, vinumque effundatur et pereat : sic et pueris qui angustam habent mentem, sensim instillanda est doctrina et sapientia, uti docet Quintilianus.

Fructus sapientiæ primus, cibare.

Porro *intellectus*, sive intelligentia, et *sapientia* idem sunt, licet etymo et connotato differant, uti dixi in *Proœmio*. In rebus enim spiritalibus, uti in mente, idem est cibus et potus; sicut idem est auditus, visus et gustus. Una enim eademque mens, sive intellectus, omnes sensus eminenter in se continet, omniumque vices et actus obit. Sensus ergo est, *q. d.* Sapientia mentes suorum cibat et potat, id est, pascit pane et potu spiritali, puta intelligentia et sapientia, hoc est, seipsa suisque dogmatibus, institutis et præceptis, quæ salutem et vitam gratiæ et gloriæ ei conferunt.

Noster addit τὸ *vitæ*, quia alludit ad lignum sive arborem vitæ, quæ erat typus et symbolum sapientiæ in paradiso, *Genes.* cap. II, vers. 9. Sicut enim illa, ejusque esus prorogasset homini vitam ad plurimos annos, donec Deus eum transtulisset in cœlum, itaque eum fecisset immortalem : sic et sapientia cibat suos sua gratia et gloria, quæ vitam spiritualem, salutarem, beatam et æternam homini conferunt. Unde eam vocat *lignum vitæ* Salomon *Prov.* III, vers. 18 : « Lignum vitæ, ait, est his qui apprehenderint eam ; et qui tenuerit eam, beatus. » Et cap. XI, vers. 30 : « Fructus justi lignum vitæ. » Quare τὸ *vitæ* et *salutaris* opponunt et præponunt hunc sapientiæ cibum non tantum pani materiali, qui inanimis et insensibilis est, nec mortem arcet, sed prorogat; verum etiam doctrinæ Philosophorum, quæ nec veram, nec vitalem, nec salutarem sapientiam afferebat; unde vitam et salutem æternam conferre non poterat. Item doctrinæ hæreticorum ; hæc enim est panis mendacii, ait Rabanus, et comestoribus suis mortem infert perpetuam. Talis est et doctrina, puta dictamen et suggestio, concupiscentiæ, quæ errorem et mortem gustanti conciliat. Sapientiæ enim practicæ opponitur concupiscentia. Rursum τὸ *cibabit* significat sapientiam ita pascere mentem, ut non tantum omnem ejus famem et sitim satiet, sed et simul eam sensu rerum divinarum mire oblectet, in virtutibus crescere faciat, iisque illam impinguet, et fecundam bonorum operum efficiat. Hæc enim omnia cibus corporeus corporaliter præstat corpori. Denique hoc cibo satiati Sancti corporalem cibum fastidierunt, ut Moses, Elias, Antonius, Hilarion, Pachomius, Franciscus, etc. Cibus enim deliciosissimus et potus, imo nectar, animæ sunt studia virtutum, quæ et eam recreant, et in vita spiritali promovent; ac præsertim talis est oratio, et contemplatio Dei et rerum cœlestium. Huc facit gnome prisci Rabbini in *Pirke Avoth*, id est, in *Capitulis Patrum* : « Dicebat R. Meir : Omnis homo, qui diligenter ac studiose versatur circa legem intentione recta, is profecto magni meriti est, nec tantum hoc, sed et de universo orbe bene meretur, dignusque invenitur, qui amicus et familiaris Dei et nuncupetur et sit. Amat Deum et etiam homines; gaudio Deum afficit ac homines quoque. Humilitatis eum atque timoris spiritu lex induit : illa, scilicet, quam tantopere colit, quam tanto studio observat; præparat eum ac disponit ad omne virtutum genus, justitiam scilicet et pietatem, atque ut rectus sit et fidelis; avertit eum ab omni peccato, et ex adverso proximum Deo facit. Unde fit, ut homines ad ejusmodi virum tanquam ad oraculum confugiant, ejus usuri consilio, scientia atque prudentia, juxta illud *Proverb.* VIII : Meum est consilium ac imperium ; ei ergo dominium dat in alios, sua insuper ei secreta revelans. Unde fit quasi fons indeficiens, aut quasi fluvius jugiter fluens. Inde et bene compositus evadit et prudens, et ad irascendum tardissimus. Magnificat porro eum illa, extollitque virtutem ejus super omnes res creatas. »

Allegorice Christus, qui est Patris nostraque sapientia, seipso quasi pane divino nos realiter pascit in Eucharistia, itaque nos vivificat, et faciet resurgere ad vitam immortalem, juxta illud *Joan.* VI, vers. 33 : « Panis Dei est, qui de cœlo descendit, et dat vitam mundo. » Et vers. 35 : « Ego sum panis vitæ : qui venit ad me, non esuriet : et qui credit in me, non sitiet unquam. » Et vers. 51 : « Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum; et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. » Rursum aqua sapientiæ salutaris est Spiritus Sanctus, ejusque dona et gratiæ, de quo Christus *Joan.* IV, vers. 13 : « Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum : sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. » Audi Palacium : « Ad verbum, ait, Dei Patris refertur panis : nec enim in solo pane vivit homo, sed et i verbo ; ad Spiritum Sanctum aqua, teste Joanne

Eucharistia est panis vitæ.

qui verbum Christi de aqua saliente in vitam æternam, ait intelligendum de Spiritu. Cum igitur potentiæ primæ in anima rationali sint intellectus et voluntas, si intellectui sapientia dat cognitionem divinam, dicitur eum cibare pane vitæ. At cum voluntas liquatur in divina dulcedine, aqua sapientiæ potatur, non liquore alchymico, quem cœlestem aquam, vel quintam essentiam nominant: sed liquore divino ignito animam liquante, transformante et quid non efficiente? » Hunc panem maxime petimus, dum quotidie oramus: «Panem nostrum quotidianum (vel, ut S. Matthæus habet cap. VI, 11, ἐπιούσιον, quod Vulgatus Interpres vertit *supersubstantialem*) da nobis hodie. » Unde Tertullianus eum explicans lib. *De Oratione*: « Spiritualiter, inquit, potius intelligamus; Christus enim panis noster est, quia vita Christus, et vita panis. » Et paulo post: « Itaque petendo panem quotidianum, perpetuitatem postulamus in Christo, et individuitatem in corpore ejus. » S. Cyprianus quoque in *Expositione orationis Domin.*: « Panis, inquit, vitæ, Christus est; et panis hic omnium non est, sed noster est; et quomodo dicimus, Pater noster, quia intelligentium et credentium pater est: sic et panem nostrum vocamus, quia Christus noster, qui corpus ejus contingimus, panis est. »

Vers. 3 et 4.

3 et 4. ET FIRMABITUR IN ILLO, ET NON FLECTETUR: ET CONTINEBIT ILLUM, ET NON CONFUNDETUR. — Secundus est hic effectus et fructus sapientiæ suo discipulo occurrentis, scilicet, quod pascat illum non per modum transeuntis, sed in eo se firmet et maneat; ipsumque confirmet in vero et bono, nec ad falsum et malum eum inflecti sinat: quare in virtute continet illum, ne cadat in vitium, itaque confundatur et pudefiat. Græca pro *illo* et *illum*, scilicet studiosum sapientiæ, legunt feminine, *illa* et *illam*, scilicet sapientiam; sic enim habent, *firmabitur super eam, et non inclinabitur; et super eam innitetur, et non confundetur*; Tigurina, *firmatus hac, statu moveri non poterit; qui fuerit innixus huic, non afficietur ignominia*; Syrus, *innitetur super eam, et non cadet; et in ea confidet, et non confundetur*. Sed eodem redit sensus. Per hoc enim quod sapientia sedem suam firmet in anima justi, eumdem firmat, ut ipse sapientiæ innixus in eadem firmus consistat, nec ad stulta pravaque deflectat; sed contra omnia mundi tentamenta immotus consistens, dicat: « Si fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinæ. » Sapientia ergo mentem fulcit et firmat, sicut theriaca fulcit corpus, ut a peste grassante infici lædique nequeat. Et sicut balsamum corpora mortua corroborat, ut ea corrumpi et tabescere non sinat, quia sua vi et vigore permeat per omnes eorum venas, partes et meatus, itaque ea sibi similia et incorrupta efficit: simili modo sapientia, sua vi penetrans omnes animæ sinus, eos in bono integros et incorruptos conservat.

Secundus, firmare.

Ratio a priori.

Ratio a priori est: *Prima*, quod sapientia mentem per mentem voluntati, sapientes suggerat rationes et motiva ad constantiam et fortitudinem: ut, quod non sint condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quod nobile sit pati pro virtute et pro Deo, quod Deus patientes pro se corroboret, præmiet et coronet. *Secunda*, quod sapientia sit ipsa prudentia et virtus; virtus autem a viro dicitur quasi virilitas, ait Cicero II *Tusculan.*, et proprie fortitudinem significat, quod viro propria sit fortitudo. Unde Virgilius, lib. V *Æneid.*:

Prima.

Secunda.

Tum pudor incendit vires, et conscia virtus.

Hinc nonnulli ex Cicerone virtutem sic definiunt: « Virtus est perferendorum malorum fortis atque invicta patientia. » *Tertia*, quod sapientia suggerat modum adipiscendi gratiam, quæ mentem corroboret per Sacramenta, præsertim panis Eucharistici, uti jam dixi. De hoc enim scriptum est: « Panem cœli dedit eis, panem angelorum manducavit homo, » *Psalm.* LXXVII, 25. Et: « Panis cor hominis confirmet, » *Psalm.* CIII, vers. 15. Et: « Quid enim bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines? » *Zachar.* IX, vers. ult., ubi multa hac de re dixi. Sane S. Catharina Senensis ex sacra Synaxi tantum robur mentis et corporis hausit, ut nulla re mundi turbaretur aut moveretur, imo ut sine cibo corporali viveret fortis et vegeta. Rursum Martyres invictum in quibuslibet tormentis robur adepti sunt ex S. Eucharistia, quam proinde domum deferebant, et in periculo persecutionis sumebant, ut liquet ex Tertulliano, S. Cypriano et aliis. Hujus rei figura fuit manna, quod aluit et corroboravit Hebræos ad omnes itineris et bellorum labores per 40 annos in deserto. Et panis subcinericius ab angelo datus Eliæ, cujus virtute Elias ambulavit per 40 dies et noctes usque ad montem Dei Horeb, ac animose opposuit se impietati Jezabelis et Achab, quos antea timidus fugiebat, III *Reg.* XIX, vers. 8 et seq.

Tertia.

Moraliter, ait Palacius, « adverte hic *primo*, τὸ *pium hominem non flecti*, non esse ascribendum ei, sed sapientiæ, quæ se in illo firmat. Nec enim quia nos in illa firmamur, perstamus recti; sed quia se in nobis illa firmat. *Secundo*, adverte, omnia temporalia flectere nos deorsum, ut flexa erat illa femina, quæ jam ab annis decem et octo cœlum recta intueri nequibat, *Lucæ*, cap. XIII. At sapientia reddit hominem rectum, ut ille olim creatus erat; et licet omnia temporalia contendant flectere quem sapientia erigit, non poterunt: nulla enim creatura valet separare nos a charitate Dei. *Tertio*, nota, hominem ex se continuo defluere et labi; sumus enim (ut illa dixit) aqua quæ dilabitur super terram, II *Regum*, cap. XIV, 14: ac ideo Paulus rogat ne perefluamus. Fluentem igitur animam sapientia continet, ne perefluat et confundatur. O miseriam! anima per fenestras sensuum elabitur in mundi castra, nisi a sapien-

tia contineatur. *Quarto*, nota, in tempore mortis, ut impius coram Deo, angelis et dæmonibus ignominia verecunda afficietur : ita pius ab ea verecundia (quæ incredibile malum erit) liberabitur. »

EXALTABIT ILLUM APUD PROXIMOS SUOS. — Græce, παρὰ τοὺς πλησίον αὐτοῦ, quod alii vertunt, *supra proximos suos ;* unde Tigurina, *hæc supra socios suos extollit illum ;* et Syrus, *exaltabit illum supra omnes proximos suos*. Sapientia enim facit ut sapiens inter indoctos et insipientes emineat, velut sol inter planetas, qui ab illo lucem participant, velut oculus inter membra quæ illuminat, velut rex in populo, velut doctor inter discipulos. Ita sapientia exaltavit S. Petrum, ut a fidelibus coleretur quasi Dei interpres ; et S. Paulum, ut a Lycaoniis adoraretur ut Deus, et vocaretur Mercurius, *Act.* XIV, 11, ac cæteros Apostolos virosque Apostolicos ; adeo ut reges et principes eos quasi homines cœlestes venerarentur, juxta illud : « Erunt reges nutritii tui, et reginæ nutrices tuæ : vultu in terram demisso adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent, » *Isaiæ* XLIX, vers. 23. Unde hoc explicans, modumque exaltationis assignans, subdit :

Vers. 5. 5. ET IN MEDIO ECCLESIÆ APERIET OS EJUS. — Tigurina, *et in media concione os ejus aperiet*. Verum id obscurius et arctius dicitur, esto latinius ; clarius enim et amplius cœtum fidelium significat Ecclesia, quam concio. Hæc est tertia dos et fructus sapientiæ, scilicet, quod sui studiosos non tantum sapientes, sed et aliorum doctores constituat. Audi Rabanum : « Eleganter, inquit, expressit formam Apostolorum et prædicatorum sancti Evangelii, quos divina Sapientia, Christus videlicet, qui est Dei virtus et sapientia, universæ præposuit Ecclesiæ, et præ cæteris fidelium turbis in arce dignitatis collocavit. Hunc ergo cœtum eximium Doctorum divina potentia intus spiritus sui gratia illuminavit, et foris copiam elocutionis administravit, ut bonum quod ipsi intelligebant mente, aliis facundo exponerent sermone. » Quocirca hæc Siracidis verba legit Ecclesia in officio divino S. Joannis Apostoli, et in Introitu Missæ Doctorum. S. Joannes enim recumbens in pectore Christi, inde hausit eximiam sapientiam, qua non tantum cæteros fideles, sed et Apostolos superavit ; unde omnes Asiæ Ecclesias, quasi sol illuminavit, præsertim dum illud ter sacrum Divinitatis et Trinitatis arcanum initio Evangelii intonuit : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. » Hinc et Apocalypsim conscripsit, « quæ tot habet sacramenta quot verba, » ait S. Hieronymus. Quamobrem merito ipse unus præ aliis meruit cognomen Theologi.

Tertius, facere Doctores.

Tropologice, discat hic fidelis doctor et prædicator, se non aperire os, sed illud sibi a sapientia, hoc est, a Deo et Christo, aperiri, ut loquatur ea quæ sunt salutis. Igitur ex se agnoscat suam infantiam, scilicet, se ex se esse elinguem et mutum, petatque sibi suggeri a Deo quæ auditoribus salutifera futura sunt. Hoc agnovere primi hujus Academiæ doctores, puta Christus, qui ait : «Doctrina mea non est mea, sed» Patris, *Joan.* VII, 16. «Dominus, ait, dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum, qui lassus est, verbo, » *Isaiæ* L, vers. 4. Et Spiritus Sanctus, de quo ait Christus : « Non enim loquetur a semetipso : sed quæcumque audiet loquetur, » *Joan.* XVI, vers. 13. Inter mortales clare hoc agnovit Moses, qui deprecans missionem ad Pharaonem : « Obsecro, Domine, inquit, non sum eloquens ; » ideoque ab eo meruit audire : « Perge, et ego ero in ore tuo, doceboque te quid loquaris, » *Exodi* IV, vers. 10 et 12. Et Jeremias cap. I, vers. 6 : « A, a, a, inquit, Domine Deus : ecce nescio loqui, quia puer ego sum ; » ideoque audivit : « Ecce dedi verba mea in ore tuo : ecce constitui te hodie super gentes, et super regna, ut evellas, » etc. Et S. Paulus : « Orantes pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris mei, » *Ephes.* VI, vers. 19. » Idem ergo nos humiliter agnoscere et confiteri oportet.

Nota : Sapientia est quasi sponsa et uxor sapientis, sed prorsus alia ratione quam sit uxor domestica. Nam *primo*, hæc uxor regitur, maritus regit : at sapientia regit, sapiens regitur ab ea ; *secundo*, uxor pascitur et vestitur a marito : at sapientia pascit et vestit sapientem ; *tertio*, maritus docet uxorem, ejusque os aperit : at sapientia docet sapientem, ejusque os pandit ; *quarto*, uxor custoditur et protegitur a marito : at sapientia custodit et protegit sapientem ; *quinto*, uxor nomen et honorem sortitur a marito : at sapientia utrumque confert sapienti ; *sexto*, uxor fulcitur et exaltatur a marito : at sapientia firmat et exaltat sapientem.

Sapientia est uxor sapientis. Primo. Secundo. Tertio. Quarto. Quinto. Sexto.

ET ADIMPLEBIT ILLUM SPIRITU SAPIENTIÆ ET INTELLECTUS, ET STOLA GLORIÆ VESTIET (ita Romana ; alii legunt *induet*) ILLUM. — Hic versus jam deest in Græco et Syro. Explicat quomodo sapientia sui discipuli aperiat os in Ecclesia, nimirum infundendo ei plenitudinem sapientiæ in corde, quam ore eructet. Sophistæ enim jactantes sapientiam, eam ore ostentant, quam in corde non habent : at sapientes plus sapientiæ habent in corde, quam ore exprimant. Sophistæ ergo sunt similes canalibus, qui nihil aquæ retinent, sed totam quam receperunt, effundunt : sapientes vero similes sunt conchis quæ prius sese implent, deinde quod reliquum est aquæ, alio emittunt. Audi S. Bernardum serm. 18 *in Cant.* : «Si sapis, inquit, conchan te exhibebis, et non canalem. Hic siquidem pene simul et recipit, et refundit : illa vero donec impleatur, exspectat, et sic quod superabundat, sine suo damno communicat, sciens maledictum qui partem suam facit deteriorem, etc. Verum canales multos hodie habemus in Ecclesia, conchas vero perpaucas. Tantæ charitatis sunt per quos nobis fluenta cœlestia emanant, ut ante effundere

quam infundi velint, loqui quam audire paratiores, et prompti docere quod non didicerunt, et aliis præesse gestientes qui seipsos regere nesciunt. »

Quartus, dare stolam gloriæ.

Nota : Hic Sapientia sui studiosos creat doctores, non eo modo quo Cancellarius eos creat in academia : hic enim solum dat titulum Doctoris, doctrinam vero eis indere nequit. At Deus et sapientia cum creat doctorem, simul doctrinam ei indit, doctrinam, inquam, non vulgarem, quæ illi soli sufficiat, qualem habent discipuli ; sed plenam et eximiam, qualem decet habere eum qui alios docet. Hoc est quod ait : « Et adimplebit eum spiritu sapientiæ et intellectus ; » ideoque « stola gloriæ induet illum, » id est, ingentem ei quasi doctori eximio honorem et gloriam conciliabit, ideoque et pileo togaque doctorali, vel mitra episcopali, eum vestiet, vestitura eumdem in cœlo stola gloriæ, Doctoribus et Episcopis propria, eisque promissa a Deo, *Daniel.* XII, vers. 3. Quocirca *stola* hæc *gloriæ* symbolum est libertatis, nobilitatis, excellentiæ et principatus in sapiente. Sapiens enim est princeps sui, æque ac mundi : celsior enim est mundo, cujus mens est in cœlo. Idipsum cognovere Philosophi et Poetæ : unde Horatius lib. I *Epist.* 1 :

> **Ad summam, sapiens uno minor est Jove ; dives, Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum.**

Quare Xenophon, lib. III *De Dictis et factis Socratis* : « Non illos reges, inquit, et principes qui sceptra ferunt, dicebat Socrates ; neque illos, qui aut a quocumque contigit, electi, aut sorte, aut violentia, aut deceptione assumpti fuerunt ; sed qui regere sciant : omnia enim sapienti parent, et ipse omnium dominus est. » Præclarius S. Ambrosius, epist. 19 *ad Constantium* : « Sapienti, ait, nihil alienum, nisi quod virtuti incongruum. Quocumque accesserit, sua sunt omnia ; totus mundus possessio ejus est, quoniam toto eo quasi suo utitur. » Huc faciunt illa Senecæ paradoxa *epist.* 9 : « Sapiens se contentus est. Sapiens nulla re indiget, stultus omnibus. Sapiens omnia sua secum portat. Sapiens se beatum putat : ideoque miser est, qui se non beatissimum judicat, licet imperet mundo. » Porro, « gloria est clara cum laude notitia, » ait S. Thomas. Quocirca « ex omnibus præmiis virtutis amplissimum est gloria, » ait Cicero *Pro Milone*. Si tanti est gloria humana, quanti erit divina, quæ a Deo, Angelis et Sanctis omnibus sapienti, id est justo, tribuetur per omnem æternitatem ? « Ponam te in superbiam sæculorum, gaudium in generationem et generationem, » ait ipse per Isaiam cap. LX, 15. Hæc est ergo quarta dos et fructus sapientiæ.

Moral. Deus vocationi dat gratiam congruam.

Moraliter, nota hic, sapientiam et Deum, cum quem vocat ad apostolatum, vel munus docendi, prædicandi, gubernandi, simul eidem gratiam illi muneri non tantum necessariam vel utilem, sed et commodam et opportunam, eamque eximiam, immittere. Patet id in Apostolis, qui sapientia et gratia præ cæteris omnibus donati sunt, cum a Christo ad hoc munus vocati et missi sunt. Idem hodie videmus fieri in illis quos Deus vocat mittitque in Indiam, Angliam, Hollandiam. Nunquam Xaverius fuisset Xaverius, id est, nunquam tot gratias et dona incensæ charitatis, efficaciæ prædicandi, faciendi miracula, et suscitandi mortuos a Deo adeptus fuisset, si in Europa cum cæteris sociis resedisset, nec Indicam missionem a Deo per S. P. Ignatium ei oblatam capessivisset. Indiæ ergo Xaverium fecerunt Doctorem, Apostolum, Thaumaturgum. Illum et Apostolos imitentur, qui ad idem munus a Deo vocari se sentiunt, ac similes fidei et virtutis heroes evadent.

Anagogice, Palacius per stolam gloriæ accipit aureolam Doctoribus promissam et præparatam in cœlis, ut ea per omnem æternitatem coronentur. Splendida ad stuporem intuentium fuit stola et vestis C. Caligulæ Imperatoris, de qua Suetonius in ejus Vita cap. LII sic ait : « Sæpe depictas gemmatasque indutus penulas, manuleatus et armillatus in publicum processit, aliquando sericatus et cycladatus, etc. plerumque vero aurea barba fulmen tenens ac fuscinam, aut caduceum, Deorum insignia, atque etiam Veneris cultu conspectus est. Triumphalem quidem ornatum etiam ante expeditionem assidue gestavit : interdum et Magni Alexandri thoracem repetitum e conditorio ejus. » At quid hæc ad stolas Beatorum, quas eis dabit sapientia ? de quibus *Proverb.* IV, 8 : « Dabit capiti tuo augmenta gratiarum, et corona inclyta proteget te. » Et Isaias cap. LXI, vers. 10 : « Gaudens gaudebo in Domino, etc., quia induit me vestimentis salutis : et indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, et quasi sponsam ornatam monilibus suis. »

Vers. 6. 6. JUCUNDITATEM ET EXSULTATIONEM THESAURIZABIT SUPER ILLUM, ET NOMINE ÆTERNO HÆREDITABIT ILLUM, — *q. d.* Copiosum gaudium instar thesauri coacervabit super illum, ac faciet ut nomen æternum, id est, fama et celebritas æterna, quasi hæreditas, tum in terra, tum in cœlo ei obtingat ; nimirum « tibicen fortunæ est virtus. » Gaudet enim sapiens sua sapientia, velut thesauro pretiosissimo ; gaudet et sua doctrina, qua discipulos erudit, sapientes sanctosque efficit. Græca significantius habent, *lætitiam et coronam exsultationis, et nomen sempiternum hæreditabit*, id est, hæreditare faciet sapientem. Complutenses post τὸ *exsultationis* addunt εὑρήσει, id est *inveniet ;* sed illud delent Romana : sensum enim intercidit et obscurat. Tigurina, *hæc illi jucunditatem et coronam exsultantiæ comparabit, et compotem nominis æterni efficiet ;* Syrus, *lætitia et exsultatione implebit eum, et nomen sæculi hæreditare faciet eum.* Nam « in memoria æterna erit justus, » *Psalm.* CXI, 7. Alludit ad *Isaiæ* LVI, vers. 5 : « Dabo eis in domo mea, et in muris meis locum, et nomen melius a filiis et filiabus : nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit. »

Ita S. Paulus Thessalonicenses vocat suam spem et gaudium : « Quæ est, inquit, nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum nostrum Jesum Christum estis in adventu ejus? vos enim estis gloria nostra et gaudium, » I *Thessal.* cap. II, vers. 19. Sic Philippenses cap. IV, vers. 1, vocat suam coronam et gaudium. Et S. Joannes *epist.* III, vers. 4 : « Majorem, inquit, horum non habeo gratiam, quam ut audiam filios meos in veritate ambulare. » Sapientia ergo practica, id est, virtus et sanctitas, Sanctis conciliat tam gaudium quam nomen æternum, cum videamus philosophos, reges et principes, per tot monumenta, libros, columnas, mausolæa, ambientes famam perennem, æterna oblivione, imo dedecore sepultos. Vide S. Hieronymum in fine Epitaphii S. Paulæ. Est hæc quinta sapientiæ dos et fructus, quod exhilaret sapientem, ejusque nomen æternet, juxta illud *Sapient.* VIII, 13 : « Habebo per hanc immortalitatem, et memoriam æternam. »

Quintus, exhilare et æternare.

Hasce dotes sapientiam suis communicasse, et etiamnum communicare, patet ex historiis et Vitis SS. Doctorum, uti S. Thomæ Aquinatis, de quo proinde merito dixit scripsitque Clemens VI Pontifex in sermone de eodem : « S. Thomas fuit exemplar virtutum omnium, earumque exempla erant membra ejus singula : in oculis relucebat simplicitas, in vultu benignitas, in auribus humilitas, in gustu sobrietas, in lingua veritas, in odoratu suavitas, in actibus integritas, in manu liberalitas, in incessu gravitas, in forma honestas, in visceribus pietas, in intellectu claritas, in affectu bonitas, in mente sanctitas, in corde charitas : sic ut species decorque corporis fuerit effigies animæ, et imago virtutis. »

Clemens VI laudat D. Thom. Aquin.

SECUNDA PARS CAPITIS,

QUA DOCET SAPIENTIAM NON OCCURRERE STULTIS, SUPERBIS, DOLOSIS ET MENDACIBUS, SED SENSATIS, HUMILIBUS, SINCERIS ET VERACIBUS : HI ERGO ILLIUS SUNT CONSORTES, ILLI EXSORTES.

Vers. 7. 7. HOMINES STULTI NON APPREHENDENT ILLAM, ET HOMINES SENSATI OBVIABUNT ILLI; HOMINES STULTI NON VIDEBUNT EAM : LONGE ENIM ABEST A SUPERBIA ET DOLO. — Græca de more concisa hæc tantum habent, *non comprehendent eam insipientes, et viri peccatores non videbunt eam. Procul abest a fastu.* Unde censet Jansenius nostrum Interpretem reliqua addidisse de suo, quia tacite continebantur in antithesi jam dicta. Verum hoc parum est probabile. Unde, uti jam sæpius dixi, potius credendum est Nostrum habuisse vetustius et plenius exemplar Græcum. *Stultos* practice vocat peccatores, qui stulte sequuntur suam concupiscentiam, ac mundanos honores, opes, delicias : hi veram sapientiam practicam *non apprehendunt,* quia hæc sita est in mundi contemptu, et concupiscentiæ mortificatione : ipsa enim docet amare spiritalia et cœlestia, ac spernere carnalia et terrena. Quocirca *sensati,* id est prudentes, qui idipsum intelligunt et sapiunt, *obviabunt illi; stulti* vero et insensati, sive imprudentes, adeo longe absunt ab illa, ut ne quidem illam videant : illa enim fugit superbiam et dolum, quæ sunt vitia stultorum mundi hujus sectatorum. Sic stultos explicat Syrus dum vertit, *non ambulabunt in ea peccatores, et non videbunt eam homines iniqui : longe est a rebellibus.* Causam dat S. Chrysostomus, homil. 40 *in Joan.* tom. III : « Nihil, inquit, tam stultos homines facit sicut malitia, nihil sapientiores reddit quam virtus : etenim gratos, benignos, mites, humanos, mansuetos, lenes efficit. Quid ita affectis prudentius? fons, mater, radix sapientiæ, virtus, non secus ac malitia omnis ex stultitia nascitur : siquidem superbus et iracundus, quoniam sapientia carent, his affectibus assumuntur; ideo Propheta ait *Psalm.* XXXVII, 4 : Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ : non est pax ossibus meis a facie insipientiæ meæ; ut omne peccatum ex stultitia ortum habere demonstret : nam qui virtuti studet, qui Deum timet, is sapientissimus est. »

Virtus facit sapientes, vitium stultos.

Stultos ergo vocat peccatores, præsertim superbos et dolosos, subdit enim : « Longe enim abest a superbia et dolo. » Ambis igitur sapientiam? esto humilis et sincerus : dum enim studes humilitati, studes sapientiæ. Rursum humiles vocantur sensati, quia superbia hominem sensu evacuat, et quasi excerebrat, ait Palacius. Hoc est quod ait Salomon *Sapient.* I, 4 : « In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, » græce, δόλον, id est dolum, fictionem. Et *Proverb.* VIII, 13 : « Arrogantiam, et superbiam, et os bilingue detestor. » Et Christus de Spiritu Sancto, qui est spiritus sapientiæ et veritatis, ait : « Quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum : vos autem (o sensati Apostoli) cognoscetis eum, quia apud vos manebit, et in vobis erit, » *Joan.* XIV, 17. Et : « Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus (juxta carnem et mundum), et revelasti ea parvulis, » *Matth.* XI, 25.

Ita revelavit ea S. Francisco parvulo et humili. Unde cum F. Elias, aliique prudentes juxta sæcu-

lum ei obstreperent, ipse coram omnibus, ipsoque Cardinale Ostiensi (qui postea creatus Pontifex vocatus est Gregorius IX) ardenter professus est : « Deus, inquit, vocavit me per viam simplicitatis et humilitatis, ut crucis sequar stultitiam. Ipse mihi dixit : Francisce, ego te volo esse novum fatuellum in mundo, qui operibus et verbis prædicet stultitiam crucis. » Ita Wadingus in *Annalibus Minorum* anno Christi 1219, num. 24. Hoc est quod ait S. Jacobus, cap. III, 17 : « Quæ desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia et fructibus bonis, non judicans, sine simulatione. » Ubi novem præclaras sapientiæ dotes et conditiones assignat. Vide ibi dicta.

Audi Rabanum : « Homines sensati, ait, hoc est, Catholici et religiosi ; hi obviant illi (sapientiæ), quia cogitatione, sermone simul et opere divinæ decernunt obtemperare voluntati. » Dixit enim vers. 1 : « Qui continens est justitiæ (hoc est, sensatus et prudens), apprehendet eam, et obviabit illi quasi mater honorificata ; ut intelligamus divinam pietatem semper esse pronam ad misericordiam, et sponte suam hominibus velle conferre gratiam, si ad ejus perceptionem condignam eorum invenerit diligentiam. Dicit enim ipsa Sapientia : Ego diligentes me diligam, et qui mane vigilaverint ad me, invenient me. » Porro S. Augustinus, conc. 2 *in Psalm.* XC, huc refert illud Christi *Matth.* VIII, 20 : « Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos. Vulpes enim notant dolum et dolosos, volucres superbiam et superbos, quorum utrique longe absunt a sapientia et virtute. « Quidam, inquit Augustinus, de turba cum vellet sequi Dominum, vidit illum Dominus superbum non quærere viam humilitatis, sed typum potentiæ, et ait : Vulpes foveas habent, volucres cœli nidos ; Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet. Vulpes dolus est, volucres cœli superbia est. Sicut enim volucres alta petunt, sic superbi ; et vulpes cavernas dolosas, ita omnes insidiatores. Quid ergo respondet Dominus? Potest in te habitare superbia et dolus? Christus non habet, ubi in te habitet, ubi reclinet caput suum. » Idem in *Psalm.* CXXVI : « Si volumus, inquit, custodiri ab illo qui humiliatus est propter nos, et exaltatus est ad custodiendos, humiles simus. Nemo sibi arroget aliquid ; qui autem sibi voluerit arrogare sapientiam, stultus est. Sit humilis, ut veniat sapientiam, et illuminet illum. »

Vers. 8. 8. VIRI MENDACES NON ERUNT ILLIUS (sapientiæ) MEMORES : ET VIRI VERACES INVENIENTUR IN EA, ET SUCCESSUM HABEBUNT USQUE AD INSPECTIONEM DEI. — Explicat quod dixit vers. præced., sapientiam abesse a superbia et dolo : superbos enim et dolosos vocat *mendaces ;* utrique enim multa mentiuntur : superbi quidem de sua excellentia, ut se extollant ; dolosi vero de suis machinationibus, ut alios fallant. Dicit ergo *mendaces* non esse memores sapientiæ, qui eam non quærunt, imo fugiunt ejus dictamina, utpote contraria suis mendaciis et dolis : *veraces* autem, quales sunt humiles et sinceri, inveniri in ea, quia hi student sapientiæ, quæ non est aliud quam veritas practica, docens scilicet quid juxta Dei legem agere, quidque loqui debeant. Unde his Deus dabit *successum,* eorumque acta et dicta prosperabit usque ad judicium tum particulare, tum universale, quo eorum, uti et cæterorum, actiones omnes inspiciet, id est examinabit, judicabit, et præmiabit visione Dei et gloria æterna, ut scilicet inspiciant Deum facie ad faciem, eaque beentur, juxta illud *Psalm.* XVI, 15 : « Satiabor cum apparuerit gloria tua. » Vide dicta cap. II, vers. 21.

Græca moderna de more accisa sunt ; sic enim tantum habent, *viri mendaces non erunt illius memores.* Figurina, *nec viri mendaces illius mentionem facient* (Vatablus, *meminerint*) ; *viri veraces frequentabunt hanc, et usque ad inspectionem Dei proficient ;* Syrus, *qui loquuntur malum, non recordabuntur ejus.* Nam *mendacium* in Scriptura sæpe quodlibet malum et vitium, sicut *veritas* quodlibet bonum sive officium virtutis significat. Quare qui loquuntur obscena, gulosa, iniqua, rixosa, detractoria, maledica, etc., loquuntur mendacium, nec memores sunt sapientiæ. Denique *mendaces* sunt qui aliud docent, aliud faciunt, scilicet quorum cum vita pugnat sermo, qui quod ore docent, hoc opere dedocent et destruunt. Hi enim licet lingua sint memores, tamen reipsa sunt immemores sapientiæ, quia moribus eam convellunt et refutant. Vide S. Chrysostomum homil. 10 *in Acta,* S. Ambrosius, serm. 1 *in Psalm.* I.

Vers. 9 et 10. 9 et 10. NON EST SPECIOSA LAUS (sapientiæ, et consequenter Dei) IN ORE PECCATORIS (manentis in peccato ; nam in ore pœnitentis, utilis est, si non speciosa) : QUONIAM NON EST A DOMINO MISSUS (scilicet, ad prædicandam sapientiam) : QUONIAM A DOMINO PROFECTA EST SAPIENTIA. — Ita legunt Rabanus, Dionysius, Glossa et Jansenius ; sed cum Græcis et Latinis Romanis, cæterisque impressis delendum est τὸ *quoniam non est a Domino missus.* Jussit Deus *Exodi* XXIX, 36, prius offerri vitulum pro peccato, deinde arietes duos, unum in holocaustum, alterum in victimam pacificam. Cujus ordinis causam dans Tostatus ibidem : « Sacrificium, inquit, quod est pro peccato, est directe ad remissionem peccatorum ; sacrificium holocausti est ad laudem et honorem Dei ; sacrificium pacificum, est ad gratiarum actiones : sed non est speciosa laus in ore peccatoris ; ut Deo accepta sint posteriora sacrificia, oportet ut illud primum præmittatur, tanquam dispositio ad alia. »

Est occupatio : dicet enim quis : Mendaces, puta peccatores, subinde laudant, imo prædicant docentque alios sapientiam (uti faciunt doctores et prædicatores malæ vitæ et improbi) : ergo falsum est quod dixisti : « Viri mendaces non erunt illius memores. » Respondeo : Mendaces, etsi illius

sint memores in ore et labris, non tamen in corde et mente, quia eam oderunt : ideoque illa in ore eorum laus sapientiæ non est speciosa, nec decens, sed indecens et turpis, adeoque illi non tam laudant quam dedecorant et vituperant sapientiam, tum per improbam vitam, qua factis contrarium docent ei quod verbis prædicant ; tum quia prædicationi sapientiæ multa vel falsa, vel vana, et sapientiæ indigna admiscent, ut sibi nomen inanis sapientiæ et eloquentiæ comparent. Quocirca *Psalm.* XLIX, 16 : « Peccatori, inquit, dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas ? » Quæ verba recitans Origenes, jam lapsus in peccatum idololatriæ (cum enim Gentiles eum cogerent thus adolere idolis, minantes, ni id faceret, se vitium castitati ejus per Æthiopem illaturos, ipse hujus vitii metu thus adolevit), cum ab Episcopo Hierosolymitano rogaretur verba ad populum facere, confusus conticuit, ac complicatum librum deposuit, atque cum fletu et lacrymis consedit, omnibus simul cum ipso plorantibus, inquit Epiphanius, *hæresi* 54, licet Baronius, tom. II, anno Christi 253, hæc in dubium revocet, et S. Epiphanio assuta suspicetur, eo quod nec S. Hieronymus, nec S. Augustinus, nec Vincentius Lirinensis, nec quis alius illius ævi, insectans Origenem, idololatriam ei impingat.

Origenis lapsus.

Certius exemplum suggerit S. Hieronymus in cap. VI *Isaiæ* ipsum Isaiam dicentem : « Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum, *q. d.* Quia tacui, et non audacter Oziam impium regem corripui, ideo labia mea immunda sunt, et laudes Domini cum Angelis cantare non audeo, ne mihi dicatur : Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum ? Non est enim pulchra laudatio in ore peccatoris. Hoc autem diximus, non quod Isaiam talem fuisse doceamus, sed quod ipse pro humilitate et immundis tantum labiis, indignum se Dei laude fateatur. » Hæc S. Hieronymus.

Tales quoque fuere impii Levitæ, quibus Deus per Amos cap. V, 23, intonat : « Aufer a me tumultum carminum tuorum, et cantica lyræ tuæ non audiam, » quia, ut ibidem ait S. Hieronymus : « Non est pulchra laudatio in ore peccatoris. Judæorum enim et hæreticorum composita laudatio tumultus est Domino, et, ut ita dicam, grunnitus suis, et clamor asinorum, etc. Carmina ergo si bonis operibus dirigamus, audiuntur a Domino : si malis, concludit aures, et impiorum cantica non dignatur audire. » S. Bernardus, serm. *in Vigil. S. Andreæ* : « Si nec justus, inquit, sine modestia et verecundia quadam ad Sanctorum præsumit accedere laudes, quanto magis peccator, in cujus ore non est laus speciosa, timeat semper necesse est vocem illam : Quare tu enarras justitias meas ? » Idem, *serm.* 45 inter parvos : « Non est speciosa, inquit, laus in ore peccatoris. Etiam quæ est in ore peccatoris pœnitentis non videtur speciosa, quia adhuc de peccati recordatione et memoria confusionem patitur, et frequenter inde compungitur. Sed tamen in eo est utilis et fructuosa confessio, etsi non speciosa decoraque laudatio. Postquam vero de beneficiis Dei proficiens adhæret divinæ laudi, et in ea assidue delectatur et proficit, ita ut nihil aliud placeat ei, tunc in ore ejus est speciosa laus Dei : ad similitudinem agricolæ, qui dum stercorat agrum suum, totus in luto est et stercoribus ; non est pulcher labor ejus, etsi sit fructuosus : sed quando colligit manipulos segetis, tunc labor est speciosus et dulcis. »

Vers. 9.

9. NON EST SPECIOSA LAUS IN ORE PECCATORIS. — Nam, ut ait S. Chrysostomus, homil. *Cum presbyter esset designatus*, tom. V : « Sicut in coronis non satis est flores esse puros, nisi pura sit et manus eos contexens : sic et sacris hymnis oportet non verba tantum esse pia, sed et animum hymnos concinentem. » Unde subdit, Davidem *Psalm.* CXLVIII omnes creaturas ad Dei laudem invitare, excepto solo peccatore : « Scorpii, inquit, serpentes et dracones invitantur ad laudandum eum a quo conditi sunt ; solus peccator ab hac sacra chorea submotus est, idque jure optimo. Sicut enim musicus a cithara bene modulata chordam dissonam resecat, ne reliquarum vocum harmonia vitietur : sic et Propheta (David) peccatorem velut chordam dissonam, ac velut membrum ægrum ab universo creaturæ corpore resecat. » Additque se hac concione, quæ ab electione ejus in presbyterum fuit prima, primitias ejus voluisse dicare Deo, eum laudando ; sed deterreri hac sententia Siracidis, utpote conscium quod ipse sit peccator, in cujus ore non est speciosa Dei laus : « Haud frustra, inquit, neque temere dum hæc loquor intersilui. Quia et mentis cogitatio metu confusa est, ad amaras usque lacrymas gravemque ejulatum perducta. » Unde a Dei laude deflectit ad laudes Flaviani Episcopi Antiocheni, a quo ordinatus erat presbyter, quod ejus laus redundet in laudem Dei, nec tamen vetita sit hisce verbis Siracidis. Habetur hæc S. Chrysostomi homilia tom. V, pag. 805, et proxime sequitur orationem habitam in Calendis.

Causam sui dicti subdit Siracides : « Quoniam a Domino profecta est sapientia, » *q. d.* Nemo rite potest aut debet laudare et prædicare sapientiam, nisi missus, doctus et inspiratus a Deo : Deus autem ordinarie non mittit nec docet peccatores. Ergo hi non debent eam prædicare, juxta illud *Proverb.* XXVI, 7 : « Indecens est in ore stultorum parabola. » Et cap. XVII, 7 : « Non decent stultum verba composita. » Græca sic habent, *non est speciosa laus in ore improbi ; quoniam a Domino non est missa ad improbum ;* Tigurina, *neque enim a Domino proficiscitur ;* Syrus, *non est decens ori iniquorum* (sapientiæ laus et prædicatio), *quia non fuit ab ante Dominum* (id est *a Domino*) *data illis.*

Nota : Non dicit laudem in ore peccatoris esse irritam vel illicitam, sed non esse speciosam.

Quare perperam hoc loco abutebantur Donatistæ, ut probarent, baptismum collatum ab hæreticis esse invalidum, ideoque iterandum, quibus respondet S. Augustinus, lib. II *Contra epist. Parmen.* cap. XII : « Cum, inquit, prædicatio peccatoris ore procedit, quærendum est cujusmodi peccatorem hoc loco Scriptura significare voluit. Nam et Publicanus qui justificatus est magis quam ille Pharisæus, utique peccator erat. Si enim vera ejus peccata non erant, falsa erat confessio peccatorum : si autem vera erat confessio, propter quam justificari etiam meruit, procul dubio vera erant peccata. Hæc etiam de oratione sancti Danielis verissime dixerim, qui profecto veraciter ait : Cum orarem et confiterer peccata mea, et populi mei. In cujus ergo ore peccatoris laus speciosa non est, nisi maxime mendacis et ficti, quem Spiritus sanctus disciplinæ fugit? Quem igitur fugit, cum tamen loquitur veritatem, non in ejus ore speciosa est, quia non ei tribuitur cujus particeps non est ; sicut speciosa non erat prophetia in ore Caiphæ pontificis sacerdotum, qui nescivit quod dixit, sed cum esset Pontifex prophetavit : sed tamen per ipsum speciosa laus est Dei in auribus audientium, et corde credentium. » Vide de laude Dei pie et humiliter disserentem eumdem Augustinum (vel quisquis est Auctor) lib. I *Medit.* cap. XXXIII, et S. Chrysostomum in *Psalm.* CXII : « Laudate, pueri, Dominum. »

Vers. 10. 10. QUONIAM A DEO PROFECTA EST SAPIENTIA : SAPIENTIÆ ENIM DEI ASTABIT LAUS, ET IN ORE FIDELI ABUNDABIT, ET DOMINATOR DABIT EAM ILLI. — Hic est discursus Siracidis : Probat non esse speciosam laudem in ore peccatoris, hoc syllogismo. Illa sola laus est speciosa quæ proficiscitur a Deo : at laus peccatoris non proficiscitur a Deo; ergo laus peccatoris non est speciosa. Minorem probat: Sapientia in peccatorem non proficiscitur a Deo : at vero laus est individua comes, quæ jugiter assistit sapientiæ; ergo nec laus vera in peccatorem proficiscitur a Deo. Sensus ergo est, *q. d.* Sapientiæ soli competit vera laus, puta officium laudandi sua dogmata, sive dictamina sapientiæ; sapientum enim est ea prædicare et celebrare uti verbo, ita et exemplo. Quare hæc laus et prædicatio abundabit in ore fidelis et veracis, non mendacis, uti dixi vers 8. *Et,* id est *quia,* Dominator, puta Deus, qui est fons omnis sapientiæ et laudis, dabit eam (non sapientiam, sed laudem, id est, prædicationem) illi. Hunc esse sensum patet ex Græco, qui sic habet, ἐν σοφίᾳ ῥηθήσεται αἶνος, καὶ ὁ Κύριος εὐοδώσει αὐτόν, id est, *in sapientia dicetur laus* vel *hymnus, et Dominus prosperabit eum.* Pronomen enim αὐτὸν, cum sit masculinum, refert αἶνον, id est, laudem vel hymnum, non σοφίαν, id est sapientiam, utpote feminini generis. Tigurina conditionate vertit, *si laus a sapientia pronuntiatur et abundet in ore fideli, tum Dominus illi aspiraverit;* Syrus, *in ore sapientum dicitur laus, et qui dominator est in illa, docebit eam, q. d.* Dei est docere laudem, id est, prædicationem sapientiæ, quia ipse ejus dominus est, et dominatur in ea, juxta illud *Psalm.* LXVII, 12 : « Dominus dabit verbum evangelizantibus, virtute multa. » Et *Psalm.* XXXII, 1 : « Rectos decet collaudatio. »

Nota : Τὸ *Dei* non est in Græco, ac potest referri vel ad τὸ *sapientiæ,* vel ad τὸ *laus;* laus enim sapientiæ est laus Dei, qui est ipsa increata Sapientia, a qua omnis creata velut radius a sole promanat, ac consequenter Deo astat laus, quæ est individua comes sapientiæ. Dei enim est tam per se, quam per Angelos et homines, puta Prophetas, Apostolos et doctores, ac maxime per Christum, prædicare veram et salutiferam sapientiam, quæ nos ad beatitudinem, id est, ad Deum, Deique visionem, fruitionem et laudem perennem perducat. Laus enim Dei est beatarum mentium otiosum negotium et negotiosum otium. Hæc enim jugis earum est vox : « Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, et virtus, et fortitudo Deo nostro, in sæcula sæculorum, Amen, » *Apoc.* VII, 12. Unde

Moraliter, sapientum, id est Sanctorum, in hac vita est assidue jubilare et laudare Deum; sapientiæ enim adest laus, id est pectus, in quo est divina sapientia, crebro in Dei laudes quasi exhalando prorumpit, juxta illud : « Immola Deo sacrificium laudis, » *Psal.* XLIX, 14. Et : « Lauda, Jerusalem, Dominum : lauda Deum tuum, Sion, » *Psal.* CXLVII, 1. Sancti enim sunt in Jerusalem terrestri, ut pergant ad cœlestem, in qua est plena Jerusalem, id est, visio et fruitio pacis; quocirca laude sua et jubilo inchoant vitam Beatorum et Angelorum. Vide dicta *Apocal.* V, 12, et cap. VII, 12, et *Ephes.* V, 19.

Sapientum jugis laus Dei

Nota τὸ *in ore fideli abundabit* : fideli, id est, *primo,* veraci ; *secundo,* habenti veram de Deo fidem et cognitionem; *tertio,* qui fideliter Deum colit eique servit et obedit : in hujus enim ore laus Dei copiosa est et abundat. Unde Psaltes CXXXIV, 1 : « Laudate, ait, nomen Domini; laudate, servi, Dominum. » Ubi S. Augustinus : « Psalmus iste, inquit, ut laudemus nomen Domini suadet, causamque quare justum sit illum laudare, subdit, cum dicit : Laudate, servi, Dominum : quid justius, quid dignius, quid gratius? Etenim si non laudaverint servi Dominum, superbi, ingrati, irreligiosi erunt. » Et mox explicans qui servi laudare Deum debeant : « Qui statis in domo Domini, qui statis, inquit, non qui ruitis : illi autem stare dicuntur, qui in mandatis ejus perseverant, qui in fide non ficta, et spe firma, et charitate sincera serviunt Deo. » Hæc ille. Idem, lib. I *Confess.* cap. I : « Magnus, ait, es, Domine, et laudabilis valde; magna virtus tua, et sapientiæ tuæ non est numerus; et laudare te vult homo aliqua portio creaturæ tuæ. » Et paulo post : « Tu enim excitas ut laudare te delectet, quia fecisti nos ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. »

SS. Trinitas laudat seipsam immensa laude.

Porro, sapientiæ Dei astat laus Dei, quia sapientiam Dei laudant non tantum omnes Angeli et Beati, sed et ipse Deus, puta ipsa SS. Trinitas, in qua Pater immensa laude laudat et glorificat Filium et Spiritum Sanctum; Filius similiter laudat Patrem et Spiritum Sanctum, Spiritus Sanctus Patrem et Filium. Dum enim videt quisque in eis deitatem et divinam majestatem plenam infinitis dotibus, ideoque infinita laude et gloria dignam, idcirco jugiter eos toto affectu laudat et celebrat, idque fecit ab æterno, et faciet in omnem æternitatem. Hæc laus nobis imitanda et assumenda est, uti assumit Ecclesia, cum in fine cujusque psalmi canit: « Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto; » hac enim doxologia non tantum creatam et finitam dicit optatque SS. Trinitati gloriam, sed et increatam ac infinitam, idque magis proprie. Sequitur enim: « Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum, Amen. » Certum autem est, « in principio, » id est, ab æterno, nullam creaturam (utpote quæ nulla tunc fuerit) dixisse: « Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto; » sed idipsum sola potuit dicere SS. Trinitas sibi ipsi. Atque hæc est summa laus quam Deo dare possumus; est enim immensa, ideoque Deo adæquata.

Hanc laudem usurpat Ecclesia.

Sextupliciter laudandus Deus.

Ubi nota nos posse laudare Deum, *primo*, ore et corde nostro; *secundo*, invitando omnes creaturas ad Dei laudem, ac dicendo cum tribus pueris in igne tribulationis: « Benedicite, omnia opera Domini, Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula; » *tertio*, induendo affectus omnium Sanctorum, Angelorum et Beatorum, jugiter Deum laudantium, eosque Deo offerendo; *quarto*, offerendo ipsi laudem B. Virginis, quæ laudes omnium hominum et Angelorum tantum superat, quantum philomelæ concentus superat cantus avium omnium; *quinto*, offerendo ipsi doxologiam Verbi incarnati, puta Christi: humanitas enim Christi jugiter glorificat SS. Trinitatem super omnes creaturarum et B. Virginis doxologias, de quibus plura cap. XXXIX. ult. Verum hæ omnes laudes cum sint creatæ, sunt pariter finitæ. Restat ergo sexta et summa Dei laus, quam Deo offeramus, ipsius scilicet Dei et SS. Trinitatis, qua ipsa laudavit, laudat, et laudabit seipsam immensa laude in æternum, ideoque crebro cum Ecclesia ipsi psallamus: « Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum, Amen, » *q. d.* Opto in immensum, uti par est, glorificare SS. Trinitatem; quare opto illi non tantum laudem meam, creaturarum, Sanctorum, Angelorum, B. Virginis et Christi Domini, sed et increatam qua ipsa glorificet seipsam. Gloria ergo sit Patri, et Filio, et Spiritui Sancto; gloria, inquam, increata et divina, qua Pater et Filius et Spiritus Sanctus se invicem immenso jubilo glorificarunt in principio, id est, ab æterno, et nunc glorificant, et glorificabunt semper in sæcula sæculorum. Amen.

Hinc patet, primæ Sapientiæ, sive Deo, competere summam laudem, tum activam de qua hic agitur, tum passivam. Ipse enim summe laudat se ipsum, ac vicissim ipse summe laudatur a seipso, et quantum fieri potest, ab Angelis, hominibus omnibusque creaturis. Vide S. Augustinum *Soliloq.* cap. X. Audi eumdem in *Meditat.* cap. XXXIII: « Deus, meus, inquit, vita mea, fortitudo mea, et laudatio mea, dignare me laudare te; da mihi lumen in corde, verbum in ore, ut cor meum meditetur gloriam tuam, et lingua mea toto die cantet laudes tuas. Sed quia non est pulchra laus in ore peccatoris, et quia vir pollutis labiis ego sum, munda, obsecro, cor meum ab omni inquinamento, sanctifica me, sanctificator omnipotens, interius et exterius, et fac me dignum laudibus tuis. »

TERTIA PARS CAPITIS,

QUA DOCET INSIPIENTIÆ, ID EST PECCATI, AUCTOREM NON ESSE DEUM, SED LIBERUM ARBITRIUM, CUI DEUS PROPOSUIT BONUM ET MALUM, UT ELIGAT UTRUMLIBET.

Ibid. 11. NON DIXERIS: PER DEUM ABEST: QUÆ ENIM ODIT, NE FECERIS. — Legit Interpres ἄπεστι, id est *abest*. Est altera occupatio. Insipientes enim insipienter suæ insipientiæ causam ascribunt Deo, ut se excusent. Hos arguit, *q. d.* Ne dicas: Per Deum stat, quod a me absit sapientia, id est, virtus et sanctitas, quia jam dictum est omnem sapientiam a Deo proficisci. Careo ergo illa, quia illam ipse mihi non concessit. Per ipsum ergo fit quod sim insipiens, id est, vitiosus et impius. Hoc, inquam, ne dixeris. Causam subdit: « Quæ enim odit, ne feceris, » *q. d.* Deus odit insipientiam, id est, vitium et impietatem; ergo ejus nequit esse auctor vel causa, sed ejus tu tibi ipsi es causa, qui scilicet illam amas et facis quam Deus odit, ideoque facere nequit. Si enim tu eam odisses uti odit Deus, utique eam non faceres sicut non facit Deus. Porro, si non faceres illa quæ odit Deus, utique accederet ad te Deus et sapientia, quæ omnibus se communicare gestit.

Jam legunt ἀπέσην, in aoristo, id est *defeci*, ab ἀφίσημι, id est *deficio*; unde vertunt, *ne dixeris*,

quoniam propter Dominum recessi a sapientia, id est, a recto, æquo et honesto, incidique in vitia et scelera : *quæ enim odit ne feceris, q. d.* Tu tibi ipse hujus defectus et tuorum scelerum es causa, quia scilicet facis quæ Deus odit, punit et ulciscitur, ac proinde non facit; nam, ut ait S. Fulgentius *ad Monim.* : « Deus malorum non est auctor, quorum est ultor. » Sic quoque legit S. Augustinus, *De Gratia et Lib. arbitr.* cap. II : « Ne dicas : Propter Deum recessi; » Tigurina, *ne dicas : Defeci impulsu Domini; non enim debes quæ odit facere.* Clare Syrus, *ne dicas : Ab ante Dominum* (id est, a Domino, per Dominum) *impie egi et peccavi, quia quod odit non facit.* Cum ergo odiat peccata et peccatores, utique ea et eos non facit.

Didactice hic disce, per Deum non stare quo minus quis sit probus et justus, quo minus quis bene vivat, quo minus quis salvetur; sed hæc omnia sibi suæque culpæ tribuere debere impios. Deus enim ex parte sua vult omnes salvos fieri, ideoque pro omnibus Christum Salvatorem misit, ac per eum sacramenta pro omnibus ad salutem opportuna instituit, omnibusque gratiam suam offert; sed eam excludunt impii, dum illi resistunt, vel cooperari nolunt; perinde ac sol, utpote lucidissimus, non est causa tenebrarum in domo, sed ejus incola qui fenestras soli occludit. Hoc est quod ait *Osee* XIII, 9 : « Perditio tua (id est, tibi imputanda), Israel : tantummodo in me auxilium tuum. » Vide ibi dicta. Porro alludit Siracides ad illud *Proverb.* XXIX, 3, juxta Septuaginta, *insipientia hominis vastat vias ejus, Deum autem accusat in corde suo.* Quam sententiam citat S. Augustinus lib. *De Gratia et Lib. arbitr.* cap. II, sed pro *vastat* legit *violat,* pro *accusat* legit *causatur.* Noster vertit, *stultitia hominis supplantat gressus ejus : et contra Deum fervet animo suo.* Quare perperam argutuli quidam theologastri cum imperata non faciunt, ut suam desidiam excusent, respondent se non habuisse gratiam efficacem; de quibus plura vers. 19.

Vers. 12. 12. NON DICAS : ILLE (Deus) ME IMPLANAVIT. — Græcizat Interpres : Græce enim est ἐπλάνησεν (unus codex legit ἔπλασε, id est finxit, formavit), id est, *ille me decepit;* Tigurina, *ipse me in errorem impulit;* S. Augustinus loco citato legit, *induxit,* sed in *Speculo* legit, *implanavit;* πλανάω enim est in errorem induco. Unde planetæ vocantur stellæ errantes, non fixæ, uti fixæ sunt illæ in firmamento. Porro *error* hic practicus intelligitur, puta peccatum et impietas. Causam enim subdens, ait : « Non enim necessarii sunt ei homines impii; » Syrus, *ne dicas : Ipse offendiculum posuit mihi.* Hinc olim Latinis planus dicebatur deceptor et sycophanta, teste Gellio, lib. XVI, cap. VII. Unde Budæus : « Impostores, inquit, a Græcis etiam plani dicuntur, sed certi cujusdam generis impostores, insigni versutia prædíti. » Et Cicero *Pro Cluentio* : « Hic ille planus, inquit, improbissimus, etc., totus ex fraude et mendacio factus. » Hinc *Planus* nomen erat hominis, qui solebat multos sic fallere, in quorum vehicula voluisset tolli, ut fingeret se crus fregisse; qui cum postea vere genu fregisset, et idem rogasset, non est ei creditum, uti describit Horatius, lib. I, *epist.* 17. Eustathius in Odysseam Homeri : Planus, ait, est, qui artem quamdam profitetur imponendi etiam spectantibus, quales fuerunt Ciphissidorus et Pantaleon, et Matreas apud Alexandriam, qui, ut auctor est Athæneus, hujusmodi ænigma proponebat : « Alere se feram quamdam quæ semetipsam esitaret; » ita ut nunc usque Matreæ fera inventa non sit : fortassis autem aut iram, aut invidiam, aut animi ægritudinem significare voluit. Hujusmodi planos et impostores olim in deliciis regum fuisse, liquet ex Plinio, lib. XXXV, cap. X.

Planus, id est impostor.

Porro, hæc atrox est blasphemia, quæ Deum facit auctorem erroris et peccati, uti facit Calvinus et Melanchthon, dicens tam esse opus Dei proditionem Judæ, quam vocationem Pauli. Quod proinde anathemate damnat Concilium Tridentinum *Sess.* VI, can. 6. Minus blasphemus, tamen blasphemus, fuit Manes (parens Manichæorum), qui ne Deo peccatum ascriberet, finxit alium quemdam Deum malum (quasi diabolum), qui omnis mali esset causa. Deus enim est prima et summa veritas, cui ex diametro repugnat omnis error et falsitas : Deus est ipsa increata et immensa claritas, cui infinite repugnat omnis obscuritas, sicut soli repugnat caligo : Deus est æterna sapientia, cui summe repugnat omnis insipientia : Deus est ipsa per essentiam puritas, sinceritas, integritas, sanctitas, cui essentialiter repugnat omnis impuritas, hypocrisis, mendacium, iniquitas : Deus odit, imo est ipsum odium et abominatio peccati; quomodo ergo illud amare aut facere potest? Sola ergo voluntas sui peccati causa est, non Deus; omne enim peccatum ita essentialiter est voluntarium, ut, si non sit voluntarium, non sit peccatum, ait S. Augustinus, lib. *De Vera religione,* cap. XIV.

Blasphemia est, peccatum suum in Deum retorquere, cum Calvino.

Hoc est quod ait S. Jacobus, cap. I, vers. 13 : « Nemo cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur : Deus enim intentator malorum est. » Vide ibi dicta. Simili modo Nazianzenus in *Tetrastich.* docet peccati culpam nobis ascribendam, non dæmoni. Sic enim canit :

> **Quid culpam in hostem semper ipsi vertimus,**
> **Cum nostra robur præstent ipsi crimina?**
> **Te criminare prorsus, aut certe magis :**
> **Ignis tuus nam, flamma vero dæmonis.**

Huc facit illud *Thren.* III, 65 : « Dabis eis scutum cordis laborem tuum. » Quod explicans S. Hieronymus (vel potius Rabanus : hic enim videtur esse auctor) : « Scutum cordis, inquit, contra Dominum habuit primus ille peccator, qui requirenti Domino cur lignum vetitum contigisset, non ad se culpam reddidit, sed a muliere, quam ei dederat, se accepisse respondit, *Genes.* III, 12; ut

quasi reatum suum oblique in auctorem suum relideret, qui ei mulierem dederat quæ talia persuaderet. Hoc scutum etiam requisita mulier tenuit, quando neque ipsa ad se culpam retulit, sed serpentis illud persuasionibus applicavit, ut ipsa quoque oblique reatum suum in Creatorem duceret, qui illuc intrare serpentem persuasurum talia permisisset. Unde nunc usque in usum peccantium trahitur, ut culpa cum arguitur, defendatur, et unde finiri reatus debuit, inde cumuletur. » Quocirca S. Augustinus censet hoc peccatum esse pene irremissibile. Explicans enim illud *Psal.* LVIII, 6 : *Non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem,* sic ait: « Est quædam iniquitas quam qui operatur, non potest fieri ut misereatur ei Deus : ipsa est defensio peccatorum ; quando quisque defendit peccata sua, magnam iniquitatem operatur : hoc defendit quod Deus odit; et videte quam perverse, quam inique : si quid boni fecerit, sibi vult imputari; si quid mali, Deo; nam hoc modo defendunt homines peccata sua, ex Dei persona; quod pejus est. Nemo est qui audeat dicere : Bonum est adulterium, furtum, fraus, perjurium; sed quomodo ea defendunt? si Deus noluisset, id non fecissem; quid vis faciam fato meo? Ergo ad hoc peccatum tuum defendis, ut Deum accuses; ideo excusatur reus, ut culpetur judex : prorsus talem iniquitatem operantium non miseretur Deus. »

Huc pertinent Poetæ Gentilium, qui Jovi et diis propria ascribunt adulteria, furta cæteraque scelera; per hoc enim docent Jovem et deos scelera robare, commendare, imo quasi deificare ; quo quid potentius ad homines incitandum ut eadem imitentur? Quocirca S. Augustinus, lib. II *De Civit.* cap. VII, solerter advertit dæmonem suggessisse Poetis, ut illa scriberent, quo deorum exemplo homines ad omne nefas impellerentur. Sic enim adolescens ille Terentianus Jovis libidinibus se ad easdem incitatum et pene adactum asserit : « Ab hac, inquit S. Augustinus, tanta auctoritate adhibet patrocinium turpitudini suæ, cum in ea se jactat, imitari deum, at quem deum? »

> **Qui templa cœli summo sonitu concutit.**
> **Ego homuncio id non facerem ? Ego vero illud**
> **Feci, ac lubens.**

Porro, quo sensu in Scriptura dicatur Deus tradidisse in reprobum sensum, excæcasse vel obdurasse Pharaonem et similes, fuse explicui *Exodi* VII, 3.

NON ENIM NECESSARII SUNT EI HOMINES IMPII. — Græce, *non enim opus habet viro peccatore;* Tigurina, *peccante ;* et ita legit Augustinus *De Gratia et Liber. arbitr.* cap. II; Syrus, *non enim est ei utilitas in homine iniquo.* Sensus est, *q. d.* Opus Dei, puta universum, totum a bono Deo conditum est bonum. Ad bonum autem opus non est malo, puta peccato, cum hoc bonum interimat. Igitur Deus condens universum per omnia bonum, nullum condidit, aut condere potest, malum. Malum enim ad bonum nec necessarium est, nec utile, sed inutile et noxium prorsus. Quod ergo Deus permittens peccata, iis uti norit bene, puta ad suam justitiam vindicativam, vel gratiam et misericordiam declarandam, id facit, non quod peccatis opus habeat, iisque delectetur, sed ut suam infinitam sapientiam, quæ ex malis bona elicere novit, potentiam, æquitatem et clementiam demonstret. Deus, ait S. Augustinus lib. *De Genesi ad litteram Imperf.* cap. V : « Vitiorum nostrorum non est auctor, sed ordinator, cum eo loco peccatores constituit, et ea perpeti cogit quæ merentur. » Vere Rabanus : « Non est, inquit, erroris nostri et pravæ actionis causa Deo deputanda, quia ruina nostra non est illi necessaria, sed magis ipse allevat omnes qui ruunt, et erigit omnes elisos. » Homini opus est mactare oves, boves, porcos, aves, etc., quia horum carnes ei necessariæ sunt ad cibum, medicinam aliosque usus. At Deo non est opus ruina hominis ad aliquem suum usum, tum quia ipse nulla re indiget, quia omnia habet et potest; tum quia ipse, cum sit optimus, non vult nisi bonum, ad quod opus non est malo vel peccato.

Dices : Deus vult esse peccatores et miseros, ut habeat in quos exerceat suam clementiam et misericordiam. Si enim non essent miseri, nullam posset Deus facere misericordiam.

Respondeo, Deus non vult, sed permittit peccatores et peccata, quæ plurima committit humana fragilitas, ut eorum misereatur. Jam enim per lapsum Adæ, omnes proni sumus in peccata.

Instabis : Cur Deus permisit lapsum Adæ? Videtur enim eum voluisse ad hoc, ut haberet occasionem miserendi ejus et posterorum.

Respondeo, Deum non voluisse positive, sed permissive, id est, permisisse lapsum Adæ, sed ad bonum finem, ut scilicet ejus misereretur. Adde, Deum misericordiam suam magis declarare in præservando hominem a peccato, quam lapsum e peccato eripiendo : sicut major est misericordia et beneficentia præservare quempiam ne labatur in foveam, omniaque membra conquasset, quam lapsum et conquassatum eripere et sanare. Sic Deus majorem misericordiam præstitit B. Virgini, præservando illam a peccato originali, quod naturaliter contrahere debuisset, quam si ab illo contracto eam purgasset. Audi S. Augustinum, lib. III *Confess.* II : « Hæc, inquit, verior misericordia, sed non in ea delectatur cor; nam etsi approbatur officio charitatis, qui dolet miserum, mallet tamen utique non esse quod doleret, qui germanitus misericors est. Si enim est malevola benevolentia (quod fieri non potest), potest ille, qui veraciter sinceriterque miseretur, cupere esse miseros, ut misereatur. »

13. OMNE EXSECRAMENTUM ERRORIS ODIT DOMINUS, ET NON ERIT AMABILE TIMENTIBUS EUM. — Sic quoque legit S. Augustinus in *Speculo.* Exsecramentum, græce βδέλυγμα, id est, abominationem erroris, Vers. 13.

hoc est, abominabilem errorem, qualis practice est peccatum. « Errant enim qui operantur malum, » *Proverb.* XIV, 22, *q. d.* Cum Deus peccatum oderit, ut rem exsecrabilem, quomodo illud efficiet? Rursum, cum Deus illud exsecretur, par est ut omnes qui eum timent et colunt, illud ipsum pariter exsecrentur. Græce, *omnem abominationem* (id est, rem abominabilem; metonymice enim ponitur actus pro objecto) *odit Dominus, eaque eum timentibus chara non est;* Tigurina, *omne nefas odit Dominus, nec probatur ejusdem cultoribus*; Syrus, *omnem malitiam et impudentiam odit, et non dabit eas amicis suis.* Minus recte; nam nec suis inimicis dat eas.

Miosis. Nota miosin: « Non amabile, » id est, odibile, exsecrabile. Sic Virgilius de Cocyto fluvio inferni *Æneid.* VI : « Tristique palus inamabilis unda, » id est, horribilis et exsecrabilis. Justi enim, ut Deum patrem suum imitentur, summe exsecrantur peccatum, eo quod Deus illud exsecretur : sicut pulli aquilarum insectantur draconem, eo quod aquila eum insectetur, teste Plinio, lib. X, cap. IV. Audi S. Hieronymum epist. 1 *ad Demetr.*: « Non est exhortatio, ait, vehementior ne peccemus, quam qua nos Scriptura divina filios Dei vocat. Quis enim non erubescat et metuat tanto patre agere aliquod indignum, ut, qui dicitur Dei filius, ipse efficiatur vitii servus? Unde Paulus ait : Sicut filii Dei immaculati, ut simus immaculati; neque enim convenit in filiis Dei, quia ipse est fons justitiæ, peccati maculam reperiri. » Et post nonnulla : « Non ob aliam causam magis nobis in Scripturis divinis tam frequenter filiorum Dei nomen imponitur, ut illud quod dicitur per Prophetam : Ego ero vobis in patrem, et vos eritis mihi in filios et filias, dicit Dominus. Et per Apostolum, *Ephes.* V, 1 : Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi. Et B. Joannes cap. III, 2, ait : Charissimi, nunc filii Dei sumus : et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus. Et qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut et ille sanctus est. Vult nobis cœlestis doctrinæ dignitatem qua donati sumus, frequenter ingerere, et honorem nostrum peccandi pudorem facere. »

Vers. 14. 14. DEUS AB INITIO CONSTITUIT HOMINEM, ET RELIQUIT ILLUM IN MANU CONSILII SUI, — *q. d.* Deus hominem ab initio fecit liberi arbitrii. Hic clare demonstrat quæ sit origo mali, scilicet voluntas hominis, quam Deus creavit liberam, ut possit eligere bonum vel malum, idque hoc fine ut meriti et præmii sit capax. Græce, *ipse* (Deus) *creavit hominem ab initio, et permisit eum arbitrio consiiii sui;* Syrus, *ipse in principio creavit homines, et tradidit illos in manus appetitus eorum.* Manus enim in Scriptura significat arbitrium, libertatem, dominium, potestatem, imperium; quia quæ in manu, vel sub manu habemus, eis pro arbitrio libere uti possumus, eisque pro potestate dominamur et imperamus. Sic Deus dixit ad Satan de Job. cap. I, vers. 2 : « Ecce universa quæ habet, in manu tua sunt. » Et cap. II, 6 : « Ecce in manu tua, » id est, arbitrio tuo, « est, » ut facias ei quod tibi libuerit. Et Abraham ad Saram de Agar : « Ecce, ait, ancilla tua in manu tua est, utere ea ut libet, » *Genes.* XVI, 6.

Origo libertatis est facultas consultandi. *Manus* ergo *consilii* est arbitrium, potestas et libertas consilii. De iis enim tantum consultamus et consilium inimus, quæ sunt nostræ electionis et arbitrii, ut ea pro libito faciamus. Atque hæc est origo libertatis, nimirum facultas consultandi. Intellectus enim, dum voluntati de agenda re quapiam dubia et ancipiti, suo discursu et consultatione proponit in utramque partem rationes probabiles, facit ut voluntas utramlibet partem eligere et capessere possit, quia in utralibet proponit illi rationes, quæ rem bonam, amabilem et eligibilem efficiant, aut certe talem apparere faciant. Libertas ergo arbitrii radicaliter est in intellectu, formaliter in voluntate; ex eminenti enim discursu et consultatione intellectus oritur libertas voluntatis in homine. Quocirca bruta quæ carent intellectu, carent et libertate; appetitus enim eorum regitur phantasia, et quod phantasia apprehendit ut bonum, vel, si duo concurrant, ut majus bonum, id illico appetitus eorum naturaliter et necessario appetit. Ita Aristoteles, lib. II *Ethic.* cap. II : « Non omne, inquit, spontaneum eligibile est, sed id scilicet quod est præconsultatum; quippe cum electio seu propositum cum ratione ac cogitatione existat, id quod significare nomen etiam ipsum videtur, quasi id quod eligitur seu præponitur, ex aliis legatur, ponaturve ante alia. » Et cap. IX : « Consultamus, ait, de agendis rebus, atque iis quæ in nostra sitæ sunt potestate. » Additque causam, quia nemo nisi stolidus consultat de iis quæ fiunt a natura, fortuna et necessitate. Ac concludit : « Cum igitur eligibile nihil aliud sit, quam consultabile, et appetibile eorum quæ in nobis sunt, electio quoque eorum quæ in nobis sunt, consultativa appetitio erit; simul enim atque consultavimus, judicamus, atque inde secundum consultationem appetimus. »

Ex hoc loco probari liberum arbitrium demonstratur. Ex hoc ergo loco liquet manifeste hominem esse liberi arbitrii. Respondent hæretici loqui Siracidem de prima creatione hominis, puta Adæ, qui creatus est liber, quia dotatus fuit justitia originali, quæ faciebat eum dominum passionum et appetituum omnium : quando vero hanc per peccatum perdidit, perdidisse quoque liberum arbitrium, factumque esse servum suæ concupiscentiæ.

Primo. Verum errant manifeste. *Primo*, quia Siracides non loquitur Adæ, qui jam a tribus annorum millibus mortuus erat; sed Judæis tunc viventibus, increpatque eos qui dicebant : Per Deum stat quo minus sim sapiens et bonus, ipse me implanavit. His enim opponit, dicens Deum creasse hominem liberum ut eligat bonum vel

malum, ac proinde electionem liberam hominis eum formaliter facere bonum vel malum, non vero Deum. Sensus ergo est, *q. d.* Deus ab initio creavit hominem naturæ intelligentis et liberæ, ita ut de ejus ratione et essentia sit libertas arbitrii, quæ per peccatum vel aliud quodlibet accidens tolli nequit, adeo ut si ab homine tollas liberum arbitrium, tollas pariter naturam hominis, et ex homine facias brutum. Idem aperte significat dum subdit : *Apposuit* (perperam enim aliqui legunt *apposui*, quasi sint verba Dei ad Adam : græce enim est παρέθηκε, id est *apposuit*) *tibi*, scilicet, o Judæe et Gentilis. Porro, quid sit esse « in manu consilii tui, » id est, liberi arbitrii, clare explicat cum subdit, hominem posse servare legem si velit, et non servare si nolit. Et rursum, ex duobus contrariis posse alterutrum eligere quod voluerit, scilicet aquam vel ignem, bonum vel malum, vitam vel mortem. Atque ita docet in homine esse libertatem tam volendi et non volendi, quæ est libertas contradictionis; quam ex duobus contrariis unum eligendi, alterum refutandi, quæ est libertas contrarietatis.

Secundo. *Secundo*, quia alludit Siracides ad verba Mosis ad Judæos sui ævi, *Deuter.* XXX, 15 : « Considera quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam et bonum, et e contrario mortem et malum : ut diligas Dominum Deum, et ambules in viis ejus, et custodias mandata illius, etc. et vivas. » Ergo non loquitur Adæ innocenti, sed posteris ejus post lapsum. Hi ergo habent etiamnum liberum suum arbitrium, licet debile et infirmum.

Tertio. *Tertio*, Adam post lapsum mansit liberi arbitrii, utpote per quod pœnitentiam egit, et gratiam Dei habitualem (etsi non justitiam originalem) recuperavit, *Sapient.* X, 2. Ergo et posteri ejus habent idem; præsertim quia Deus Adæ post lapsum statim promisit Christum, cujus gratia omnes homines restaurari et salvari possent, si vellent, *Genes.* III, 15. Sicut ergo Adam fuit liberi arbitrii, sed tamen eo uti non potuit ad opera salutis sine gratia Dei, sic et nos ; et sicut illi gratia a Deo præparata fuit ad hoc, sic est et nobis per merita Christi, eaque potentior et efficacior quam fuerit data Adæ, tum ut infirmitatem hominis post lapsum corroboret, tum ut concupiscentiæ fortiter oppugnanti resistere, eamque reprimere valeat, uti docet S. Augustinus *De Corrept. et Gratia*, cap. XIII. Justitia ergo originalis non faciebat Adam liberum, ac consequenter per peccatum adempta non effecit servum; sed faciebat ut homo facilius et efficacius naturali sua libertate ad bonum naturale, supernaturaliter vero ad supernaturale uteretur. Sed huic defectui jam succurrit vis et efficacia gratiæ Christi, uti pulchre docet hic Rabanus. Hoc enim pertinet ad suavem Dei erga hominem providentiam. Quare sicut cum posuit eum « in manu consilii sui, » hoc est, cum fecit eum potentem ad libere operandum, sive, cum dedit ei potestatem liberi arbitrii, simul tacite promisit ei suum cum ea in operando concursum (nam sine eo impotens esset ad operandum) : sic pariter tacite promisit eidem auxilium necessarium ad bene operandum; nam sine eo bene operari non posset, ideoque ad hoc non esset liber, imo nec potens.

Quarto, ita explicat S. Augustinus *De Gratia et Lib. arbit.* cap. II. Nam citato toto hoc Ecclesiastici loco subdit : « Ecce apertissime videmus expressum liberum humanæ voluntatis arbitrium. Quid illud, quod tam multis locis omnia mandata sua custodiri et fieri jubet Deus ? Quomodo jubet, si non est liberum arbitrium ? » Et S. Athanasius, vel potius Anastasius Nicænus, qui floruit anno Domini 880, *Quæst. in S. Script.* Quæst. 16 : « Est enim, inquit, in nostra potestate et libero nostro arbitrio salus nostra et interitus, sicut scriptum est : Deus ab initio fecit hominem, et dimisit eum in manu consilii sui. » Idem ex hoc loco docet Damascenus, lib. I *Parallel.* cap. IX, ac S. Basilius, cujus verba mox recitabo. Quarto.

Denique Deus hominem creavit ad imaginem et similitudinem suam, ita ut, quamdiu homo est homo et creatura humana, gerat in se hanc Dei creatoris sui imaginem. Hanc autem in libertate arbitrii collocat S. Ambrosius, Rabanus et alii. Vide dicta *Genes.* II, 7. Audi Tertullianum, lib. II *Contra Marc.* cap. V : « Homo, ait, in ea substantia quam a Deo traxit, id est animæ, ad formam Dei spondentis, et arbitrii sui libertate et potestate signatus est. Hunc statum ejus confirmavit etiam ipsa lex, tunc a Deo posita. Non enim poneretur lex ei qui non haberet obsequium debitum legi in sua potestate ; nec rursus comminatio mortis transgressioni ascriberetur, si non et contemptus legis in arbitrii libertatem homini deputaretur. Sic et in posteris legibus Creatoris invenias proponentis ante hominem bonum et malum, vitam et mortem; sed nec alias totum ordinem disciplinæ per præcepta dispositum, avocante Deo et minante exhortanteve, nisi et ad obsequium et ad contemptum libero et voluntario homine. » Idem, *Exhortat. ad castit.* cap. II : « Sed quomodo vetat quædam, quibus etiam supplicium æternum comminatur ? utique etiam quæ vetat, non vult, a quibus et offenditur : sicut et quæ vult præcipit, et accipit, et æternitatis mercede dispungit. Itaque cum utrumque ex præceptis ejus didicerimus, quid velit et quid nolit, et jam nobis est voluntas eligendi alterum, sicut scriptum est : Ecce posui ante te bonum et malum : gustasti enim de arbore agnitionis. Et ideo non debemus quod nostro expositum est arbitrio, in Dei referre voluntatem, quos vult ipse et velle, qui malum non vult. Ita nostra est voluntas, cum malum volumus adversus Dei voluntatem qui bonum vult. Porro si quæris, unde veniat ista voluntas, qua quid volumus adversus Dei voluntatem ? Dicam : Ex nobis ipsis. »

15. ADJECIT MANDATA ET PRÆCEPTA SUA. — Hæc Vers. 15.

verba jam desunt in Græco et Syro : olim tamen fuisse colligere licet ex S. Augustino in *Speculo*, ubi eadem legit. Sensus est, *q. d.* Deus condidit hominem liberum, et reliquit eum in manu consilii sui; at non ita, ut eum a se et sua providentia eximeret, dimitteret, et quasi onagrum liberum ab omni lege, quo liberet abire, abire permitteret; sed quasi summus omnium gubernator, legislator, rex, dominus, judex et vindex, ei leges suas proposuit, puta naturalem, sive decalogum, Adæ et posteris, cum mente et ratione indidit : positivam vero, puta cæremonialem et judicialem, per Mosen tradidit. Atque, ne leges hæ homini onerosæ et graves acciderent, addidit et obedientibus præmia, inobedientibus vero pœnas intentavit. Hæc ergo tria hoc ordine instituit Deus : *primo*, homini indidit liberum arbitrium; *secundo*, addidit præcepta; *tertio*, adjecit præmia.

Vers. 16. 16. SI VOLUERIS MANDATA SERVARE, CONSERVABUNT TE, ET IN PERPETUUM FIDEM PLACITAM FACERE. — Græca concisa sic habent, *si volueris, conservabis mandata, et fidem facere beneplaciti, q. d.* In tua potestate et arbitrio quod tibi Deus dedit, est, ut serves mandata, itaque facias fidem, id est, præstes fidelitatem beneplaciti, id est, Deo placitam et gratam; τὸ enim *fidem facere placiti* pendet a τῷ *conservabis*, et explicat τὸ *mandata*, *q. d.* Conservando mandata, conservabis facere, id est, perges præstare fidem Deo placitam et debitam. Hinc S. Augustinus *De Gratia et Lib. arbit.* cap. II, legit : « Si volueris, conservabis mandata, et fidem bonam placiti. » Idem tamen in *Speculo* prorsus legit ut noster Interpres. Sic et Syrus, *si voles*, inquit, *custodies præcepta ejus, et si credideris in eam, etiam tu vives.*

Nostra versio plenior et nervosior, ideoque germanior est. Quare videtur habuisse Interpres noster plenius exemplar Græcum : aut certe vim vocis Græcæ profundius penetravit, et plenius expressit per elegantem paronomasiam elegans et doctus Interpres. Græca enim ab verbum habent, ἐὰν θέλῃς συντηρήσεις ἐντολάς, *si volueris, conservabis mandata*, scilicet, ita ut ipsa pariter conservent te. Vis enim est in præpositione σύν, id est *cum*; simul enim conservare, est simul cum alio servare : ut servans alium vicissim servetur ab eo, *q. d.* Si conserves mandata, ipsa vicissim conservabunt te : conservatio enim est mutua servatio, et conservator tam conservatoris, quam conservati est conservator. Hæc enim sunt correlativa. Vide hic quam mandata eorumque custodia sint boni, non σωματοφύλακες, sed animæ custodes, adversus hostes etiam intimos; sicut et regem custodiunt magis misericordia et veritas, quam milites et satellites, « et roboratur clementia thronus ejus, » *Prov.* XX, 28. Quocirca Tigurina vertit, *si volueris, mandata servabis, ipsaque te vicissim conservabunt*, tum in vita præsenti et æterna, tum in Dei gratia et gloria, idque *primo*, quia Deus conservat conservantem sua mandata. *Secundo*, quia ipsum exercitium mandatorum auget virtutes in anima, quæ auctæ dant homini vires ad resistendum tentationi et dæmoni. *Tertio*, quia conservatio mandatorum minuit cupiditatem, quæ venenum est charitatis : crescente enim virtute, necesse est ut vitium ei oppositum decrescat.

Nota : τὸ *et in perpetuum fidem placitam facere*, id est, et in perpetuum fidelitatem Deo placitam præstare, pendet a verbis præcedentibus. Repete ergo ea, *q. d.* Si volueris perpetuo servare fidem Deo placitam (servando ejus mandata), hæc fides sive fidelitas tua vicissim perpetuo conservabit te : proliciet enim similem, imo majorem Dei fidelitatem erga te, *q. d.* Si tu Deo fidelitatem serves, Deus vicissim tibi fidelitatem servabit; si tu Deo sis fidelis, Deus tibi pariter fidelis, imo fidelior, et fidelissimus erit. Est enim quasi quoddam pactum inter Deum et hominem, quo alter alteri fidelem se fore spondet, nimirum homo spondet se obediturum Deo, ejusque mandata servaturum : Deus vicissim spondet se hominem sua gratia, protectione et gloria remuneraturum. Explicat enim quid sit mandata servare, nimirum, quod hoc sit fidem placitam facere. Quare verba *si volueris* et *conservabunt*, quæ mandatis adaptavit, eadem fidei placitæ adaptanda relinquit : ne enim ea iterare cogatur, brevitatis et concinnitatis studio ea subticet. Unde Complutenses aliaque vetera Biblia legunt, *et fidem placitam servare*. Hinc et Tigurina vertit, *si volueris, servabis mandata, ipsaque te vicissim conservabunt, et fidem præstabis obsequiosam*. Adde, posse hic esse hysteron proteron, ac per illud præponenda esse hæc verba hoc modo : « Si volueris mandata servare, et fidem placitam facere, conservabunt te, » scilicet, hæc duo, mandata et fides, quæ reipsa sunt unum et idem. Sic enim subinde post absolutam sententiam, menti aliquid addendum vel interjiciendum occurrit, quod verbo uno alterove addimus, reliqua auditori supplenda et ordinanda relinquentes ex sententia jam dicta, ne eam totam illico iterare cogamur. Id ita esse patet ex Græco; in Græco enim plana est sententia pendens a τῷ conservabis, uti paulo ante dixi; ac non minus plane quidam aliter dispungentes, ex Græco sic vertunt, *si voles, conservabis mandata, et fidem* ποιήσαι εὐδοκίας, id est, *ut facias quæ vult*, puta beneplacita Dei : hæc enim sunt ejus εὐδοκία, quæ vicissim Dei in nos εὐδοκίαν, id est, benevolentiam, gratiam, favorem et amorem proliciunt et provocant : magnes enim amoris est amor. Hoc est quod ait Christus, qui est Patris sapientia : « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus, » *Joan.* XIV, 23. Deus enim mansionem et hospitium, hospitemque suum tutatur et conservat. Quis enim eum lacessere audeat, qui Dei vallatur præsidio? Unde

Eccle. VIII, 5, dicitur : « Qui custodit præceptum, non experietur quidquam mali. » Et Christus *Joan.* VIII, 51 : « Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum. »

Liberum arbitrium non excludit Dei gratiam.

Porro, liberum arbitrium non excludit gratiam Dei, uti voluit Pelagius, sicut causa secunda non excludit concursum causæ primæ : ilia enim huic subordinatur, ab eoque essentialiter pendet. Nihil enim potest (imo esse nequit) concursus causæ secundæ sine concursu causæ primæ. Idipsum ex versione Græca colligit S. Augustinus lib. *De Gratia et Lib. arbitr.* cap. XV : « Ad hoc enim valet, inquit, quod scriptum est : Si volueris, conservabis mandata; ut homo qui voluerit et non potuerit, nondum se plene velle cognoscat, et oret ut habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad implenda mandata. Sic quippe adjuvatur, ut faciat quod jubetur : tunc enim utile est velle, cum possumus; et tunc utile est posse, cum volumus : nam quid prodest si quod non possumus, volumus; aut, si quod possumus, nolumus? » Subdit deinde argumentum Pelagianorum, illudque similibus S. Scripturæ phrasibus diluit, dicens : « Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quando dicunt : Non juberet Deus quod sciret non posse ab homine fieri. Quis hoc nesciat? Sed ideo jubet aliqua quæ non possumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus. Ipsa est enim fides quæ orando impetrat. Denique ipse qui dixit : Si volueris, conservabis mandata; in eodem libro (Ecclesiastico) aliquanto post dicit cap. XXII : Quis dabit in ore meo custodiam, et super labia mea signaculum astutum, ne forte cadam ab eo, et lingua mea perdat me? Jam certe mandata acceperat : Cohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum, *Psalm.* XXXIII. Cum ergo verum sit quod dixit : Si volueris, conservabis mandata; quare quærit in ore suo dari custodiam, similis ei qui dicit in psalmo : Pone, Domine, custodiam ori meo? » *Psalm.* CXL.

Symbolice, Hugo, Dionysius et Palacius : Fidem, inquiunt, placitam servare est, eam servare corde et opere, quia fides sine operibus mortua est, *Jacob.* II. Igitur fides placita, est fides operans per dilectionem ejusque opera. Unde Radulphus in *Levit.* XXVI, 3, mystice explicans illud, *Si in præceptis meis ambulaveritis*, etc., *apprehendet messium tritura vindemiam, et vindemia occupabit messem* : « Omnis bona actio, inquit, tam messis est, quam semen, quia jucunditas quam de transactis laboribus mens nostra concipit, novorum germinat concupiscentiam, ut multiplicato semine actionis, multiplicetur et messis retributionis. »

Vers. 17. 17. APPOSUIT TIBI IGNEM ET AQUAM : AD QUOD VOLUERIS, PORRIGE MANUM TUAM. — Tigurina, *ignem et aquam tibi proposuit, ad utrumvis manum tuam exporrige;* Syrus, *relicta sunt coram te ignis et aqua : ad quod volueris extende manum tuam.* Per aquam et ignem quæ sunt elementa opposita, proverbialiter accipe quælibet contraria, et præsertim ea quæ sequuntur versu proximo, scilicet bonum et malum, vitam et mortem. Unde Syrus idipsum significat per causale *enim*, dum subdit, *data est enim hominibus vita et mors.* Hinc *secundo*, per aquam quæ refrigerat, accipe refrigerium gloriæ; per ignem, pœnam et flammam gehennæ, *q. d.* Deus proposuit tibi bonum, ejusque præmium, scilicet gloriam æternam ; proposuit et malum, ejusque pœnam, scilicet ignem æternum, *q. d.* Proposuit tibi gloriam et damnationem, cœlum et gehennam, felicitatem et miseriam, vitam et mortem : elige utrumlibet quod vis. Ita Rabanus : « In igne, ait, tribulatio, in aqua refrigerium exprimitur. Apposita ergo sunt coram nobis tribulatio et prosperitas; si voluerimus opere exercere mandata Dei, habebimus consolationem vitæ æternæ; si autem contemptores fuerimus mandatorum ejus, sequetur nos in furore pœna gehennæ. » Sic et Lyranus, Jansenius, Palacius et alii. Per ignem enim apte significatur ignis gehennæ, per aquam cœlum, quia cœli ex aquis facti sunt; unde et aquæ sunt supra cœlos, uti dixi *Genes.* I, vers. 1 et 6. Igitur Deus hominis arbitrium suspendit quasi in æthere, inter duo extrema elementa : aquam, in symbolum refrigerii æternæ vitæ; ignem, in expressionem tormentorum apud inferos.

Quocirca Nazianzenus, orat. *De Amore pauperum*, docet hominem constare partim terra ima, partim cœlo, puta partim concupiscentia, partim ratione et mente, quæ viam justitiæ in cœlum ostendat; idque factum asserit divino consilio, ut homo sciret se e cœlesti simul et tartarea quasi conflatum materia, ut quo velit propendeat libere. Ut intelligamus, inquit, nos maximos simul et abjectissimos esse, terrenos et cœlestes, temporaneos et immortales, lucis ac ignis tenebrosi hæredes, prout ad alterutrum nos propendere contigerit.

Ex dictis patet liberum arbitrium esse instar libræ, cujus libripens est homo, bilances sunt ignis et aqua, bonum et malum, præmium et supplicium, ac in utrumlibet propensio, vel utriuslibet electio. Unde Tertullianus, lib. II *Contra Marcion.* cap. VI, agens de homine libertate prædito : « Quasi libripens, ait, emancipati a Deo boni libertas et potestas arbitrii. » Ac deinde invehitur in eos, qui, cum libero arbitrio dominentur cæteris mundi rebus, ipsum tamen faciunt servum concupiscentiæ et peccati. « Alias, inquit, quale erat, ut totius mundi bona possidens homo, non in primis animi sui possessione regnaret, aliorum dominus, sui famulus? »

Minus apposite et genuine aliqui, per ignem et aquam accipiunt res quaslibet hujus mundi, quarum usum Deus homini concessit, *q. d.* Deus omnium rerum homini usum concessit, ut iis pro sua libertate utatur : si bene, ad vitam; si

male, ad mortem. Et alii, qui censent hic alludi ad ritum Romanorum, quo sponsa marito se despondens tangebat ignem et aquam. : « Quia, inquit Plutarchus, in *Quæst Rom.* Quæst. V, ignis lustrat, aqua purgat; debet autem quæ nubit, puritatem ac castimoniam conservare, » *q. d.* Simili modo Deus cuique apposuit ignem et aquam, ut per tribulationes purgemur et lustremur, itaque sponso Christo animas quasi sponsas, puras et integras sistamus. Hæc, inquam, minus genuina sunt; nam ex sequentibus patet opponi aquam et ignem, quasi bonum et malum, vitam et mortem, ut hominis sit unum sua libertate amplecti, alterum ei oppositum refutare; sapientis vero eligere id quod bonum est.

Vers. 18. 18. ANTE HOMINEM VITA ET MORS, BONUM ET MALUM : QUOD PLACUERIT EI, DABITUR ILLI. — Syrus, *data est enim hominibus vita et mors, ut eligant vitam, et derelinquant mortem.* Alludit ad *Deuteronom.* cap. XXX, 15 : *Considera quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam et bonum, et e contrario mortem et malum.* In liberam prædam, ait S. Chrysostomus ; quasi enim liberum quoddam voluit esse aucupium mortis ac vitæ, ut in alto velut suspensa animabus fidelium exponerentur ad prædam. » Et vers. 19 : « Testes invoco hodie cœlum et terram, quod proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem. Elige ergo vitam, ut et tu vivas, et semen tuum : et diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci ejus, et illi adhæreas. Ipse est enim vita tua, et longitudo dierum tuorum. »

Vide S. Basilium, homil. *in Psal.* LXI, ad illud : « Verumtamen vani filii hominum, mendaces in stateris, » ubi docet hanc stateram esse liberi arbitrii, rationis et consilii homini a Deo inditam; mendaces vero esse qui corruptam habent rationem, judicium et consilium. Sed audi ipsummet : « Quid igitur est quod dicit ? Quoniam cuilibet nostrum intus statera quædam est a conditore omnium apparata, per quam rerum naturam possis probe discernere. Posui, inquit, ante faciem tuam vitam et mortem, bonum et malum, duas inter se contrarias naturas : has tu apud tuum tribunal et judicium examina, ac diligenter expende quid utilius tibi sit : an momentaneam parumque duraturam eligere voluptatem, per quam mortem apprehendas æternam; an in virtutis exercitatione afflictionem malle, qua perpetuas consequaris delicias? Mendaces ergo homines corrupta habentes animæ judicia. Quos et Propheta miseros prædicat, dicens : Væ dicentibus tenebras lucem, et lucem tenebras; amarum dulce, et dulce amarum. Mihi, inquis, præsentia dentur, quis novit futura? Male libram expendis, mala pro bonis eligens, vana veris anteponens, momentanea perpetuis potiora ducens, transitoriam denique voluptatem pro lætitia nunquam desitura ac perpeti præeligens. Mendaces ergo homines in stateris iniquitatis, injuria afficiunt præcipue quidem seipsos, deinde vero proximos. Nam, cum in propriis factis male sibi consulant, malo sunt etiam proximis exemplo. Nec enim die illo judicii tibi licuerit dicere : Quia nescivi quid esset bonum. Tibi namque proprie datur libra, quæ sufficiens discrimen boni ac mali demonstrat. Corporea namque pondera in libræ lancibus probamus : quæ vero ad instituendam vitam eligenda veniunt, per liberum arbitrium discernimus, quod et stateram nominavit, quod momentum æquale ad utramlibet possit capere. »

Libra libertatis et rationis.

Clemens Alexandrinus, lib. V *Stromat.* cap. v, citans hunc locum Siracidis nomine Salomonis, sic citat : « Ecce do ante faciem tuam vitam et mortem, diligere Dominum Deum, et ambulare in viis ejus, et audire vocem ejus, et credere vitæ. » Sed commiscet verba Ecclesiastici cum verbis Mosis jam citatis ex *Deuteron.*, ut patet utraque conferenti ; quin et verba Mosis concidit, et in pauca contrahit. Similiter hunc locum explicat Origenes Clementis discipulus, lib. I *in Epist ad Romanos.* Et Gaudentius Brixianus Episcopus, tract. 13 *De Natali Domini* : « Vult, inquit, Dominus vere justus judex, ut meriti proprii sibi sit causa unusquisque : vult et justum pro sola justitia pati; vult et iniquum, si in malitia perduraverit, reum mortis pro arbitrio judicari. Figuravit enim Deus, etc., hominem, ut Scriptura testatur, ad imaginem similitudinis suæ fecit illum, et dimisit eum in manu consilii sui, posuit ante eum ignem et aquam, dicens : Ad quodcumque volueris, extende manum tuam. Posuit, inquit, ante homines Deus aquam et ignem, id est refrigerium et pœnam, remissionem et supplicium, vitam et mortem. Quis, oro, non refugiat supplicium, pœnam et mortem, et eligat refrigerium, remissionem ac vitam ? »

Mystice, Origenes per *vitam* accipit Christum, per *mortem* diabolum : sic enim ait, lib I *in Epist. ad Romanos* : « Ecce posui ante faciem tuam vitam et mortem, ignem et aquam : vita ergo Christus est, et mors novissimus inimicus, qui est diabolus; quod si agnoscens anima Deum, Christum vitam suam amplexata non fuerit, derelinquetur sine dubio, et deseretur ab eis qui eam favore suo, ut spiritui jungeretur, animabant. »

Moraliter, vide hic quanta hominis dos et dignitas sit liberum arbitrium, quo dotatus est a Deo, quia per hoc *primo*, similis est Deo et Angelis; *secundo*, eminet cæteris creaturis; *tertio*, est dominus sui ipsius suarumque actionum; *quarto*, capax est virtutis; *quinto*, capax est meriti; *sexto*, meretur vitam et gloriam æternam. Unde S. Bernardus, tractatu *De Diligendo Deo*, post initium : « Dignitatem, ait, in homine liberum arbitrium dico, in quo ei nimirum datum est, cæteris non solum præeminere, sed et præsidere animantibus. » Idem, serm. 81 *in Cantic.* « Arbitrii libertas, ait, est plane divinum quod-

Dignitas liberi arbitrii sextuplex.

dam præfulgens in anima, tanquam gemma in auro. Ex hac nempe inest illi inter bonum et malum, nec non inter vitam et mortem, sed nihilominus inter lucem et tenebras, et cognitio judicii, et optio eligendi. » Quocirca summe conandum est homini, ut hac libertate arbitrii bene utatur ad bonum, ad quod ei a Deo data est, ut scilicet bona operando mereatur felicitatem æternam. Porro, ut id faciat, astringat illud Deo, eique illud offerat et consecret per propositum efficax crebroque iteratum, Deo in omnibus obsequendi; assidue postulans ab eo ut ipse illud quasi suum possideat, gratiaque sua regat et dirigat ad omne bonum, adeoque ad portum salutis æternæ. Si enim possideatur a concupiscentia, peccato et diabolo, agetur ad omne malum, indeque in gehennam. Unde S. Augustinus *Enchir.* cap. XXX : « Libero arbitrio, inquit, male utens homo, et se perdidit et ipsum. » Et mox : « Cum libero peccaretur arbitrio, victore arbitrio amissum est liberum arbitrium, » non quoad libertatem proprie dictam, quæ adversatur coactioni, sed quoad libertatem a peccato et pœna. Unde subdit S. Augustinus : « A quo enim quis devictus est, huic et servus addictus est. Qualis, quæso, potest servi addicti esse libertas, nisi quando eum peccare delectat? liberaliter enim servit, qui sui domini voluntatem libenter facit. Ac per hoc ad peccandum liber est, qui peccati servus est; » et cap. XXV : « Mortis supplicium Dominus homini comminatus fuerat, si peccaret; sic eum munerans libero arbitrio, ut tamen regeret imperio, terreret exitio. »

Vers. 19. 19. QUONIAM MULTA SAPIENTIA DEI, ET FORTIS IN POTENTIA, VIDENS OMNES SINE INTERMISSIONE, — *q. d.* Deus constituit hominem in manu consilii sui ex multa sapientia, ut scilicet homo libere operando eligeret bonum vel malum, itaque mereretur præmium vel pœnam, ut in iis irrogandis, puta in hominum glorificatione vel damnatione, ostentenderet fortissimam suam potentiam. Et ne quis putet se in tanto hominum numero posse latere, fallere vel evadere, addit : « Et videns omnes sine intermissione, » *q. d.* Dei oculus singulos, et singula etiam occultissima, inspicit, ut judicet et præmiet, vel puniat. Græca habent, *quoniam multa sapientia Domini est, et potentia pollet, et omnia videt.* Nervose Syrus, *quia fortis est sapientia Dei, et valens viribus giganteis ipse* (unde Syri Deum vocant *gigantem sæculorum,* quia omnia sæcula sua æternitate, immensitate et potentia ambit et complectitur), *et omnia oculi ejus vident.*

Palacius hæc refert ad vers. 11 ; nam censet ea dici contra Theologastros, qui argute cavillantur impios male agere, eo quod desit eis gratia efficax ad bene agendum; sive ideo impios eligere mala, quia Deus efficaciter non dedit eis bona. Contra hos, inquit, Siracides adjecit : « Multa sapientia Dei, et fortis in potentia, » *q. d.* Adeo sapiens est Deus, ut non nisi quibus voluit, gratiam dederit, et nihilominus iis quibus dare non voluit, omnem conquerendi occasionem amputarit. Nec enim eos in ignem conjiciet, quia eis gratiam non dedit; sed quia illi habentes bona coram se et mala, ad mala extenderunt manum suam. Multa est igitur Dei sapientia, quæ improbis querelæ occasiones rescidit; fortis est divina potentia, quæ non nisi quæ voluit fecit. Rodat igitur reprobus ossa hæc. Non damnabitur in igne perpetuo, propter negatam sibi gratiam, sed propter culpam admissam a se. Caveat ille, ut potest, malum, et cavebit etiam ignem. Id altissime dixit Auctor illis verbis : « Quod placuerit ei, dabitur illi. » Ne igitur impie credas aliud tibi dari, quam quod tu tibi delegisti. Hæc Palacius.

Præclare Boetius, lib. V, *prosa* 6 : « Omne futurum, inquit, divinus præcurrit intellectus, et ad præsentiam propriæ cognitionis retorquet et revocat; nec alternat, nunc hoc, nunc illud pernoscendi vices, sed uno ictu omnes mutationes manens prævenit. » Quibus adde, Deum impiis præparare et dare (præsertim si humiliter eam postulent) gratiam sufficientem, cum qua possint, si velint, peccata vitare, et bona capessere. Ideo enim dicitur sufficiens : quare si cooperari velint, facient eam efficacem; efficax enim dicitur, quæ habet effectum. Etsi enim in nostra potestate non sit, ut Deus det nobis gratiam illam quam prævidet fore congruam et efficacem, non aliam quam prævidet fore inefficacem; tamen Deus sponte et ex sua liberalitate omnibus dat gratiam, cui si impii cooperari velint, reddent eam efficacem, æque ac faciunt pii; sed quia ipsi eidem libere cooperari nolunt, idque prævidit Deus, ideo dicitur eis dedisse gratiam sufficientem quidem, et quam prævidebat fore inefficacem et incongruam, eo quod ipsi sua desidia vel malitia eam cassam et inefficacem reddant, cum Deus velit et omnino desideret ut ipsi illi cooperentur, eamque fructuosam et efficacem efficiant. Nec enim Deus studio, et ex proposito quærit aut seligit gratias inefficaces quas det impiis; sed ex parte et intentione Dei omnis gratia est efficax in actu primo, hoc est, vim et efficaciam habet, ut opus efficiat, si voluntas ei cooperari velit, idque intendit et vult Deus; nam ideo datur a Deo, quod scilicet ipse sincere et ex animo intendat et cupiat ut voluntas illi cooperetur, itaque per eam opus perficiat. Hoc enim fine duntaxat eam dat; nec enim alius fingi potest, uti passim docent Theologi.

20. OCULI DOMINI AD TIMENTES EUM, ET IPSE AGNOSCIT OMNEM OPERAM HOMINIS. — Confirmat et exaggerat id quod dixit : « Et videns omnes. » Ut enim animet pios ad eligendum et faciendum bona, quæ mundani in hac vita negligunt, imo parvipendunt et spernunt, dicit Dei oculos jugiter contemplari timentes eum, et ipsum agnoscere, imo inspicere omnem operam; Græce πανεργον, id est *omne opus,* sive omnem operationem Vers. 20.

hominis, tam externam quam internam. Unde Syrus vertit, *et novit omnes cogitationes hominum*, ut scilicet eas judicet et præmiet præmio præsenti et æterno, aut puniat pœna præsenti vel æterna; Tigurina, *oculis suis reverenter ipsum aspicit, et omne opus hominis cognoscit.* Juxta illud *Job* XXXI, 4: « Nonne ipse (Deus) considerat vias meas, et omnes gressus meos dinumerat? » Inter alia autem præmia timentium Deum est hoc, quod ipse peculiariter eos protegat, dirigat et preces eorum exaudiat, juxta illud *Psalm.* XXXII, 18: « Oculi Domini super metuentes eum, et in eis qui sperant super misericordia ejus. » Et *Psalm.* CXLIV, 19: « Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet, et salvos faciet eos. » Ex adverso de impiis Deum non timentibus dicitur *Proverb.* XXVIII, 9: « Qui declinat aures suas ne audiat legem, » quia scilicet Deum non timet, oratio ejus erit exsecrabilis.

Oculi symbola quinque.

Nota: Τὸ *oculi Domini ad timentes eum, primo,* significat Deum acutissimo mentis oculo omnes justorum actiones, intentiones, vota et desideria inspicere; *secundo,* iis oblectari et pasci; *tertio,* eos singulariter amare, curare, protegere et de omni bono providere. « Oculi enim, ait Aristoteles, lib. I *Histor. Animal.* cap. X et XI, in cerebrum finiunt; » in cerebro autem est prudentia et providentia. Et cap. XVI: « Meatus, ait, ab oculis terni ad cerebrum pertinent, ita ut maximi et mediocres ad cerebellum tendant, minimi ipsum cerebrum adeant. » Hinc addit Aristoteles, cap. X, in oculis exstare mentis animique indicia: « Notam, inquit, morum laudabilium habent, qui mediocriter connivent. Reliquorum alteri impudentiæ, alteri inconstantiæ indices sunt. » Ita Deus timentes se habet in oculis, hoc est, in cerebro mentis, in cura et amore, in eosque blande et benevole intuendo connivet, optimeque affectum sese demonstrat. *Quarto,* timentes se a non timentibus secernere, dando eis gratiam et gloriam. Unde Tertullianus, lib. II *Contra Marcionem,* cap. IV: « Et dixit, inquit, Deus: Fiat, et factum est, et vidit Deus quia bonum (*Genes.* I): non quasi nesciens bonum, nisi videret; sed quia bonum ideo videns, honorans et consignans, et dispungens bonitatem operum dignatione conspectus. » *Quinto,* Deum timentes se habere in summo pretio, utpote quos præ toto mundo habeat in oculis, qui, ut ait Plinius, lib. XI, cap. XXVII: « Sunt pars corporis pretiosissima, et qui lucis usu vitam distinguunt a morte. » Unde ait: « Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei, » *Zachar.* II, 8. Vide ibi dicta, quia scilicet timentes Deum, Dei legem vicissim, quasi pupillam oculi sui custodiunt, ut dicitur *Proverb.* VII, 2.

Vers. 21. 21. NEMINI MANDAVIT IMPIE AGERE, ET NEMINI DEDIT SPATIUM PECCANDI. — Docuit vers. 11, Deum non esse causam peccati physicam, hic docet nec esse moralem: talis enim est imperium, jussio, consensus, *q. d.* Deus sicut non facit peccatum, sic nec illud imperat, aut in illud consentit. Syrus, *non præcipit hominibus ut peccent, et non dixit filiis carnis ut sontes fiant* (alius codex habet, *ut inique agant*), *et non miseretur facientibus mendacium.*

Pro *spatium* Græce est ἄνεσιν, quod *primo,* Complutenses, Tigurina et alii vertunt, *licentiam,* libertatem, indulgentiam: *Neque illi,* inquiunt, *dedit licentiam peccandi;* permittit quidem Deus homines peccare, id est non impedit, quia eos creavit liberos, ut libere eligerent quod vellent; sed nulli dedit vel dat facultatem aut licentiam peccandi, ita ut licite quis peccet. Sic enim peccatum non esset peccatum, sed res licita, utpote quæ fit ex concessione et licentia Dei, quod implicat; imo vero Deus, cum permittit peccata, minatur peccatoribus gehennam, ut ostendat quam illa exsecretur.

Secundo, ἄνεσις significat impunitatem, *q. d.* Deus nulli peccato vel peccatori dedit dabitque impunitatem, neminem peccantem impune abire sinet; sed quemlibet pro demeritis puniet. Ita Rabanus. Fuerunt enim et etiamnum sunt nonnulli Christiani, qui (ut dixi cap. III, in fine) putant impune sibi licere rapere aliena, et facere quidquid libet, modo dent eleemosynam, vel colant B. Virginem. Quem errorem refert et refellit ex hoc loco S. Augustinus *Enchiridii* cap. LXX: « Sane cavendum est, inquit, ne quisquam existimet infanda illa crimina, qualia qui agunt regnum Dei non possidebunt, quotidie perpetranda, et eleemosynis quotidie redimenda. In melius quippe est vita mutanda, et per eleemosynas de peccatis præteritis est propitiandus Deus, non ad hoc emendus quodammodo, ut ea semper liceat impune committere. Nemini enim dedit laxamentum peccandi, quamvis miserando deleat jam facta peccata, si non satisfactio congrua negligatur. »

Tertio, ἄνεσις verti potest *spatium, dilatio.* Multi enim putant licere sibi uti flore juventutis ad omnem cupiditatem, *Sapient.* II, 6, proponentes se acturos pœnitentiam in senectute. Multi principes putant quidlibet sibi licere, dummodo in hora mortis resipiscant. Multi putant in bacchanalibus licere insanire, vacare veneri et ventri, et facere quod lubet, dummodo in Quadragesima pœniteant. Unde in Ephemeridibus nonnullis illi dies antecinerales vocantur dies stultorum vel insanorum. Sed errant; Deus enim nulli, vel horam, vel momentum concessit ad peccatum; sed quodlibet peccatum æque peccatum est, et æque displicet Deo in juventute atque in senectute, in principatu atque in privata vita, in bacchanalibus atque in Quadragesima. Hoc est quod ait Job, cap. XXIV, 23: « Dedit illi Deus locum pœnitentiæ, et ille abutitur eo in superbiam. » Eodem redit hic sensus cum priori; qui enim dat spatium peccandi, dat et licentiam peccandi, saltem pro illo spatio et tempore.

Porro quomodo Deus præceperit Semei ut ma-

lediceret David II *Reg.* XVI, 10 ; quomodo Assyrios tyrannos vocaverit suam virgam, qua castigavit Hebræos *Isaiæ* X, 5, ibidem explicui. Nimirum mala impiorum voluntas dicitur virga Dei, non quasi causæ efficientis, quod eam fecerit; sed quasi jam facta, et ab homine posita utentis ad castigationem aliorum. Hic autem usus, et hæc ordinatio in Scriptura vocatur præceptum ; omnis enim Dei dispositio, ordinatio, directio, gubernatio sive positiva, sive permissiva, vocatur præceptum. Sic Deus dicitur præcepisse corvis ut pascerent Eliam, III *Reg.* XVII, 4 : *præcepisse,* id est, ordinasse et disposuisse ; alioqui enim corvi, cum sint irrationales, præcepti et mandati proprie dicti sunt incapaces. Et *Matth.* XIX, vers. 7, dicitur: « Moses mandavit dare libellum repudii. » *Mandavit,* id est, ordinavit et permisit, uti explicatur vers. 8. Sic ergo Deus præcepit, id est, ex proposito permisit, Semei maledicere Davidi, ordinando hanc ejus maledicentiam in pœnam homicidii Davidis ; unde pro *præcepit,* Hebræa, Chaldæa et Septuaginta vertunt *dixit.* Dices : S. Augustinus *De Gratia et Libero arbitr.* cap. XX, ait : « Deus Semei voluntatem proprio vitio malam, in hoc peccatum suo justo et occulto judicio inclinavit. » Respondeo, *inclinavit,* id est, inclinatam ad maledicendum impedivit ne in alium maledicta jaceret, ac dimisit ut ea jaceret in Davidem ; sicut qui leonem quem ligatum manu tenet, objectis variis canibus, cohibet ne in alios feratur, ac dimittit et permittit eum ferri in canem sui inimici. Unde subdit S. Augustinus : Dixit Deus Semei ut malediceret David, id est, cor ejus malum misit vel dimisit. Tantum enim vult S. Augustinus, corda hominum etiam impiorum esse in manu Dei, ut alio ferri nequeant quam quo ipse voluerit permittere et ordinare ad hos illosve puniendos.

Vers. 22. 22. NON ENIM CONCUPISCIT MULTITUDINEM FILIORUM INFIDELIUM ET INUTILIUM, — quales sunt peccatores et impii. Dat causam cur Deus non mandet, nec det licentiam peccandi, quia scilicet non concupiscit, imo odit et exsecratur impietatem et impios. Est miosis : minus enim dicitur, et plus significatur ; non concupiscit, id est, odit et abominatur. Græce est ἐπιθύμει, quod Noster accipit ut tertiam personam Indicativi, ideoque vertit, *concupiscit.* Jam vero Complutenses, Tigurina, Syrus et alii accipiunt ut secundam personam Imperativi, vertuntque, *ne concupisce multitudinem filiorum inutilium.* Unde hæc jungunt cum sequentibus : « Ne jucunderis in filiis impiis ; » atque hinc inchoant cap. XIX. « Apud homines, inquit Philo, lib. *De Migratione,* injustos multitudo pluris quam unus justus æstimatur ; apud Deum vero bonitas rara præfertur iniquis innumeris. » De quo plura cap. sequenti, vers. 1 et 3.

Porro ratio, et quasi causa a priori, cur Deus non possit mandare alicui ut impie agat, nec ei dare spatium peccandi, neminem quoque implanare, est infinita ejus sanctitas, bonitas, sapientia et potentia. Qua ratione enim Deus, qui est summa sanctitas, amet impietatem, imo eam mandet? qua ratione summa sapientia aliquem implanet, et insipientem stultumque efficiat ? qua ratione summa bonitas summum faciat malum? qua ratione summa potentia infirmitati peccandi, mentiendi, decipiendi subjaceat? Quare hæc ἀδύνατα et ἀσύγατα, Deo pariter ἀδύνατα et ἀσύγατα sunt, utpote a deitate Deique natura plane aliena. Impotentia enim impossibilium, summæ ac divinæ potentiæ est argumentum. Docet hoc pulchre et acute Theodoretus, lib. III *Contra Hæreses :* « Horum quidpiam non posse, inquit, infinitæ potentiæ signum est, non imbecillitatis indicium ; posse vero, utique impotentiæ, non potentiæ. Quomodo hoc dico ? Quoniam unumquodque eorum Dei firmitatem immutabilitatemque deprædicat. Bonum enim malum fieri non posse, supereminentiam denotat bonitatis ; et justum nunquam posse fieri injustum, nec veracem mendacem, hoc in veritate atque justitia stabilitatem soliditatemque demonstrat. Similiter lux vera non potest tenebrescere, nec is qui est, non esse; sufficiens enim habet esse, atque immutabilis existit lux. Sic et alia cuncta perlustrans, illud non posse, comperies summam potentiam significare. » Probat idipsum ex S. Paulo : « Ita quoque in Deo talia non posse divinus Apostolus et intellexit, et posuit, nonnunquam quidem dicens : Impossibile est mentiri Deum ; non infirmum illud impossibile, sed valde potens ostendens. Alibi vero scribens : Negare seipsum non potest. Rursus ergo illud : Non potest, infinitæ est demonstrativum potentiæ. Tametsi enim, inquit, omnes homines ipsum negarent, ipse Deus est, et a propria non excedit natura : nam incorruptibile habet esse, uti significat illud : Negare seipsum non potest. Redundantiam igitur indicat potentiæ, illa in deterius commutationis impotentia. Hoc modo multa Dec sunt impossibilia, et quidem tot tantaque, quanta sunt divinæ naturæ contraria. Illud ergo : Non est impossibile apud Deum omne verbum, intelligendum est de iis quæ naturæ divinæ congruunt; horum enim nihil impossibile est Deo. »

Ratio a priori.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prosequitur materiam de odio Dei in peccata et peccatores. Unde parentes monet ut Deum imitentur, nec lætentur in filiorum copia vel elegantia, si sint impii. Inde, vers. 7 usque ad 24, resumit Dei vindictam in impios, ostenditque quam acriter punierit Gigantes per diluvium, Sodomitas per conflagrationem, Hebræos murmurantes per mortem in deserto. Denique, vers. 24 usque ad finem capitis, disserit de Dei sapientia in creatione et dispositione universi.

1. Ne jucunderis in filiis impiis, si multiplicentur : nec oblecteris super ipsos, si non est timor Dei in illis. 2. Non credas vitæ illorum, et ne respexeris in labores eorum. 3. Melior est enim unus timens Deum, quam mille filii impii. 4. Et utile est mori sine filiis, quam relinquere filios impios. 5. Ab uno sensato inhabitabitur patria, tribus impiorum deseretur. 6. Multa talia vidit oculus meus, et fortiora horum audivit auris mea. 7. In synagoga peccantium exardebit ignis, et in gente incredibili exardescet ira. 8. Non exoraverunt pro peccatis suis antiqui gigantes, qui destructi sunt confidentes suæ virtuti. 9. Et non pepercit peregrinationi Lot, et exsecratus est eos præ superbia verbi illorum. 10. Non misertus est illis, gentem totam perdens, et extollentem se in peccatis suis. 11. Et sicut sexcenta millia peditum, qui congregati sunt in duritia cordis sui : et si unus fuisset cervicatus, mirum, si fuisset immunis. 12. Misericordia enim et ira est cum illo. Potens exoratio, et effundens iram : 13. secundum misericordiam suam, sic correptio illius hominem secundum opera sua judicat. 14. Non effugiet in rapina peccator, et non retardabit sufferentia misericordiam facientis. 15. Omnis misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum, et secundum intellectum peregrinationis ipsius. 16. Non dicas : A Deo abscondar, et ex summo quis mei memorabitur? 17. In populo magno non agnoscar : quæ est enim anima mea in tam immensa creatura? 18. Ecce cœlum, et cœli cœlorum, abyssus, et universa terra, et quæ in eis sunt, in conspectu illius commovebuntur. 19. Montes simul, et colles, et fundamenta terræ : cum conspexerit illa Deus, tremore concutientur. 20. Et in omnibus his insensatum est cor : et omne cor intelligitur ab illo : 21. et vias illius quis intelligit, et procellam, quam nec oculus videbit hominis? 22. Nam plurima illius opera sunt in absconsis : sed opera justitiæ ejus quis enuntiabit, aut quis sustinebit? Longe enim est testamentum a quibusdam, et interrogatio omnium in consummatione est. 23. Qui minoratur corde, cogitat inania; et vir imprudens et errans, cogitat stulta.

Ut a vanitate et stultitia impiorum, inania et caduca hujus mundi bona præ cœlestibus ambientium, lectorem et discipulum suum avocet Siracides, doceatque eum sapere, ob oculos ei ponit Dei potentiam, sapientiam, judicium, magnificentiam et misericordiam. Ait ergo :

24. Audi me, fili, et disce disciplinam sensus, et in verbis meis attende in corde tuo, 25. et dicam in æquitate disciplinam, et scrutabor enarrare sapientiam : et in verbis meis attende in corde tuo, et dico in æquitate spiritus virtutes, quas posuit Deus in

opera sua ab initio, et in veritate enuntio scientiam ejus. 26. In judicio Dei opera ejus ab initio, et ab institutione ipsorum, distinxit partes illorum, et initia eorum in gentibus suis. 27. Ornavit in æternum opera illorum, nec esurierunt, nec laboraverunt, et non destiterunt ab operibus suis. 28. Unusquisque proximum sibi non angustiabit usque in æternum. 29. Non sis incredibilis verbo illius. 30. Post hæc Deus in terram respexit, et implevit illam bonis suis. 31. Anima omnis vitalis denuntiavit ante faciem ipsius, et in ipsam iterum reversio illorum.

PRIMA PARS CAPITIS.

Vers. 1. 1. NE JUCUNDERIS IN FILIIS IMPIIS, SI MULTIPLICENTUR: NEC OBLECTERIS SUPER IPSOS, SI NON EST TIMOR DEI IN ILLIS.—Solent parentes mundani lætari et gloriari in pulchritudine, robore, ingenio, dexteritate, multitudine filiorum, parum curantes an sint probi, an improbi; imo de improbis, ob eorum audaciam et facinora astuta vel animosa, licet impia vel obscena, gloriantur. Hos redarguit hic Sapiens, docetque de talibus potius dolendum esse et erubescendum, tum quia filius improbus non decus, sed dedecus est parentum; tum quia filios improbos manet confusio et gehenna æterna. De solis ergo piis esse gaudendum; pios autem esse, si in eis sit timor Dei. Unde Tigurina vertit, *ne optes copiam inutilium liberorum*, vel, *ne læteris de filiis impiis; ne delecteris abundantia eorum, si eis religio Dei nulla est;* Syrus, *ne desideres multitudinem filiorum peccantium, et ne læteris in omnibus filiis mendacii; etiam si multiplicati fuerint, ne læteris in eis, quia non sunt in timore Dei.* Qui enim tales generat vel alit, generat vel alit eos non Deo, sed diabolo; non virtuti, sed sceleri; non cœlo, sed inferno: facit enim eos folles et fomenta gehennæ. Idem dicas de multitudine impiorum civium in civitate, subditorum in republica, sociorum in congregatione, monasterio, aliove cœtu. Unde Rabanus: « Hæc sententia, ait, contra eos valet qui delectantur in multitudine obsequentium et in turbis discipulorum, nec curant utrum secundum timorem Dei conversentur, an sceleribus diversis implicentur. »

Aquila pullos mire educat. Exemplum naturale est in aquila, de qua ita scribit Aristoteles lib. VI *Histor. Anim.* cap. VI: « Aquilæ ova pariunt terna, sed pullos binos excludunt, ut ex versu, quem ad Musæum referunt auctorem, constat: Excludit binos, edit terna, educat unum; sed quamvis magna ex parte sic fiat, tamen et tres visi aliquando sunt pulli. » Idem, lib. IX, cap. XXXIV: « Aquila marina, inquit, clarissima oculorum acie est, ac pullos implumes cogit adversos intueri solem, percutit eum qui recuset, et vertit ad solem; tum cujus oculi prius lacrymarint, hunc occidit, reliquum educat. » Sic parens magnifaciat filium, qui irretortis mentis oculis Solem justitiæ, id est, Christum, intuetur, eique per omnia servit et obedit; reliquos impios, Deum negligentes, Deoque exosos parvifaciat, utpote a quibus non nisi tædia, fastidia et probra exspectet. Qua de causa Menander in *Epicteto*: « Aut oportet, inquit, vivere solum ac cælibem, aut natis jam liberis mori parentem, adeo omnis deinceps vita acerba est. » Unde S. Ambrosius, lib. I *Offic.* XVII: « Est, ait, bonorum adolescentum timorem Dei habere, et deferre parentibus honorem, etc. Erat Isaac Deum timens, utpote Abrahæ indoles, honorem deferens patri usque eo, ut adversus paternam voluntatem nec mortem recusaret. Joseph quoque cum somniasset quod sol et luna et stellæ adorarent eum, sedulum tamen obsequium deferebat patri. ».

Vers. 2. 2. NON CREDAS VITÆ ILLORUM, ET NE RESPEXERIS IN LABORES EORUM. — Pro *labores* Complutenses et Tigurina legunt πλῆθος, id est *multitudinem;* unde vertunt, *ne fidas vitæ eorum, nec innitaris* (vel *magnifacias*) *multitudinem ipsorum.* Alii legunt τόπον, id est *locum, dignitatem;* ita Romana, *q. d. Ne respexeris* (Græce μὴ ἔπεχε, id est, ne insistas, non moreris) *gradum dignitatis eorum,* hoc est, ne in eo magnum pondus esse putes, non magni æstimes. S. Augustinus in *Speculo* et Noster legunt κόπον, id est *laborem.* Sensus ergo est, *q. d.* Ne confidas eos, licet vegetos et robustos, diu et feliciter victuros, ut tutum nomen et familiam propagent et illustrent, etiam si labores et opera eorum ingentia conspicias. Deus enim omnia hæc inania et cassa reddet, in fumum resolvet, ac in nihilum abire efficiet. Unde Syrus, *ne confidas in vita eorum, nec credas bonum finem manere illos.*

Aliter Lyranus, *q. d.* Ne fidas filiorum laboribus, quasi ipsi iis te in senio sustentaturi sint, ut propterea non audeas vel omittas eos peccantes corrigere: vana enim est hæc tua spes et fiducia, quia filii improbi, eo quod neglexerint parentes eos castigare, solent parentes despicere et negligere. Aliter et Hugo, *q. d.* Ne credas vitæ illorum, confidens quod in senio improbam vitam mutabunt in probam; nam, ut ait Salomon *Proverb.* XXII, vers. 6: « Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. »

Vers. 3. 3 et 4. MELIOR EST ENIM UNUS TIMENS DEUM (Com-

plutenses δίκαιος, id est *justus*, et ita legit S. Chrysostomus, hom. 24 et 39 *in Genesim*), QUAM MILLE
Vers. 4. FILII IMPII ; ET UTILE (utilius, satius) EST MORI SINE FILIIS, QUAM RELINQUERE FILIOS IMPIOS. — Hi enim sunt probrum parentis, et odium Dei, quos proinde cum familia perdet et exscindet Deus. Melior, id est, utilior parentibus, familiæ et reipublicæ : alioqui non esset apta comparatio ; impii enim cum non sint boni, hinc cum timente Deum quasi cum meliore recte comparari nequeunt. Legit Interpres κρείσσων, per ω, id est *melior*. Sic et Syrus, *melior est unus qui facit voluntatem* (obediens), *quam mille*. Jam legunt κρεῖσσον per ο, id est melius, satius, potius. Unde Tigurina vertit, *pluris enim est justus unus, quam mille tales ;* alii, *præstat enim unus quam mille ;* S. Chrysostomus, hom. 39 *in Genes.* legit : « Melior est unus faciens voluntatem Domini, quam decem mille peccatores. » Idem, homil. 40 *ad Popul.* exemplum dat Eliam : « Elias, inquit, unus erat, sed totus mundus non erat dignus qui rependeretur ei ; et mundus quidem innumera millia sunt, sed non sunt millia, cum nec ad unius mensuram perveniant. » Et inferius : « Non videtis quod melius sit habere unum lapidem pretiosum, quam mille obolos ? » Justus autem est lapis pretiosus, impii sunt obolus. Et Philo, lib. *De Decalogo*, asserit, « unumquemque, dum Deo paret et legibus, æquari frequentissimo populo, vel potius omnibus gentibus, imo mundo universo. » Talis fuit Abraham, id est, pater excelsus, vel pater magnæ multitudinis, cui proinde ait Deus *Genes.* XVII, 6 : « Faciamque te crescere vehementissime, et ponam te in gentibus, regesque ex te egredientur. » E contrario : « Multigena impiorum multitudo non erit utilis, et spuria vitulamina (adulterinæ plantationes et propagines) non dabunt radices altas, » *Sapient.* IV, vers. 3. Sic impius Cham punitus est in filio infami Chanaan, ejusque posteris Chananæis, *Genes.* IX, 18. Vide Ambrosium, lib. *De Noe*, cap. XXVIII. Siracidi concinit Ben-Sira *Alphabeto* 1, littera *Beth.* : « Filium, non filium, inquit, sine ut in aquæ summo remiget vel natet. » Quod Uziel, filius Ben-Sira, in *Scholiis* sic exponit : « Omni tempore castiga et verbera filium tuum. Quod si videris te verberibus nihil proficere, relinque illum. Si te persequitur, educ foras ut lapidetur. Quod si impetrare non potes ut tanquam contumax jure puniatur, tum projice in flumen, et ciba pisces. » Verum quia hoc durum et inhumanum videtur, hinc illud ita emollit Joseph filius Uzielis, « Fierine potest, inquit, ut homo occidat filium suum ? Quid igitur faciet ? relinquet illum, ita quidem ut si in puteum inciderit, non inde extrahat. » Melius alii, *q. d.* Filium non filium, id est, filium perditum et profligatum, qui ad frugem revocari nequit, relega ad remos, sive ad ergastula nautica, ut remigando discat sapere : multos enim remus emendat, quos non potuit paterna castigatio ; quod consilium hodie sequuntur multi, nec sine fructu.

Moraliter, disce hic quanta sit virtutis et sanc-titatis dignitas et pondus apud Deum ; facit enim unum sanctum æquivalere, imo pluris valere mille, imo universis impiis. Hinc Paulus *Hebr.* cap. XI, vers. 37, de Elia et sanctis Prophetis : « Circuierunt, inquit, in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus ; » adeoque quorum meritis et precibus stabat mundus, juxta illud Elisei ad Eliam, cum raperetur in cœlum : « Pater mi, currus Israel et auriga ejus, » *q. d.* Tu, Elia, quasi currus portas et sustentas Israelem, et quasi auriga eumdem regis et gubernas, IV *Regum*, cap. II, 12. « Quis dubitet mundum precibus stare Sanctorum ? » inquit Ruffinus Præfat. *in Vitis Patrum*. Hac de causa Deus se proprie Sanctorum Deum vocat, licet sit omnium : « Ego, inquit, sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, » *Exodi* III. Quin et cum eis quasi amicis familiarissimus fœdus init. Unde ad Abraham ait *Genes.* cap. XVII, vers. 2 : « Ponam fœdus meum inter me et te, et multiplicabo te vehementer nimis ; » in quem locum vide S. Chrysostomum, homil. 39 *in Genes.* Justo ergo dicat civitas, quod Davidi dixit populus : « Non exibis, quia tu unus pro decem millibus computaris, » II *Regum* cap. XVIII, vers. 3. Imo S. Chrysostomus, homil. 27 *in Epistol. ad Hebr.*, unum Josue toti mundo anteponit. Expendens enim quod Josue stiterit solem, *Josue*, cap. X, 13 : « Veniat, inquit, omnis mundus ; magis autem duo, aut tres, aut quatuor, aut decem et viginti mundi, dicant et faciant hoc, sed non poterunt. » Et S. Gregorius Nazianzenus, *orat.* 32 : « An tu, inquit, universos Chananæos uni Abrahamo antepones ? an Sodomitas uni Loth ? an Madianitas Moysi ? an illos trecentos viros, qui cum Gedeone lambuerunt, tot hominum millibus pedem referentibus, inferiores esse contendes ? » Rursum S. Chrysostomus, homil. 8 *in Acta* : « Educite, inquit, in bellum centum myriades, et unum sanctum ; scimus quia hic plura operetur. Exiit Jesus Nave in bellum, et solus omnia operatus est strenue ; et ita alii nihil proficiunt. Multitudo, quando voluntatem Domini non facit, nihil differt ab his qui non sunt. »

5. AB UNO SENSATO INHABITABITUR PATRIA (fiet ut Vers. 5.
inhabitetur et frequentetur ; sic enim exponenda sunt Hebræa passiva in conjugatione *Hophal*), TRIBUS IMPIORUM DESERETUR. — Ita Romana, Græca et Syrus. Perperam ergo multi codices legunt : *Et a tribus impiis deseretur*, quod varie exponunt Lyranus, Rabanus, Dionysius et alii ; sed ad litteram sic, *q. d. Propter trium impietatem deseretur.* Ita Palacius, qui rursum suspicatur legendum esse, *a tribubus impiis deseretur*. Sic unus Joseph, inquit, gentem servavit Judæorum ; duo, scilicet Hemor et Sichem, suæ patriæ fuerunt causa ruinæ, *Gen.* XXXIV. Unus Samuel restituit patriam, quam duo, Ophni et Phinees, sua iniquitate destruxerant, I *Reg.* cap. II, et cap. VIII. Quare Deus da servandam patriam pio uno contentus ste

porro ad perdendam eam tres ut minimum requirit; quos Teutones olim vocabant *Vandregisilos, q. d. Dan die dry ghefellen,* id est, *unus e tribus illis sociis.* Igitur fortassis si Lot non fuisset peregrinus, sed indigena et civis Sodomæ, Sodoma adhuc staret. Hæc Palacius. Verum legendum est cum Romanis et Græcis : « Tribus impiorum deseretur ; » sicut tribus Benjamin ob stuprum in uxorem Levitæ admissum, pene tota excisa fuit, *Judic.* XX, vers. 46. Addunt aliqui codices : *Et unus justus pro toto mundo.*

Probat id quod dixit : « Melior est unus timens Deum, quam mille impii,» ex eo quod unus sensatus, id est prudens, timens Deum, sua prudentia et virtute alliciat ad se populos, itaque civitatem et patriam repleat incolis; « tribus » autem (id est familia ampla et copiosa qualem habuerunt duodecim tribus Israel) « impiorum deseratur, » id est desoletur, tum ob eorum imprudentiam et nequitiam, tum ob Dei, eorum impietatem ulciscentis, vindictam. Unde Græce habent, *ab uno intelligente frequentatur* (frequens redditur, incolis repletur) *civitas, impiorum vero tribus desolabitur ;* Græce ἐρημωθήσεται, id est, in eremum et desertum vertetur, uti contigit Sodomæ et Pentapoli, cujus exemplum subjicit vers. 9. Tigurina, *per unum cordatum frequens considebit civitas, impiorum vero natio brevi desolabitur.* Sic et Complutenses addunt ἐν τάχει id est *brevi, cito,* quod in multis deest; Syrus, *ab uno enim qui timet Dominum, replebitur tota civitas, et a multitudine hominum iniquorum desolabitur ;* sicut tota terra desolata et aquis diluvii obruta fuit ob scelera gigantum, de quo dicet vers. 8. Hoc est quod canit Psaltes *Psalm.* CVI, 33 : « Posuit flumina in desertum, et exitus aquarum in sitim. Terram fructiferam in salsuginem a malitia inhabitantium in ea. » Ex adverso ob pios : « Posuit desertum in stagna aquarum, et terram sine aqua in exitus aquarum. Et collocavit illic esurientes, et constituerunt civitatem habitationis, » habitatam, frequentem, populosam. Dei enim inventum est civitatum constructio; donum, earumdem conservatio et multiplicatio, quod suis ipse fidelibus se timentibus concedit. Unde subdit Psaltes vers. 38 : « Et benedixit eis (filiis Israel), et multiplicati sunt nimis, et jumenta eorum non minoravit. » Ita ex uno Abraham, Isaac et Jacob prognatæ sunt duodecim tribus Israel, quæ copiosam rempublicam et regnum brevi effecerunt, idque frustra obnitentibus, prolesque eorum interimentibus Ægyptiis. Vide dicta *Exodi,* cap. I. Vide et Thomam Bozium *De Signis Ecclesiæ,* tom. II, lib. XX, signo 88, et lib. XXII, signo 93, cap. IV, num. 44, et cap. VI. Ubi inter alia docet viros sanctos et religiosos, ut S. Gallum, S. Bonifacium, S. Columbanum, et similes, construendo monasteria, occasionem dedisse construendi urbes, ideoque magnificentissimas Germaniæ et Borealium civitates ædificatas esse prope monasteria. Religiosi fundarunt urbes. Exempla.

Memorabile est quod legimus in Vita S. Jacobi Nisibitis Episcopi, nimirum Nisibin fuisse inexpugnabilem, quamdiu S. Jacobi ossa in ea condita mansere; at ubi ea eximi jussit Julianus Apostata, mox urbs occupata fuit a Persis. Vide Baronium in *Gestis Juliani.* Præclare Philo, lib. *De Sacrific. Abel et Cain :* « Equidem, ait, quando aliquem bonum virum habitantem in aliqua domo aut urbe video, et domum et urbem illam beatam prædico; ratus tum præsentem felicitatem ei mansuram perpetuo, tum absentem exspectandam cumulatiorem, Deo ultra modum mensuramque divitias suas, in gratiam dignorum, etiam in indignos profundere solito. » Sic salus et fulcrum Israelis fuit Moses, Josue, David, Josias, Isaias, Judas Machabæus, imo Judith, Esther, etc.

6. MULTA TALIA (perperam aliqui legunt, *alia*; Græce enim est τοιαῦτα, id est *talia*) VIDIT OCULUS MEUS, ET FORTIORA HORUM AUDIVIT AURIS MEA, — *q. d.* Vidi ego oculis meis multas civitates ob impietatem desertas, alias ob pietatem cultas et habitatas, ac fortiora, id est, validiora, majora; Syrus, *graviora,* ejusdem rei exempla, quæ olim contigerunt, a patribus audivi auribus meis. Tigurina, *multa talia vidit oculus meus, aurisque mea his audivit vehementiora.* Nonnulla ex hisce exemplis subjicit, puta diluvium gigantibus inflictum, ignem cœlitus in Sodomam immissum, totum Hebræorum exercitum ob murmur deletum in deserto. Vers. 6.

SECUNDA PARS CAPITIS.

DE VINDICTA DEI IN IMPIOS GIGANTES, SODOMITAS ET JUDÆOS.

Vers. 7. 7. IN SYNAGOGA PECCANTIUM EXARDEBIT IGNIS, ET IN GENTE INCREDIBILI (incredula, inobediente, rebelli) EXARDESCET IRA, — *q. d.* Hoc est quod assero et prædico, nimirum Deum efficere ut in synagoga, id est cœtu, quantumvis magno et copioso, peccantium, exardescat Dei ultio instar ignis, eumque comburat, et in gente incredula et rebelli Dei ira et vindicta, quæ eam consumat et dispersdat : nec enim Dei ira desæviens metuit aut refugit multitudinem impiorum ; sicut unus lupus non metuit millia ovium, sed unus ipse omnes dissipat et perdit. Judices enim et principes sæpe ob multitudinem et nobilitatem reorum et complicum, non audent progredi in inquisitione et vindicta criminis, v. g. magiæ, quia unus magus, vel una saga, accusat primores civitatis, eosque

plurimos, de eodem crimine. At Deus nulla nobilitate vel multitudine percellitur aut movetur; sed omnes noxios, etiamsi innumeri et nobilissimi sint, quin et innoxios subinde cum noxiis, castigat et perdit. Pro *incredibili* Græce est ἀπειθεῖ, quod verti potest *primo*, incredula; *secundo*, diffidente; *tertio*, inobediente; *quarto*, rebelli; Tigurina, *contumaci;* Syrus, *in populo qui irritat* (provocat iram Dei), *dominatur ira et vindicta Dei.* Alludit ad Core, Dathan et Abiron, et eorum asseclas, ducentos quinquaginta viros, quæ vocatur congregatio Abiron; in hac enim synagoga, propter tres illos duces Mosi rebellantes, exarsit ignis, juxta illud *Psalm.* CV : « Exarsit ignis in synagoga eorum, flamma combussit peccatores. » Lege historiam *Num.* XVI. Et : « Stupa collecta synagoga peccantium, et consummatio illorum flamma ignis, » *Eccli.* XXI, 10.

Vers. 8. 8. NON EXORAVERUNT PRO PECCATIS SUIS ANTIQUI GIGANTES, QUI DESTRUCTI SUNT CONFIDENTES SUÆ VIRTUTI.—Hoc est primum exemplum desolationis reipublicæ ob incolarum impietatem, nimirum quod tota terra ob tyrannidem, violentiam, libidinem, cædes, rapinas et impietatem gigantum obruta fuerit diluvio, ita ut omnes homines, animalia, feræ, arbores, herbæ et plantæ fuerint submersæ et eversæ. Vide dicta *Genes.* VI.

Nota : « Non exoraverunt, » hoc est, non placarunt Deum. Est catachresis; orando enim placatur Deus, *q. d.* Gigantes, licet numerosi et robusti, tamen suo numero et robore non potuerunt flectere, placare et propitium reddere Deum, ut eis placeret, nec peccata eorum puniret universali orbis cataclysmo; quia Deum non timentes, nec colentes, fidebant suæ virtuti et robori, quasi nemo, ne Deus quidem, eos domare et subjugare posset. Unde Græce est, *non est propitiatus priscis gigantibus, qui rebellarunt in fortitudine sua.* Complutenses addunt, *in fortitudine stultitiæ* vel *amentiæ suæ;* clare et nervose Tigurina, *implacabilis Deus priscis fuit gigantibus, qui ob potentiam suam stultam ab eo defecerunt;* Syrus, *non pepercit regibus antiquis, qui repleverunt mundum fortitudine sua,* vel *giganteitate sua,* id est, immanitate tum corporum, tum armorum, tum bellorum, tum latrociniorum aliorumque scelerum suorum, *q. d.* Gigantes fidebant suis giganteis viribus; sed Deus longe major gigas parvulos hosce gigantes quasi pulices occidit, et aquis obruit, sicut major piscis devorat minorem, ac balæna deglutit grandes quoslibet, quasi pisciculos. Hoc est quod ait Sapiens cap. XIV, 26 : « Ab initio cum perirent antiqui gigantes ; » et Job cap. XXVI, 8 : « Ecce gigantes gemunt sub aquis, » uti exponunt passim interpretes, licet noster Pineda per gigantes accipiat cetos et balænas, quæ, dum parturiunt, sub aquis gemunt.

Potest *secundo*, τὸ *non exoraverunt* proprie sumi, quia licet gigantes tumidi, viribus suis fisi, Deum non timerent, nec orarent in vita, tamen in morte orasse videntur. Cum enim viderent aquas diluvii intumescere, seque eis sensim mergi, nec esse humanam spem evadendi, viribus suis diffisi ad Deum confugerunt, eumque orarunt, sed non exorarunt, quia aquis mersi sunt. Sic homines superbi et effrænes, qui nec Deum timent nec homines, in naufragio cum vident se fluctibus hauriri, necessitate coacti invocant Deum. Unde vulgo dicitur: « Qui nescit orare, eat ad mare; » tempestas enim et pericula maris docent, imo cogunt, superbos et indomitos orare.

Hæc omnia dicit Siracides, ut elidat stolidum sensum vulgi, quod dum peccat, se excusat et tutatur multitudine et potentia idem peccatum perpetrantium; sed ignorat hæc neminem posse protegere a Dei ira et gehenna. Qua de re audi memorabile exemplum. Radbodus, rex Frisiæ, invitatus ad baptismum a S. Vulfranno Episcopo, promittente ipsi regnum cœleste, et, ni baptizaretur, minante infernum, quæsivit ab eo ubi esset major numerus regum et principum, seu nobilium gentis Frisonum, in cœlo, an in inferno? Respondente S. Vulfranno : Prædecessores tui principes, qui sine baptismo decesserunt, descenderunt in infernum; Radbodus a fonte baptismi pedem retraxit, dicens se malle esse cum tot suis prædecessoribus principibus, quam cum parvo numero residere in cœlo. Quare sine baptismo defunctus, moriens anno Domini 719, ad suos in tartara descendit, ubi eum catena ignea religatum vidit S. Willebrordus: ita Jonas in Vita S. Vulfranni, Sigebertus, Massæus, Nauclerus et alii, ac ex iis Baronius, anno Christi 719.

Mystice Rabanus : « Gigantes, ait, sunt qui terrenis desideriis irretiti, et peccatorum sarcinis prægravati, cor indomabile gerunt, nec ad pœnitentiam illud flectere consentiunt; propterea misericordia Dei indigni, detrimentum suæ salutis perpetientes, in interitum æternum corruunt. » Additque tales maxime esse hæreticos, qui omnes, quasi gigantes, feri sunt et tumidi; in tales enim Deus crudeliter, sed juste sævit, in eosque omnia sua tela et fulmina e cœlo indignans intorquet. Hinc gigantes dicuntur quasi γηγενεῖς, in terra geniti, terræ filii, terræ moles, terræ onera et pondera. Hebr. vocantur *nephilim*, id est cadentes, vel prosternentes; et *raphaim*, id est dissolventes, quod alios sua proceritate, atrocitate, robore, sævitia percellerent et pessumdarent, uti fusius dixi *Genes.* VI; *Sapient.* XIV, 6.

Vers. 9. 9. ET NON PEPERCIT PEREGRINATIONI LOT (perperam plerique codices Latini pro *Lot* legunt *illorum;* Complutenses addunt, *et percussit eos;* sed Romana idipsum delent). Peregrinationem vocat locum peregrinationis, puta Sodomam et Pentapolim, in qua peregrinatus, et quasi peregrinus commoratus est Lot, *q. d.* Deus non pepercit Sodomæ et Pentapoli hominibus et opibus luxurianti, sed omnes igne cœlesti cremavit et perdidit. A vindicta enim Dei quam publice exercuit

in impios gigantes per diluvium, eo mergendo totum orbem, transit ad publicam vindictam impiæ Pentapolis, qua Deus Sodomitas et Pentapolitanos omnes igne cœlesti sideravit. Unde explicans subdit : ET EXSECRATUS EST EOS PRÆ SUPERBIA VERBI ILLORUM, — quia scilicet superba verba contra Deum et Lot jactabant, blasphemantes Deum, et contemnentes ejus numen, providentiam et vindictam. Solam enim luxuriam infandam non fuisse causam excidii Sodomæ, sed et superbiam, docet Ezechiel cap. XVI, vers. 49 : « Ecce, ait, hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis, et abundantia, et otium ipsius, et filiarum ejus. » Superbum enim verbum fuit, quo Lot volenti hospites suos a turpi Sodomitarum injuria et vi protegere, ipsi insultarunt, dicentes : « Te ergo ipsum magis quam hos affligemus, » *Gen.* XIX, 9. Quod verbum superbum Deum commovit ad eorum excidium, ait Palacius.

Peregrinatio Lot quæ? Respondeo Primo.

Nota : Pro *peregrinationi* Græce est, περὶ τῆς παροικίας Λώτ ; quod *primo*, vertunt nonnulli, *iis qui erant ex incolatu Lot, q. d.* Non pepercit Sodomitis qui incolebant Sodomam, quam pariter Lot quasi peregrinus incolebat ; sic enim Græci sumunt τὸ περί. Sic Paulus eos qui sunt ex circumcisione, vocat circumcisos, puta Judæos, uti dixi *Rom.* II, 7. Igitur sic vertunt, *non pepercit iis apud quos commorabatur Lot, quos abominatus est propter superbiam ipsorum.* Unde et Syrus, *non pepercit*, inquit, *habitatoribus civitatis Lot, qui inique egerunt propter superbiam suam.*

Secundo.

Secundo, verti potest, *incolatui*, sive hospitio et loco quem incolebat Lot ; unde Tigurina vertit, *ne hospitio quidem Lot pepercit, aut iis* (Sodomitis) *quos propter ipsorum superbiam abominatus est.*

Tertio.

Tertio, Romana proprie et nervose vertunt, *non pepercit pro incolatu Lot iis quos exsecratus est pro superbia illorum, q. d.* Deus non pepercit Sodomitis, ne quidem propter merita sancti Lot, qui cum illis habitatat, quia ipse solus erat justus in Sodoma. Unde non potuit cohibere manum et iram Dei, ne tam enormia omnium Sodomitarum scelera cœlitus puniret, sed impetravit ut ipse cum suis evaderet duntaxat. Nam et Abraham, pro eis orans, impetravit a Deo ut, si inter eos invenirentur decem justi, parceret eis, *Genes.* XVIII, 32. Sed quia hi in eis inventi non sunt, hinc decreta Dei in eos ira desæviit. Simili modo ait Deus de impia Hierosolyma, jam a se destinata excidio Chaldæorum : « Et si fuerint tres viri isti in medio ejus, Noe, Daniel et Job, ipsi justitia sua liberabunt animas suas, etc, Vivo ego, dicit Dominus Deus, quia nec filios, nec filias liberabunt ; sed ipsi soli liberabuntur, terra autem desolabitur, » *Ezech.* XIV. Vide quæ de Sodomæ incendio dixi *Genes.* XIX, et II *Petri* II, 6, et *Sapient.* X, 6.

Vers. 10.

10. NON MISERTUS EST ILLIS, GENTEM TOTAM PERDENS, ET EXTOLLENTEM SE IN PECCATIS SUIS. — Ita Romana et Complutenses legunt τὸ *et* : habet enim energiam, et significat causam perditionis (sic enim Hebræi suum *vau* copulativum, id est *et*, sumunt pro *quia, nam, enim*), *q. d.* Ideo totam Sodomæ gentem perdidit Deus, quia extollebat se in peccatis suis, jactans se non timere Deum vindicem, ejusque vindictam. Græce, *non est misertus gentis perditionis* (id est perditæ, ideoque perditioni suæ et exitio a Deo addictæ) *extollentium se in peccatis suis ;* Tigurina, *non est misertus gentis perditæ, utpote peccatis suis quæ committebat elatæ ;* Complutenses, *non est misertus gentis perditæ, qui egrediebantur in peccatis suis :* legunt enim τοὺς ἐξερχουμένους, id est *qui egrediebantur.* Alii passim cum Nostro legunt, ἐξηρμένους, id est, *extollentes se* in peccatis. Syrus, *non est misertus super populo anathematizato, et sententiam tulit contra eos, ad perdendum propter peccata eorum.* Quod licet recte referri possit ad Sodomam, rectius tamen referas ad Jericho : Deus enim Jerichuntem cum incolis ob impietatem anathemate, id est plano plenoque excidio damnavit et addixit, *Josue* cap. VI. Jericho ergo proprie fuit urbs perditionis et anathematis, quia a Deo anathematizata et incendio devota ; ut hic sit tertium exemplum vindictæ Dei, impias urbes et gentes perdentis. Unde Josue, cap. VI, 17, suis ex ore Dei edicit in Jericho : « Sitque civitas hæc anathema, et omnia quæ in ea sunt Domino, » ut scilicet tota Deo et justitiæ divinæ concremetur, ac quasi holocaustum offeratur. Favet quod mox subdit exemplum Hebræorum tempore Mosis, qui ob murmura a Deo perditi sunt in deserto : horum autem filii sub idem tempus, duce Josue, everterunt Jerichuntem. Unde Syrus subdit, *in illo tempore sexaginta millia peditum congregata sunt.* Atqui illo tempore Mosis et Hebræorum non contigit excidium Sodomæ, utpote jam ante quingentos annos peractum, sed Jerichuntis. Ergo de Jerichunte locum hunc intellexit Syrus.

Denique Palacius accipit hæc de Ægyptiis ; Græca enim sic habent, *non misertus est genti perditionis, qui egrediebantur in peccatis suis, q. d.* Deus non pepercit Ægyptiis, quorum tota gens egressa est ad persequendum Hebræos abeuntes, extollens se in viribus, equitibus, curribus et diis suis, sed Deus universos in mari Rubro mersit et suffocavit.

Vers. 11.

11. ET SICUT SEXCENTA MILLIA PEDITUM, QUI CONGREGATI SUNT IN DURITIA CORDIS SUI. — Repete ex vers. præced. *perdidit* : illud enim latet in τῷ *perdens, q. d.* Et sicut Deus sexcenta millia Hebræorum perdidit in deserto in duritia, id est, ob duritiem, contumaciam et rebellionem eorum. Unde Syrus vertit, *propter murmurationem eorum* : sic pariter perdidit Sodomam, uti dixi vers. præced. Ab illo enim pendet versus præsens. Unde nonnulli legunt, *et sic* : Græce enim non est ὡς, id est *sicut*, sed οὕτως, id est *sic, q. d.* Sicut perdidit Sodomitas, sic pariter perdidit Hebræos. Nam ex sexcentis eorum millibus qui egressi sunt ex Ægypto,

duo tantum, scilicet Josue et Caleb, ingressi sunt in terram promissam, cæteri omnes ob murmur exploratorum morte a Deo puniti sunt, ac reipsa in deserto mortui, juxta sententiam Dei in eos latam *Num.* XIV, 29.

Porro Romana e Græco vertunt, *et sic sexcentis millibus peditum* (repete, *non est misertus*, licet enim græce sint accusativi *sexcenta millia*, quod imitatus est Latinus Vulgatus interpres; tamen hi accusativi latine vertendi sunt per dativum : græcum enim ἐλέω construitur cum accusativo, cum latinum *misereor* construatur cum dativo), *qui congregati insurrexerunt in duritia cordis sui.* Complutenses vero et nonnulli alii ex græco τὸ *sexcenta millia*, additis verbis multis, explent hoc modo, *atque ita sexcenta millia peditum, quæ congregata fuerunt in contumacia cordis illorum, flagellans, miserans, percutiens, sanans, Dominus misericordia et castigatione conservavit;* quod Vatablus exponit, *conservavit*, scilicet non ipsos, sed filios eorum, *q. d.* Dominus in conservandis suis partim ira, partim misericordia usus est. Verum hæc verba : «Flagellans, miserans, percutiens, sanans,» etc., desunt in Latino, Syro, Græcis, Romanis, aliisque emendatis.

Denique τὸ *congregati sunt* sic expone, *q. d.* Congregati sunt uti ad murmur et culpam, sic quoque ad flagellum et pœnam : congregati sunt uti ad rebellionem, ita et ad mortem ac sepulcrum. Congregari enim, vel colligi, vel apponi ad patres, vel ingredi viam universæ carnis, apud Hebræos significat mori : mortui enim colliguntur in terra ex qua prodierunt, et in limbo patrum omnes olim justi colligebantur. Qua de re plura dixi *Oseæ* IV, 3.

Exemplum vindictæ Dei in impios.

Hoc est ergo tertium, vel, juxta Syrum, quartum vindictæ Dei publicum in impios exemplum.

ET SI UNUS FUISSET CERVICATUS, MIRUM, SI FUISSET IMMUNIS. — Hinc patet Interpretem Ecclesiastici minus fuisse Latinum, et forte fuisse hominem Græcum, uti superius dixi. Nam *cervicatus* minus latine vertit, pro *cervicosus*, id est, duræ cervicis, qui cervicem ægre flectit et curvat, pertinax, inobediens, rebellis : hoc enim significat græcum σκληροτράχηλος, qualem describit Job cap. XLI, 15, dicens : « Cor ejus indurabitur tanquam lapis, et stringetur quasi malleatoris incus; » vel, ut Septuaginta, *stetit autem velut incus immota.* Et Isaias cap. XLVIII, 4 : « Scivi enim quia durus es tu, et nervus ferreus cervix tua, et frons tua ærea. » Et Ezechiel, cap. II, vers. 4, et cap. III, vers. 7. Sensus est *primo*, *q. d.* Si illa sexcenta millia fuissent unus homo pervicax et cervicosus, mirandum esset si divinam iram effugisset. Sicut enim est Deus infinitus in misericordia, ita est et in ira, uti damnati suo malo in inferno experiuntur : ita Palacius, *q. d.* Deo perinde est, et æque facile, plectere sexcenta millia, atque unum duntaxat : quare dum sexcenta millia morte punivit, perinde illi fuit, ac si illa omnia unam cervicem habuissent, quam Deus unico ictu amputasset. Quomodo Caligula tyrannus potius quam imperator, teste Eutropio, optabat et sæpe exclamabat : « Utinam universus populus Romanus unicam cervicem haberet! » ut eam unico ictu resecare posset.

Secundo et genuine, *q. d.* Si Deus sexcentis millibus murmurantium non pepercit, mirum fuisset, si vel uni cervicoso et murmuranti pepercisset : pluris enim est totus populus, quam unus e populo; quare si toti populo non pepercit, sed omnes ad unum occidit, utique nec pepercisset uni soli.

Noster hæc apte retulit ad vers. præced. et ad tempora Mosis; unde vertit, *fuisset* : jam Græca referunt ad tempus præsens. Sic enim habent, *quod si unus fuerit cervicosus, mirum si erit innocens*, id est, impunitus et immunis a pœna. Tigurina clare, *quare si contumax unus in populo fuerit, mirum est si impune abeat;* Syrus, *etiam unus si induraverit cervicem suam, mirum si ille justificabitur.* Alius codex habet, *mirum si ille vincat Dei iram et vindictam.* Ex vindicta sexcentorum millium colligit vindictam cujuslibet cervicosi; quocirca copula initialis *et* more hebræo est illativa, significans, *unde, igitur, quare*, ut vertit Tigurina, *q. d.* Si Deus non permisit impunitos Hebræos tanto numero, scilicet ad sexcenta millia, quanto minus permittet impunitum unum, qui cervicem suam contra Deum audet erigere? Dicit hoc contra aliquos præfidentes, qui sic cogitant : Esto puniatur tota multitudo, ego tamen cum sim solus, elabi vel evadere potero, uti in prælio quo multi cæduntur, quisque sperat se elapsurum. Unde id enuntians vers. 16, ait : « Non dicas : A Deo abscondar, et ex summo quis mei memorabitur? In populo magno non agnoscar : quæ est enim anima mea in tam immensa creatura? »

Rursum in lite vel rixa, cervicosi et cerebrosi putant se sua importunitate et pervicacia omnes et omnia evicturos, quia nemo vult rem habere cum cerebroso. Idem cervicosi nonnulli persuadent sibi fore cum Deo. At errant : Deus enim si ullos, cerebrosos domat et contundit : sicut ejus fulmen omnia dura quæ resistunt confringit, mollia præterit. Hoc est quod ait Siracides : Si Deus sexcenta millia pervicacium Hebræorum contudit et occidit, qua fronte cervicosus unus sibi persuadebit se Dei vindicis manus impune evasurum? Nam, ut ait Rabanus : « Censura divini judicii æquitatem servat in omnibus, et ideo nec uni, nec pluribus parcet, si se a peccatis non converterint : nullum enim peccatum impunitum dimittitur, quia aut homo ipse pœnam peccati in semetipso exigit, aut districti judicis examinatione punietur.»

Huic sensui genuino nostra Latina versio adaptari potest, si τὸ *fuisset* accipias ab Interprete minus latino positum pro *esset.* Sic enim etiamnum Angli, Hiberni aliæque gentes hæc ipsa præterita et tempora per enallagen commiscent et commutant, unumque pro alio accipiunt. Quin et Latine

recte sic loquaris : Si hoc ævo unus fuisset cervicosus, mirum si fuisset impunitus ; significare volens : Si hoc ævo unus esset cervicosus, mirum si esset impunitus. Ex præterito enim quod jungitur præsenti ævo vel tempori, recte colligitur præsens, puta ex *fuisset* colligitur *esset*. Si enim hoc ævo nemo cervicosus fuit impunitus, cur alius in præsenti sit impunitus ?

Vers. 12. 12. MISERICORDIA ENIM ET IRA (Syrus, *furor*) EST CUM ILLO. — Probat Deum nullum cervicosum præterire impunitum, ex eo quod in Deo æque sit ira qua impiis irascitur eosque castigat, ac misericordia qua piorum et obedientium miseretur : ira ergo, id est, justitia et vindicta Dei, adæquat misericordiam, ac tanta est, quanta est misericordia ; quare sicut misericordia ejus ad omnes et singulos pios se extendit, neminemque vel minimum præterit : sic pariter ejus vindicta ad omnes et singulos impios sese exerit, nec quemquam impunitum abire sinit. Vide dicta, cap. II, vers. 23. Explicat idipsum aliis verbis subdens :

POTENS EXORATIO, ET EFFUNDENS IRAM, — repete *cum illo*, Deo est : hoc est, potens est placatio apud Deum, sed ita ut pariter in noxios effundat iram *q. d.* Deus pœnitentibus et supplicibus facile exorari se sinit et placari ; at impœnitentibus et cervicosis irascitur, juxta *Psalm.* CXXIX, 7 : « Apud Dominum misericordia : et copiosa apud eum redemptio. » Utinam hanc Dei placabilitatem omnes imitemur ! Græce nervosius est, δυνάστης ἐξιλασμῶν, id est, *potens*, vel *dynasta* et *princeps*, ut vertunt Romana, *placationum*, quia scilicet Deus est mare et oceanus placationis et clementiæ. Sic *exorare* pro *placere* per catachresin accepit vers. 8, dicens : « Non exoraverunt pro peccatis suis antiqui gigantes. » Unde Syrus, *multus est ad parcendum, et etiam ad ulciscendum peccata ;* Tigurina hunc versum et sequentem ita connectit et clare effert, *nam cum misericordia simul et ira impigre proficiscantur ab eo, veniamque dare potens sit et iram effundere, prout multa est misericordia ejus, ita multa quoque ipsius castigatio. Secundum opera sua quemque judicat.* Addunt Jansenius et Palacius, quod Deus ipse dici possit « potens exoratio, et » simul tamen « effundens iram, » quia ipse copiosus est in exoratione vel placatione, sicuti idem vocatur misericordia, ut, « Deus meus misericordia mea, » *Psalm.* LVIII, 18. Sic Christus vocatur nostra propitiatio et redemptio, I *Cor.* I, 30.

Vers. 13. 13. SECUNDUM MISERICORDIAM SUAM, SIC CORREPTIO ILLIUS HOMINEM SECUNDUM OPERA SUA JUDICAT. — Aliis verbis inculcat quod dixit, *q. d.* Sicut multa est Dei misericordia qua miseretur piorum et pœnitentium, iisque benefacit, sic etiam ejus correptio et castigatio multa est : quia quemque impium secundum opera et demerita sua judicat et punit. Pro *correptio* Græce est ἔλεγχος, id est *reprehensio, correptio, redargutio ;* Syrus, *sicut misericordiæ ejus multæ sunt, ita etiam ulciscitur peccata, et unumquemque secundum opera sua iudicat.* Nota : Miserendi causam sumit Deus ex seipso : miseretur enim, non quia id meremur, sed quia ejus bonitas, amor et pietas id suadent ; et hoc significat Siracides, dicens simpliciter : « Secundum misericordiam suam, » quia scilicet ipse, vel cum ipso, est potens exoratio : eo enim respicit ; corripiendi vero et iram effundendi causam sumit, non ex se, sed ex nobis, ideoque ait : « Correptio illius hominem secundum opera judicat, » *q. d.* Deo proprium est misereri et parcere, alienum vero ab eo opus est vindicare et punire, ut ait Isaias cap. XXVIII, vers. 21, quia non nisi peccatis coactus id facit. Hinc Deus hæc nomina miserationis sibi *Exodi* XXXIV, 6, indidit, iisque a Mose et a nobis invocari voluit et vult : « Dominator Domine Deus, misericors et clemens, et patiens, et multæ miserationis ; » Hebr. רב חסד *rab chesed*, quod verti potest, *princeps miserationis et pietatis*. Hinc a Paulo vocatur : « Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, » II *Corinth.* I, 3.

Aliter τὸ *secundum* explicant Hugo, Lyranus et Palacius, *q. d.* Secundum præscriptum misericordiæ, correptio Dei judicat et castigat opera prava hominum. Deus enim iram et flagella sua temperat misericordia, adeoque ex præscripto et dictamine misericordiæ flagella circumscribit et limitat, ita ut in justitia et vindicta quasi præsideat misericordia, ipsaque quasi præses et arbitra modum puniendi definiat : mensura ergo misericordiæ, est mensura vindictæ. Unde S. Anselmus in *Prosologio* Deum alloquens : « Nascitur, inquit, de justitia tua misericordia tua, quia justum est te sic esse bonum : at vero considerando justitiam, ut meritis præmia suppliciaque retribuit, prior est misericordia. Etenim movetur Deus ex seipso, et per prævium voluntatis actum, ad miserendum.

Hæc expositio pia, sed prior magis est genuina. Solet enim Scriptura commendare justitiam et misericordiam Dei, eaque inter se comparare et æquare, quasi duas providentiæ suæ bases et columnas. Unde Psaltes : « Misericordiam, inquit, et judicium cantabo tibi, Domine, » *Psalm.* C, vers. 1. Et S. Basilius in *Psalm.* XXXII : « Hæc, ait, intra se conjugata sunt, misericordia et judicium, ut neque misericordia sola securitatem inducat, nec judicium solum desperationem operetur. »

Vers. 14. 14. NON EFFUGIET IN RAPINA PECCATOR, ET NON RETARDABIT SUFFERENTIA MISERICORDIAM FACIENTIS. — Complutenses legunt ἀσεβοῦς, id est *impii ;* sed cæteri legunt εὐσεβοῦς, id est *pii, misericordis, q. d.* Sicut peccator (v. g. raptor in rapina) non effugiet celerem rapacitatis suæ correptionem, et vindictam Dei : sic pariter « non retardabit sufferentia, » id est, merces sufferentiæ, id est, expectationis et spei ejus qui facit misericordiam, *q. d.* Cito mercedem suæ misericordiæ, quam sperat et expectat, accipiet. Pro *sufferentia* Græce est ὑπομονή, quæ significat *primo*, tolerantiam laborum et dolorum ; *secundo*, longanimem exspectationem bono-

rum, uti mercedis. Hic potius secundo modo accipitur, unde Tigurina vertit, *non effugiet cum rapina scelerosus, nec spes pium frustrabitur*: hoc enim significat Græcum καθυςερήσει; alii, *non frustra erit exspectatio pii*; Syrus, *non liberabit operantes mendacium, et defraudantes, et non frustrabitur spem justorum in æternum* Hoc est quod ait Apostolus *Rom.* II, 6; « Reddet unicuique secundum opera ejus : iis quidem, qui secundum patientiam boni operis, gloriam, et honorem, et incorruptionem quærunt, vitam æternam ; iis autem, qui sunt ex contentione, etc., ira et indignatio. » Ubi pro *patientia* idem est nomen Græcum quod hic, scilicet ὑπομονή. Aliter Hugo, *q. d.* « Non effugiet in rapina, » id est, peccator non eripiet se de manibus Dei, ut ejus vindictam effugiat.

Vers. 15. 15. OMNIS MISERICORDIA FACIET LOCUM UNICUIQUE SECUNDUM MERITUM OPERUM SUORUM (*locum*, scilicet apud Deum in cœlo et cœlesti ejus remuneratione, juxta illud Pauli : « Qui parce seminat, parce et metet : et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet, » II *Cor.* IX. Vide *Matth.* XXV, vers. 35, ubi Christus ob solam misericordiam electos cœlo adjudicat. Hinc patet contra hæreticos, nomen et veritas meriti bonorum operum. Respondent Calvinus et Kemnitius, τὸ *meritum* non esse in Græco, ideoque perperam additum ab Interprete Vulgato. Verum errant : nam Græce est κατὰ ἔργα, quod signficat *pro meritis operum*, uti omnes græce periti norunt. Unde Syrus vertit, *mercedem*. Addit Noster) : ET SECUNDUM INTELLECTUM PEREGRINATIONIS IPSIUS, — *q. d.* Secundum prudentiam et sapientiam ipsius, qua in hac vita, quasi in peregrinatione, bona sua per misericordiam sapienter præmittit in cœlum, quasi in patriam, ut inde vivat beate in æternum, *q. d.* Recipiet quisque mercedem in cœlo, juxta vitam sapienter in hac peregrinatione peractam. Hebr. enim שכל *sachal*, id est intelligere, significat intelligenter agere, prudenter se gerere, sapienter operari; unde שכל *sechel*, id est intellectus, vocatur ipsa prudentia, ut *Psal.* LXXVII, 72 : « Et in intellectibus manuum (hoc est, ut vertit S. Hieronymus, Aquila et Chaldæa, *in prudentia actionum*) suarum deduxit eos. » Similia sunt *Proverb.* I, 4, *Psal.* XV, 17, *Eccli.* I, 4, et alibi.

Codex unus pro *intellectus* legit *meritum*, et ita legendum censet Jansenius : quæ sane lectio aptior et clarior esset, si ei plures codices suffragarentur. Suffragari videtur Rabanus dum ait : « Quod autem dicit, Misericordiam facere locum unicuique secundum intellectum peregrinationis ipsius, ostendit quod quicumque bonis operibus certat mandata Dei custodire in hujus peregrinationis tempore, et pio labore studet cum lacrymis et gemitu peccata sua emundare, æterna quiete merebitur consolari. » Verum ex verbis Rabani liquet eum legisse *intellectum*, sed *intellectum* explicare per *meritum*, quod utique verum est. Ille enim in hac vita est intelligens et sapiens, qui studet congregare merita bonorum operum, pro quibus amplas opes et coronas se recepturum scit in cœlo.

Græca de more concisa hæc tantum habent, *omni eleemosynæ locum para* (aliqui pro ποίησον, id est *fac, para*, legunt ποιήσει, id est *faciet, parabit*, locum, scilicet Deus) : *unusquisque secundum opera sua inveniet*, ut pro merito operum mercedem recipiat. Tigurina, *omni beneficentiæ locum para : nam fructum pro ratione operum suorum, suæque peregrinationis intelligentia quisque consecuturus est*; Syrus, *omnis qui operatur justitiam, habet mercedem, et unusquisque opera sua invenit coram eo.*

Præclare S. Gregorius, lib. IV *Moral.* cap. XLII : « Quia, inquit, in hac vita nobis est discretio operum, erit in illa (futura) procul dubio discretio dignitatum, ut quo hic alius alium merito superat, eo illic alius alium retributione transcendat. » Et S. Cyprianus, tract. *De Opere et eleemosyna* : « Præclara, ait, et divina res, fratres charissimi, salutaris operatio, solatium grande credentium, securitatis nostræ salubre præsidium, munimentum spei, tutela fidei. » Vide insignem apologum, quo Barlaam docet Josaphat bona opera præmittenda esse, ut post mortem ex iis in cœlo perpetim vivamus, apud Damascenum in *Histor.* cap. XIV. Proprie vero de eleemosyna S. Chrysostomus, hom. 9 *De Pœnit.* : « Eleemosyna, ait, regina illa virtutum homines in ipsas cœlorum arces celerrime adducit, advocati optimi loco fungens. Magna res est eleemosyna, præcedit aerem, transit lunam, solis radios excedit, ad ipsum venit cœlorum culmen, ipsos pertransiens cœlos et angelorum populos decurrens, Archangelorum choros, et omnes superiores potestates, ipsi assistit regali throno. »

Vers. 16 et 17. 16 et 17. NON DICAS : A DEO ABSCONDAR, ET EX SUMMO QUIS MEI MEMORABITUR? IN POPULO MAGNO NON AGNOSCAR (Græca Romana, *non ero in memoria*; alii, *non erit mei memoria*) : QUÆ EST ENIM ANIMA MEA IN TAM IMMENSA CREATURA? — Tigurina, sive Vatablus, *non dicas : Latebo Dominum, ecquis ab alto curabit me? Præ copia populi nulla erit memoria mei : nam quantula sit mea in tam immensa natura rerum anima?* alii, *nam quæ est anima mea in immensitate rerum creatarum?* Syrus, *ne dicas : Ab ante Dominum abscondar, et in altitudine cœlorum quis recordabitur mei? Et in populo multo non agnoscar, aut quæ* (vel *quid*) *est anima mea inter spiritus omnium hominum?* Est occupatio. Dixit Deum integras gentes, ut Sodomitas, Hebræos, imo totum orbem punivisse diluvio : nunc ne quis excipiat, dicatque Deum quidem curare gentes amplas, at non singulos homines, itaque posse quem impium latere Dei cognitionem, eaque ratione ejus vindictam evadere ; idipsum præoccupat et excludit, dicens : « Ne dicas : A Deo abscondar. »

Ubi nota tres hic ingeri rationes, ob quas impii stulte persuadent se posse Dei oculos et manus evadere ; quas omnes hic elidit. *Prima* est, quod Deus sit Deus, id est summa et celsissima majestas,

qua indignum videtur attendere et curare singulos homines, qui coram eo quasi locustæ et pulices sunt. Igitur Deum curare magna ut cœlos et cœlestia, parva et vilia despicere. Unde impii dicunt *Job.* cap. XXII, 24: « Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, et cardines cœli perambulat. » Sic enim rex ad singulos sui regni subditos attendere et advigilare negligit, imo nequit, et « de minimis non curat prætor, » ut vulgo dicitur. Verum huic respondet, quod Deus sit Deus, id est numen, quod singulos æque ac omnes intuetur, regit, curat, vindicat, præmiat. Providentia enim Dei cum sit exactissima et perfectissima, ad omnia et singula, etiam minutissima, se extendit. Habet enim oculum immensum, quo omnes et singulos videt facillime et distinctissime, ac in infinitum plures et plura videre potest. Unde S. Benedictus in raptu ad hunc Dei oculum elevatus, sub eo vidit totum mundum, quasi globum exiguum sub solis radiis constrictum et collectum, uti refert S. Gregorius, lib. II *Dialog.* cap. XXXV. Igitur sicut sol omnia lustrat, sic multo magis Deus. Unde Hesiodus ait Deum esse solem qui omnia videt, et, omnia audit: ἥλιος, inquit, ὃς πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει. Et Sapiens cap. I, 10: « Auris zeli, inquit, audit omnia. » Et causam dat vers. 7: « Quoniam spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc (πνεῦμα, id est *hic spiritus*), quod continet omnia, scientiam habet vocis. Propter hoc qui loquitur iniqua, non potest latere, nec præteriet illum corripiens judicium. »

Visio S. Benedicti.

Deus est sol omnia lustrans.

Secunda causa cur impii putent se posse a Deo abscondi, est, quod longissime absint a Deo: Deus enim est in summo cœlorum, ipsi sunt in imo terræ. Unde dicunt *Ezech.* IX: « Dereliquit Dominus terram, et Dominus non videt. » Verum hoc pariter in ipsos retorquet Siracides: Deus enim e summo longissime videt, quia habet visum acutissimum et immensum. Sicut qui e monte conspicit, si oculos habeat acutos et validos, homines a longe venientes prospicit. Rursum terra respectu cœli, et multo magis Dei, est instar puncti: igitur Deus omnes et singulos acute et distincte videt, sed exiguos instar puncti. Sicut ergo quis in cubiculo parvo videt omnia quæ in eo sunt et geruntur: sic Deus omnia videt clarissime quæ sunt fiuntque in terra et toto mundo: hic enim respectu Dei est instar cubiculi. Hoc est quod ait Isaias cap. XL, 22: « Qui sedet super gyrum terræ, et habitatores ejus sunt quasi locustæ: qui extendit velut nihilum cœlos, et expandit eos sicut tabernaculum ad inhabitandum. Qui dat secretorum scrutatores quasi non sint, judices terræ velut inane fecit. » Denique Deus ita est in cœlo, ut pariter sit in terra, omnibusque terræ locis et angulis: cœlum enim et terram ipse implet sua essentia, præsentia et potentia. Quare quæ quolibet loco fiunt, coram eo præsente et spectante fiunt.

Tertia causa est, quia dicunt: « In populo magno non agnoscar: quæ est enim anima mea in tam immensa creatura? » *q. d.* Infiniti quasi sunt hominum milliones, inter tot unus ego latere potero. Sic enim discipuli in magna et frequenti schola dum garriunt, et petulantias exercent, in turba sodalium abscondunt se, nec videntur a præceptore. Sic fures in cœtu cum bursas absciderint, turbæ hominum se inserunt, ibique se absconduut, nec dignosci possunt. Sic multi improbi abscondunt se in magnis urbibus, provinciis et regnis, quia unus prætor, princeps et rex in tanto subditorum numero singulos intueri, singulorumque mores et gestus animadvertere nequit. Verum errant: quia omnes homines et creaturæ cum sint numero finito, coram infinito Dei oculo sunt quasi unus atomus, quem quaquaversum circumlustrat, intuetur et pervidet. Hoc est quod ait Isaias cap. XL, 15: « Ecce gentes quasi stilla situlæ, et quasi momentum stateræ reputatæ sunt: ecce insulæ quasi pulvis exiguus, etc. Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatæ sunt ei. » Hosce immensos et lucidissimos æque ac justissimos et potentissimos vindicis Dei oculos expavescens rex David *Psal.* CXXXVIII, 8: « Quo, inquit, ibo a spiritu tuo? et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades. » Et mox: « Quia tenebræ non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur. » Quocirca quod impii in die judicii abscondent se in speluncis, dicentque « montibus et petris: Cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni, » *Apocal.* VI, vers. 16; id dicent, non quod optent abscondi, ne videantur a Deo et Christo (hoc enim sciunt esse impossibile), sed ne ejus vultum iratum intueri cogantur: adeo enim ille eis erit horribilis et formidabilis, ut malint abscondi in inferno, quam eum aspicere.

Nota: Siracides identidem refricat et inculcat memoriam præsentiæ Dei, omnia et singula intuentis, judicantis, præmiantis et vindicantis, quia nullus est efficacior stimulus ad homines cohibendos ab omni malo, et incitandos ad omne bonum. Unde cap. seq. vers. 16: « Omnia opera illorum, inquit, velut sol in conspectu Dei: et oculi ejus sine intermissione inspicientes in viis eorum. » Et cap. XXIII, 28: « Oculi Domini multo plus lucidiores super solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abyssi, et hominum corda intuentes in absconditas partes. » Hoc est quod intonat Boetius: « Magna nobis incumbit necessitas bene agendi, quia in conspectu Judicis omnia cernentis cuncta agimus. » Pie vero S. Augustinus in *Meditat.* cap. X: « Sic certe, inquit, mihi videtur cum ejus miserationes circa me attendo, quod, si fas est dicere, nil aliud agit Deus, nisi ut meæ saluti provideat; et ita totum ad custodiam meam occupatum video, quasi omnium oblitus sit, et mihi se exhibet Deus,

Moral. de præsentia Dei.

semper paratum offert : quocumque me verto, me non deserit : ubicumque fuero, non recedit : quidquid egero, pariter assistit, et tandem cunctis actionibus meis perpetuus inspector, et quantum ad bonitatem suam pertinet, quasi individuus cooperator assistit, ipse operis sui effectum patienter ostendit. Ex quo constat, quod licet facies ejus a nobis adhuc videri non possit, nunquam tamen possit ejus præsentia vitari. » Et Tertullianus, lib. *De Pœnitentia,* cap. VI : « Nihil, inquit, occultum quod non reveletur : quantascumque tenebras factis tuis superfluxeris, Deus lumen est; et illius oculi multo lucidiores super solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abyssi, et corda hominum intuentes in absconditas partes. »

Complutenses aliique Græci codices nonnulli huic versui, vel versui 16, subnectunt hosce duos, qui desunt in Latino : « Dominus obduravit Pharaonem, ut ipsum non cognosceret; ut noscerentur operationes ejus potentes et efficaces (hoc enim significat Græcum ἐνεργήματα) in ea quæ sub cœlo sunt. Omni creaturæ misericordia ejus manifesta; et lucem suam ac tenebras partitus est, sive divisit adamante, » *q. d.* Deus divisit lucem a tenebris prorsus et perpetim, perinde ac si muro adamantino ea dispescuisset et separasset, idque fecit tum in prima rerum creatione et dispositione, quæ jugiter perseverat, *Genes.* I; tum mystice facit in angelis bonis et malis, æque ac in omnibus, v. g. in Pharaone et Mose ; boni enim sunt lux, mali sunt tenebræ. Quare sicut in bonis ostendit misericordiam per gratiam et gloriam, ita in malis ostendit judicium et vindictam per derelictionem et gehennam, idque perpetim, quasi muro adamantino eos separasset : talis enim murus est inter cœlum et infernum. Unde Abraham ad Epulonem damnatum in inferno : « Inter nos et vos, inquit, chaos magnum firmatum est : ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare, » *Lucæ* XVI, 26. Syrus quoque hos versus legit, sed eos ponit ante vers. 16. Sic autem habet : « Dominus induravit cor Pharaonis, ne cognosceret eum, ut appareant opera ejus sub cœlo. Misericordiæ ejus apparerent omnibus creaturis ejus, et lucem suam et tenebras suas divisit filiis hominum, » *q. d.* Proposui tibi vindictam Dei in impios, misericordiam in pios. Vis exempla? Vindictæ exemplum accipe Pharaonem, qui ob suam duritiem mersus est in mari Rubro quoad corpus, ac quoad animam in rogo gehennæ : misericordiæ vero exempla suggerunt omnes creaturæ, utpote quæ ab ea conserventur, alantur, vegetentur, omnibusque bonis suis cumulentur.

Vers. 18 et 19.

18 et 19. ECCE COELUM, ET COELI COELORUM ABYSSUS, ET UNIVERSA TERRA, ET QUÆ IN EIS SUNT, IN CONSPECTU ILLIUS COMMOVEBUNTUR. MONTES SIMUL, ET COLLES, ET FUNDAMENTA TERRÆ : CUM CONSPEXERIT ILLA DEUS, TREMORE CONCUTIENTUR. — Tigurina, *ecce cœlum, cœlique cœlorum Dei, profundum mare, simul et terra, quæque his comprehenduntur omnia cum inquirit in ea, commoventur, totus mundus creatus, et qui creatur* (creari potest; vel *creatur,* id est, conservatur; conservatio enim Dei est quasi continua creatio) *pro voluntate ipsius, montesque simul ac fundamenta terræ, cum Dominus in ea despicit, tremore concutiuntur;* Syrus, *ecce cœli cœlorum, et abyssus, et terra in manifestatione ejus quæ super eos stant, radices montium et fundamenta orbis, cum manifestatur super ea, commoventur.* Refutat id quod ex ore impiorum dixit : « A Deo abscondar, » etc., ex eo quod Deus intueatur et conspiciat omnes mundi partes, easque suo conspectu commoveat, et tremore concutiat; inde enim colligendum relinquit, Deum pariter conspicere omnia singulorum facta, ut ea judicet, ideoque omnes et singulos hujus divini aspectus metu et reverentia debere tremere, et horrore concuti. Per *cœlum* enim accipit aerem, per *cœlos cœlorum* cœlos sidereos et cæteros cum empyreo, per *abyssum* mare; quibus junge terram cum suis incolis, habebis omnia orbis elementa, et cœlos, quæ totum mundum componunt et coagmentant; *fundamenta terræ* accipit imas partes terræ, ejusque centrum, quibus quasi fundamentis terra inniti videtur.

Porro hæc Deus commovet suo *conspectu,* Græce ἐπισκοπῇ, id est, inspectione et visitatione, quia cum Deus vult ea visitare, in iisque ostendere suam præsentiam et potentiam, ad hominum terrorem, ea loco movet, commovet et concutit, uti concussit totam terram in passione Christi, et montem Sina cum in ea daret legem Mosi, *Psal.* LXVII, 9, ac alias provincias et insulas crebro terræmotibus loco movit et conquassavit : sed maxime id faciet in fine mundi sub diem judicii, ut patet *Apocal.* VI, 14. Hoc est quod ait Psaltes *Psal.* CIII, 32 : « Qui respicit terram, et facit eam tremere : qui tangit montes, et fumigant. » Et Job cap. IX, 5 : Qui transtulit montes, et nescierunt hi quos subvertit in furore suo. » Vide *Psal.* XVII, vers. 8 et seq. Prodigiosa enim, horrifica et divina, imo propria opera, quibus ipse suum in orbem imperium et magnificentiam ostendit, sunt tonitrua, fulmina et terræmotus : hæc enim sunt portenta et omina divinæ tum potentiæ, tum indignationis et vindictæ, ut ejus Numen velut terribile ac sacrosanctum metuamus et veneremur. Hinc illud Job cap. XXXVII, 4 : « Post eum rugiet sonitus, tonabit voce magnitudinis suæ; et non investigabitur, cum audita fuerit vox ejus. ». Et cap. XXXVIII, 35 : « Numquid mittes fulgura, et ibunt, et revertentia dicent tibi : Adsumus? » Et cap. IX, 6 : « Qui commovet terram de loco suo, et columnæ ejus concutiuntur. »

Quocirca Philastrius, lib. *De Hæresibus,* hæreticos appellat et vanos philosophos illos, qui terræmotum rerum et elementorum naturæ ascribunt, non Dei peculiari jussioni et indignationi, qua peccatores commonet ut convertantur. Hinc

apud Gentiles prodigiosum semper exstitit antiquitati, atque adeo divinum : « Si tonuit, si fulguravit, si terra movit. » Vide Gellium lib. II, cap. XXVIII, et Senecam, lib. II et VI *Natur. quæst.* Quare et in terræmotibus libros Sibyllinos consulebant, teste Livio lib. XXXIV. « Jove tonante ac fulgurante, comitia populi habere nefas, » ait Cicero, lib. II *De Divinat.* Hinc et fulgurales, sive augurales libri, qui de auguriis ex fulguribus captandis tractabant, quorum meminit Cicero, lib. I *De Divinat.*

Ratio est, quia Deus totum orbem pugillo concludit, unde eum facile concutere potest, juxta illud *Isaiæ* XL, 12 : « Quis mensus est pugillo aquas, et cœlos palmo ponderavit? Quis appendit tribus digitis molem terræ, et libravit in pondere montes, et colles in statera? » *q. d.* Quis, nisi solus Deus? Idem cecinere Poetæ. Virgilius IV *Æneid.* :

Regnator, cœlum et terras qui numine torquet.

Seneca in *Agamemn.* :

Pater ac rector fulmine pollens,
Cujus nutu simul extremi
Tremuere poli.

Idem in *Hercule furente* :

O magne Olympi rector, et mundi arbiter,
Pro numinum vis summa, pro cœlestium
Rector parensque, cujus excussis tremunt
Humana telis.

Alius ait de Deo, quod « nutu tremefacit Olympum. » Aliter Palacius : Cœli, ait, terra, mare et omnia, quæ in eis, commoventur coram Deo, id est, nullum motum edunt, quin is protinus a Deo videatur, *q. d.* Ne tantillum quidem se movere possunt, quin illico id omne a Deo conspiciatur. Sed audi miram ejus de fundamentis explicationem : In medio terræ, ait, est vastissima vorago ubi infernus est : est vero cavitas illa fornicata, lapideo arcu constructa. Fornix illa saxea est fundamentum terræ : ut enim ossa sunt animalium fundamenta, ita lapideæ venæ ab illo fornice incipientes, ossa terræ, ac ideo ejus fundamenta sunt. Qua de causa meritissime subdit Auctor, quod Deo hæc fundamenta respiciente, tremor terram quatit, quia ossibus animalis concussis, concutitur et corpus animalis. Hæc Palacius.

Denique cum horrendo fragore reboant tonitrua et vibrantur fulmina, videtur cœlum, montes, colles totusque mundus quassari et timore percelli, adeo ut cervæ quæ difficillime pariunt, cum tonat, pavore nervos laxante, pariant, fœtumque emittant, juxta illud *Psal.* XXVIII, 9 : « Vox Domini (tonantis) præparantis cervos ; » S. Hieronymus, *obstetricans cervos;* alii, *contremiscere,* vel *parturire facit cervos.* Quidni ergo peccatores?

Dei aspectus horrendus.

Moraliter, disce hic quam potens et efficax sit Dei conspectus, ut totum mundum conquasset, et e centro convellat, si velit, ac proinde quam eum suspicere et revereri debeamus.

dus, cur?

Ratio est *prima,* quia conspectus Dei indivise jungitur voluntati Dei : voluntas autem Dei non est ut voluntas humana vel angelica, quæ vult duntaxat, nec facit quod vult; sed volendo facit illico quod efficaciter vult. Dixit enim : « Fiat lux, » et illico facta est lux. Dixit : « Fiat firmamentum, » cœli, sol, luna, sidera, elementa, homines, aves, pisces, animantia; et illico facta sunt, *Genes.* I. Nam « omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in cœlo et in terra, » *Psalm.* CXXXIV, vers. 6, quia voluntas Dei simul est potentia, imo omnipotentia Dei, ejusque actus et executio.

Causa prima.

Secunda ratio est, quia conspectus hic Dei est instar solis, qui radios suæ lucis diffundendo omnia illuminat, vivificat, fœcundat; alia exurit, alia liquat, alia indurat. Hosce radios deitas communicavit humanitati Christi. Unde Christus respiciens Petrum lapsum, Matthæum et Zachæum publicanos, cæterosque peccatores, illico eos ad se, et ad pœnitentiam sanctitatemque convertit. Si enim basiliscus oculis suis necat eos quos aspicit; si lynx avis, quæ vertilla et torquilla a colli versura vocatur, teste Aristotele lib. II *Animal.* cap. XII, perhibetur suo aspectu homines in sui amorem rapere; si magnes oppositus ferro, illud ad se rapit : quid mirum si oculi Christi, in quibus radiabat fulgor divinitatis, suo aspectu Apostolos cæterosque ad se rapuerint?

Tertia, quia conspectus hic Dei practicus est : est enim ejus inspectio, visitatio et judicium : judicium autem Dei efficax est, quia eo plectit sontes, præmiat insontes.

Tertia.

Mystice Rabanus : Cœli, inquit, sunt Angeli, qui cœlum incolunt; abyssus sunt dæmones, qui incolunt abyssum gehennæ : hi omnes coram Deo contremiscunt, juxta illud Apostoli *Philip.* II : « In nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum. Per montes enim et colles, potentium persona demonstratur; et per fundamenta terræ, consilia mentium humanarum : hæc ergo ad intuitum Dei contremiscunt, quia ejus ditioni omnino subduntur. In Scriptura quoque sacra sæpe montium nomine prædicantium altitudo signatur. De quibus per Psalmistam dicitur : Suscipiant montes pacem populo tuo. Electi quippe prædicatores æternæ patriæ, non immerito montes vocantur, quia per vitæ suæ celsitudinem ima terrarum deserunt, et cœlo propinqui fiunt. Subjectis ergo divinæ voluntati electis Dei, sola repugnat mens superborum; sed contraire illi satagens, ipso se gladio contradictionis frangit : ordini interno renititur, sed suis victa conatibus ligatur. Unde in Job ita scriptum est : Quis restitit ei, et pacem habuit? quia perversa mens, unde se contra auctorem erigit, inde se in semetipsa confundit. Habere ergo pacem resistens non potest, quia dum superbiam confusio sequitur, quod stulte per culpam geritur, hoc

in agentis pœna mirabiliter ordinatur. » Hæc ex S. Gregorio Rabanus. Rursum per *fundamenta terræ*, Glossa accipit profunda consilia; Hugo, cardinales : hisce enim quasi cardinibus et fundamentis inniti videtur Ecclesia. Hi quoque pavore concutientur, cum Dominus ad judicandum venerit ; cui enim plus datum est, plus exigetur ab eo.

Vers. 20. 20. ET IN OMNIBUS HIS INSENSATUM EST COR : ET OMNE COR INTELLIGITUR AB ILLO, — *q. d.* Cor hominis non penetrat, nec pro dignitate æstimat et ponderat ea quæ dixi de Dei efficaci omnium inspectione, judicio et vindicta. Unde ea, ut par est, non metuit, nec ejus offensam et peccatum exhorret, perinde ac si insensatum esset : illud ipsum tamen cor plene intelligitur et penetratur a Deo, qui omnes ejus sinus, intentiones, versutias usque ad fundum intuetur et pervidet, ideoque est et dicitur καρδιογνώστης, id est, cordium scrutator et cognitor : unde idipsum exaggerando subdit :

21. ET VIAS ILLIUS QUIS INTELLIGIT, ET PROCELLAM, QUAM NEC OCULUS VIDEBIT HOMINIS? — *Procella* proprie est vehementior venti impetus, in mari potius quam in terra : ita dicta ab eo quod omnia procellat, id est, moveat et percutiat, juxta illud Virgilii, lib. I *Æneid.* :

Una Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis Africus.

Audi S. Augustinum, lib. III *De Genes. ad litt.* cap. X : « Aer commotus, inquit, ventos, et ubi vehementius concitatus, ignes et tonitrua facit. » Et Plinium lib. II, cap. XLVIII : « Flatus vagi, inquit, et ruentes torrentium modo, tonitrua et fulgura edunt : majore vero illati pondere incursuque, si late siccam ruperint nubem, procellam gignunt, quæ vocatur a Græcis ἐκνεφίας, » quæ etiam naves et domos aufert, et in alium locum transfert. Hinc metaphorice procella vocatur vindicta acris et sæva, instar procellæ omnia sternens et vastans. Unde Jeremias cap. XXIII, 19 : « Ecce turbo, inquit, Dominicæ indignationis egredietur, et tempestas erumpens super caput impiorum veniet. » Et Isaias cap. XXI, 1 : « Sicut turbines, inquit, ab Africo veniunt, de deserto venit (Septuaginta, *tempestas per desertum transeat*), de terra horribili. Visio dura nuntiata est mihi. » Et cap. XXX, 33, loquens de Tophet et gehenna : « Nutrimenta ejus, inquit, ignis et ligna multa : flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam. »

Sensus ergo Siracidis est, *q. d.* Quis porro hominum acutissimorum vel Angelorum *vias*, id est modos et rationes quas Deus in agendo et operando sequitur, plene cognoscat; præsertim vero *procellam*, id est procellosam illam vindictam, quam in impios detonabit et fulminabit in magno illo judicii die, quæ tanta erit, ut ante illam nullam ei similem visurus sit oculus hominis. Tunc enim, ut ait Sapiens cap V, vers. 18 : « Accipiet armaturam zelus Dei, etc.; acuet autem duram iram in lanceam, et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. Ibunt directe emissiones fulgurum, etc., excandescet in illos aqua maris, et flumina concurrent duriter. Contra illos stabit spiritus virtutis, et tanquam turbo venti dividet illos. » Ita Rabanus : « Profunditatem, ait, consilii divini et potentiam judicii, quæ procellæ nomine hic designatur, nemo penetrare poterit. » Et Hugo : « Procella, ait, est distributio divini judicii. » Aliter Palacius : Procellas, inquit, id est tempestates omnes quæ in mari et locis desertis fiunt, solus Deus conspicit; nam plurimas nec vident, nec videre possunt homines, vel quia absentes sunt, vel quia iis hauriuntur et submerguntur. Sic et Dionysius : « Procella, inquit, est repentinus impetus venti, imbris, grandinis, qui, cum fit in locis desertis, nos latet. » Unde Job, cap. XXXVIII : « Quis dedit, ait, vehementissimo imbri cursum, et viam sonantis tonitrui? » ut plueret super terram absque homine in deserto, ubi nullus mortalium commoratur.

Moraliter idem : Terra, ait, conspectum Dei tremit, cor hominis conspectum minime tremit. Veretur quivis conspectum proximi, at ideo non peccat; nos nil veremur conspectum Dei, ut non peccemus. Si nec nutum oculi abscondere potes ab oculis Dei, cur coram tanta majestate audes illam offendere?

Græca concise sic habent : *quæ omnia digne non cogitabit cor, et vias ejus quis consideret? nam procella est quam nemo hominum perspicit;* Tigurina : *nec tamen hæc cor ullum satis intelligit, cum ab ipso corda intelligantur omnia; nam instituta ipsius atque non visam homini vim* (vel *turbinem*) *quis animo comprehendat?* Syrus hæc omnia usque ad vers. 25, pro libito arctans et paraphrastice explicans, paucis ita perstringit : *etiam ego non ponam in corde meo. In viis meis quis intelliget? si peccavero, non videbit me oculus; et si mentitus fuero in omni loco abscondito, quis sciet? Excordes dicent hæc, et vir iniquus ita meditabitur.*

Vers. 22. 22. NAM PLURIMA ILLIUS OPERA SUNT IN ABSCONSIS : SED OPERA JUSTITIÆ (justæ vindictæ) EJUS QUIS ENUNTIABIT, AUT QUIS SUSTINEBIT? — « Sustinebit, » id est exspectabit vel feret, id est ferre et tolerare poterit. Utrumque enim significat Græcum ὑπομενεῖ, *q. d.* Dixit de uno opere Dei, scilicet procella ignea judicii ipsius; nam plurima alia Dei opera sunt arcana et nobis abscondita, sed opera justitiæ suæ, præsertim procellam judicii jam dictam, hominibus aliquatenus revelavit, ut ipsi ea, utpote se concernentia, expavescant, ac sancte vivendo evitent et caveant. Attamen hæc ipsa quis pro dignitate enuntiet? quis vero ea intrepidus futura exspectet, vel præsentia ferat aut toleret? *q. d.* Nemo. Unde Tigurina : *nam maxima pars operum ipsius occulta est : quis enarret exempla justitiæ ipsius, aut sustineat?* Si cupis scire quæ

sint opera Dei in absconsis, puta thesauri, nivis, pluviæ, grandinis, roris, gelu, glaciei, etc., lege *Job.* cap. XXXVIII.

LONGE ENIM EST TESTAMENTUM A QUIBUSDAM, ET INTERROGATIO OMNIUM IN CONSUMMATIONE EST. — *Testamentum* vocat judicium Dei, quo cuique pro meritis præmia vel pœnas præsentes et æternas decernit. Dicitur *testamentum*, quia a Deo dispositum et constitutum, ejusque quasi ultima voluntas et dispositio, ac proinde firmissimum erit, planeque effectum sortietur, longe certius quam testamenta ab hominibus moribundis condita. Sensus ergo est, *q. d.* Testamentum, id est decretum, via et ratio judiciorum Dei remota est a cogitatione et cognitione hominum, quia homines ea non cogitant, non ponderant pro rei veritate et gravitate; sed multi vivunt perinde ac si futurum non esset judicium, ac si non esset Numen, ac velut infernus fabula vana foret; et tamen « in consummatione, » et in fine mundi, certissime fiet « omnium interrogatio, » Græce ἐξέτασις, id est examen et inquisitio, eaque exacta, rigida et severa, adeo ut nec minimæ culpæ injudicatæ et impunitæ prætereant. Porro Tigurina vertit, *longum enim fatum est, et omnium inquisitio deficit;* quod Vatablus exponit, *q. d.* « Longa est fatorum series, quæ priusquam explorata sit, desinit omnium inquisitio. »

Aliter quoque alii, *q. d.* Testamentum, id est pactum ab hominibus cum Deo initum de observatione mandatorum ejus, longe est a mente et opere eorum, quia a multis parum cogitatur et observatur. Ita Dionysius, Emmanuel Sa et Palacius, qui sic explicant : Cum omnium hominum interrogatio, inquisitio et examen futura sint in eorum consummatione, id est in morte, quomodo patiuntur homines se longe esse a lege Dei sui? Sic in Scriptura sæpe testamentum vocatur pactum cum Deo initum, ipsaque Dei lex, quia lex est conditio pacti; hac enim conditione Deus iniit nobiscum pactum de danda sua hæreditate et gloria, si nimirum legem ejus observemus. Ut : « Non custodierunt testamentum Dei; » quod explicans, subdit : « Et in lege ejus noluerunt ambulare, » *Psal.* LXXVII, 10. Et alibi sæpe. Unde vocatur arca Testamenti, id est fœderis et legis, quia continebat legem, puta tabulas Decalogi dati a Deo; lex enim erat conditio fœderis initi inter Hebræos et Deum.

Anagogice, testamentum Dei et Christi est decretum, quo electos conscripsit suos hæredes in regno cœlorum : hoc longe abest ab improbis et reprobis, quos diabolus conscripsit suos cives in gehenna : multi enim sunt vocati, pauci vero electi; sed horum omnium inquisitio, discretio et separatio erit in fine mundi, puta in die judicii. Ita Rabanus et Hugo : Testamentum, ait, id est promissio vitæ æternæ, longe abest a peccatoribus.

23. QUI MINORATUR CORDE (id est stultus, insensatus, demens, cui deest sapientia, prudentia, mens, judicium : hunc enim Hebræi vocant חסר לב *chasar leb*, id est deficientem corde. Hic ergo quia inani est corde, hinc) COGITAT (non vera et solida, quæ dixi, de Dei judicio et vindicta, sed) INANIA (de nugis et vanitatibus sæculi, puta de sectandis deliciis, opibus, honoribus, fabulis, ludis, etc.; qualis enim quis est, talia et cogitat), ET VIR IMPRUDENS ET ERRANS COGITAT STULTA, — puta vanitates et cupiditates (ut eas mox explicata), quæ a Deo et cœlo ad dæmonem et gehennam eum deducunt, ideoque sunt stulta, et, ut græce est, μῶρα, id est fatua, imo insana et delira, juxta illud *Psal.* XXXIX, 5 : « Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus, et non respexit in vanitates et insanias falsas. » Et *Psal.* IV, 3 : « Filii hominum, usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? » Qui ergo non cogitant de futura felicitate, vel infelicitate, de que sua æternitate, hi sunt corde exiguo, imprudentes et errantes, quia sola cogitant temporalia plane inania et stulta. Vers. 23.

Contrarie vertit Tigurina : *Qui animo*, inquit, *submisso præditus est, perpendit hæc; vir autem insipiens et delirus stulta cogitat, q. d.* Humiles qui mentem Dei voluntati demisse substernunt, intelligent hæc, ideoque sapient; superbi vero ad stultos suos honorum fumos deflectentes, in iis stultescent, juxta illud Christi, *Matth.* cap. XI, 25 : « Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te. »

Moraliter Hugo : Qui minoratur corde, inquit, id est cordis magnanimitate per pusillanimitatem, vel cordis devotione per tepiditatem, vel cordis audacia per timiditatem, vel cordis tranquillitate per avaritiam, aut cordis munditia per luxuriam; hic cogitat inania, id est vana et falsa, juxta illud *Oseæ* VII, 11 : « Factus est Ephraim quasi columba seducta non habens cor. »

TERTIA PARS CAPITIS.

DE DEI SAPIENTIA IN CREATIONE ET DISPOSITIONE UNIVERSI.

Vers. 24 et 25. 24 et 25. AUDI ME, FILI, ET DISCE DISCIPLINAM SENSUS, ET IN VERBIS MEIS ATTENDE IN CORDE TUO; ET DICAM IN ÆQUITATE DISCIPLINAM, ET SCRUTABOR ENARRARE SAPIENTIAM : ET IN VERBIS MEIS ATTENDE IN CORDE TUO, ET DICO (id est dicere propono, vel dico, id est dicam) IN ÆQUITATE SPIRITUS VIRTUTES, QUAS PO-

SUIT DEUS IN OPERA SUA AB INITIO, ET IN VERITATE ENUNTIO SCIENTIAM EJUS.— Græcus de more hic concisus et bimembris est, cum Noster sit trimembris. Unde Jansenius censet tertium membrum, sive sententiam, hic æque ac in aliis locis hujus libri, ex alia cujusdam versione esse assutam. Verum ut alia superius dicta præteream, id hoc loco dici nequit. Nam τὸ tertii membri : « Et dico in æquitate spiritus virtutes, quas posuit Deus in opera sua ab initio, » in nullo Græco invenitur, ac consequenter nulla fuit versio, ex qua in nostrum textum traduci poterit. Dicendum ergo nostrum interpretem olim plenius habuisse exemplar Græcum, in quo hæc continebantur. Pro *æquitate* Græce est ϛαθμῷ, id est *pondere, q. d.* Dicam disciplinam ad æquum rationis pondus appensam, et matura consideratione libratam et perpensam; nihil dicam nisi prius justo judicii examine et libramine discussum et ponderatum, ut nihil falsum, nihil imprudens, nihil vanum et inutile, nihil leve et temerarium, sed omnia vera, prudentia, solida, utilia, gravia, matura proferam et pronuntiem. Unde mox subdit : « Dico in æquitate spiritus, » id est cum æquo et justo mentis examine, *q. d.* Dico id quod prius diligenter expendi, libravi, consideravi, dijudicavi; dico, inquam, «virtutes quas posuit Deus in opera sua ab initio, » *q. d.* Enarro Dei heroicas virtutes, dotes et attributa, puta sapientiam, potentiam, bonitatem, justitiam, etc., quas Deus ostendit in universi creatione et dispositione. Rursum virtutes quas ipsis rebus initio creationis indidit et communicavit, v. g. Angelis et hominibus potestatem ratiocinandi, animalibus potestatem sentiendi, plantis vegetandi, igni calefaciendi, aquæ refrigerandi et humectandi, etc. Ita Hugo.

Græca sic habent, *audi, fili mi, et disce scientiam, et in verbis meis attende corde tuo. Ostendo in pondere disciplinam, et in veritate,* vel potius *in exacta diligentia* (hoc enim est ἐν ἀκριβείᾳ) *annuntio scientiam;* Tigurina, *audi me, fili, et scientiam amplectere, adque mea dicta adverte animum. Explicabo perpensam eruditionem, exactamque scientiam edisseram;* Syrus, *audite me, et suscipite doctrinam meam, et omnibus verbis meis tradite cor vestrum. Dico in pondere* (cum statera, cum libramento) *verba mea, et cum sapientia manifesto doctrinam meam.*

Porro Siracides more rhetoris ante orationem conciliat sibi benevolentiam auditoris, blande eum compellando filium; et attentionem, dicendo se dicturum res graves de Dei virtutibus; et docilitatem, dicendo se nihil dicturum nisi prius longo examine discussum et ordinatum. Nam, ut ait Boetius *De Discipl. scholar.* : « Discipulus debet esse docilis, attentus, benevolus : docilis ingenio, attentus in exercitio, benevolus animo ad audiendum. » Siracidem ergo imitentur doctores, æque ac discipuli : illi ex eo discant modum docendi, hi discendi.

Præclare S. Gregorius, homil. 13 *in Evang.* : « Verba, inquit, Dei quæ aure percipitis, mente retinete : cibus enim mentis est sermo Dei, et quasi acceptus cibus in stomacho languente rejicitur, quando auditus sermo in ventre memoriæ non tenetur; sed quisquis alimenta non retinet, hujus profecto vita desperatur. Æternæ ergo mortis periculum formidate, si cibum quidem sanctæ exhortationis accipitis, sed verba vitæ, id est, alimenta justitiæ, in memoria non tenetis. » Hac de causa repetit et inculcat τὸ *attende in corde tuo.* Nam, ut ait Seneca *epist.* 108 : « Quidam veniunt, inquit, ut audiant, non ut discant : sicut in theatrum voluptatis causa ad delectandas aures, oratione, vel voce, vel fabulis ducimur. Magnam hanc partem auditorum videbis, cui philosophi schola diversorium otii sit; non id agunt ut aliqua illis vitia deponant, ut aliquam legem vitæ accipiant, ad quam mores suos exigant; sed ut oblectamento aurium perfruantur. Aliqui tamen et cum pugillaribus veniunt, non ut res accipiant, sed ut verba, quæ tam sine profectu alieno discunt, quam sine suo audiunt. » Tales erant Judæi, de quibus Dominus ad Ezechielem cap. XXXIII, 32 : « Et es eis, ait, quasi carmen musicum, quod suavi dulcique sono canitur : et audiunt verba tua, et non faciunt ea. » Longe alia mente David a Deo doceri optat, dicens : « Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam, et custodiam illam in toto corde meo. Deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui. Inclina cor meum in testimonia tua, » etc. *Psal.* CXVIII, vers. 34 et seq.

26. IN JUDICIO DEI OPERA EJUS AB INITIO (*q. d.* Deus ab initio mundi creavit et disposuit opera sua magno judicio, græce κρίσει, id est sapientia, prudentia, discretione, modo et ordine, juxta illud *Sap.* XI : « Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti»), ET AB INSTITUTIONE (græce ποιήσει, id est effectione, creatione) IPSORUM (Complutenses legunt *impiorum hominum;* sed cæteri Græci et Latini passim legunt *ipsorum*) DISTINXIT PARTES ILLORUM, ET INITIA EORUM IN GENTIBUS SUIS. Vers. 26.

Quæres, quænam hæc initia in gentibus? *Primo,* Jansenius ex Græco germane sic exponit : *Initia,* græce ἀρχαί, id est *principatus,* sunt principes et præcipuæ mundi partes, puta sol, astra, cœli, quæ principatum quemdam in inferiorem mundum, puta in terram et aerem obtinent; nam de terra mox subdit vers. 30 : « Post hæc Deus in terram respexit. » Sensus ergo est, *q. d.* Deus mox ut creavit opera universi, illico distinxit partes eorum, dividendo aquas ab aquis, elementa a cœlis, mare a terra, etc.; distinxit quoque τὰς ἀρχάς, id est, partes illas primas mundi, quibus totus orbis inferior regitur, in suis gentibus, id est generibus, quia fecit ut quodlibet astrum et cœlum suum haberet genus, naturam, motum, proprietatem, diversa eis officia attribuens, v. g. soli ut illuminet diem, lunæ ut illuminet noctem, Initia mundi quæ? Resp. Primo.

suoque cursu menses et tempora dimetiatur et distinguat. Hoc sensu *gentes* per catachresin vocantur genera : hoc enim significat Græcum γενεά. Et sic Hebræi solem, astra, cœlos, etc., vocant gentes, id est, milites Dei, a quibus Deus vocatur *Deus sabaoth*, id est, Deus exercituum. Unde vers. 28 ea inter se vocat proximos. Simili catachresi *Sap.* I, 14, dicitur : « Sanabiles, » id est, salutares et salubres, « fecit nationes orbis terrarum : » *nationes*, græce γενέσεις, id est generationes, puta res genitas et creatas a Deo, *q. d.* Deus fecit ut res a se genitæ et creatæ essent salutares, non lethales et mortiferæ. Unde sequitur : « Et non est illis medicamentum exterminii, » id est, ut Græca, pharmacum exterminans et interimens; S. Hieronymus, *non est in eis venenum mortiferum*. Sic ibidem cap. XIX, 10, vocat *nationem animalium*. Sic et Festus bonum fœturæ proventum in pecoribus vocat *bonam nationem*. Natio enim alludit ad etymon nasci, sicut γένεσις ad γένεσθαι. Sensum jam datum sequitur Syrus, dum vertit, *quando creavit Deus opera sua ab initio, cum creatione eorum distribuit leges eorum, et dedit usque in finem operationes eorum, et dominium eorum in omnes generationes sæculi.* Denique Latini nomen *gens* deducunt a genus, *u* littera detracta : gens enim est quæ ab uno genus ducit, ut Romani a Romulo, Israelitæ ab Israele, id est Jacobo, Chananæi a Chanaan. Hinc gens dicitur genus cœtusque apum, ut Columella lib. IX, cap. IX : « Intestino, ait, bello totæ gentes (apum examina) consumuntur. » Sic etiam gens de piscibus dicitur apud Virgilium, IV *Georg.* :

Gentes, id est genera.

> **Cum Proteus consueta petens e fluctibus antra**
> **Ibat : eum vasti circum gens humida ponti**
> **Exsultans, etc.**

Non ergo mirum, nec illatinum, gentem significare genus.

Secundo. *Secundo*, simplicius et planius exponas, *q. d.* ἀρχάς, id est *principatus*, hoc est, corpora cœlestia, quæ primas mundi tenent, distinxit Deus suis gentibus, id est, Angelis, ut ipsi orbes cœlestes regant, moveant, ordinent, iisque per omnia præsint. Ita Lyranus. Aut certe ἀρχὰς vocat principatus angelicos, *q. d.* Deus creavit et distinxit mundi partes, iisque præfecit Angelos ex ordine Principatuum et Potestatum, qui sunt ἀρχαί, id est, principes in gentibus suis, id est, inter Angelos et angelicos ordines inferiores, puta inter Virtutes, Archangelos et Angelos, qui duntaxat præsunt singulis provinciis, civitatibus et hominibus. Unde Palacius sic explicat : Deus, inquit, addixit cuivis cœlo suum initium, id est, principem et ducem, quos Philosophi vocant intelligentias motrices, Theologi vocant virtutes cœlorum. Addit idem : Forte, inquit, gentes cœlorum sunt stellæ, qui milites cœlorum dicuntur, et vocati dicunt : « Adsumus, » *Baruch* III, 34, *q. d.* Habent stellæ sua initia, id est, suos principes Angelos sibi deputatos. Sic Moses (quo alludit Siracides) *Deut.* cap. XXXII, 28, juxta Septuaginta ait : « Quando dividebat Altissimus gentes, etc., constituit terminos juxta numerum Angelorum Dei, » *q. d.* Ab initio constituit et præfecit Deus singulis populis et gentibus angelos custodes, et quasi præpositos. Ita Origenes, homil. 11 *in Numer.*, S. Cyprianus, S. Chrysostomus et alii quos citavi *Deuter.* cap. XXXII. Huic expositioni favent Græca, quæ statim post ἀρχάς, subjungunt, *non esurierunt, nec defatigati sunt, nec destiterunt ab opere suo.* Quod rectius Angelis competit, quam cœlis. Animatis enim, quales sunt Angeli, competit esuries, non cœlis inanimis, æque ac defatigatio, et cessatio a motu et rotatione orbium cœlestium.

Tertio, initia proprie accipias. Unde aliqui ex Græco vertunt, *in manu ejus* (hæc enim addunt Complutenses) *principia eorum in omnes ætates, q. d.* Deus ab initio uti partes, ita et principia mundi manu sua continens, constituit et firmavit, ut durent per omnes sæculorum generationes : ita principium diei, lucis, solis, cœlorum, ortus et occasus astrorum ab initio mundi constituit, ut per suum calorem et influxum continuo præsint generationi plantarum, frugum, fructuum, animalium et hominum. Tolle enim solem et astra, nulla erit generatio in terra. Favet versio Tigurina, *cum judicio operatus est Dominus ab initio, et a prima rerum creatione partes eorum disposuit.* Opera sua excoluit perpetuo, et initia eorum per sua sæcula generaque (γενέα enim et sæculum et genus significat); ac Complutenses dum legunt, *in manu ejus principatus eorum*, εἰς γενέας γενεῶν, id est *in sæcula sæculorum;* alii legunt, εἰς γενέας αὐτῶν, id est *in genera*, vel *generationes eorum.* Tertio.

Quarto, Rabanus gentes proprie accipit, æque ac initia, *q. d.* « Ex quo hominis propaginem dilatare Deus disposuit, singularum gentium originem per partes singulas mundi discrevit, ita ut unaquæque gens ex parentis sui vocabulo denominata, sedes proprias in singulis provinciis possideret. Mystice autem divina Sapientia Ecclesiam suam instituens, per totius partes orbis illam dilatavit, atque in singulis gentibus collocavit. Unde est quod in *Apocal.* cap. I, II et III, septem Ecclesiis quæ fuerunt in Asia, sermo Dei directus est. » Quarto. Mystice.

Sic et Hugo : *Initia*, inquit, id est, initiales possessiones suas, in gentibus Deus distinxit, tribus filiis Noe, distribuendo tres partes mundi, nimirum ut Sem cum posteris incoleret Asiam, Cham Africam, Japhet Europam. Idem mystice : Deus, inquit, initio Ecclesiæ distribuit provincias orbis Apostolis, ut Joannes converteret Asiam, Thomas Indiam, Matthæus Æthiopiam, etc. « Nec esurierunt, » id est, esuriem corporis Apostoli non reputaverunt. « Nec laboraverunt, » id est, corporis laborem nihili fecerunt, imo cum gaudio labores, dolores, contumelias et injurias propter Christum susceperunt, *Actor.* V. « Et non destiterunt ab operibus suis, » id est, a prædicatione Evangelii,

etiamsi scribæ, pontifices, philosophi, principes et reges totis viribus obsisterent, quibus hoc unum regerebant : « Obedire oportet Deo magis quam hominibus. » « Unusquisque proximum sibi non angustiabit, » quia nec sese invicem, nec quemquam aliorum afflixerunt, sed potius omnes juverunt et consolati sunt. « Post hæc Deus in terram respexit, et implevit illam bonis, » cumulando gentes omni gratia et charismate cœlesti. Hæc Hugo.

Sic et Dionysius : Deus, inquit, ab initio « distinxit partes illorum, » id est, dedit unicuique aptum et proprium locum, et divisit illas ab invicem. Sicque piscibus deputavit aquam, avibus aerem, hominibus et pecoribus terram. « Et initia ipsorum in gentibus suis, » id est, origines hominum ordinavit distincte, secundum gentium distinctiones, ut quælibet gens in terra sua habeat suam generationem, successionem, processum ac finem, sicut *Genes.* IX legitur terra distincta per filios Noe. Unde ait Paulus : « Deus fecit ex uno omne genus hominum habitare super universam terram, definiens statuta tempora et terminos habitationis eorum, » *Act.* XVII. « Nec esurierunt, nec laboraverant, » quia Deus cuique copiose de victu et vitæ necessariis providit. « Unusquisque proximum sibi non angustiabit, » quia latissimum spatium habitandi in terra contulit eis, et jussit ut sine violentia mutuo conversarentur in charitate. « Anima autem vitalis denuntiavit ante faciem ejus, » id est, omnis anima rationalis vivens per gratiam, coram Deo confessa est horum veritatem, et laudem ejus ; « et in ipsam iterum reversio illorum, » id est, reductio seu naturalis conversio creaturarum ad suum fontale principium a quo conservantur, et ad quod omnia tendunt suo modo, secundum quod effectus ad suam causam convertitur. Hæc, inquam, reductio pandit ac nuntiat Deum habere providentiam universorum, et omnia sapientissime ordinasse. Ita Dionysius.

Vers. 27 27. ORNAVIT (minus recte aliqui legunt *ordinavit* : Græce enim est, ἐκόσμησεν, id est *ornavit*) IN ÆTERNUM OPERA ILLORUM. — Græce αὐτοῦ, id est *sua*, *q. d.* Deus ornavit sua opera prima, puta cœlos luce, sole, luna et tanta varietate siderum, quasi gemmarum fulgentium instar carbunculorum, jaspidum, smaragdorum, etc., juxta illud *Job.* XXVI, 13 : « Spiritus ejus ornavit cœlos. » Noster legit αὐτῶν, id est *illorum*, quod primo Jansenius de cœlis explicans : « Deus, inquit, ornavit opera, « id est operationes, motus et influxus cœlorum et siderum, quia fecit eas et stabiles esse, et indefatigabiles, et pulcherrimo ordine inter se consentientes. Nam, ut ait Plato, *Dial. de Natura* : « Fas non erat quidquam nisi pulcherrimum facere eum qui est optimus. » Et Boetius, lib. III *De Consolat.* metro 9 :

Tu cuncta superno
Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens, similique ab imagine formans,
Perfectasque jubens perfectum absolvere partes, etc.

Loquitur Siracides de cœlis et stellis quasi hominibus et militibus Dei, per prosopopœiam. Unde subdit :

NEC ESURIERUNT, NEC LABORAVERUNT, ET NON DESTITERUNT AB OPERIBUS SUIS. — Syrus, *a fortitudine sua* ; Tigurina, *non esurierunt neque defessa sunt in suis operibus, nec ab officiis suis cessarunt, q. d.* Cœli, sol et stellæ, etsi quasi milites Dei assidue juxta præscriptum ejus moveantur, idque celerrime (adeo ut sol qualibet hora conficiat millionem milliarium, et insuper 140 millia eorumdem : quod tantumdem est, ac si totum terræ globum circumcurreret quinquagies, uti ostendi *Gen.* I, 16), tamen nunquam esuriunt, nec defatigantur, ut a labore suo et Dei jussu exsequendo desistant. Quod significat eos jugiter, sine defectu, fatigatione et molestia, in obeundis muniis sibi a Deo injunctis strenue persistere et pergere, juxta illud *Psal.* CXVIII : « Ordinatione tua perseverat dies, quoniam omnia serviant tibi ; » Hebr. *omnia sunt servi tui.*

Alludit ad opiniones Platonicorum (quos secutus est Philo, et Origenes lib. VII *Periarchon*, ac dubitat S. Augustinus, *Enchir.* cap. XVIII), qui cœlos putarunt esse animatos, juxta quos mirum erat cœlos non esurire, nec fatigari. Ad hæc solem, lunam et stellas censebant esse igneas, quas proinde vaporibus ali necesse sit : ignis enim eget suo pabulo, uti recenset Plinius, lib. II, cap. VIII, Cicero II *De Natur. deor.*, Lactantius, lib. II, cap. VI. Rursum juxta veram sententiam Angeli, quasi intelligentiæ assistunt suis orbibus cœlestibus, et quasi unum quid non compositum, sed aggregatum ex eis efficiunt. Hominibus autem vulgaribus mirum videtur Angelos in tanta occupatione et motu non esurire, nec fatigari. Vero Tertullianus in *Apolog.* cap. XXII : « Omnis spiritus, inquit, ales est ; hoc est, Angeli et dæmones : igitur momento ubique sunt. » Et S. Gregorius Nazianzenus, *orat.* 34 : « Loca, ait, omnia peragrant, omnibusque impigre adsunt, tum ob ministerii promptitudinem, tum ob naturæ levitatem. » Certissime et clarissime Psaltes, et ex eo Apostolus, *Hebr.* I, 7 : « Qui facit, inquit, angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis. » Vide ibi dicta : ergo nec esuriunt, nec fatigantur. Dixit de perpetuitate cœlestium operationum, subjicit etiam de concordia, dicens :

28. UNUSQUISQUE PROXIMUM SUUM NON ANGUSTIABIT (minus recte aliqui legunt *angustiavit*, licet Græce sit, ἔθλιψε, id est *afflixit, attrivit*) USQUE IN ÆTERNUM, — *q. d.* In tanta multitudine cœlorum, siderum et planetarum, esto moveantur contrariis et celerrimis motibus, sintque invicem contigui et quasi continui, tantus tamen singulorum est ordo, tanta cujusque cum cæteris subordinatio et concordia, ut unum non premat, arctet, atterat vel impe-

diat aliud; sed quodque suo ordine illæse, integre et constanter incedat, imo currat, perinde ac milites in acie rite ordinata. Hanc cœlorum concordiam admirans Job exclamat, cap. XXXV, 10 : « Ubi est Deus qui fecit me, qui dedit carmina in nocte? » Luna enim et stellæ, noctu ordinate incedentes et lucentes, hymnos nocturnos Deo canunt, et hominibus materiam laudis divinæ suggerunt. Idem et longe magis faciunt Angeli, ait Olympiodorus ibid. in Catena. Unde Chaldæus vertit, *ante cujus conspectum Angeli excelsi ordinant laudem in nocte.* Et clarius cap. XXXVIII, 37 : « Quis enarrabit cœlorum rationem, et concentum cœli (hebr. *nabla*) quis dormire faciet? » Unde Pythagoras docuit cœlos musica ratione compositos concentum edere (vide Censorinum *De Die natali*, cap. XIII); sed homines ob assuetudinem ad hunc sonum obsurduisse, uti qui habitant ad Nili catadupa, aquarum ex alto ruentium fragorem non audiunt, ait Cicero in *Somnio Scipionis*. Quin et S. Augustinus, epist. 28 *ad S. Hieronymum*, proprie in cœlis sonorum concentum admittit. Sic et Leo Castrius in *Isaiæ* cap. XL, vers. 26. Et Georgius Venetus in *Harmon.* Favet et ratio, quia non tantum ex confricatione aeris, sed et omnis corporis resistentis sonus editur. Verum Aristoteles et Philosophi, lib. II *De Cœlo*, negant hunc cœlorum concentum. Quare Job per concentum intelligit concordes et ordinatissimos cœlorum motus et cursus, ac mystice S. Gregorius : « Concentus, ait, cœlorum est concordia prædicantium et consoni Angelorum hymni. » Unde Plato in *Timæo* asserit idcirco maxime oculos nobis a natura esse datos, ut circuitus ordinatissimos qui in cœlo peraguntur, intuiti, eos ad vitæ disciplinam traduceremus, ac ad eorum ordinem et stabilitatem, nostræ mentis vagos et erraticos motus componeremus. Vide S. Gregorium Nazianzenum, *orat.* 26, ubi docet ordinem conservare cœlos, elementa et totum universum, ac consequenter ordinem hierarchicum conservare Ecclesiam. Unde inter cætera ait : « Ordine florente ac dominante est universum hoc, ac pulchritudo certa et stabilis (quare mundus Græce dicitur κόσμος, ab ornatu et pulchritudine). Contra autem perturbatio et confusio in aere tonitrua, in terra motus, in mari naufragia, in urbibus domibusque bella et dissidia, in corporibus morbos, in animis peccata procreavit. Hæc enim omnia non pacis, nec ordinis, sed confusionis et perturbationis nomina sunt. » Denique addit Siracides :

Concentus cœlorum qualis?

Vers. 29. 29. NON SIS INCREDIBILIS VERBO ILLIUS. — Jansenius hæc annectit præcedentibus, *q. d.* « Unusquisque proximum suum non angustiavit; » sed unusquisque alteri dicit : « Usque in æternum non sis incredibilis, » id est inobediens, « verbo Dei. » Græca enim sic habent : *alter alterum non afflixit, et usque in æternum non detrectabunt jussum ejus*, vel, *non erunt inobedientes verbo ejus;* Tigurina, *aliud alii non fuit molestum, nec unquam repugnabunt imperio ejus*; Syrus, *alter alterum non oderunt, neque in sæculum transgrediuntur verbum ejus.*

Secundo, Palacius cum Lyrano prosequens suam expositionem, qua hæc refert ad Angelos : Dixerat, inquit, quod constituerat Deus Angelos, quorum operatio est cœlos movere : addit nunc quod hæc Angelorum opera Deus ornavit, scilicet lumine diei, tenebris noctis, influxu virtutis, quam superiora in inferiora demittunt, pluviis, grandinibus, etc. *Secundo*, dicit quod Angeli illi nec in perpetua illa motione sudant, esuriunt aut laborant, nec per momentum cessarunt ab opere. Rem profecto admirandam! *Tertio*, dicit inter hos Angelos, seu cœlorum Virtutes, summam esse concordiam : adeo ut nunquam alius alii sit impedimento, nec superior premat inferiorem, nec inferior subsultet adversus superiorem. Quia vero hæ res sunt admirabiles, subdit auctor : « Ne sis incredibilis verbo illius, » id est : Quæ tibi dico, verba Dei sunt, cave sis incredulus eis. Rursum, *q. d.* Imitare ergo cœlos, o homo, ut, sicut illi Deo per omnia obediunt, nec ad punctum quidem ab ejus ordinatione discedunt, ita multo magis eidem obedias et tu qui sensu et ratione polles.

Tertio, Hugo hæc refert ad homines eorumque primam institutionem, *q. d.* Deus creavit hominem, eumque magnis naturæ et gratiæ dotibus ornavit ac collocavit in Paradiso, fecitque ut manens in innocentia, in qua eum condiderat, non esuriret, non sitiret, non fatigaretur, sed cum voluptate coleret Paradisum, ibi quoque nemo angustiasset proximum, injuriam illi irrogando, vel bona ejus auferendo, quia in eo statu omnia fuissent communia. Verum hæc potius mystica et symbolica, quam litteralis est expositio. Tropologiam ejusdem et Dionysii de Apostolorum prædicatione recensui vers. 26.

Quibus adde ex Rabano : « Ornavit, inquit, in æternum opera illorum, nec esurierunt, nec laboraverunt, et non destiterunt ob operibus suis. » Præparavit enim Deus opera Ecclesiæ suæ, et charitatis splendore ipsam perpetualiter illustravit; propterea nullam virtutum patiuntur penuriam, nec pigritiæ lassitudine deficiunt, sed intenti bonis operibus semper insistunt. « Unusquisque proximum sibi non angustiabit » usque in ævum, quia charitas non quærit quæ sua sunt, sed quæ aliorum. Unde præcepit Apostolus dicens : « Tanquam filiis dico : Dilatamini et vos, et nolite jugum ducere cum infidelibus. » Latitudo mandati charitas est, quia, ubi charitas manet, non sunt angustiæ. In ipsa latitudine erat Apostolus, cum diceret : « Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est, non angustiamini in nobis. » II *Cor* VI, 11 Ideo enim alibi legitur : « Latum mandatum tuum valde. » Quod est latum mandatum datum? « Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis. » Charitas ergo non angustatur. Vis non angustari in terra? in lato habita; quidquid enim tibi fecerit homo, non te angustat, quia illud diligis quod

non nocet: homo, Deum diligis, fraternitatem diligis, Ecclesiam Dei diligis: sempiterna merces erit; laboras in terra, sed pervenies ad fructum promissum: quis tibi tollit quod diligis? hæc Rabanus.

Vers. 30. 30. POST HÆC DEUS IN TERRAM RESPEXIT, ET IMPLEVIT ILLAM BONIS SUIS. — Hinc patet hucusque sermonem fuisse de cœlis et cœlestibus. Refricat enim ordinem quem Deus in mundi creatione servavit, *Genes.* I, *q. d.* Deus primis duobus mundi diebus cœlos instituit, ornavit et ordinavit; deinde tertio die respexit in terram, illamque plantis, herbis, arboribus, metallis vestivit, ac mox animalibus, avibus et homine implevit. Unde Syrus, *post hæc in terram prospexit, benedixitque eos* (homines et terræ incolas) *in omnibus frugibus ejus*, adeo ut terra sit mater bonorum omnium.

Vers. 31. 31. ANIMA OMNIS VITALIS (omnis viventis) DENUNTIAVIT ANTE FACIEM IPSIUS, ET IN IPSAM ITERUM REVERSIO ILLORUM, — *q. d.* Anima omnis vitalis, hoc est, omne animal, et omne vivens, denuntiavit, id est, aperte indicavit, et jugiter indicat id quod dixi, scilicet Deum implevisse terram bonis suis: indicat, inquam, ante faciem ipsius, scilicet non Dei, ut vult Rabanus, sed terræ (Græce enim est pronomen femininum αὐτῆς), id est, in conspectu terræ, vel in superficie terræ: quia scilicet omne vivens bonis terræ, in ejus superficie nascentibus, vivit et fruitur; et iterum, dum moritur, in terram revertitur. Noster legit ἀποκάλυψε, id est *revelavit, denuntiavit*, et, ut aliqui legunt, *denudavit*. Jam legunt contrarie ἐκάλυψε, id est *texit, operuit*. Sic enim habent Græca Complutensium, *animam omnis animalis abscondit vultus ejus* (αὐτῆς, scilicet terræ), *et in illam reversio illorum, q. d.* Terra tegit, contegit et protegit omnia animalia, illaque rursum in terram e qua nata sunt, per mortem revertuntur. Romana mutato casu eumdem pene exhibent sensum: *Anima*, inquiunt, *omnis vitalis operuit faciem ejus, et in ipsam reversio illorum, q. d.* Animalia, dum vivunt, tegunt superficiem terræ; et rursum dum moriuntur, in illam revertuntur. Sic et Tigurina, *vita animantium omnis generis operuit superficiem ejus, et in eamdem unumquodque revertitur*. Sic et Syrus, *anima omnium viventium replevit faciem ejus, et collegit in medio ejus omnia opera eorum.* Monet hominem suæ originis suique finis, refricatque illam Dei in Adami sententiam: « In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram de qua sumptus es; quia pulvis es, et in pulverem reverteris, » *Genes.* III, 19, ut eum ad humilitatem æque ac Dei timorem excitet, moneatque ut habeat curam animæ suæ jugiter, vel in cœlo felicissime, vel in inferno miserrime victuræ, cum corpus brevi terræ sit reddendum. Est ergo terra quasi horreum et thesaurus, ex quo large omnia animalia aluntur et vivunt: eadem est et sepulcrum, in quod omnia tandem redeunt. Est vero utrumque admiratione dignum, quod, cum plurima et quasi infinita sint animalia, singula tamen sufficientia et congrua sibi in terra inveniant alimenta; et cum tot tantaque sint, omnia in terram redeant, nec tamen terra crescat vel intumescat, sicut omnia flumina intrant in mare, et tamen mare non redundat, *Eccle.* I, 7. Ita Palacius.

Porro Rabanus, Dionysius et Lyranus hæc ad Deum referunt, *q. d.* « Anima omnis viventis denuntiat, id est, ipso facto ostendit quod propter eam erant illa bona a Deo producta, quia usa est ipsis. Et ipsa iterum reversio illorum; nam per animam rationalem ista reducuntur in Deum, ipsum de bonis suis laudando, et per animam sensitivam suo modo, quia est materia divinæ laudis. » Verum Græca pronomina αὐτῆς et αὐτήν, cum sint feminina, non Deum, sed terram referunt et respiciunt, ut dixi. Sapienter et pie S. Augustinus in illud *Psal.* XXVI, 16: « Circuivi, et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis. Circumeat, inquit, animus tuus per universam creaturam, undique tibi clamabit creatura: Deus me fecit. Quidquid te delectaverit in arte, artificem commendat, magisque si circumeas universa, consideratio concipit artificis laudem. Vides cœlos? magna opera Dei sunt. Vides terram? Deus fecit semina innumera, diversitates germinum, multitudinem animalium. Circumi adhuc cœlos usque ad terram, nihil relinquas; undique tibi omnia resonant Creatorem, et ipsæ species creaturarum voces sunt quædam Creatorem laudantium. »

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prosequitur operum et magnalium Dei enarrationem, ut lectorem ad Dei obsequium et venerationem impellat, estque de utroque, hoc capite quasi perpetua concio. Igitur primo, ex Genesi narrat creationem hominis ad imaginem Dei, dotesque præsertim sapientiæ et legis divinæ illi inditas, pactum a Deo cum eo initum, Deique intuitum in omnia hominum opera et peccata; atque ex hisce omnibus, vers. 21, concludit incitatque hominem, ut per pœnitentiam, vitæ emendationem, omnemque sanctitatem ad Creatorem suum tam munificum convertatur, Deoque suo cum omni reverentia et devotione serviat.

1. Deus creavit de terra hominem, et secundum imaginem suam fecit illum. 2. Et ite-

rum convertit illum in ipsam, et secundum se vestivit illum virtute. 3. Numerum dierum et tempus dedit illi, et dedit illi potestatem eorum quæ sunt super terram. 4. Posuit timorem illius super omnem carnem, et dominatus est bestiarum et volatilium. 5. Creavit ex ipso adjutorium simile sibi : consilium, et linguam, et oculos, et aures, et cor dedit illis excogitandi; et disciplina intellectus replevit illos. 6. Creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum, et mala et bona ostendit illis. 7. Posuit oculum suum super corda illorum, ostendere illis magnalia operum suorum, 8. ut nomen sanctificationis collaudent; et gloriari in mirabilibus illius, ut magnalia enarrent operum ejus. 9. Addidit illis disciplinam, et legem vitæ hæreditavit illos. 10. Testamentum æternum constituit cum illis, et justitiam et judicia sua ostendit illis. 11. Et magnalia honoris ejus vidit oculus illorum, et honorem vocis audierunt aures illorum, et dixit illis : Attendite ab omni iniquo. 12. Et mandavit illis unicuique de proximo suo. 13. Viæ illorum coram ipso sunt semper, non sunt absconsæ ab oculis ipsius. 14 In unamquamque gentem præposuit rectorem, 15. et pars Dei Israel facta est manifesta. 16. Et omnia opera illorum velut sol in conspectu Dei, et oculi ejus sine intermissione inspicientes in viis eorum. 17. Non sunt absconsa testamenta per iniquitatem illorum, et omnes iniquitates eorum in conspectu Dei. 18. Eleemosyna viri quasi signaculum cum ipso, et gratiam hominis quasi pupillam conservabit; 19. et postea resurget, et retribuet illis retributionem, unicuique in caput ipsorum, et convertet in interiores partes terræ. 20. Pœnitentibus autem dedit viam justitiæ, et confirmavit deficientes sustinere, et destinavit illis sortem veritatis. 21. Convertere ad Dominum, et relinque peccata tua : 22. precare ante faciem Domini, et minue offendicula. 23. Revertere ad Dominum, et avertere ab injustitia tua, et nimis odito exsecrationem : 24. et cognosce justitias et judicia Dei, et sta in sorte propositionis, et orationis altissimi Dei. 25. In partes vade sæculi sancti, cum vivis et dantibus confessionem Deo. 26. Non demoreris in errore impiorum, ante mortem confitere. A mortuo quasi nihil, perit confessio. 27. Confiteberis vivens, vivus et sanus confiteberis, et laudabis Deum, et gloriaberis in miserationibus illius. 28. Quam magna misericordia Domini, et propitiatio illius convertentibus ad se ! 29. Nec enim omnia possunt esse in hominibus, quoniam non est immortalis filius hominis, et in vanitate malitiæ placuerunt. 30. Quid lucidius sole? et hic deficiet. Aut quid nequius quam quod excogitavit caro et sanguis? et hoc arguetur. 31. Virtutem altitudinis cœli ipse conspicit, et omnes homines terra et cinis.

PRIMA PARS CAPITIS.

Vers. 1. 1. DEUS CREAVIT DE TERRA HOMINEM (sicut figulus ex argilla format vasa figulina: hinc Deus dicitur fictor, nos figmentum : hinc rursum Adam dictus est ab adama, quasi homo ab humo) ET SECUNDUM IMAGINEM SUAM FECIT ILLUM, — puta secundum exemplar suum, ut scilicet homo Dei, quasi exemplaris sui, expressa esset imago. Imago naturalis Dei est in anima, quæ spiritus est, polletque intellectu, libertate, dominio in animalia omnesque res creatas; ut Adam, in hoc mundo dominans omnibus, esset quasi Deus quidam terrestris. Imago supernaturalis Dei est in gratia, puta fide, spe, charitate cæterisque virtutibus quas Deus in creatione Adæ indidit : quam Adam peccando perdidit, sed Christus patiendo et moriendo restauravit. Vide dicta *Genes.* I, 26. Meminit *imaginis* Dei, tum ut ostendat Dei in hominem munificentiam, qua hominem ad tantam dignitatem evexit, ut esset similis, imo imago Dei; tum ut moneat hominem gratitudinis, ut suo Creatori obsequatur, ac imaginem sibi ab eo inditam, velut monile pretiosissimum, integrum et illæsum omni cura tueatur, expoliat et perficiat, ac, si maculata vel abolita sit, omni studio reparet et restau-

ret, ut agat inter homines vitam divinam, imo vivat quasi obambulans in terra Deus, aut sanctus in carne angelus. Vide Rabanum.

Porro Palacius sic exponit, *q. d.* Deus, formans Adamum, assumpsit formam humanam, ut significaret se aliquando eam hypostatice assumpturum ex virgine; et secundum illam, quasi imaginem, creavit Adamum. Verum hic sensus symbolicus est, non litteralis (uti ipse contendit), imo incertus, et forte falsus. Cur enim Deus assumeret formam humanam, cum necdum esset homo qui eam videre posset?

Præclare S. Ambrosius, lib. III *Ad Virgines* : « Contemplationem, inquit, corporis velut navis saburram suscipe, ne in tantis mundi fluctibus jactantiæ alicujus aura te circumferat. » Chrysologus, *serm.* 148 : « Fecit, inquit, te esse de terra, ut esses tu dominus terrenorum, et esses ipsis in ipsius substantiæ communione communis; nec tamen te terrenum terrestribus sic æquavit, ut non etiam cœlestibus animatum te cœlitus exæquaret; et ut esset tibi cum Deo ratio communis, corpus commune cum jumentis, dedit tibi animam de cœlo, dedit tibi corpus de terra, ut in te nexa cœli terræque concordia servaretur. » Et de imagine Dei nonnullis interjectis : « Adhuc, inquit, quid adjiciat ad honorem tuum tuus Creator excogitat, in te imaginem suam ponit, ut terris invisibilem Conditorem visibilis imago præsentem poneret; et in terrenis dedit vices suas, ut non fraudaretur Domini vicario mundi tam larga possessio. » Unde infert : « Homo, quare tibi tam vilis es, qui tam pretiosus es Deo? quare sic honoratus a Deo, teipsum taliter inhonoras? » imo Deum ipsum. Qui enim imaginem Dei, qualis est anima cujusque, inhonoras, Deum, cujus ipsa est imago, inhonoras. Unde S. Chrysostomus, hom. 3 *ad Popul.*, ex supplicio eorum qui violarant imaginem Imperatoris, v. g. Theodosii, colligit quam a Deo puniendi sint qui violant ejus imaginem, puta animam proximi : « Quot, ait, Dei imagines non tantum dejecerunt, sed et conculcaverunt? Cum enim reum angas, cum dispolies, cum trahas, cum dejicias, Dei imaginem conculcas. »

Vers. 2. 2. ET ITERUM CONVERTIT ILLUM IN IPSAM, ET SECUNDUM SE VESTIVIT ILLUM VIRTUTE. — Syrus, *induit eum fortitudine.* Deus hominem creavit immortalem, ut, scilicet, quamdiu obediret Dei legi, mori non posset; sed homo per inobedientiam peccans, mortalem, mortisque reum se effecit : quare Deus secundum corpus eum in terram convertit, ut qui Dei legi et imagini præposuerat terram et terrena, in eam rursus converteretur ex qua formatus erat.

Moral. de fabrica hominis.

ET SECUNDUM SE (Græce κατ' ἑαυτούς, id est *secundum ipsos*, puta secundum illorum naturam et conditionem) VESTIVIT ILLUM VIRTUTE. — Græce ἰσχύν, id est, fortitudine et robore, tum corporis, tum animi, *q. d.* Deus dedit homini robur animi et corporis, ipsius naturæ et conditioni conveniens, proportionatum et congruum ad sua munia, tum mentalia, tum corporalia rite obeunda : aliud enim robur requirit bos, equus, leo, etc., aliud homo ; nec enim homo requirit robur bovis et equi, sed humanis officiis accommodatum; *secundo*, τὸ κατ' ἑαυτούς, aliqui vertunt, *contra seipsos induit eos robore*, ut scilicet robuste dominentur suæ iræ et passionibus; *tertio*, Tigurina legit κατ' ἑαυτόν, id est *secundum se;* unde vertit, *induit ipsos virtute sua.* Quod secutus Jansenius : Deus, inquit, secundum se, puta, secundum Deum, vestivit illum virtute. Addit Palacius id fecisse *secundum ipsos*, in plurali, id est, juxta tres personas SS. Trinitatis, quarum homo est imago, quarumque virtutem roburque induit et repræsentat. Sensus est, *q. d.* Deus fecit hominem ad suam imaginem et similitudinem, ideoque similem sibi fortitudinem illi indidit, fecitque ut homo et corpore esset robusto, et animum pariter haberet robustum, quo et omnia perspicere posset, et multa potenter præstare : hac ergo sua fortitudine donavit, decoravit et circumcirca vestivit hominem Deus, ut scilicet, sicut de Deo ait Psaltes *Psal.* LXLII, 1 : « Dominus regnavit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem, et præcinxit se; » et *Psal.* CIII : « Confessionem et decorem induisti : » sic idem dicatur de homine, quod ex communicatione et dono Dei, robore et decore sit circumamictus, tum Adam ipse qui in perfecta ætate, robore, scientia et sapientia creatus est, tum quilibet e posteris ejus. Hoc robur per peccatum accisum est, mansit tamen potiori ex parte. Unde Adam post peccatum robustus et vegetus vivit annos 930, uti et posteri ejus omnes ante diluvium, *Genes.* v. Igitur integra hæc Adæ virtus et robur proveniebat ex justitia originali; per hanc enim, ut ait S. Prosper, lib. II *De Vita Contempl.* cap. XVIII : « Non inquietabat molesta sollicitudo quietum, non fatigabat labor anxius otiosum, non somnus opprimebat invitum, non amittendæ vitæ timor angebat de immortalitate securum. Habebat facilem victum, corpus ex omni parte sanum, tranquillum motum, cor mundum, ignarus pœnalis mali, habitator paradisi, expers peccati, capax Dei, cui orbis erat subjectus, nullus infestus, liber animus, et visibilis Deus. »

Græca concisa hos duos versus conjungunt in unum; sic enim duntaxat habent : *Dominus creavit e terra hominem, rursumque rediget ipsum in eamdem.* Sic et Syrus, *Deus de terra creavit Adamum, et convertendo convertet eum ad medium ejus*, id est, in ipsam. Est hebraismus et syrismus, quo medium rei vocatur res ipsa. Cætera vero, scilicet quod Deus creaverit hominem ad similitudinem suam, et vestiverit eum virtute, postponunt et referunt ad versus sequentes, tam Græca quam Syrus.

Vers. 3. 3. NUMERUM DIERUM ET TEMPUS DEDIT (Syrus, *assignavit*) ILLI. — Tigurina, *attribuit dies numeratos*

statumque tempus hominibus, quia Adam et posteri ejus in paradiso vixissent longam ætatem nobis incognitam, sed a Deo definitam ; post peccatum vero accidit hanc ætatem, scilicet ad 900 annos ante diluvium, post diluvium vero ad 400, mox ad 200, denique ad 100, 80 et 70, in qua perseverat usque ad hæc tempora, juxta illud *Psal.* LXXXIX, 10 : « Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni ; si autem in potentatibus, octoginta anni ; et amplius eorum labor et dolor. » Rursum, in particulari cuique homini Deus definivit numerum annorum et dierum vitæ ; sed eum cuique voluit esse incognitum, ut semper in Dei mortisque metu vitam agat honestam, piam et sanctam, juxta illud *Job.* XIV, 5 : « Breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est; constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt. »

ET DEDIT ILLI POTESTATEM EORUM QUÆ SUNT SUPER TERRAM. — Syrus, *præfecit eos omnibus rebus sapientia sua, q. d.* Suum dominium Deus homini communicavit, ut, sicut Deus dominatur cœlo et terræ, ita homo dominetur animalibus, bestiis, avibus, piscibus totique terræ, quasi Dei vicarius, et vice rex, imo vice Deus. Unde explicans subdit : « Posuit illius terrorem super omnem carnem. » Eximie S. Ambrosius, lib. VI, *epist.* 38 : « Processit, ait, postremus creaturarum omnium homo, specie gratus, mente sublimis, ut omni creaturæ esset miraculo, in quo ad similitudinem æterni Dei νοῦς (id est *mens, animus*) esset æternus, humana specie amictus. Hinc est νοῦς animæ vigor, principatum animæ quasi rector sibi vindicans, quem, etiamsi non vident animalia cætera, tamen reformidant ; sicut nos Deum, quem, quia non videmus, timemus, et eo plus metuimus, quo non videmus. »

Vers. 4. 4. POSUIT TIMOREM ILLIUS SUPER OMNEM CARNEM, ET DOMINATUS EST BESTIARUM ET VOLATILIUM. — Tigurina, *omni animanti terrorem imposuit hominis, ut bestiis dominaretur ac volucribus ;* Syrus, *et injecit timorem eorum omni carni, animali et volatili, q. d.* Quia Deus dedit homini dominium in animalia, feras et aves ; hinc vicissim injecit animalibus, feris et avibus, hominis reverentiam et timorem, ut scilicet hominem quasi dominum suum metuant, eique obediant. Per peccatum accisus est hic animalium timor, æque ac dominium hominis in illa. Cum enim homo inobediens fuit Deo, justo Dei judicio et vindicta, inobedientia sibi sensit pariter animalia, quin et membra propria propriosque appetitus. Non tamen prorsus interiit : jumenta enim sponte obediunt homini, feras homo cogit sibi obedire, easque venando capit. Rursum mansit in nonnullis Sanctis plenum et integrum, qui ad primævam innocentiam accesserunt, qualis fuit S. Paulus, S. Antonius, S. Franciscus et similes. Unde sicut ante peccatum hoc dominium a Deo datum est homini, *Genes.* I, 26, sic post peccatum eidem redditum et confirmatum est, *Genes.* IX, vers. 2. Ad utrumque enim locum respicit, imo utrumque citat hic Siracides. Vide ibi dicta.

Quocirca etiamnum leones hominem verentur, et, si putant se ab hominibus conspici, in fugam se conjiciunt ; quin et tempore cicurantur juxta illud : « Longa dies homini docuit parere leones. » Unde et nonnullos Imperatores triumphasse legimus curru triumphali a leonibus tracto. Pisces hominis umbras vereri et fugere docet S. Basilius, hom. 10 *Hexam.* Elephantes cicurari, hominique in præliis et vectatione servire, docet experientia ; unde Martialis : Feræ domantur ab homine.

> Et molles dare jussa quod choreas,
> Nigro bellua nil negat magistro.

Æthiopes enim fere præsunt elephantis, eosque regunt et ducunt quo volunt. Denique vocem hominis verentur equi, cervi, boves cæteraque animalia ; et, si domestica sunt, illi obsequuntur : sin fera, horrent et aufugiunt. Cetus quoque subditur homini ; licet id neget Theodoretus, Quæst. 20 *in Genes.* Audi S. Basilium, hom. 10 *Hexam.* : « Cetus tam immanis et ferus, nullo prope negotio per hamum tenacius inhærescentem captivus abducitur, hominis ingenio et industria domitus et expugnatus, prædaque factus piscatori, exiguo ingens, immanis imbelli. »

Denique S. Gregorius, lib. XXI *Moral.* XI, ex eo quod ait : Dedit illis (scilicet animalibus, non hominibus) terrorem, colligit hominem licet prælatum, homini subdito non terrori, sed amori esse debere. « Homo quippe, inquit, animantibus, non autem hominibus natura prælatus est, et idcirco dictum est ut ab animalibus, non autem ab hominibus timeatur ; contra naturam enim superbire est, et ab æqualibus velle timeri. » Tyranni ergo vox est : « Oderint, dum metuant. »

5. CREAVIT EX IPSO ADJUTORIUM SIMILE SIBI, — hoc est, ut Tigurina, *formavit ex eo adjutricem similem sibi*, scilicet Evam, quæ quasi uxor adjuvaret ipsum tum in procreandis prolibus, tum in regenda familia reque familiari administranda. Unde apud Romanos prisca erat Romuli lex, teste Dionysio Halicarnasseo lib. II *Roman. Antiquit.*, ita sanciens : « Mulier viro legitime conjuncta, fortunarum et sacrorum illi socia esto ; utque domus ille dominus, ita hæc domina. » Sic et Græci aliique uxores vocabant dominas. Vide Aristotelem, VIII *Ethic.* cap. X, et Tiraquellum in *Leg. connub.* lib V, num. 11 et seq. Unde S. Ambrosius, lib. V *Hexam.* cap. VII : « Non es, ait, dominus, sed maritus ; non ancillam sortitus es, sed uxorem ; gubernatorem te Deus voluit esse sexus inferioris, non præpotentem. Redde studio vicem, redde amori gratiam. Vipera (cum mas ad feminam accedit) venenum suum fundit : tu non potes duritiam mentis deponere ? » Hinc videas et rideas fabulas Platonis in *Convivio*, dum ait : « Tunc temporis tria erant hominum genera, quoniam mas- Vers. 5. Mulieris fabrica.

culum, ipso rerum primordio, solis fœtus erat; femineum, telluris ; utriusque vero sexus particeps, lunæ : utriusque enim lunæ est particeps. Orbiculari vero erant et figura et motu, quia parentum similia; maximis ideo erant et corporis et animi viribus. Diis igitur bellum inferre conati erant, et in cœlum ascendere,» et cætera, e quibus, fabellis fabellas attexens, nugarum catenam contexit. »

Post hæc verba Complutenses addunt, *sextam autem mentem illis donavit dividens, et septimum sermonem* (qui est) *interpretatio operationum ejus,* quasi numeret hic septem dotes homini a Deo inditas. *Prima* est, quod creavit eum ad suam imaginem ; *secunda,* quod vestivit eum virtute ; *tertia,* quod numerum dierum dedit illi ; *quarta,* quod dederit potestatem et dominium omnium terrestrium ; *quinta,* quod ejus terrorem indiderit animalibus ; *sexta,* quod dederit ei mentem ; *septima,* quod dederit ei sermonem. Tigurina vero hæc verba postponunt, subjiciuntque versui sequenti ; sic enim habent, *judicium, linguam, oculos, aures et cor dedit eis ad cogitandum, sexto quoque loco mentem donavit, impertiens, et septimo sermonem operibus suis explicandis, q. d.* Deus dedit homini septem dotes, *primo,* rationem sive judicium ; *secundo,* linguam ; *tertio,* oculos ; *quarto,* aures ; *quinto,* cor ; *sexto,* mentem ; *septimo,* sermonem. Verum hæc verba nec Græci codices Romæ emendati et cæteri, nec Syrus, nec ulli Latini habent ; unde ab aliquo inserta videntur explicationis gratia : nam sermo explicat linguam, mens explicat cor. Adde, dotes homini datas plures hic enarrari quam septem, uti mox ostendam.

CONSILIUM, ET LINGUAM, ET OCULOS, ET AURES, ET COR DEDIT ILLIS EXCOGITANDI, ET DISCIPLINA INTELLECTUS REPLEVIT ILLOS. — Consilium, id est, vim et facultatem consultandi, deliberandi, eligendi. Unde Tigurina vertit, *judicium* dedit illi ; hæc enim vis insita est menti et rationi hominis, qua carent cætera animalia. *Secundo,* dedit illi *linguam,* ut quod mens per consilium deliberavit, id lingua excipiat, proferat, aliisque communicet et explicet, idque voce distincta et articulata ; quare sicut soli homini data est mens et consilium, sive rationis judicium, sic et soli data est lingua sermoque articulatus : bruta enim, quia carent mente, hinc carent et lingua voceque articulata, qua sua phantasmata promant ; nullas enim habent ratiocinationes, nullos discursus, nulla consilia, quæ enuntient ; sed tantum conceptus phantasiæ, et affectus appetitus sensitivi, quos voce inarticulata rugiendo, hinniendo, mugiendo, latrando, satis significant. Loquela ergo in homine est actus effectusque rationis et consilii, ideoque ejusdem index et interpres.

Addit *oculos* et *aures,* quia hi sunt sensus consilii et disciplinæ. Unde sicut solus homo habet conceptus distinctos in mente, et voces articulatas in lingua : sic et easdem solus percipit habetque in auribus, ac per eas disciplinas omnes percipit. Idem dico de oculis : iis enim legi voces articulatas scripto consignatas, quibus disciplina omnis in libris chartisque conscripta legitur.

Denique dedit homini soli *cor,* id est, intellectum et ingenium *excogitandi* omnes artes et disciplinas. Unde Syrus vertit, *creavit os et linguam, oculos et aures, et cor ad intelligendum.* Atque hac ratione disciplina intellectus, id est, ut alii vertunt, *scientia intelligentiæ,* qua scilicet res quaslibet intelligit, et intellectu comprehendit, *replevit illos.* Adde, Deum Adamo in creatione infudisse scientiam omnium rerum naturalium : ex hac enim Adam omnibus avibus et animalibus congrua indidit nomina, quæ singulorum naturam exprimerent, uti dixi *Genes.* II, vers. 19 et 21.

Mira fabrica singulorum hominis membrorum.

Porro mirum artificium, æque ac beneficium Dei elucet in hisce membris : lingua enim, *primo,* discernit sapores omnis generis, atque ex iis noxios cibos dignoscit et respuit, commodos vero utilesque secernit et accipit ; *secundo,* lingua curat vulnera, uti videmus canes lingendo suas hominumque plagas sanare ; *tertio,* lingua vocem edit non tantum confusam in brutis, sed et articulatam in hominibus. Unde Cicero, lib. II *De Natura deor.,* linguam vocat plectrum oris, chordas vero dentes. Et S. Ambrosius. lib. VI *Hexam.* cap. IX : « Lingua, ait, non solum in loquendo, sed etiam in edendo munus pretiosissimum est : ea enim velut plectrum loquentis et quædam edentis est manus, quæ defluentem cibum dentibus suggerit ac ministrat. » Porro in homine lingua est mollis et versatilis, ideoque infinitas vocum varietates, tonos et melodias edere potest. Unde subdit S. Ambrosius : « Soli homines ore exprimimus quæ corde sentimus ; itaque cogitationes tacitæ mentis oris sermone signantur. Quid est igitur os hominis, nisi quoddam sermonis aditum, fons disputationis, aula verborum, promptuarium voluntatis ? Absolvimus velut quamdam humani cordis regiam, in qua licet sit quædam quantitas portionis, forma tamen universitatis est. » Et Cicero loco citato : « Hac, ait, cohortamur, hac persuademus, hac consolamur afflictos, hac deducimus perterritos a timore, hac gestientes comprimimus, hac cupiditates iracundiasque restringimus : hæc nos juris, legum, urbium societate devinxit ; hæc a vita immani et fera segregavit. » Oculi sunt in homine quod in cœlo sol et luna, quod in terra fontes. Unde Hebr. עין *ain* et oculum et fontem significat ; quod enim in terra est fons, hoc in homine est oculus, ut instar fontis juges lacrymarum imbres ad Deum effundat. Porro Deus « lubricos, inquit Cicero loco citato, oculos fecit et mobiles, ut declinarent, si quid noceret, et aspectum quo vellent facile converterent, » eosdemque introrsum locavit, ut et fronte ac superciliis tegerentur, ne pulvere aliave re læderentur. Unde S. Ambrosius,

loco citato : « Inter hæc, ait, medii sunt oculorum orbes, et tuti ad cavendum, et ad intuendum liberi, et decori ad gratiam, utpote in crystalli speciem refulgentes; in quorum medio pupillæ sunt, quæ videndi munus operantur, etc. Unde tutum auxilium postulans Propheta *Psalm.* XVI, ait : Custodi me, Domine, ut pupillam oculi, ut protectionis divinæ fieret ei tam sollicita et tam fida custodia, quàm pupillam oculi tutissimo quodam naturæ vallo munire dignatus est. » Quare oculos dici quasi occultos, quos scilicet Deus tot tegminibus occuluit, censet Varro apud Lactantium, *De Opif. Dei*, cap. X. Aures omnes sonorum, etiam articulatorum, species, eorumque sensa et significata percipiunt. Unde in homine auditus est sensus disciplinæ. Vox autem per aures sinuatis meatibus progreditur ad auditum, « ut in earum finibus, ait ibidem S. Ambrosius, repercussa, sine offensione interiores ingrediatur anfractus. Nam nisi ita esset, quis non ad omnem fortioris vocis sonum attonitus redderetur? etc. Sinuatio autem interiorum aurium modulandi quemdam numerum præstat, et disciplinam : siquidem per anfractus aurium quidam rhythmus efficitur, et modulis quibusdam ingressæ sonus vocis exprimitur. » De hoc cæterisque hominis membris, miraque eorum fabrica, officiis et usibus, vide ibidem S. Ambrosium, S. Basilium, Ciceronem, ac Galenum et Aristotelem, *De Partibus animal.*; Plinium, lib. XI, cap. XXXVII; Lactantium, lib. *De Opificio Dei*, cap. VIII, et sequent., et alios.

Dotes hominis quatuordecim stimuli virtutis.

Nota : Siracides hic quatuordecim dotes a Deo homini inditas assignat, ut ex singulis peculiarem obligationem illiciat, quæ hominem exstimulet ad Dei cultum et obsequium.

Prima vers. 1 est, quod Deus crearit hominem de terra; ergo homo ut creatura, totum quod est, debet suo Creatori : illud igitur illi impendat et offerat. Rursum, memor suæ originis et vilis materiæ, profunde se sub Deo humiliet. Utquid enim superbit terra et cinis? utquid superbit nihilum? homo enim ex nihilo creatus est, ac ex se nihil est, et in nihilum quolibet momento rediret, si Deus ab eo manum suam subduceret.

Secunda, quod Deus crearit hominem ad suam imaginem et similitudinem. Jugiter ergo hanc imaginem intueatur, videatque cujus sit imago, ac consequenter Deum quasi exemplar suum semper respiciat, illi se moresque suos assimilare satagat, ut ejus sanctitatem plane referat, Deusque in ejus anima quasi in viva imagine resplendeat. « Animam nostram commendavit nobis Deus, servemus depositum quale accepimus, » ait S. Antonius apud S. Athanasium.

Tertia, vers. 2, quod Deus rursus convertet hominem in terram ex qua sumptus est; ergo homo terrena ut caduca contemnat, ac ad mortem brevi venturam sobrie, pie et juste vivendo se præparet.

Quarta, quod suam virtutem et robur Deus homini contulerit; utatur ergo homo robore corporis ad agriculturam, artes mechanicas aliosque labores honestos, ac robore animi ad resistendum mundo, carni et dæmoni.

Quinta, vers. 3, quod numerum annorum et dierum vitæ illi assignarit, eumque brevem et exiguum : ergo homo singulos annos, dies, horas, imo momenta recte expendat, ac merita bonorum operum acquirat, quia inde vivere debet per omnem æternitatem, præsertim quia hic numerus homini est incognitus. Dicat itaque sibi quotidie : Forte hodie moriar; vivam ergo sancte et ferventer quasi hodie moriturus. « Cur non ad lucranda regna cœlestia ultro relinquimus, quod lucis istius fine perdendum est? nihil eorum curæ sit Christianis, quæ secum auferre non possunt, » ait S. Antonius.

Sexta, vers. 3, quod dederit illi dominium animalium et terræ totius; eo ergo utatur juxta voluntatem Dei, qui hoc dominium illi contulit, ejusque administrati rationem exactam ab eo repetet.

Septima, vers. 4, quod animalibus et avibus indiderit erga hominem reverentiam et obedientiam; eamdem ergo præstet homo Deo ac Domino suo.

Octava, vers. 5, quod Adæ dederit sociam, scilicet uxorem Evam, copulando eos matrimonio. Homo ergo, qui sui juris est, matrimonium cum ea quam volet ineat, illudque prout a Deo institutum ac sancitum est, sancte et inviolabiliter colat, nec ad scorta, aliasque vagas et innaturales libidines declinet.

Nona, vers. 5, quod dederit homini consilium, linguam, oculos, aures et cor; ergo utatur consilio, ut prudenter eligat quod eligendum consulit, suadetque recta ratio et fides; utatur lingua, ad Dei laudem; oculis, ut videat creaturas, in iisque intueatur et celebret Creatorem; auribus, ut audiat verba Dei et Sanctorum; corde, ut amet Deum, illudque integrum et purum reddat factori suo.

Decima, vers. 6, quod dederit homini fidem et scientiam; fide ergo credat in Deum, scientia contempletur opera ipsius, ut ex eis opificem agnoscat, laudet, celebret, glorificet. Unde S. Ambrosius, lib. *De Instit. virg.* cap. XI : « Cur, inquit, sæculo potius laboramus, et fraudamus animam nostram tantæ bonitatis dispendio, qui nulli alii nisi huic Domino servire deberemus? »

Undecima, vers. 9, quod dederit eis legem vitæ; legi ergo per omnia obediat, ut vitam præsentem et æternam consequatur.

Duodecima, vers. 10, quod cum eis inierit pactum de danda eis hæreditate sua, et regno cœlesti, si voluntatem ejus adimpleant; igitur voluntati Dei se super omnia conforment, ut ejus hæreditatem et regnum adipiscantur.

Decima tertia, vers. 14, quod cuique genti præ-

posuerit rectores, tum angelos, tum homines; illorum ergo regimen ductumque sequantur, ut ab eis non castigari, sed honorari mereantur. Rursum quod fideles et Sanctos Deus ipse per se suamque gratiam regat. A Deo ergo possideri regique se sinant, imo assidue orent et ambiant, dicantque cum Psalte: « Ut jumentum factus sum apud te. » Præclare S. Gregorius Nazianzenus, *orat.* 42, hominem hisce epithetis velut elogiis circumscribit: « Verbum artifex, inquit, hominem fabricatur velut alterum quemdam mundum, in parvo magnum; in terra collocat angelum alium, mixtum adoratorem, visibilis naturæ spectatorem, intellectualis mystem, eorum quæ in terra sunt regem; superis autem subditum, terrenum et cœlestem, caducum et immortalem, visibilem et intelligibilem, medium inter magnitudinem et humilitatem, eumdem spiritum et carnem, etc., animal animi ad Deum nutu et propensione, divinitatem consequens. »

Vers 6 Scientia spiritus quæ? Respondeo primo.

6. CREAVIT ILLIS SCIENTIAM SPIRITUS, SENSU IMPLEVIT COR ILLORUM, ET MALA ET BONA OSTENDIT EIS. — Quæres, quænam est scientia spiritus data homini a Deo? *Primo*, Lyranus *scientiam* proprie accipit pro cognitione conclusionum quæ e suis principiis demonstrantur; per *spiritum* accipit intellectum, qui est habitus principiorum, quo cognoscuntur ipsa principia scientiarum; *scientia* ergo *spiritus*, est scientia sive demonstratio, quæ e suis principiis per intellectum cognitis educitur, et clare cognoscitur.

Secundo, Palacius, per *disciplinam intellectus* quæ præcessit, accipit scientiam naturalem; per *scientiam spiritus*, omnem theologiam, *q. d.* Deus indidit Adæ fidem principiorum Theologiæ, et inde scientiam conclusionum: hæc enim est scientia spiritus; fuit igitur Adam doctissimus philosophus, et absolutissimus theologus. Rursum dedit ei *sensum*, id est, acumen et profunditatem ingenii, quo omnia quæ illi infusa erant, profundissime intelligebat. Denique bona et mala ostendit eis, id est, ostendit illis splendorem boni, et fœditatem mali. Non uti nos, qui bona et mala audimus, sed pulchritudinem illorum, et horrorem istorum ignoramus; at Adam et Eva, pondera illorum et istorum cognoscentes, peccarunt. O ingentem miseriam! Hec Palacius. Vide D. Thomam et Scholasticos I part., *Quæst.* XCIV, art. 3 et seq., ubi docent quanta et quam excellens fuerit scientia Adæ a Deo infusa.

Tertio.

Tertio, Jansenius per *spiritum* accipit mentem, *q. d.* Dedit homini scientiam mentis, quia per infusum lumen naturale dedit ei cognitionem prudenter disponendi temporalia, et per impressam menti eorum legem naturalem, agnoscendi quid malum et quid bonum esset.

Quarto.

Quarto, proprie et genuine *scientia spiritus* est scientia rerum spiritalium, puta cognitio Dei, angelorum, virtutum, gratiæ, gloriæ. Talis scientia est fides, sapientia, theologia, ac præsertim sacra ac fidelium ethica, quæ spiritum hominis docet, dirigitque ad Dei cultum et ad beatitudinem cœlestem. Hæc enim est *scientia spiritus*, id est spiritalis, quam distinguit a *disciplina intellectus*, id est, intelligentiæ naturalis. Unde et subdit: «Et sensu,» id est, prudentia qua sapiant, et quasi sentiant res spiritales; « implevit cor illorum, et mala et bona ostendit eis: » *mala*, scilicet tam culpæ, quam pœnæ et gehennæ; *bona*, tam virtutis et sanctitatis, quam gloriæ et felicitatis, *q. d.* Ostendit eis quanta mala maneant male agentes, et quanta bona bene viventes. Et hoc sensu Christus et Paulus accipiunt nomen *spiritus* pro fide, gratia cæterisque rebus spiritualibus, ut *Joan.* cap. VI, 64: «Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam. » *Galat.* V, 22: « Fructus spiritus est charitas, gaudium, pax, » etc. Et vers. 16: « Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis. » *Rom.* VIII, 6: « Prudentia carnis mors est, prudentia autem spiritus vita et pax. »

Dicitur hæc scientia spiritus ob quatuor rationes, juxta quatuor genera causarum: *primo*, a materia et causa materiali, quia ejus objectum et materia sunt res spiritales; *secundo*, a causa efficienti, quia eam efficit et inspirat Spiritus Sanctus; *tertio*, a causa formali, quia ipsa in se spiritalis est et divina, mentemque hominis spiritalem efficit et divinam; *quarto*, a causa finali, quia tendit ad finem spiritalem, puta ad consecutionem virtutum, gratiæ et gloriæ, atque ad ipsam Dei visionem quasi ad suum finem et beatitudinem æternam. Porro hanc scientiam spiritus Deus inchoate dat omnibus fidelibus, perfecte vero solis justis et sanctis, qui orando eique cooperando illam totis viribus ambiunt. Hinc ait: « Creavit illis scientiam spiritus; » creavit, id est, creando eis indidit. Rursum, non e potentia subjecti, puta mentis, illam quasi generando, naturaliter eduxit, sed supernaturaliter quasi creando inspiravit. Porro Græca concisa hæc tantum habent, *scientia intelligentiæ replevit eos, et bona malaque ostendit eis;* Tigurina, *replevit illos ingeniosa scientia, et eis bona simul et mala indicavit*; Syrus, *sapientia et consilio replevit cor eorum, bonum et malum docuit eos.*

Vers 7 et 8.

7 et 8. POSUIT OCULUM SUUM SUPER CORDA ILLORUM, OSTENDERE ILLIS MAGNALIA OPERUM SUORUM, UT NOMEN SANCTIFICATIONIS COLLAUDENT, ET GLORIARI IN MIRABILIBUS ILLIUS, UT MAGNALIA ENARRENT OPERUM EJUS. — Rabanus, Lyranus et alii legunt, *posuit oculum ipsorum*, quod sic explicat Lyranus: Dedit intellectui hominum virtutem super se reflectendi, ad ostendendum illis magnalia operum suorum. Per hoc enim quod anima intellectiva est super se reflexiva, maxime proficit in scientia. Verum legendum est cum Romanis, Græcis et Syro, *posuit oculum suum*. Per *oculum* intelligit tum curam et providentiam Dei, uti ostendi *Jerem.* I, 11; tum ejusdem illuminationem: utriusque enim symbolum est oculus. Dei enim oculus, quia lucidissi-

mus et fulgidissimus, omnia illuminat, declarat, conspicua et perspicua facit, juxta illud *Proverb.* XXII, vers. 12: « Oculi Domini custodiunt scientiam. » Et *Eccli.* XI, 13: « Oculus Dei respexit illum. » *Eccli.* XXXIV, vers. 19: « Oculi Domini super timentes, etc., exaltans animam, et illuminans oculos. » *Psal.* LXVI, 2: « Dominus misereatur nostri, et benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos. » *Psalm.* CXVIII, 135: « Faciem tuam illumina super servum tuum. » *Psal.* XXXII: « Firmabo super te oculos meos. » Hinc septem oculi sunt septem Angeli mundi directores et gubernatores, *Apoc.* V, 6, et *Zachar.* XI, 10. Sic Job cap. XXIX, ait: « Oculus fui cæco, et pes claudo. » Et Salomon *Proverb.* XXIII: « Oculi tui vias meas custodiunt. »

Sensus est, *q. d.* Deus sua scientia et gratia quasi oculo fulgidissimo illustravit corda hominum, ut per eam ostenderet magnalia operum quæ fecit, tum in creatione et gubernatione mundi, tum in singulari sua providentia quam exhibuit Abrahæ, Isaac, Jacob, Noe, Mosi, cæterisque Patriarchis et Prophetis; tum in protectione vel punitione populi sui: v. g. miram suam potentiam, qua per tot plagas et portenta eduxit Israelitas ex Ægypto sicco pede per mare Rubrum, ibique per quadraginta annos deduxit per columnam ignis noctu, et nubis per diem, ac pavit eos manna, cibo cœlesti, etc. Porro hæc ostendit hominibus ad hoc, ut fideles ex illis nomen sanctificationis, id est, sacrosanctum Dei nomen, collaudent; et glorientur apud fideles Judæos, et apud Gentes infideles, de hisce mirabilibus Dei sui prodigiis et facinoribus, ut eorum magnalia eis enarrent, itaque eos ad Dei timorem, amorem et cultum invitent et pelliciant. Unde Tigurina vertit, *adjecit ad corda eorum oculum suum, ut edoceret eos operum suorum magnificentiam; dedit his gloriari mirabilis suis perpetuo, ut prudenter enarrent opera ipsius, et electi nomen sanctum ejus collaudent;* Syrus, *cor ad intelligendum assignavit illi, ut ostenderet ei præstantiam operum suorum, ut intelligeret prodigia sua, et essent narrantes in mundo timorem ejus, et nomen sanctitatis ejus essent glorificantes.*

Alludit ad pueros et servos qui jugiter intuentur oculum magistri et heri, eoque docentur et diriguntur; quocumque enim vident ferri oculum magistri et heri, eodem ipsi suos convertunt, illud legunt, discunt, faciunt, exsequuntur. Quare oculus magistri regit puerum, oculus domini saginat equum. In oculis enim magistri videntur sibi videre et legere nutum, mentem, doctrinam, voluntatem, imperium, iram, favorem, vindictam ipsius. Oculus ergo magistri docet eos, quid ipse cogitet et velit.

Allegorice, Palacius (licet ipse id putet esse litterale) per *magnalia* accipit Verbi incarnationem, puta Jesum Christum; magnalia enim exhibita Abrahæ, Isaac, Jacob, Noe, Mosi, etc., figuræ fuerunt repræsentantes magnalia Christi. Deus, inquit, ut ostenderet suum erga homines amorem, statuit ostendere illis magnalia operum suorum. Et quia inter omnium operum magnalia maximum est opus incarnationis Verbi, ideo hinc videtur probari Adamum novisse Filii Dei incarnationem. Qua de causa dixit: « Relinquet homo patrem, et adhærebit uxori suæ; » inde enim erat Filius Dei carnem sumpturus, scilicet ex patribus, qui ex Eva erant nascituri. Porro quod ait: « Ut nomen sanctificationis collaudent, » Hebræi referunt ad nomen Dei tetragrammaton, quod revelavit Deus Adæ. Ita Reuchlinus. Sed melius diceretur, quod Filius Dei revelavit suum nomen Jesus, in quo sanctificamur. Si enim incarnationem Deus revelavit, nonne facile erat et consequens nomen incarnati revelare? Subdit: « Et gloriari in mirabilibus. » Ita plane si Deus hominibus suam incarnationem revelavit, habent homines de quo plane gloriari possint. Quid enim gloriosius quam talem fratrem habere? Si gloriosum est ejus stigmata in corpore portare, nonne gloriosum fratrem esse? Sed quia scriptum est: « Qui gloriatur, in Domino glorietur; » ideo subdit: « Ut magnalia enarrent, » id est, glorientur homines de Deo homine; sed eam gloriam in Deum tantarum rerum operatorem rejiciant. Et hactenus de hominis in lege naturæ institutione. Hæc Palacius.

Vers. 9 et 10.

9 et 10. ADDIDIT ILLIS DISCIPLINAM, ET LEGEM VITÆ HÆREDITAVIT (quasi hæreditatem contulit, aut potius hæreditare fecit) ILLOS; TESTAMENTUM ÆTERNUM CONSTITUIT CUM ILLIS, ET JUSTITIAM ET JUDICIA SUA OSTENDIT ILLIS. — Undecimum est hoc Dei in homines beneficium, scilicet, quod per Mosen dederit Israeli, et per eum cæteris gentibus legem, quam vocat *disciplinam*, Græce ἐπιστήμην, id est *scientiam*, tum quia lex homines quasi discipulos docet, qua ratione honeste vivere debeant; tum quia eorum mores et passiones disciplina rectæ rationis coercet, format et componit; tum quia instar disciplinæ castigat hominum vitia, eisque meritas pœnas intentat, ac metu earumdem a peccatis refrenat. Lex enim est disciplina homini, sicut frenum est disciplina equo, docens eum in quam partem progredi debeat.

Secundo, dicitur *lex vitæ* quia præstat vitam præsentem felicem et longævam (hæc enim a Deo promissa erat Judæis legem servantibus), ac futuram beatam et æternam.

Pactum Dei cum homine.

Testamentum significat pactum et fœdus, quod cum Hebræis per Mosen pepigit Deus de danda eis terra promissa, si eum colerent, ejusque legem servarent. Quare in testamento comprehenditur Dei latria, et cultus ab ipso præscriptus per leges cæremoniales de sacrificiis, lustrationibus, oblationibus, decimis, primitiis, votis, etc.; sicut per *judicia* intelliguntur leges judiciales, quæ jus fasque respectu proximi præscribebant; et sicut per *legem* et *disciplinam* intelligitur lex naturalis,

sive moralis Decalogi. Hic ergo denotat triplices leges veteris Testamenti, scilicet morales, cæremoniales et judiciales.

Dicitur *testamentum* hoc *æternum*, quia diu duraturum, scilicet toto tempore Judaismi, sive Legis veteris, usque ad Christum. Fuit ergo æternum non absolute, sed respectu sui status, suæque legis cui semper adhæsit. Adde præcepta moralia Decalogi esse æterna: unde etiamnum Christianos obligant. Cæremonialia vero et judicialia æterna sunt, non in se, sed in rebus novi Testamenti, quas adumbrabant et significabant. Vide dicta canone 4 *in Pentateuchum*. Hinc dicitur quod « Deus hæreditavit illos legem, » id est, ut Complutenses, *per hæreditatem dedit eis legem;* et, ut alii, *fecit Hebræos possidere legem quasi hæreditatem eis propriam, et ad posteros transmittendam,* tum quia dedit eis legem semper duraturam, quæ instar hæreditatis a patribus ad filios, et ab iis ad nepotes, continua et perpetua successione transiret; tum quia in lege habebant omnia bona: in lege enim eam servantibus promittebatur firma possessio terræ promissæ, abundantia frumenti, vini et olei, omnisque rerum copia. Unde Tigurina vertit, *scientiam addidit eis, legemque vitæ tradidit hæreditatem, ut se mortales esse cognoscerent* (quæ verba habet quoque Complutensis, sed Noster ea delet); *pactum cum ipsis iniit æternum, et eos jura sua edocuit;* Syrus, *posuit coram eis pacta, et leges vitæ docuit eos; fœdus sæculi pepigit cum eis, et judicia sua ostendit eis.* Porro quantum bonum et beneficium Dei sit lex, fuse docet Moses *Deuter.* IV, 7 et sequent.; *Psal.* XVIII, vers. 8 et seq. Vide quoque quæ notavi *Levit.* XXIII, 17. Quocirca David hoc admirans et celebrans *Psal.* CXLVII: « Non fecit, inquit, taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis. » Et Baruch, cap. IV, vers. 1: « Hic liber mandatorum Dei, et lex, quæ est in æternum: omnes qui tenent eam, pervenient ad vitam; qui autem dereliquerunt eam, in mortem. »

Vers. 11. 11. ET MAGNALIA HONORIS EJUS VIDIT OCULUS ILLORUM, ET HONOREM VOCIS AUDIERUNT AURES ILLORUM, — *q. d.* Hebræi, cum daretur eis lex in Sina, oculis suis viderunt honorificam et gloriosam Dei legislatoris magnificentiam et honorem, id est, majestatem vocis divinæ auribus audierunt: videbant enim totum montem Sina fumantem, trementem et ardentem; audiebant tonitrua, buccinam et vocem tubalem Dei proclamantis Decalogum, *Exodi* XIX et XX. Unde clare Græca habent, *magnificentiam gloriæ viderunt oculi eorum, et gloriam vocis ejus* (male aliqui legunt, *eorum*) *audivit auris illorum;* Syrus, *gloriam laudis ejus viderunt oculis suis, et honorem sermonis ejus audierunt auribus suis.* Nam, ut ait Palacius, opus datæ legis a Deo fuit summe honorificum et gloriosum; eo enim Dominus honorem et gloriam sibi conciliavit apud Judæos, ac vicissim quantum eos vellet honorare demonstravit.

12. ET DIXIT ILLIS: ATTENDITE AB OMNI INIQUO (Græce ἀδίκου, id est *injusto*), ET MANDAVIT ILLIS UNICUIQUE DE PROXIMO SUO. — Hæc enim est summa et compendium secundæ tabulæ Decalogi, quem Deus per Angelum ex Sina proclamavit, nimirum nil injusti facere proximo, sed ei jus suum tribuere, puta debitum tam justitiæ, quam charitatis. *Secunda* enim tabula Decalogi, septem continens præcepta, tota spectat ad proximum, vetatque ne quid injustitiæ in bonis, fama, uxore et vita ei inferatur, sed omne eorum jus integrum illi inviolatumque conservetur. Primæ tabulæ præcepta de Deo colendo omittit, quia illa omnibus sunt nota, et quia illa satis insinuavit vers. 10, dicens: « Testamentum æternum cenſtituit cum illis, » utique non de alio quam de sui cultu, ut paulo ante dixi. Denique præcepta primæ tabulæ tacite comprehenduntur in secunda, quia amor proximi, in secunda præscriptus, manat ex amore Dei, qui prima præscribitur, eumque præsupponit. Hinc Apostolus totam legem ait contineri in dilectione proximi, *Roman.* XIII, 9. Vide ibi dicta. Quocirca Vatablus clare vertit, *ab omni injusto,* inquit, *abstinete, et de proximo mandata dedit singulis;* Syrus, *et dixit eis: Cavete, et ne mentiamini* (fallatis, fraudetis), *et præcepit eis viro,* id est *cuique, super proximo suo.* Vers. 12.

13. VIÆ EORUM CORAM ILLO SUNT SEMPER, NON SUNT ABSCONSÆ AB OCULIS IPSIUS. — Syrus, *viæ eorum coram eo manifestæ sunt, et non transeunt a conspectu faciei ejus, q. d.* Deus dedit Hebræis legem, non abstrahens se a cura illorum, quasi non curans an legem servent necne; sed jugiter attendit, advigilat, inspicit an ei obsequantur, ut observantes præmiet, non observantes puniat: hoc enim est officium perfecti legislatoris. Reliquas gentes quibus legem non dedit, non adeo curat Deus, quomodo vivant. Unde de iis subdit: « In unamquamque gentem præposuit rectorem, et pars Dei Israel. » Hinc et pathetice suis legem suam prævaricantibus insultat *Jerem.* VII, 11, dicens: « Ego, ego sum; ego vidi, dicit Dominus. » Vers. 13.

Secundo tamen, hanc sententiam accipias de omnibus hominibus. Unde Tigurina vertit, *semper illi patent instituta hominum, nec oculos ipsius latuerint.* Sicut enim Deus generalem habet providentiam omnium hominum, sic et inspectionem; sed peculiarem Israelis, sive populi fidelis. Alludit ad *Proverb.* XVI, 2: « Omnes viæ hominis patent (aliqui vertunt, *vitreæ sunt,* id est, pullucent instar vitri) oculis ejus; » de quo plura ibidem.

Vers. 14 et 15. 14 et 15. IN UNAMQUAMQUE GENTEM PRÆPOSUIT RECTOREM, ET (sed) PARS DEI ISRAEL FACTA EST MANIFESTA, — *q. d.* Aliæ gentes homines habent rectores, at Israel regem habet Deum; Deus aliis gentibus præfecit reges et principes, qui eas suis legibus regant; at « Israel, » id est, populus Hebræus, « facta est pars, » id est hæreditas, « Dei manifesta, » quia Deus per se Israelem voluit regere, eique per se legem dare. Quare Israel est

regnum, respublica et populus peculiaris Dei. Unde Deus cum eo habitabat, residens in propitiatorio super arcam, indeque edens oracula, ac inambulabat inter illum, ut merito eos pudere debuerit coram Deo præsente peccare.

Addit τὸ *manifesta, q. d.* Manifestum est non soli Israeli, sed toti mundo, quod Israel sit populus, pars et regnum Dei, quia omnes vident illum a Deo regi, amari, protegi, assiduis beneficiis, quin et oraculis ac miraculis ornari; omnes vident Deum Israelem a cæteris gentibus, per legem et religionem, suique cultum separasse, illumque sibi selegisse et astrinxisse. Quare non est quod cum Jansenio, contra omnium codicum fidem, τὸ *manifesta* referamus ad versum sequentem, hoc modo : « Manifesta omnia opera eorum velut sol in conspectu Dei. »

Secundo, Rabanus, Lyranus et Glossa recte (licet id neget Jansenius) per rectores intelligunt Angelos, *q. d.* Deus cæteris gentibus præfecit Angelos, qui eos regant; Israelem vero sibi regendum servavit, juxta illud *Deuter.* cap. XXXII, vers. 8, secundum Septuaginta, *statuit terminos gentium secundum numerum Angelorum Dei.* Unde et *Daniel.* cap. X, vers. 21, princeps Persarum et princeps Græcorum inter se confligere dicuntur.

Dices : Deus Israelem regit quoque per Angelum ei præpositum, puta S. Michaelem; hic enim olim præpositus fuit Synagogæ, uti nunc est Ecclesiæ, *Daniel.* X, 21.

Respondeo, S. Michael regebat Synagogam, et nunc regit Ecclesiam, quasi peculium sive regnum proprium et peculiare Dei : populus enim fidelis, qualis erat Hebræorum, Deo per fidem, legem et religionem obstrictus, est respublica propria Dei. Hunc ergo regit S. Michael quasi vicarius Dei, in regno Dei proprio et primo, quod est Ecclesia : cæteri vero Angeli regunt suas gentes, utpote infideles, quasi regnum Dei spurium et rebelle, utpote ab ejus lege, fide et cultu abhorrens. Sic rex Hispaniarum proprie regit Hispanias per se suamque præsentiam, subordinando sibi prætores, gubernatores, etc. Indias vero cæteraque regna regit per vicereges. Sic Pontifex regit Romam, quasi proprius hujus urbis Episcopus : alias vero urbes et provincias regit quasi Pontifex totius Ecclesiæ, per proprios Episcopos, quos eis præficit; Infideles vero regit per viros Apostolicos, qui prædicent Evangelium, eosque ad Ecclesiam alliciant. Adde, Deus sæpe per se immediate regit Ecclesiam, ut in Sacramentis quibuslibet : quoties enim Sacramentum aliquod confertur, Deus immediate recipienti illud infundit gratiam : hanc enim infundere nequit Angelus.

Rursum quoties suscitantur mortui, vel fiunt miracula, Deus per se illa operatur : illa enim operari nequit Angelus. Miraculum enim est et dicitur opus, quod omnem vim naturalium agentium, etiam Angelorum, excedit, ideoque vim divinam requirit : ac proinde est opus supernaturale et proprium Deo.

Hoc est quod Moses ait *Deuter.* VII, 6 : « Te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris, de cunctis populis qui sunt super terram. » Et cap. XXXII, 9 : « Pars Domini populus ejus, Jacob funiculus hæreditatis ejus. » Et *Exodi* cap. XIX, 5 : « Eritis mihi in peculium de cunctis populis; mea est enim omnis terra. Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale, et gens sancta, » ut ego sanctus, sim quasi proprius rex vester. Quocirca Samuel Hebræis postulantibus regem, I *Reg.* VIII, vers. 7, audit a Deo : « Non te abjecerunt, inquit, sed me, ne regnem super eos. » Unde Josephus, lib. II *Contra Apion.*, cum gentes regi vel monarchia vel aristocratia vel democratia docuisset, subdit Israelem regi theocratia, puta a Deo : « Noster, inquit, legislator in nullam harum administrationum intendens, theocratiam instituit, uni imprimis Deo imperio atque potestate assignata. »

Porro Complutenses et Tigurina nonnulla addunt, quibus caret Latina Vulgata; sic enim habent, *omnis homo a juventute ad mala intentus est, nec potuit cor eorum e lapideo fieri carneum; nam in distribuendis totius terræ gentibus ducem cuique genti constituit, et Israelem sibi deligit peculiariter, quem ut primogenitum disciplina educat, et lumen charitatis impertiens non deserit;* Syrus vero, Latino consentiens, vertit succincte, *omnibus populis constituit præpositos, et pars Domini Israel;* pars, id est, portio hæreditaria, sive hæreditas.

Tropologice Rabanus : « Pars Dei Israel facta est manifesta, hoc est, congregatio Sanctorum probata, quorum dogmata lucent sicut sol in conspectu Dei, et actiones Deo sunt placitæ. Oculi enim Domini super justos, et aures ejus ad preces eorum : quoniam oculi eorum ad Dominum intendunt, et amor cordis eorum anhelat. Ex quorum persona Propheta loquitur dicens : Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos. » Hi sunt Israel, quia dominantur vitiis, passionibus, sibi, indeque Deo. Sicut enim Jacob, id est supplantator, scilicet Esau fratris sui, id est carnis suæ, deinde dictus est Israel, id est, dominans Deo, quia in lucta prævaluit angelo Dei, *Genes.* XXXII, 28 : sic pariter Sancti post victoriam et dominium passionum, quasi dominantur ipsi Deo, ut ab eo impetrent quæcumque volunt. Tropolog. pars Dei Israel, quæ?

16. ET OMNIA OPERA ILLORUM VELUT SOL IN CONSPECTU DEI; ET OCULI EJUS SINE INTERMISSIONE INSPICIENTES IN VIIS EORUM. — Inculcat id quod dixit vers. 13, *q. d.* Omnia opera Israelis, puta Israelitarum singulorum, tam bona quibus servant legem Dei, de quibus dicet vers. 18, quam mala quibus eam violant, de quibus dicet vers. seq., clara sunt et manifesta in conspectu Dei, sicut sol clarus et manifestus est toti mundo, idque non ex se, quasi hæc claritas eis sit intrinseca et connaturalis; sed ex Deo, quia scilicet illuminantur a claritate Dei, et ab oculis ejus lucidissimis, qui Vers. 16.

jugiter illuminant et inspiciunt omnes vias, id est, actiones eorum : sicut terra et aer clara sunt, non ex se intrinsecus, sed quia extrinsecus illuminantur a sole. Unde potius dicendum est quod Deus sit sol omnia illuminans et intuens, quam quod opera hominum sint lucida ut sol, uti audiemus cap. XXIII, vers 28. Ita Lyranus et Jansenius hæc adaptant soli Israeli.

Potest, *secundo*, hæc sententia accipi de Gentibus, *q. d.* Esto Dei pars sit Israel, quem peculiari providentia inspicit, regit et curat : tamen communi providentiæ oculo aspicit omnes gentes, eorumque tam mala quam benefacta intuetur, ut illa puniat, hæc præmiet. Unde Tigurina vertit, *quapropter omnia illarum* (gentium) *facta tanquam sol palam eo sunt, et instituta earum intuetur oculis assidue ;* Syrus vertit ut Noster, *omnia opera eorum sicut sol apparent in conspectu ejus, et manifesta sunt ei omnia consilia eorum.*

Tertio, nonnulli hæc de bonis Israelis operibus accipientes explicant, *q. d.* Quia Deus Israelem sibi elegit in partem, sortem et hæreditatem, hinc opera ejus, qua Israelis, id est, qua fidelis est et pius, tam libenter videt, quam solem videmus : gratissimus ei illorum est aspectus. Sic de Salomone dicitur *Psal.* LXXXVIII, 37 : « Thronus ejus sicut sol in conspectu meo, » ut in æternum coram me fulgens oculos meos oblectet. Et inferius cap. L, 7, de Simone : « Quasi sol refulgens, sic ille effulsit in domo Dei. » Et cap. XXVI, 11 : « Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus ejus. »

Vers. 17. 17. NON SUNT ABSCONSA TESTAMENTA PER (perperam Complutenses et multi pro *per* legunt *super ;* alii, *propter*) INIQUITATEM ILLORUM, ET OMNES INIQUITATES EORUM IN CONSPECTU DEI. — Ita Romana, Rabanus et alii, *q. d.* Testamenta, id est, pacta Dei inita cum Israele, non sunt irritata per iniquitatem Israelitarum, esto omnes eorum iniquitates sint in conspectu Dei, ut singulos suo tempore castiget et puniat. Hoc est quod ait Paulus *Rom.* III, 3 : « Numquid infidelitas hominum fidem Dei evacuavit? Absit. Nam est Deus verax, omnis autem homo mendax. »

Secundo, testamenta, id est, ordinationes et leges Dei non sunt absconsæ et abolitæ per peccata, quibus homines eas violarunt, quia manet vigilatque semper inconcussa Dei ordinatio et legum obligatio, juxta quam pœna legibus decreta peccatores exspectat : Deus enim eos eorumque peccata jugiter præ oculis habet, ut suo tempore ea judicet et vindicet.

Tertio, Palacius, pro *per* legens *super*, sic explicat : Non sunt absconsa pacta quæ impii ineunt super iniquitate, v. g. ad rebellandum regi vel Deo. Ergo licet illi super iniquitate occultissima sanciant fœdera, illa tamen ut sol clarissime patent Deo. Verum hæc expositio, æque ac lectio, arctior et alienior est.

Græca concisa hæc tantum habent, *non occultantur injustitiæ ipsorum coram eo, omniaque peccata eorum coram Domino sunt ;* Syrus, *non sunt abscondita delicta eorum a conspectu ejus, et peccata omnium hominum scripta sunt in conspectu ejus,* nimirum scripta sunt in mente et memoria Dei, ad ea judicandum et castigandum. Complutenses et Tigurina plura addunt, *injuste facta illarum* (gentium) *non latent ipsum, sed omnia peccata ipsarum ei perspecta sunt. Ipse autem cum benignus sit, et opificium* (Græce πλάσμα, id est *figmentum*) *suum habeat cognitum, neque ablegat homines, neque deserit, ut qui parcat ipsis.*

Vers. 18. 18. ELEEMOSYNA VIRI QUASI SIGNACULUM CUM IPSO, ET GRATIAM HOMINIS QUASI PUPILLAM CONSERVABIT. — Dixit opera mala esse in conspectu Dei ; jam idem dicit de bonis, inter quæ præcipua est eleemosyna. Lyranus et alii pro *signaculum* legunt *sacculus*, quasi dicas : Eleemosyna eleemosynario est quasi sacculus, id est pera. Sicut enim in pera homo viaticum reponit, ad quod in necessitate recurrit : sic eleemosyna in morte homini subvenit. Unde S. Augustinus : « Sola misericordia, inquit, comes est defunctorum ; » ut huc alludat Christus *Lucæ* XII, dicens : « Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis. »

Verum pro *sacculo* legendum est *signaculum*. Ita Romana, Rabanus et alii : hoc enim significat Græcum σφραγίς. Eodem tamen redit sensus, sive legas *sacculus*, sive *signaculum*. Alludit enim ad pecuniarum sacculos, sive bursas veterum, qui sigillo muniebantur et obsignabantur, ne quis eas reserare auderet, utque, si perderentur, ex sigillo cognosceretur quis eas perdidisset. Id patet ex S. Augustino, serm. 19 *De Verbis Apost.*, ubi narrat bursæ perditæ inventorem petiisse ab eo qui se eam perdidisse dicebat, signa et sigilla bursæ : « Quæsivit, inquit, signa, interrogavit sacculi qualitatem, sigillum, solidorum etiam numerum. » Et S. Hieronymus, epistola 47 *De vitando suspecto contubern.* : « Dolet, ait, sibi prælatum juvenem, etc., qui sacculum signet, textrinum teneat, pensa distribuat, regat familiam, emat quidquid de publico necessariun est. » Ut huc allusisse videatur Christus *Lucæ* XII, 33, dum ait : « Facite vobis sacculos qui non veterascunt. » In quæ verba B. Chrysologus *serm.* 25 : « Sacculus, inquit, cur paratur? quid ibi claustra, ubi custos est innocentia? quid ibi signaculum, ubi fraudis suspicio non habetur? » Eleemosyna ergo hic loco mercedis habitura dicitur *signaculum*, id est sacculum nummis refertum, ideoque diligenter obsignatum, suisque claustris et sigillis obseratum, *q. d.* Eleemosyna dat opes securas et stabiles, quas nec tinea corrodit, non fures furto subducunt, ut ait Christus. Verum quia vera lectio est *signaculum*, alios hic ejus sensus aggeramus.

Eleemosyna est signaculum. Primo.

Primo, Rabanus et Jansenius sic explicant : Sicut sigillo et signaculo solemus obsignare res caras et pretiosas : ita Deus obsignat eleemosynas cujusque in menta sua, *q. d.* Eleemosynæ piorum ma-

nent in mente et memoria Dei, quasi signaculo vel sigillo ejus obsignatæ, ut fideliter ibi asserventur, ac suo tempore justam eis mercedem retribuat. Multi enim dicunt se facere eleemosynas, et queruntur se statim earum mercedem non recipere. His respondet Siracides, Deum eas tenere obsignatas apud se, ut congruo tempore remuneretur : illud ergo tempus fidenter et longanimiter exspectent. Nota metonymiam : eleemosyna vocatur signaculum vel sigillum, hoc est, res signata et sigillata (ut vertit Syrus) in mente Dei. Simili modo ait Deus, *Deuter*, XXXII, 34 : « Nonne hæc condita sunt apud me, et signata in thesauris meis?» Et Paulus de electis signatis per Dei præscientiam et prædestinationem : « Firmum fundamentum Dei stat, inquit, habens signaculum hoc : cognovit Dominus qui sunt ejus, et discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini, » II *Timoth.* II, 19.

Secundò. *Secundo*, magis genuine et nervose, *q. d.* Ipsa eleemosyna est quasi signaculum, id est annulus signatorius Dei, cui insculpta est imago eleemosynarii. Sicut enim annulus signatorius homini est carissimus, quem semper in manu et præ oculis habet : sic est et eleemosyna coram Deo, scilicet ipsi in pretio et carissima, ejusque oculos semper verberans. Hinc aliqui vertunt, *misericordia est sicut signum annuli apud ipsum*. Simili modo Deus ait Zorobabeli : « Ponam te quasi signaculum,» *Aggæi* II, 24. Vide quæ ibidem hac de re fuse dixi.

Addunt aliqui eum qui eleemosynam erogat, a Deo quasi sigillum accipere, ut scribat quidquid volet, quidquid optabit, sigilloque Dei diploma imprimat et obsignet, quo ante Dei tribunal præsentato, haud dubie postulatum impetrabit, suique voti compos optatum recipiet. Qua phrasi et tropo significat eleemosynarium omnia quæ petit a Deo obtinere. Verum hoc sigillum esse apud Deum, non apud eleemosynarium, patet ex dictis. Unde hoc signaculum a similitudine pupillæ explicat Siracides, dum subdit : « Et gratiam hominis quasi pupillam conservabit,» non eleemosyna, sed ipse Deus, ait Jansenius, *q. d.* Deus in memoria quasi in libro rationum suarum, exacte et studiose scribit et conservat gratiam, id est, misericordiam et beneficium alteri impensum, quasi pupillam oculi, puta ea cura et sollicitudine qua homo conservat pupillam oculi sui ; imo eadem qua Deus conservat pupillam oculi sui, id est, aciem mentis suæ, juxta illud de piis et misericordibus : « Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei, » *Zach.* II, 8. Aut potius *gratiam hominis* accipias eam, qua homo eleemosynarius est gratus et gratiosus in oculis Dei, æque ac hominum ; hanc enim significat Græcum χάρις, et Hebr. חֵן *chen*. Unde tritum illud in Scriptura : « Invenisti gratiam in oculis meis,» *q. d.* Sicut pupilla gratiosa est homini, et annulus signatorius gratiosus est principi : sic gratiosa est eleemosyna Deo.

Rursum, sicut annulus signatorius conservat memoriam et gratiam amati in mente amici annulum gestantis (olim enim solebant effigiem ejus quem valde amabant, insculpere palæ annuli, ut amatum suum amans semper haberet in oculis, et quasi præsentem) : ita eleemosyna conservat jugiter memoriam et gratiam eleemosynarii in oculis et mente Dei ; eleemosynarius enim in sua eleemosyna quasi in sua effigie, a se efformata, effigiatus et expressus cernitur. Facit ergo eleemosyna ut eleemosynarii gratia semper apud Deum viva et cara instar pupillæ conservetur. Τὸ ergo *conservat* potius ad eleemosynam refer, quam ad Deum. Vult enim docere omnia opera nostra tam mala quam bona, qualis est eleemosyna, conspicua esse Deo, Deique oculos verberare. Unde Tigurina vertit, *benignitas* (Vatablus, *miseratio ;* hanc enim significat hebr. חֶסֶד *chesed*) *hominis instar sigilli coram ipso* (Deo) *est, et beneficium cujusque conservat tanquam pupillam*. Vatablus pro *gratiam* vertit *amorem ;* hunc enim significat quoque hebr. חֵן *chen, q. d.* Eleemosyna favorem, gratiam et amorem eleemosynarii apud Deum conservat, eumque gratum et delicatum reddit tanquam pupillam oculi, quia facit ut Deus illum amet, illique in omnibus faveat. Addunt Complutenses et Tigurina, *distribuens* vel *concedens filiis ejus et filiabus pœnitentiam, q. d.* Eleemosysa sua gratia apud Deum impetrat eleemosynario pœnitentiam peccatorum, nec tantum ipsi, sed et filiis et filiabus ejus. Unde Daniel ad Nabuchodonosorem, cap. IV, 44 : « Peccata tua, inquit, eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum ; » Syrus vertit, *justificatio* (vel *victoria*) *omnium hominum sigillata est, et posita apud eum, et gratia omnium hominum sicut pupilla oculi custodita est coram eo. Justificatio* sive *justitia* vocatur eleemosyna, ob analogias quas recensui *Daniel.* IV, 44 ; quæ versio magis favet priori expositioni Jansenii.

Porro Palacius hæc aliter explicat. Audi eum : « Eleemosyna inquit, est velut sacculus pecuniæ cum ipso ; *secundo*, et gratiam hominis quasi pupillam conservabit ; *tertio*, et postea resurget ; *quarto*, retribuet illis retributionem unicuique in caput ipsorum ; *quinto*, convertet inferiores partes terræ. » *Prima* ergo laus eleemosynæ, de qua tractat Auctor, ut de opere quo Deus magnopere colitur, est, quod sit velut sacculus, scilicet pecuniæ, *q. d.* Qui saccum pecuniæ secum defert, emit quod vult : ita qui eleemosynam dat, licet abjiciat pecuniam, affert tamen eam secum, qua favorem Dei contra mala, bonorum copiam in terra, et demum felicitatem sibi comparet in cœlo. Græcis pro *sacculus* est sigillum, et est sensus : Ut Abraham accepit circumcisionem velut sigillum, quo Deus testabatur eum esse justum : ita eleemosynam faciens, sigillo Dei munitus est, quo ostenditur esse justus ; qui enim dat cibum famescenti, potum sitienti, etc., justus

Eleemosyna est sacculus.

habetur in die judicii. Et ut litteras sigillo munitas non temere quivis audet violare : ita nec dæmones facile violant eum qui ex misericordia eleemosynas largitur, siquidem in die mala liberabit eum Dominus. *Secunda* eleemosynæ laus est, quod conservat diligenter et curiose gratiam, præclarissimam plane laudem. Cum enim gratia animæ nostræ adeo pateat invidiæ dæmonum, fragilitati carnis, cupiditati et impugnationibus mundi, eleemosyna est, quæ contra tot hostium furentium phalanges gratiam conservat et defendit, id est, Deum attente in cœlo precatur ut defendat, juxta illud : « Dominus conservet eum et vivificet, » etc. Hæc Palacius.

Gratia similis pupillæ Primo. Nota, gratiam Dei recte comparari pupillæ, *primo*, quia sicut in pupilla apparet imago virunculi, unde Hebraice pupilla vocatur אשון *iscon*, *q. d.* Virunculus : sic in gratia apparet imago Dei; gratia enim est summa participatio divinitatis, juxta illud II *Petri* I, 4 : « Ut efficiamini divinæ consortes naturæ. » Secundo. *Secundo*, sicut pupilla est gratia, decor et venustas faciei : sic gratia est decor, venustas et dignitas animæ; tolle pupillam, exoculas hominem; tolle gratiam, excæcas, imo occidis animam; tolle e cœlo solem per diem, tolle per noctem stellas, cœlum non aliud erit nisi tenebræ et caligo; tolle gratiam, tollis solem et stellas mentis, quibus sublatis, Tertio. nil remanet nisi nox et caligo. Hinc *tertio*, sicut pupilla homini, sic et gratia fideli summe debet esse curæ et cordi, ut eam conservet, augeat, perficiat. Vide ergo quantæ sit dignitatis eleemosyna, quæ hanc pupillam animæ, gratiam dico, conservat. Unde S. Chrysostomus, homil. *De Eleemosyna et Collation. in Sanctos*, eleemosynæ gratiam æquat gratiæ miraculorum, qua mortui suscitantur, leprosi mundantur, dæmones fugantur. Additque : « Deus eleemosynam non ob hoc solum constituit, ut pascantur indigi, sed etiam ut dantibus accrescerent beneficia, atque adeo magis propter dantes, quam propter accipientes. Et propterea vera eleemosyna est, sic dare, ut gaudeas te dare, putesque te accipere magis quam dare. » Denique eleemosyna gratiam invenit etiam apud hostes, sibique amicat non solum amicos, sed inimicos; quin et gratiam præstat, ne dæmones, jurati hostes, nobis nocere queant. Audi S. Chrysostomum, homil. 33 *ad Populum* : « Sunt et hic, inquit, castra pauperum, et bellum, in quo pro te pauperes pugnant : cum enim stipendium acceperint, orantes tibi Deum faciunt propitium; propitium autem facientes, pro barbaris dæmonum insidias repellunt, neque sinunt vehementer infestum esse malignum, neque semper irruere; sed ipsius solvunt potentiam. Hos itaque conspiciens milites, quotidie pro te cum diabolo precibus et orationibus pugnantes, a temetipso istud tributum exige, illorum alimenta. »

Bene- Hanc gnomen et hoc ænigma pulchro bombycis et hominis apologo repræsentat Cyrillus, lib. III *Apologorum moralium*, cap. XX. Bombyx enim serico suo quod homini præbet, se involvens et abscondens, significat beneficum beneficium debere ostendere, seipsum vero abscondere. « Quare liberalis, inquit, abscondit faciem, fugit laudem, nullam repetit exteriorem mercedem. Nunquam patens est natura gemmificans, nec auri liberalissima vena palam se ostentat. Natura nempe et virtus non in faciem tribuunt, quia nec rem, nec laudem pro muneribus virtualiter effusis extrinsecus cupiverunt. Quibus auditis, vale addito quievit. » Ficus absondat beneficium ut bombyx sericum.

19. ET POSTEA RESURGET (exsurget ad judicium Vers. 19. non eleemosyna, sed Deus, cujus est judicare et cuique pro meritis retribuere), ET RETRIBUET ILLIS RETRIBUTIONEM, UNICUIQUE IN CAPUT IPSORUM, ET CONVERTET IN INTERIORES (aliqui legunt, *inferiores*) PARTES TERRÆ.

Primo, Jansenius, Lyranus et Palacius hæc referunt ad eleemosynam et eleemosynarios, *q. d.* Eleemosyna signata et custodita servatur apud Deum usque in diem judicii; tunc enim resurget, id est exsurget Deus ad judicium, et retribuet unicuique capiti pro meritis, et convertet in inferiores partes terræ, id est in mortuos, tempore Siracidis in inferno, id est limbo patrum degentes: tum quia efficiet ut ad eos perveniat vis eleemosynæ, dum propter eam illos resuscitabit ad gloriam; tum quia efficiet ut anima eleemosynarii, si in purgatorium expianda mittatur, inde liberetur, vel certe pœna ejus mitigetur. Ita Lyranus, Palacius, Jansenius, qui ex hoc loco contra hæreticos probant Purgatorium.

Perperam Præpositivus, quem citat et refutat Hugo hic, aliique nonnulli ex hoc loco et similibus censuere eleemosynam prodesse quoque animabus damnatis in inferno, quod per eas pœna illarum mitigetur ad tempus. Citant pro se S. Augustinum *Enchir.* cap. CX, ubi ait : « Quibus autem prosunt (eleemosynæ et suffragia) aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, aut certe tolerabilior fiat ipsa damnatio. » Verum S. Augustinus loquitur de damnatione ad purgatorium, non ad infernum : utrique enim sunt damnati ad eumdem ignem; sed ibi ignis temporarius, hic æternus. Id ita esse patet ex eo quod immediate præmittit S. Augustinus : « Cum ergo sacrificia sive altaris, sive quarumcumque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt, pro non valde malis propitiationes sunt, pro valde malis etsi nulla sunt adjumenta mortuorum, qualescumque vivorum consolationes sunt. » Citant quoque pro se S. Chrysostomum, homilia 3 *in Epist. ad Philippenses*, Innocentium III, cap. *Cum Martha*, et alios. Sed ad omnes et omnia egregie respondet Bellarminus, lib. II *De Purgatorio*, cap. XVIII. Eleemosyna an prosit damnatis?

Porro quanta sit ista retributio docet Christus,

qui pro calice aquæ frigidæ promittit regnum cœlorum, *Matth.* cap. x, 42. Unde S. Chrysostomus, homil. 5 *De Pœnit.*: « Negotiatori, ait, nulla alia est intentio, nisi parvo quidem emere, magno autem vendere, etc. Tales igitur Deus nobis nundinas proposuit : modico justitia emitur, tantum pro panis fragmento, pro calice aquæ frigidæ. » Et Angelus ad Tobiam, cap. XII, 9 : « Qui faciunt, ait, eleemosynam et justitiam, saturabuntur vita. »

Secundo, aptius hæc referas ad iniquitates et iniquos, de quibus egit vers. 16 et 17, *q. d.* Iniquitates et iniqui sunt in oculis Dei, ac servantur in mente et memoria Dei usque ad diem judicii, tum particularis, tum universalis ; tunc enim Deus vindex exsurget ad judicium, atque impios, immisericordes et impœnitentes in iniquitate persistentes et morientes judicabit, ac retribuet illis meritas pœnas in caput ipsorum, quia convertet (aliqui legunt, *conteret*) mittetque eos in infernum. De iniquis enim et impœnitentibus hic agi liquet ex antithesi sequenti. Hisce enim opponens pœnitentes vers. seq. subdit : « Pœnitentibus autem dedit viam justitiæ, » etc. Idem satis significat τὸ *retribuet unicuique in caput ipsorum*. Impiis enim in caput, piis in sinum retribuere dicitur Deus. Unde Syrus clare vertit, *et post hæc revelabitur et retribuet eis, et peccata eorum in caput eorum dabit*. Denique si amplissime hanc sententiam vis accipere, potes eam referre tam ad pios, quam ad impios, itaque utramque expositionem jam datam jungere, et quasi unam complecti. Unde Tigurina vertit, *tandem vero exsurgit, et suum singulis dat pretium, suamque cuique vicem in caput suum regerit.*

Vers. 20. 20. POENITENTIBUS AUTEM DEDIT VIAM JUSTITIÆ, ET CONFIRMAVIT DEFICIENTES SUSTINERE (id est, ad sustinendum, ut sustineant tentationem), ET DESTINAVIT ILLIS SORTEM VERITATIS. — Τὸ *pœnitentibus autem* innuit hic esse antithesim, ideoque præcedentia accipi de iniquis impœnitentibus, uti jam dixi : forte etiam respicit ad id quod Græca Complutensium addunt in fine vers. 18 : « Filiis ejus (eleemosynarii) et filiabus locum concedens pœnitentiæ. » Dixit vers. 16 et 17, Deum intueri omnes omnium iniquitates, ut eas judicet et vindicet ; nunc, ne quis idcirco iniquitatum suarum veniam desperet, subdit remedium, scilicet pœnitentiam, *q. d.* Si peccasti, et naufragium innocentiæ justitiæque fecisti, superest post naufragium tabula qua te salves, scilicet pœnitentia, quam Deus tibi suggerit et offert; pœnitentibus enim dedit viam justitiæ, id est ad justitiam, puta viam qua redeant ad justitiam; via hæc est pœnitentia. Unde Græca habent, *verumtamen pœnitentibus concedit reditum*, scilicet ad se et ad justitiam; Tigurina, *attamen regressum concedit resipiscentibus ;* Syrus, *verum pœnitentibus dabit pœnitentiam*. Nec tantum hoc, sed insuper *confirmavit deficientes, q. d.* Deus confirmat et corroborat pusillanimes, qui alioqui sibi relicti per infimitatem humanam animo caderent et deficerent in tentatione et tribulatione, laberentur in consensum tentationis, impatientiam, desperationem, cæteraque peccata ; confirmat, inquam, « deficientes sustinere, » id est, ad sustinendum ; nam vi gratiæ suæ facit ut omnem tribulationem fortiter tolerent et sustineant. Porro confirmat tum per lectionem sacræ Scripturæ piorumque librorum, tum per concionatores et consolatores, tum per exempla Sanctorum, tum maxime per internam gratiam et robur, quod menti inspirat. Unde Græce est παρεκάλεσεν, quod vertas *primo*, hortatus est ; *secundo*, consolatus est ; *tertio*, advocavit, rogavit. Unde aliqui hic legunt *conrogavit*, vel potius *corrogavit*, itaque vertisse nostrum Interpretem censet Jansenius, ac sic legit S. Ambrosius, vel potius Victor Cartennæ Episcopus, lib. *De Pœnitentia*, cap. I (exstat tom. V S. Ambrosii, edit. Roman. p. 405), ubi inter cætera ait : « Habet enim justitiæ partem (pro *viam* enim ipse legit *partem*) errati cauta confessio ; ut mulgeas misericordiam, exerce prior ipse in te censuram. » *Quarto*, excitavit, animavit, confirmavit, uti vertit Noster. Hinc idem Victor ibidem sic pœnitentiam definit : « Pœnitentia est prioris ævi damnatio, et in futuro promissa correctio, et velut in aliam vitam ducitur usus vivendi, dum pia mens ea quæ sunt a tergo non respicit. »

Græca integre sic habent : παρεκάλεσεν ἐκλείποντας ὑπομονήν, ubi necessario subintelligenda est aliqua præpositio. Tigurina subdit πρός, id est *ad;* unde vertit, *labescentes hortatur ad patientiam*. Alii intelligunt κατά, id est *secundum, juxta ;* unde vertunt, *cohortatur deficientes secundum patientiam*, id est, deficientes sive destitutos patientia. Complutenses, *confirmavit deficientes exspectatione;* Romana, *deficientes sustinentia;* Syrus abit alio : habet enim, *et disperdet omnes qui justos offendunt.*

ET DESTINAVIT ILLIS SORTEM VERITATIS, — puta sortem pœnitentiæ et justitiæ debitam, scilicet vitam æternam. *Veritas* enim in Scriptura sæpe significat justitiam omneque officium virtutis, sive id quod quis facere debet, ut digne suo gradu et statu vivat. Sic de diabolo dicitur *Joan.* cap. VIII, 44 : « In veritate non stetit, » id est, non perseveravit in statu angelico, non fecit quod facere debebat Angelus, officium angelicum deseruit. Sensus ergo est, *q. d.* Iniqui de quibus egi vers. 16 et 17, exspectant a Deo, juxta oculis torvis iniquitates ipsorum intuente, sortem iniquitati debitam, puta infernum, uti dixit vers. 19; at pœnitentes, si ab iniquitate serio convertantur, exspectant a Deo sortem veritatis et justitæ, puta cœlestem felicitatem : hanc enim Deus eis ab æterno destinavit *Matth.* XXV.

Significat duplicem esse sortem hominum : alteram felicitatis terrenæ, quæ conceditur impiis, et hanc esse sortem vanitatis, somnii, mendacii et tenebrarum ; alteram felicitatis æternæ, et hanc esse sortem veritatis. Quod si intelligis, sat est, ait Palacius.

SECUNDA PARS CAPITIS,

QUA HORTATUR AD PŒNITENTIAM, UT PER EAM REDEANT AD DEUM.

Vers. 21 et 22. 21 et 22. CONVERTERE (Græce ἐπίστρεφε, id est *redi, revertere*) AD DOMINUM, ET RELINQUE PECCATA TUA : PRECARE ANTE FACIEM DOMINI, ET MINUE OFFENDICULA. — Tigurina, *offensas;* Syrus, *revertimini ad Dominum, et revertimini a pereundo, revertimini a peccando, et ne iram provocetis. Quæ enim utilitas Deo est in omnibus qui pereunt in mundo, pro iis qui vivunt et dant ei gratiarum actionem?* Complutenses addunt οὖν, id est *igitur*. Infertur enim hæc secunda pars capitis de pœnitentia ex prima, puta ex dictis de beneficiis Dei in hominem collatis, deque inspectione ejus, judicio et retributione, qua bonis æque ac malis pro meritis retribuit, *q. d.* Cum, o homo, tot nominibus et debitis obstrictus sis Deo, isque singulas tuas actiones, ac præsertim iniquitates omnes, intente inspiciat, ut eas acerrime in gehenna puniat; consequens est ut, si sapis, si animæ, si saluti, si æternitati tuæ consulere velis, convertaris ad Dominum. « Convertere, ait Hugo, et revertere velut ancilla ad dominam suam, juxta illud *Genes.* XVI: Revertere, Agar, ad dominam tuam, et humiliare sub manu illius. Revertere, fili prodige, ad patrem tuum, ac dicito : Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam ei : Peccavi. Revertere, meretrix adultera, ad sponsum tuum, juxta illud *Jerem.* III : Fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere. Revertere, æger, ad medicum, juxta illud *Osee* VI : Venite, et revertamur ad Dominum, quia ipse cepit, et sanabit nos. »

Nota *primo* : Siracides ad conversionem et justificationem requirit duo : *primum*, ut peccator ex toto corde convertatur ad Dominum; *secundum*, ut relinquat peccata. Peccator enim dum peccat, relicto bono incommutabili, convertit se ad bonum commutabile. Igitur ut convertatur et redeat ad pristinum justitiæ statum, oportet ut, relicto bono commutabili, redeat ad incommutabile, ac a creaturis convertatur ad Creatorem. Perinde enim ac lux excludit tenebras, et tenebræ lucem : sic vicissim amor Creatoris excludit amorem inordinatum creaturæ, et vice versa. Addit *tertium*, ut precetur « ante faciem Dei, » scilicet ut pœnitens prosternat se coram Deo, ab eoque suppliciter veniam postulet. Addit *quartum*, ut minuat *offendicula*, scilicet, tum peccata et offensas, quæ Deum offendunt, tum occasiones peccandi et Deum offendendi, tum conversationes suspectas, et quæcumque proximis præbent occasionem offendiculi et scandali. Hæc enim omnia significat Græcum πρόσκομμα; eaque, quoad potest, minuere et auferre debet, qui serio vult ad Deum converti. Sic Manasses pœnitens abstulit offendicula, puta idola quæ prius erexerat, II *Paral.* XXXIII, vers. 15. Nota *secundo*, τὸ *precare ante faciem Domini*, hoc est, ante conspectum Domini, vel ante personam Domini, puta ante Dominum. Hebraice enim פנים *panim*, et Græcum πρόσωπον, tam faciem, quam personam, quæ ex facie a cæteris distinguitur et dignoscitur, significat.

Ubi nota *panim* Hebræis esse numeri pluralis, et carere singulari, ut significet plures, puta tres in Deo esse personas. Unde *Exodi* XXXIII, 20, ad illud : « Faciem meam videre non poteris, » notant Cabalistæ Hebr. פני *panai*, id est *faciem meam*, esse triliterum, ac repræsentare tres personas SS. Trinitatis : imo tres litteras, quibus scribitur *panai*, esse signa trium hypostaseon. Nam *prima* littera est פ *pe*, quæ significat *os*, ex quo verbum procedit, quæ proinde apposite refert Deum Patrem. *Secunda* est נ *nun*, quæ diserte Filium significat, a radice נין *nin*, a quo Arabes et Hispani *niños* vocant infantes et filiolos. *Tertia* est י *iod*, id est *Manus*, quæ in Scriptura Spiritum Sanctum significat, ut cum ait David *Psal.* CX, vers. 10: « Quo ibo a spiritu tuo? » mox subdit : « Illuc manus tua deducet me. » Hæc omnia annotavit Raphael Aquilinus, tract. 1, quem citat Anton. Ricciardus in *Comm. Symbolicis*. Sic veteres Hebræi et Latini dicebant in Deo esse tres facies, tres species, tres formas, id est tres personas. Audi Tertullianum adversus Praxeam : « Tres sunt non statu, sed gradu; nec substantia, sed forma; nec potestate, sed specie; unius autem status, unius substantiæ, unius potestatis : quia unus Deus ex quo et gradus istî, et forma, et species in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, deputantur. » Gradus dixit origines et processiones, uti recte annotavit Pamelius. Hinc et Septuaginta pro *facies* vertunt πρόσωπον, id est *personam*. Veteres enim Philosophi ignorarunt distinctionem naturæ et personæ : unde Aristoteles cum ait actiones esse suppositorum, per supposita non intellexit personas, sed substantias, uti recte notavit Suarez in *Metaphys.* Quocirca Martialis poeta subsannans SS. Trinitatem quam colunt Christiani, eo quod non caperet Trinitatem personarum in una eademque essentia : « Hermes, ait, omnia solus, et ter unus; » cui respondens Athenagoras, coævus pene S. Dionysio Areopagitæ, in *Apolog. pro Christianis*, ait « Deum esse unum actu, tres vero virtute, » id est unum esse in essentia, tres vero in personis. Necdum enim nomen hypostasis usurpabatur pro persona, sed ex suo etymo significabat substantiam. Primus enim qui hypostasin ab οὐσίᾳ distinxit, ac personas vocavit hypostases, οὐσίαν vero

Symbolum SS. Trinitatis.

earum essentiam, fuit Hosius Episcopus Cordubensis, ut confutaret Sabellium dicentem in Deo unam esse hypostasin et personam, sicut est una natura, uti refert Socrates lib. III, cap. IV et V.

Igitur Dei facies quam adoramus et cui supplicamus, significat *primo*, Dei essentiam; *secundo*, Dei præsentiam : hujus enim index est facies; *tertio*, Dei personam : persona enim ex facie dignoscitur et judicatur; *quarto*, benevolentiam : hæc enim in facie benevola cernitur. Unde Deus dicitur avertere faciem suam ab eo cui irascitur, ostendere vero faciem illi quem benigne respicit, juxta illud *Psal.* LXXIX : « Ostende faciem tuam, et salvi erimus; » pro quo S. Augustinus legit, *illumina faciem tuam*, id est, lucidam, hilarem, benignam faciem nobis ostende.

Hinc et S. Gregorius exponens illud *Job.* I : *Nisi in faciem benedixerit tibi* : « Nos nempe, inquit, quod amamus respicimus; quod vero aversari volumus, ab eo faciem declinamus. Quid itaque Dei facies, nisi respectus ejus gratiæ perhibetur intelligi? Ait ergo : Extende paululum manum tuam, et tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi. Ac si aperte dicat : Ea quæ dedisti subtrahe. Nam si accepta perdiderit, respectum gratiæ tuæ ablatis rebus temporalibus non requirit. Si enim ea quibus delectatur non habuerit, favorem tuum, etiam maledicendo, contemnit. » Hinc Siracides jubet orari coram facie Dei, ut orando illam nobis conciliemus, ac ex irata, severa, minaci eam nobis propitiam, serenam, benevolam et beneficam reddamus.

Vers. 23. 23. REVERTERE AD DOMINUM, ET AVERTERE AB INJUSTITIA, ET NIMIS ODITO EXSECRATIONEM, — puta peccatum quod Deus exsecratur et abominatur. Repetit et inculcat aliis verbis, quod dixit vers. præced. « Nimis, » id est, valde : hoc enim est Hebræum מאד *meod;* sed dicit *nimis* potius quam *valde*, quia ingens et quasi immensum requirit peccati odium : peccatum enim est immensum malum, ideoque immense abominandum; quare quantumcumque peccati sit odium, nequit esse nimium : imo Deus odio positive infinito prosequitur et exsecratur peccatum. Quocirca sicut Deus amandus est super omne bonum amabile, sic peccatum exsecrandum est super omne malum odibile, quod ab homine vel Angelo odiri potest. Complutenses et Tigurina quædam de luce et tenebris interserunt. Sic enim habent, *contende ad Altissimum* (*is enim te e tenebris deducet ad lucem incolumitatis*), *et recede ab injustitia; atque quod abominandum est summo odio prosequere;* Syrus alio rursum abit, *quam multæ*, inquit, *sunt misericordiæ Dei! qui parcit iis qui revertuntur ad eum, quia non est hujusmodi in homine : neque consilium ejus est sicut consilia filiorum carnis.*

Vers. 24. 24. ET COGNOSCE JUSTITIAS ET JUDICIA (id est, mandata quæ præscribunt quod justum est, unde secundum ea judicandum est) DEI, ET STA IN SORTE PROPOSITIONIS ET ORATIONIS ALTISSIMI DEI. — Hæc sententia et sequens jam desunt in Græco, ac consequenter in Syro et Arabico; Tigurina tamen eas sic exprimit, *fac cognoscas justitiam et jura Dei, in sorte præscripta, et imploratione Altissimi persiste, q. d.* Non sufficit odire exsecrationem, id est, peccatum exsecrabile; sed insuper oportet cognoscere, scilicet practice, id est, amare et facere justitias lege præscriptas, juxta illud *Psal.* XXXIII : « Declina a malo, et fac bonum. » Hæc enim sunt duæ partes integrantes veræ Sanctorum justitiæ.

Nota : Τὸ *sta* significat *primo*, luctam et pugnam contra hostes; *secundo*, in ea constantiam et perseverantiam, *q. d.* Luctaris cum mundo, carne et dæmone, qui te a proposito virtutis avocare satagunt; sed *sta*, hoc est, eorum tentationibus generose resiste, ne cedas, nec cadas, nec tergum vertas : sic enim certo vinces. Milites enim castrenses, licet stent et resistant, sæpe tamen ab hoste potentiores vincuntur et occiduntur : at miles Dei et pugil virtutis, si in ea immotus consistat, vincit : virtutem enim nemo nobis invitis adimere potest, sed sola voluntas propria. *Stare* enim est verbum militare; pugnaturi enim firmiter consistant oportet : unde qui id fecerant, olim donabantur torque et monilibus, teste Vegetio, lib. II, cap. VII, et Vopisco in *Vita Probi*. Quin et milites Romani sacramento, hoc est juramento militari, se astringebant, nunquam se a Consulum obedientia recessuros, nunquam se locum deserturos, teste Alexandro ab Alexandro, lib. I *Genial.* cap. XX. Sic milites Catilinæ occubuere in ipso vestigio quo consistebant, teste Sallustio. Quocirca huc alludens S. Paulus *Ephes.* VI, 12, cum luctam fidelium cum dæmonibus descripsisset, eosque panoplia spiritali a capite ad talos obarmasset, subdit : « Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo. » Et mox : « State ergo succincti lumbos vestros, et calceati pedes in præparatione Evangelii pacis, » ubi multa in hanc rem annotavi. Hos duces secutus S. Cyprianus, lib. I, *epistola.* 5 : « Hortamur, inquit, vos per communem fidem, per pectoris nostri veram circa vos et simplicem charitatem, ut gloriam vestram forti et perseveranti virtute teneatis. Adhuc in sæculo sumus, adhuc in acie constituti, de vita nostra quotidie dimicamus. » Idem laudans constantiam Martyrum in tormentis *Exhortat. ad Mart.* : « Steterunt, ait, torti torquentibus fortiores, et pulsantes ac laniantes ungulas pulsata ac laniata membra vicerunt. Inexpugnabilem fidem superare non potuit sævientis diu plaga repetita, quamvis, rupta compage viscerum, torquerentur in servis Dei jam non membra, sed vulnera. »

Τὸ *sta* notat constantiam militum et Martyrum.

Quæres, quænam sit *sors propositionis* in qua stare jubet?

Sors propositionis, quæ? Resp. Primo.

Respondeo *primo*, est sors judiciorum, id est, mandatorum Dei, ab eo cuique proposita, ut per eorum observationem salvetur et beetur, *q. d.* Co-

gnosce judicia, id est, præcepta Dei, et in eorum sorte tibi a Deo proposita persiste.

Secundo. *Secundo,* Rabanus accipit sortem sanctitatis nobis propositam a Deo, ut per eam ipsius amici et filii evadamus : « Hortatur, inquit, ut post lapsum peccati rursum convertatur ad factorem suum, et relinquat errorem, per quem semetipsum illudendo decepit ; deprecetur Dominum assidue pro offensionibus suis, atque tota animi sui intentione ad divinam confugiat pietatem ; spernat idololatriam ac diabolicæ servitutis fallaciam, et discat mandatorum Dei normam rectissimam, ut in sorte sanctitatis, qua præelectus est, permaneat, et in laudibus Altissimi perseveret. » De hac sorte ait Paulus *Ephes.* I, 11 : « In quo etiam sorte vocati sumus ; » et *Coloss.* I, 12 : « Dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum ; » et S. Petrus, *epist.* II, cap. I, 1 : « Qui coæqualem nobiscum sortiti sunt fidem in justitia. » Huic opposita sors impiorum, sive sors dæmonis, de qua superius cap VI, 4, dictum est : « Deducet in sortem impiorum ; » et cap. XXV, 26 : « Sors peccatorum cadat super illam. » Et S. Petrus ad Simonem Magum *Actor.* VIII, vers. 21 : « Non est tibi pars, neque sors in sermone isto. » Hinc anagogice per *sortem propositionis* accipias sortem prædestinationis, quæ est sors gloriæ et felicitatis æternæ, de qua Angelus ad Danielem cap. XII, 13 : « Tu autem, ait, vade ad præfinitum ; et requiesces, et stabis in sorte tua in finem dierum. » Unde et subdit Siracides : « Vade in partes sæculi sancti, » etc.

Tertio. *Tertio,* Lyranus : « Sta in sorte propositionis, » hoc est, inquit, sta in bono proposito.

Quarto. *Quarto,* magis proprie et genuine : « Sta in sorte propositionis, » id est, persevera constanter et fortiter contra omnes suggestiones et tentationes mundi, carnis et diaboli in sorte tibi proposita, hoc est, in vocatione tua, tum novæ et sanctæ vitæ, qua a peccatis conversus es ad Dominum, de qua sermo præcessit ; tum certi status honesti et sancti, ut sacerdotii, Religionis, præfecturæ, et cujuslibet alterius, quem Deus tibi proposuit, et ad quem te vocavit, quemque ex ejus propositione et vocatione tibi proposuisti et elegisti. Hæc enim est propositio Altissimi. Similiter sta et persiste in oratione Altissimi, ut scilicet Deum crebro ores pro auxilio gratiæ, quo digne tua sorte tuaque vocatione tibi proposita vivas.

Alludit ad tabernaculum et templum Judæorum : in hoc enim erant panes propositionis, ita dicti quod jugiter proponerentur et offerrentur Domino ; atque altare thymiamatis, quod significabat orationem : hujus enim symbolum est thymiama, *q. d.* Sicut panes illi jugiter per totam hebdomadam permanebant in sua propositione, id est, manebant in mensa propositi Domino residenti in Sancto sanctorum, ac eidem offerebatur thymiama in altari : ita pariter tu per totam vitam permane in tua vocatione tibi a Deo proposita, ut ei vicissim te tuasque actiones omnes jugiter proponas, offeras, dedices et consecres, ac, ut id facere queas, ei crebro offeras thymiama orationis, id est, gratiarum actionis, laudis et invocationis. Unde S. Paulus *Ephes.* cap. VI, 14, cum dixisset : « State ergo succincti lumbos ; » subdit vers. 18 : « Per omnem orationem et obsecrationem orantes (ut Deus vos sua gratia roboret ad standum) omni tempore in spiritu, et in ipso vigilantes in omni instantia. » Nam, ut ait S. Chrysostomus, lib. I *De Orando Deum* : « Neque sola temperantia salvare potest hominem, neque cura pauperum, neque benignitas, etc. Sed oportet ut omnia simul concurrant in animas nostras : cæterum precatio ceu radix et basis omnibus substernitur. » Ad hanc sortem propositionis alludit S. Paulus, dum sæpe ait nos vocatos secundum propositum, id est, secundum Dei voluntatem et benevolentiam : « Sicut elegit nos, inquit, in ipso (Christo) ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate, etc., secundum propositum voluntatis suæ, etc., quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, » *Ephes.* I, 4 et seq.

Quinto. Denique per *sortem* accipe quemlibet vitæ statum, quem sponte, esto temere et imprudenter, elegisti, v. g. matrimonium cum uxore molesta, officium laboriosum, vel artem mechanicam, cui te addixisti. Hic enim si immobilis est, aut difficulter mobilis, tibi capessendus est, in eoque persistendum. Quare persuadere tibi debes, eum tibi a Deo ut immobilem jam proponi, ideoque Deum, si eum invoces, gratiam tibi daturum, ut eum sustinere, in eoque honeste et juste vivere possis, juxta illud Apostoli I *Corinth.* cap. VII, 20 : « Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Servus vocatus es ? non sit tibi curæ. » Huc facit proverbium Arabicum, *Cent.* 1, num. 96 : « Quando non evenit tibi quod vis, velis quod evenit. » Et illud Terentii citatum a S. Augustino : « Cum non potes quod velis, velis quod potes. » Nam, ut ait Seneca in *Proverb.* : « Aberrare a fortuna tua non potes, obsidet te ; fortunam citius reperias quam retineas. Feras, non culpes, quod mutari non potest. Ita fortunæ tuæ eris faber et custos. »

Sua sorte contentus est felix. Atque hac in re consistit felicitas hujus vitæ, nimirum ut quis sorte sua contentus vivat ; qui enim ea non est contentus, esto sit dives, sapiens, felix, reipsa est miser. Nam, ut ait Seneca : « Beatus non est qui se beatissimum non existimat. » Et Aristoteles lib. VII *Moral. Eudem.* citat et laudat vetus dictum : « Amicitia est stabilium, felicitas temperantium, » hoc est, eorum qui sua sorte contenti sunt. Qui ergo suam fortunam boni consulit, esto pauper sit, æger, afflictus, felix est : uti Martyres in suis tormentis felices fuere, quia ea pro Deo tolerare gaudebant. Et Euripides : « Spartam es nactus, eam dispone. » Et Plato in *Gorgia* : « Necessum est mihi, juxta vetus ada- Gnomæ.

gium, quod adest boni consulere, et hoc accipere quod abs te datur. » Et Pindarus in *Isthmiis*, hymno 3 : « Sæculum autem volvendis diebus nunc huc, nunc illuc sese flectit. Cæterum dii (et homines divini, puta sapientes) extra telorum jactum sunt. » Idem in *Pythiis*, hymno 7 : « Aiunt sane sic viro stabilem florere felicitatem, si hæc et hæc ferat, » id est, si ferat tum prospera, tum adversa. Rationem dat Homerus, *Odyss.* X :

Dolia namque Jovis duo sunt in limine posta.

q. d. Deus cuique suam admetitur prosperitatem et adversitatem. Utramque ergo æquo animo a Deo suo quisque acceptet. Nam « ubi mel, ibi fel : ubi uber, ibi tuber. » Romani duas coluere deas, Angeroniam et Volupiam : alteram ab angoribus, alteram a voluptate dictam. Angeroniæ simulacrum erat in ora Volupiæ, ut significarent quod dolor comes sit voluptati, et voluptas dolori ; habebat os obligatum et signatum, ut indicaret eos qui dolores et angores silenter ferunt ac dissimulant patientiæ beneficio, ad maximam pervenire voluptatem. Ita Macrobius, lib. I *In Somn. Scipionis*. Igitur quisque si felix esse velit, sorte sua, non tantum opum, conditionis et status, laborum et dolorum, sed et sapientiæ, virtutis et gratiæ, quam Deus illi admensus est, contentus esse debet. Hæc enim est felicitas Angelorum et Beatorum, in qua quisque sua sorte gratiæ et gloriæ contentus vivit. Angelus enim non optat esse Archangelus ; hic non optat esse Principatus, nec hic esse ex Cherubim vel Seraphim ; sed suo choro, gradu et loco, in quo a Deo collocatus est, quisque contentus vivit. Hos imitari nos decet. Sunt enim quidam, qui cum vident aliquem se sapientiorem vel sanctiorem, sese discruciant ; quod illi pares esse nequeant. Estque hoc vitium humanis insitum ingeniis, ut fere alienam sortem magis mirentur, suam contemnant et fastidiant, optent inexperta, experta damnent, juxta illud :

Optat ephippia bos piger, optat arare caballus.

Hi sunt insipientes et infelices : nec enim omnes possunt esse Pauli Apostoli, Augustini, Athanasii : sufficit ut quisque gratiæ sibi a Deo datæ pro modulo suo cooperetur, eamque adaugeat quoad potest ; sed ad gratiam B. Virginis vel S. Pauli stolide aspirat, quia illa Dei dono omnes gratiarum mensuras, quas Deus omnibus Sanctis elargitur, longissime superat et transcendit : unde homini impossibile est eam assequi. Sic in corpore pes non optat esse manus vel oculus, sed sua sorte, loco et gradu contentus est : quo exemplo utitur Apostolus, I *Corinth.* XII, 14. Idem, I *Timoth.* cap. VI, 6 : « Est, inquit, quæstus magnus, pietas cum sufficientia, » Græce αὐταρκείᾳ, id est, animo sibi sufficienti suisque contento. Vide utrobique dicta. Dicat ergo quisque Deo cum Psalte : « In manibus tuis sortes meæ, » *Psal.* XXX, vers. 16. Tu, Domine, es magnæ hujus mundi aulæ modimperator, tu absolutus omnium es dominus, tuum est de nobis creaturis tuis statuere quod libet, imo quod sapientissimus tuæ providentiæ ordo sanxit : illi ergo me totum resigno, in quacumque statione me quasi militem tuum collocaveris, illam libens et strenuus obibo, in illa conquiescam, dicamque : « In pace in idipsum dormiam et requiescam. » Hæc est sanctitas, hæc veritas, hæc vera felicitas. Ita S. Hieronymus, *epist.* 25, consolatur S. Paulam lugentem mortem Blesillæ filiæ : « Qui se credere dicit in Christo, inquit, in omnibus Christi judiciis gaudeat. Sanus sum, gratias refero creatori : langueo, et in hoc laudo Domini voluntatem. »

Apologus pavonis.

Exstat festivus hac de re apologus pavonis apud Phædrum, lib. III, *fabul.* 15. Pavo enim querebatur apud Junonem se a philomela superari cantu, eumque sibi quasi digniori deposcebat. Respondit ei Juno, sua cuique a Deo tributa esse dona, pavoni speciem et syrma caudæ, Philomelæ vocem, etc., quemque suo dono suaque sorte contentum esse debere. Sed audi Phædrum :

Pavo ad Junonem venit, indigne ferens
Cantus luscinii quod sibi non tribuerit :
Illum esse cunctis avibus admirabilem,
Se derideri, simul ac vocem miserit.
Tunc consolandi gratia dixit Dea :
Sed forma vincis, vincis magnitudine.
Nitor smaragdi collo præfulget tuo,
Pictisque plumis gemmeam caudam explicas.
Quo mi, inquit, mutam speciem, si vincor sono ?
Fatorum arbitrio partes sunt vobis datæ :
Tibi forma, vires aquilæ, luscinio melos,
Augurium corvo, læva cornici omina,
Omnesque propriis sunt contentæ vocibus.

Affabulatio :

Noli affectare quod tibi non est datum,
Delusa ne spes ad querelam recidat.

Idipsum vidit per umbram Plato, qui teste Plutarcho, lib. *De Tranquill. animi*, id declarat exemplo aleæ : « In qua optimus quisque jactus aleatori maxime expetendus est : sed utcumque tamen evenerit, adhibenda cura, ut eo quod casus tulerit, ipse rectissime utatur. » Et Terentius in *Adelphis* simili exemplo usus hæc ait :

Ita vita hominum, quasi cum ludas tesseris.
Si illud quod est maxime opus jactu, non cadit,
Illud quod cecidit sorte, id arte ut corrigas necesse est.

Rogavit quidam S. Antonium : « Quid faciam ut Deo gratus efficiar ? » Cui ille tria præscripsit : primum : « Deum, inquit, semper præ oculis habe ; » secundum : « Quodcumque opus aggressus fueris, S. Scripturæ testimonio illud confirma ; » tertium : « Quocumque in loco consederis, non te cito inde moveris, sed in eo permane. Hæc tria serva, et vives. » Ita *Apophthegm. SS. Patrum.* S. Ephrem, *Adhortatione* 4 : « In quo voca-

tus es opere, inquit, firma anchoras ac funes, ne in pelagus navis tua paulatim impellatur; et tunc docebit te experientia, quali pace in portu constitutus fruereris. » Plura hac de re dicam *Proverb.* XXVII, 8.

Vers. 25. 25. IN PARTES VADE SÆCULI SANCTI, CUM VIVIS ET DANTIBUS CONFESSIONEM DEO. — *Pars* in Scriptura vocatur sors cujusque, juxta illud *Isaiæ* LVII, 6 : « Pars tua, hæc est sors tua. » Itaque in re idem est dicere : « Sta in sorte propositionis et orationis Altissimi,» quod : « In partes vade sæculi sancti. » *Sæculum sanctum* vocat sæculum beatum et beatam æternitatem, quam Sancti agunt in cœlo, de quo ait Sapiens, cap. V, 5 : « Et inter sanctos sors illorum est. » Et *Daniel.* cap. VII, 27 : « Regnum, et potestas, et magnitudo regni, quæ est subter omne cœlum, detur populo sanctorum Altissimi : cujus regnum, regnum sempiternum est. » Et *Isaiæ* IX, 6, Christus vocatur « Pater futuri sæculi ; » et cap. XXVI, 4 : « Sperastis in Domino in sæculis æternis. »

Fuse hoc *sæculum sanctum* signatorum et electorum Dei describit Esdras (ad quem hic alludit Siracides), libro IV, cap. II, 34 : « Exspectate, inquit, pastorem vestrum, requiem æternitatis dabit vobis : quoniam in proximo est ille qui in fine sæculi adveniet. Parati estote ad præmia regni, quia lux perpetua lucebit vobis per æternitatem temporis. Fugite umbram sæculi hujus : accipite jucunditatem gloriæ vestræ, etc., gratias agentes ei qui vos ad cœlestia regna vocavit. Surgite, et state, et videte numerum signatorum in convivio Domini, » etc. Esdram sequitur S. Joannes, *Apocal.* VII. Rursum Esdras, cap. VII, 12, sæculum sanctum a præsenti maligno distinguens : « Facti sunt, inquit, introitus hujus sæculi angusti, et dolentes, et laboriosi : pauci autem et mali, et periculorum pleni, et labore magnopere fulti. Nam majoris sæculi introitus spatiosi et securi, et facientes immortalitatis fructum. » Nam sæculum nostrum quod in hac vita agimus, totum in malîgno positum est.

Sensus ergo est, *q. d.* Tu jam a peccato, atque a vanitate et cupiditate sæculi hujus ad Deum conversus, illo relicto vade ad sæculum sanctum, nimirum per bona opera quotidie contende, profice et perge ad cœlum, ut inter Beatorum partes, id est sortes, una pars sæculi sancti, id est, una sors beatæ æternitatis et futuræ gloriæ, tibi obtingat ; vive sanctæ æternitati, adeoque illam hic inchoa per Dei confessionem, id est laudem, ut scilicet Deum assidue laudes tam corde quam ore et opere cum justis, qui adhuc vivunt, et dant laudem Deo ; versare cum Angelis, jubila cum Beatis : cœlitum enim et Beatorum vita non est aliud quam continua Dei laus, quam perenne Alleluia. Unde *Psalm.* CXLI, 6, et *Psalm.* XLI, 5 et 6, cœlum vocatur terra viventium, locus tabernaculi admirabilis, domus Dei, ubi est vox exsultationis et confessionis, et sonus epulantis. Vide dicta *Apocal.* IV, 8, et cap. V, 9, et cap. VII, 10. Ita Rabanus, Lyranus, Hugo, Jansenius, Palacius et alii. Audi Rabanum : « Sæculum sanctum, inquit, est quies æternæ vitæ, quæ alibi nuncupatur sæculum æternum et sæculum sæculi, seu sæcula sæculorum. Necessarium est ergo unicuique, ut, dum vivit et valet, locum sibi æternæ beatitudinis recte credendo, et bene operando præparet, quia post finem istius vitæ non est tempus operationis. Unde Christus suos admonuit : Ambulate dum lucem habetis, ne forte tenebræ vos comprehendant, » *Joan.* XII, 35 ; et Paulus : « Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, » *Galat.* VI, 10.

Ire in sæculum sanctum est imitari vitam sanctorum.

Tropologice, noster Jacobus Alvarez de Paz *De Vita spirit.* lib. V, parte II, cap. XXIII : In partes, inquit, sæculi sancti transire nihil aliud est, nisi Sanctorum, qui nos præcesserunt, virtutes addiscere ; et cum vivis Deumque confitentibus commorari, est Sanctorum præsentium virtutes insequi, ut sic Christo sponso nostro poma nova et vetera, id est, virtutes præteritorum Sanctorum et præsentium, offeramus. Ita S. Antonius, teste S. Athanasio, studebat singulorum virtutes imitari. Simili modo Franciscanus proponat sibi exemplar vitæ S. Franciscum, S. Antonium Patavinum, S. Bernardinum ; Dominicanus S. Dominicum, S. Thomam Aquinatem, et S. Hyacinthum ; Societas Jesu, S. Ignatium, S. Xaverium, B. Franciscum de Borgia, B. Aloysium, etc. Ita quisque ibit in partes sæculi sui sancti.

Hujus sententiæ vice Complutenses cæterique Græci hanc habent, *Altissimo quis laudem dicet in inferno, pro viventibus et dantibus confessionem,* id est, ut alii vertunt, *vice vivorum et gratias agentium ;* Tigurina, *quis apud manes laudabit Altissimum, perinde atque vivi gratulationi dediti, q. d.* Inferi non laudant Deum, sed superi, puta viventes super terram. Quare dum vivis, lauda Deum ; nec enim eum apud inferos laudare poteris. Intellige eo modo quo explicabo vers. seq. Igitur vadit in partes sæculi sancti, qui cum Angelis et Sanctis perpetim laudat Deum, qui cum Noe et Henoch ambulat cum Deo ; hic fit divinus, et quasi Deus quidam terrestris. Unde S. Augustinus, tract. 2 *in Epist.* I *S. Joannis* : « Talis, inquit, est quisque, qualis est ejus dilectio. Terram diligis ? terra eris. Deum diligis, quid dicam ? Deus eris. » Quin et Aristoteles, lib I *Politic.* : « Homo solitarius, inquit, aut Deus est, aut bestia. » Deus, scilicet, si cum Deo jugiter versetur, in eumque totum cor, mentem et amorem transfundat, ut dicat cum S. Paulo : « Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus, » *Galat.* II, 20. Hoc faciunt Ascetæ, quorum tota conversatio in cœlis est cum Deo et Angelis, qui proinde in terra corpore duntaxat degunt, sed animo terrena cuncta transcendunt, quasi soli cum solo Deo in mundo versarentur ; quod Itali dicunt : *Dio et io, Dio amor mio.*

Vers. 26. 26. NON DEMORERIS IN ERRORE IMPIORUM, ANTE MORTEM CONFITERE. A MORTUO QUASI NIHIL, PERIT CONFESSIO, — *q. d.* Noli morari in errore, quo impii dum vivunt, indulgentes suis voluptatibus et concupiscentiis, persuadent sibi se in morte et in morbo lethali, vel post mortem conversuros ad Deum, eumque laudaturos, cum anima soluta a corpore nihil terrenum amplius appetere poterit; sed « ante mortem confitere. » Causam subdit : « A mortuo enim quasi nihil, perit confessio, » *q. d.* A mortuo tanquam qui nihil est, id est, non existit, non est in rerum natura, perit confessio, hoc est, laus Dei utilis et meritoria, quæ scilicet eum ducat in partes sæculi sancti, ut mereatur ibi eadem proficere, ac cum Angelis et Beatis jubilando Deum glorificare in æternum, uti præcessit; nullum enim meritum est post hanc vitam; imo tunc nemo laudabit Deum, qui eum in hac vita non laudarit : nam impii omnes, qui Deum in hac vita non laudarunt, sed vel voce vel vita blasphemarunt, in gehenna ab eo cruciati, longe magis eum blasphemabunt. Audi Rabanum : « Morari in errore impiorum, certa est perditio hominum, quia post finem præsentis vitæ in nihilum deputabitur omnis pompa humanæ gloriæ; qui autem spatium præsentis vitæ in divina consumit laude, et in ista, quamdiu vixerit, semper instat operatione, hic postmodum feliciter remuneratus, in æterna exsultat beatitudine. Unde Ecclesiastes more suo nos admonens instruit, cap. IX, ne perdamus otium concessi temporis, sed ad utilitatem nostram illud convertamus, ita dicens : Nemo est qui semper vivat, et qui hujus rei habeat fiduciam. Quodcumque potest manus tua facere, instanter operare : quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas. »

Alludit ad *Baruch* cap. II, 17 : « Vide, quia non mortui, qui sunt in inferno, dabunt honorem et justificationem Deo, sed anima, quæ tristis est, » etc. Vide ibi dicta : ubi hanc et similes *Isaiæ* cap. XXXVIII, 19, et *Psal.* CXIII, 26, sententias fuse explicui.

Hinc patet confessionem hic proprie significare laudem et gratiarum actionem. Hebr. enim הודה *hoda*, id est *confiteri*, significat laudare, quia agnitio et confessio summæ majestatis Dei, ac ex adverso imæ nostræ vilitatis, summa est Dei laus. Unde sacrificium תודה *thoda*, id est *confessionis*, erat illud quod offerebatur in laudem et gratiarum actionem Deo. Hæc tamen confessio et laus Dei involvit et præsupponit confessionem criminum, præsertim quia agit Siracides de peccatis, et peccatore ad Deum per pœnitentiam et confessionem converso, ideoque pro hoc remissionis peccatorum et reconciliationis beneficio, Deum confitente et laudante : confessio enim peccatorum præcepta erat etiam lege veteri pœnitentibus, idque non tantum ut fieret Deo, sed et sacerdoti, uti ostendi *Levit.* V, 5, et alibi.

Quocirca hunc locum de confessione peccatorum explicat S. Augustinus, *De Verbis Domini secundum Matthæum*, serm. 8 : « Confitemur, inquit, sive laudantes Deum, sive accusantes nos ipsos. Pia est utraque confessio, sive cum te reprehendis qui non es sine peccato, sive cum illum laudas qui non potest habere peccatum. Si autem bene cogitemus, reprehensio tua laus ipsius est. Quare enim jam confiteris in accusatione ipsius tui? quare confiteris, nisi quia ex mortuo vivus factus es ? Scriptura quippe ait : A mortuo quasi qui non sit, perit confessio. Si perit in mortuo confessio, qui confitetur, vivit: et si peccatum confitetur, utique a morte revixit. Peccati confessor revixit a morte, quis eum suscitavit ? » utique nemo nisi Deus. Et inferius : « Sive ergo nos accusemus, sive Deum laudemus, tanquam eum qui sine peccato est prædicamus. Quando autem nos ipsos accusamus, ei per quem resurreximus, gloriam damus. » Sic et S. Ambrosius (vel potius Victor Cartennæ Episcopus), lib. *De Pœnitentia*, cap. XXVIII, tomo V, p. 421 : « At cum nobis, inquit, inopinatus sit exitus terminalis, et vitæ nostræ dubia sint ex mortis ignorantia curricula, quomodo sibi quisque superesse ad confitendum tempus existimat, qui temporis sui tempus ignorat? cum utique audiat dicentem Scripturam : Vivens et sanus fateberis, et laudabis, Deum, et in partem vade sæculi sancti cum vivis et dantibus confessionem, » etc. Simili modo de confessione peccatorum hic locus explicatur *de Pœnitentia*, dist. I, cap. XXXIV *Convertimini*, ubi ex hoc loco probat sine confessione neminem posse resurgere ad vitam gratiæ, sed omnes nolentes confiteri manere in morte peccati : quod si incipiant os ad confessionem aperire, jam Deo donante aliquod initium vitæ participare, uti paulo ante docuit S. Augustinus.

Quocirca S. Hieronymus, epist. 30 *ad Oceanum*, laudat Fabiolam, quod publice peccatum repudiati prioris mariti, novique superinducti, confessa sit et planxerit : « Quis hoc, ait, crederet, etc., ut saccum indueret, ut errorem publice fateretur, et tota urbe spectante Romana, ante diem Paschæ in basilica quondam Laterani staret in ordine pœnitentium, Episcopo, presbyteris et omni populo collacrymantibus, sparsum crinem, ora lurida, squalidas manus, sordida colla submitteret? » Et inferius : « O felix pœnitentia, quæ ad se Dei traxit oculos, quæ furentem sententiam Dei confesso errore mutavit! Hoc idem et Manassen in Paralipomenon, et Niniven fecisse legimus in Propheta, Publicanum quoque in Evangelio : e quibus primus non solum indulgentiam, sed et regnum cœlorum recipere meruit; alter impendentem Dei fregit iram; tertius pectus verberans pugnis, oculos non levabat ad cœlum, et multo justificatior recessit Publicanus confessione vitiorum, quam Pharisæus

Publica confessio Fabiolæ.

superba jactatione virtutum. » Et paucis interjectis : « Non est confusa Dominum in terris, et ille eam non confundet in cœlo. Aperuit cunctis vulnus suum, et decolorem in corpore cicatricem flens Roma conspexit. Dissuta habuit latera, nudum caput, clausum os. Non est ingressa Ecclesiam Domini, sed extra castra cum Maria sorore Moysi separata consedit; ut, quam sacerdos ejecerat, ipse revocaret. Descendit de solio deliciarum suarum, accepit molam, fecit farinam, et discalceatis pedibus transivit fluenta lacrymarum. Sedit super carbones ignis : hi ei fuere in adjutorium. Faciem, per quam secundo viro placuerat, verberabat; oderat gemmas, linteamina videre non poterat, ornamenta fugiebat; sic dolebat quasi adulterium commisisset, et multis impendiis medicaminum unum vulnus sanare cupiebat. »

Mystice, « a mortuo, » id est a manente in peccatis, qui nihil est, id est nullius emolumenti aut pretii apud Deum, « perit confessio, » quia qui peccatis suis adhæret, nec confiteri vult, nec valet. Ita S. Augustinus, in *Psal.* LXVIII, conc. 1, in fine, explicans illud vers. 16 : « Neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum : Magnus, inquit, est puteus profunditas iniquitatis humanæ, etc. Peccator cum in profundum venerit malorum, contemnet; clausit super eum puteus os suum. Quare clausit os suum? Quia clausit os illius. Perdidit enim confessionem; vere mortuus est, impletumque est in eo quod alibi dicitur : A mortuo velut quod non sit, perit confessio. Metuenda ista res est vehementer, fratres. Si videris hominem fecisse iniquitatem, mersus est in puteum. Quando autem illi dixeris iniquitatem ipsius, et dixerit : Vere peccavi, fateor; non super eum clausit puteus os suum. Cum autem videris eum dicere : Quid enim mali feci? factus est defensor peccati sui; clausit super eum puteus os suum, qua eruatur non habet. Amissa confessione, non erit locus misericordiæ. Tu factus es peccati tui defensor, quomodo erit Deus liberator? ut ergo sit ille liberator, tu esto accusator. »

Nota : Τὸ *ante mortem confitere* jam non est in Græco, nec in Latinis nonnullis; sed satis ex seq. verbis : « A mortuo quasi nihil, perit confessio, » intelligitur. Pro quo clarius Græca habent, *a mortuo tanquam non existente*, puta qui non est, qui non existit, *perit confessio*. Hinc explicans subdit : « Vivus et sanus laudabit Dominum. » Unde Tigurina clare vertit, *ne hæreas in errore impiorum. Fac Dominum ante mortem prædices. Mortuum non secus ac si esse desierit, laudatio deficit: vivus autem et corde sanus laudabit Dominum, et de misericordia ipsius gloriabitur.* Vide Franciscum Lucam in *Notat.* hic.

Vers. 27. 27. CONFITEBERIS VIVENS, VIVUS ET SANUS CONFITEBERIS, ET LAUDARIS DEUM, ET GLORIFICABERIS IN MISERATIONIBUS ILLIUS, — quibus tibi pœnitenti, innumeris aliis præteritis, quos in sceleribus mori et damnari permisit, tot et tanta peccata condonavit, ut patet ex dictis. Complutenses et Tigurina pro *sanus* legunt *sanus corde*, qui scilicet cor a peccatis et concupiscentiis avellens, sanum habet, quia sanatum per Dei gratiam, charitatem et virtutes. Hic enim aptus, habilis et dispositus est ad laudandum, non vero ille qui sanus est corpore, sed æger, imo insanus est corde et mente, quia servit suis libidinibus. Verum Noster et alii absolute legunt *sanus, q. d.* Dum vivis et viges tam corpore quam mente, confitere, quia languore premente rara est hujusmodi vera confessio, et morte instante rarissima; meretur enim infirmus ut moriens obliviscatur sui, qui vivens oblitus est Dei, ait ex S. Augustino Palacius. Alludit, imo citat verba Ezechiæ regis ægrotantis, ac Deum pro sanitate deprecantis, *Isaiæ* XXXVIII, 19.

In eos qui juventutem dant voluptati, senium pœnitentiæ.

Audi consilium S. Basilii, orat. 4 *De Pœnit.* : « Quid facis, inquit, o homo? cum multum valeas in agendo, juventutem tuam in peccatis traducis; ubi vero in labore fracta fuerint instrumenta, tunc ipsa ad Deum adducis, cum illorum nullus sit usus, sed necessario labant ac torpent ob longi temporis tabem. » Et S. Ambrosius : « Quid potest, inquit, habere laudis, si effœtum corpus voluptatibus, et jam senectutis gelu frigidum, ad sera devotionis officia, deposito jam senior vigore convertat? » Quin et Seneca, lib. *De Brevit. vitæ* : « Non pudet, ait, te reliquias vitæ tibi reservare, et id solum tempus bonæ menti destinare, quod in nullam rem conferri possit? Quam serum est tunc vivere incipere, cum desinendum est mori ! » Denique S. Augustinus, lib. L, *Homil.* 41 : « Agens, ait, pœnitentiam ad ultimum, et reconciliatus, si securus hinc exit, ego non sum securus. » Et infra occurrens tacitæ objectioni : « Debeo, inquit, plenius exponere, ne me aliquis male intellexisse intelligat; numquid dico, Damnabitur? non dico. Sed dico etiam, Liberabitur? non. Sed quid dicis mihi? nescio, non præsumo, non promitto, nescio. Vis te dubio liberare? vis quod incertum est evadere? age pœnitentiam dum sanus es, quando peccare potuisti, etc. Si autem vis agere pœnitentiam tum quando peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa, etc. Sed unde scis, inquis, ne forte Deus dimittat mihi? verum dicis. Unde? nescio; illud scio, hoc nescio. Nam ideo tibi do pœnitentiam, quia nescio; nam si scirem tibi nihil prodesse, non darem; item si scirem tibi prodesse, non te admonerem, non te terrerem. Duæ res sunt : aut ignoscitur tibi, aut non ignoscitur; quid horum tibi futurum sit, nescio; ergo tene certum, dimitte incertum. »

Trop. sui accusatio est via ad Deum.

Tropologice, sanus corde, id est, qui ex corde morbos vitiorum depulerit, et virtutes acquisierit, ut in iis, ac præsertim in humilitate, proficiat, ne confundatur aperire coram fratribus defectus et culpas suas. Nam et sic Deum laudat, ac quia se

miserum sustinet, laudabilem prædicat, ideoque gloriabitur in miserationibus ejus, quas ob humilem culparum confessionem accipiet. Quocirca S. Dorotheus, *doctrina* 7, hanc potissimum viam ad Deum assignat, ut homo seipsum in omnibus semper accuset. Et Abbas Pastor virtutes omnes aiebat ad unius domum commigrasse, quæ est ut seipsum homo accuset.

Vers. 28. 28. QUAM MAGNA MISERICORDIA DOMINI, ET PROPITIATIO ILLIUS, CONVERTENTIBUS AD SE! — Complutenses addunt ὁσίως, id est *sancte;* Syrus, *quam multæ sunt misericordiæ Dei, qui parcit iis qui revertuntur ad eum! quia non est hujusmodi in homine, neque consilium ejus est sicut consilia filiorum carnis;* Tigurina, *quam ingens est misericordia Dei nostri, quamque obvia sancte conversis ad eum ipsius placabilitas!* Palacius censet esse mimesin : Siracidem enim imitari verba confitentis, imo modum confitendi, id est laudandi, ei præscribere, nimirum ut remissionem a Deo consecutus, tantum Dei beneficium admirans, exclamet et dicat : « Quam magna misericordia, » etc.

Melius Jansenius censet esse verba Siracidis ad hoc ab eo prolata, ut peccatores ad pœnitentiam invitet, per commendationem misericordiæ Dei, quæ tanta est, ut ore exprimi, mente concipi nequeat; est enim immensa, incomprehensibilis et infinita. Vis scire quanta sit misericordia Dei in peccatorem, quem in gratiam recipit? Metire *primo,* quanta sint inferni tormenta; horum enim mensura est mensura misericordiæ Dei: hæc enim ab illis peccatorem reum liberat. Metire *secundo,* vilitatem et miserias hominis peccantis; has enim omnes sorbet misericordia Dei, sicut mare sorbet guttas pluviæ. Unde abyssus miseriæ nostræ invocat abyssum divinæ misericordiæ. Metire *tertio,* multitudinem et enormitatem peccatorum omnium; hæc enim cuncta in immensum transcendit Dei misericordia, præsertim quia non tantum illa omnia, quantumvis multa et gravia, condonat et abolet quoad culpam et offensam, sed et pro iis substituit et surrogat Dei gratiam, amicitiam, filiationem, hæreditatem et gloriam æternam. Adde, eamdem abolere semper pœnitenti partem pœnæ, ac subinde totam pœnam, uti contigit S. Magdalenæ, ait Lyranus. Vere ergo « superexaltat misericordia judicium, » *Jacobi* II, 13. Magna et incomprehensibilia sunt opera Domini, sed « miserationes ejus super omnia opera ejus, » *Psal.* CXLIV, 9.

Tres mensuræ misericordiæ Dei.

Dicat ergo pœnitens Deo reconciliatus cum S. Magdalena, cum S. Pelagia, cum S. Maria Ægyptiaca, est similibus : « Misericordias Domini in æternum cantabo. Deus meus, misericordia mea. Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea, » *Psal.* XCIII, 17. « Quoniam secundum altitudinem cœli a terra, corroboravit misericordiam suam super timentes se. Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras, » *Psal.* CII, 11. Eleganter S. Chrysostomus, homil. 2 *in Psalm.* L, ad vers. 1 : « Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam, » eamdem exaggerans, exclamat : « O grandis misericordia Domini! Cum omnis mundus conclusus in peccatis esset, venit creator universitatis, et principia peccantium evacuavit, ut nullus postmodum desperaret de sua salute. Si impius es, cogita publicanum; si immundus es, attende meretricem; si homicida es, perspice latronem; si iniquus es, cogita blasphemum. Considera Paulum Apostolum, prius persecutorem, postea annuntiatorem; prius prævaricatorem, postea dispensatorem; ante hoc zizania, post hoc frumentum; antea lupum, postea pastorem; antea plumbum, postmodum aurum; antea piratam, postea gubernatorem. » Et inferius : « Quid enim est peccatum ad Dei misericordiam? Tela araneæ, quæ vento flante nusquam comparet. »

Vers. 29. 29. NEC ENIM OMNIA POSSUNT ESSE IN HOMINIBUS, QUONIAM NON EST IMMORTALIS FILIUS HOMINIS, ET IN VANITATE MALITIÆ PLACUERUNT. — Tigurina, *et vitiorum vanitate delectamur.* Dat hic causam illius tantæ misericordiæ Dei, nimirum, magnam miseriam hominum, ut per eam rursum alliciat homines ad facilem peccatorum confessionem, et ad spem veniæ a Dei misericordia impetrandæ, *q. d.* Ne mireris tantam esse Dei misericordiam, quia scit Deus homines valde esse fragiles et caducos; quare eorumdem, dum in peccata labuntur, facile miseretur cum resipiscunt, juxta illud *Psal.* CII, 13 : « Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se : quoniam ipse cognovit figmentum nostrum. »

NEC ENIM OMNIA POSSUNT ESSE IN HOMINIBUS, — *q. d.* Non est hominum omnimoda perfectio, quia miseri sunt, debiles et infirmi; ideo nequeunt in eis esse omnia, quæ jure inesse deberent, quæque ab eis desiderantur: quia qui ex homine mortali natus est, non est immortalis, immutabilis et a corruptione liber, inquit Jansenius; sed eo ipso quo ex homine natus, mortem secum trahit, et cum morte instabilitatem, hujus vitæ fragilitatem, defectum, corruptionem, et ad vitia proclivitatem; ideoque crebro peccat, et mala vanitate delectatur, ac concupiscentiæ vetitæ ei placent. « Sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua, » *Gen.* VIII, vers. 21. Ita Rabanus, Lyranus, Jansenius.

Vers. 30. 30. QUID LUCIDIUS SOLE? ET HIC DEFICIET. AUT QUID NEQUIUS QUAM QUOD EXCOGITAVIT CARO ET SANGUIS? ET HOC ARGUETUR. — Τὸ *aut* ponitur pro *et;* cujus phrasis similia exempla sunt *Deut.* XXVII, vers. 16, *Proverb.* cap. XX, vers. 20, uti explicatur *Matth.* XV, 4, et alibi. Rursum τὸ *et* ponitur pro *sic.* Est enim nota comparationis; comparat enim defectum carnis cum defectu solis. Unde Græca sic habent, *quid solis luce splendidius? et hæc deficiet, et* (id est *sic, pariter*) *malum cogitabit caro et sanguis.* Cui lectioni nostram Latinam

accommodandam esse censet Jansenius, sicque legendum : « Aut quid nequius excogitavit caro et sanguis, » uti nonnulli codices habent, atque hunc dat sensum, eumque varium et multiplicem : « Cum lucidissimus, ait, omnium sol non sit sine defectu, quid caro et sanguis, hoc est, homo ex sese plane fragilis, cogitabit nequius, quam scilicet ut nolit agnoscere suum defectum, suam fragilitatem et frequentes lapsus, sed superbe se efferat quasi sole superior? Id sane si fecerit, graviter idipsum arguetur et vindicabitur. Nam etiam scripta quædam habent futurum, *excogitabit,* ut habent Græca. Potest et hic esse sensus : Quid nequius, hoc est, quantum malum cogitabit caro et sanguis? ut comparativus *nequius* accipiatur pro positivo, sicut positivum Græca habent, et *quid* accipiatur admirative. Aut certe sensus est : Quid nequius excogitabit caro et sanguis, quam scilicet assidue cogitat? ut significetur corruptionem hominis omnium malorum causam esse, et pessima quæque excogitare. » Verum hi sensus uti incerti et dubii sunt, ita multa supplent quæ non habentur in textu. Rursum codices Græci hic mire variant, ut eis stare et fidere nequeamus. Romani enim Caraffæ legunt, *et malus excogitabit carnem et sanguinem;* Vaticanus, *et malum excogitabit caro et sanguis;* Complutenses pro πονηρόν, id est *malum,* per diæresim legentes ἀνὴρ ὅς, vertunt, *et vir qui cogitabit carnem et sanguinem,* repete, deficiet a bono et peccabit.

Quare standum est Latinæ Vulgatæ versioni a Romanis emendatæ, quæ clara est et plena, sicque habet : « Quid lucidius sole? et hic deficiet; aut quid nequius quam quod excogitavit caro et sanguis? » Probat id quod dixit vers. præced. : « Nec enim omnia possunt esse in hominibus, quoniam non est immortalis filius hominis, et in vanitate malitiæ placuerunt; » hosce, inquam, duos hominis defectus, scilicet naturalem per mortem, moralem per malitiam, probat ex simili defectu solis, *q. d.* Si sol qui lucidissimus est, deficit, Græce ἐκλείπει, id est, eclipsin et defectum patitur, tum quando luna vel nubes se interponunt inter eum et terram, tum quando sol migrat ad Antipodes, itaque terræ pars inferior inter eum et nos se interjicit; rursum sol defecit in passione Christi, et deficiet in fine mundi: quid ergo mirum si homo deficiat, et tenebras peccati, indeque mortis, patiatur? homo, inquam, qui constat carne et sanguine : quid enim nequius quam quod excogitavit caro et sanguis? Sensus est: Quid nequius est peccatore, qui sequitur inventiones et suggestiones concupiscentiæ suæ et vitiosæ naturæ? Est enim homo peccator pessimum omnium animalium, ut ait Aristoteles, lib. I *Politic. q. d.* Ergo homo longe abest a perfectione et stabilitate. Si enim sol deficit, quid mirum deficere hominem, idque nequiter in peccata carnalia, ad quæ maxime propendet, cum ex ipsa nequitia carnis et sanguinis consutus et compactus videatur? Unde Tigurina vertit, *quid luce solis splendidius? atqui hæc quoque deficit: non modo caro sanguisque male cogitans in crimen incurret;* Syrus, *cum transit sol a die, etiam ille habet tenebras : ita etiam homo subjugavit concupiscentiam suam, quia caro et sanguis est.*

At cur deficit sol? Respondeo, quia est creatura, cujus proprium est posse deficere. Addit S. Chrysostomus, homil. 6 *in Genes.*, ut ex defectu liqueat, solem non esse Deum, uti censuere Persæ aliæque gentes, deceptæ tanto solis fulgore : « Ne te decipiat spectaculum, ait Chrysostomus, ne creatoris honor creaturæ deferatur, » ne tantum lumen putetur esse Numen. Ubi enim est defectus, ibi nequit esse Divinitas et Numen.

Objicit Jansenius : Dæmon est nequior carne et sanguine; ergo non recte, nec vere dicitur : « Quid nequius quam quod excogitavit caro et sanguis? » nam nequius est quod excogitavit dæmon; item quod excogitat non infirmitas carnis, sed mala voluntas, sive malitia hominis. Respondeo, « Quid nequius? » subaudi, in terra inter homines, qui sub sole degunt in orbe hoc elementari; dæmon autem fuit incola cœli, nunc est inferni. Adde, per *carnem et sanguinem* hic intelligi concupiscentiam, quæ tam in dæmone est quam in homine : concupiscentia autem nil est nequius.

Pro quo nota : *Caro et sanguis* in Scriptura nunc significat hominem carne præditum, nunc carnis concupiscentiis deditum, nunc corruptionem carnis, nunc concupiscentiam, sive ea in carne, sive in mente resideat, uti sunt concupiscentia iræ, vindictæ, malitiæ, superbiæ, blasphemiæ, etc. Unde Apostolus hæc inter opera carnis recenset *Galat.* v, 19. Causas varias hujus phrasis dedi can. 34 in S. Paulum. Vide eas, si lubet. Præcipua est, quia caro in homine est officina, imo figulina animæ; atque sicut anima carni suas passiones, sic vicissim caro animæ suas affectiones affricat et communicat. Unde in ira quæ est in mente, ebullit sanguis et bilis in carne; idem est de cæteris passionibus. Alludit ad *Genes.* vi, 5 : « Cuncta cogitatio cordis intenta ad malum. » Ubi Hebr. est יֵצֶר *ietser,* id est *figulina,* in qua homo quasi figulus fingit, pingit et format suas imaginationes, concupiscentias et desideria. Sicut ergo caro quasi mutatur in spiritum, cum ipsum sequitur : ita mens ac voluntas in carnem quasi transformantur, cum ipsam sectantur. Hinc et diabolus omnes suas tentationes in homine per carnem et sanguinem, perque concupiscentiam homini insidentem excogitat et suscitat. Cum igitur homo secum jugiter afferat hanc carnis et concupiscentiæ sentinam, ac quasi cloacam fœtentium delictorum, quid mirum si aliquando delinquat?

Caro figulina animæ.

Dicit hoc Siracides, tum ut hominem humiliet, et in sancto timore contineat, moneatque jugiter cum carne et sanguine dimicare, ejusque motus statim elidere; tum ut eum in spem erigat divinæ

næ misericordiæ : hæc enim conscia hujus humanæ infirmitatis et miseriæ, prona est ut ejus misereatur eique succurrat; imo idcirco Verbum caro factum est, ut per experientiam disceret compati infirmitatibus nostris, *Hebr.* IV, 15; et cap. II, 14 : « Quia, inquit, pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem, ut per mortem destrueret eum qui mortis habebat imperium. » Ita diserte se explicat Siracides cap. seq. vers. 7, 8, 9, 10.

Quocirca τὸ *nequius, primo,* proprie idem est quod pejus, sceleratius; *secundo,* idem quod miserius, ærumnosius, *q. d.* Quid miserius quam quod excogitat caro et sanguis? excogitat enim delicias gulæ et veneris, quæ non nisi dolores creant, morbos et interitum, ut homo redeat in terram et cinerem. Sic enim τὸ *nequam* pro misero, et eo quod affligit, sumit Noster cap. seq. vers. 7, 10, et alibi. Et sic ait Christus *Matth.* VI, « 34 : Sufficit diei malitia, » id est miseria, afflic« tio, sua. »

Alludit ad *Job.* cap. XXV, 5 : « Ecce luna etiam non splendet, et stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus. Quanto magis homo putredo et filius hominis vermis » non est mundus a peccato in conspectu Dei? Et cap. XV, vers. 15 : « Ecce inter sanctos ejus nemo immutabilis, et cœli non sunt mundi in conspectu ejus. Quanto magis abominabilis et inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem? »

Denique ex eo quod hic dicitur, *sol deficiet,* æque ac *Isaiæ,* cap. XXXIV, 4, et cap. LXV, 17, et *Apoc.* XXI, 1, S. Chrysostomus, Theodoretus, Œcumenius et alii putant in fine mundi solem, lunam, astra, cœlos et elementa omnia substantialiter esse annihilanda, vel corrumpenda, ac alium solem, cœlos et terram esse creanda : de qua re plura dixi *Isaiæ* XXXIV, et II *Petri* III, 10.

ET HOC ARGUETUR. — Ita Romana : in judicio, scilicet, condemnabitur et punietur a Deo, ne putet homo se ob sequelam naturalis suæ concupiscentiæ, per propitiam Dei misericordiam evasurum ejus judicium et ultionem. Quia, ut dictum est Caino, *Gen.* IV, 7 : « Subter te erit appetitus ejus : » quare si eum mala germinantem non coercueris, vapulabis.

Vers. 31. 31. VIRTUTEM ALTITUDINIS COELI IPSE CONSPICIT : ET OMNES HOMINES TERRA ET CINIS. — Tigurina, *ille molem celsi cœli perlustrat, omnes autem homines terra pulvisque sunt.* « Ipse, » scilicet sol, qui præcessit. *Virtutem,* Græce δύναμιν, quod vim et potentiam, indeque exercitum potentem significat; unde cum Deus Hebr. vocatur *Adonai sabaot,* id est, *Dominus exercituum,* Septuaginta vertunt, Κύριος δυνάμεων, id est *Dominus virtutum.* Sensus ergo est, *q. d.* « Virtutem, » id est, exercitum altissimi cœli vel altissimorum cœlorum, puta planetas et stellas, quarum dux quasi est sol, ipse sol tanquam imperator conspicit et perlustrat : homo vero terræ vermiculus est, ex terræ pulvere compactus, et iterum in terræ cinerem rediturus. Et tamen sol tam illustris deficit, patiturque eclipses : non mirum ergo homines tam miseros et fragiles deficere, labi ac peccare. *Terra* significat originem hominis, quia ex terra formatus est Adam; *cinis,* finem et interitum, quia moriens in cinerem vertitur. Rationem dat Jansenius : Cum enim, inquit, anima in homine sit velut ignis continue movens et motus, corpus anima destitutum est velut carbo qui in cinerem resolvitur. Unde impii, *Sap.* II, 2, dicunt : « Fumus flatus est in naribus nostris, et sermo scintilla ad commovendum cor nostrum : qua exstincta, cinis erit corpus nostrum, et spiritus diffundetur tanquam mollis aer, » *q. d.* Vita nostra non est aliud quam vivax ignis in corde existens, qui ad motionem cordis nostri emittit de se scintillas, scilicet sermonem et verba quæ loquimur, et fumum, scilicet halitum respirationis, sicut ignis cum movetur, evomit scintillas et fumum.

Virtus triplex. Primo.

Secundo, Lyranus, Dionysius et Palacius τὸ *ipse* referunt ad Deum, de quo vers. 28, *q. d.* Adeo Deus magnus est, ut tota virtus a cœlo ad terram ab ipso intime conspiciatur : interim videt quod virtus et robur hominis est terra et cinis. An non igitur miserebitur ejus? Videt Deus vires Angelorum, cœlorum, elementorum et omnium aliorum. Videt igitur vires hominis, quod sint ex corpore, terra; ex anima, cinis : miseretur igitur tam languidæ rei. Sic et Rabanus : « In cœli nomine, ait, cœlestem designat creaturam; in hominis vero, terrestrem : et hoc ostendere vult, quod cœlestis et terrestris creatura ejus æqualiter factura est. Mystice autem virtutem altitudinis cœli Deus conspicit, quando perfectionem sanctorum probando dinumerat. Hominis vero fragilitatem nihilominus novit, cum peccatorum reprobando vitam despicit; quorum opera pulveri et cineri comparantur, quia examine venturi judicii omnino dissipabuntur, et ad nihilum redigentur. » Secundo.

Tertio, Syrus vertit, *virtutes cœlorum judicat Deus, etiam filios hominum qui sunt pulvis et cinis, q. d.* Deus judicavit et damnavit Angelos, cum ipsi facti sunt dæmones : quanto magis judicavit homines viles et miseros? Græcum enim ἐπισκέπτεται idem est quod inspicit, visitat, judicat. Simili argumento concludit Apostolus dicens, I *Corinth.* VI, 3 : « Nescitis quoniam Angelos judicabimus? quanto magis sæcularia? » Tertio.

Denique noster Pineda in *Job.* cap. XXXVIII, vers. 15, totum hunc locum a τῷ *quid lucidius sole?* usque ad finem capitis, apposite refert ad pœnam lapsus Adami, puta ad privationem lucis, tum vitæ et immortalitatis, tum felicitatis animæ et corporis, in qua a Deo conditus erat : proxime enim præcessit : « Quoniam non est immortalis filius hominis, et in vanitate malitiæ placuerunt. » Initio enim capitis recensuit creationem hominis, dotesque illi inditas, præsertim quod Deus vesti-

verit eum virtute sua divina; deinde vers. 15, ait : « Testamentum æternum constituit cum illis, et dixit : Attendite ab omni iniquo, ut, scilicet, quasi ex pacto, fœdere pietatis et obedientiæ, felicissimo statu, tum corporis, tum animæ, et rerum omnium amplissima potestate potirentur : sin minus, lux illa felicissima illis auferretur, et in supplicium tum ærumnis aliis, tum incredibili corporis et animi infirmitate afficerentur. » Deinde, commemorato hominum lapsu et iniquitatibus, quibus pactum cum Deo initum violarunt, concludit : « Quid lucidius sole ? et hic deficit. Aut quid nequius quam quod excogitavit caro et sanguis ? et hoc arguetur. Virtutem altitudinis cœli ipse conspicit, et omnes homines terra et cinis ; id est, etiam sine ullo peccato aut culpa sua aufertur homini lux ista solis, quam conspicimus, sive subeunte nocte, sive opposita umbra alterius astri : quanto igitur majori jure impiis cogitationibus quæ carnis et sanguinis sunt, auferetur lux ? Cœlestis ille globus obscuratur : non obscurabitur qui ex terra factus est homo, et arguetur peccati, damnabiturque mortis, ut revertatur in terram et cinerem ? Hac ipsa eadem profecto ratione ad pietatem, et jucundam ac tranquillam terræ ac luminis possessionem hortatur Baruch, cap. III, 13, quasi cum Adamo locutus. »

Porro pendent hæc omnia a vers. 28, ubi commendavit misericordiam Dei, *q. d.* Omnes creaturæ, adeoque sol ipse, patitur lucis defectum, ideoque ut eum instauret et conservet, eget misericordia, ope et influxu Dei : multo ergo magis eumdem patitur homo peccator, qui e palude terræ quasi ranunculus prodiit, et per mortem in tenebrosum atrumque cinerem est reversurus; ideoque multo magis eget misericordia Dei, tum ut a tenebris peccati redeat ad lucem gratiæ, tum ut a tenebris mortis reviviscat ad lucem vitæ et gloriæ sempiternæ : peccatum enim est summus defectus, summa eclipsis animæ humanæ, quam nemo tollere et illuminare potest nisi æternus justitiæ sol Christus Dominus. Rursum pendent hæc a vers 26 : « A mortuo quasi nihil, perit confessio. Confiteberis vivens, » *q. d.* Sicut sol dum lucet vigetque, sua luce confitetur, id est, laudat et glorificat, Deum sui auctorem ; at vero cum deficit, occidit, et quasi emoritur, deficit cum luce, et obtenebrescit pariter ejus confessio, laus et glorificatio Dei : ita similiter homo vivens, tum corpore, tum anima per gratiam et spiritum Dei, laudat Deum utriusque vitæ, naturalis scilicet et spiritalis, auctorem. At vero ubi emoritur, vel naturaliter per mortem, vel moraliter per culpam, cum vita desinit pars ejus (corpus) laus et glorificatio Dei. In culpam enim pronissimus est homo, quia ipse non est aliud quam caro et sanguis.

Peccatum est summa eclipsis animæ.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit in laude magnalium Dei, celebratque ejus potentiam et misericordiam erga miserum hominem, eamque nobis imitandam proponit usque ad vers. 19. Inde ad finem varia affert documenta ethica, quæ omnia fere tendunt ad memoriam diei judicii, ut illud semper præ oculis habeamus, ad illudque nos comparemus per fugam concupiscentiarum et studium virtutum.

1. Qui vivit in æternum, creavit omnia simul. Deus solus justificabitur, et manet invictus Rex in æternum. 2. Quis sufficit enarrare opera illius? 3. Quis enim investigabit magnalia ejus? 4. Virtutem autem magnitudinis ejus quis enuntiabit? aut quis adjiciet enarrare misericordiam ejus? 5. Non est minuere, neque adjicere, nec est invenire magnalia Dei. 6. Cum consummaverit homo, tunc incipiet : et cum quieverit, aporiabitur. 7. Quid est homo, et quæ est gratia illius? et quid est bonum, aut quid nequam illius? 8. Numerus dierum hominum ut multum centum anni : quasi gutta aquæ maris deputati sunt : et sicut calculus arenæ, sic exigui anni in die ævi. 9. Propter hoc patiens est Deus in illis, et effundit super eos misericordiam suam. 10. Vidit præsumptionem cordis eorum quoniam mala est, et cognovit subversionem illorum quoniam nequam est. 11. Ideo adimplevit propitiationem suam in illis, et ostendit eis viam æquitatis. 12. Miseratio hominis circa proximum suum : misericordia autem Dei super omnem

carnem. 13. Qui misericordiam habet, docet, et erudit quasi pastor gregem suum. 14. Miseretur excipientis doctrinam miserationis, et qui festinat in judiciis ejus. 15. Fili, in bonis non des querelam, et in omni dato non des tristitiam verbi mali. 16. Nonne ardorem refrigerabit ros? sic et verbum melius quam datum. 17. Nonne ecce verbum super datum bonum? sed utraque cum homine justificato. 18. Stultus acriter improperabit : et datus indisciplinati tabescere facit oculos. 19. Ante judicium para justitiam tibi, et antequam loquaris, disce. 20. Ante languorem adhibe medicinam, et ante judicium interroga teipsum, et in conspectu Dei invenies propitiationem. 21. Ante languorem humilia te, et in tempore infirmitatis ostende conversationem tuam. 22. Non impediaris orare semper, et ne verearis usque ad mortem justificari : quoniam merces Dei manet in æternum. 23. Ante orationem præpara animam tuam : et noli esse quasi homo qui tentat Deum. 24. Memento iræ in die consummationis, et tempus retributionis in conversatione faciei. 25. Memento paupertatis in tempore abundantiæ, et necessitatum paupertatis in die divitiarum. 26. A mane usque ad vesperam immutabitur tempus, et hæc omnia citata in oculis Dei. 27. Homo sapiens in omnibus metuet, et in diebus delictorum attendet ab inertia. 28. Omnis astutus agnoscit sapientiam, et invenienti eam dabit confessionem. 29. Sensati in verbis et ipsi sapienter egerunt : et intellexerunt veritatem et justitiam, et impleverunt proverbia et judicia. 30. Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere. 31. Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis. 32. Ne oblecteris in turbis nec in modicis : assidua enim est commissio illorum. 33. Ne fueris mediocris in contentione ex fœnore, et est tibi nihil in sacculo : eris enim invidus vitæ tuæ.

PRIMA PARS CAPITIS.

Vers. 1. Deus creavit omnia simul, quo sensu?

1. QUI VIVIT IN ÆTERNUM, CREAVIT OMNIA SIMUL. — Quæres, quomodo *simul?* nam *Genes.* I liquet ea esse successive creata a Deo per sex primos mundi dies. S. Augustinus et eum secutus Cajetanus, ex hoc loco contendit ad litteram omnia uno eodemque die simul a Deo esse creata : sex vero illos dies qui nominantur *Genes.* I, vel significare ordinem creaturarum inter se, quæ scilicet prima sit, quæ secunda, quæ tertia; vel mystice esse accipiendos, tantumque significare varias Angelorum cogitationes et considerationes circa res creatas, quarum una secundum se poscebat prius fieri quam altera. Ita ipse, lib. IV *De Genes. ad litter.* cap. XXXIII et XXXIV; et lib. V, cap. XXIV; et lib. VI, cap. III; et auctor *De Mirabil. S. Scriptur.*, lib. I, cap. I, qui exstat tom. III S. Augustini. Sex, inquit, dies in Genesi, in Angelorum diversa intelligentia sunt accipiendi. Verum ad litteram sex illos dies ut sonant esse accipiendos, ut per eos successive res sint creatæ, liquet ex simplici narratione Mosis, *Genes.* I. Vide ibi dicta.

Respondeo primo.

Primo ergo, melius alii respondent omnia simul esse creata creatione proprie dicta. Creatio enim est et dicitur, cum res producitur ex nihilo, sine ulla materia præjacente. Talis autem fuit duntaxat primo die, imo primo instanti mundi : illo enim creavit Deus cœlum, terram et abyssum ex nihilo; ex illis deinde cætera omnia sequentibus quinque diebus non tam creavit, quam formavit et distinxit. Quare omne quod proprie creavit ex nihilo, hoc totum primo die creavit : primo enim die creavit omnem mundi materiam, ex qua cæteris diebus cuncta in suas species et formas effinxit, sicut figulus ex luto varias vasorum formas effingit. Ita Franciscus Suarez, lib. I *De Opere sex dierum*, cap. X, num. 22.

Secundo.

Hinc *secundo*, « simul, » quia primo mundi die virtute omnia simul creata sunt: nam simul factæ sunt principales mundi partes, scilicet cœli et elementa, in quibus alia virtute et quasi in semine continebantur, atque ex illis postea cætera omnia facta sunt : astra enim de cœlo facta sunt, viventia vero ex aquis et terra. Ita S. Gregorius, XXXII *Moral.* cap. IX et X, D. Thomas I p. *Quæst.* LXXIV, art. 2, ad 2, Rabanus, Hugo, Dionysius, Lyranus, et alii hic.

Tertio.

Tertio, « omnia » generice, id est, tam corporalia quam spiritualia, puta tam cœlum et elementa, quam Angelos, simul primo instanti creavit Deus. Ita Concilium Lateranense, C. *Firmiter*, de summa

Trinit. et Fide cathol. de Deo ait : « Qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, et deinde humanam. » Ubi cum post τὸ *simul* subjungat deinde humanam, indicat plane τὸ *simul* excludere successionem, et opponi ad *postea* sive *deinde*, *q. d.* Initio temporis et mundi creati sunt Angeli et cœli, ac deinde homines; ita Suarez, lib. I *De Angelis*, cap. III, num. 9 et seq.

uarto. *Quarto*, « simul, » quia sub idem tempus brevi temporis interstitio omnia condita sunt, puta in principio temporis per sex primos mundi dies, inquit Ludovicus Molina *De Opere sex dierum*. Sic *Genes.* II dicitur : « Hæ sunt generationes cœli et terræ, quando creata sunt, in die quo fecit Deus cœlum et terram; in die, » id est, in diebus, propter breve temporis intervallum. Et *Marc.* X : « Ab initio creaturæ masculum et feminam fecit eos, » et tamen id factum non primo, sed sexto mundi die. Et *Joan.* VIII : « Ille homicida erat ab initio, » id est, paulo post initium; nam initio, id est in primo instanti, dæmon creatus est integer et justus.

Quinto. *Quinto*, « simul, » Græce κοινῇ, id est pariter, nulla re excepta, *q. d.* Omnia pariter a Deo sunt creata : nihil est quod ab eo non sit creatum. Ita Jansenius et alii.

Sexto. *Sexto*, « creavit omnia simul, » non in propriis ipsorum naturis, sed in sua sapientia et idea : simul enim omnium ideam mente concepit, ut deinde quælibet suo tempore produceret. Ita Rupertus, lib. II *in Genes.* cap. XVIII, ut τὸ *creavit* significet actum non realem, sed mentalem : « creavit, » id est, creare destinavit, creatorum et creationis exemplar mente concepit : « Creavit, inquit, omnia simul in sua sapientia, ut unumquodque illorum in sua propria faceret essentia. » Hæc Rupertus.

Has tres ultimas expositiones affert et sequitur Gabriel Vasquez, I p. *Quæst.* LXI, disp. 224, cap. II, et Gregorius de Valentia, I p. disp. 5, *Quæst.* II, puncto 2, ad 1.

Idem Valentia, disp. 4, *Quæst.* XII, puncto 2, ic; timo. sub finem, *septimo*, respondet omnia simul esse creata, quia eadem fuit actio creativa omnium in Deo : hæc enim in Deo fuit una eademque simul, quæ in mundo per sex dies successive varia, imo omnia et singula produxit et formavit. In Deo enim omnia sunt unum : ideoque in eo una est actio, qua omnia producit; idque simul, quia in eodem nunc æternitatis suæ, quod in eo unum idemque semper permanet.

Octavo. *Octavo*, Palacius : Τὸ *simul*, inquit, non significat unicum instans, sed rerum continuationem, *q. d.* Deus non intercidit suam operationem in creando universo, sed continenter per sex dies omnia quæ in eo sunt creavit, et sabbato requievit. Itaque sensim et continue extendebat cœlos ut pellem, *Psalm.* CIII; sensim et continue faciebat arbores suos proferre fructus, mare pisces, terram animalia et plantas.

Nono, τὸ κοινῇ, id est *communiter*, aliqui in Græ- Nono.
cis Roman. sic explicant, *q. d.* Deus creavit res omnes communes, id est profanas, si cum Creatore conferantur, qui solus usquequaque justus est. Unde sequitur, *dominus solus justificabitur*. Addunt Complutenses, *distinguens in eis sancta a profanis*.

Decimo, S. Augustinus, *De Genesi ad litter.* Im- Decimo.
perfect. cap. VII, pro *creavit* legit, *complevit omnia simul*, quia scilicet Deus die septimo absolvit totum opus creationis. Omnes hæ expositiones sunt probabiles, præsertim primæ quinque, sed maxime genuina videtur quinta.

Primo, quia hoc significat Græcum κοινῇ, id est Genuina est quinta.
communiter, pariter, nullo scilicet excepto : quod Probatur primo.
proinde referendum est non ad τὸ *creavit*, sed ad τὸ *omnia*, *q. d.* Omnia simul, id est pariter, nullo excepto, creavit Deus, ita ut nullum sit ens, quod Deo suum esse non debeat, seque ab eo creatum confiteri non cogatur.

Secundo, quia idem significat alibi τὸ *simul*, ut Secundo.
Psalm. XIII : « Omnes declinaverunt simul, » id est communiter, nullo excepto. *Psalm.* XLVIII, 3 : « Simul in unum dives et pauper; » et vers. 11 : « Simul (id est pariter, non eodem tempore) insipiens et stultus peribunt; » et sæpe alibi.

Tertio, quia pro *simul*, vertunt *communiter* Com- Tertio.
plutenses, Romana, Tigurina et cæteri.

Quarto, idem patet ex præcedentibus et seq., Quarto.
atque ex scopo Siracidis. Scopus enim ejus est docere, tam solem quam hominem, cæteraque omnia creata esse a Deo simul, id est communiter, pariter, ac proinde omnia omnino arguere immensam Dei potentiam, bonitatem et misericordiam; eaque jugiter indigere, ut in sua natura quam a Deo acceperunt, conserventur, suosque defectus et eclipses suppleant et restaurent. Ad hoc autem impertinens est quod simul, id est, eodem instanti temporis, omnia sint creata.

DEUS SOLUS JUSTIFICABITUR (nonnulli codices Græci legunt, *justus est*), ET MANET INVICTUS REX IN ÆTERNUM. — Hic versus pendet a præcedenti : ille enim ibi inchoatus hic expletur. Unde Tigurina vertit, *qui degit ævum* (inhabitator æternitatis), *cuncta creavit simul Dominus, qui solus est justus, nec præter eum est alius, et manet invictus rex in æternum*, *q. d.* Qui vivit in æternum, et creavit omnia simul, est dominus omnium, qui solus justificabitur, et manet invictus rex in æternum. Deum enim opponit soli, homini et creaturis, quod hæ omnes deficiant, peccent, mutentur, emoriantur; Deus autem perpetuo sine defectu maneat sibi similis, justus, perfectus, immortalis, immutabilis et dominans omnibus in æternum. Unde Syrus, vers. 1 et 2, ita vertit, *quis potest manifestare opera ejus, et quis metietur fortitudinem ejus? Mundus totus simul explorat, et Dominus solus justus est* (immutabiliter et essentialiter). Deus enim sicut solus habet perfectionem essentiæ, adeoque ipse est

suum et rerum omnium esse : sic et solus habet perfectionem justitiæ, potentiæ et imperii; a quo uti suum esse tenue et umbraticum, ita et exilem suam et umbraticam justitiam, potentiam et imperium emendicant omnes Angeli et homines. Unde Complutenses addunt, *et non est alius præter eum gubernans* (vel condens, ædificans : hæc enim omnia significat οἰκίζων) *mundum in palmo manus suæ. Ipse enim rex omnium in sua potentia, distinguens in ea sancta a profanis ;* Tigurina, *ipse mundum disponit spithama manus suæ, cunctaque parent voluntati ipsius. Nam ipse potentia sua regit omnia, quæ in eis sancta sunt disjungens a profanis.*

Aliter explicat Palacius, nimirum τὸ *justificabitur* hic eo sensu accipi, quo sumitur a Davide *Psalm.* L, dicente : « Dele iniquitatem meam, ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris, » id est, nisi miserearis pœnitentium, videberis injustus, et vinceris ab his qui te talem audent judicare. At cum miserearis omnibus, solus justificaris, et invictus permanes ab his qui te judicare non verentur. Tu nota, juxta hunc sensum regis esse misereri, et invictum se servare ab his qui judicant eum esse crudelem. Hæc Palacius.

Vers. 2 et 3. 2 et 3. QUIS SUFFICIT ENARRARE OPERA ILLIUS? QUIS ENIM INVESTIGAVIT MAGNALIA EJUS. — Græce ἐξιχνίασε, id est *scrutatus est*, investigavit, in præterito, *q. d.* Nemo plene ad fundum investigavit, aut investigare potuit vel potest, magnalia Dei; ergo nemo plane et plene ea enarrare sufficit. Tigurina vertit, *cuinam explicandi facta sua facultatem dedit, aut quis egregia ipsius facinora investiget?* Simili modo stupens et admirabundus exclamat Apostolus : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? *Rom.* XI, 33.

Quocirca S. Isidorus, lib. *De Natura rerum*, cap. XLIV : « Quis, ait, investigabit magnalia ejus? Ergo quod mortalium naturæ secretum est, hoc divinæ potentiæ relinquendum est. » Nolent hoc hæretici, qui volunt scrutari mysterium Eucharistiæ; et quia illud non capiunt, negant, imperite Dei omnipotentiam ad naturæ et ingenii sui vires arctantes.

Sancti sunt mirum Dei opus. Tropologice Cassianus, *Collat.* XII, XII, pulchre docet Sanctos in se mirari opus Dei, quo ex libidinosis facti sunt casti, de gulosis sobrii, ex feris mansueti. « Quis plane, inquit, non miretur opera Dei, ac toto proclamet affectu : Quia ego cognovi quod magnus est Dominus; cum vel se, vel alium quempiam ex rapacissimo liberalem, ex prodigo continentem, ex superbo humilem, ex delicato ac tenero squalidum hirtumque perspexerit, et egestate atque angustia præsentium rerum etiam voluntarie perfruentem! Ista sunt profecto mira opera Dei, quæ peculiariter anima Prophetæ, similiumque ejus mirificæ contemplationis intuitu stupefacta cognoscit. Ista sunt prodigia quæ posuit Dominus super terram, quæ idem Propheta considerans, ad admirationem eorum cunctos populos advocat, dicens : Venite et videte opera Dei, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella usque ad fines terræ; arcum conteret, et confringet arma, et scuta comburet igni. » Subdit deinde majus Dei opus in Apostolorum creatione : « Quod enim majus potest esse prodigium, quam sub momento brevissimo ex rapacissimis publicanis Apostolos fieri, ex persecutoribus truculentis Evangelii prædicatores patientissimos reddi, ita ut eam quam persequebantur fidem, etiam effusione sui sanguinis propagarent? »

Vers. 4. 4. VIRTUTEM AUTEM MAGNITUDINIS EJUS QUIS ENUNTIABIT? AUT QUIS ADJICIET ENARRARE MISERICORDIAM EJUS? Græce κράτος, id est *vim, robur ;* unde Complutenses, *fortitudinem magnificentiæ ejus quis enumerabit? et quis adjiciet* vel *apponet,* scilicet animum, *ad enarrandum misericordias* vel *beneficia ejus?* Tigurina, *quis vim magnificentiæ ejus percenseat? aut quis conetur miserationes ejus enarrare?* Syrus hæc omnia silentio præterit usque ad vers. 6. Præclare Jansenius : « Inter cætera Dei attributa, ait, quæ nunquam satis prædicari possunt, sunt præcipue duo in Deo stupenda et admiranda : virtus scilicet, robur ac fortitudo magnificentiæ ejus, et misericordia ejus atque bonitas; quæ duo Deo tribuuntur, cum dicitur optimus maximus. Fortitudini ejus non est adjuncta (ut fere in hominibus) crudelitas, et misericordiæ ejus non deest potentia succurrendi quibus miseretur. Fortitudo exigit ut eum suspiciamus et timeamus; misericordia, ut amemus et diligamus. » Alludit ad *Psal.* CV : « Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus? » Vere Minutius Felix in *Octavio* : « Sibi solus, inquit, tantus quantus notus est. » Et S. Augustinus, lib. IV *De Genesi ad litt.* cap. VI, asserit neque ipsis Angelis notam esse divinam substantiam, sicut ipsa est sibi. » Quocirca S. Dionysius, *De Divin. nomin.* et *De Cœlest. Hierarch.*, asserit Deum et divina casto potius honoranda silentio, quam audaci temeranda eloquio, juxta illud *Psal.* LXIV, 1 : « Te decet hymnus Deus in Sion. » Ubi S. Hieronymus vertit, *tibi silentium laus Deus in Sion :* silens enim et muta est omnis nostra Dei laus. Hinc olim foribus templi inscriptum erat silentium, teste S. Chrysostomo, homil. 1 in I *ad Timoth.*

Vers. 5. 5. NON EST MINUERE, NEQUE ADJICERE, NEC EST INVENIRE MAGNALIA DEI, — *q. d.* « Magnalia » sive magnifica opera Dei adeo sunt perfecta, ut eis nihil addere liceat; eadem adeo sunt sublimia, ut eorum rationes et causas perscrutari et invenire sit impossibile. Græca habent, *non est minuere, neque apponere, et non est investigare mirabilia Domini;* Tigurina, *nihil est quod demas aut addas, nec quod pervestiges miracula Domini.* Orationes Isocratis dicuntur adeo perfectæ, ut nihil eis addi, nihil demi possit. Et Quintilianus Græcos oratores comparans Latinis : « Demostheni, ait, nihil demas, Cice-

roni nihil addas. » Nonne hoc justius conveniat operibus Dei? Circulo, ut perfectissimo, nihil addi, nihil auferri potest : ita nec magnalibus Dei, utpote profectis a sapientissimo operatore. Quod si unquam humanum ingenium notam inurit magnalibus Dei, causa est, quia, cum sit finitum, nequit invenire rationem infiniti consilii divini. Quocirca Psaltes, *Psal.* CXLIV : « Exaltabo, inquit, te, Deus meus rex, et benedicam nomini tuo in sæculum, et in sæculum sæculi. Magnus Dominus, et laudabilis nimis; et magnitudinis ejus non est finis, etc. Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur, et mirabilia tua narrabunt. » Vide dicta *Genes.* I et II, ubi ostendi quomodo noxia quoque animalia plura commoda afferant homini totique universo.

Mystice, magnalia Dei sunt perfectionis opera, quæ adeo pulchra et perfecta sunt, ut nec homo in illis defectum, nec excessum inveniat, nec eorum decorem et excellentiam comprehendat. In his operibus cum homo consummatus videtur, tunc, ne ab adepta virtute cadat, oportet ut quasi incipiens ad primum fervorem revertatur et quasi novitius inchoet. Si vero omnino *quieverit*, et progredi ultra noluerit, tunc incipiet esse mendicus et pauper, et *aporiabitur*, id est, his quæ se habere putabat, bonis indigebit : nam impetu suorum affectuum impulsus, in pristina vitia relabetur.

Vers. 6. 6. CUM CONSUMMAVERIT HOMO, TUNC INCIPIET : ET CUM QUIEVERIT, OPERABITUR. — Ita legunt plerique codices Rabani, Lyrani, Jansenii et aliorum : quod Jansenius sic explicat, *q. d.* « Significat eum qui magnitudinem Dei et operum ejus vestigare et enarrare conatus fuerit, cum omne studium eo contulerit, nihil tamen effecturum. Cum, inquit, quisquam absolvisse se putaverit investigationem et enarrationem de Deo, tum demum inveniet tantum supersse, ut quasi de novo incipiendum sit; et cum post longum laborem quiescendum sibi putaverit, quasi instituto suo bene perfecto, tum videbit sibi adhuc laborandum esse et operandum, ut quod conatur perficiat. Significat ergo, si quis hoc tentet, frustra laboraturum. » Verum pro *operabitur*, corrige cum Romanis *aporiabitur* : hoc enim respondet ἀπορηθήσεται, id est, perplexus erit, dubius, anceps. Complutenses et Interpres S. Basilii in cap. VIII *Isaiæ* vertunt, *tunc indigebit*, novo scilicet examine et scrutinio; Romana, *tunc dubitabit* ; Tigurina, *incertus est*, *q. d.* Cum homo consummaverit scrutari magnalia Dei, et ulterius progredi non potens a scrutando conquieverit, tunc hærebit dubius, incertus, perplexus, quia videbit se multa non posse intelligere et penetrare. Syrus vertit, *in consummatione hominum ipsi incipiunt* (alius textus habet, *æquales fiunt*), *et, si revertantur, obstupescunt*. Quo enim plus penetras, inquit Palacius, plus reliquum est penetrandum; alioqui Deus non esset, si a te comprehendi posset. Recte igitur dictum est illud : « Mirabilis facta est scientia tua ex me; confortata est, et non potero ad eam. » Ita Plato : « Deum, ait, invenire non facile, intelligere impossibile est. » Rex Hiero Simonidem philosophum rogavit, quid esset Deus? Petiit ille duos dies ad respondendum; tum quatuor, ac ita semper multiplicatos. Id cum miraretur Hiero, ille respondit : « Quo plus de Deo cogito, eo res mihi videtur obscurior. » Certe cum hic consummare videbatur, tunc incipiebat.

Alludit ad *Job.* XXVI, 14 : « Ecce hæc ex parte dicta sunt viarum ejus; et cum vix parvam stillam sermonis ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri? » S. Augustinus, epist. 3 *ad Volus.*, hanc sententiam recte accommodat studio et intellectui S. Scripturæ, quia hoc est unum e præcipuis Dei operibus inscrutabilibus. « Tanta est, inquit, Christianarum profunditas litterarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem, maximo otio, summo studio, meliori ingenio conarer addiscere; non quoad ea quæ necessaria sunt saluti, tanta in eis perveniatur difficultate : sed cum quisque ibi fidem tenuerit, sine qua pie recteque non vivitur, tam multa, tamque multiplicibus mysteriorum umbraculis opaca, intelligenda proficientibus restant, tantaque non solum in verbis, quibus ista dicta sunt, verum etiam in rebus quæ intelligendæ sunt, latet altitudo sapientiæ, ut annosissimis, acutissimis flagrantissimisque cupiditate discendi, hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet : Cum consummaverit homo, tunc incipiet. » Huc facit illud Menedemi apud Plutarchum *De Profectu* : Qui Athenas, inquit, ventitant, principio sibi videntur sapientes, tum philosophi ; at, cum orbem scientiarum decucurrerint, omniaque consummarint, se nihil scire et omnia ignorare autumant, atque tum primum discere incipiunt.

Tropol. semper inchoanda Dei servitus. Tropologice, multi hanc sententiam accommodant profectui in virtute, sanctitate et perfectione. Hæc enim est opus gratiæ Dei, quod finem et fundum non habet, *q. d.* Cum consummaverit homo servare mandata Dei, cum consummatus fuerit in humilitate, charitate omnique virtute, tunc incipiet dicetque cum Psalte : « Dixi, nunc cœpi ; » ita Rabanus. Sic S. Antonius apud S. Athanasium, hoc suis primum dat vitæ spiritualis documentum : « Cogitate vos quotidie incipere servire Deo. » Idem dedit Barlaam regi Josaphat apud Damascenum in *Historia*. Vide Auctorem *De Salutar. documentis*, apud S. Augustinum, tom. IV : « Parvulis, ait, est ludere, perfectis autem viris est lugere. » Quocirca Lyranus sic exponit : « Cum consummaverit homo » investigationem de Deo, « tunc incipiet, » id est, percipiet quod est in principio; « et cum quieverit, operabitur, » id est, cum erit in senectute, quod tempus est quiescendi, ad bonum opus magis animabitur. Unde B. Franciscus sub finem vitæ dicebat

suis : « Fratres, incipiamus servire Domino; nam usque nunc parum profecimus. » Et hæc est monitio Salvatoris *Lucæ* XVII : « Cum omnia feceritis quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus; » non ergo in annis, sed in animis sita est perfectio. Is proficit et perficit se, qui semper inchoare se credit, qui ardenti incipiendi desiderio jugiter ad profectum se urget et exstimulat. Vide S. Bernardum, epist. 253 *ad Guarinum*.

Allegorice et anagogice, cum consummaverit homo legem Mosis, incipiet sapere legem Christi : lex enim est initium et umbra Evangelii ; cum vero consummaverit Evangelium, incipiet videre Deum : lex enim ducit ad fidem, fides ad speciem et visionem, sive gratia ad gloriam, juxta illud Christi : « Qui minor est in regno cœlorum, major est illo » (Joanne Baptista), *Matth.* XI. Hugo vero de Christo explicat, *q. d.* Cum Christus consummatus fuit per passionem mortis, incepit vivere per resurrectionem in gloria, tumque misit Spiritum Sanctum, quo veniente Apostoli consummati jam in schola Christi, cœperunt sapere, et ardere zelo evangelizandi.

Vers. 7. 7. QUID EST HOMO (*q. d.* Quam abjectus et vilis est homo præ Dei majestate), ET QUÆ EST GRATIA (Græce χρῆσις, id est usus, utilitas) ILLIUS (*q. d.* Quid utilitatis homo vilis afferre potest Deo, qui nullo indiget, estque *saddai*, id est, abundantissimus et cornucopiæ) ? ET QUID EST BONUM, AUT QUID NEQUAM ILLIUS? — *q. d.* Quid potest homo Deo boni aut nequam, id est mali, inferre? quid potest Deo aut bene aut male facere? quid potest bono suo Deum juvare, aut malo suo lædere? Est antithesis ; Dei enim magnitudini opponit exilitatem hominis, ut Deum extollat, hominem deprimat, *q. d.* Homo præ Deo quam parvus vilisque est homuncio! quid commodi Deo afferre potest? quid Deo boni vel mali afferre? Nec enim virtutes nostræ Deo aliquid boni, puta laudis, lætitiæ, gloriæ, addere; nec peccata, ut blasphemiæ, doloris aliquid, infamiæ, aut alterius mali irrogare queunt. Rursum *quid*, id est, quantulum, quam exiguum est *bonum*, vel *nequam*, id est malum, hominis! quam exigua ejus virtus, sapientia, perfectio, sanctitas! quam exigua ejus ira, minæ, blasphemiæ! Esto enim respectu hominis hæc gravia sint mala et peccata, tamen respectu Dei exigua sunt, imo nulla, quia nullam Deo maculam, læsionem aut dolorem afferre possunt, juxta illud *Job.* XXII, 3 : « Quid prodest Deo, si justus fueris; aut quid ei confers, si immaculata fuerit via tua? » Unde Syrus vertit, *quid sunt homines, et quæ jactura eorum, et quod lucrum eorum, et quæ gratia eorum, et quæ malitia eorum?* Tigurina, *quid est homo, aut quis est usus ipsius? quid in eo boni est, quidve mali?*

Pathetice S. Augustinus, lib. I *Confession.* cap. V : « Quid tibi sum, inquit, ut amari te jubeas a me; et nisi faciam, irascaris mihi, et mineris ingentes miserias? » Soli orienti et occidenti Æthiopes nonnulli diras imprecantur, ait Plinius, lib. V, cap. VIII; at soli nocere vel lucem adimere nequeunt : sic impiorum, qui atri sunt instar Æthiopum, maledicta non sentit Deus, juxta illud *Amos* cap. IX : « Numquid non ut filii Æthiopum vos mihi estis? » Vere Dionysius Carthusianus ex Hugone : « Mala mea, inquit, pura mala sunt, et mea sunt; bona autem mea nec pura sunt, nec mea sunt. »

Porro τὸ *quid est bonum, aut quid nequam illius?* præter jam datum sensum varie varii explicant. Palacius *primo*, *q. d.* Quid est bonum aut malum hominis, id est, quantum durat ejus felicitas aut miseria in hac vita? utique parvo tempore, imo momento uno. Nam, ut sequitur, centum anni vitæ ejus si comparentur cum æternitate, sunt sicut gutta ad mare, et sicut calculus arenæ ad totum arenæ cumulum. Sic et Rabanus.

Secundo, *q. d.* O quantum erit hominis bonum, et quantum ejus malum in futuro sæculo, cum tamen ad hoc bonum et malum assequendum tam breve habeat vivendi spatium!

Tertio, alii, *q. d.* Quam pauca sunt hominis bona, et quam multa ejus mala!

Quarto, *q. d.* Quantula, quam modica sunt bona et mala, commoda et incommoda, prospera et adversa, jucunda et tristia hominis in hac vita! præsertim quia omnia non tantum in se modica sunt, sed et modico tempore durant, ut sequitur; nil ergo magnum, nil bonum, nil malum, nisi æternum. Si ergo bonum verum ambis, æternum ambi : si malum verum metuis et fugis, æternum fuge et formida.

Quinto, *q. d.* Quantulum est bonum quod tibi amici conferre, quantulum malum quod tibi inimici inferre queunt! utique exile et exiguum. Neminem ergo illorum, sed unum Deum ama et time, qui potest corpus et animam vel beare vel perdere in gehennam, *Matth.* X, 25. Hoc est quod ait Deus *Isaiæ* LI, 12 : « Ego, ego ipse consolabor vos; quis tu ut timeres ab homine mortali, et a filio hominis, qui quasi fœnum ita arescet?

Vers. 8. 8. NUMERUS DIERUM HOMINUM UT MULTUM CENTUM ANNI, QUASI GUTTA (ita Romana et Græca, ὡς σάγων, id est *quasi gutta;* male ergo multi legunt, *quasi guttæ* in plurali) AQUÆ MARIS DEPUTATI SUNT : ET SICUT CALCULUS ARENÆ, SIC EXIGUI ANNI IN DIE ÆVI. — *q. d.* Vide quam modicus sit homo, et omnes res humanæ, idque disce ex modico vitæ ejus tempore, quod ut summum est centum annorum (quod spatium, ait Varro, lib. V, vocatur *sæculum* a senio, eo quod longissimum spatium senescendorum hominum habeatur), ut si qui supersint anni, mortis sint potius quam vitæ : hi autem comparati cum ævo, id est, æternitate, non plus sunt quam gutta aquæ comparata cum vasto mari, et sicut lapillus arenæ comparatus cum toto arenæ cumulo; imo longe minus sunt : nam inter guttam et mare, lapillum et arenam, est certa et definita proportio, cum utraque finita

sint : temporis vero centum annorum ad æternitatem, utpote finiti ad infinitum, nulla est proportio. Vide ergo quam parum, imo nihil, sit ætas tua præ æternitate. Complutenses, *numerus dierum hominis multi anni centum, irrationabili autem cuique omnibus dormitio. Sicut gutta aquæ a mari, et sicut calculus arenæ, sic mille anni in diebus sæculi.* Romana legunt ὀλίγα, id est *exigui* (pro quo Complutenses legunt χίλια, id est *mille*). Unde sic habent, *sicut gutta aquæ maris et calculus arenæ, sic exigui anni in die ævi;* Tigurina clare, sed libere, *numerus dierum hominis centum anni, cum plurimum, nec cujusquam ex omnibus stata est obitus sui ratio. Quantula est aquæ gutta e mari sumpta, et ex arena calculus, tantillum sunt anni mille pro tempore æternitatis.* Græcum enim αἰών et sæculum et ævum et æternitatem significat. Dicitur enim αἰὼν quasi ἀεὶ ὤν, id est, semper existens : talis autem est æternitas. Syrus, *numerus vitæ hominis, cum multum vixerit, centum anni, sicut ad implendum utrem ex mari, et sicut granum arenæ; mille anni de mundo isto non sunt sicut unus dies in sæculo justorum.*

Modus concipiendi æternitatem.

Hinc ergo desumpta est communis illa similitudo maris et arenæ ad repræsentandam et aliquo modo concipiendam (plene enim ab homine concipi nequit, cum sit infinita) æternitatem ; nimirum, ut eam concipias, cogita : si avicula singulis mille annis sorberet unam guttam e mari, et auferret unum arenæ granum ex toto arenæ cumulo, qui est in littore maris totoque mundo, quando tandem, post quot millia, imo milliones annorum exsorberet totum mare, et auferret totam arenæ molem? utique auferret aliquando, sed post plurimos et homini innumerabiles annorum milliones. Gauderet Judas et damnati, si hæc conditio illis a Deo daretur, ut toto illo tempore gehennæ tormenta subirent, dummodo eo emenso illa finirentur. At vero illa tum necdum finientur, quia tunc non finietur æternitas, sed rursum incipiet, ut novum mare absorbendum, et nova arenæ moles auferenda sit, et post hanc alia et alia sine fine, quia immensa et intermina durabit semper in sæcula sæculorum.

Basilisus symbolum æternitatis, cur?

Quocirca æternitatem significarunt Ægyptii per basiliscum, quia hic solus inter serpentes vi interfici non potest; quin imo tanta huic uni vis inest, ut animalia reliqua solo sibilo fuget; quo audito ferunt omnes avium cantus coerceri, fruticesque et herbas non ullo morsu, sed olfactu aspectuque solo enecari. Ita Pierius *Hierogl.* 14, pag. 131.

Moraliter Hugo : « Gutta aquæ maris, » inquit, notat tria, scilicet vitæ brevitatem, inconstantiam et amaritudinem : brevitatem notat τὸ *quasi guttæ;* instabilitatem, τὸ *aquæ;* amaritudinem, τὸ *maris.*

Nota præpositionem *in*, quæ est in Græco ἐν ἡμέραις αἰῶνος, *in diebus æternitatis, q. d.* Quod est gutta in mari, hoc sunt centum anni in æternitate; quod est lapillus unus inter innumeras maris arenulas, hoc sunt centum anni inter annos innumeros æternitatis. Si guttam injicias in mare, illico mare illam sorbet et absorbet, ut nusquam appareat, quasi ipsa jam non esset, essetque nihil; injice pariter centum annos vitæ tuæ in æternitatem, æternitas illos sorbebit, illique videbuntur esse nihilum. Hoc est quod canit Psaltes *Psalm.* LXXXIX, vers. 4 : « Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna quæ præteriit. » Et S. Petrus II *epist.* cap. III, 8 : « Unus dies apud Dominum sicut mille anni, et mille anni sicut dies unus. » Vide ibi dicta.

Hoc cogitabat Reverendissimus D. Godefridus nuper Episcopus Bambergensis, cujus hæc erat gnome, qua se quasi acri stimulo ad omnem virtutem pungebat : « Omni momento sto ad ostium æternitatis. » Omni ergo momento vivam æternitati. Vide dicta in fine Levitici. Idem per umbram viderunt Philosophi. Unde Cicero *Tuscul.* II : « Contemno, inquit, magnitudinem doloris, a quo me brevitas temporis vindicabit, ante pene quam invenerit. » Idem Seneca, lib. VI *Natural. Quæst.* cap. XXXII : « Omnia, inquit, feres constanter, si cogitaveris nihil interesse inter exiguum tempus, ac longum, quia finitum est.» Quod judicium omnium Philosophorum esse asseverat idem, lib. I *De Tranquill.* cap. X : « Sic olim, inquit, philosophi hæc omnia, quæ sub aspectum cadunt, sive bona, sive mala sint, propter brevitatem vel fortiter ferenda, vel facile contemnenda docuerunt. » Simonides apud Plutarchum, lib. *De Consolat.*: « Mille, inquit, et centum annorum millia cum æternitate collata, sunt ut punctum temporis, imo ut puncti brevissima particula. »

9. PROPTER HOC PATIENS EST DEUS IN ILLIS, ET EFFUNDIT SUPER EOS MISERICORDIAM SUAM, — *q. d.* Quia tanta est hominis miseria, hinc sustinet eam, sublevatque immensa Dei misericordia; magna enim miseria illex est provocans magnam misericordiam. Brevitas ergo vitæ nostræ sicut nos ad humilitatem, ita Deum ad patientiam excitat, ne, si statim supplicia irroget, et vitam nostram breviorem reddat, et nos quos diligit, a se rejectos in perpetuum amittat. Pro *patiens est* Græce est, μακροθύμησε, id est, *longanimis fuit.* Ita Romana; sed Complutenses legunt cum Nostro in præsenti μακροθύμει, id est, *longanimus est;* sic et Syrus. Similiter pro *effundit* Noster legit in Græco ἐκχέει : jam legunt in præterito ἐξέχεεν, id est *effudit.* Ita Romana. Complutenses legunt in futuro διαχέσει, id est *effundet.* Verum more Hebræo per unum tempus, sive præsens illud sit, sive præteritum, sive futurum, significantur cætera duo; effundit ergo tum in præsenti, tum in præterito, tum in futuro, id est effundit, effudit et effundet. Significatur enim mos, consuetudo et indoles Dei semper miserentis. Unde Tigurina vertit, *propterea Deus patientia utitur in homines, et effundit in eos misericordiam suam, q. d.* Deus patiens est in tolerandis tot hominum criminibus, ne statim ful- Vers. 9.

mine vindictæ in eos detonet; idem est longanimis in exspectando, ut resipiscant; ac misericors, dum eos sua gratia prævenit, incitatque ad pœnitentiam, ac pœnitentes in pristinam amicitiam recipit.

Vers. 10. 10. VIDIT PRÆSUMPTIONEM CORDIS EORUM QUONIAM MALA EST, ET COGNOVIT SUBVERSIONEM ILLORUM QUONIAM NEQUAM EST, — *q. d.* Vidit Deus homines a corrupta natura, et innato superbiæ vitio pronos ad præsumptionem, ut multa sibi assumant et præsumant, audeantque Dei legem et voluntatem transgredi et violare. «Cognovit» pariter eorum «subversionem,» Græce καταστροφήν, id est perditionem, excidium, interitum, lugubrem finem vitæ quasi tragœdiæ eorum (alludit enim ad tragœdias, quæ læta habent initia, sed in cædes et funera desinunt; unde tristis hic earum finis vocatur *catastrophe*), « quoniam nequam, » id est, valde misera, dolorosa et lugubris « est. »

Nequam pro molesto. Nota : *Nequam* sæpe usurpatur ab Ecclesiastico, non pro impio et scelerato, sed pro *molesto*, doloroso, afflictivo. Sic Plinius, lib. XIV, cap. XX, aceti nequitiam vocat acrimoniam et mordacitatem : « Aceti, inquit, nequitiæ inest virtus magnos ad usus. » Idem, lib. XII, cap. XXV : « Nequissime, inquit, gummi, quoniam ipsum quoque inhærescit. »

Sic Festus ex Lucilio vocat aurum nequam auribus, quia scilicet lædit aures suo pondere, dum eas incidit ex eisque suspenditur. Sic nequam vitis vocatur a Columella, lib. III, cap. X, et nequam liber ab Ovidio, lib. II *De Tristibus*.

Præsumptionis schema. Porro præsumptionem graphice depingit S. Bernardus, tract. *De Grad. humilit.* in 7 : « Qui alios, inquit, se præcellere putat, quomodo non plus de se quam de aliis præsumat? Primus in conventibus residet, in consiliis primus respondet, non vocatus accedit, non missus se intromittit, reordinat ordinata, reficit facta, quidquid ipse non fecerit aut ordinaverit, nec recte factum, nec pulchre existimat ordinatum; judicat judicantes, præjudicat judicaturis. »

Vers. 11. 11. IDEO ADIMPLEVIT PROPITIATIONEM SUAM IN ILLIS (*q. d.* Ob tantam eorum miseriam, puta pronitatem in malum, priusquam vitam finiant, tristemque catastrophen jam dictam sortiantur, si ad Deum redeant, ejusque gratiam implorent, plenam pœnitentibus exhibet propitiationem, ut eis peccata condonet, et insuper sua gratia et justitia eos donet, quin et idcirco), OSTENDIT EIS VIAM ÆQUITATIS — per Decalogum et legem in Scriptura traditam, perque lumen tum naturale rationis, tum supernaturale fidei et gratiæ menti eorum inditum. Ubi recordare, ait Palacius, quod serpens proposuit homini cibum interdictum, promittens futurum ut essent dii. Irrepsit hæc divinitatis cupiditas in animos omnium; nemo enim fere se natum ad obediendum legi divinæ meditatur. Hæc est hominum mala superbia. Inde in Adam facta subversio est. Quia ratio, quæ summum locum habere debuit, in imo jacet; contra cupiditas, quæ erat in imum dejecta, summum locum obtinuit. Ergo videns Deus superbiam hominis ex dæmone natam, videnque subversum hominem, cupiditate in eo tyrannidem exercente, miseretur tantæ miseriæ. O summam Dei misericordiam! Gravissimæ injuriæ, quæ nos solent ad gravissimam iram provocare, hæ illum ad summam miserationem fere compellunt.

Græca de more concisa duos hos Latinos versus coarctant in unum hunc, *vidit et cognovit subversionem eorum, quoniam mala est, ideo multiplicavit misericordiam suam;* et Syrus, *quia cognovit quod finis eorum malus est, propterea multiplicavit veniam eorum;* Tigurina vero planius, ut Noster, *vidit et cognovit malam esse eorum arrogantiam animi et eversionem, propterea placabilitatem suam ampliavit, et ostendit ipsis viam æquitatis.*

Præclare Rabanus : « Quis suffert, inquit, fragilitatem nostram, nisi bonitas Conditoris nostri, qui indignos fovet, ingratos pascit, contemptores tolerat, aversos revocat, et conversos ad pœnitentiam misericorditer suscipit, et omnium peccatorum largissimam veniam tribuit? Unde quid tantæ pietati condignum possumus rependere, aut quid retribuere Domino pro omnibus quæ retribuit nobis, nisi hoc quod Psalmista ait : Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo? Dicamusque gratulando cum eodem Propheta: Magnus Dominus, et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis. Misericors et miserator Dominus, patiens et multum misericors. Suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus. Laudem Domini loquetur os meum, et benedicat omnis caro nomen sanctum ejus in æternum, et in sæculum sæculi. »

Vers. 12. 12. MISERATIO HOMINIS CIRCA PROXIMUM SUUM; MISERICORDIA AUTEM DEI SUPER OMNEM CARNEM. — Commendavit Dei misericordiam ex sua intrinseca bonitate et immensitate, nunc eamdem commendat comparando et præponendo eam misericordiæ hominis, idque per triplicem antithesim. *Prima* est, quod misericordia hominis sit erga proximum sibi æqualem ; « Dei autem sit erga omnem carnem, » quæ infinite Deo est minor et vilior. *Secunda*, quod hominis misericordia arctetur ad unum alterumve proximum, id est, aliqua ratione sibi conjunctum ; Dei vero misericordia se dilatet ad omnem carnem, id est, ad omne animal, ac præsertim ad omnem hominem: nullum enim animal tantam experitur Dei in se clementiam et beneficentiam, quantam homo. *Tertia*, quod homo misereatur proximi, id est, conjuncti et amici; Deus vero omnis carnis, id est, tam inimicorum quam amicorum. Simul hac comparatione incitat hominem, ut in omnes dilatet viscera misericordiæ suæ, tum ut Deum imitetur, tum ut ejus majorem in se misericordiam provocet et conciliet. Syrus vertit, *misericordia*

hominis erga cognatos suos, et misericordiæ Domini erga omnes facturas suas.

Vers. 13. 13. QUI MISERICORDIAM HABET, DOCET ET ERUDIT, QUASI PASTOR, GREGEM SUUM. — « Qui, » scilicet non homo (ut vult Lyranus), sed Deus, misericordiam habet; et suos docet et instruit, sicut pastor suum gregem curat, instruit et pascit. Patet ex Græco, ex quo sic clare, sed suo more libere vertit Tigurina, *misericordia hominis tendit in proximum ipsius; at misericordia Domini mortales omnes castigat, erudit, docet et reducit ut pastor gregem suum;* Syrus, *docet, erudit, instruit et convertit eas* (*facturas suas*), *sicut pastor bonus gregem suum.* Hoc est quod exsultans agnoscit sibique gratulatur David *Psalm.* XXII, 1 : « Dominus regit me (Hebr. *pascit me;* S. Hieronymus, *Dominus pastor meus*); et (idcirco) nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit. » Et *Psal.* LXXIII, 3 : « Ulquid, Deus, repulisti in finem, iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ? » Et *Psal.* LXXIX, 2 : « Qui regis Israel, intende; qui deducis velut ovem Joseph. » Et *Psal.* XCIV, 7 : « Quia ipse est Dominus Deus noster, et nos populus pascuæ ejus, et oves manus ejus. » Et *Psal.* CXVIII, 176 : « Erravi sicut ovis quæ periit; quære servum tuum. »

Ovis errans non redit in viam nisi reducatur: sic et peccator.

Ubi nota : Cætera animalia, si a via aberrent, in eam redire possunt; at ovis ita simplex et stolida est, ut, si semel aberret, in viam non redeat, nisi in eam a pastore reducatur, ut docet Aristoteles, lib. IX *Histor. anim.* cap. III, et S. Basilius in cap. XIII *Isaiæ ;* sic peccator, aberrans a lege Dei, in eam redire nequit, nisi a pastore Deo reducatur per gratiam prævenientem et illuminantem, quæ ei viam ostendat et præmonstret. Quocirca Romæ in antiquissimis templorum imaginibus, Christus pingitur quasi pastor ovem perditam humero gestans, et ad gregem reducens. Idipsum in se agnoscens S. Augustinus, lib. X *Confess.* cap. XXVII, ingemiscens exclamat : « Sero te amavi, pulchritudo tam antiqua et tam nova, sero te amavi, etc. Vocasti, et clamasti, et rupisti surditatem meam; coruscasti, splenduisti, et fugasti cæcitatem meam; flagrasti (alii legunt *fragrasti*), et duxi spiritum, et anhelo tibi. Gustavi, et esurio, et sitio. Tetigisti me, et exarsi in pacem tuam. »

Vers. 14. 14. MISERETUR EXCIPIENTIS DOCTRINAM (ita Romana et Græca; perperam ergo Complutenses legunt *miserator,* vel, ut alii, *misereatur excipiens doctrinam ;* quod Lyranus exponit, *q. d.* Homo qui miseretur et docet, ut præcessit, misereatur in effectu ; *excipiens doctrinam miserationis,* id est, confirmans doctrinam suam per exercitium operis; nam in moralibus magis movent facta quam verba) MISERATIONIS, ET QUI FESTINAT IN JUDICIIS EJUS, — *q. d.* Deus qui misericordiam habet, ut præcessit, miseretur ejus qui excipit doctrinam suam, « miserationis, » id est, e miseratione profectam; vel « miserationis, » id est, quæ de miseratione, ut scilicet proximorum misereamur, præcepta sancit; nimirum ejus qui festinat ut ambulet in judiciis, id est, præceptis et mandatis, ejus. Hunc sensum clare indicant Græca, quæ ita Tigurina vertit, *disciplinam admittentium miseretur, itemque jura sua studiose consectantium;* et Syrus, *beati qui annuntiant misericordiam ejus, et qui suscipiunt judicia ejus.* Hinc disce hoc dogma, ut ejicias in te misericordiam Dei, obedias legi et voluntati Dei, et a peccato convertere ad Deum, ac præsertim miserere proximorum; « nam beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur, » *Matth.* V. Hæc enim si non æqua et condigna, certe congrua est talionis divinæ lex. Unde misericordes in die judicii audient a Christo : « Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi; esurivi enim, et dedistis mihi manducare, » *Matth.* XXV, 34.

Nota : τὸ *doctrinam miserationis* tripliciter exponi potest: *primo, q. d.* doctrinam ex misericordia Dei manantem; *secundo, q. d.* doctrinam de miserendo aliis; *tertio, q. d.* doctrinam qua Deus docet se velle misereri impiorum, ut ad se convertantur. Erat Augustinus perversus, erat et Saulus, inquit Palacius; Deus sua miseratione erudivit corda eorum doctrina conversionis, quæ est doctrina miserationis. Illi eam doctrinam exceperunt; ideo misertus est Dominus eorum, dans scilicet eis gratiam et postea felicitatem.

Nota *secundo,* τὸ *festinat in judiciis ejus,* quia Deus gratiam suam non effundit in torpidos et lentos, sed in alacres et festinos, qui scilicet fervent in studio virtutum et cursu ad perfectionem. Unde sponsa audit sponsum se invitantem : « Surge, propera, amica mea, » *Cant.* II, 10. Festina igitur tuos defectus corrigere, festina te humiliare, et pati quælibet adversa, festina exercere opera charitatis; sic copiosam Dei gratiam elicies. « Deus enim præsentior est diligentibus, negligentibus abest, » ait S. Ambrosius, lib. IX *in Luc.* cap. X. Idem, lib. IV in cap. IV *Lucæ,* loquens de Naaman a lepra curato ab Eliseo : « Nemo, inquit, sanatus ostenditur, et maculosi morbo corporis absolutus, nisi qui religioso officio studuit sanitati. Non enim dormientibus divina beneficia, sed observantibus deferuntur. »

Vers. 15. 15. FILI, IN BONIS NON DES QUERELAM, ET IN OMNI DATO (hoc enim est Græcum δόσει, pro quo tamen Complutenses legunt δεήσει, id est *inopia,* vel *precatione* et *postulatione*) NON DES TRISTITIAM VERBI MALI. — Apposite misericordiæ Dei subjungit misericordiam hominum : Dei enim misericordiam imitari debet homo. Simul explicat hic doctrinam miserationis, de qua vers. præced., scilicet ut misereamur non tantum facto, sed et verbo. Jam *primo,* Syrus sic vertit, huncque dat sensum, *fili mi, eum qui benefacit proximo suo ne prohibeas, et eum qui dat, ne lædat oculus tuus. Secundo,* alii, *q. d.* Actionibus bonis, puta virtutum, nullam addas circumstantiam vitiosam : hæc enim vitiat totam actionem. Bonum enim est ex integra

causa, malum ex singulis defectibus, uti docet Philosophus. *Tertio*, et genuine, *q. d.* «In bonis,» id est, beneficiis præstandis non sis morosus, acerbus, onerosus, vitiosus, fraudulentus, aut talis ut jure quis de te queri, teque reprehendere possit. Pro *querelam* enim Græce est μῶμον, id est reprehensionem, vituperium, maculam : hanc enim significat Hebræum מום *mum;* unde Græcum μῶμος, *q. d.* Ne des maculam in gloriam tuam, ne maculam injicias in eleemosynam tuam. « Et in omni dato (dono quod das) non des tristitiam verbi mali, » quo, scilicet, eum cui das, contristes ; vel quia ostendis te invite et ægre dare, vel quia eum cui das taxas, improperas, conviciis et probris incessis, *q. d.* Eleemosynam da, et confer beneficium, non ex tristitia, sed ostendendo hilaritatem vultu et verbis benevolis : nam hilarem datorem diligit Deus, II *Corinth.* IX, 7. Unde ex Græco sic clare vertit Vatablus, *in rebus bonis, fili, ne adhibeas reprehensionem, nec ullo in dono verbi mali molestiam;* alii clarius, *fili, beneficiis ne addas reprehensionem, nec ulli dono molestiam verborum.* Hæc enim omnem beneficii gratiam tollit, inquit Jansenius : nam in beneficiis conferendis maxime spectatur animus benevolus, cujus index est sermo similis. Citat hunc locum Isidorus Pelusiota, lib. IV, *epist.* 118 : « Ecce, inquit, sermo melior est dono; utraque autem sunt penes virum qui pollet gratia. » Unde infert : « Non enim ab ipsa dationis magnitudine vel parvitate, sed ex animi proposito eleemosyna æstimatur ; quandoquidem etiam sermo approbatione dignus censetur. » Sic et Salvianus, lib. I *Ad Eccles. Cathol.* : « Oblata, ait, non pretio, sed affectu placent; nec enim animus dantis datis, sed animo commendantur data; nec pecunia fidem insinuat, sed pecuniam fides. »

Beneficentia sit hilaris.

Præclare Seneca, lib. II *De Beneficiis*, cap. III, cum docuisset beneficium dandum esse lubenter, cito, indubitanter, addit: « Itaque lætus facit (beneficus), et induit sibi animi sui vultum. Ingentia quorumdam beneficia silentium, aut loquendi tarditas, imitata gravitatem et tristitiam, corrupit, cum promitterent vultu negantium. Quanto melius adjicere bona verba rebus bonis, et prædicatione humana benignaque commendare quæ præstes? ut ille se castiget quod tardior in rogando fuit. Adjicias licet familiarem querelam : Irascor tibi, quod, cum aliquod desiderasses, non olim scire me voluisti, quod tam diligenter rogasti, quod quemquam adhibuisti. Ego vero gratulor mihi, quod experiri animum meum libuit; postea quidquid desiderabis, tuo jure exiges. Semel rusticitati tuæ ignoscitur. Sic efficies, ut animum tuum pluris æstimet quam illud quidquid est ad quod petendum venerat. Tunc est summa virtus tribuentis, tunc benignitas, ubi ille qui discessit, dicet sibi : Magnum hodie lucrum feci. Malo quod illum talem inveni, quam si multiplicatum hoc ad me alia via pervenisset. Huic enim animo nunquam parem referam gratiam. »

Porro beneficentia exigit vultus animique hilaritatem verborumque benevolentiam, juxta illud : « Qui miseretur, in hilaritate, » *Rom.* XII, 8. Rationem a priori dat S. Thomas I II, *Quæst.* XXXII, art. 2 : « Benefacere alteri, inquit, est delectabile per comparationem ad triplex principium. Quorum unum est facultas benefaciendi, et secundum hoc benefacere alteri fit delectabile, in quantum per hoc fit homini quædam imaginatio, abundantis boni in seipso existentis, ex quo possit aliis communicare ; et ideo homines delectantur in filiis et operibus propriis, sicut quibus communicant proprium bonum. Aliud principium est habitus inclinans, secundum quem benefacere fit alicui connaturale; unde liberales delectabiliter dant aliis. Tertium principium est motivum, puta cum aliquis movetur ab aliquo quem diligit, ad benefaciendum alicui ; omnia enim quæ facimus, vel patimur propter amicum, delectabilia sunt, quia amor præcipua causa delectationis est. »

Ratio a priori.

16. NONNE ARDOREM REFRIGERABIT ROS? SIC ET VERBUM MELIUS QUAM DATUM. — Græca, *nonne ros æstum sedat* vel *mitigat? sic et sermo potior est quam donum.* Comparat sermonem benevolum rori : sicut enim ros leniter stillans calorem hominum, animalium et frugum temperat, sed ita ut nullam molestiam, sed magnam suavitatem afferat : sic et sermo jucundus miseriam, quæ afflictum quasi æstus cruciat et urit, sua suaviloquentia refrigerat et recreat, ita ut nullam molestiam, sed magnam consolationem et lætitiam afferat. Ex adverso sermo asper est instar grandinis et procellæ, quæ etsi æstum refrigeret, tamen suo impetu homines et fruges percutit, percellit et sternit. « Verbum » ergo « bonum melius quam datum, » quia utilius et aptius ad tollendam miseriam et afflictionem inopis, quam ipsum donum. « Nam ingratum faciunt bonum donum verba injuriosa, » ait Rabanus.

Vers. 16.

Huic simile est, ut in eadem roris analogia persistam, quod tradit Plinius lib. IX, cap. XXXV, margaritas esse coagulum roris cœlestis, ac proinde pro varietate cœli sereni vel turbidi candidas vel sordidas formari : « Has, inquit, ubi genitalis anni stimulaverit hora, pandentes sese quadam oscitatione, impleri roscido conceptu tradunt, gravidas postea eniti, partumque concharum esse margaritas pro qualitate roris accepti: si purus influxerit, candorem conspici ; si vero turbidus, et fœtum sordescere, eumdem pallere, cœlo minante conceptum, ex eo quippe constare, cœlique eis majorem societatem esse quam maris; inde nubilum trahi colorem, aut pro claritate matutina serenum. » Beneficia enim et gratiæ sunt quasi margaritæ, rore beneficentiæ concretæ, quibus si vultus et verborum hilaritas addatur, hilarescunt ; sin vero amaritudo et acerbitas, sordescunt et mœrorem afferunt. Quocirca sapienter S. Augustinus in *Psal.* CIII, conc. 1 : « Supplicem,

Beneficia sunt quasi margaritæ, cur?

inquit, nullum spernas; et eum, cui dare non potes quod petierit, non spernas; si potes dare, da; si non potes, affabilem te præsta. Coronat intus Deus voluntatem, ubi non invenit facultatem. Nemo dicat: Non habeo; charitas non de sacculo erogatur. »

Mystice, noster Jacobus Alvarez de Paz *De Exterm. mali*, lib. I, part. II, cap. VI: Datum, inquit, aliquod donum cœleste significat, aut aliquem actum virtutis, utputa abstinentiæ aut humilitatis, quo Dominus animam justi multiplicat, et verbum internum sermonem designat, quo anima suas infirmitates in oratione pandit, aut certe quem ipsa in recessibus cordis e cœlo demissum audit. Hoc verbum rori comparatur, quia, sicut ros æstivum calorem temperat, et corpora calore fatigata recreat: ita oratio, et mutua cum Domino collocutio, omnem æstum carnis refrigerat. « Incumbamus gemitibus assiduis, inquit S. Cyprianus, lib. I, *epist.* 1, et deprecationibus crebris. Hæc sunt enim nobis arma cœlestia, quæ stare et perseverare fortiter faciunt. Hæc sunt munimenta spiritualia, et tela divina quæ protegunt. »

V. 17. 17. NONNE ECCE VERBUM SUPER (id est, melius quam) DATUM BONUM? SED UTRAQUE CUM HOMINE JUSTIFICATO. — Græce κεχαριτωμένῳ, id est gratioso, vel gratia pleno; gratia, inquam, apud Deum æque ac homines, ideoque *justificato*, quia gratia gratum faciens justificat, secumque adducit justificationem. Complutenses legunt κεχαριτωμένα, id est *gratiosa*, quasi dicas: Utraque apud hominem gratiosa, utraque homini gratiam conciliant; Tigurina, *nonne ecce munere præstantior est oratio? cæterum in homine gratioso usus utriusque est*; alii, *nonne ecce sermo dono melior est? et ambo sunt apud hominem gratiosum*; Syrus, *est enim verbum bonum quod dono melius est, et utrumque super hominem fortunatum*, q. d. Experientia docet, et quisque in aliis idipsum videt, imo in seipso sentit, nimirum magis leniri mentis afflictionem ex verbo blando, quam ex dono: nam ingratum est donum quod datur verbis asperis; ex adverso verba blanda grata sunt, etiamsi desit donum. Verba ergo blanda condiunt donum, sicut sal omnem cibum condit et sapidum facit, adeo ut, si sal desit, cibus omnis licet optimus, sit insulsus et insipidus; et sicut saccharum, quod omnem rei amaritiem dulcorat.

Porro ne quis dives pauperi det solum bona verba, nec ejus inopiæ necessaria largiatur, dicatque illud: « Ite in pace, calefacimini et saturamini, » *Jacob.* II; subdit Sapiens: « Et utraque cum homine justificato, » q. d. Gratiosus et justus utrumque præstabit, scilicet tam datum, quam verbum bonum: ita largietur verbum bonum, ut non omittat datum. Hoc est quod ait S. Joannes *epist.* I, cap. III: « Filioli mei, non diligamus verbo nec lingua, sed opere et veritate. » Et S. Gregorius, XXI *Moral.* cap. XIV: « Dilectio nostra semper exhibenda est, et veneratione sermonis et ministerio largitatis. » Et S. Chrysostomus, lib. III *De Sacerdotio*, ante finem: « Donum ipsum, inquit, donantis vultus gestusque conduplicat. » Idque probat ex hisce Siracidis verbis, quæ sic legit, *nonne ros ardorem tollet? sic verbum melius quam datum. Ecce enim verbum supra dona ipsa excellens bonum; utrumque autem vir gratus præstat.* Idem in cap. XVIII *Genes.* homil. 41: « Idcirco, ait, et sapiens quidam dicebat: Melior sermo quam manus. Sæpe enim sermonis obsequium magis recreat accipientem, quam donum ipsum. Proinde scientes hæc, ne simus difficiles erga eos qui ad nos accedunt. Quod si poterimus eorum inopiam sublevare, hoc faciamus cum gaudio lætitiaque magna, non ut præbentes aliquid, sed ut ab eis accipientes. Quod si non possumus, ne simus asperi in eos, sed vel verbis eorum curam agamus, et in mansuetudine respondeamus eis. Quare enim dure compelles eum? Num cogit? num vim facit? orat, supplicat, obsecrat. Qui autem hæc facit, contumelia dignus non est. Quid dicit? orat et supplicat, innumera bona apprecatur, et hæc omnia facit pro uno obolo; et neque illum erogamus. Et quam assequemur veniam, quam habebimus defensionem? » Dans eleemosynam accipit magis quam dat.

Vers. 18. 18. STULTUS ACRITER IMPROPERABIT, ET DATUS INDISCIPLINATI TABESCERE FACIT OCULOS. — Græca, *stultus odiose exprobrat, invidique donum tabefacit oculos*; Syrus, *stultus improperat antequam faciat gratiam, donum impii connivere facit oculos*, q. d. Vere insipiens est et stultus qui χάριν, id est gratiam, facit ἀχαρίστως, ut habent Græca, id est ingrate, infacete et insipide, quia Charites deformat, Gratiæque adimit gratiam, qui, scilicet, cum quippiam donat pauperi vel afflicto, illi exprobrat inopiam, mendicitatem, inertiam, importunitatem, etc.; hic enim *datus*, id est donum, *indisciplinati*, id est, hominis stulti aut rustici, Græce βασκάνου, id est, invidi (sic enim cap. XIV, vers. 6, avarum vocavit *invidum*, quia sibi et aliis usum opum invidet), tabescere facit oculos pauperis, dum eum contristat, affligit, pungit, cruciat suis improperiis, sua impudentia, duritie, asperitate. Nam, ut sapienter ait S. Gregorius, XXI *Moral.* cap. XIV, et ex eo Rabanus: « Sunt nonnulli, qui mox ut ab egenis fratribus fuerint necessaria postulati, post dona largituri in eos prius contumeliosa verba jaculantur; qui ut rebus ministerium pietatis perficiunt, verbis tamen gratiam humilitatis perdunt. Ita ut plerumque videatur, quod illatæ jam injuriæ satisfactionem solvunt, cum post contumelias dona largiuntur. Nec magni est operis quod postulata tribuunt, quia ipso dationis suæ munere vix eumdem excessum sermonis tegunt, quibus bene hoc loco dicitur: In omni dato non des tristitiam verbi mali. Et paulo post: Ecce verbum super datum bonum, et utraque cum homine justificato, videlicet, ut datum exhiberi debeat per pietatem, et bonum verbum tribui per humilitatem. »

Qui dant inviti, dant panem lapillis mistum.

Quare qui eleemosynis suis miscent jurgia aut verba aspera, dant panem arena aut lapillis mistum, qui dentes lædit et palatum corrumpit. Aut potius una manu dant panem, altera alapam infligunt. Audi Senecam lib. II *De Beneficiis*, cap. VII : « Fabius Verrucosus beneficium ab homine duro aspere datum, panem lapidosum vocabat, quem esurienti accipere necessarium sit, esse acerbum. Tiberius Cæsar rogatus a nepote M. Allio prætorio, ut ære alieno ejus succurreret, edere illum sibi nomina creditorum jussit. Hoc non est donare, sed creditores convocare. Cum edita essent, scripsit, Nepoti jussisse se pecuniam solvi ; adjecta contumeliosa admonitione, effecit, ut nec æs alienum haberet, nec beneficium. Liberavit illum a creditoribus, sibi non obligavit. » Idem lib. II, cap. XV : « Sæpe, inquit, nihil interest inter amicorum munera et hostium vota. » Quocirca Epaminondas sprevit munera Artaxerxis et Jasonis, Alcamenes Messeniorum, Phocion Mitili et Alexandri, ait Plutarchus in *Lacon.;* ac Socrates Alcibiadis, et Ephialtes amicorum, teste Æliano, lib. IX. Rursum Seneca, lib. II *De Beneficiis*, cap. IV: « At plerique, inquit, sunt qui beneficia asperitate verborum et supercilio in odium adducunt, eo sermone usi, ea superbia, ut impetrasse pœniteat. » Et lib. I, cap. I, pleraque enumerat vitia, quæ nostra beneficia corrumpunt, atque inter alia sic disserit : « Quis non, cum aliquid a se peti suspicatus est, frontem adduxit, vultum avertit, occupationes simulavit, longis sermonibus, et de industria non invenientibus exitum, occasionem petendi abstulit, et variis artibus properantes necessitates elusit ? In angusto vero comprehensus, aut distulit, id est, timide negavit ; aut promisit,sed difficulter, sed subductis superciliis, sed malignis et vix exeuntibus verbis. Nemo autem libenter debet, quod non accepit, sed expressit. Gratus esse adversus eum quisquam potest, qui beneficium aut superbe injecit, aut iratus impegit, aut fatigatus, ut molestia careret, dedit ? » Ac non longo verborum interstitio : « Utique non contumeliose ; nam cum ita natura comparatum sit, ut altius injuriæ quam merita descendant, et illa cito defluant, has tenax memoria custodiat ; quid exspectat qui offendit dum obligat ? Satis adversus illum gratus est, si quis beneficio ejus ignoscit. » Lege S. Chrysostomum, homil. 11 *in Epist. ad Hebræos*, ubi multis suadet eleemosynam ita pauperibus erogandam, ut omnis absit contumelia et injuria. Denique Cato in *Distichis* ita præcipit :

Gratior officiis quo sis, mage charior esto ;
Ne nomen subeas, quod dicitur, officiperdæ.

SECUNDA PARS CAPITIS.

DE PRÆPARATIONE AD JUDICIUM.

Vers. 19. 19. ANTE JUDICIUM PARA JUSTITIAM TIBI, ET ANTEQUAM LOQUARIS, DISCE. — A misericordia descendit Sapiens ad prudentiam sive providentiam, datque præcepta de iis, quæ ante opus prudenter præmittenda sunt (unde posset hæc vocari lectio de Anterioribus), ut opus felicem sortiatur exitum, quæ omnia eo tendunt, ut doceat nos ante Dei judicium præmittere bona opera, ut illud felix faustumque experiamur. Unde sæpius ingeminat τὸ *ante judicium*, *q. d.* Hæc προδίκια, hæc præjudicia anteeant judicium : hæc Anteprædicamenta judicii sunto. Ad litteram verba hæc cum sint generalia, de quolibet judicio accipi possunt, *q. d.* Compariturus in tribunali hominum, sed maxime Dei, prius fac ut causa tua sit justa. Sic enim a justo judice non metues condemnationem, sed securus faustam sententiam exspectabis. Similiter antequam alios doceas, prior ipse disce, neve loquaris quod nescis, quodque forte falsum est, unde juste ut temerarius doctor vel assertor damneris : quanquam Græca hoc ad sequens referant, cum eoque combinent, hoc modo : « Antequam loquaris disce, et ante languorem vel morbum sanare. » Porro Palacius sic explicat, *q. d.* Antequam loquaris, id est, respondeas Christo examinanti te in die judicii, nunc disce bene faciendo, quod tunc cum lætitia respondeas. Omnia enim hæc spectant præparationem ad judicium. Verum aptius sic explices : Sicut locuturus prius discit quid loquatur, sic tu locuturus et responsurus Christo judici te examinanti, prius hic disce practice bene vivendo quod tunc respondeas.

Ita judicii divini jugiter memor, ad illud assidue se comparabat S. Julianus Anachoreta, de quo ita scribit S. Ephrem, illi familiaris, in ejus Vita : « Et quemadmodum qui carcerali detinentur custodia, dum coram tribunali judicii producendi sunt, præ timore et angore plorant : sic et beatus Julianus assidue tremendi tribunalis Christi recordabatur ; quare et continenter flebat, judicium futurum cogitans. Ubi autem compunctio et lacrymæ et humilitas, ibi nequaquam instabilitas et quæcumque res perversa ac improba regnat, sed optimus ordo viget, ac disciplina, et omnis res bona. Ubi vero ista non adsunt, multum a scopo, qui quæritur, aberratur. »

Vers. 20. 20. ANTE LANGUOREM ADHIBE MEDICINAM, ET ANTE JUDICIUM INTERROGA TEIPSUM, ET IN CONSPECTU DEI INVENIES PROPITIATIONEM. — *Primo, q. d.* Cum ex inappetentia, dolore, lassitudine aliisque indisposi-

tionibus quasi symptomatibus et signis præsentis, vel sentis, initia morbi, illico occurre et remedium adhibe, quo morbum avertas. Remedium est triplex : *primum* est abstinentia, jejunium, diæta; *secundum*, exercitium corporis; *tertium*, pilulæ aliaque catapotia. Hæc enim tria humores superfluos et noxios, qui morbum causant, vel exhauriunt, vel consumunt : unde sunt multi qui semel vel bis quotannis, puta in vere et autumno, catapotiis corpus purgantes, vivunt vitam sanam et longævam. Alii idem faciunt per abstinentiam et exercitium. Unde Joannes Salisberiensis, lib. VIII *De Nugis Curialium et vestigiis Philosophorum*, cap. VI : « Ferunt, ait, Galenum semper decimæ diei abstinentiam, loco efficacissimæ et saluberrimæ medicinalis curæ indixisse ; nec facile posse, nisi corruptioris naturæ fuerit, morbis gravioribus subjacere, qui decima quaque die ab omni cibo abstinet, aut simplicissima diæta transigit vitam. » Et Cœlius Rhodiginus, lib. XXX *Antiq. Lect.* cap. XII : « Memoriæ, ait, proditum est, Galenum centum et quadraginta annos vixisse, tantaque in cibo et potu abstinentia usum, ut ad satietatem nunquam comederit aut biberit, nec crudum quidquam unquam gustarit : unde sit factum, ut odorificum semper anhelitum spiraret, et citra ullam omnino affectionem sola deficeret senectute ; hinc etiam adagio exorto, ut Galeni valetudinem dicamus, pro ea quæ ultra humanum captum nimis sit prospera, nimisque inoffensa. » Suidas tamen Galeno tantum dat annos 70, alius 87 ; floruit sub Antonino Pio Imperatore. Sunt et hodie Religiosi, virique sapientes et pii, qui sextam cujuslibet hebdomadæ feriam in jejunio sine cibo transigant, vel eo utantur pareo et parvo, quod tam religioni (id enim faciunt in nonorem passionis Christi) quam incolumitati certissime servit, uti experimur quotidie. Porro tunc maxime jejunandum, cum corpus plethora, id est plenitudine, distenditur : nam hæc in paralysim et pessima morborum genera erumpit. Quocirca qui in conviviis bene pransi infartique sunt, si sanitati consultum velint, a cœna abstineant, vel modicum quid cœnent.

Abstinentia avertit morbos.

Exemplum Galeni.

Certe novi permultos, qui omnes morbos curant et prævertunt jejunio, eoque sanitatem et vires licet modicas et debiles tuentur. Quin et Aristoteles, lib. V *Ethic.* : « Abstinentia cibi, inquit, confert febricitanti sanitatem. » Tritum est illud Scholæ Salernitanæ :

Cum tibi defuerint medici, medici tibi fiant
Hæc tria : mens hilaris, requies facilis, moderata diæta.

Vide dicta *Daniel.* 1, vers. 8 et 15.

Simili modo ante judicium interroga teipsum, *q. d.* Antequam judices alios, judica teipsum, ut aliis compati discas, utque prius in te damnes et corrigas, quod damnare et corrigere vis in aliis.

Porro apposite hoc subnectit τῷ *ante languorem adhibe medicinam*, quia correctio proprii languoris et vitii est optima dispositio et medicina ad curandum languorem, et vitia aliorum. Unde SS. Anachoretæ in *Vitis Patrum* docent dicuntque : Qui plene vicit suam gulam, iram, superbiam, etc., potest dæmonem gulæ, iræ, superbiæ ex aliis depellere. Rursum Palacius ea sic connectit, *q. d.* Sicut ante languorem, quem credis instare, adhibes medicinam : sic ante judicium teipsum examina, circumspice, interroga, ut in conspectu judicis invenias propitiationem.

Secundo, sublimius sub languore corporali accipe spiritalem, puta passiones, concupiscentias et vitia, *q. d.* Cum præsentis, vel sentis, initia alicujus tentationis, passionis et vitii ebullientis, illico illa amove et reseca : nam si ea crescere sinas, difficile superabis, juxta illud :

Principiis obsta : sero medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.

Huic sensui magis cohæret id quod sequitur : « Et ante judicium interroga teipsum, » *q. d.* Antequam voceris ad Dei tribunal ut judiceris, explora et examina tuam conscientiam ; ac si quid ibi vitii deprehenderis, expurga per pœnitentiam, perque serium propositum et studium melioris vitæ, et bonorum operum. Hæc enim est medicina efficax, ut in judicio languorem et mortem æternam evadas. De judicio enim Dei hic agi, patet ex eo quod sequitur : « Et in conspectu Dei, » Græce, *in die visitationis*, vel inquisitionis, id est judicii, « invenies propitiationem. » Ita Rabanus et Palacius. Hinc Complutenses sic legunt, *ante languorem* θεραπαίνου, id est *curare*, fac ut cureris et saneris ; *judicium para te* καλλιεργεῖν, id est *ad bene faciendum* (aliqui legunt καλλιερεῖν, id est *ad litandum*, ad sacra faciendum, ad numen victimis propitiandum), *et in hora visitationis invenies propitiationem.*

Ubi nota Complutenses legere ἑτοίμαζε, id est *para*, pro quo Noster et alii legunt ἐξέταζε, id est *explora, interroga ;* Tigurina, *ante ægritudinem admitte curationem, ante judicium explora teipsum, ut tempore inquisitionis consequaris veniam ;* Syrus alio abit : sic enim vertit, *antequam pugnes, quære tibi adjutorem ; et antequam infirmeris, quære tibi medicinam.*

Notanda est aurea gnomæ S. Dorothei *Doctrina* 3, in fine : « Admonuere, inquit, crebro majores nostri, non debere pati monachum remorderi se aliquando a conscientia sua, ne una quidem re minima. » Et S. Chrysostomus, homil. 43 *in Matth.* : « Sedeat, inquit, mens atque cogitatio tua judex in animam atque conscientiam tuam ; adducas omnia delicta tua in medium, scrutare quæ animo commisisti, et pone dignas singulorum pœnas ; dicas tecum assidue : Quare hoc aut illud ausus es ? quare illud et illud perpetrasti ? Quod si ab illis quidem tua conscientia refugit, aliena vero curiose rimatur, dic ad ipsam : Non ego judex in alios, nec tu alios defensura judi-

Tribunal sibi statuat conscientia.

cium subiisti. Sic assidue ipsam ad hanc scrutationem revoca; deinde si causam dicere non possit, sed balbutiat atque stupescat, quasi superbam ancillam, et fornicatione corruptam cæde verberibus, ac flagellis dilania» Et paulo post : « Non enim morietur percussa, sed mortem effugiet. » Plura de hoc conscientiæ suique scrutinio vespertino et matutino, dixi *Deuter.* VI, 8; *Thren.* III, 40, ad illud : «Scrutemur vias nostras;» *Roman.* II, 15 et alibi.

Vers 21. 21. ANTE LANGUOREM HUMILIA TE, ET IN TEMPORE INFIRMITATIS OSTENDE CONVERSATIONEM TUAM. — *Primo, q. d.* Dum sanus es, dum vales et viges, noli superbire tua sanitate, robore et viribus, ne Deus superbiam tuam puniat, tibique auferat sanitatem et vires, in quibus superbis, ut humiliare te discas. Sponte ergo dum sanus es, te humilia, humiliterque Deo sanitatem acceptam feras, non tibi, vel tuæ ætati et industriæ, eumque precare ut eam tibi conservet. Unde Syrus vertit, *antequam apprehendat te angustia, ora, et in tempore angustiæ invenies eam, et respondebit tibi.*

Secundo, Palacius explicat, *q. d.* Si vis tempore infirmitatis leniter et humiliter ferre languorem, ante eum lenis esto et humilis : nam qualem te exhibueris sanus, invenies infirmus. Igitur ante tempus judicii, in quo omnia trement, humilia te, præpara te : quiete et mansuete judicem exspectabis, si quiete et mansuete vixeris. Rursum humilia te, scilicet ἐγκρατείᾳ, id est, per continentiam et abstinentiam, ut addunt Complut., hoc est, jejuna, *q. d.* Antequam ægrotes, jejuna, jejunio digere et consume humores superfluos, qui tibi febres aliosque morbos creabunt : mater ergo sanitatis, æque ac sanctitatis, est sobrietas. Nota : Hebræum ענה *ana* significat affligere et humiliare : afflictio autem Judæis præcepta et ordinaria erat jejunium. Itaque *humiliare se* idem est quod jejunare, præsertim quia humiliata, id est, afflicta carne per jejunium, humiliatur et spiritus. Hinc illud frequens in Scriptura : « Humiliate in jejunio animas vestras. » Quocirca Tigurina vertit, *ante infirmitatem temperantia teipsum macera.*

ET IN TEMPORE INFIRMITATIS OSTENDE CONVERSATIONEM TUAM. — Præscripsit quid ante infirmitatem sit faciendum, nunc præscribit quid in ipsa sit agendum, dicendo : «Ostende conversationem,» id est, patientiam, humilitatem, resignationem, pœnitentiam. Alii explicant, *q. d.* Ostende conversationem tuam præteritam Deo, et sacerdoti in lege nova per sinceram peccatorum confessionem.

Secundo et potius, « ostende conversationem, » id est conversionem (et forte ita vertit Noster) « tuam. » Sic Seneca ait *epist.* 75 : « Sciatque illa ipsa, quibus lædi videtur, ad conversationem (id est conversionem) universi pertinere, et ex iis quæ cursum mundi consumunt. » Græce enim est ἐπιστροφήν, id est *conversionem,* regressionem; item consideratione, curam, animadversionem, castigationem. Sensus ergo est, *q. d.* Dum ægrotas, convertere per orationem et pœnitentiam ad Deum, tum ut ipse tibi sanitatem restituat, tum ut animæ tuæ consulas, teque præpares ad instantem mortem Deique judicium. Convertere, inquam, regrediendo per neglectam prius viam, ideoque priorem tuam vitam recognosce, introspice, animadverte, castiga, curaque summopere, ut animæ tuæ ituræ ad mortem et ad tribunal Dei plene consulas, ut æternitati beatæ, non miseræ, adjudicetur. In judicio enim de alterutra in te feretur sententia Dei. Ita Ezechias morbo afflictus conversus ad Deum, oransque cum lacrymis veniam et vitam impetravit, *Isaiæ* XXXVIII. Ita S. Theresia confessa est ægritudines sibi fuisse initium sanctitatis et salutis. Idem omni sæculo factum legimus, et etiamnum fieri videmus.

Dei tus sanitatis causa sanctitatis.

Rursum hic versus æque ac præcedens, de morbo non tantum corporali, sed et spiritali accipi potest, *q. d.* Antequam in aliquem animæ languorem, id est vitium et peccatum, incidas, jejuna, carnem afflige, ac humilia te, ut humilitate, jejunio, humilique oratione et invocatione opis divinæ languorem et lapsum evadas; si vero jam in eum es prolapsus, illico per conversionem et pœnitentiam exsurge. Unde pro *infirmitatis,* Noster Græce legit ἀῤῥωστημάτων, id est *infirmitatum;* jam legunt ἁμαρτημάτων, id est *peccatorum.* Sic enim legunt, *in tempore peccatorum ostende conversionem;* Tigurina, *tempore peccatorum ostende emendationem;* Syrus, *antequam impingas, ora et precare : antequam pecces, da eleemosynam.* Ita Rabanus, hæc omnia referens ad pœnitentiam, qua quis se præparet ad diem judicii, ideoque omni nisu in servitio Dei usque ad finem vitæ laborare contendat. « Ille discit, ait, atque justitiam sibi præparat, qui quotidie rimatur quid de conversatione sua et actibus Deo placeat, quidve displiceat; et ita se per compunctionis lacrymas et castigationem corporis studet a delictis mundare, ut non necesse sit pro pollutione peccatorum æternis cruciatibus in die vindictæ denuo illum subire. Illam enim horam languorem appellat, et tempus infirmitatis, quando justa retributio unicuique pro actibus propriis rependitur; nec jam licet cuiquam operari, sed fas est operum suorum mercedem unumquemque recipere. » Hic enim dies qualis sit, Sophonias propheta cap. I ostendit, dicens : « Juxta est dies Domini magnus, juxta est et velox nimis : vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies iræ dies illa, dies tribulationis et angustiæ, dies calamitatis et miseriæ, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulæ et turbinis, dies tubæ et clangoris super civitates munitas, et super angulos excelsos. Et tribulabo homines, et ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt : et effundetur sanguis eorum sicut humus, et corpora eorum sicut stercora. Sed et argentum eorum, et aurum eorum non poterit liberare eos

in die iræ Domini : in igne zeli ejus devorabitur omnis terra, quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram. » Et S. Cyprianus, tract. *De Passione* : « Veniet, inquit, anima tua in manus judicis quem condemnas, fractisque tribunalibus tuis judicaberis, et demergeris in profundum inferni, eruntque tibi et Judæ scelerato, in tenebris et gehennalibus flammis, pœnæ irremediabiles, inconsumptibiles ignes, dolores perpetui, et tormenta æterna. Et quidem Filius hominis, sicut scriptum est de illo, vadit : qui damnatus est, ut liberaret damnatos; doluit, ut sanaret infirmos; timuit, ut faceret securos; opprobria pertulit, ut improperia detrahentium non moverent electos; deputatus inter impios, quorum alter assumptus, alter reprobatus est, ut daretur exemplum et forma indissolubilis, manans in posteros, quia nec in ultimis Dei clementia pœnitentes excludit; nec ulla hora sera est, cui compunctio districta occurrit; nec eos qui vitæ suæ quocumque articulo temporis veri sunt judices, iterum judicari. Quia, cum judicis et tortoris vices non parcens peccator assumit, semetipsum persequens, dum confessionem confusione honorat, holocausti hujus incensio in conspectu Dei veniam impetrat. Neque enim bis in idipsum judicat Deus; sed impœnitentes ipse judicat et damnat; pœnitentes vero, quia a seipsis suscipit judicatos, absolvit; neque judicio, quod pœnitentiæ humanæ severitas protulit, aliquid justitia cœlestis apponit. »

Judica ne judiceris a Deo.

Vers. 22. 22. NON IMPEDIARIS ORARE SEMPER, ET NE VEREARIS USQUE AD MORTEM JUSTIFICARI : QUONIAM MERCES DEI MANET IN ÆTERNUM, — *q. d.* Multa solent orationis impedimenta occurrere; hæc omnia amove quoad potes, ut vaces crebro et assidue orationi, nimirum occupationes ad te non pertinentes, vel minus utiles, visitationes amicorum, convivia, ludos, studia nimia vel inutilia, somnum, otium, lites forenses, negotia sæcularia, etc. Hæc enim omnia quasi minus utilia postponenda sunt orationi, utpote rei divinæ et utilissimæ, per quam Dei gratiam omniaque bona a Deo impetramus. Quocirca Christus : « Oportet, inquit, semper orare, et non deficere, » *Lucæ* XVIII, 1; et S. Paulus : « Sine intermissione orate, » I *Thessal.* V, 17. Vide ibi dicta. Tota ergo Sanctorum vita est quasi jugis oratio, ut fuit vita S. Antonii, Simeonis Stylitæ, S. Mariæ Magdalenæ et Davidis dicentis : « Septies in die laudem dixi tibi, » *Psal.* CXVIII, 164. Unde S. Gregorius in *Psal.* VI pœnit. « De profundis, inquit, clamavi ad te : non ait : Clamo, sed clamavi : habes in hoc perseverantiæ documentum, etc. Esto ergo sedulus in oratione, esto in precibus importunus, cave ne ab oratione deficias. »

Pro *non verearis*, aliqui cum Pagnino legunt, *ne veteris*, *q. d.* Nil vetet, nil impediat, uti assidue orare, ita et assidue facere opera justitiæ. Verum Romana et Concilium Tridentinum, sessione VI, cap. X, quin et S. Augustinus in *Speculo* legunt *ne verearis*, *q. d.* Nullus hominum pudor, nullus timor te remoretur a profectu justitiæ, quominus assidue satagas per opera justa et sancta crescere in justitia, gratia et sanctitate. Causam subdit : Quia per hæc augebis mercedem et coronam tuam æternam. Si enim mercator oblata occasione lucrandi centum pro uno, avide illam arripit; utique et nos avidissime arripere oportet occasionem augendi merita et coronas nostras, quæ in hac vita singulis momentis nobis offertur, ut quolibet instanti possimus lucrari mille, imo milliones pro uno. « Non enim sunt condignæ passiones (actiones et labores) hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis, » ut ait B. Paulus. Nota τὸ *quoniam merces Dei manet in æternum*, *q. d.* Ne verearis quotidie studere justitiæ, et nova merita accumulare, quia præmia Dei bene agentibus destinata exhaurire valeas; « merces » enim ejus « in æternum manet, » quia quantumvis pro Deo laboremus, et ei serviamus, semper supersunt manentque ei præmia ingentia, quæ magis laborantibus dare possit.

Græca paulo aliter et brevius habent : « Noli impedire quominus reddas votum tempestive : et ne exspectes vel differas usque ad mortem justus fieri. » Ubi nota : Pro *votum* Græce est εὐχή, quæ vox, ait S. Hieronymus *ad Suniam*, nunc orationem, nunc votum significat; sed hic votum significare liquet ex verbo ἀποδοῦναι, id est *reddere*. Verum Noster aliud verbum videtur legisse. Rursum τὸ *ne exspectes* vel differas usque ad mortem justificari, sive *justus fieri*, dupliciter accipi potest : *primo*, de prima justificatione qua impius fit justus, *q. d.* Ne differas conversionem, ut peccatis inhærere velis usque ad mortem, et tunc agere de iis pœnitentiam, ut justitiam et gratiam Dei consequaris; *secundo*, de secunda justificatione qua quis ex justo fit justior et sanctior, *q. d.* Ne exspectes vel ad unum diem, quin quotidie usque ad mortem justificeris, id est crescas in justitia, ejus opera assidue exercendo. Et sic accipit Vulgatus Interpres Latinus, S. Augustinus et alii. Contra hanc sententiam peccant, qui vota Deo nuncupata persolvere tardant, differuntque de die in diem, imo de anno in annum; et illi qui in juventute indulgent suis concupiscentiis, tempus pœnitentiæ et sanctitatis rejicientes in tempus senectutis et mortis, quando sæpe vel non possunt, vel nolunt converti, quia difficile est tanto tempore inolitas consuetudines et concupiscentias deponere; iis enim velut funibus colligati tenentur, imo seipsos colligarunt. Tigurina vertit, *ne dubites votum reddere in tempore, nec justum probare te usque ad mortem differas*, quæ versio suspecta est; nam δικαιωθῆναι significat *justificari*, non justum probari. Vere enim per opera bona justificamur, non autem justi probamur et ostendimur duntaxat, uti volunt Calvinus et Lutherus. Syrus, *ne prohibearis ad transire faciendum delicta*

tua, et ne negligas quoadusque angustiæ te apprehendant. Ne differas pœnitere a peccatis tuis, recordare quod mors non cunctatur.

Stimuli ad profectum virtutis.

Moraliter, docet hic Sapiens, nos assidue studere debere tum orationi, tum profectui in justitia et sanctitate. Ad quam acres ex hoc loco stimulos adhibet Faustus Rhegiensis Episcopus *Instruct. ad monachos*, quæ habetur in Appendice *Biblioth. SS. Patrum*, pag. 1569 : « Nullum sibi finem proficiendi, inquit, faciat, nullum terminum constituat acquirendi, cum sibi dici audiat : Para in exitu opera tua. Et iterum : Non verearis usque ad mortem justificari. Et iterum : Sapientia in exitu canitur. Quanto ergo plus proficimus, tanto plus humiliemur, quia quanto plus humiliati fuerimus, tanto amplius proficimus. Nullus illic senior tam indoctus appareat, ut putet quod eum non deceat obedientia, quæ Deum decuit. Humilitas enim atque obedientia in junioribus adhuc necessitas, in senioribus jam dignitas est. Ille bene proficit, ille bene consummat, qui quotidie sic agit quasi semper incipiat. Quamobrem augmenta meritorum incitamenta esse perfectorum, Scriptura pronuntiat. » Quocirca S. Gregorius explicans illud *Job.* XXXI, vers. 18 : *De utero matris meæ egressa est mecum miseratio* : « Electis, inquit, cum foris ætas corporis, intus, si dici licet, crescit ætas virtutis. »

Vers. 23. Præparatio ad orationem quadruplex. Prima.

23. ANTE ORATIONEM PRÆPARA ANIMAM TUAM : ET NOLI ESSE QUASI HOMO QUI TENTAT DEUM. — « Præpara, » *primo*, per animi avocationem ab omnibus curis et negotiis terrenis, ut eum totum ad orationem et Deum transferas. Ita S. Chrysostomus, homilia 9 *De Diversis in Matthæum locis* : « Quid est, ait, ante orationem præpara teipsum, nisi exspoliatus cogitatione prava, sic accedas ad Dominicam orationem? » Quocirca hæc præparatio maxime requirit lectionem spiritualem, qua animus ad Deum erigatur, ac imbuatur cogitatione rerum divinarum, ait noster Suarez, lib. II *De Oratione mentali*, cap. II, juxta illud S. Basilii dogma : « Lectioni succedat oratio, orationi lectio ; » Secunda. *secundo*, per contritionem de offensis in Deum admissis suppliciter veniam postulando, ac proponendo seriam emendationem; Tertia. *tertio*, per considerationem divinæ majestatis et tuæ vilitatis, dicendo cum S. Francisco : « Quis ego, Domine? quis tu? Tu abyssus essentiæ, sapientiæ, bonitatis : ego abyssus nihili, ignorantiæ, malitiæ. » Et cum Abrahamo : « Loquar ad Dominum, cum Quarta. sim pulvis et cinis, » *Genes.* XVIII, 27; *quarto*, per præmeditationem eorum quæ quis petiturus est, ne petat injusta, iniqua, inutilia, vana, noxia; sed æqua, sancta, Deo digna et grata.

Vere S. Bernardus, serm. 76 *in Cantica* : « Qualem te, inquit, paraveris Deo, talis tibi apparebit Deus. Cum sancto enim sanctus erit, et cum innocente innocens erit, » *Psal.* XVII, 26, et cum sollicito sollicitus, cum recollecto recollectus, cum diligenti et liberali diligens et liberalis. « Et quantum apposuerimus ad diligentiam (ait Eusebius Emissenus, vel potius Eucherius Lugdunensis, homilia 3 *ad Religiosos*), tantum ille addet ad gratiam. » Propterea enim David dixit, *Psalm.* LXXXVIII, 20 : « Posui adjutorium in potente, » *q. d.* Adjuvat Deus adjuvantem se, recentesque vires ad facultatem addit bene utenti ea quam prius habebat. « O anima (ait S. Augustinus in *Manuali*, cap. XXIV), esto sollicita cum sollicito, cum mundo munda, cum sancto sancta, cum vacante vacans; qualis apparueris Deo, talis oportet ut appareat tibi Deus. » Et si valde fueris diligens, te præparando, antequam ad ejus conspectum ingrediaris, admittet libenter te, et præmio afficiet tuam præparationem, explendo tua desideria. Quo similior fueris Deo, eo libentius te audiet, tibique respondebit Deus; amicus enim cum amico sibi simili libenter conversatur, et suaviter colloquitur.

Quare, si orans imparatus accedat ad Deum per orationem, non placat, sed tentat, id est irritat, et ad iram provocat Deum sua temeritate, audacia, irreverentia, impudentia, præsertim si in peccato et ira Dei, ejusque inimicus existens, eum quasi amicum sine contritione audeat interpellare. « Ille enim, ait Rabanus, Deum tentat, qui ita orat ut ipse docuit, et tamen non hoc agit quod jussit. Cujus infructuosa est oratio, quia solummodo illi ab eo audiuntur, qui recta fide et bonis operibus levant orationes suas ad Deum. » Ante orationem ergo cogita quis sis, quia homo vilissimus, quia peccator ingratissimus, quia revera pulvis et cinis, stercus et fœtor; et hac cogitatione teipsum humilia. Cogita deinde quem sis oraturus, quia Deum sapientissimum, optimum, potentissimum, angelicæ naturæ amatorem, humanæ reparatorem, omnium conditorem. Admirare divinam majestatem intime præsentem, quæ te ante se sustinet; dilige immensam bonitatem, quæ prona est te exaudire et benigne tibi favere; in spem erigere quod e conspectu tanti regis nec vacuus, nec desolatus exibis. Cogita tandem quem boni affectum sis ex meditatione eliciturus, ut ad eum tuas considerationes dirigas, et quid sis petiturus, ut ita custodias illud Salomonis : « Ne temere quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo. Deus enim in cœlo, et tu super terram; idcirco sint pauci sermones tui, » *Eccle.* cap. V, vers. 1. Si ille tanto intervallo cunctos homines superat, æquum est ut magno cum tremore illum alloquaris, et quid tibi dicendum sit perspectum habeas.

Optima præparatio, est multiplex bona intentio.

Denique præparatio insignis ad orationem est, si ante eam animo concipias Deoque offeras multas magnasque piæ mentis intentiones, quæ ut eam aggredereris, te pellexerunt. Sic oratio fluet ex motivis variarum virtutum, ab eisque imperabitur. Sic pariter quis minore cum mentis evagatione cordisque ariditate, majori vero cum atten-

tione et devotione orationes suas decurret; et consequenter amplius merebitur, fructumque uberiorem referet. Quare in hunc modum dicere
Primo. poterit : Orationi vacare intendo, *primo*, ut Deum colam, laudem et benedicam, nimirum ut coram Angelis et hominibus, coram cœlo et terra, profitear, Domine, ego tuus cliens, te supremam esse majestatem, infinitæ potentiæ, sapientiæ, bonitatis et pulchritudinis, esseque te Deum meum et creatorem, meque tuam esse creaturam; te meum regem supremumque dominum esse, me autem subditum ac servum tuum; te meum cœlestem esse patrem, meque tuum esse filium, licet hoc nomine indignissimum, quia ad instar obedientis filii, patrique suo complacentis non me gessi : ut hac oblatione, quidquid boni in me est, a tua immensa misericordia et liberalitate emanare profitear. En tibi hic oratio impe-
Secundo. rata ab actu religionis. *Secundo*, orare intendo, ut Deo placeam, gratumque ei obsequium præstem, et hac ratione in ejus gratia et amicitia me conservem et promoveam : ut rem, qua Deum unice oblectari scio, ei offeram. En oratio impe-
Tertio. rata ab actu charitatis. *Tertio*, orare intendo, ut Deo gratias agam pro innumeris corporis et animi beneficiis, quæ a liberalissima ejus manu
Quarto. recepi. En actus gratitudinis. *Quarto*, ut imiter Jesum Christum, B. Virginem, sanctosque omnes Angelos et homines, quorum opus in cœlo continuum est oratio, eorumque precibus et meritis meas uniam, itaque unitas iis Deoque offeram.
Quinto. En hyperdulia et Sanctorum cultus. *Quinto*, ut peccatorum meorum veniam deprecer, pro iis-
Sexto. que satisfaciam. En actus pœnitentiæ. *Sexto*, ut animas e Purgatorio liberem, peccatoribus in hac vita pœnitentiam, justis justitiæ augmentum
Septimo. impetrem. En amor proximorum. *Septimo*, ut gratiæ et gloriæ augmentum exorem, ut scilicet charitatis, humilitatis, mansuetudinis, patientiæ, castitatis, sobrietatis, fortitudinis, constantiæ, perseverantiæ, zeli ac consequenter gloriæ in cœlo illis respondentis incrementum efflagitem. En actus spei et cæterarum virtutum. Eædem intentiones cuilibet operi bono, ut jejunio, eleemosynæ, concioni, pœnitentiæ, etc., præmitti possunt, ut opus ex omnibus hisce virtutibus prodeat et promanet, quasi lilium πολύφυλλον, et variegatum ex multiplici et varia radice.

Græce pro *orationem* rursum est εὔξασθαι, quod tam vovere quam orare significat. Unde juxta præced. versum, in quo significavit vovere, ita vertunt, *priusquam voveas præpara teipsum*, ad præstandum reipsa quod vovere vis, *et ne esto ut homo tentans Dominum*. Quod quasi disparatum a priori præceptum accipi potest, *q. d.* Ne per orationem aut votum postules a Deo miraculum, aut ut rem, quam tuo labore et cooperatione tibi parare debes, solus per se tibi elargiatur. Hoc enim est tentare Dei potentiam et clementiam. Unde Syrus, *antequam voveas præpara votum tuum, et ne sis tanquam vir qui provocat Dominum suum.*

Moraliter, Auctor Imperfecti apud S. Chrysostomum, homil. 15 *in Matth.* : « Ille, ait, præparat animam suam ante orationem, qui faciens eleemosynam, venit ad orationem. Sicut enim oleum accendit lumen lucernæ, ita bona opera excitant fidem cordis, et dant confidentiam animæ apud Deum orandi. Ergo eleemosyna est preparatio orationis. Item jejunium est adjutorium orationis, quia oratio sine jejunio est gracilis et infirma. » Et inferius : « Quare eleemosyna ante orationem præcedit? quia moderatrix est et præparatrix viæ ante faciem orationis, ut post eleemosynam sequens oratio præparatum locum misericordiæ inveniat apud Deum. » Eleemosyna est præparatio ad orationem.

24. MEMENTO IRÆ IN DIE CONSUMMATIONIS, ET TEMPUS RETRIBUTIONIS IN CONVERSATIONE FACIEI. — Ita legendum cum Romanis et Græcis; perperam ergo Complutenses et alii legunt, *in conversione facies*, vel *faciens*. Sensus est, *q. d.* Crebro renova tibi memoriam iræ et vindictæ, quam Deus exercebit in impios in die judicii, quo consummabitur vita hominum, et præsens mundi cursus, quoque Deus retribuet eis meritas gehennæ pœnas, ideoque faciem suam, quam in hac vita eis ostendit benevolam et beneficam, dando eis opes et felicitatem, convertet in trucem, minacem, indignabundam, spirantem ignes et flammas, adeo ut ejus terrore impii dicturi sint montibus : « Cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni : quoniam venit dies magnus iræ ipsorum : et quis poterit stare? » *Apocal.* VI, 16. Vers. 24.

Hunc esse sensum docent Græca, quæ sic habent, *memento excandescentiæ ultimis diebus futuræ, et tempus ultionis in aversione vultus;* Tigurina, *memento iræ extremo die futuræ, et ultionis quo tempore avertetur facies;* Syrus, *memento quod ira est in fine omnium peccatorum, et in tempore angustiæ non avertet* (ira Dei) *a te faciem.* Identidem Siracides inculcat memoriam et timorem novissimorum, præsertim judicii et gehennæ, quia hic timor efficax est frenum ad cohibendum hominem a peccatis, eumque in omnibus actionibus facit cautum, providum, modestum, sollicitum.

25. MEMENTO PAUPERTATIS IN TEMPORE ABUNDANTIÆ, ET NECESSITATUM (ita Romana : male alii legunt, *necessitatem*) PAUPERTATIS IN DIE DIVITIARUM. — *Necessitatem* vocat angustias, quibus paupertas stringit et arctat pauperem, ut famem, sitim, frigus, multaque similia pati cogatur, *q. d.* Dum dives es et felix, metue inopiam et infelicitatem successuram; dum abundas, memor esto paupertatis tum præteritæ, tum futuræ, quæ scilicet tibi obvenire potest, quæque te arctabit, et in multas angustias rediget : sic enim fiet ut in abundantia non insolescas, utque provideas futuræ paupertati tibi obventuræ, vel hac in vita, vel in futura, dando scili- Vers. 25.

cet eleemosynas per quas pauperes te recipiant in æterna tabernacula. Sic providit Joseph in annis fertilitatis sterilitati futuræ, *Genes.* XLI, 47. Unde Rabanus : « Ne perdamus, ait, otium nobis concessum, quia veniet tempus quando jam non licet operari. Hoc enim hic tempus paupertatis et necessitatis nominat. » Hinc et Græca ac Syrus sic habent, *memento temporis famis, in tempore saturitatis; paupertatis et egestatis, in diebus divitiarum*, juxta illud cap. XI, 27 : « In die bonorum ne immemor sis malorum. » Vide ibi dicta. Huc facit illud Catonis in *Distichis* :

Tranquillis rebus, quæ sunt adversa caveto :
Rursus in adversis, melius sperare memento.

Vers. 26. 26. A MANE USQUE AD VESPERAM IMMUTABITUR TEMPUS, ET HÆC OMNIA CITATA IN OCULIS DEI, — *q. d.* ait Lyranus : Aliquando inter mane et vesperam mutatur tempus a divitiis in paupertatem. Dat causam cur in tempore abundantiæ memor quis esse debeat paupertatis, quia scilicet subito commutantur rerum vices et tempora, ut, sicut mane serenum sæpe desinit in vesperam caliginosam, sic qui mane est dives et felix, vespere sit inops et miser; imo qui mane est sanus et vivus, vespere sit æger et mortuus. Atque hæc omnia citata, id est, cito transeuntia, vel potius cito vicem commutantia, repentina et subita sunt in oculis Dei, qui, dum vult, illico sortes cujusque felices in infelices convertit, et vice versa, *q. d.* Ergo cuilibet mundi felicitati dum arridet, noli credere, nec affigere cor tuum, quia instabilis, infida, incerta est instar auræ; sed continuo expecta mutationem sortis et vitæ. Pro *citata* Græce est ταχινά, id est velocia, properantia, volucria, pernicia. Inde a celeri cursu ταχίνης vocatur lepus et cervus. Sic instar leporis et cervi transcurrit prosperitas hujus sæculi, eique succedit adversitas. Syrus pro *citata* vertit, *pulchra* : « Omnia hæc, inquit, pulchra sunt coram Deo, » *q. d.* Deus delectatur hac sortium et rerum omnium volubilitate et vicissitudine, quia hæc rebus ipsis in terra creatis, utpote fragilibus, connaturalis, innata et concreata est. In mundo enim hoc sublunari et volubili dominantur mors et sors, duo imperiosa numina, ait Tragicus, quæ nihil in sua quiete et statu relinquunt : ubi vices rerum et temporum, ortus et occasus, lux et tenebræ, caligo et serenitas, luctus et gaudia, metus et spes, somnus et vigilia, risus et lacrymæ, lamenta et jubilus, amor et odium, in perpetuo reciprocæ conversionis et confusionis gyro rotantur : ubi singula cadunt, surgunt, premuntur, infirmantur, convalescunt, tumultuaria quadam et necessaria vissitudine, ut per hæc Deus hominem moneat, a mundo hoc elementari mentem avocare, et in cœlestem sustollere, ubi est perennis rerum omnium stabilitas, felicitas, et æternitas.

Rota mundi.

Symbolice Rabanus : « A mane, inquit, hoc est, ab ortu nativitatis, usque ad vesperam senectutis mutabitur tempus ætatis hominis, quia repletus multis miseriis fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet. Vel aliter : A mane, hoc est, ab initio creationis mundanæ, usque ad vesperam sæculi, semper mutabuntur tempora; et ver, æstas, autumnus et hiems, dies et nox, nunquam requiescunt : et tamen hæc omnia ad statum æternitatis comparata cito transire videntur, nec aliquid de corporalibus rebus perpetuum manet : sed omnia coram oculis Domini transeunt, et certo fine clauduntur. Ipse autem semper idem est, et anni ejus non deficient.

Huc facit illud Boetii lib. II *De Consol.* prosa 2 : « Hæc nostra vis est, hunc continuum ludum ludimus : rotam volubili orbe versamus, infima summis, summa infimis mutare gaudemus. » Et prosa 3 : « An tu in hanc vitæ scenam nunc primum subitus hospesque venisti? ullamne humanis rebus inesse constantiam reris, cum ipsum sæpe hominem velox hora dissolvat? » Et illud Senecæ in *Thyeste* :

Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens jacentem.
Nemo confidat nimium secundis,
Nemo desperet meliora lapsus.
Miscet hæc illis, prohibetque Clotho
Stare fortunam, rotat omne fatum.
Nemo tam divos habuit faventes,
Crastinum ut possit sibi polliceri.
Res Deus nostras celeri citatas
Turbine versat.

Vers. 27. 27. HOMO SAPIENS IN OMNIBUS METUET, — tum sortis vicissitudinem, temporisque mutationem, ut ex divite et felici fiat pauper et miser, de qua jam dictum est; tum ne in ea peccet Deumque offendat, vel superbiendo in prosperis, vel desperando animumve dejiciendo in adversis; tum judicia divina, ait Lyranus, quæ ob peccata occulta, vel alias ob causas arcanas hominem deserunt, affligunt, castigant. Alludit ad *Prov.* XXVIII, 14 : « Beatus homo, qui semper est pavidus. » Sapienter Aristoteles, lib. *Magnor. moral.* : « Timendum, ait, viro forti, sed audendum; si enim non timeas, neutiquam fortis, sed audax eris. »

ET IN DIEBUS DELICTORUM ATTENDET AB INERTIA. — Græce ἀπὸ πλημμελείας, id est *a delicto*. **Verum** πλημμέλεια dicitur quasi πλὴν μέλειαν, id est *præter curam*, idem est quod ἀμέλεια, id est negligentia, inertia, incuria, ut acute vidit vertitque Noster. Vide dicta *Levit.* cap. VII, vers. 1. Complutenses, *ab errore*, adduntque antithesin, *et stultus non conservabit* καιρόν, id est *occasionem* vel *tempus* ; Tigurina, *insipiens autem non explorat tempora*, id est, temporum mutationem a me jam dictam : sed securus præsenti sorti, abundantiæ ac felicitati quasi semper duraturæ, stolide inhiat et incubat. *Dies delictorum* vocantur, quibus est occasio, licentia, et subinde quasi necessitas peccandi, quibus impune homi-

nes peccant, quibus passim omnes ruunt in peccata, quibus dominantur impii et impietas, ut tunc regnum peccati esse et imperare videatur. Tunc ergo maxime cavendum est *ab inertia*, id est, *primo*, ab otio : otium enim facit ut homo spectet peccantes et peccata, cum iisque colloquatur, versetur et agat, nec gratiam Dei invocet, itaque iis implicetur et consentiat; *secundo*, a desidia, torpore et pusillanimitate, qua quis non audet officio suo fungi, ac peccantibus et sollicitantibus alios ad peccata sese opponere, sed iis cedit et succumbit : quales multi sunt qui peccantium exemplis vel imperiis non audent resistere, ideoque eos sequuntur, *q. d.* Homo sapiens eo tempore quo grassantur peccata, quoque multæ peccandi occasiones se ingerunt, magis sibi cavebit, ac diligentior erit in officio et cura sui et suorum, ne peccet : quare tunc excutiet inertiam, induet magnanimitatem, ac generose se peccantibus opponet, uti fecere Machabæi Antiocho, cæterique Martyres tyrannis.

Dies delictorum quintuplices. Primo. *Dies* ergo *delictorum, primo,* sunt quando afflante fortuna adsunt opes, prosperitas, abundantia, adulatores; quæ hominem ad gulam, libidinem, superbiam aliaque peccata invitant, de quibus paulo ante dixit monuitque : « Memento paupertatis in tempore abundantiæ. » Quocirca Syrus vertit, *sapiens hæc omnia curabit, et in diebus impietatis non timebit a malo.* Felicitatem enim sequitur inertia, inertiam luxus et scelus, scelus miseria.

Secundo. *Secundo, dies peccatorum* sunt dies quibus indulgetur genio, veneri et ventri, aliisve peccatis, quales sunt dies Bacchanalium, qui proinde in Calendariis nonnullis *dies stultorum* nuncupantur. Unde Tigurina vertit, *homo sapiens semper metuet, et diebus peccato dicatis cavebit a delicto.*

Tertio. *Tertio, dies peccatorum* sunt, quando reges et principes impii dominantur, qui populum ad idololatriam, hæresin, libidinem verbo et exemplo sollicitant, imo minis, edictis et suppliciis cogunt : tunc enim est diluvium peccatorum, uti fuit tempore Noe. Tales fuerunt paulo post Siracidem, sub Antiocho Epiphane, cujus impietatem hic prophetice præsignificare voluisse videtur Spiritus Sanctus. Unde de iis ait Mathathias Judæ aliisque filiis Machabæis : « Nunc confortata est superbia, et castigatio, et tempus eversionis, et ira indignationis. Nunc ergo, o filii, æmulatores estote legis, et date animas vestras pro testamento patrum vestrorum, et mementote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus suis : et accipietis gloriam magnam, et nomen æternum, » I *Machab.* II, 49.

Quarto. *Quarto, dies peccatorum* sunt dies præsentis temporis, quod delictis est plenum, ait Lyranus et Glossa. Unde Palacius sic explicat, *q. d.* O viri, si quando felicia vobis arriserint, sive temporalia, sive spiritualia, vereamini peccatum mortale, in quod incidere potestis; in quod si inciditis, vere in tempus necessitatis et paupertatis incidistis. Cum igitur nemo sit securus ab eo, vir sapiens in tempore hujus vitæ, quod tempus est delictorum, cavebit ab inertia. Vel specialius : O vir pie, si quando in abundantia tua dixeris : « Non movebor in æternum; » memento ejus necessitatis et paupertatis, quam, si damnaris, in die judicii patieris cum impiis : et ejus rei memor in tempore hujus vitæ, cave ab inertia. Disce a formica, quæ tempore æstatis congregat, ne tempore hiemis indigeat. Disce a testudine, quantum periculi creet inertia. Nam, ut ait Plinius, lib. IX, cap. X : « Capiuntur testudines evectæ in summa pelagi antemeridiano tempore blandito, eminente toto dorso per tranquilla fluitantes : quæ voluptas libere spirandi in tantum fallit oblitas sui, ut solis vapore siccato cortice, non queant mergi, invitæque fluitent, opportunæ venantium prædæ. » Sic iners libere voluptati indulgens, oblitus sui, fit præda dæmonis, qui inerti quasi venator et piscator insidiatur.

Denique *dies peccatorum* sunt, cum in republica, Quinto. Ordine, monasterio, collegio, aliove cœtu oritur rebellio, schisma, scandala, ruina, vel laxitas disciplinæ, etc. Tunc qui animæ suæ consultum cupit, ita prudenter et fortiter agat, ut peccatum omne declinet, et animam suam salvet. Ita Franciscus Cæsarius Spirensis, S. Theologiæ Doctor, ac S. Francisci discipulus, petiit ab eo, dixitque : « Unam a te, o Pater, postulo gratiam, ut, si diebus meis fratres a pura regulæ tuæ observantia declinaverint (velut declinaturos prædixisti), possim cum tua licentia et benedictione, cum aliis sinceris professoribus regulæ a transgressoribus discedere, et separatim regulam observare. » Cui benedicens S. Franciscus : « A Christo, ait, et a me scias, fili mi, tibi esse concessum quod postulas; » ponensque manum super caput ejus, dixit ei : « Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. » Cæsarius ergo tandem Fr. Eliæ disciplinam laxanti resistens, ab ejus asseclis occisus, Gregorio IX Pontifice visus est ab Angelis ferri in cœlum. Ita habent Annales P. Wadingi anno Christi 1239, num. 6.

28. OMNIS ASTUTUS (Græce συνετός, id est *intelligens, prudens, cautus*) AGNOSCIT SAPIENTIAM, ET INVENIENTI EAM DABIT CONFESSIONEM, — id est, laudem. Quia Siracides res graves et difficiles dixit, quas multi, utpote mundi dictamina sequentes, non erant servaturi, addit, *astutus,* id est, vir prudens, *agnoscet,* id est, approbabit, diliget, sequetur hanc sapientiam a me jam expositam, ac insuper *dabit confessionem,* id est, laudabit et prædicabit eos quicumque eam inveniunt aliosque docent. Unde Tigurina vertit, *omnis cordatus agnoscit sapientiam, et eruditionem, et adepto eam laudem tribuit;* Syrus, *omni sapienti convenit docere sapientiam, et scientibus eam* (convenit) *dare confessionem,* vel *gratiarum actionem.* Nam, ut ait Aristoteles, lib. I *Metaphys.* I : « Sapientis proprium est alios docere. » Vers. 28.

Allegorice Rabanus : « Astutus, ait, hoc est, diligens et intentus meditator legis Dei, agnoscit sapientiam Dei esse Christum, et postquam invenerit eum, et corde credulo ejus agnitionem perceperit, ipse dabit ei confessionem rectæ prædicationis, et studium condignæ operationis. »

Vers. 29. 29. SENSATI IN VERBIS ET IPSI SAPIENTER EGERUNT : ET INTELLEXERUNT VERITATEM ET JUSTITIAM, ET IMPLUERUNT PROVERBIA ET JUDICIA. — Ita Romana et Græca : perperam ergo multi pro *impluerunt*, legunt *imploraverunt;* Græce enim est ἀνώμβρησαν, id est, tanquam imbrem effuderunt, impluerunt, instillarunt. Τὸ *in verbis* refer non ad *sensati*, sed ad *sapienter egerutn*, *q. d.* Sensati et prudentes non tantum audiunt sapientiam, laudantque eos qui illam docent, sed etiam ipsi eamdem aliis enuntiant et communicant ; unde in verbis suis ita sapienter agunt ac loquuntur, ut ostendant se intelligere veritatem et justitiam, utque impluant, id est instillent, aliis proverbia et judicia, id est, sapientes sententias et præcepta, quæ doceant justitiam, virtutem et sanctitatem. Unde Tigurina vertit, *cordati ipsi quoque dictis proferunt sapientiam* (veritatem intelligunt et justitiam, quæ verba non sunt in Græco) ; *et moderatione animi selecta in vitam responsa irrigant.* Potest tamen τὸ *in verbis* referri ad *sensati*. Unde aliqui clare vertunt, *qui in verbis sensati et intelligentes sunt, et ipsi sapientiam profitentur, et exquisitas parœmias tanquam imbrem effundunt ;* Syrus, *scientes doctrinam etiam ipsi sapientes fiunt, et scient usque in finem verba parabolarum, et verba sapientiæ, et doctrinam animæ.*

Complutenses et nonnulli alii hanc in Græco addunt sententiam : χρεῖσσων παῤῥησία ἐν δεσπότῃ μόνῳ, εἴπερ νεκρὰ καρδία νεκρῷ ἀντέχεται, id est, ut vertit interpres Complutensis, *melior fiducia in Domino solo, siquidem mortuum cor mortuo adhæret ;* Tigurina, *optima loquendi auctoritas solius est Domini, siquidem mortali cor inhæret mortuum ;* alii, *optima res est libertas in solo hero, siquidem cor mortuum mortuo adhæret.* Verum hæc sententia hoc loco obscura et impertinens videtur : unde eam omittunt Latina omnia, Syrus, et Græca editio a Caraffa et Romanis emendata.

Grues symbolum cautelæ. Primo. Secundo. Tertio. Quarto. Hujus astutiæ, cautelæ et sapientiæ symbolum sunt grues. *Primo* enim, sicut grues volando suum sequuntur ducem, sic astutus suum sequitur doctorem. *Secundo*, sicut grues præsentiunt pluviam, eamque volantes vociferando prænuntiant : sic astutus præsentit sapientiam, ac denuntiat ubi et a quibus ea hauriri debeat. *Tertio*, laboriosæ sunt grues, volando tranantes maria, ut calorem victumque quærant : sic impense studet et laborat cautus, ut sapientiam acquirat. Mirum est quod scribit Plinius lib. XXX, cap. ult., « non lassescere in ullo labore, qui nervos ex alis et cruribus gruis habent. » *Quarto*, grues timentes venatores noctu excubant ; ita vir cautus timet insidias hominum et dæmonum, et contra eas pervigil excubat. Sed accipe de gruibus verba Plinii, quæ commutato nomine homini cauto adaptes : sic enim scribit lib. X, cap. XXIII : « Immensus est tractus, quo veniunt, si quis reputet a mari Eoo. Quando proficiscantur consentiunt; volant ad prospiciendum alte ; ducem, quem sequantur, eligunt ; in extremo agmine per vices, qui acclament, dispositos habent, et gregem voce contineant. Excubias habent nocturnis temporibus, lapillum pede sustinentes : qui laxatus somno et decidens, indiligentiam coarguat (easque a somno suo sonitu excitet). Cæteræ dormiunt capite subter alam condito, alternis pedibus insistentes. Dux erecto providet collo, ac prædicit. » Eadem habet Aristoteles, lib. IX *Histor. Animal.* cap. X : « Grues, inquit, prudenter multa faciunt : loca enim longinqua petunt, sui commodi gratia; et volant alte, ut procul prospicere possint : et si nubes tempestatemque viderint, conferunt se in terram, et humi quiescunt : ducem etiam habent, » etc.

Vers. 30. 30. POST CONCUPISCENTIAS TUAS NON EAS, ET A VOLUNTATE (aliqui legunt, *voluptate*) TUA AVERTERE. — Græca huic sententiæ præmittunt titulum hunc : *Continentia animæ* vel animi. Pro *a voluntate tua*, Græce est, ἀπὸ τῶν ὀρέξεών σου, id est *ab appetitibus* vel *desideriis tuis ;* Syrus, *fili mi, post desideria animæ tuæ ne eas, et a concupiscentiis tuis prohibe eam ;* Tigurina clare, *ne sequaris cupiditates tuas, et appetitus tuos inhibe;* alii, *appetitiones tuas coerce.* Est hoc generale præceptum de continentia, ut per eam resistamus concupiscentiæ gulæ, libidinis, superbiæ, iræ, acediæ et cujuslibet vitii : *concupiscentia* enim omnem passionem et vitium tam mentis et spiritus quam carnis et sensus complectitur. Sensus ergo est, *q. d.* Sentire motum concupiscentiæ non est peccatum, sed ei consentire. Sentire enim est naturale, necessarium et involuntarium : consentire vero est arbitrarium, liberum et voluntarium, uti ex hisce Siracidis verbis docet S. Augustinus, lib. I *De Nupt. et Concup.* cap. XXIII. Si ergo sentis ebullire in te affectus iræ, odii, curiositatis, libidinis, noli eis assentiri, noli eos sequi : sed illico nega assensum, resiste, inhibe, coerce, reseca, abscinde, exstirpa quoad potes. Unde sequitur, motus concupiscentiæ magnum esse malum, juxta Aristotelis axioma, lib. II *Topic.* Quorum corruptiones sunt bonæ, ipsa corrupta sunt mala. Mundani et carnales nescientes quid sit concupiscentia, quid abnegatio, quid mortificatio, illico suos appetitus sequuntur et explent, velut animalia bruta : at fidelis et sensatus eis quasi hostibus suis reluctatur, sciens eos incitare ad peccatum, et ducere ad Tartara.

Concupiscentia frænanda, cur? Causa prima. Causæ sunt multæ : *Prima*, quia animal, ait Aristoteles, I *Politic.*, constituitur ex anima et corpore, tanquam ex regente et recto. « Anima est in corpore, ait idem *De Motibus naturæ*, sicut monarcha in civitate bene disposita. » Anima vero ratio-

nalis in homine est rectrix, et monarcha omnium, non tantum membrorum, sed et sensuum, passionum, imaginationum et desideriorum partis sensitivæ. Regat ergo ejus concupiscentias et appetitus, nec sinat se ab eis regi.

Secunda. *Secunda*, quia concupiscentiæ ingens sunt hominis malum, imo pernicies et exitium. Ipsæ enim sunt similes equo indomito, cæco, fero et furioso, qui equitem sive sessorem præcipitem dabit in lammam, fossam, saxa, etc., nisi per frenum ab eo regatur et refrenetur. Voluntas ergo et mens, sive spiritus, quasi sessor insideat suæ concupiscentiæ, quasi equo, eamque freno rationis inhibeat, ne ab illa in præceps agatur. Sicut ergo monstrum est, si equus regat sessorem; aut si homo capite deorsum, pedibus sursum insistat vel incedat : sic et monstrum est, cum ratio regitur a concupiscentia. Quocirca S. Basilius *Ad Filium spirit.* : « Corpus, inquit, rege ratione, uti auriga equum freno. » Idem *Ad Chilonem* : « Unam, inquit, voluptatem expugnato, ne, si omnes in te irritatæ cooriantur, turbulentam accersant menti tuæ tentationum intemperiem. Corpus substerne laborum exercitio, animam tentationibus assuefacito æquanimiter tolerandis. » Successive ergo vitia et concupiscentiæ expugnanda sunt. Idem in *Constitut. monast.* cap. III : « Affectiones corporis, ait, tunc sunt violentæ, cum ratio cessat; easdem illa moderante, et imperium suum exercente, facillime obtemperant. » Ratio ergo pervigil eas domat et regit. Sic S. Anselmus, *De Concept. Virgin.* cap. V, concupiscentiam comparat feræ, quæ, nisi ratione dometur et cicuretur, hominem secum in præceps egit.

Tertia. *Tertia*, quia concupiscentiæ sunt sicut Sirenes, quæ blando cantu alliciunt ad se homines, ut allectos devorent, uti ab eis devorati feruntur socii Ulyssis : Ulysses vero prudens aures suas obturavit, ne earum cantum audiret, eoque inescaretur, dementaretur et devoraretur, itaque unus ipse earum perniciem et mortem evasit. Ulysses est speculum viri sapientis et continentis. Hinc S. Bernardus, serm. 44 *in Cantic.*, loquens de filio prodigo, qui sua dissipavit deliciando cum meretricibus : « Quænam, ait, hæ meretrices? Carnales utique concupiscentiæ, de quibus Scriptura saluberrime te admonet : Post concupiscentias tuas non eas. » Idem *De Gradibus humilitatis* : « Cavendum est, inquit, ideo malum desiderium, quia mors secus introitum delectationis posita est. Unde Scriptura præcipit, dicens : Post concupiscentias tuas non eas. »

Quarta. *Quarta*, quia homo quasi conflatus est ex angelo et bruto : mente enim et parte rationali similis est angelo, concupiscentia vero et parte animali similis est bruto. Angelica ergo portio imperet animali et brutæ, ut eam faciat sibi similem et angelicam, non vero sinat animalem sibi dominari, ut et ipsa fiat animalis ac bruta. « Quare adversus tumultuantes, et ad mala trahere nitentes animæ concupiscentias, exerceat gloriosa certamina, si vivit in gratia, » ait S. Augustinus, lib. V *Contra Julian.* cap. III.

Quinta. *Quinta*, quia concupiscentia repugnat legi naturali et divinæ. Lex naturalis statuit homini sequendum bonum honestum, non delectabile et concupiscibile, quod honesto repugnat. Illud ergo amplectatur, hoc aversetur et fugiat. Lex divina jubet nos sequi dictamina spiritus, non carnis. Illa ergo sequamur, hæc detestemur et abnegemus. Unde S. Leo, epist. *ad Anatolium*, et habetur dist. 47, an. VI : « Virum Catholicum, inquit, et præcipue Domini sacerdotem, sicut nullo errore implicari, ita nulla oportet cupiditate violari, dicente S. Scriptura : Post concupiscentias tuas ne eas. Mens enim potentiæ avida nec abstinere novit a vetitis, nec gaudere concessis, nec pietati adhibere consensum. »

Concupiscentiæ mentis æque ac carnis frenandæ. Porro concupiscentiæ non tantum sensus, sed et mentis ac spiritus mortificandæ ac resecandæ sunt. Concupiscis nimiam scientiam, nimiam sapientiam, nimiam lectionem, nimium studium? concupiscentia est, excessus est cupiditatis; quod ergo in ea nimium et vitiosum est, abscinde. Scitum est illud : « Saturitas panis mala, studiorum autem pessima. » Incessit te cupido meditandi, orandi, contemplandi, cum charitas vel obedientia poscit ut ægro servias, ut confitentibus aures præbeas, ut doceas, concioneris, etc., mortifica illam cupidinem, et velut dilectum tuum Isaac Deo in holocaustum immola. Vocatus es ad sortem Magdalenæ, malles agere Martham; aut vice versa, vocatus es ad vitam activam, desideras contemplativam : desiderium hoc irrationale mortifica, Deoque sacrifica.

Quocirca hæc Siracidis sententia non tantum in malis, sed etiam in bonis custodienda est, ut scilicet illud bonum suspectum habeamus, quod non Dei beneplacitum, sed voluntas sola nostra dictaverit. Eo enim ipso quod a sola nostra voluntate progreditur, et divinis et Ecclesiæ jussis non probatur, a bonitate sua deficit, et aliqua malitiæ labe corrumpitur. Unde S. Leo, serm. 8 *De Jejunio septimi mensis*, sapienter ait : « Cum sint in animis hominum multæ bonæ concupiscentiæ, et laudabiles voluntates; quid est quod jubetur ut nostris non consentiamus affectibus? nisi quod ab illa concupiscentia prohibemur, et ab illa voluntate revocamur, cujus ortus ex nobis est, et ideo mala pronuntiatur. Ad distinctionem igitur concupiscentiarum quæ sunt ex Deo, bene homini dictum est : Post concupiscentias tuas non eas; ut quas cognoverit proprias, sciat esse vitandas. » Et S. Augustinus, serm. 45 *De Tempore* : « Noli, inquit, post eas ire. Nolunt post te ire? noli post eas ire : si velint post te ire, non erunt, quia contra mentem tuam non rebellabunt. Rebellant? rebella; pugnant? pugna; expugnant? expugna; hoc solum vide, ne vincant. » Hæc ille. Minutius explicat Hugo hoc præire, aut sequi : « Quidam

inquit, præcedunt concupiscentias, ut illi qui provocant, et procurant; quidam comitantur, qui in cogitationibus illicitis commorantur; quidam sequuntur, qui consentiunt et cooperantur. » Hæc Hugo, affertque ad hoc illud II *Reg.* III : « Phaltiel, inquit, sequebatur Michol plorans. » Denique concupiscentiæ symbolum est lupus, de quo plura dixi cap. XIII, 21.

Vers. 31. 31. SI PRÆSTES ANIMÆ TUÆ CONCUPISCENTIAS EJUS, FACIET TE IN GAUDIUM INIMICIS TUIS, — *tibi invidentibus*, uti addunt Græca nonnulla, et ea secutus S. Augustinus. Ratio est, quia expletio concupiscentiæ consciscet tibi infamiam, morbos, pauperiem, et sæpe mortem, aliaque damna corporis et animæ, quæ facient te ludibrium inimicis tuis, tum hominibus, tum dæmonibus, uti Samson amans suam Dalilam, eique obsequens, a Philisthæis captus, illusus, excæcatus et enecatus est, *Judic.* XVI. Ita S. Augustinus, lib. V *Contra Julian.* cap. III : « Numquid, ait, jam iste reus est habendo tales animæ concupiscentias, quas et præstare non debet, ne in gaudium veniat diabolo et angelis ejus, qui sunt inimici atque invidi nostri? » Unde Græca habent, *si præstiteris animæ tuæ beneplacitum concupiscentiæ, faciet te* ἐπίχαρμα, id est, derisionem et gaudium inimicorum tuorum; Tigurina, *si animo tuo indulgeas quamlibet concupiscentiam* (alii, *quod cupiditati lubitum est*), *efficiet quod invidentes tibi inimici tui de te gaudeant;* Syrus nervose, *si enim feceris voluntatem animæ tuæ, es sicut ille qui facit voluntatem inimici sui.* Cum ergo stimulat te alicujus rei cupiditas, cogita illam non esse amicam, uti se simulat, sed inimicam tibi; quare totis viribus ei quasi inimico capitali resiste. Sicut ergo milites conspecto hoste illico se armant, eique totis viribus sese præliando opponunt : ita et tu dum sentis te quippiam concupiscere, vel in te cupiditatem aliquam suboriri, illico rationis et resolutæ voluntatis ac gratiæ divinæ arma capesse, illique toto animi nisu obluctare, ac generose præliare prælium Domini, ut victor evadas, et ab eo quasi agonotheta, in magno illo judicii die corona immortalitatis et gloriæ doneris : omnia enim hæc spectant præparationem ad judicium.

Concupiscentiæ typus est limax.

Hujus rei symbolum est limax sive cochlea. Unde illud *Psalm.* XVII, 9 : « Sicut cera quæ fluit, auferetur; » quod S. Augustinus et alii accipiunt de concupiscentiis hominem tabefacientibus; Chaldæus vertit, *sicut limax tabefactus qui consumitur in itinere suo*; alii, *sicut limax vel cochlea, quæ liquescit, abeat.*

Primo.

Primo enim, sicut limax dicitur a limo, cui semper adhæret, ait Festus et Varro : sic cupidus et carnalis adhæret suæ carni et concupiscentiæ.

Secundo.

Secundo, sicut limax affigitur suæ cochleæ in eaque capitur; unde illud : « Implicitus conchæ limax, hirsutaque campe; » et Aristoteles, lib. III *Histor. Anim.* cap. XXXII : « Limax, inquit, detracta testa, hebetescit : » sic carnalis affigitur suæ domui, agris et fundis, in eisque capitur, et propter ea sæpe mortem incurrit tum præsentem, tum æternam.

Tertio.

Tertio, sicut limax viscosus est : sic viscosa est concupiscentia, quæ proinde hominem deprimit, nec sinit caput in altum, puta mentem in cœlum, levare.

Quarto.

Quarto, Albertus lib. *De Pisc. et aquat.* tradit limaces, si sale perluantur, plane liquescere, et in aquam viscosam commutari; sua enim viscositate liquantur et tabescunt. Unde et Plinius, lib. IX, cap. LI : « Quædam, inquit, tempore anni gignuntur, et in humore, et in terra. Vere pectines, limaces, hirudines, eodem tempore evanescunt. »

Quinto.

Quinto, limaces carent oculis, sed eorum vice parva habent cornua. Unde Plinius, lib. IX, cap. XXXII : « In eodem genere, ait, cochleæ aquatiles terrestresque, exertantes se domicilio, binaque ceu cornua protendentes contrahentesque, oculis carent, itaque corniculis prætentant iter. » Unde proverbialiter limax vocatur, qui exquirit ut aliquid auferat, juxta illud Plauti in *Bacch.* : « Limaces viri, » quod atterant et consumant. Sic concupiscentia menti adimit oculos, eamque exoculat et excæcat, ut non videat ejus malitiam æque ac damna, puta perniciem et gehennam ex ea sibi imminentem; sed carneos tantum et quasi corniculatos homini relinquit oculos, quibus terrena et carnalia intuendo prætentet et prægustet, itaque capiatur, calcetur et pereat, instar limacum, qui a porcis et perdicibus devorantur, juxta illud Aristotelis, lib. IX *Histor. Anim.* cap. XXXVII : « Ubi sit limax, neque sus est, neque perdix; omnes enim limaces ab his eduntur. » Vide quæ de concupiscentia ejusque mortificatione dixi *Jacobi*, cap. I, 14.

Vers. 32 et 33.

32 et 33. NE OBLECTERIS IN TURBIS NEC IN MODICIS (Jansenius et alii legunt, *nec immodicis*); ASSIDUA ENIM EST COMMISSIO ILLORUM. NE FUERIS MEDIOCRIS IN CONTENTIONE EX FOENORE, ET EST (Jansenius et alii legunt, *non est*) TIBI NIHIL IN SACCULO : ERIS ENIM INVIDUS VITÆ TUÆ. — Ita Romana; perperam ergo aliqui legunt, *in sæculo*. Græca moderna a Latina Vulgata hic valde dissentiunt; sic enim habent, *nec delecteris deliciis, nec earum consortio* vel *symbolo alligeris*, vel *denuntieris* (Græce enim est συμβολῆς, licet Complutenses legant συμβουλῆς, vertantque, *neque indigeas consilio eorum*), *non fias pauper de symbolis comessans ex fœnore; et nihil est tibi in sacculo.* Græcum enim συμβολὴ significat convivium in quo singuli suas symbolas, id est collationes sumptuum, pro rata conferebant; συμβάλλειν enim est *committere* et *conferre*. Unde συμβολοκοπῶν idem est quod σύμβολον κόπτων, id est symbolum secans vel dividens, hoc est, convivium ex collatione instruens « Ex fœnore, » scilicet ex pecunia ad fœnus accepta, *q. d.* Ne delecteris conviviis et compotationibus, quia depauperabunt te, adeoque cogent ut ad eorum symbolum et sumptum corrogandum, cogaris accipere pecuniam ad usu-

ram, quam solvere non poteris, cum nihil habeas in sacculo, itaque fies fabula et probrum convivis omnibus, *q. d.* Ne des tesseram partemque tuam convivio, ne sumptu depauperatus cogaris tesseram nummariam dare creditori et fœneratori, qua te ei velut debitorem obliges. Unde Tigurina vertit, *cave pauper evadas concinnandis de mutuo conviviis, donec tibi nil sit in sacculo;* alii, *ne fias pauper symbolum dando, cum tibi nil sit in marsupio.* Sic et Syrus, *ne lœteris in multitudine deliciarum, ne fias duplo pauper : ne fias pauper, et ebriosus, et intemperans, et verbosus, cum nihil habeas in marsupio tuo.* Quæ lectiones connexæ sunt, et clare recteque cohærent cum eo quod præcessit : « Post concupiscentias tuas non eas, etc., nam faciet te gaudium inimicis tuis. »

Verum Græca olim aliter habuisse liquet ex Latina Vulgata, et ex dissensione Græcorum codicum. Nam alii legunt ἐν τρυφῇ, id est *in deliciis;* alii, ἐν τύρβῃ, id est *in turba*, et sic legit Noster. Rursum alii legunt συμβολῆς; alii, συμβουλῆς, uti jam dixi.

Sensus ergo Latinæ versionis est, *primo, q. d.* Ne immisceas te populari turbæ, « nec in modicis, » id est, nec inter homines modicæ sortis, puta plebeios, viles et leves, ubi multa est scurrilitas et ineptia; nam in ea multa peccata committuntur. Ita Rabanus. Quocirca Christus sæpe fugit turbas. Idem fecere Sancti, ut Moses, S. Basilius, S. Nazianzenus, S. Antonius, idque ad hoc, ut in die judicii puram et illibatam a sæculi vitiis animam sisterent Christo judici : ad judicium enim hæc omnia pertinent. Ad hanc enim puritatem mire juvat secessus a turbis et solitudo. Unde de S. Joanne Baptista canit Ecclesia : Fuge urbam.

Antra deserti teneris sub annis,
Civium turmas fugiens petisti,
Ne levi saltem maculare vitam
Famine posses.

Cornelius Musius, nobilis Hollandiæ hoc ævo fidei pugil (pro ea enim dire cruciatus, fortiter occubuit), in carmin. *De Laude vitæ solitariæ*. « Cum morti, inquit, propinquabis, sero provocabis ad beatas cellulas. O beata solitudo, o sola beatitudo piis secessicolis. » Immisceri enim turbis, quid nisi turbas in nobis aut turbida proseminet? Ibi exempla pravitatis et morum corruptio, quæ etiam sanctos, eosque validos, seducunt et inquinant. Sicut enim botrus a proximo colorem trahit ac purpuram : ita qui mundus est, a malorum consortio vitium contrahit, affinitateque et congressu pravorum corrumpitur. Quis enim naufragium virtutum non patiatur et obruatur scelerum fluctibus, in patente illo turbidoque impuritatis oceano? Nunquam bonus, qui nunquam solus; peccatum fugit qui occasiones peccandi, puta turbas, fugit. Captivus servus est, qui agglutinatur multitudini; liber, qui ab ea semotus sui juris est, sibique ac Deo vivit. Vide dicta *Oseæ*, cap. II, 14.

Secundo, pressius et germanius, *q. d.* Ne oblecteris turbis, id est, hominum turbatione, tumultu, seditione, etiam modica, et in rebus modicis, quas Latini *turbellas* vocant, quia multa est « commissio, » id est conflictus, certamen, lites, rixæ, cædes et bella in illis. Sic enim dicimus committere prælium, et committere principes inter se, dum eos excitamus ad bellum contra se invicem. Notandum enim est græcum τύρβη et latinum *turba* significare non tantum hominum multitudinem, sed proprie θόρυβον καὶ τάραξιν, id est turbationem, perturbationem, commotionem, seditionem, quæ fere oritur ex turba et multitudine ingeniorum et voluntatum. Unde Ulpianus *De Vi bonorum et de turba*, L. *Prætor*, ait : « Turbam appellatam esse Labeo contendit ex genere tumultus, idque verbum ex Græco tractum τύρβη. Si duo rixam commiserint, utique non accipimus in turba id factum, quia duo turba non proprie dicuntur. Si vero fuerint decem, aut quindecim homines, turba dicetur. Rectissime Labeo inter turbam et rixam multum interesse ait; nempe turbam multitudinis, hominum esse turbationem et cœtum. » Sic Terentius in *Andria* : « Quid turbæ apud forum? » Ovidius III *Metamorph.* : « Ruit omnis in unum turba furens. » Cicero, act. I *in Verrem* : « Ecce autem nova turba atque rixa. » Idem Cæcinnæ, lib. VI, *epist.* 6 : « Exponerem quanta in turba, quantaque in confusione rerum omnium viveremus. » Hinc dicuntur seditiosi concire turbas, excitare turbas populares, etc. Idem, lib. I *De Natura Deorum* : « Aristoteles, ait, multa turbat a magistro Platone dissentiens. » Hinc S. Bernardus mire laudat S. Malachiam : « Quod sine turbatione inter turbas versaretur. » Hoc enim signum est animi celsi et in cœlo fixi, quia turba parit turbationes. Turbæ etymon et significatum.

Rursum Græcum συμβολὴ significat non tantum collationem convivarum ad sumptum in communi convivio vel symposio, sed etiam commissionem, id est, congressum et conflictum belli. Unde vers. seq. τὸ συμβολοκοπῶν Noster vertit, « in contentione. » Sic ergo hos duos versus genuine explices et connectas : Noli delectari, nec te miscere hominum turbis, id est tumultibus, quia multæ in illis rixæ, verbera et cædes committuntur. « Ne fueris mediocris in contentione ex fœnore, » *q. d.* Ut turbas et factiones quibus te miscuisti, vel quas concitasti, alas, multo opus est ære; quod cum in arca non habeas, oportebit ut sumas ab usurario ad usuram; quare suadeo tibi ne vel mediocriter contentiones et turbas hasce foveas, quia si id feceris, cogeris accipere multa ad fœnus, itaque tuas facultates exhauries, ut fœnori semper crescenti solvendo non sis, cum tibi jam nihil reliquum sit « in sacculo, » id est, in marsupio; quare eris « invidus, » id est, iniquus et noxius, « vitæ tuæ; » videberis enim tibi invidere vitam quietam, honestam, lætam et lautam. Συμβολὴ pro conflictu.

Porro, apte post vetitam concupiscentiam

abdit vetatque turbas et rixas, quia hæc multorum est concupiscentia, nimirum ut in republica vel communitate concitent turbas et seditiones, idque vel quia novitatis sunt studiosi; vel quia pugnaces et rixosi sunt, ideoque quietis mpatientes factiones concitant aut fovent; vel quia per eas ad honores et magistratus evadere, ut certe se ditare ex mercatorum divitumque apinis et spoliis satagunt.

Tertio, si plane Latinam versionem Græcæ modernæ vis adaptare, sic explica : Ne oblecteris turbis convivantium et compotantium (symposia enim inter turbas plebeiorum dominari solent, ideoque turbarum et cœtuum multis in locis videntur esse proprii et individui comites), quia assidua est *commissio*, id est, collatio eorum ad symbolum et epulum. Sicut enim dicimus committi ludos, sic et committi epulas et symbola. *Commissio* ergo est læta ex symbolis comessatio. Rursum *commissio* est scelerum perpetratio, quia inter epulas et symposia multæ crapulæ, insolentiæ, detractiones, scurrilitates, lites et rixæ committuntur. Quare cave ne ex hac contentione compotandi et convivandi fias *mediocris*, id est, pauper *ex fœnore*, quod tibi sumendum est, ut sumptibus symposiorum par esse queas, cum nihil habeas *in sacculo*, id est, in crumena : sic enim videberis *invidus* et iniquus esse vitæ tuæ, dum depauperatus cogeris famere, misere victitare et erubescere apud homines.

Huic expositioni favet codex quidam manuscriptus, quem citat Jansenius, qui ad marginem ex alia versione sic clare legit, *noli delectari in multa epulatione, ne egeas ex collatione, ne fias pauper collationem faciens ex mutuo*. Vetat ergo adiri epulas et prandia, ubi multi sunt convivæ, ac proinde multæ voces et clamores, ut non tam convivium, quam (ut ille ait) convocium esse videatur. Ita Lucius Verus imperator, teste Capitolino, aiebat, « septem convivium, novem convitium facere, » significans in convivium paucos adhibendos esse, alioqui fore tumultuosum et insuave, juxta illud Horatii :

Locus est et pluribus umbris,
Sed nimis arcta premunt olidæ convivia capræ.

Varro apud Gellium, lib. XIII, cap. XI, censet convivas intra Gratiarum et Musarum numerum consistere oportere, ne aut plures sint novem, aut pauciores tribus. Plinius, lib. XXVIII, cap. II, scribit Servium Sulpitium commentum fuisse causam, cur ominosum esset mensam relinquere, quod illis temporibus mundum numerabantur plures convivæ quam quinque.

Alludit ad illud *Proverb.* XXIII, vers. 20 et 21 : « Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum qui carnes ad vescendum conferunt; » ubi Aquila, Symmachus et Theodotion habent, συμβολοκόπος id est *symbola conferens;* Septuaginta, μηδὲ ἐκτείνου συμβολαῖς, id est, *ne extendas te in symbola*, id est, in comessationes et symposia quæ instruuntur ex plurium collatione : quæ proinde velut gulæ, luxuriæ aliorumque scelerum irritamenta, imo officinas et aramenta vetat Concilium Laodicenum *Can.* LV : « Non oportet, inquit, ministros altaris, vel quoslibet Clericos, vel etiam laicos christianos ex symbolis, quæ vulgus Comessalia appellat, convivia celebrare. » Eadem frequentia erant apud Gentiles. Unde Plautus in *Sticho* : « Eo, inquit, condictum symbolum ad cœnam, ac ejus conservum Sangarium Syrum. » Et in *Curcul.* : « Symbolorum collatores apud forum piscarium. » Terentius in *Andria* : « Symbolum dedit, cœnavit. » Et in *Eunucho* : « Heri aliquot adolescentuli coivimus in Pyræo in hunc diem, ut de symbolis essemus; (ederemus) Chæream ei rei præfecimus. »

Aliter Jansenius : « Ne oblecteris, inquit, in turbis, id est, in copia et multitudine ciborum. » Sic Plinius, lib. XV, cap. XIII : « Turbam prunorum » vocat varia genera prunorum; et lib. XI, cap. XXXVII : « Turbam vulnerum » vocat multitudinem vulnerum; Ovidius VI *Metamorph.* nuncupat « rotarum turbam; » Cicero *De Claris Orat.*, « turbam voluminum. » Verum esto simili phrasi posset dici « turba ciborum, » pro *eorum copia*, tamen absolute turba sine addito id non significat.

Porro Rabanus alio prorsus abit; secundum enim versum explicat de studio beneficentiæ, *q. d.* « Ne sis mediocris in contentione ex fœnore, » etc., hoc est, ne sis parcus, lentus et piger in contentione et studio fœnerandi, id est, benefaciendi et mutuandi aliis, quia si id feceris, non erit tibi nihil in sacculo, hoc est, semper aliquid habebis quo vivas, quodque eroges, non deerunt tibi solatia temporalia; si secus feceris, eris invidus animæ tuæ, quia ei male consules : detrahes enim ei merita beneficentiæ, Deique dona et gratias, quibus ipse beneficos cumulare et compensare solet.

Denique pro *invidus*, Græca habent ἐπίβουλος, id est *insidiator*, adduntque λαλητός, id est, *loquelæ hominum obnoxius*. Unde vertunt, *eris enim insidiator propriæ vitæ, incurrens in dicta hominum;* Tigurina, *alioqui insidiator vitæ tuæ famosus eris, q. d.* Alioqui male, imo pessime, consules vitæ tuæ, ut ei videaris insidiari. S. Scriptura enim sæpe rem æstimat ex facto, non ex mente facientis : licet ergo mens et intentio accipientis ad fœnus non sit nocere vitæ suæ, tamen quia de facto ei nocet, hinc dicitur ei invidus et injurius esse, scilicet materialiter, non formaliter, uti loquuntur Philosophi.

CAPUT DECIMUM NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Recenset damna ebrietatis et fornicationis. Inde, vers. 4, agit de moderamine linguæ, cavenda detractione, et celando secreto; tertio, vers. 13, de correptione fraterna; quarto, vers. 22, de calliditate bona, æque ac mala, sive hypocrisi. Hisce tamen de more nonnulla de sapientia et timore Dei dogmata inserit et admiscet.

1. Operarius ebriosus non locupletabitur : et qui spernit modica, paulatim decidet. 2. Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes, et arguent sensatos : 3. et qui se jungit fornicariis, erit nequam : putredo et vermes hæreditabunt illum, et extolletur in exemplum majus, et tolletur de numero anima ejus. 4. Qui credit cito, levis corde est, et minorabitur : et qui delinquit in animam suam, insuper habebitur. 5. Qui gaudet iniquitate, denotabitur : et qui odit correptionem, minuetur vita : et qui odit loquacitatem, exstinguit malitiam. 6. Qui peccat in animam suam, pœnitebit : et qui jucundatur in malitia, denotabitur. 7. Ne iteres verbum nequam et durum, et non minoraberis. 8. Amico et inimico noli narrare sensum tuum : et si est tibi delictum, noli denudare. 9. Audiet enim te, et custodiet te, et quasi defendens peccatum odiet te, et sic aderit tibi semper. 10. Audisti verbum adversus proximum tuum ? commoriatur in te, fidens quoniam non te dirumpet. 11. A facie verbi parturit fatuus, tanquam gemitus partus infantis. 12. Sagitta infixa femori carnis, sic verbum in corde stulti. 13. Corripe amicum, ne forte non intellexerit, et dicat : Non feci ; aut, si fecerit, ne iterum addat facere. 14. Corripe proximum, ne forte non dixerit : et si dixerit, ne forte iteret. 15. Corripe amicum : sæpe enim fit commissio. 16. Et non omni verbo credas : est qui labitur lingua, sed non ex animo. 17. Quis est enim qui non deliquerit in lingua sua ? corripe proximum, antequam commineris. 18. Et da locum timori Altissimi : quia omnis sapientia timor Dei, et in illa timere Deum, et in omni sapientia dispositio legis. 19. Et non est sapientia nequitiæ disciplina : et non est cogitatus peccatorum prudentia. 20. Est nequitia, et in ipsa exsecratio : et est insipiens qui minuitur sapientia. 21. Melior est homo, qui minuitur sapientia, et deficiens sensu in timore, quam qui abundat sensu, et transgreditur legem Altissimi. 22. Est solertia certa, et ipsa iniqua. 23. Et est qui emittit verbum certum enarrans veritatem. Est qui nequiter humiliat se, et interiora ejus plena sunt dolo : 24. et est qui se nimium submittit a multa humilitate : et est qui inclinat faciem suam, et fingit se non videre quod ignoratum est : 25. et si ab imbecillitate virium vetetur peccare, si invenerit tempus malefaciendi, malefaciet. 26. Ex visu cognoscitur vir, et ab occursu faciei cognoscitur sensatus. 27. Amictus corporis, et risus dentium, et ingressus hominis enuntiant de illo. 28. Est correptio mendax in ira contumeliosi : et est judicium, quod non probatur esse bonum : et est tacens, et ipse est prudens.

PRIMA PARS CAPITIS.

Vers 1. 1. OPERARIUS EBRIOSUS NON LOCUPLETABITUR (sed depauperabitur; est miosis : minus enim dicitur, et plus significatur); ET QUI SPERNIT MODICA, PAULATIM DECIDET. — PRO *modica* S. Augustinus et alii legunt *minima*, quia minima sunt modica quam maxime; et crebra est enallage graduum com-

parationis in Scriptura, ut positivus vel comparativus ponatur pro superlativo, quia eo carent Hebræi, ut : « Major horum est charitas ; » major, id est maxima, I *Corinth.* XIII, 13. « Qui autem minor (id est minimus) est in regno cœlorum, major est illo, » *Matth.* XI, 11. Hinc τὸ ὀλίγον, id est parvum, modicum, Noster subinde vertit « minimum, » ut *Actor.* XV, 2 ; *Actor.* XIX, vers. 23 et 24.

Copula *et* partim comparativa est, partim causalis : comparativa, *q. d.* Sicut operarius ebriosus non locupletabitur, *et*, id est sic, pariter, quivis alius spernens modica, non locupletabitur, sed paulatim a suo statu, opulentia et substantia decidet. Causalis, *q. d.* Operarius ebriosus non locupletabitur : « et, « id est *quia*, » qui spernit modica, paulatim decidet. » Quia enim ebriosus negligit modica opera et lucra singulorum dierum, ut vacet compotationi, hac de causa iterando singulis diebus hunc lucri neglectum, suaque consumens in symposiis, sensim decidit et depauperatur : pauca enim quæ habet cito potando consumuntur, dum eis otiando nihil addit ; qui ex adverso, si sobrie viveret et strenue laboraret, parvis suis quotidie parva lucra adjiciendo, tandem multa accumularet, divesque evaderet. Unde Tigurina vertit, *operarius ebriosus non ditescet, et paulatim sublabetur qui spernit exigua ;* Syrus, *operarius ebriosus non ditabitur ; et qui amat carnem* (carnis gulam et crapulam), *hæreditabit paupertatem.* Nam, ut ait S. Basilius *Ad filium spirit.* : « Ebriosus, cum se putat bibere, bibitur ; sicut piscis, cum glutit escam, glutitur hamo. » Hic versus recte cohæret cum lectione Græca versus ultimi et penultimi capitis præcedentis : « Noli delectari in multa epulatione, ne egeas ex collatione. » Cohæret et recte cum lectione Latina (quanquam hi versus sæpe inter se non sunt connexi, uti dixi in procemio) ; pergit enim hic epulationis et compotationis, quæ in turbis hominum plebeiorum (de quibus cap. præced. vers. 32) frequens esse solet, ait Rabanus, damna assignare, eaque tria enumerat, scilicet paupertatem, libidinem, apostasiam.

Alludit ad *Prov.* XXIII, 21 : « Vacantes poculis et dantes symbola consumentur, et vestietur pannis dormitatio, » hoc est, qui compotationes et cœnas symbolas frequentant, substantiam suam abliguriunt ; et quia inde sequitur somnus ad vinum et crapulam dirigendam, atque otium ex somno, hinc ad tantam inopiam rediguntur, ut vilibus lacerisque pannis quasi pannosi mendici vestire se cogantur. Unde Hebræa habent, *bibax et edax pauper efficietur, et scissuras faciet induere dormitatio ;* Chaldæus, *et pannis ruptis vestietur dormitatio ;* Septuaginta, *omnis ebrius et scortator mendicabit, et induetur disruptis lacerisque omnis somnolentus ;* S. Ambrosius, lib. *De Elia et Jejunio*, cap. IX : « Induet se scissa vestimenta ; » Clemens Alexandrinus, lib. II *Pædag.* cap. II : « Induetur laceris et pannosis omnis somnolentus. Somnolentus enim est, inquit, qui ad sapientiam non vigilat, sed ab ebrietate in somnum demergitur. Et laceris induetur debacchator, et per ebrietatem pudore afficietur propter eos qui aspiciunt. Peccatoris enim foramina sunt ea quæ ex veste carnali sunt lacerata, perforata libidinibus, per quæ dedecus intra animam cernitur, nempe peccatum. »

Symbolice : « Operarius ebriosus est, » qui quæ per bonam operationem colligit, eadem per ebrietatem inanis gloriæ, aut alterius malæ intentionis dissipat : quo fit, ut per illa nullas opes spiritales conquirat, sed omnibus sensim privetur et depauperetur.

Nota : Hæc sententia : « Qui spernit modica, paulatim decidet, » hic applicatur operario ebrioso ; sed in se generalis est, unde cuilibet rei aptari potest : ut studioso, qui parva negligit in scholis et studiis, paulatim decidet, nec scientiam acquiret, sed perdet ; infirmo, qui morbos modicos negligit, incidet in majores ; militi et capitaneo, qui parva in bello negligit, paulatim decidet, seque et exercitum perdet ; patrifamilias, qui parva familiæ damna negligit, decidet in magna ; mercatori, qui parva lucra spernit, amittet majora. Unde mercatorum ditescere satagentium hoc est axioma : « Nullum lucrum, quantumvis exiguum, negligito. » Idem sibi præfigat mercium spiritalium, puta virtutum, meritorum et coronarum cœlestium, mercator, ut ne minimam quidem augendæ virtutis, meriti et coronæ occasionem amittat. Quocirca Patres passim hanc sententiam adaptant peccatis levibus, *q. d.* Qui spernit peccata levia et venialia, sensim defluet, et tandem incidet in gravia et lethalia ; unde serio monent fideles omnes ut studiose defectus veniales etiam minimos caveant : hoc enim esse fundamentum securitatis conscientiæ et profectus in virtute. Ut vites magna peccata, cave parva.

Audi S. Gregorium III *Pastor.* Admonit. 34 : « Admonendi sunt, inquit, qui quamvis in minimis, sed tamen frequenter excedunt, ut nequaquam considerent qualia, sed quanta committunt. Facta enim sua si despiciunt timere cum pensant, debent formidare cum numerant. Altos quippe gurgites fluminum parvæ, sed innumeræ replent guttæ pluviarum. Et hoc agit sentina latenter excrescens, quod patenter procella sæviens. Et minuta sunt quæ erumpunt in membris per scabiem vulnera, sed cum multitudo eorum innumerabiliter occupat, sic vitam corporis, sicut unum grave inflictum pectori vulnus necat. Hinc videlicet scriptum est : Qui modica spernit, paulatim decidet. Qui enim peccata minima flere ac devitare negligit, a statu justitiæ non quidem repente, sed partibus totus cadit. » Ex S. Gregorio

S. Basilius in *Asceticis*, in Regula translata a Ruffino, cap. XVIII, docet Superiorem debere castigare etiam parva subditorum delicta, cum affirmaverit Dominus, quia « iota unum, aut unus apex non transiet a lege, donec omnia fiant ; » S. Basilio.

et rursum definierit, quia « de omni sermone otioso quem locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die judicii; » quare nihil oportet contemni tanquam parvum. « Qui autem modica spernit, paulatim defluit. « Auctor libri *De Salutar. documentis*, apud S. Augustinum, tom. IV, cap. XXXIV, monet elidendas esse pravas cogitationes, dum modicæ sunt et incipiunt, ne crescant et adolescant. « Ne, quæso, inquit, permittamus in nobis cogitationes pravas, neque tanquam minima negligamus; quia qui minima spernit, paulatim defluit. »

S. Chrysostomo. S. Chrysostomus, serm. *De Pericul. levium peccat.*, recensita historia uxoris Lot, quæ, quia retro ad Sodomam conflagrantem respexit, in statuam salis conversa est : « Neque, inquit, leve dicendum est, quod hominem contemnendo occidit, aut contemptorem transgrediendo decepit, cum scriptum sit : Qui modica spernit, paulatim decidet. »

S. Cypriano. S. Cyprianus (vel, ut alii malunt, Origenes), tract. *De Singularit. Cleric.*, docet Clericis vitanda esse omnia contubernia feminarum. « Omnes ergo rimæ, inquit, ne dicam portæ, claudendæ sunt, ne per unum foramen castra omnia penetrentur; et universa sunt componenda munimenta, ne per modicum non munitum tota civitas ruat, sicut Salomon repetit, dicens : Qui spernit modica, paulatim cadet. »

S. Hieronymo. S. Hieronymus sive Paulinus, instituens Celantiam matronam, ait : « Neque vero eorum te seducat error, qui ex arbitrio suo eligunt quæ potissimum Dei mandata faciant, quæve quasi vilia et parva, despiciant; nec metuunt, ne secundum divinam sententiam minima contemnendo paulatim decidant. »

S. Augustino. S. Augustinus, lib. I *De Morib. Eccles.* cap. XXIV, cum dixisset : « Modicum fermentum totam massam corrumpit, » subdit : « Quid autem proferri manifestius de Veteri Testamento contra istam dormitationem animi potest, per quam fit ut non sentiamus quasi minutatim serpentem perniciem, quam illud quod a Propheta dictum est : Qui spernit modica, paulatim decidet? De qua sententia, si opportunum esset festinantibus, copiosissime disputarem; atque id, si a nobis nunc susceptum munus flagitaret, fortasse demonstraremus quam sint alta mysteria, quæ imperitissimi et sacrilegi homines deridendo, non illi quidem paulatim jam decidunt, sed magno lapsu præcipites eunt. »

S. Isidoro. S. Isidorus, *De Norma bene vivendi* : « Qui, ait, verba mala non reprimit, ad noxia cito transit; et qui minima non respuit, in maxima valde prorumpit : minorum namque culpa majorem generat. Particulatim crescunt vitia, et dum parva non cavemus, in magnis prolabimur. Minora itaque devita, et ad majora non devenies. »

Petro Damiano. B. Petrus Damianus, *Apolog.* cap. VII, taxans Religiosos qui quippiam pecuniæ apud se retinent, dicentes rem modicam esse : « Si tenuissima, inquit, veneni stilla pando oleris aheno diffunditur, nonne totum, esculentius licet, edulium prorsus abominabile judicatur? Si ergo perexigua mala, largissima sæpius bona corrumpunt; quo pacto te de lenocinante conscientia jactas, quia minimum est, quod contra professionis tuæ propositum privata proprietate possideas? Nam juxta Apostolum : Modicum fermentum totam massam corrumpit. Et alibi : Qui modica spernit, paulatim decidet. »

Ratio a priori est, *prima*, quia multa parva iterata faciunt quid magnum : sic multæ unitates iteratæ faciunt mille; multæ guttæ conflant flumen et mare; multæ arenæ integrant cumulum. Sic multi actus humilitatis exigui, præter meritum, validum pariunt humilitatis habitum; multi actus vanæ gloriæ, habitum robustum vanitatis efficiunt. Quocirca S. Basilius in *Ascet.* : « Nullum, ait, sit erratum quod parvi pendas, quamvis illud tenuissima bestiola minutius sit. » S. Hieronymus *ad Heliodor.* : « Mens, ait, Christo dedita et in majoribus et in minoribus intenta est, sciens etiam pro otioso verbo reddendam esse rationem. » S. Augustinus, serm. 44 *De Temp.* : « Noli, ait, despicere peccata tua, quia parva sunt; nam etiam pluviarum guttæ flumina complent, et moles trahunt, et arbores cum suis radicibus tollunt. » Et in illud *Psalm.* LXVI : « Gentes in terra dirigit, » docet quotidie orationibus atque jejuniis exhauriendam esse aquam, quæ per rimulas intrat in sentinam animæ, ut navem obruat. Et in *Psalm.* XXXIX : « Comprehenderunt me iniquitates, etc., multiplicatæ sunt super capillos capitis mei. Si vitasti, ait, grandia, cave ne obruaris arena. » Idem, tract. *De Decem chordis*, cap. XI : « Noli, ait, ista contemnere, quia minora sunt; sed time, quia plura sunt. Attendite, fratres mei, minuta sunt, non sunt magna. Non est bestia quasi leo, ut uno morsu guttur frangat, sed bestiæ plerumque minutæ multæ necant. Si projiciatur quisque in locum pulicibus plenum, numquid non moritur ibi? Non sunt quidem majores, sed infirma est natura humana, quæ etiam minutissimis bestiis interimi potest. Sic et modica peccata attendite, quia modica sunt; et cavete, quia plura sunt. Quam minutissima sunt grana arenæ! si arena amplius in navi mittatur, mergit illam ut pereat. Quam minutæ sunt guttæ pluviæ! nonne flumina implent et domos dejiciunt? Ergo ista nolite contemnere. » Nazianzenus in *Tetrastichis* : Ratio. Prima.

> Scintilla magnas parva flammas excitat,
> Ac viperinum semen haud raro necat.
> Ob idque noxam, quamlibet parvam, fuge :
> Nam parva primum sit licet, crescit tamen.

S. Gregorius, X *Moral.* cap. IX : « Si, inquit, curare parva negligimus, insensibiliter seducti audenter etiam majora perpetramus, » juxta illud

Eccle. XI, 34 : « A scintilla una augetur ignis, et ab uno doloso augetur sanguis. » Denique peccatum veniale iteratum potest fieri mortale, ut patet in eo qui per parva furta notabilem summam accumulat. Plures casus recenset Gabriel Vasquez *I* II, disp. 246, num. 3 et seq.

Secunda. *Secunda,* quia parva disponunt ad magna : qui furatus est hodie assem, cras furabitur duos, perendie tres, ac tandem aureum, imo aureos perplures ; sic ex loquacitate facilis lapsus est in detractionem, ex nimia familiaritate in libidinem, ex ambitiuncula in fastum. Magna namque et aperta peccata, eo justis minus periculosa sunt, quod vel aspectum eorum satis enormem et tetrum exhorrent ; at minima eo ipso quod minima, periculosiora videntur, quia dissimulanter intrant, latenter cor possident, et abscondite ad miserabilem ruinam disponunt. Unde R. Ben-Azai in *Pirke Avoth,* sive in *Sententiis Patrum,* cap. IV : « Festina, ait, ut adimpleas mandatum, quantumvis leve ; omni cura fuge peccatum. Sicut enim mandatum unum alterius mandati est sequela, sic et peccatum unum mox aliud post se trahit, eo quod præmium unius præcepti sit aliud præceptum, sicut et peccati unius permissio fieri a Deo solet in pœnam alterius. » Et S. Bernardus tanquam expertus casuum aliorum bene ait : « Mens Deo dicata sic caveat minora vitia, ut majora ; quia a minimis incipiunt, qui in maxima proruunt. » Ita ipse *De Ordin. vitæ,* sub finem. Hoc est quod ait *Eccle.* cap. X : « In pigritiis humiliabitur contignatio, et in infirmitate manuum perstillabit domus. » In quæ verba Cassianus, *Collat.* VI, cap. XVII : « Eleganter, inquit, mentis incuriam domati comparavit, tectoque neglecto, per quam primo quidem velut minutissima quædam penetrant ad animam stillicidia passionum ; quæ si velut parva ac levia negligantur, corrumpunt tigna virtutum, et post hæc influunt imbres largissimi vitiorum, per quos in die hiemali, id est, in tempore tentationis, ingruente impugnatione diaboli expelletur mens de habitatione virtutum, in qua scilicet aliquando circumspectam diligentiam retinens, velut in domus propriæ possessione requieverat. » S. Augustinus, epist. 108 *ad Seleuciam,* de venialibus peccatis agens : « Quæ, inquit, si collecta contra nos fuerint, ita nos gravabunt et oppriment, sicut unum aliquod grande peccatum. Quid enim interest ad naufragium, utrum uno grandi fluctu navis operiatur et obruatur, an paulatim subrepens aqua in sentinam, et per negligentiam derelicta atque contempta impleat navem atque submergat? » Neque enim id sanctissimus et sapientissimus Pater dixit, quia putaret multa levia peccata uno gravi coæquari ; sed quia hæc si non navem nostri cordis operiunt, at aperiunt, ut magnum fluctum peccati gravis suscipiat. Levia enim peccata debilitant vires animi et spiritus, ac passiones adaugent et roborant ; quo fit ut irruente gravi tentatione homo debilis succumbat et consentiat, juxta illud *Cant.* II : « Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas. » Et *Psalm.* CXXXVI, 9 : « Beatus qui tenebit et allidet parvulos tuos ad petram. »

Tertia. *Tertia,* quia parva subinde multis magnum dant scandalum, faciuntque ut multi unius, utpote viri probi et sapientis imitentur exemplum, itaque disciplina Ecclesiæ vel religionis labefactetur. « Ipsa enim, ut ait S. Anselmus *De Similit.* cap. CXXII, est quasi quædam clausura, vel stagnum vivarii. Quoniam quidem sicut pisces decurrente aqua vivarii moriuntur, si clausuræ ipsius minutatim ac sæpe crepant, nec reficiuntur : ita omnis religio monastici Ordinis funditus perit, si custodia ejus pre modicarum contemptum culparum, paulatim a fervore suo tepescit. »

Quarta. *Quarta,* quia parva peccata gratiam Dei imminuunt et avertunt. Deus enim peccatis venialibus offensus, non toties, nec tantas immittit illuminationes menti, nec tantas pias affectiones voluntati, ut solebat prius ; quo fit ut homo, a gratia desertus, pronus sequatur suas passiones et concupiscentias, ac tandem in gravia peccata corruat. Stimulet illud Christi *Matth.* XXV, 21 : « Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam ; intra in gaudium Domini tui. » Præclare Salvianus, lib. VI : « Nihil, ait, leve æstimetur, quo læditur Deus ; » omnia peccata offendunt læduntque Deum ; omnia ergo, etiam minima, fugit qui Deum amat, nec vel minimum eum offendere et lædere sustinet.

Quinta. *Quinta,* quia dæmon per neglectum minorum fit audacior et robustior, ut tentet homines ad perpetrandum majora. Qui ergo sapit, in minoribus detinet dæmonem, nec sinit eum progredi ad majora. Norat hoc Eusebius Anachoreta, qui, ut scribit Theodoretus in *Histor. Patrum,* cap. IV, zona ferrea in collum injecta curvus incedebat. Causam rogatus, hanc dedit : « Ne malignus dæmon de magnis bellum gerat, conans auferre temperantiam et justitiam, et iram armans, et cupiditatem accendens, et ut fastu efferar, et superbia intumescam, efficiens, et quæcumque adversus meam machinetur animam ; conor hostem ad hæc parva traducere : in quibus, etiamsi vicerit, non magnum affert detrimentum ; et si victus fuerit, evadit magis ridiculus, ut qui ne in parvis quidem possit evadere superior. Quoniam ergo novi hoc bellum minus periculosum : non valde enim feritur, qui in his damni aliquid accipit (quod enim damnum est vel videre campum, vel in cœlum oculos attollere?) ; ad hoc me genus pugnæ transtuli : in hac enim me nec ferire potest, nec perimere. Non sunt enim hæc jacula lethifera, ut quæ illis ferreis careant aculeis. »

Magis vitanda parva peccata quam magna, cur? Porro paradoxum videtur quod ait S. Chrysostomus, homil. 88 *in Matth.* : « Mirabile quiddam atque inauditum dicere audeo. Solet mihi nonnunquam non tanto studio magna videri peccata esse evitanda, quanto parva et vilia ; illa enim ut

aversemur, ipsa natura peccati efficit; hæc autem, hac ipsa re quia parva sunt, desides reddunt; et dum contemnuntur, non potest ad expulsionem eorum animus generose insurgere. Unde cito ex parvis magna fiunt negligentia nostra. Hoc ipsum corporibus quoque accidere videbis. Sic in Juda maximum proditionis malum exortum est; nisi enim putasset parvum esse pecuniam inopum surripere, in tantam protervitatem non devenisset. Judæi quoque, nisi putassent inanis gloriæ delictum minimum esse, usque ad cædem Christi lapsi non fuissent. Hac via omnia scelera fieri videbis; nemo enim repente ad extremam improbitatem insiliit. Habet quippe insitum quemdam anima pudorem atque innatum, quem subito calcare atque projicere non potest, sed sensim atque paulatim ex negligentia perit. »

Exemplum nivis

Huc facit mirum nivis exemplum, quod refert Olaus Magnus, lib. II, cap. XIII. « Parum nivis, inquit, pede commovit avicula quædam in summo Defrinorum montium vertice; quod deorsum sensim descendens, et in pilæ formam sese revolvens et conglobans, semper auctum crevit in tantam amplitudinem, ut rotatum in imum montis, vastissima sua mole oppida destruxerit : ita parvi defectus, si negligantur, crescunt in immensum, et animam non unius, sed multorum sæpe millium perdunt. »

Ubi rigor, ibi vigor.

Quocirca notanda est aurea sententia S. Anselmi epist. 6 *ad Monach. Cisterc.* : « Certissimum, ait, signum est, quod in multis Ecclesiis experimento didicimus, quia in monasterio ubi minima districte custodiuntur, ibi rigor monachorum inviolabilis manet; ibi pax inter fratres, et in Capitulo proclamationes conquiescunt. Ubi vero minimi excessus negliguntur, ibi totus Ordo paulatim dissipatur et destruitur. » Idem per umbram videre et docuere Philosophi. Plutarchus *De Profectu virtutum* : « Non mediocre, ait, argumentum est nos in virtute progredi, si nullum jam peccatum leve et exiguum putemus, sed omnia studiose vitemus atque observemus, etc. Talis enim ostendit se purum aliquid sibi jam comparasse, quod inquinari nullo modo velit. » Plinius, lib. XI, cap. II : « Rerum natura, ait, nusquam magis quam in minimis tota est. » Quocirca Tertullianus, lib. I *Contra Marcion.* cap. XIV, vetat in modicis despici Creatorem, qui maximus artifex « animalia minutiora de industria, ingeniis et viribus ampliavit. » Plura vide apud nostrum Julium Nigronium Ascetico *De Cura minimorum*.

Vers. 2.

2. VINUM ET MULIERES APOSTATARE FACIUNT SAPIENTES (a sapientia, puta a sua prudentia, dignitate, officio, virtute, ac tandem a fide, religione et Deo), ET ARGUENT SENSATOS, — *q. d.* Ideoque vinum et mulieres redargutione et reprehensione dignos faciunt viros prudentes et sensatos, adeoque eos faciunt imprudentes et insensatos. Ita Rabanus. Jungit vinum mulieribus, quia ventri, inquit S. Hieronymus *Contra Jovin.*, vicina sunt genitalia, et venter mero æstuans despumat in libidines. » Ecce hic gradationem vitiorum, quæ ostendit quam paulatim decidat in abyssum is qui modica spernit. Ex vino enim itur in crapulam, ex crapula in fornicationem, ex fornicatione in apostasiam. Ita Rabanus. Sic vina et mulieres Salomonem regem sapientissimum infatuarunt, ut apostataret, fieretque idololatra. Eadem infatuarunt Calvinum, Lutherum, Bucerum cæterosque nostri ævi Novatores, eosdemque apostatas, imo hæreticos et hæresiarchas effecerunt, uti etiamnum multos efficiunt. Syrus vertit, *vinum et mulieres lascivire faciunt cor;* Tigurina, *vinum et mulieres etiam cordatos auferunt, suggillantque sapientes.* Alludit ad *Osee* cap. IV, 11 : « Fornicatio et vinum et ebrietas auferunt cor, » ubi multa hac de re dixi. Porro Palacius τὸ *arguent sensatos* aliter explicat, *q. d.* Mulieres arguunt et reprehendunt sensatos, quia cum illis corrixantur, quæ non modica est ipsorum pœna et stultitia. Porro S. Ambrosius, *De Elia et Jejunio*, cap. XVIII : « Si vinum, inquit, et mulieres discedere a Deo faciunt, quod vel ebrietas, vel libido prævaricationis illecebræ sint; si singula ac separata hæc faciunt, quid facient unita? » Unde non immerito ait Sapiens (*Eccli.* cap. XXVI.) : « Mulier ebriosa, ira magna, et turpitudinem suam non celabit. »

Vers. 3.

3. ET QUI SE JUNGIT FORNICARIIS ERIT NEQUAM. — Fornicariis, id est meretricibus : sic enim clare habent Græca, ὁ κολλώμενος πόρναις, id est, *qui agglutinatur meretricibus*, τολμηρός, id est *audax*. Ita Complutenses. Sed Clemens Alexandrinus, lib. II *Pædag.* cap. X, et alii legunt, τολμηρότερος ἔσται, id est *audacior erit*, ad alia graviora facinora et scelera perpetranda, quod Noster aliis verbis dicit, « erit nequam. » Fornicatio enim adimit homini frontem et pudorem, qui homines a sceleribus avocare solet; eumque facit impudentem et effrontem, ut quidvis audacter aggredi et designare audeat : qualis sane est *nequam*, id est, malignus et perversus, qui non nisi nequitias cogitat et somniat. Unde Tigurina, *et qui consuescit meretricibus, evadet confidentior;* Syrus, *qui adhæret meretrici, peribit.* Quid enim non potest jubere tuum quod perdite amas, scortum? quid tu ei adeo insane adamatæ, adeoque tibi imperanti negare poteris? plane eris comessator, ebriosus, et, si pecunia egeas, fur, ut veneri satisfacias; rixosus, et subinde homicida, magus, veneficus, ait Palacius, ac tandem hæreticus et atheus.

An Christianis permittendum lupanar? Affirmant alii qui.

Disputant nonnulli, et inter eos Joannes Mariana lib. *De Spectaculis*, cap. XVI, an expediat in urbe Christiana permittere meretrices et lupanar. Pro parte affirmante facit quod permittenda sint minora mala, ut vitentur majora. Per lupanar autem vitantur adulteria, incestus, sacrilegia, peccata contra naturam, etc. Favet S. Augustinus, lib. *De Ordine*, cap. IV : « Quid sordidius, ait, quid dedecoris et turpitudinis plenius meretricibus, lenonibus, cæterisque hoc genus pestibus dici

potest? Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus. » Augustinum secutus S. Thomas, lib. IV *De Regim. Princ.* cap. XIV, ait tolerari meretrices, ut, sentinæ instar, in eas omnes sordes confluant. Sic et Lyranus, in cap. XIX *Genes.* et in cap. XXIV *Deuter.*

Negant alii, probantque. Primo. In partem negantem facit, *primo*, quod Deus Judæis olim vetuerit meretrices, *Deut.* XXIII, 17 : « Non erit, ait, meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filiis Israel. » Unde Origenes, lib. IV *Contra Celsum* : « Nullæ, inquit, fuere meretrices juventutis pestes in eorum republica. » Idem docet Clemens, lib. III *Strom.* Et Philo, lib. *De Special. leg.*, ait apud Judæos capitale fuisse corpore quæstum facere. Quod si sanctitas Judaismi non patiebatur meretrices, multo minus eas patietur sanctitas Christianismi, præsertim cum in eo majora suppetant gratiarum, Sacramentorum, concionum, exemplorum auxilia ad caste vivendum, quam in Judaismo.

Secundo. *Secundo*, quia per lupanaria non cavetur, sed augetur libido quælibet, etiam contra naturam, uti liquet in urbibus ubi ea permittuntur. Una enim libido inflammat aliam; libido enim vaga quasi cancer serpit, et quia insaturabilis, alios et alios quærit et excogitat voluptatis modos et species, nec ullis finibus se continet; sed metu suppliciorum, et diligentia principum cohibetur maxime.

Tertio. *Tertio*, quia S. Hieronymus *Ad Oceanum* ait, « Cæsarem, non Christum, Papinianum, non Paulum, viris impudicitiæ frena laxare, et lupanaria permittere. » Lactantius, lib. VI, cap. XXIII, docet a dæmone lupanaria esse invecta : « Ac ne quis esset, ait, qui pœnarum metu abstineret alieno, lupanaria quoque constituit, et pudorem infelicium mulierum publicavit, ut ludibrio haberet tam eos qui faciunt, quam quas pati necesse est. » Quin et S. Augustinus ætate et usu sapientior, videtur retractasse sententiam. Nam lib. II *De Civit.* cap. XX, lupanaria numerat inter illicita et exitialia. Et lib. XIV, cap. XVIII : « Usum scortorum, ait, terrena civitas licitam turpitudinem facit, » *q. d.* Jura Gentilium Roman. scorta permittunt, non jura Ecclesiæ.

Quarto. *Quarto*, S. Ludovicus tota Gallia meretrices publicas et lupanaria prohibuit, uti referunt *Galliæ Annales*, Gaguinus et Æmilius lib. VII. Sic nuper Philippus IV Hispaniæ rex, tota Hispania lupas et lupanaria publica lege ejecit. Quidni ergo idem præstent aliæ provinciæ pari suo honori, et publico pudoris commodo?

Quinto. *Quinto*, lupanaria, æque ac Bacchanalia, sunt reliquiæ Gentilismi et probrum Christianismi. Sane Hussitæ Catholicos acriter accusant, quod lupanaria tolerent, teste Ænea Sylvio, lib. II *Histor. Bohem.* cap. L. Jam multis in locis viri Religiosi Bacchanalia verterunt in Christianalia, diesque pietatis; utinam idem facerent de lupanaribus. Sane lupanar, in quod ducta fuit S. Agnes, sed protecta ab Angelo, Romæ in ecclesiam nomine S. Agnetis conversum intuemur. Hæc fere Mariana loco citato.

Sexto. *Sexto*, Navarrus in *Manuali*, cap. XVII, num. 195, novem rationibus probat non esse permittenda lupanaria, inter quas sexta est, quod videamus occasione lupanarium pueros vel sua sponte, vel aliorum invitatu ad ea accurrere, noxiaque libidine enervare vires, ac inflammata semel cupiditate in omne deducus ruere. Omnino ubi lupanaria non sunt, multo continentiores sunt juvenes, pauciora adulteria existunt, castior est civitas; quia sicut nullum vitium ita accenditur occasione data, ac libido, sic pariter nullum ita reprimitur occasionum fuga, ac libido. Fugite fornicationem, ait S. Paulus. Ratio est clara, quia sicut flamma non exstinguitur, sed accenditur flamma: ita libido accenditur libidine, perinde ut rixa accenditur rixa.

Septimo. *Septimo*, lupanaria serviunt plebeiis duntaxat; honestiores enim honestas quærunt, iisque insidiantur. Accedit, quod ex meretricibus, flore ætatis transacto, fiunt lenæ, quæ mille nocendi artes norunt. Audi Navarrum loco citato : « Finis per lupanaria prætensus, puta ne honestæ sollicitentur, non attingitur; viri enim prudentes aiunt eos, qui ad eas sollicitandas sunt apti, non adire meretrices, imo postquam eis male sunt assueti, tanto magis honestas sollicitant, quo majore impetu naturæ et vitii feruntur.

Octavo. *Octavo*, quod mares majore vigore sunt ad resistendum libidini, quam feminæ : cap. *indignantur*, XXXII, *Quæst.* VI; feminis autem nusquam hac permissione succurritur.

Nono. *Nono*, quod verum remedium contra libidinem est ardens amor castitatis, vitatio occasionis ejus perdendæ, vigilantia ad resistendum, abstinentia, labor assiduus, et super omnia gratia Dei; quorum omnium contraria, lupanaria requirunt. Hucusque Navarrus.

Denique hoc videtur significare hic Sapiens : « Qui se jungit fornicariis, erit nequam, » Græce *audax* ad omne facinus, ut alios multos nequitiæ suæ complices efficiat. Sicut enim qui tangit picem inquinatur ab ea, sic necesse est ubi abundant fornicariæ et fornicarii, iis eorumque machinationibus inquinari virgines, juvenes, nobiles, plebeios, omnemque ætatem et sexum.

Quare sicubi ob inveteratam consuetudinem lupanaria statim omnino tolli nequeunt, certe restringenda sunt, ut pauca sint, paucasque contineant, sintque a civium domibus separata. In hospitiis ergo lupæ non permittendæ, et quæ nocte concubia per plateas venali corpore discurrunt, quæque in privatis domibus habitant, supplicio sunt coercendæ. Multo minus concubinatus iis qui conjugati non sunt, permittendus est. Audio in Hispania ne magnatibus quidem parci, sed eos in castrum aliquod amandari, concubinas vero in pistrinum, quod Hispani vocant tri-

remes meretricum, detrudi. Ita sistitur libido; hisce patronis pudor et decus triumphant.

Exemplum Pii V.

Memorabile est exemplum Pii V, qui Roma omnique Statu Ecclesiastico meretrices intra quindecim dies excedere jussit; paucas tantum permisit, easque loco separato juxta mausolæum reclusit, sanxitque ne inde egrederentur, ac per urbem nocte vel die vagarentur; sacellum eis attribuit, in quo concionem audirent; quæcumque contra facerent, acriter diverberabantur. Obstitit initio Pontifici Conservator populi Romani dictitans id cessurum in Romæ detrimentum, quæ cum sit civitas libera, meretrices semper permisit, ideoque numero et gente accrevit. Respondit Pius, nosse se quanta hæc peccati sit illecebra, tum populo, tum Clero, ac quantum per hoc apud exteros probrum Romæ et Sedi Apostolicæ, puta Pontifici, qui ejus est princeps tum sæcularis, tum Ecclesiasticus, creetur. Hæreticos enim perpetim illud Romanis objicere; ac proinde se in conscientia teneri hoc scandalum et probrum tollere. Urgente Conservatore hanc fore ruinam Romæ, respondit: « Si per hoc sum futurus ruina Romæ, ea excedam, et Sedem Apostolicam mecum in aliam urbem transferam, ac Romanis suas lupas relinquam. Cessit Conservator; ac Pontifex rigide sanctionem suam exsecutioni mandans, Romam hoc scandalo et probro liberavit. Ita habet ejus Vita.

Et Ducis Lotharingiæ.

Pium V æque ac S. Ludovicum imitatus est recenter hoc anno 1624, inauguratus Lotharingiæ Dux, qui primordia Ducatus sui a Deo, Deique cultu auspicatus, legem tulit et severe sanxit, ut blasphemis lingua perforetur, lenones suspendantur, meretrices flagellentur et in exilium expellantur. Hoc sui regiminis pii sanctique præbens auspicium, dedit prælustre futuri specimen et omen. Felix tali Duce Lotharingia. Felix tanta religione et castimonia Dux.

PUTREDO ET VERMES HÆREDITABUNT ILLUM, ET EXTOLLETUR IN EXEMPLUM MAJUS, ET TOLLETUR DE NUMERO ANIMA EJUS. — Libido enim corrumpit humores, spiritus, sanguinem totamque hominis complexionem, ideoque carnes putrescere facit, ut vermes ex eis ebulliant, ac jure dicat scortator: « Putredini dixi, Pater meus es; mater mea, et soror mea, vermibus. » *Job.* cap. XVII, 14. Ubi jam venter phasianis et falernis odoratis saburratus? ubi majestas frontis, et oculorum lucernæ? ubi suave vocis plectrum, et sonora aurium tympana? Omnia facta sunt lurida sordium congeries, bufonum crypta, et cloaca vermium ac serpentum. Quare scortator extolletur, id est, cito auferetur ex hac vita, ut statuatur in παράδειγμα, id est in exemplum insigne et majus cæterorum, uti statutus fuit Salomon, quem hic notare videtur Siracides; idque ad hoc, ut singuli talis vindictæ exemplo perculsi, sibi a scortatione caveant. « Et tolletur de numero viventium, » tam hic quam in cœlis « anima ejus. » Scortatio enim, quia sanguinem, spiritus et succum exhaurit, corpusque exsiccat, enervat, infirmat, hinc abbreviat vitam hominis, mortemque accelerat. Ita Rabanus, Lyranus, Jansenius, Palacius et alii. Unde pro ἐξαρθήσεται, id est *extolletur*, Complutenses legunt ξηρανθήσεται, id est *exsiccabitur*, arescet. Pro *putredo* Noster legit σήψις, et sic habet vetustus codex. Jam legunt σῆτες, id est *tineæ*. Unde Tigurina vertit, *caries et vermes occupabunt eum, et anima confidens* (audax) *auferetur, gravique supplicio contabescet;* Syrus pro his omnibus hoc tantum habet, *anima impudens perdet Dominum suum.*

Porro, *putredo, vermis* et *tinea* sunt symbola et periphrasis mortis, ut patet *Job.* cap. XIII, 28, et cap. XVII, 14, *Isaiæ* XIV, 11. Nam quod putrescit, emoritur; fornicatores ergo corrumpentes corpus putrescunt sensim, corrodendi deinde a vermibus, qui ex putribus eorum cadaveribus creabuntur. Congrua et justa est hæc fornicantium pœna, ut in quo peccaverunt, in eo et puniantur, ut carnis deliciis succedat putredo, voluptati dolor, lasciviæ mors, ac post mortem putredo et vermes, qui eos corrodant. Quo enim delicatius caro nutritur, eo mortua magis putrescit et fœtet, eoque avidius eam depascuntur bufones et serpentes. Id hoc sæculo magis quam prioribus experientia liquet, quo Deus ad castigandam fornicationem novum genus morbi in fornicarios immisit, puta morbum Gallicum, vel, ut alii vocant, Neapolitanum, qui eos ita fœdat et cruciat, ut seipsos ferre et sustinere vix valeant. Multo magis fœtet eorum anima, ac cruciatur verme conscientiæ, ibitque in cruciatus gehennæ. Quocirca S. Hilarion, S. Catharina Senensis aliique Sancti, dum cum quopiam scortatore occulto loquerentur, tantum ex eo sentiebant emanare fœtorem, ut nares comprimere, faciemque avertere cogerentur.

Porro quot quantique morbi ex libidine, quasi turpissimæ voluptatis stipendia, promanent, recenset Actius, lib. III *De Atra Bil.*, nimirum: « Exsolutio virium, cruditates, hebetudo sensuum, oblivio, tremor, articulorum dolor, renum et vesicæ morbi, oris graveolentia, dentium dolor, gurgulionis inflammatio, ulcera in membris, phthisis. » Denique mala omnia. Quod eleganter S. Chrysostomus, homil. *Quod nemo lædituri nisi a seipso*, significavit: « Hi (inquit) qui in deliciis et luxuria vitam degunt, resoluta quidem corpora et omni cera molliora circumferunt, atque agmine quodam infirmitatum repleta; quibusque ad cumulum malorum podagræ tremor, et immatura senectus succedit, et est eis vita semper cum medicis et medicamentis, sensus autem ipsi tardi, graves, obtusi, quodammodo jam sepulti. » Idem, homil. 56 *ad Popul. Antiochensem*, ipsis primis verbis: « Non tam vehementer pluvialium aquarum cursus ipsas ripas corrodere solet, sicut deliciæ et luxus omnia valetudinis nostræ firmamenta facile subruere. »

Libidinis damna et morbi.

SECUNDA PARS CAPITIS.

DE CAVENDA LOQUACITATE ET DETRACTIONE.

Vers. 4. 4. QUI CREDIT CITO, LEVIS CORDE EST, — qui scilicet credit cuilibet quidlibet sine justa ratione vel auctoritate asserenti. Unde Arabicus, *qui ducitur cito ad acceptionem verborum, est modicus mente,* id est, parvi judicii. Loquitur Siracides de credendo per fidem tum divinam (nemo enim potest credere fide divina quippiam, nisi habeat evidentia signa credibilitatis), tum potius humanam, qua credimus alteri sua narranti, et maxime proximo suo detrahenti; tali enim cito credere levis est animi, non sedati, maturi et cordati. Hic enim scit homines sæpe decipi et decipere, detractores invidia et passione agi, ideoque rem exaggerare, et ex musca facere elephantum, multa prave suspicari, multa male interpretari, multa fingere, multa mentiri; ac proinde eis non facile esse adhibendam fidem, sed ut minimum suspendendum esse judicium, donec rei veritas examinetur et probetur. Vere Comicus : « Vix hodie fidei fides fit sine fidei dispendio. » Quare « qui cito credit, minorabitur, » tum sapientia, tum fama et nomine; habebitur enim levis, imprudens, et subinde insipiens, ac, ut Syrus vertit, *amens;* idcirco pœnitebit eum, præsertim ubi viderit se deceptum et falsum. Unde Seneca in *Proverbiis* : « Ad pœnitendum properat, inquit, cito qui judicat. » Est hæc generalis sententia, quæ proinde in qualibet cita credulitate locum habet. Unde S. Ignatius epist. *ad Heronem,* monet eum ne cuivis veram fidem profitenti vel simulanti credat : « Multi enim, inquit, ministri sunt satanæ; et qui cito credit, levis est corde. » Porro S. Bernardus, epist. 190 *ad Innocentium, Pontificem* taxat Petrum Abailardum, qui volebat mysteria fidei, ut SS. Trinitatis, mente et ratione comprehendere : « Denique, ait, exponere volens illud Sapientis : Qui credit cito, levis corde est : Cito credere est, inquit, adhibere fidem ante rationem, cum hoc Salomon (multi enim hunc librum Sirach vocant Salomonis; causas dedi in procemio) non de fide in Deum, sed de mutua inter nos dixerit credulitate; nam illam quæ in Deum est fidem, B. Papa Gregorius negat plane habere meritum, si ei humana ratio præbeat experimentum. » Insuper noster Pineda in *Job.* cap. XXX, vers. 2, hanc sententiam refert ad eos qui credunt deliciis et vanis promissis carnis et mundi, puta gulæ et veneris; de his enim sermo præcessit : « Agit, inquit, de his qui facile rebus visibilibus sua desideria committunt, et promissis fallacibus hujus mundi cito ac leviter credunt : hujusmodi enim ambitiosus et cupidus semper minorabitur, id est, decrescet, et ibit in deterius; facitque et delinquit contra animam suam, id est, contra vitæ suæ jucunditatem et tranquillitatem; ac præterea insuper habebitur, id est, inutilis erit, et, quod vulgo dici solet, impertinens. »

Qui citocredit, decipietur.

Exempla sunt in Josue, cap. IX, qui cito credens Gabaonitis deceptus fuit. In Constantino Magno, qui cito credens uxori suæ filium Crispum accusanti, quod se ad incestum sollicitasset, eum licet innocentem occidit. Hippolytus occisus est, quia novercæ creditum, teste Seneca. Illustre est quod refert Phædrus libertus Augusti Cæsaris, libro III, *fabula* 9 : Libertus, inquit, ut heros perderet, et eorum hæres fieret, apud herum accusavit uxorem de adulterio. Herus ut crimen deprehenderet, simulavit se proficisci foras; dein noctu domum subito repetiit. Adiit cubile in tenebris, palpavit lectum; invenit in eo cubantem virum, quem suspicans adulterum, occidit. Lucerna allata aspicit esse filium; quare dolore percitus in pœnam tanti erroris eodem ferro, quo filium, seipsum transfigit. Uxor Romam ad Centumviros rea duplicis parricidii, quod scilicet tam filium quam maritum occidisset, pertrahitur. Augustus Cæsar re vestigata et veritate cognita, hanc tulit sententiam : « Luat pœnas libertus, qui omnis mali causa exstitit. Namque uxorem orbatam filio simul et viro, miserandam potius quam damnandam existimo. » Unde hoc elicit dogma morale :

Exempla.

Nimiæ cita credulitatis facinus funestum.

Nil spernat auris, nec tamen credat statim;
Quandoquidem et illi peccant, quos minime putes,
Et qui non peccant, impugnantur fraudibus.

Sic per errorem nimis citæ credulitatis, S. Julianus Hospitator patrem ignorans occidit; unde miram deinde egit pœnitentiam. Idem fecit S. Ursius, uti refert Ferrarius in *Catalogo Sanctorum Italiæ,* ad diem 3 maii.

ET QUI DELINQUIT IN ANIMAM SUAM, INSUPER HABEBITUR. — *Primo,* Jansenius refert et nectit hæc cum eo quod præcessit, *q. d.* Qui cito credit, levis est corde; et qui hac levitate credendi detractoribus delinquit in animam suam, hic « insuper habebitur, » id est, talis reputabitur, puta levis, parvi judicii et cerebri, qui scilicet peccet non tantum in proximum suum male de eo sentiendo, et mala audita leviter credendo, sed et « in animam suam, » quam hac levitate et detractione commaculat, quamque leviter decipi permittit, et multorum malorum periculo exponit; animæ ergo suæ injuriam facit, sibique ipsi injurius est. Unde Tigurina hæc omnia connectens in unum, ita ex Græco vertit, *qui facile credit, levis est animo, et peccando delinquit in animam suam.* Sic et Lyranus : « *Insuper habebitur,* inquit, id est, exterius

æstimabitur talis, qualis occulte interius est, scilicet quod delinquat in animam suam. » Verum Græcum πλημμελήσει non significat, *talem reputari*, sed *peccare*. Unde

Secundo, alii, *insuper habebitur*, id est, inquiunt, pejus indies habebit et habebitur. Aut *insuper habebitur*, id est, præterea capietur et tenebitur, *q. d.* Qui peccat, non tantum in animam suam peccat, sed et *insuper* peccato suo *habebitur*, id est, capietur et tenebitur, ejusque vinculis constringetur.

Tertio, Palacius : Græce, inquit, est *inundabit*, id est, erit in modum undæ et fluitantis aquæ, quam scilicet levis aura movet. Talis est, qui ex levi rumore a bona amici opinione movetur. Verum Græcum πλημμελήσει non significat *inundabit*. Videtur ipse, vel ejus Græcus anagnostes legisse πλημμυρήσει, id est *inundabit* : πλημμύρα enim est inundatio, æstus maris. Unde Virgilius lib. III *Æneid.* : « Plemmyrium undosum. »

Insuper habere, quid?

Quarto, proprie et genuine, *q. d.* Qui cito credit, levis est corde ; at qui peccat et delinquit in animam suam, hic *insuper*, id est, supra numerum *habebitur*, quasi qui frustra sit in orbe. Ita Palacius et Pineda in *Job.* cap. xxx, 2, *q. d.* Hic habebitur supernumerarius, supervacuus, frustraneus, otiosus, iners, inutilis, imo noxius, et pondus inutile terræ, juxta illud :

Nos numerus sumus, et fruges consumere nati.

Peccator enim inutilis est sibi, aliis totique mundo ; nulli enim quid boni facit, sed omnibus grave malum peccando creat. Talis præsertim est levis qui cito credit, dicit, detrahit, de quo sermo præcessit et sequitur. Hic enim nullius est frugis, nullius usui. Quis enim levi fidat ? quis futili utatur ? Qui enim animæ suæ, id est sibi, æque ac proximo injurius est, cui bonus erit ? Quare si de tali rogeris : Quis ille est ? respondebis : Est unus *insuper*, est auctarium mensæ, est qui turbæ auget numerum, est ciphra, est umbra. Sicut enim umbra sequitur corpus, sic ille sequitur dicentem et detrahentem, illi applaudit, et cum illo mutatur in omnem ventum. Unde Syrus vertit, *qui credit cito, amens est ; qui peccare facit animam suam, quis justificabit eum ?* Id ita esse liquet ex Græco πλημμελήσει, quod alii vertunt, *errabit, peccabit ;* Noster vero sagaciter ad verbum vertit, *incurius, deses, iners erit et habebitur* : πλημμέλεια enim dicitur quasi πλὴν μέλειαν, id est, sine cura, ut idem sit quod ἀμέλεια ; aut a πάλιν μέλειν, videlicet quod injuria posteriore meliore cura, ut habet proverbium, sit sarcienda ; velut μετάνοια a μετανοεῖν. Unde delictum per incogitantiam, incuriam et inertiam commissum, vocatur πλημμέλεια, uti dixi *Levit.* cap. VII, 1. Hinc et cap. præced. vers. 27 : « Et in diebus delictorum, inquit, attendet ab inertia, » Græce πλημμελείας. Forte etiam Noster pro πλημμελήσει, legit πλείον ἔσται vel ἔξεται, id est, plus, amplius, insuper erit vel habebitur.

Denique hoc sensu τὸ *insuper* usurpat Papinianus leg. *Sunt personnæ*, ff. *de Relig. sumpt. fun.*, ubi cum agit de sepultura in proprio fundo, cujus ususfructus alicujus esset, alteri danda, quod stricto jure non poterat, ait : « Propter publicam utilitatem, ne insepulta cadavera jacerent, strictam rationem insuper habendam (id est, contemnendam, tanquam supervacaneam rejiciendam), quæ nonnunquam in ambiguis religionum quæstionibus omitti solet. »

In hanc gnomen lepidum vulpis et corvi apologum scripsit Cyrillus, lib. I *Apologorum moral.* cap. XIII, cujus titulus : *Sis ad audiendum velox, ad credendum tardior.* « Ad vulpem, inquit, absconditam famescentem, cum amicus corvus non minus sibi quam illi compatiens, gallinas in securo manentes fraudis vi studeret adducere ; ad eas se contulit, et salutatione proditionis proposita dixit : Affero vobis nuntium lætissimum, quoniam vulpes monialis facta est, et deposuit feritatem : venite de cætero securæ, et videte id quod est mirabile, quoniam in oratorio velata vulpes cantat Horam devotis laudibus vespertinam. Mox illæ cordis levitate credentes, cum pergerent, inventum gallum secum ducere conabantur. At ille mira dotatus intelligentia, quantocius verbi dolum percipiens, uxoribus suis dixit : Audite me, insensatæ et credulæ. Quo enim tenditis, nisi duce fraudis in mortem ? Nempe si in corvo fore creditis veritatem, et speratis de vulpe bonitatem, lucem putatis esse tenebras, et in vitiis inesse virtutem. Sed hoc impossibile est, quoniam splendor solum de lumine rutilat, et virtutis stilla de vena bonitatis tantum distillat. Non audistis adhuc, ut video, sententias sapientum. Veloci siquidem aure audiendum est, et gravi corde credendum. » Deinde ostendit quæ et quibus credere oporteat, quibus non : « Revera, inquit, minus provide amico et inimico pariter creditur, cum amore et odio linguæ libra fallacis affectionis pondere in obliquum trahatur. Verum nulli securius quam amico de malis, et inimico de bonis accommodatur auditus. De te vero nunquam credas inimico tuo in æternum. Quia si bene dicit, sophista est, de bono tendens ad malum ; si maledicit, facit quod suum est. » Subdit deinde, non esse credendum multiloquo, delatori, mendaci et fallaci, nec iracundo, ac deinde subdit : « Nulli minus quam tibi de bonis credas ; naturaliter enim laudem appetimus, et majora de nobis communiter æstimamus, etc. ; tantum credendum est quod fieri potest, atque conveniens est. » Unde concludit, « quod fallaci credere corvo stultum est, et omnino dementia vulpem deposita feritate cantare velatam. Hoc enim vulpinæ caudæ non convenit, et omnino veritas a circumstantiis ipsius dissentit. Quandoquidem igitur multa cautela in credendo adhibenda est, et rei veritas omni diligentia inquirenda ; certe stultissimum est cito credere, et periculosum post

Cito credens est levis. Apologus.

Quibus credendum, quibus non?

levem credulitatem citius moveri. Quibus dictis, dimisso corvo, gallum gallinæ secutæ sunt. »

Vers. 5. 5. QUI GAUDET INIQUITATE, DENOTABITUR : ET QUI ODIT CORREPTIONEM, MINUETUR VITA : ET QUI ODIT LOQUACITATEM, EXSTINGUIT MALITIAM. — Pro *iniquitate* Complutenses legunt κακεξίᾳ, id est *malo habitu*, vel *mala actione;* unde vertunt, *qui lætatur in male agendo, condemnabitur; at resistens voluptatibus, coronat vitam suam.* Sic et Tigurina, *qui gaudet mala habitudine* (Vatablus, *qui corpus supra modum macerat*), *meretur reprehensionem; qui vero voluptatibus resistit, coronat vitam suam.* Romana vero legunt καρδίᾳ, vertuntque, *qui gaudet corde, denotabitur; et qui odit loquacitatem, minuitur malitia.* Noster et alii legunt πονηρίᾳ, id est *iniquitate*, malitia. Vides hic ut Græca varient, ac proinde standum esse Latinæ Vulgatæ, in quam omnia exemplaria consentiunt. Sensus ejus ergo est: « Qui gaudet iniquitate, » ac præsertim iniqua loquela et detractione, « denotabitur, » id est, vituperabitur et condemnabitur (hoc enim significat Græcum καταγνωσθήσεται. Unde Syrus vertit, *qui lætatur de malo, erit confractio* vel *præda sui*); *qui* vero *odit loquacitatem*, ideoque impedit detractionem, *exstinguit malitiam*, id est, sopit multa mala, puta lites, odia, rixas, cædes, quæ ex loquacitate, dicacitate et maledicentia oriuntur : lingua enim est universitas iniquitatis, ait S. Jacobus cap. III *epist.*

Quod vero in medio Noster intexit : « Et qui odit correptionem, minuetur vita, » significat eum qui ita amat iniquitatem et loquacitatem, ut nolit ab eo qui eam detestatur, corripi, brevis fore vitæ, quia Deus eum puniet immatura et cita morte : ideo enim odit correptionem, quia vult in sceleribus suis perseverare, in eisque obstinatus est. Deus autem obstinatos, ceu gigantes, siderare et fulminare solet. Id sæpe facit, at non semper; sed tum in futura vita acrius puniet. Adde, *iniquitas*, id est, injuria quæ detrahendo vel lædendo proximo irrogatur, sæpe morte punitur et vindicatur, vel a judice, vel a læso, vel ab ejus cognatis, qui lædentem vel necant, vel in eas angustias redigunt, ut miseriis et mœrore contabescat. Unde S. Athanasius, *Apolog. pro fuga*, sic legit et citat : « Tollentur immaturæ animæ impiorum. »

Jansenius pro *minuetur vita*, opinatur legendum *minuet vitia*, sicque exponit: « Qui odit correptionem, » id est detractionem, « hic minuet vitia, » quæ ex detractione nascuntur, ut idem sit cum eo quod sequitur : « Et qui odit loquacitatem, exstinguit malitiam; » quasi ex alia versione hæ duæ partes conjunctæ, et in unum conflatæ sint. Verum tam hæc lectio est contra communem codicum fidem, quam ejus expositio contra communem hominum sensum. Quis enim per correptionem intelligat detractionem ? Complutenses et alii nonnulli addunt, *qui continens est linguæ, convivet difficili*, Græce ἀμάχῳ; Romana, *inexpugnabili;* Vatablus, *moroso*, importuno, pervicaci; alii legunt ἀμάχως, id est *citra rixam* et pugnas, hoc est, pacifice cuivis convivet. Unde Tigurina vertit, *qui linguæ temperat, etiam difficili convixerit.*

Vers. 6. 6. QUI PECCAT IN ANIMAM SUAM, POENITEBIT : ET QUI JUCUNDATUR IN MALITIA, DENOTABITUR. — Hoc est, notam infamiæ et censuram judicii subibit, id est condemnabitur, ut paulo ante dixi.

Tres peccati vermes.

Hi ergo sunt tres peccati vermes, qui illi quasi pomo vetito innascuntur, scilicet pœnitentia, infamia, condemnatio. Idem pene dicit hic quod vers. præced. : unde hic versus in Græco et Syro jam deest. Nota τὸ *gaudet et jucundatur.* Justi enim aliquando ex fragilitate peccant, sed illico dolent, gemunt, suspirant; at vero improbi et reprobi peccant ex malitia, in eaque velut sues in luto volutantur et jucundantur, ideoque condemnabuntur. Magnum ergo prognosticum suæ reprobationis et damnationis futuræ habet, qui in suo scelere gaudet.

Vers. 7. 7. NE ITERES VERBUM NEQUAM ET DURUM, ET NON MINORABERIS. — *Primo*, simpliciter, *q. d.* Si dixisti proximo « verbum nequam et durum, » puta iracundum, minax, mordax, detractorium, calumniosum, noli illud iterare, ac per hoc non minoraberis, nec in honore, nec in quiete, nec in amicitia, nec in cæteris bonis; sed potius hæc omnia tutaberis et augebis, si verbum nequam et durum a te prolatum revoces et retractes, aut excuses, mitiges et emollias, vel verbis blandis, vel ipso silentio. Dum enim non repetis verbum durum, videris de eo pœnitere, illudque non ex animo, sed ex lapsu linguæ dixisse. Sin repetas, ex maligno animo id dixisse censeberis, ac proinde amicum amittes, et malingus judicaberis. *Secundo*, et magis genuine, *q. d.* Si audisti « verbum nequam et durum, » id est, injuriosum proximo tuo, noli illud aliis narrando iterare, id est, iterum referre, spargere et propalare, ac per hoc non minoraberis, sed accresces per opinionem prudentiæ, discretionis et charitatis.

Hunc sensum exigunt Græca, *nunquam iteraveris verbum, et nihil tibi erit in diminutione*, id est, ut Romana, *nunquam iteres verbum, et nihil tibi minuetur;* Tigurina clare, *ne quid tibi dictum effutias alteri, ut ne quid detrimenti capias;* Syrus, *qui repetit verbum, amens est. In æternum non repetas verbum, et nemo tibi improperabit;* alii, *ne unquam sermonem iteres, et nihil tibi incommodabitur.*

Nota : *Iterare verbum* Hebr. idem est quod *detrahere*, quia qui detrahit vitia alterius quæ audivit, iterum aliis et aliis narrat, spargit et propalat; quin et nonnulla amplificat, immutat et alterat, id est, aliter quam audivit narrat. Sicut enim aqua dum per venas æris, vitrioli, ferri transit, colorem et saporem mutat, ac sapit æs, vitriolum, ferrum : sic pariter idem verbum, eadem historia et narratio dum per varia corda et

ora transit, suam formam et speciem mutat, ut videatur non esse eadem, sed alia, quia quisque pro suo conceptu et affectu eam, dum enuntiat, efformat et immutat : Hebræum enim שנה *scana* significat iterare, mutare, variare, alterare. Sic *Proverb.* XVII, vers. 9 (quo hic alludit Siracides), ait Salomon : « Qui celat delictum, quærit amicitias : qui altero sermone repetit (Hebraice, *iterans in verbo;* Chaldæus, *qui repetit sermonem;* alii, *qui mutat verbum;* Pagninus, *qui improperat*), separat fœderatos. » Et cap. XXIV, 21 : « Cum detractoribus (Hebr. שונים *sconim*, id est *iteratoribus;* Cajetanus, *cum mutatoribus*) non commiscearis. » Huc facit proverbium Arabicum, *Centur.* 2, num. 3 : « Qui denuntiat tibi diffamatoria super aliquo, ipse est diffamator, » *q. d.* Obtrectator est, non solum qui motu proprio alicui detrahit, sed etiam qui alienis verbis aliquem defert, eaque iterat et propalat. Magnæ ergo sapientiæ est, audita non iterare, nec aliis enarrare, multa audire, pauca loqui, probra quæ quis audivit, in mente sua sepelire, ne foras prodeant, et magnum fœtorem damnaque concitent.

Tropologice Rabanus : « Verbum nequam iterare, inquit, est post fletum committere quod rursum necesse sit flere. Iterat verbum nequam, et hoc defendere satagit quod male locutus est, qui hoc quod malitiosa mente concepit, pessimo replicat facto, cujus est certa minoratio, quia post pravum commissum nulla ejus patet emendatio. Unde Cain postquam iratus est contra fratrem suum, et eum occidere cogitavit, voce Dominica correptus est : sed quia se corrigere noluit, et verbum malitiosum, quod cogitatu conceperat, implevit facto, piaculi sui, Domino retribuente, justam recepit vindictam. »

Vers. 8. 8. AMICO ET INIMICO NOLI NARRARE SENSUM TUUM : ET SI EST TIBI DELICTUM, NOLI DENUDARE. — *Primo, q. d.* Noli cuivis passim promiscue et sine discrimine narrare arcanos animi tui sensus, conceptus, intentiones, proposita : quia si inimici tui sunt, iis abutentur, ut eos aliis prodant, itaque te perdant, vel in discrimen adducant ; si amici hodie sunt, cras fieri possunt inimici, et inter amicos quoque rara est fides, rarior prudentia, rarissimum secretum. Vir ergo prudens dicat cum Isaia cap. XXIV, vers. 16 : « Secretum meum mihi. » Si enim tu tuum secretum tibi proprium et intimum tacere et celare nequivisti, quomodo speres alium de tuo, id est alieno, id facturum? quod ergo alios vis tacere, ipse prior taceto ; silentium quod ab aliis exigis, tibi prior impera. Unde : « Si est tibi delictum, noli denudare, » *q. d.* Si quod delictum occulte perpetrasti, noli illud etiam amico denudare, quia ille illud aliis narrabit, itaque tibi periculum famæ, vel etiam vitæ, ut a judice vel a parte læsa morte plectaris, creabit. Præmittit hoc iis quæ dicet de cavenda detractione, quia qui propria delicta silere nequit, quomodo silebit aliena? Ut ergo aliena sileat, discat primo silere propria. Præclare Seneca in *Proverbiis* : « Quod tacitum esse vis, inquit, nemini dixeris, quia non poteris ab alio silentium exigere, si tibi ipse non præstas. »

Secundo, q. d. Noli cuilibet passim narrare sensus tuos, id est, quid in animo sentias de aliorum moribus, dictis, factis, scriptis, etc.; et si in cognitione tua est aliquod alterius delictum, noli illud aliis denudare. Hunc sensum exigunt Græca Complutensium, *amico et inimico* (id est, apud amicum et inimicum) *ne narres vitas alienas, et si non est tibi delictum* (id est, si sine delicto potes tacere, si scilicet non teneris ex officio aut charitate illud revelare), *non reveles.* Hinc et quidam Latini codices legunt, *si non est tibi delictum, noli denudare,* scilicet sensum tuum, sive quod scis et sentis de alieno proximi peccato ; Tigurina clare, *nec apud amicum nec apud inimicum vitas alienas enunties, et si non redundat in te peccatum* (Vatablus, *si potes absque peccato facere), ne detegas;* Syrus, *in amico et inimico ne mentiaris; et si habes peccata, deprecare super ea, et in æternum non accusabis quempiam.*

Apologus secretarii. Hanc gnomen eleganti columbæ et corvi apologo oculis subjicit Cyrillus, lib. I *Apologorum moralium,* cap. XX, cujus titulus : *Uni tantum dilectissimo, si necesse fuerit, pectus trade.* « Corvus, inquit, cum ruminaret intra se, cui sui cordis interdum posset communicare secretum, columba talia cogitantem aspiciens accessit ad eum, dicens : Quid est quod tanta meditatione cogitas, frater mi? Cui ille : Meditor certe modo (*Eccle.* I, 15), quod stultorum infinitus est numerus, et sapientum valde parvus. Quippe cogitatus ipsius cordis est intimus : nam qui revelat quod cogitat, is cor demonstrat. Quænam igitur es, ut dem et tradam tibi cor meum, charissimam vitam meam, occultissimam medullam, profundissimam radicem meam ? Secretum meum mihi, quia cor meum mihi. Tunc columba, talibus auditis, adjunxit : Scio certe quod callidus es natura tua. Ob hoc ergo, frater, rogo me instruas, quibus, si necesse fuerit, secure possim tradere cor meum. Mox ille libenter annuens : Aut uni, inquit, aut nulli. Electissima enim et rara fides est ; ex hac autem fit cordi vas pretiosissimum, in quo salubriter conditur : quia nec a seipso unquam dissolvitur, neque a ferro, vel alia re frangitur, nec mira ejus soliditas a subtilissimo caloris aculeo pertransitur. » Idipsum deinde si- Similia militudine venæ, radicis et medullæ confirmat, dicens : « Quippe venam auream natura telluris in abditis condit, et radicem vivificam in terram profundiorem solida planta mittit, et medulla charissima in ossibus delitescit. Nimirum os sapientum in cordibus ipsorum. Quoniam hoc eis est charissimum, et ut sic celatum foret, et a corde possessum, in arca vitæ positum absconderunt. Sed cor stultorum in ore ipsorum, quia in eis os cordis tenet dominium, quoniam apertum pectus habentes et cor parvipendentes. levi cura hoc

levius evomunt : quamobrem citissime pereunt, quia pro nihilo vitæ venam effundunt. Quibus diligenter notatis, illa sic docta discessit. »

Vers. 9. 9. AUDIET ENIM TE, ET CUSTODIET TE, ET QUASI DEFENDENS PECCATUM ODIET TE, ET SIC ADERIT TIBI SEMPER. — Græca brevius, *audivit enim te, et observabit te, et in tempore odiet te.* Juxta priorem expositionem priori versu datam sensus est, *q. d.* Amicus vel inimicus, cui narras tuos sensus et delicta, attente audiet te quasi fideliter tibi consulturus, et custodiet, id est, notabit et observabit te, ac tuos sensus et delicta simulabit se defendere et excusare ; interius autem odiet te, et sic aderit tibi. Rabanus et Eusebius Pontifex, *epist.* 2, legunt, *et sic semper adhærebit tibi, q. d.* Semper adhærebit tibi quasi amicus, revera autem inimicus, cum opportunum erit, gravissime nociturus tibi. Ita Palacius : « Quotidiana, ait, experientia, glossa hujus textus est : si criminis conscium habes, illum semper vereris, et, ne traducat, pertimescis. » Huc spectat proverbium Arabicum, *Cent.* 1, num. 60 : « Possidet animam suam (vel dominatur animo suo) qui occultat secretum suum ab amico suo. » Et num. 59 : « Pectus tuum dilata secreto tuo, » hoc est, « ne detege id ulli. »

Juxta secundam expositionem sensus erit similis, *q. d.* Si delicta alterius reveles alteri, ille libenter audiet te, et arridens observabit omnia tua dicta, ac videbitur tuum hoc detractionis et revelationis secreti peccatum defendere vel excusare, dicens te justas revelandi causas habere, et se gaudere quod illi hæc narres, quibus ipse ad suum et aliorum commodum usurus sit ; revera autem te ut detractorem et secreti revelatorem odio prosequetur, et sic aderit tibi semper, simulans se amicum, sed revera inimicus, uti suo tempore declarabit. Quocirca verum est illud : « Detractor multos sui experitur detractores, et talione punitur. » Unde Syrus vertit, *non accusabis quemquam, ne qui te audit odio habeat te, et tanquam maleficum reputet te ;* et Tigurina, *audiet enim ille, et aversabitur te, perque occasionem suum in te odium ostendet.* Huic secundæ expositioni favet quoque id quod sequitur : « Audisti verbum, » etc. Posset quoque τὸ *defendens peccatum* sic accipi, *q. d.* Audiens volet peccatum amici, quod tu detrahendo accusas, defendere, ideoque te ejus accusatorem odiet, tibique jugiter obstrepet. Idque magis congruum videtur.

Vers. 10. 10. AUDISTI VERBUM ADVERSUS PROXIMUM TUUM ? COMMORIATUR IN TE, FIDENS QUONIAM NON TE DIRUMPET. — Sunt nonnulli qui, cum quid mali, præsertim occulti, audierunt, illudque mente gerunt, perinde ac venenum sumpsissent, non possunt illud apud se continere, quasi crepaturi ; unde illud evomunt, et in occurrentes narrando effundunt. Hi sunt similes Eliu dicenti, *Job.* XXXII, 18 : « Plenus sum enim sermonibus, et coarctat me spiritus uteri mei. En venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas disrumpit. » Hos redarguit Siracides, dicens : « Audisti malum de proximo, retine illud, retine et sepeli in corde tuo. Ita facies, ut ibi moriatur ; quare non est quod timeas illo te dirumpendum : verbum enim malum non est toxicum, quod faciat te crepare ; aut si in te est toxicum, silendo et obliviscendo desinet esse toxicum. Sicut enim toxici vis et malignitas in aqua dissolvitur et emoritur, itaque ipsum quasi mortuum vires nocendi perdit ac nulli nocet : ita prorsus malum quod audisti, si in mente tua contines, ibi morietur, ac proinde nec tibi nec cuipiam alteri noxam ullam inferet. Unde Syrus, *audisti verbum ? moriatur in corde tuo, et non* (erit) *sicut sagitta quæ perforabit te et egredietur ;* Tigurina, *sermonem adversus alterum audisti ? fac tecum commoriatur, et securus esto, ut qui non dirumpat te.* Huc facit proverbium Arabicum, *Centur.* 1, num. 13 : « Ne jace lapidem in velificantem, id est, ne jace verbum in hominem absentem, quia Dominus ejus audit illud, » *q. d.* Nemo potest maledicentia hominem absentem lædere, non magis quam lapide ferire eum qui in medio mari velificat ; tamen Deus malitiam linguæ maledicæ ulciscitur.

Moral. de malo detractionis. Moraliter, disce hic quam prava, quamque vitanda et exsecranda sit detractio. « Non erit criminator, nec susurro in populo, » ait Dominus, *Levit.* cap. XIX, 16. Et Paulus susurrones et detractores, Deo odibiles vocat *Rom.* I, vers. 29. Audi S. Hieronymum, epist 2 *ad Nepotianum* : « Cave ne aut linguam, aut aures habeas prurientes, id est, ne aut ipse aliis detrahas, aut alios audias detrahentes. Parce a detractione linguæ, custodi sermones tuos, et scito quia per cuncta quæ de aliis loqueris, tua conscientia judicaris ; et in his ipse deprehenderis, quæ in aliis arguebas ; » et S. Chrysostomum, homil. 3 *ad Populum* : « Fugiamus, dilecti, fugiamus detractiones, docti quod est totum satanicum barathrum insidiarum ejus hæc insessio ; ut enim nostra negligamus, et graviores nobis reatus constituamus, in hanc nos consuetudinem diabolus duxit. » Paucis autem interjectis : « Si quis (inquit) te prætereunte stercus commoveat, hoc facientem convitio afficis : hoc fac et erga detractores ; non enim commotum stercus sic fœtore cartilaginem percellit, sicut aliena peccata prodita animos contristare et perturbare solent. » Eleganter vero S. Bernardus, serm. 3 *de Dedicat. Eccles.*, detractores proditoribus similes esse ait : « Proditores (inquit) fiunt, quicumque in hoc Domini castrum inimicos ejus introducere moliuntur, quales sunt utique detractores Deo odibiles qui discordias seminant, et nutriunt scandala inter fratres : sicut enim in pace factus est locus Domini, sic in discordia locum fieri diabolo manifestum est ; » et serm. 24 *in Cantica* : « Detrahentem (inquit David) secreto proximo suo, hunc persequebar ; nec mirum, cum id præcipue vitium charitatem, quæ Deus est, et quidem cæteris acrius

impugnare et persequi cognoscatur. Omnis enim qui detrahit, primum quidem seipsum prodit vacuum charitate. Deinde quid aliud detrahendo intendit, nisi ut is cui detrahit veniat in contemptum, vel odium ipsis apud quos detrahit?» Porro, quam hoc vitium sit atrox, eleganter ostendit S. Chrysostomus supra : « Detrahens (inquit), fraternas carnes comedisti, proximi carnem momordisti. Unde et Paulus terruit, dicens : Si autem vos invicem mordetis et comeditis, videte ne ab invicem consumamini. Non infixisti dentes carni, sed animæ maledixisti, improbam suspicionem infixisti, vulnerasti, innumeris affecisti malis teipsum et alios plures.» Et inferius citans Siracidem : « Hoc vero (ait) magis ridiculum est, quod, cum aliquid arcanum dixerint, rogant audientem et adjurant, ne cuiquam alteri amplius dicat, hinc declarantes quod rem reprehensione dignam commiserunt. Si enim illum ut nemini dicat rogas, multo magis te priorem huic dicere non oportebat. Sed jucundum detrahere : imo jucundum non detrahere. Detrahens enim continenter anxius est, suspicatur et timet, linguam suam mandit, tremens ne forte aliis enuntiatum verbum magnum sibi periculum afferat. Audisti sermonem, ait Sapiens, adversus proximum tuum ? commoriatur in te, confidens quoniam non te disrumpet. Quid est, commoriatur in te ? Exstingue ipsum, defodito, ne exire permittas, oblivioni trade. Sed maxime stude nec alios quidem dicentes tolerare ; quod si quando susceperis, infodito, interime dictum, oblivioni trade, ut his qui non audierint similis fias, et cum multa pace et securitate præsentem transigas vitam. »

Vers. 11. 11. A FACIE VERBI PARTURIT FATUUS, TANQUAM GEMITUS (perperam aliqui legunt, *genitus*) PARTUS INFANTIS. — Græce, *propter sermonem dolet stultus, ut propter infantem quæ parit,* et parturiendo cruciatur et gemit, *q. d.* Stultus mox ut quid novi et occulti mali de proximo audierit, videtur cruciari et parturire ut secretum quod audivit, ceu fœtum qui ventrem ejus gravat, effundat ; imo hoc studium ejus et labor enuntiandi, videtur esse quasi gemitus mulieris parturientis in dolore partus, *q. d.* Stultus ita sollicitus, ita anxius est, ita desiderat et gestit effundere secretum, sicut parturiens fœtum. Sicut enim hæc non quiescit a dolore et gemitu, donec pariat infantem : sic nec stultus pruriens se continere potest, donec occultum de proximo malum effutiat. Unde Tigurina, *præ sermone parturiet stultus, ut præ fœtu gravida.* S. Chrysostomus in *Psal.* CXL : « A facie verbi pariet stultus, ut a facie infantis puerpera ; » Syrus, *a conspectu verbi parturiet stultus, sicut parturit parturiens a conspectu infantis,* id est propter infantem, ut eo se exoneret, eumque effundat et in lucem edat. Nota : Pro *parturit* Græce est ὠδίνει, id est dolet, gemit ; pro quo Complutenses legunt ὀνειδίσει, id est improperabit ; sed minus apte, ideoque minus germane.

Apposite comparat stultum loquentem et pandentem secreta parturienti. *Primo,* quia secretum hoc, et sententia quælibet mente quasi alvo continetur : unde vocatur conceptus vel conceptio mentis ; dum vero ore promitur, quasi proles paritur et in lucem editur. *Secundo,* quia stultus sibi vim infert, ut secretum hoc quod tacere debebat in lucem proferat ; proferre autem avet, gliscit et ardet ex mentis levitate. Idem facit parturiens fœtum enitens. *Tertio,* quia stultus importune et ante tempus suos hosce conceptus et secreta prodit et parturit ; sapiens vero opportune et congruo tempore. Hanc differentiam parturitionis, sive locutionis, stulti et sapientis assignat Clemens Alexandrinus, lib. VI *Stromat.* : « Quidam, inquit, ante tempus informem et moriturum fœtum pariunt, alii expletis mensibus enituntur. Est enim tempus tacendi et tempus loquendi, » *q. d.* Stulti suum mentis conceptum præpropere effutiendo, non partu, sed abortu edunt ; sapientes vero justo tempore expleto, integram vividamque proferunt mentis sententiam. Porro medici docent mulieres minus sapientes et stultas facile pati abortum, eo quod suis appetitibus agantur, eaque indiscrete comedant et faciant quæ abortum procurant, eo quod ratione suos appetitus frenare nequeant. Similiter et stultus, quia stultum loquendi pruritum regere nequit, hinc intempestive sua proloquitur, suasque sententias quasi imperfectos et immaturos fœtus per abortum edit, ideoque parturit ; parturire enim est per violentiam, quæ maxima est in abortu, parere. Sapiens vero diu mente conceptam retinet sententiam, eamque lente efformat et maturat, ut plane formatam et maturam opportuno tempore in lucem edat. Stultus ergo secretum quasi prolem se discerpentem et sagittam ferientem existimat, quam nisi pariat, nisi e corde eximat, quiescere nequaquam potest. E contra prudens animus quod secretum est continet, et ab amicissimis, imo et a fratribus sibi dilectis, abscondit. Sic faciebat S. Ambrosius, qui de se et de fratre suo Satyro loquens, orat. *de Obitu Satyri,* hæc ait : « Cum omnia nobis essent nostra communia, individuus spiritus, individuus affectus, solum tamen commune non erat secretum amicorum ; non quod conferendi periculum vereremur, sed ut tenendi servaremus fidem. Sane, si consilio pendenda res esset, erat semper commune consilium, non semper commune secretum. »

Garrulus est quasi parturiens ob tres analogias.

Vers. 12. Et quasi vulneratus sagitta, cur ?

12. SAGITTA INFIXA FEMORI CARNIS (ita Romana ; alii cum Rabano legunt, *canis ;* sed eodem redit sensus ; canis enim quia acuti tactus, impatiens et biliosus, illico sagittam excutit), SIC VERBUM IN CORDE STULTI. — Stultum comparavit parturienti, hic comparat eum vulnerato, *q. d.* Sicut qui sagitta vulneratus est in femore, cujus caro est tenera, ideoque valde sensilis, illico sagittam evellit, nec quiescit donec eam excutiat : sic et stultus

verbum quod audivit, perinde ac si sagitta esset quæ eum vulnerasset, illico ex corde evellit, et ore effutit, nec quiescit donec illud propalet et in publicum efferat. Ita Syrus, *sicut sagitta quæ vulnerat coxam viri, sic verbum in visceribus stulti;* alii, *quale telum infixum in femore, talis est oratio in ventre stulti;* Tigurina, *quod telum agit defixum in femore corporis, hoc sermo in stulti pectore.* Unde Apuleius, lib. *De Dogmate Platonis* : « Qui leves sunt, ait, futiles et importuni locutores, quique verbis humidis et lapsantibus defluunt, eorum orationem bene existimatum est in ore nasci, et non in pectore. » Id provenit ex debilitate cerebri et judicii, ac ex animo angusto et minuto, qui proximi defectum, etiam minimum, non fert, nec capit. Inde enim fit, ut stultus perpetuo secretum quod audivit phantasia verset et reverset, eaque versatione se affligat et cruciet; unde, ut hac afflictione se liberet, illud effutit et enuntiat : perinde ac melancholici, dum quid tristi mente volvunt quod eos affligit, ut eo se liberent, illud amicis enuntiant. Idem faciunt scrupulosi, et quivis afflicti; sed hi, si sapiunt, non nisi viris discretis et secretis, qui mederi et consolari possunt, quales sunt confessarii virique spiritales, illud communicant; stultus vero quibuslibet, ac præsertim sui similibus, indiscretis, loquacibus, et rimarum plenis, sua enuntiat. Unde Plutarchus in *Moral.* de revelatore secreti ait : « Totus translucet, totus effluit, et nullo cogente, veluti si quæstione (in equuleo et tortura) interrogatus esset, arcana omnia manifestat. » Apposite detractionem comparat sagittationi, ac rem detractione proditam sagittæ, quia, ut ait S. Bernardus, sermone *de Triplici custodia, manus, linguæ et cordis* : « Numquid non est vipera lingua detractoris? ferocissima plane, nimirum quæ lethaliter tres inficiat flatu uno. Numquid non lancea est ista lingua? Profecto et acutissima, quæ tres penetrat ictu uno. Lingua, inquit, eorum gladius acutus; gladius equidem anceps, imo triplex est lingua detractoris. » Favet etymon sagittæ. « Sagitta enim dicitur a sagaci jactu, id est veloci ictu; pennis enim fertur quasi avis, ut celeriter mors percurrat ad hominem, » ait S. Isidorus, lib. XVIII *Origin.* cap. VIII. Talis est detractio et secreti proditio.

TERTIA PARS CAPITIS.

DE CORRECTIONE.

Vers. 13. 13. CORRIPE AMICUM, NE FORTE NON INTELLEXERIT, ET DICAT : NON FECI; AUT, SI FECERIT, NE ITERUM ADDAT FACERE. — Est occupatio. Ne quis enim ex eo quod dixit silendum esse proximi peccatum quod quis audivit, inferat : ergo sinendus est proximus peccare, et peccatum impune grassari permittendum, præoccupat, *q. d.* Ita serva secretum, ut aliis illud non enunties; ipsum tamen qui peccavit secreto corripe, tum ut ejus saluti consulas, tum ut Dei offensam et injuriam sarcias et impedias, tum ut scandalum ex proximi peccato, si in eo pergat, nasciturum avertas; mali enim remedium non est detractio, sed correctio. Dicit ergo : Cum quid mali audis spargi de amico, eum mone de sinistro rumore, qui de eo circumfertur, ne forte ipse se excuset, et dicat se de hoc rumore nil intellexisse, addatque se nil tale fecisse, ac proinde se esse innocentem; ut innocentiam hanc suam probet, itaque famæ consulat, ac rumorem falsum de se sparsum, ac scandalum inde natum vel nasciturum sopiat et exstinguat. Sin peccatum de quo infamatur revera fecerit, amice a te correptus pœnitebit, illudque corriget et emendabit. Nominat *amicum,* quia apud inimicum et incognitum parvus sæpe est fructus correptionis, et parva spes emendationis; imo inimicus monitus ab inimico exasperatur et pejora perpetrat, quia suspicatur ex odio proficisci correptionem, utpote ab hoste prolatam, ac proinde eam non ut medicinam, sed ut vindictam accipit, quam novo scelere, quasi vindicta, ulcisci et compensare destinat.

Secundo, per *amicum* accipe quemvis proximum : hic enim Hebr. vocatur רֵעַ *rea,* id est amicus, quia nobis natura conjunctus et unitus est in uno parente Adamo, et magis per gratiam unitus est in uno Salvatore Christo. Vide dicta *Levit.* XIX, vers. 18. Unde quem hoc versu vocat amicum, vers. seq. et vers. 17 vocat proximum. Græca concisius sic habent, *corripe* vel *argue amicum, ne forte non fecerit; aut, si quid fecerit, ne iterum addat;* Tigurina, *objurga amicum, si quid forte minus faciat; sin fecerit, ne porro pergat facere.* Porro Eusebius Pontifex, *epist.* 2, legit : « Corripe amicum, ne forte, cum fecerit injuriam, et non intellexerit, dicat : Non feci. » Quod ego velut glossam nostri textus accipio, inquit Palacius, *q. d.* Corripe, id est, conveni amicum, quærens rationem ab eo cur te vel alios injuria affecerit. Nam ille, si non intellexit quod te injuria lædebat, respondebit : Non feci tibi injuriam, non intellexi injuriam tibi fieri; ac ita satisfaciet animo tuo. Si vero intellexit, admonitus a te, non iterum eam admittet. Huic sensui accedit Syrus, *reprehende amicum tuum, ne faciat quod malum est; si fecerit, ne addat.*

Porro, amicus amico jure amicitiæ debet correptionem. Nam, ut ait Seneca in *Proverb.* : « Amici

vitia si feras, facis tua. » Rationem da S. Gregorius Nazianzenus in *Tetrastichis* .

> Oculus, *ait*, tuetur cætera, at se non videt :
> Ergo monitorem rebus in cunctis habe.
> Manus requirit nam manum, pes pedem.

Quocirca S. Bernardus, serm. *de Nativitate S. Joannis* : « Arguere, ait, et increpare interdum necesse est. Ferveat ergo in nobis amor justitiæ, odium iniquitatis. Nemo fratris vitia palpet, peccata dissimulet nemo ; nemo dicat : Numquid ego sum custos fratris mei ? Est enim consentire, silere rem cum arguere possis : et scimus, quia similis pœna facientes manet et consentientes. »

Correctionis conditiones. Prima.

Hinc patet, qualis debeat esse correptio proximi in peccatum lapsi. Correptio enim has conditiones et dotes habeat oportet. *Primo*, procedat ex amore, non ex odio ; ex compassione, non ex ira et indignatione. Corripiens ergo non hostem induat, sed medicum agat, qui contra morbum pugnat, non contra infirmum, sed pro infirmo, ut eum morbo liberet. S. Augustinus, vel quisquis est auctor lib. *De Amicitia*, cap. XXVII : « Quidquid suadendum est, inquit, ab amico facilius recipiatur, et facilius retineatur ; cujus magna debet esse in suadendo auctoritas, cum nec fides ei dubia, nec adulatio sit suspecta. Non solum arguendi sunt amici, sed, si opus fuerit, objurgandi. Objurgandus est amicus si veritatem aspernatur, et obsequiis atque blanditiis in crimen appellatur. Sed monitio acerbitate, objurgatio contumelia careat. » S. Ambrosius : « Si quid vitii, ait, in amico deprehenderis, corripe occulte ; si te non audierit, corripe palam. Sunt enim bonæ correptiones, et plerumque meliores quam tacita amicitia ; et si lædi se putet amicus, tu tamen corripe. Tolerabiliora enim sunt amici vulnera, quam adulantium oscula. Debet amicus amico compati et condescendere, vitium ejus suum putare, corripere humiliter, compatienter. Corripiat eum vultus tristior, et sermo dejectior. Intercipiant verba lacrymæ, ut non solum videat, sed et sentiat correptionem ex amore, et non ex rancore procedere. »

Secunda.

Secundo, sit lenis, et dulcedine vultus ac verborum condiatur, sicut pilulæ amaræ saccharo oblinuntur, juxta illud Pauli *Galat.* cap. VI, 1 : « Hujusmodi instruite in spiritu lenitatis. » Vide ibi dicta. « Si enim, ait Rabanus, disciplina adhibetur cum modestia, generat in eis (qui corripiuntur) de præteritis malis verecundiam atque pœnitentiam, de futuris vero exhibet diligentiam atque cautelam. »

Tertia.

Tertio, fiat tempestive et opportune, quando corripiendus rite dispositus est ad correptionem amice excipiendam ; quare non fiat in flagrante delicto et fervente ira : qui enim iratum corripit, similis est homini canem per aures tenenti. Sicut enim canis aures excutiens mordebit tenentem, ita iratus corripientem invadet verbis asperis, et subinde verberibus. Hoc est quod monet Salomon, *Proverb.* XXV, vers. 11 : « Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo. Inauris aurea, et margaritum fulgens, qui arguit sapientem, et aurem obedientem. »

Porro correptio est quasi pharmacum, quod hominem passione ebrium, et quasi dementatum deebriat, sibique et menti restituit. Quare sapiens qui corripitur, agnoscens suam esse culpam, in se convertet iram, cum stultus eam convertat in corripientem ; quinimo sapiens correptus, etsi initio dolorem sentiat, mox correptionis fructum agnoscens, corripienti gratias aget, juxta illud *Proverb.* cap. XXVIII, vers. 23 : « Qui corripit hominem, gratiam inveniet apud eum ; » Septuaginta, *gratias reportabit*. Pulchra similitudine citharæ id declarat Ivo Carnotensis, *serm.* 26 : « Qui citharam, inquit, pulsat, certe singulas chordas intendendo cum temperat, ingratum earum sonum audire solet ; at postea cum omnes tensæ et modulatæ sunt ad harmoniam, suavissimum concentum eidem reddunt. Ita etiam doctor aut Prælatus, cum subditos suos vel auditores coercet, et quasi laxas citharæ chordas ad virtutis et honestatis observantiam intendit, absurda solet probra et convitia ab eisdem audire ; et postea quam omnes ad honestatem et charitatem modulati sunt, ejusdem aures laude et gratiarum actione demulcent, quas prius vituperando violaverant. »

Vers. 14.

14. CORRIPE PROXIMUM, NE FORTE NON DIXERIT (quod temere, iracunde, odiose et noxie dixisse perhibetur) : ET SI DIXERIT, NE FORTE ITERET. — Monuit corripiendum esse amicum qui opere peccavit ; hic pari modo monet corripiendum esse eum qui verbo et sermone deliquit, sive in Deum, sive in proximum. « Ne forte, » id est *nequando*, ait Isidorus Pelusiota, lib. II, *epist.* 270, ubi similia hujus phrasis dat exempla. Idem sanxere philosophi. Cicero, lib. *De Amicitia* : « Monendi, ait, amici sæpe sunt, et objurgandi. » Et paulo post : « Monere et moneri proprium est veræ amicitiæ. » Quare Clemens Alexandrinus in *Pædagogo*, lib. I, cap. VIII : « Benevolentiæ, inquit, non odii signum est reprehendere. » S. Ambrosius, lib. III *De Officiis*, cap. XVI : « Amicus, inquit, si quid in amico vitii cognoverit, debet corripere occulte : si non audierit, corripere palam. » Et S. Chysostomus, homil. *De ferendis reprehensionibus*, tom. III : « Gratiam habeo his qui me arguunt, amici enim sunt : sive juste, sive injuste arguant, non exprobrare volunt, sed emendare. » Hæc ille. Rationem dat Salomon *Proverb.* XV, 4, dicens : « Lingua placabilis, lignum vitæ ; » quia, sicut fructus arboris vitæ hominem servasset incorruptum et immortalem : sic et correptio lenis et amica affert incorruptionem et vitam immortalem.

Monere et moneri proprium amicitiæ.

Vers. 15.

15. CORRIPE AMICUM : SÆPE ENIM FIT COMMISSIO, —

id est, perpetratio peccati, tum ab amico, quæ ab altero amico corripienda est; tum ab obtrectatore, qui amico detrahit, et falsa affingit, sæpe fit perpetratio calumniæ, ut habet Græcus, *q. d.* Admone amicum ut se purget de infamia, quia sæpe committitur calumnia, qua falso aliquis infamatur. Unde sequitur : « Et non omni verbo credas ; » Græca Complutensium, *corripe amicum ; sæpe enim fit calumnia vana, et non omni sermoni credat cor tuum;* Tigurina, *increpa, inquam, amicum; etenim existit sæpe calumnia; quare non cuivis sermoni fidem adhibeas* ; Syrus, *corripe amicum, quia aliquoties est accusator vanus ; et non omni verbo credat cor tuum.*

Forte Noster pro διαβολή, id est *calumnia,* legit συμβολή, id est *commissio,* hoc est collatio. Sic enim cap. XVIII, vers. 32, συμβολὴ vertit *commissio.* Sensus ergo erit : Corripe amicum, ut culpam de qua infamatur emendet, si eam admisit; purget, si non admisit: nam crebra est commissio, id est symbolum et collatio tum epulationis, tum detractionis. In symposiis enim cæterisque hominum congressibus, crebro detrahitur famæ absentium, atque tunc quisque quasi in symbolo confert suum judicium et dicterium ; in qua varietate multæ a multis committuntur calumniæ. Alii enim joci causa fingunt crimina, alii lapsu linguæ et loquacitate, aut ex studio placendi, et timore displicendi sociis detrahentibus, iis applaudunt, adduntque auctarium crescenti mendacio; alii malevolentiæ causa amplificant; alii addunt circumstantias, quæ rem probabilem faciant ; alii similia dicta vel facta sinistre interpretantes in eamdem rem detorquent. Hinc subdit : « Et non omni verbo credas. » Ita S. Gregorius, lib. IV *Moral.* cap. XXV, mystice explicans illud *Proverb.* XXIII, vers. 21 : « Quia vacantes potibus, et dantes symbola, consumentur : Potibus, inquit, vacant, qui de opprobrio alienæ vitæ sese inebriant. Symbolum vero dare est, sicut unusquisque solet pro arte sua cibos ad vescendum, ita in confabulatione detractionis verba conferre. » Et paulo ante : « Carnes ad vescendum conferre, est in collocutione derogationis vicissim proximorum vitia dicere. » Ecce hoc est uti epulationis, ita detractionis symbolum; hæc obtrectationis *commissio,* id est, collatio et quasi comessatio. Unde liquet hanc συμβολὴν reipsa esse διαβολήν, scilicet hanc commissionem et collationem reipsa esse calumniam.

Lingua indomabilis.

Præclare S. Gregorius Nazianzenus de suo quadragenarii jejunii silentio scribens : « Linguam, inquit, non homo, non nix, non torrens, non scopulus, non denique res ulla coercere potest : nihil est quod a linguæ sagitta tutum atque immune sit; quam quisquis domuerit, is nimirum sapientiæ arcem et principatum tenet. » Vide S. Augustinum, lib. X *Confessionum,* cap. XXXVII, et serm. 3 *in Matthæum* · « Domat, inquit, homo feram, non domat linguam; domat leonem, et non refrenat sermonem; domat ipse, et non domat seipsum; domat quod timebat, et ut se domet non timet quod timere debebat. »

Vers. 16 et 17.

16 et 17. EST QUI LABITUR LINGUA, SED NON EX ANIMO. QUIS EST ENIM QUI NON DELIQUERIT IN LINGUA SUA? — Dicit hoc partim ad ostendendum quam facile lapsu linguæ peccetur, tum ab amico, ea de causa leniter corripiendo; tum a detractoribus, præsertim apud socios in symbolis, quibus proinde non facile est credendum, uti jam dixit. Nam τὸ *non ex animo* idem est quod non ex studio, non ex proposito, non ex mente et intentione detrahendi, calumniandi, aut quomodolibet lædendi. Syrus posteriorem partem legit sine interrogatione, ideoque contrarium dat sensum : *Est enim,* inquit, *qui peccat, et non ex corde; et est qui offendit, et non lingua sua.* Verum Latina et Græca lectio uti communior, ita aptior est et verior, ad quam proinde allusit S. Jacobus, cap. III, 2 : « Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir, » etc. Vide ibi dicta.

Vers. 17 et 18.

17 et 18. CORRIPE PROXIMUM ANTEQUAM COMMINERIS. ET DA LOCUM TIMORI ALTISSIMI. — Sunt qui accusato delicto, præsertim si contra se admissum sit, aut esse dicatur, illico excandescunt, fremunt, minantur, et in verba aspera, quin et verbera præcipiti ira prosiliunt, itaque ordinem prudentiæ et charitatis invertunt. Hos monet Siracides, ut prius leniter corripiant proximum (sic enim ipse se probabiliter vel purgabit, vel emendabit), itaque in se dent « locum timori » Dei, qui hanc lenitatem in corripiendo proximo præcipit. Ejus ergo timore, amore et reverentia leniter corripiamus, tum ut a nobis spiritum iræ, impatientiæ et vindictæ excludamus; tum ut proximum hac lenitate emendemus; tum ut Dei lenitatem et benevolentiam emereamur, ne ipse nostræ acerbitati et duritiæ offensus permittat nos in similia, imo graviora labi, juxta illud *Galat.* VI, 1 : « Hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne et tu tenteris; » ut tuo lapsu discas tentatis compati. Unde Tigurina vertit, *amicum* (vel proximum) *tuum redargue priusquam mineris, iraque posita da locum legi Altissimi* ; Syrus prorsus alio abit, *corripe,* ait, *malum, quia multos fraudavit, et non ad omne verbum credas ei.*

Græci codices Complutenses et cæteri multa hic addunt, nimirum, *timor Domini initium assumptionis ; sapientia autem ab eo dilectionem præstat* (vel acquirit); *cognitio mandatorum Domini, disciplina vitæ ; qui autem faciunt quæ placita sunt ei, immortalitatis arborem decerpunt* (vel arbore fruuntur) : quæ Tigurina ita clare vertit, *religio Domini primus, quo ad eum recipiaris, gradus est ; amorem vero demeretur sapientia. Cognitio præceptorum Domini, eruditio vitæ est : et qui morem gerunt, ipsi fructum carpent immortalitatis* ; alii, *timor Domini principium est doctrinæ,* etc., et rectius, ut idem sit quod illud crebro usurpatum in Scriptura a Siracide, Salomone et Davide : « Princi-

pium sapientiæ timor Domini. » Nam Hebr. *massa*, Græce λῆμμα, vel πρόληψις, Latine *assumptio*, vocatur doctrina et prophetia, quia hanc discipulus vel Propheta assumit et accipit a magistro, vel Deo, uti dixit *Isaiæ* cap. XIII, 1. Verum editio a Caraffa et Romanis emendata, hæc omnia præterit et omittit.

QUIA OMNIS SAPIENTIA TIMOR DEI, ET IN ILLA TIMERE DEUM, ET IN OMNI SAPIENTIA DISPOSITIO LEGIS. — Dat causam cur dandus sit locus timori et legi Altissimi, jubenti proximum corripi leniter, non minaciter, quia scilicet timor Dei est omnis, id est tota, plenaque et perfecta sapientia, practica scilicet; et in illa sapientia vicissim omne quod docetur, est timere Deum, quia omnis sapientia est dispositio legis, id est, disponit sapientem ad legem observandam, et ad ea faciendum quæ lex agenda disponit et ordinat. Unde Græce est, *in omni sapientia* ποίησις, id est *factio*, vel *effectio legis, q. d.* Omnis sapientia consistit in praxi, id est, in effectione legis, puta in exsecutione eorum quæ lex jubet et sancit. Ex quo concludit, proximum corripiendum esse leniter in timore Dei, quia sine illo nihil sapienter et rite fit, et quidquid sapienter fit, in timore Dei fiat oportet, quia sapientia et timor Dei ita connexa sunt, ut, ubi est sapientia, ibi sit et timor Dei, ac vice versa; unde qui caret uno, caret et altero, utpote ejus comite individuo. Minus ergo genuine aliqui sic exponunt: « In omni sapientia dispositio legis, » *q. d.* Lex Dei disposita est in omni sapientia, id est, sapientissime.

Græci Complutenses et cæteri rursum nonnulla addunt: sic enim habent, *omnis sapientia timor Domini est, et in omni sapientia factio* vel *exsecutio legis, et cognitio omnipotentiæ ipsius*. Syrus breviter et clare vertit, *verba prophetiæ et omnis sapientia timor Domini, et timor Dei ipse est sapientia;* Tigurina, *religio Domini summa est sapientia, in omni sapientia præstatio legis, summæque ejus potentiæ cognitio*. Porro Græci Complutenses, Tigurina et cæteri post hunc versum istum subjungunt, *si servus dicat domino suo : Quod tibi videtur* (vel placet) *non faciam; si idem postea faciat, offendit altorem suum,* vel nutrientem se. Verum merito eum delent codices Romæ emendati, æque ac Syrus : videntur enim hoc loco impertinentia, ac proinde a sciolo aliquo infarta.

Siracides de more occasione data libens, imo studio, digreditur ad encomium timoris Dei : in eo enim sitam esse docet veram et perfectam sapientiam. Præclare S. Gregorius Nazianzenus in *Distich.* : « Curabis, inquit, ut solas divinitatis opes tibi compares, mundumque universum aranearum telis similem semper arbitreris. Cætera omnia quæ possident homines, aliena ab hac vita sunt. Nam si vere dicendum est, sola virtus vita dicenda est. Venite igitur (omnibus verbum inclamat) ad Trinitatis cognitionem, properate. »

Vers. 19. 19. ET NON EST SAPIENTIA, NEQUITIÆ DISCIPLINA : ET NON EST COGITATUS PECCATORUM, PRUDENTIA. — Vocula *et* est causalis, significans *quia*, more Hebræo. Probat enim quod omnis sapientia sit timor Dei, et dispositio sive exsecutio legis, a contrario, quia scilicet « nequitiæ disciplina, » id est, cognitio et ars nequitiam astute et maligne exercendi, quam norunt et exercent politici et mundani, « non est » vera « prudentia. » Unde concludendum reliquit, sapientiam duntaxat esse justorum, qui timent Deum, ejusque legem exsequuntur. Hunc esse sensum liquet ex Græco, *non est sapientia, nequitiæ scientia : et non est, ubi consilium peccatorum, prudentia;* Syrus, *non est sapiens qui malus, et non est consilium peccatorum quod prudens*. Minus recte ergo Lyranus et Dionysius legunt : « Et non est cogitatus bonus peccatorum prudentia; » id tamen verum et congruum habet sensum, *q. d.* Peccatorum prudentia nil cogitat boni, ac proinde non est prudentia, sed imprudentia; nec bonitas, sed malitia.

Vers. 20. 20. EST NEQUITIA, ET IN IPSA EXSECRATIO : ET EST INSIPIENS QUI MINUITUR SAPIENTIA. — Ita legendum cum Romanis. Probat, aut potius explicat, nequitiæ disciplinam, sive scientiam, non esse veram sapientiam, *q. d.* Est, inquam, nequitia, sive callida malitia; sed in ipsa est exsecratio, quia nequitia plena est rebus exsecrandis, ideoque omnes probi eam exsecrantur ob calliditatem malignitati sociatam ; at vero non pari modo exsecrantur insipientiam, id est ignorantiam, et defectum sapientiæ. Est enim insipiens qui minuitur sapientia, cui scilicet deest prudentia ; hic non errat ex nequitia et malitia, sed ex insipientia et ignorantia, ac proinde potius compassione et instructione, quam exsecratione dignus censetur. Græca habent, *est* πονηρία (unus codex habet πανουργία, id est *astutia, versutia*), id est *nequitia, et ipsa abominatio : et est insipiens qui minuitur sapientia*. Syrus, *est astutia quæ creat peccata, et est fatuus qui non habet peccata : est amens qui evadit peccata, et est prudentior qui peccat*. Porro hunc versum et præcedentem connectit, clareque vertit Tigurina, hoc modo, *scientia malitiæ non est scientia, nec consilium scelerosorum cum prudentia conjunctum est; sed malitia est, atque adeo ipsa exsecratio, stultitiaque vacua sapientiæ*. Huic sententiæ Siracidis accinit illa Ben-Sira *alphabeto* 2, littera *Zain*. « Ne esto ex iis, qui raram aut densam barbam habent, » *q. d.* Noli esse ex eorum numero qui vel perverse callidi, vel aperte stulti sunt; nam rara barba, callidus est : densa barba, stultus, ait R. Aquila in *Gemara*. Sententiam hanc explicat Siracides, dum subdit :

Vers. 21. 21. MELIOR EST HOMO, QUI MINUITUR SAPIENTIA, ET DEFICIENS SENSU IN TIMORE (Græce ἔμφοβος, id est *timoratus*), QUAM QUI ABUNDAT SENSU, ET TRANSGREDITUR LEGEM ALTISSIMI, — *q. d.* Melior est insipiens, non practice, id est improbus; sed speculative, id est simplex, rudis, indoctus, cui exigua est sapientia et sensus, id est prudentia, sed tamen

prædītus est timore Dei, quam qui abundat sensu, id est, sapientia et prudentia, sed violat legem Dei, *q. d.* Melior est indoctus sed probus, quam doctus sed improbus. Prudentem ergo vocat peritum et scientem, quoad intellectum, non quoad affectum, qui scilicet clare intelligit quid bonum, quid malum, sed idipsum non amat, nec opere exsequitur. Hic enim eo gravius punietur, quo doctior fuerit, quia doctrina sua non est usus, sed abusus, juxta illud : « Scienti bonum facere, et non facienti, peccatum est illi, » *Jacobi* cap. IV, 17. Quare melior et felicior, ideoque practice sapientior, est rusticus indoctus, sed Dei legem servans, quam Aristoteles, Plato, aut etiam Doctor Theologus, sed legem Dei violans : illi enim gloria cœlestis, huic infernalis gehenna paratur. Hunc sensum clare indicant Græca, *melior est stupidus in intellectu cum timore, quam abundans in prudentia et transgrediens legem.* Complutenses enim legunt πτοούμενος, id est *stupidus*; alii legunt ἐλαττώμενος, id est, *qui minuitur.* Unde Tigurina vertit, *potior est religiosus cui deficit sapientia, quam abundans prudentia violator legis Altissimi.*

Rusticus probus sapientior Aristotele.

QUARTA PARS CAPITIS.

DE SOLERTIA BONA, ÆQUE AC MALA, SIVE HYPOCRISI.

Vers. 22 et 23.

22 et 23. EST SOLERTIA CERTA, ET IPSA INIQUA. ET EST QUI EMITTIT VERBUM CERTUM ENARRANS VERITATEM, — *q. d.* Duplex est solertia : una certa et exacta, sed iniqua; altera recta et æqua certam enarrans veritatem, et in bono consilia certa suggerens.

Πανουργια quid?

Pro *solertia certa* Græce est πανουργία ἀκριβής, id est, astutia vel calliditas diligens et exquisita, ideoque certa, quia certis mediis, quæ diligenter exquisivit, subnixa; πανοῦργος enim proprie significat eum qui in omnibus rebus versatus est, a πᾶν et ἔργον, quasi ὁ πᾶσιν ἔργοις ἐπιβάλλων ; sed quia tales solent esse solertes et callidi, hinc hi quoque vocantur πανοῦργοι. Distinguit ergo hic duplicem *solertiam,* id est, astutiam et prudentiam : unam iniquam, qualis est dolus malus, fraus, hypocrisis, simulatio, fictio, malitia, quam vers. 19 vocavit disciplinam nequitiæ. Alteram æquam et justam, quæ post maturam rei indaginem sermone certo enarrat veritatem, tam juris quam facti, tam consilii quam judicii, tam mentis propriæ quam alienæ. Ipsa enim vere et candide enarrat quid jure faciendum sit, quid reipsa ab hoc illove sit factum gestumve, quid consulto agendum sit vel omittendum : ipsa sincerum de rebus et personis omnibus fert judicium : ipsa simpliciter profert sensa mentis suæ, quid scilicet in mente gerat, quid de se aliisque sciat et sentiat. Unde Græca explicatius hanc utramque πανουργίαν, sive solertiam, ita describunt : « Est calliditas exquisita, eaque injusta; et est qui evertat gratiam evertendo judicium : rursus est juste judicans sapiens, » *q. d.* Calliditas injusta est, quæ pervertit judicium justum, inique litem vel causam adjudicando injusto, et abdicando justo, qualis est hominis perversi, qui hac ratione simul evertit gratiam tum Dei, tum hominum. Hi omnes enim eum ut iniquum judicem, vel censorem aversantur. Calliditas justa est, qua sapiens justum de rebus et personis fert judicium. Ita Tigurina, *est astutia exacta,* inquit, *et eadem injusta; et est qui gratiam juris pronuntiandi pervertat, rursumque alius qui juste judicat sapiens.* Syrus unam tantum astutiæ partem et speciem, scilicet iniquam, recenset : *Est,* inquit, *astutus, qui complacet in mentiendo, et pervertitur ad manifestandum judicium.* Porro in judicio quidem maxime cernitur utraque hæc prudentia; sed tamen eadem cernitur quoque in vera et ficta humilitate, uti vers. seq. explicat; imo cernitur in rebus omnibus. Unde S. Gregorius aureo quasi penicillo utriusque rationes, modos et actus sigillatim depingens lib. X *Moral.* cap. XVI, ita sapientiam Sanctorum a prudentia mundana discriminat : « Hæc (prudentia mundana) sibi obsequentibus præcipit honorum culmina quærere, adepta temporalis gloriæ vanitate gaudere, irrogata ab aliis mala multiplicius reddere, cum vires suppetunt nullis resistentibus cedere; cum virtutis possibilitas deest, quidquid explere per malitiam non valent, hoc in pacifica bonitate simulare. At contra sapientia justorum est, nil per ostensionem fingere, sensum verbis aperire, vera ut sunt diligere, falsa devitare, bona gratis exhibere, mala libentius tolerare quam facere, nullam injuriæ ultionem quærere, pro veritate contumeliam lucrum putare. » Utramque sapientiam ita quoque secernit S. Jacobus cap. III, 15. « Non est enim ista sapientia desursum descendens; sed terrena, animalis, diabolica, etc. Quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia, et fructibus bonis, non judicans, sine simulatione. » Vidi ibi dicta.

EST QUI NEQUITER HUMILIAT SE, ET INTERIORA EJUS PLENA SUNT DOLO. — Hæc una est, eaque crebra et usitata πανουργίας, id est calliditatis et prudentiæ iniquæ, species, de qua S. Bernardus, lib. IV *De Consid. ad Eugenium Pontificem,* cap. IV : « Viri callidi, inquit, et dolosi proprium esse solet, tunc prætendere humilitatem, cum aliquid obtinere

Fictæ humili-

tatis schema.

voluerit, de qualibus dicit Scriptura : Est qui se humiliat nequiter, et interiora ejus plena sunt dolo. De vobis ipsis sumite sententiæ hujus evidens ac familiare exemplum. Quantos, quos supplices admisistis, postmodum sustinuistis graves, intolerantes, contumaces, rebelles? » Idem in *Vigil. Nativit.* serm., 6, hanc sententiam adaptat hypocritis ficte Christum invocantibus : « Infelix, inquit, quisquis ficte prostratus, corde rigido corpus humiliavit. Est enim qui humiliatur nequiter, interiora autem ejus plena sunt dolo. Quisquis enim necessitatem suam minus considerat, minus sentit incommoda, minus pericula pavet, minus devote confugit ad remedia certa salutis, minus affectuose se subjicit Deo, minus fidenter psallit : Domine, refugium factus es nobis. Hujus adoratio minus accepta, hujus prostratio minus verax, hujus humilia. tio minus habens, hujus etiam victoriosa minus, imo et minus vivida fides. » Huic explicationi favet versio Syri, *est qui apparet veluti humilis, et tanquam animo contritus, et interiora cordis ejus plena sunt dolo.*

Ficta humilitas, qua?

Sententia enim hæc cum sit generalis et proverbialis, multis rebus et casibus aptari potest : Siracides tamen adaptat eam malitiosis, qui dolose se humiliant, ut data occasione gravius noceant, uti patebit vers. seq. Alii eam adaptant iis, qui se suaque accusant, seque dicunt ignavos, inutiles, peccatores, ut eo magis ab aliis laudentur. Præclare S. Bernardus, serm. 18 *in Cant.* : « Appetere de humilitate laudem humilitatis, non est virtus, sed subversio. Quid perversius, quidve indignius, ut inde velis videri melior, unde videris deterior? » Et S. Ambrosius, lib. VII, *epist.* 44 : « Multi habent humilitatis speciem, sed virtutem non habent : multi eam foris prætendunt, et intus impugnant. » Exemplum illustre fictæ humilitatis vide apud Cassianum, *Collat.* XVIII, cap. XI. Hinc infert S. Bernardus : « Gloriosa res humilitas, qua ipsa quoque superbia palliare se appetit, ne vilescat. » Porro veræ humilitatis indicium dat S. Hieronymus *epist.* 27 : « Multi humilitatis umbram, inquit, veritatem pauci sectantur. Auferantur omnia figmenta verborum, cessent simulati gestus, verum humilem patientia ostendit. » Nam, ut ait S. Augustinus, lib. III *Contra epist. Petiliani* : « Nec malam conscientiam sanat præconium laudantis, nec bonam vulnerat convitiantis opprobrium. » Idem, lib. *Contra Secundin. Manichæum* : « Senti de Augustino quidquid libet, sola me in oculis Dei conscientia non accuset. »

ers. 24 et 25.

24 et 25. ET EST QUI SE NIMIUM SUBMITTIT A MULTA HUMILITATE : ET EST QUI INCLINAT FACIEM SUAM, ET FINGIT SE NON VIDERE QUOD IGNORATUM EST : ET SI AB IMBECILLITATE VIRIUM VETETUR PECCARE, SI INVENERIT TEMPUS MALEFACIENDI, MALEFACIET.—Multi initio pro *et est*, utrobique legunt *et est justus*, idque accipiunt de vere justo : putant enim hic vere justo vers. seq. opponi hypocritam, qui se justum simulat, *q. d.* Vere justus *nimis*, id est, valde et profunde, se humiliat. Est alter qui se fingit justum, hic inclinat faciem suam quasi avertens oculos a muliere pulchra, quam tamen ardenter concupiscat; sed hoc ab aliis ignoratur : hic si non possit ea potiri, si invenerit tempus malefaciendi, malefaciet, uti fecerunt senes, qui amantes Susannam, ab ea repulsi eam quasi adulteram accusarunt, *Daniel.* cap. I, 3.

Verum ex Græcis liquet hæc omnia jungenda esse cum vers. præced., et accipienda de uno et eodem, puta de hypocrita qui nequiter se humiliat, ut justus et sanctus videatur. Justus ergo utrobique hic vocatur is qui humiliando se justum simulat, qui exterius se ut justum gerit, qui apparet justus. Scriptura enim sæpe loquitur non ex rei veritate, sed ex apparentia, sive ex eo quod exterius apparet : ex hoc enim judicant homines de personis et rebus, quia S. Scriptura accommodat se usui et communi modo loquendi hominum. Hinc quia homines ex specie externa talem judicant vocantque justum, Scriptura quoque hominibus se accommodans eumdem vocat justum, cum revera interius et in corde sit injustus, hypocrita et impostor. Id ita esse patet ex Græcis : nam in illis non estillud, quod in Latinis (excipio Romana) bis habetur, *et est justus;* nec est τὸ *qui nimium sese submittit multa humilitate,* quod videtur additum ut explicet τὸ *qui nequiter humiliat se.* Quod addit : « Qui inclinat faciem suam, » etc., assignat modum quo quis nequiter se humiliat, et nimium se submittit. Igitur de uno eodemque hæc omnia accipienda sunt. Sensus ergo est, ut recte docet Jansenius, *q. d.* Est aliquando qui maligne se demittit coram alio, cum interiora ejus plena sint dolo : nec alia ratione se demittit, quam ut minus suspectus magis nocere valeat. Est, inquam, qui justus apparet, et talis haberi vult, qui ob id multa externa demissione submittit se valde apud aliquos : hoc est, contingit esse aliquem ficte justum, qui inclinat faciem suam in terram, vultuque tristi incedit, et fingit se in alienis vitiis non videre, quod ignoratum est ab aliis; fingit se non curiose observare, quod alii ignorant, vel quod ignoratum homines esse cupiunt, cum interim obliquo oculo acute observet omnia, ut noceat. Quod si ob imbecillitatem virium et impotentiam statim nocere, et peccati virus quod mente gerit, exerere nequat; mox ubi tempus, id est opportunitatem, malefaciendi inveniet, illam acceptabit, virus suum exeret, malefaciet et nocebit, juxta illud Aristotelis, lib. II *Rhetor.* : « Occasione duntaxat opus improbitati. » Et illud Publii : « Malefacere qui vult, nusquam non causam invenit. » Quare ex Græco sic clare vertas hosce tres versus, puta 23, 24, 25 : *Est nequitia præditus qui demisso capite pullatus* (atratus) *incedit, et interiora ejus plena sunt dolo. Demittit vultum, et surdum se simulat. et ubi minime fuerit cognitus, anticipabit te* (nocendo et lædendo ex improviso) : *quod si defectu virium peccare prohibebitur, si opportunitatem*

nactus fuerit, tum male faciet; Tigurina, *est qui prava moliatur demissus malitia* (Hebr. enim קדר *kadar* significat et nigrum esse, sive pullatum, et tristem sive mœstum : hic enim incedit atratus, ut patet in funere), *cujus interiora dolo tota ardeant : vultum contrahens, surdumque se simulans, ubi non suspiceris, occupabit te lædere. Quod si defectu virium peccare prohibeatur, malum dabit tibi nactus occasionem*; Syrus, *est qui apparet velut humilis, et tanquam animo contritus et interiora cordis ejus plena sunt dolo : est qui inclinatam habet faciem, et cogitat malum*; *et in loco ubi non cognoscunt eum, vocant eum justum : est qui quia non potest, impeditur a peccando; et si potest malefacere, malefaciet.* Ex quibus omnibus patet hos tres versus de uno eodemque loqui, puta de hypocrita, v. g. inimico, vel alio qui offendit vel læsit, qui ficte se humiliat et dolorem simulat, ut gratiam tuam recuperet; sed ubi poterit fictionem et odium, quod mente fovet et coquit, expromet, teque vel in corpore, vel in fama, vel in bonis affliget et lædet. Tales multi sunt in aulis principum, ubi regnat ambitio, invidia et hypocrisis. Unde Palacius censet Siracidem hæc scripsisse in aula Ptolemæi regis Ægypti, vel alterius principis. In ea enim, inquit, solent esse hypocritæ ostentantes exterius humilitatem, cum interius sint dolosissimi et superbissimi.

Moraliter, hic nota quam sit sancta, grata et amabilis humilitas, utpote quam ejus adversarii, ut sancti habeantur, tanto studio induere et simulare procurant; quæque ita splendet, ut etiam ficta in pretio habeatur, et videntium oculos rapiat in sui admirationem. Porro signa quibus hanc hypocrisin detegas, et hypocritam agnoscas, subjicit dicens :

Vers. 26. 26. EX VISU COGNOSCITUR VIR, ET AB OCCURSU FACIEI (id est, a facie occurrente, puta ex vultu qui in oculos incurrit) COGNOSCITUR SENSATUS. — Sic de internis animi sensibus et affectibus physiognomi, medici, jurisconsulti non absurde judicant ex delineatione temperamentoque corporis, quam appellant physiognomiam. Scripsit Delrius IV *Disquisit. magic.* cap. III, *Quæst.* III et V, post Mich. Medinam II *Parænes. Christian.* cap. II, Conradum Wimpinam *De Signis*, cap. VIII, 6, 10, 11, 12, Franciscum Valesium *De Sacra Philosophia*, cap XXXII, et alios; necnon Pineda in cap. XXXIV *Job*, vers. 7 de arte ista conjecturali. Fundamenta prima artis esse solent ex quadam cum cæteris animalibus comparatione, vel ex moribus aliarum gentium, vel ex collatione sexus cum sexu, vel ex motu membrorum et affectionibus corporis, vel ex compositione signi cum signo, ut passionis cum passione. Simia parvos habens oculos invida est : ergo, inquiunt conjectores isti, etiam homo cui oculi parvi, invidus est. Æthiops pertinax est et stupidus : talis igitur, quisquis nimium fuscus est; mulier mollem et candidam ut plurimum cutem habet, estque pavida et levis: proinde vir quoque est ejusmodi, qui candidus ac mollis; iratus fixis et immotis intuetur oculis, ideo non nictantes oculi sunt, uti Hippocrates dixit, iracundi. Invidus itaque est iracundus tristisque. Talia plura recenset Aristoteles in *Physiognomicis.*

Vers. 27. 27. AMICTUS CORPORIS, ET RISUS DENTIUM, ET INGRESSUS HOMINIS ENUNTIANT DE ILLO. — Alii vertunt, *indicant mores ejus*; Tigurina vertit, *ut aspectu quisque cognoscitur, ita ex vultus objectu cordatus intelligitur : suus cujusque habitus, ac rictum deducens risio* (Vatablus, *dentium per risum nudatio*), *incessusque hominis, quomodo sit animatus, arguunt.* Paulo aliter Syrus, *est quem ab aspectu faciei discernit vir, et e contrario cognoscit eum sapiens. Aspectus viri demonstrat opera ejus, et incessus hominis testificatur de eo.* Sensus ergo est : Sicut ex visu et aspectu quisque dignoscitur et cognoscitur, sic pariter ex vultu animi arcana cognoscas. Esto enim hypocrita vultum aliquanto tempore fingat et componat, ut hypocrisin dissimulet, ac humilitatem, æquitatem et justitiam simulet, tamen vir prudens et cordatus, si attentius et diutius eum inspiciat, hypocrisin deprehendet. Vultus enim est imago cordis, oculi sunt speculum mentis, ac mens suos affectus, præsertim tumultuantes et turbidos, diu celare nequit, quin etiam nescia et sui oblita, quasi ex improviso per vultum et oculos eos prodat. Sicut enim vultus et oculi indicant mentis lætitiam vel tristitiam, amorem vel odium : sic et candorem, vel fictionem et hypocrisin.

Quatuor specula mentis.

Siracides ergo dat hic quatuor indicia, per quæ quasi per fenestras mentem cujusque introspicias, ac latentem virtutem vel vitium, simplicitatem vel hypocrisin deprehendas.

Primum est facies.

Primum clarissimum est, facies et vultus, præsertim oculi : profert enim et prodit se natura per oculos. Cum enim lucerna corporis sit oculus, quid mirum si lucerna quale sit corpus enuntiet? Sic vir trux primo suo occursu, oculisque trucibus videtur terrorem incutere : pius vero suo occursu exhilarat. Sicut enim sapientia et sanctitas lucet in vultu sapientis et sancti, *Eccle.* cap. VIII, vers. 1, ita insipientia et nequitia caligat in vultu insipientis et nequam.

Præclare S. Ambrosius, lib. *De Elia*, cap. X : « Vultus, inquit, quidam cogitationis arbiter, et tacitus cordis interpres : facies index plerumque est conscientiæ, et tacitus sermo mentis. » D. Augustinus in *Regul. ad servos Dei*, quæ in fine I tomi habetur : « Nec dicatis, inquit, vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos, quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius. »

Sic physice Aristoteles in *Physiognom.* cap. IX et X, docet complexionem, indolem, passiones et affectiones animi maxime cerni in vultu, naso, oculis et fronte : « Qui, inquit, nasum extremum crassum habent, insensibiles sunt; referuntur ad sues. Qui nasum extremum acutum habent, sæpe

irascibiles sunt; referuntur ad canes. Qui autem nasum habent rotundum et obtusum, magnanimi; referuntur ad leones. Qui vero nasum extremum subtilem habent, aviculares. Quibus incurvus a fronte mox deducitur, inverecundi sunt; referuntur ad corvos. Qui autem aquilinum habent, articulatum a fronte, magnanimi; referuntur ad aquilam. Qui autem nasum concavum habent, et quæ ante frontem rotunda, circumferentiam autem superiorem erectam, luxuriosi; referuntur ad cervos. Quibus autem nares sunt apertæ, iracundi; referuntur ad passionem quæ sit in ira. » Post nasum subdit physiognomiam faciei, ailque : « Qui faciem cornosam habent, segnes; referuntur ad boves. Qui faciem macilentam habent, accurati. Qui autem carnosam, timidi; referuntur ad asinos et cervos. Qui valde parvam habent, pusillanimi; referuntur ad catum et ad simiam. Quibus facies magna, tardi; referuntur ad asinos et boves. Quoniam vero neque parvam, neque magnam oportet esse, medius habitus utique horum erit conveniens. Quibus autem facies videtur parum decens, illiberales sunt; referuntur ad apparentem convenientiam. » Et paulo inferius : « Qui frontem parvam habent, indisciplinabiles; referuntur ad sues. Qui autem magnam valde, tardi; referuntur ad boves. Qui vero rotundam habent, insensati; referuntur ad asinos. Qui autem minus planam habent, sagaces; referuntur ad canes. Qui vero quadrangulum commensuratum fronti habent, magnanimi; referuntur ad leones. Qui autem collectam habent, adulatores : id autem in canibus videbit quispiam, quoniam canes cum blandiuntur, contractam habent frontem. Qui autem nebulosam, audaces; referuntur ad taurum et leonem : quoniam autem nebulosus habitus audaciam significat, tranquillus autem adulationem, medius habitus utique horum bene decenter se habet. Qui tristem habent frontem, mœsti; quoniam mœsti tristem habent faciem. Qui autem demissam, lamentabundi, quia lugentes demissæ sunt frontis. Qui habent magnum caput, sensati; referuntur ad canes. Qui vero parvum, insensati; referuntur ad habentes ungues curvos. » Hæc signa sunt conjecturæ, ideoque non plane certæ, nec semper veræ. Unde ferunt Socratem ex vultu visum impudicissimum et male moratum; sed arte et virtute vicit ille naturam.

Secundum est, vestitus. *Secundum* est amictus sive vestitus : superbus enim amictus internam superbiam, fictus fictionem, dissolutus dissolutionem, levis levitatem, gravis gravitatem, luxuriosus luxuriam mentis indicat et repræsentat. Quare S. Augustinus epist. 73 *ad Possidium* : « Verus, ait, ornatus, maxime Christianorum et Christianarum, non tantum nullus fucus mendax, verum ne auri quidem vestisque pompa, sed mores boni sunt. » Ita ex vultu, vestitu habituque dissoluto Juliani Apostatæ, occultam ejus impietatem deprehendit S. Gregorius Nazianzenus, uti ipse refert orat. 2 *in Julianum*, his verbis : « Neque enim mihi boni quidquam significare atque minari videbantur, cervix non firma, humeri subsultantes, et ad æquilibrium subinde agitati, oculus insolens et vagus furioseque intuens, pedes instabiles et titubantes, nasus contumeliam et contemptum spirans, risus petulantes et effrenati. » Et post alia id genus dissoluti animi argumenta : « Ut hæc, inquit, conspexi, statim prolocutus sum : Quale malum Romanorum terra nutrit! » Sic de Julio Cæsare adhuc puero dixere Syllani : « Cavete puerum male præcinctum. » Et Augustus Cæsar, teste Suetonio : « Vestitus, inquit, insignis ac mollis superbiæ vexillum est, nidusque luxuriæ. »

Tertium est, risus. *Tertium* est, risus : risus enim candidus et planus, cor candidum, planum et apertum ; risus vero contractus, contortus, sardonicus, dentatus, cor contractum, contortum, dolosum, dentatum et odio imbutum significat. Nam per gestum corporis demonstratur qualitas voluntatis, ait Rabanus. Unde S. Augustinus lib. I *Contra Academ.* cap. V : « Ratio, ait, præveniat risum tuum : nihil enim est fœdius risu irrisione dignissimo. » Idem, serm. 97 *De Temp.* : « Risus, ait, frequens corrumpit mores, relaxat quoque nervos rigoris abstrictos : severus autem vultus custos est disciplinæ. »

Quartum, est incessus. *Quartum* est incessus : celer enim et præceps præcipitationem, tardus tarditatem, levis levitatem, superbus superbiam, iratus iram, fictus fictionem mentis indicat. Nam, ut ait Beda in *Proverbiis* : « Gressu corporis habitus demonstratur mentis. » Et S. Bernardus *De Modo bene vivendi*, cap. IX : « Sit, ait, in ingressu tuo simplicitas, in incessu honestas. Nihil dedecoris, nihil lasciviæ, nihil petulantiæ, nihil insolentiæ, nihil levitatis in incessu tuo appareat; animus enim in gestu corporis apparet, gestus signum est mentis. » Quin et Aristoteles in *Physiogn.* cap. VI : « Modesti, ait, signa sunt : in motibus tardus, et loquens tarde, vox tarda, et plena spiritu, ac mitis; oculus hilaris, neque valde apertus, neque omnino clausus. Iracundi : in motibus præceps, rubens corpore, color sanguineus. Animosi : fronte ingens, in motibus tardus et remissus, non præceps. Tristis : figura humilis, et motibus remissus, rugosa facies, macri oculi. Cinædi : oculus confractus, motus manuum supini et dissoluti, ambulationes duplices, hæc quidem circumclinantis, alia vero lumbos tenentis, et oculorum circumspectiones : qualis fuit Dionysius sophista. »

Gnomæ. Audi S. Ambrosium lib. I *Officior.* cap. XVIII : « Est, ait, in ipso motu, gestu, incessu tenenda verecundia. Habitus enim mentis in corporis statu cernitur. Hinc homo cordis nostri absconditus aut levior, aut jactantior, aut turbidior, aut contra gravior, et constantior, et purior, et maturior æstimatur. Itaque vox quædam est animi, corporis motus. Meministis, filii, quemdam amicum,

cum sedulis se videretur commendare officiis, hoc solo tamen in clerum a me non receptum, quod gestus ejus plurimum dedeceret. Alterum quoque cum in clero reperissem, jussisse me ne unquam præiret mihi, quia velut quodam insolentis incessus verbere oculos feriret meos. Idque dixi cum redderetur post offensam muneri. Hoc solum excepi : nec fefellit sententia; uterque enim ab Ecclesia recessit, ut qualis incessu prodebatur, talis perfidia animi demonstraretur. Namque alter Arianæ infestationis tempore fidem deseruit, alter pecuniæ studio, ne judicium subiret, sacerdotem se nostrum negavit. Lucebat in illorum incessu imago levitatis, species quædam scurrarum percursantium. » Et inferius : « Est etiam gressus probabilis, in quo sit species auctoritatis, gravitatisque pondus, tranquillitatis vestigium; ita tamen si studium desit atque affectatio, sed motus sit purus ac simplex; nihil enim fucatum placet, motum natura informet. Si quid sane in natura vitii est, industria emendet, ut ars desit, non desit correctio. » Quin et Cicero, lib. III *De Oratore* : « Omnis motus animi, inquit, suum quemdam a natura habet vultum, et sonum, et gestum : animi imago vultus est. Nam hæc una pars corporis, quæ quot animi motus sunt, tot significationes et communicationes possit efficere. »

Imperfecti igitur a perfectis modestia continua et constanti discernuntur. Imperfecti enim etsi ad tempus mores componant, aut potius compositos fingant coram aliis, tamen cum fuerint ineptæ curæ fingendi modestiam obliti, illico ineptis corporis motibus, et animi perturbatione se produnt, instar simiæ, quæ docta saltare subsilit; sed si projicies nuces, illico omnis decori saltus oblita, ad cupidas nuces advolat. Perfecti autem sui ipsorum curam gerunt continuam, ac per eam modestiæ habitum, quasi vestem pulcherrimam induunt : quare hæc modestia, lenitas ac membrorum compositio effectus est et signum internæ tranquillitatis et sanctitatis, per eamque interna animi virtus puritasque cernitur et dignoscitur : sicut ignem ex fumo, hominem ex loquela, et solem ex splendore cognoscimus.

Hanc gnomen apologo similem, festivo auris et oculi apologo illustrat Cyrillus lib. I *Apologorum moralium*, cap. XXV, cujus titulus : *In cunctis esto compositus*. « Audiens auris, inquit, quod oculum palpebra tueretur, acuto puncta invidentiæ aculeo, naturæ dixit : Ut quid oculum tam volatilium palpebrarum munitione vallasti, me autem ita nudam undique reliquisti? Certe haud minori me in pretio habere debueras : quoniam si delectat lux, amplius tamen verbum; et si visus instruit, magis auditus. Cui illa utriusque arte sapientiæ fabricatrix, patienter respondit : Si videres situm membrorum, et luci rationis attenderes, magis me gratiarum actione quam querelarum quæstione pulsares. Nonne locata es in profundis, et osse et cartilagine circumquaque munita? Foris tamen lucerna corporis est oculus, et ob hoc provide pellicula velocitatis armatur, et propter hoc ostiolo clauditur, ut etiam volenti nihil indecens spargente radio præsentetur. Ad hæc auris adjunxit : Cur etiam mihi repulsionis januam non dedisti? an forte minus putasti noxiam esse corruptionem auriculæ, quam pupillæ? Ad quod natura respondit : Non audisti quod primum aditum morti, venenoso serpentis eloquio percepto, effrenatus mulieris auditus exhibuit? Directe siquidem usque ad cor penetrat verbum, quoniam aperta semita stillat ex aure in pectoris rimas. Tunc natura subjunxit : Nimirum sicut non est intuendum nisi quod licet, sic nec audiendum est nisi quod decet. Nonne te ad hoc in medio capite posui? » Unde concludit, et quasi axioma præstantissimum assignat : « Omnis enim sapientis actus debet esse decenti regularitate compositus. Et quemadmodum in cœlestibus sapientia gubernatis, nullus sine regula motus cernitur : ita et in membris animæ prudenti subjectis, nullus apparere debet actus inordinatus. Unde sapientis est incessus gravis, aspectus pudicus, auditus honestus, status recollectus, habitus aptus. Maxime tamen decor prudentiæ debet relucere in facie, quoniam cornu sapientiæ luminosum (*Exodi* cap. XXXIV, 30) glorificavit Mosaicum vultum. Igitur quia homo debet esse velox ad audiendum, tibi non addidi januam; nec tamen, cum necesse fuerit, opportuna deest rationis arte clausura. Quibus auditis, mox placata auris quievit. »

Actus sit semper compositus.

Apologus cuti et auris.

28. EST CORREPTIO MENDAX IN IRA CONTUMELIOSI : ET EST JUDICIUM, QUOD NON PROBATUR ESSE BONUM : ET EST TACENS, ET IPSE EST PRUDENS. — Redit ad doctrinam correptionis traditam vers. 13 et seq.; quia enim dixerat illam faciendam esse sapienter et sincere, hinc ad sapientiam, sinceritatem et hypocrisin digressionem fecit vers. 18 hucusque : nunc ergo ad institutam correptionem regreditur. Unde Tigurina hæc connectit sequentibus, hincque inchoat cap. XX, nam cap. XX cœptam hic materiam prosequitur. Græca de more concisa sic habent, *est correptio quæ non est decora* vel *pulchra, et est tacens et ipse prudens;* Tigurina clare, *est cum minime speciosa sit reprehensio, et est cum quis sapienter taceat;* alii, *est reprehensio quæ indecora sit, et est qui taceat, idemque prudens sit;* Syrus alio abit, *est paupertas,* inquit, *quæ non convenit, et est qui tacet, et ipse est sapiens.* S. Chrysostomus in *Psalm.* XL, legit : « Est reprehensio, et non est tempestiva ; et est tacens aliquis, qui invenitur sapiens. » Noster modum et tempus addit, quo indecora sit reprehensio, nimirum quando procedit ex ira et animo convitiandi et exprobrandi; hæc enim ira facit, ut correptio sit iracunda, contumeliosa et mendax : ipsa enim efficit ut corripiens multa effutiat falsa, ac proinde mendacia per contumeliam impingat ei

Vers. 28.

quem per iram corripit. Ira enim pervertit judicium, ut temere ex levibus signis sinistre judicet, arguatque et damnet factum proximi quasi pravum, cum revera tale non sit. Hoc est quod subdit : « Et est judicium, quod non probatur esse bonum, » quia, scilicet, ex ira præcipitatum, ideoque temerarium, et sæpe falsum ac mendax est. Quare in ira silendum est, et omittenda correctio, donec ira deferveat, redeatque mentis pax et serenitas, indeque veritas, verumque de rebus judicium. Ergo qui in ira tacet, ipse est prudens.

Porro, correptio ex ira, non tantum indecora est audienti et excipienti ; sed eadem indecora et pudenda est dicenti et corripienti : qua eum non ratione, sed ira agi, iræque mancipium esse ostendit, ideoque alios etiam subditos non emendat, sed inverecundiores et proterviores efficit. Scitum est illud Platonis ad servum delinquentem : « Castigarem te, nisi iratus essem. » Idem alio tempore servi castigationem amico demandavit, dicens : « Ego castigare nequeo, quia iratus sum. »

Rursum sicut bilis flava, id est ira, sic et bilis atra, puta melancholia, pervertit judicium, facitque ut non sit bonum, sincerum et verum; sed malum, turbidum et falsum : per illam enim quasi per nubem atram res apparet et cernitur atra, obscura, tetra, etsi in se sit candida, limpida, clara. Hinc melancholicis omnia videntur atra, tristia, sinistra, prava, periculosa, perdita : quare Aristoteles in *Politicis*, negat melancholicos adhibendos in consilium, aut eligendos in consiliarios. Melancholici ergo, quia nimis sunt pusillanimes, tristes et suspicaces, parum apti sunt ad correptionem : sileant ergo, si sapiunt, et prudentes haberi volunt. Plura hac de re dixi cap. VIII, vers. 13.

Moral de silentio.

Denique prudens est tacens, qui scilicet tacet, cum putat correptionem et locutionem fore inutilem et infructuosam. Ita senior ille apud Joannem Moschum in *Prato spirit.* cap. CLVI, a Philosophis rogatus, hoc vitæ sanctæ et sapientis dogma dedit : « Sit philosophiæ vestræ opus semper meditari mortem, silentioque et quieti vos assuefacere. » Alter rogatus : « Usquequo servandum est silentium, » respondit : « Usquequo interrogeris. In omni enim loco si taciturnus fueris, requiem possidebis. » Sapienter Æneas Sylvius, (qui postea creatus Pontifex Pius II nuncupatus est) lib. 1 *De Gestis Alfonsi* : « Sapientius, inquit, est agere quam fari. Numquam enim nisi cum necessitas postulat sapiens loquitur, neque vana nec nisi ponderata profert : stulto autem nullum est tempus sermoni clausum, facileque verba jactitat, qui sine consideratione profatur. » Acute et facete S. Gregorius Nazianzenus, epist. 1 *ad Celeusium*, ejus silentium carpentem, respondit per apologum hirundinum garrularum, cycnos taciturnitatis accusantium. Cycni enim hirundinibus responderunt : « Si non multum, nec apud multos canimus : at illud certe in nobis pulcherrimum est, quod modum in canendo tenemus, nec musicam tumultibus permiscemus. Vos autem et in ædes admissas, homines fastidiunt, et canentes aversantur, idque optimo jure, quippe quæ nec excisa quidem lingua silere queatis ; verum ipsæ amissam vocem et calamitatem vestram lugentes, quasi alta aut profusa lingua præditæ, et canoræ, loquaciores sitis. Intellige quid loquar, ait Pindarus ; ac si taciturnitatem meam tua loquitandi facilitate præstantiorem esse inveneris, silentium nostrum inepte carpere atque insectari desine. Alioqui proverbium dicam, ut verissimum, ita etiam brevissimum : Tum cantabunt cycni, cum graculi tacuerint. » Huc pertinent disticha Catonis, sive illius prisci Censorii, sive potius recentioris cujuspiam, qui Catonis nomen assumens, prisci illius mores et sensa carmine expresserit : hæc enim disticha inter opera prisci non inveniuntur, ac simpliciori stylo conscripta sunt, nec latinitatem illius ævi, Censoriique elegantiam æquant. Disticha sic se habent :

Perspicito tecum tacitus, quid quisque loquatur.
Sermo hominum mores et celat et indicat idem.

Huc facit illud Senecæ in *Proverbiis* : « Libentius audias quam loquaris. Tacere qui nescit, nescit loqui. » Et illud Pindari in *Nemæis*, ode 5 : « Non omnis veritas exacta patefaciens faciem utilis est; sed scire tacere est sæpe sapientissimum. »

CAPUT VINGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Cap. præced. vers. ult. tria dixit : primo, correptionem non esse faciendam in ira; secundo, esse judicium quod non probatur esse bonum; tertio, esse tacentem qui sit prudens. Hæc tria ordine hic prosequitur : primum, vers. 1 *; secundum, vers.* 2 *et* 3 *; tertium, vers.* 5. *Unde pergit agere de vitiis et virtutibus linguæ. Quocirca, vers.* 9 *et seq., agit de fatuis fatuorum sermonibus æque ac donis, eosque opponit sapientibus sapientum dictis et factis. Denique, vers.* 23, *agit de nimia et noxia verecundia, dedecore mendacii, sapientia quæ sese promit et evehit placendo magnatibus, ideoque vetat in judicio xenia et dona*

1. Quam bonum est arguere quam irasci, et confitentem in oratione non prohibere !

2. Concupiscentia spadonis devirginabit juvenculam : 3. sic qui facit per vim judicium iniquum. 4. Quam bonum est correptum manifestare pœnitentiam! sic enim effugies voluntarium peccatum. 5. Est tacens, qui invenitur sapiens : et est odibilis, qui procax est ad loquendum. 6. Est tacens non habens sensum loquelæ : et est tacens sciens tempus aptum. 7. Homo sapiens tacebit usque ad tempus : lascivus autem et imprudens non servabunt tempus. 8. Qui multis utitur verbis, lædet animam suam : et qui potestatem sibi sumit injuste, odietur. 9. Est processio in malis viro indisciplinato, et est inventio in detrimentum. 10. Est datum, quod non est utile : et est datum, cujus retributio duplex. 11. Est propter gloriam minoratio : et est qui ab humilitate levabit caput. 12. Est qui multa redimat modico pretio, et restituens ea in septuplum. 13. Sapiens in verbis seipsum amabilem facit : gratiæ autem fatuorum effundentur. 14. Datus insipientia non erit utilis tibi : oculi enim illius septemplices sunt; 15. exigua dabit, et multa improperabit : et apertio oris illius inflammatio est. 16. Hodie fœneratur quis, et cras expetit : odibilis est homo hujusmodi. 17. Fatuo non erit amicus, et non erit gratia bonis illius. 18. Qui enim edunt panem illius, falsæ linguæ sunt. Quoties, et quanti irridebunt eum? 19. Neque enim quod habendum erat, directo sensu distribuit, similiter et quod non erat habendum. 20. Lapsus falsæ linguæ, quasi qui in pavimento cadens : sic casus malorum festinanter veniet. 21. Homo acharis quasi fabula vana, in ore indisciplinatorum assidua erit. 22. Ex ore fatui reprobabitur parabola : non enim dicit illam in tempore suo. 23. Est qui vetatur peccare præ inopia, et in requie sua stimulabitur. 24. Est qui perdet animam suam præ confusione, et ab imprudenti persona perdet eam : personæ autem acceptione perdet se. 25. Est qui præ confusione promittit amico, et lucratus est eum inimicum gratis. 26. Opprobrium nequam in homine mendacium, et in ore indisciplinatorum assidue erit. 27. Potior fur quam assiduitas viri mendacis : perditionem autem ambo hæreditabunt. 28. Mores hominum mendacium sine honore : et confusio illorum cum ipsis sine intermissione. 29. Sapiens in verbis producet seipsum, et homo prudens placebit magnatis. 30. Qui operatur terram suam, inaltabit acervum frugum : et qui operatur justitiam, ipse exaltabitur : qui vero placet magnatis, effugiet iniquitatem. 34. Xenia et dona excæcant oculos judicum, et quasi mutus in ore avertit correptiones eorum. 32. Sapientia absconsa et thesaurus invisus : quæ utilitas in utrisque? 33. Melior est qui celat insipientiam suam, quam homo qui abscondit sapientiam suam.

PRIMA PARS CAPITIS.

Vers. 1. 1. QUAM BONUM EST ARGUERE, QUAM IRASCI, ET CONFITENTEM IN ORATIONE NON PROHIBERE! — Prosequitur materiam de correptione, quam cœpit, vel potius cœptam vers. 13 cap. præced. resumpsit ibid. vers. ult., ubi dixit iratum non debere corripere, sed tacere. Unde hic infert satius esse corripere prudenter et mansuete eum qui te vel alios offendit, quam ei irasci; sic enim correptus culpam agnoscet et confitebitur, itaque offenso satisfaciet, eumque confessione culpæ et petitione veniæ sibi reconciliabit. Dicit ergo : « Quam bonum, » etc. *q. d.* O quanto melius est corripere proximum vel in se, vel in alios peccantem, quam ei irasci occulte (ut habent Græca Complutensium), et sic consequenter confitentem peccata sua in oratione non prohibere, sed potius ad id corripiendo inducere! Est enim liptote, quia minus dicitur et plus significatur : scilicet, per *non prohibere*, significatur inducere et impellere. Ita Lyranus. Qui enim ex charitate suaviter peccantem corripit, impellit eum ut peccatum suum confiteatur in oratione, id est, in confessione culpæ, et deprecatione veniæ, sive ea fiat homini offenso, sive Deo. Paulo aliter Jansenius, *q. d.* Bonum est corripienti, eum qui correptus confitetur peccatum suum simul cum oratione veniæ, non prohi-

bere a se vel a venia, sed statim ad reconciliationem et veniam admittere. Sic enim cessabit corripientis ira, et correpti culpa; per cujus confessionem pariter cessabit utriusque offensa, imo vertetur in mutuam reconciliationem. Græca habent, *quam bonum est arguere, quam irasci!* et ὁ ἀνθομολογούμενος (perperam aliqui legunt contrario sensu ἀνθολογούμενος), id est *qui vicissim confitetur* (qui scilicet respondens correptioni fatetur culpam), *prohibetur a diminutione*, id est, ab imminente sibi damno. Unde clare vertit Tigurina, *quanto honestius est reprehendere quam alere indignationem! nam qui fatetur quid, protegetur a detrimento*. Syrus prorsus abit alio, *non est gratia ei*, inquit, *qui corripuit iniquum, et laudatur aliquis unde non convenit ei laudari*. Aliter quoque Rabanus: « Confitentem, inquit, in oratione noli prohibere, quia non est ille prohibendus qui confitetur Deo in oratione sua, et laudat ipsum in ore suo; sed instruendus ut rectæ fidei et bonorum operum concordiam adhibeat: quia non est speciosa laus in ore peccatoris, sed corde creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem. Proinde Propheta dicit: Benedic, anima mea, Domino, et omnia interiora mea nomen sanctum ejus. Et alibi: Elevatio (inquit) manuum mearum sacrificium vespertinum. »

Vers. 2 et 3.

2 et 3. CONCUPISCENTIA SPADONIS DEVIRGINABIT JUVENCULAM: SIC QUI FACIT PER VIM JUDICIUM INIQUUM. — Spectat hæc gnome id quod dixit cap. præced. vers. ult.: « Est judicium quod non probatur esse bonum, » ac alludit ad spadones seu eunuchos, quibus, utpote natura vel arte excisis et impotentibus ad generationem, custodiendæ tradebantur virgines et conjuges: hi enim acti stimulis concupiscentiæ et libidinis, virginibus suæ fidei commissis turpiter abutebantur, eisque florem virginitatis per stuprum adimebant. Dicit ergo: « Uti spadones aliqui impuri, esto vi generandi privati, non tamen omnino vi seminandi aut concupiscendi spoliati, virgines sibi concreditas vitiant: ita judices iniqui, sive privati, sive publici, justitiam (quam veteres ut virginem pingebant) per injustas et violentas sententias vitiant et constuprant. » Unde Tigurina vertit, *qualis est spadonis puellam vitiandi libido, talis est qui per vim exercet judicia*; Syrus *desiderat eunuchus concumbere cum virgine, ita qui facit judicium per vim*. Multi enim spadones peccant per turpia desideria, cum ad actum venereum omnino sint inhabiles et impotentes; sed nonnulli, ut dixi, ad eum aliqua ex parte habiles et potentes sunt.

Justitia pingitur virgo, cur?

Nota: Veteres justitiam pingebant quasi virginem (quam Astræam, quasi Cœlitem vocabant), libram manu una tenentem ad æquilibrium, altera gladium; virginem, ut significarent eam debere esse integram et incorruptam. Libra significabant eam debere jus utriusque partis exacto examine librare, et cuique juris æquilibrium assignare, ut bonis præmia pro meritis, malis pœnas pro demeritis geometrica proportione distribuat. Ense repræsentabant vindictam, quam justitia in reos exercet. Addit Pierius, *Hieroglyph.* 42, cap. LXI, ei appinxisse duas mulieres, quæ captivæ ab ea traherentur: unam quæ fractum ensem manu prætendebat, alteram quæ conto innitebatur, ut duo vitia extrema a justitia domita repræsentarent, ac ex utriusque medio virtutem ipsam astruerent: per fractum scilicet ensem severitatem nimiam retusam cohibitamque intelligentes, per contum lentorem nimium abdicatum, quo judicia plus æquo producebantur. Inde enim dicta cunctatio, quæ retardationem significat. Lenti vero sunt, qui nullo quantumvis atroci scelere concitantur, neque publicis neque privatis injuriis commoventur. Vide Giraldum *De Diis gentium*, syntagm. 1, pag. 28.

Justitiæ effigies.

Hino et Chrysippus apud Gellium, lib. XIV, cap. IV: « Imaginem justitiæ fieri solitam, ait, forma atque filo virginali, aspectu vehementi et formidabili, luminibus oculorum acribus; neque humilem, neque atrocem, sed reverendæ cujusdam tristitiæ dignitate. Ex imaginis autem istius significatione, ait Gellius, intelligi voluit judicem, qui justitiæ antistes est, oportere esse gravem, sanctum, severum, incorruptum, inadulabilem; contraque improbos nocentesque immitem atque inexorabilem, rectumque et arduum ac potentem, vi et majestate æquitatis veritatisque terrificum. » Et Plato, lib. XII *De Legibus*, cap. XXXIV: « Cavere, inquit, pro viribus debet quisquis alium judicaturus est, ne sponte aut invitus supplicium mulctamve falso, et non merito inferat; judicium enim virgo quædam pudica esse dicitur. Pudori autem atque judicio secundum naturam odio mendacium est. »

Significat ergo Siracides violationem justitiæ, utpote virginis integerrimæ, symbolicum esse stuprum, quo et integritas justitiæ, et decor fidei sive fidelitatis turpi et infami scelere corrumpatur. Judicibus enim commissa est tutela justitiæ, sicut eunuchis commissa est custodia virginis, ut eam integram et illibatam conservent. Quare quam indignum contraque omne jus et fas est, a spadone inferri vim virgini sibi commissæ, tam indignum et infame nefas est a judice inferri vim justitiæ sibi concreditæ, ut nocentes absolvat, innocentes damnet et plectat. Quocirca Cicero, lib. I, epist. *ad Atticum*, ait a Clodio injusto judice constupratum esse judicium: « Afflicta, inquit, respublica est empto constupratoque judicio. » Porro idipsum faciunt non tantum judices in tribunali, sed et quique particulares, qui in symbolis et symposiis, aut seorsim cum sociis detrahentibus proximo, ejus acta et mores inique censent, judicant et damnant. Agitur enim hic de correptione. Detractio ergo est constupratio justitiæ, calumnia est stuprum innocentiæ.

Vers. 4.

4. QUAM BONUM EST CORREPTUM MANIFESTARE POENITENTIAM! SIC ENIM EFFUGIES VOLUNTARIUM PECCATUM.

— Præfixit leges corripienti, ut scilicet in veritate et lenitate corripiat; nunc sancit legem ei qui corripitur, videlicet, ut non superbe se excuset, sed humiliter agnoscat culpam, de eaque doleat, ac se pœnitentem ostendat, nimirum ore confitendo in oratione, id est, in deprecatione veniæ, ut dixit vers. 1, ac opere satisfaciendo iis quos offendit vel læsit. « Sic enim effugies voluntarium peccatum. » Per pœnitentiam enim ostendes te lapsum esse per ignorantiam, incogitantiam vel infirmitatem, ac proinde ex parte involuntarium fuisse lapsum; sin impœnitens peccatum tueare, facies illud plane voluntarium, quia ostendes animi obstinationem et destinatam malitiam. *Secundo*, « effugies voluntarium peccatum, » quia per pœnitentiam a peccato voluntarie admisso liberaberis, ejusque culpa et pœna tibi pœnitenti a Deo condonabitur. Hic versus jam deest in Græco et Syro; in Complutensibus tamen ponitur post vers. 8.

Vera Beda in *Proverbiis* : « Initium bonorum, inquit, est confessio malorum. » Quin et Seneca in *Proverb.* : « Proximum, inquit, ad innocentiam locum tenet verecunda peccati confessio. » Nota hic vim pœnitentiæ; nullæ enim sunt tam ferreæ peccati compedes, quibus peccatum peccantem constringat, quas pœnitentia non frangat, et servum peccati non manumittat. Compunctio enim et dolor de peccato in Deum admisso, implicite est summus Dei amor : ob Dei enim amorem dolet de Dei offensa. Amor ergo Dei mensura est ac modulus doloris, et quantum in uno, tantum in utroque est ponderis. Generant enim se mutuo; nam et ex amore dolor, et vicissim ex dolore nascitur amor. Alter alterius fomentum est et incendium, nutrix et parens; si crescit unus, uterque capit augmentum; si ardet alteruter, in ambobus flamma gliscit. Animus amore ebrius eructat dolorem; et dolor vicissim amorem acuit, urit et accendit. Vide de utilitate confessionis et pœnitentiæ S. Gregorium, lib. XVIII *Moral.* cap. XI, et S. Augustinum, et Ambrosium, lib. *De Pœnitentia.* Huc facit illud Hebræorum proverbium : « Negatio peccati duplex peccatum; negatio iniquitatis duplex iniquitas; » ad verbum, « duæ iniquitates sunt, » scilicet, una perpetrata, altera defensa. Dupliciter ergo peccat, duplicatque crimen, qui negat esse crimen quod commisit.

Vers. 5. 5. EST TACENS, QUI INVENITUR SAPIENS; ET EST ODIBILIS, QUI PROCAX EST AD LOQUENDUM. — Respicit tertium e tribus quæ dixit cap. præced. vers. ult., nimirum : « Est tacens, et ipse prudens; » illudque hic multis prosequitur, ac docet aliquando sapientis esse silere, insipientis vero loqui, aliquando vero silere signum esse insipientiæ. Unde Græca breviter et clare sic habent, *est tacens, qui invenitur sapiens; et est odibilis ex multa loquacitate*, id est, ut Tigurina, *est qui tacendo se probet sapientem, et est qui crebra loquacitate sit odiosus*; alii paulo clarius, *est qui tacendo sapiens esse deprehendatur; et est qui multa loquacitate odiosus sit.* S. Chrysostomus in *Psal.* CXL legit : « Qui abundat in sermone, odio habebitur. » Vulgus enim homines loquaces, quasi disertos et facundos, æstimat sapientes; taciturnos vero, quasi indisertos et elingues esse infantes et insipientes. At viri prudentes contrarium de utrisque ferunt judicium : eum enim qui opportune tacet, censent esse sapientem; eum vero qui importune garrit, censent esse insipientem. Nam, ut vertit Syrus, *est qui, quando tacet, cogitat sapiens, q. d.* Est sapiens, qui, dum tacet, cogitat sapienter quid agere, quid loqui, vel silere debeat (quanquam pro *cogitat* videatur legendum *cogitatur*; sic enim habent Græca et Latinus); *et est qui odio habetur in multitudine sermonum suorum.*

Tacens est prudens. Cura

Huc spectant tria proverbia Arabica, *centuria* 1, num. 98, 99 et 100 : « Taciturnitas conciliat suis amorem. Pœnitentia super silentio melior est pœnitentia super sermone (nam nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum, ait Cato). Taciturnitas sapientia est, sed rarus est agens eam. » Et *centuria* 2, num. 52 : « Sæpe silentium est responsum. Dicitur id homini qui solvit delictum suum, absque ut loquatur quidquam, et respondet omittendo responsum. » Sic Menander : « Πολλοῖς, inquit, ἀπόκρισις ἡ σιωπὴ τυγχάνει, » *multis responsum est silentium.* Multorum accusationes et calumniæ manifestam sæpe habent falsitatem, nec responsum aut apologiam merentur; quare ad eorum criminationes silere, sufficienter respondere, et se purgare est. Ita Christus silentio respondit Judæis, accusantibus se de affectato Judææ regno apud Pilatum. Sic « Susanna, *Daniel.* cap. VIII, plus egit tacendo quam si esset locuta. Tacendo enim apud homines locuta est Deo, nec ullum majus judicium suæ castitatis invenit, quam silentium. Conscientia loquebatur ubi vox non audiebatur, nec quærebat pro se hominum judicium, quæ Domini habebat testimonium. Ab illo igitur volebat absolvi, quem sciebat nullo modo posse falli, » ait S. Ambrosius, lib. I *De Offic.* cap. III. Denique : « Gloriosius est injuriam tacendo tolerare, quam respondendo vindicare, » ait Beda in *Proverb.*

Gnomæ Arabum. Græcorum. Hebræorum. Latinorum.

Vers. 6. 6. EST TACENS, NON HABENS SENSUM LOQUELÆ; ET EST TACENS, SCIENS TEMPUS APTUM, — scilicet, ad loquendum. Unde aliqui legunt, *sciens tempus apti sermonis;* alii, *apti temporis, q. d.* Duplex est tacens, unus qui tacet, quia non habet quod sapienter loquatur, quia non est peritus loquendi; alter qui tacet, quia exspectat tempus opportunum loquendi; ille tacens est prudens, hic prudentior. Explicat id quod dixit : « Est tacens qui invenitur sapiens. » Duos enim casus recenset quibus sapiens sapienter tacet, *q. d.* Dixi sapientem opportune tacere. Id autem facit primo, quando non habet quod prudenter loquatur; secundo, quando loquendi non est tempus et opportunitas. Unde Græca habent, *est tacens : non enim habet responsum; et est tacens sciens tempus*; Tigurina, *alius tacet non habens quod*

Silen-

tium stulto est pro sapientia. Gnomæ.

respondeat, et est qui taceat sciens (peritus, gnarus) *temporis* loquendi et tacendi. Huc pertinet illud : « Stultus, si tacet, sapit; » quod Cleanthi tribuit Maximus cap. *De Silentio*. Et illud Senecæ in *Proverbiis* : « Taciturnitas stulto homini pro sapientia est. » Præclarius S. Chrysostomus in *Psal.* CXL : « Tunc, ait, solum loquendum est, quando quæ dicuntur plus prosunt, quam silentium. » Et S. Basilius ad filium spiritalem : « Opportuna verba, inquit, a te procedant, ut dent gratiam audientibus. » Præclare etiam Salomon *Proverb.* XXV, 11 : « Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo. » Ubi Beda : « Hujusmodi verba, inquit, sunt mala, quia de arbore vitæ, hoc est, de Dei sapientia orta; aurea, quia charitatem menti audientium infundunt; in lectis argenteis, quia requiem præstant animabus audientium, et splendore fulgent veritatis. »

Vers. 7.

7. HOMO SAPIENS TACEBIT USQUE AD TEMPUS; LASCIVUS AUTEM ET IMPRUDENS NON SERVABUNT TEMPUS. — Magna sapientia est nosse tempus opportunum loquendi, quod est, cum loqui expedit ædificationi proximorum et gloriæ Dei; insipiens vero tempus opportunum non servat, sed loquitur quolibet tempore, licet importuno, quia quidquid in mentem venit, effutit. Unde Græca habent, *transgredietur tempus;* Tigurina, *homo sapiens tacebit donec opportunum fuerit, nugator autem et insipiens præteribit opportunitatem;* Syrus, *est qui loquitur ubi non convenit ei loqui, et vir sapiens observat tempus, et vir iniquus et arrogans non observat tempus.* Arabicus alia similitudine idipsum significat; sic enim habet, *sicut adeps non comeditur* (comedi nequit) *absque sale: sic verbum, si extra tempus proferatur, q. d.* Sicut adeps sine sale insulsus est, gravatque et laxat stomachum: sic verbum intempestive prolatum insulsum est, grave, molestum et nocivum. Unde Apostolus ait : « Sermo vester semper in gratia sale sit conditus. »

Tempus tacendi et loquendi quando?

Præclare S. Gregorius, III part. *Pastor.* admonit. 15 : « Sapiens, inquit, tacebit usque ad tempus, ut nimirum, cum opportunum considerat, postposita censura silentii, loquendo quæ congruunt, in usum se utilitatis impendat. Et rursum scriptum est : Tempus tacendi, et tempus loquendi. Discrete quippe vicissitudinum pensanda sunt tempora, ne aut, cum restringi lingua debet, per verba inutiliter defluat; aut, cum loqui utiliter potest, semetipsam pigre restringat. Quod bene Psalmista considerans, dicit : Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis. Non enim poni ori suo parietem, sed ostium petit, quod videlicet aperitur et clauditur. Unde et nobis caute discendum est, quatenus os discretum et congruo tempore vox aperiat, et rursum congruo taciturnitas claudat. » Et S. Ambrosius, lib. I *De Officiis*, cap. II: « Quid autem præ cæteris, ait, debemus discere quam tacere, ut possimus loqui, ne prius me vox condemnet mea, quam absolvat aliena? Scriptum est enim : Ex verbis tuis condemnaberis. Quid opus est igitur ut properes periculum suscipere condemnationis loquendo, cum tacendo possis esse tutior? Complures vidi loquendo in peccatum incidisse, vix quemquam tacendo : ideoque tacere nosse quam loqui difficilius est. Scio namque loqui plerosque, cum tacere nesciant. Rarum est tacere quemquam, cum sibi loqui nihil prosit. Sapiens est ergo qui novit tacere. Denique sapientia Dei dixit : Dominus dedit mihi linguam eruditionis, ut sciam quando oporteat sermonem dicere. Merito ergo sapiens, qui a Domino accipit quo tempore sibi loquendum sit. Unde bene ait Scriptura : Homo sapiens tacebit usque ad tempus. Ideo Sancti Domini, qui sciebant quia vox hominis plerumque peccato adjuncta est, et initium erroris humani sermo est hominis, amabant tacere. » Idem, cap. X : « Scio loqui plerosque, cum tacere nesciant. Rarum est tacere quemquam, cum sibi non prosit loqui. Sapiens ut loquatur multa prius considerat quid dicat, aut cui dicat, quo in loco, quo tempore. Est ergo et tacendi et loquendi modus; est etiam in factis modus. Pulchrum est igitur tenere mensuram officii. »

Perfectionis officia.

Sapienter S. Basilius, serm. *De Ascens.*, hanc tacendi et vivendi normam viris perfectionis studiosis præscribit : « Monachum, ait, decet multa intelligere, pauca loqui, oculos habere ad terram dejectos, animum ad cœlum erectum, in tribulatione patientiam habere, spe gaudere, continenter orare, in omnibus gratias agere; non facile credere quæ de altero secus dicantur, nulla prava cupiditate vinctum detineri, injuriæ non meminisse, non malum pro malo reddere, injuriam accipere potius quam facere, non tædio affici in suo instituto, sed dicere : Providebam Dominum in conspectu meo semper; spiritu fervere, Deum toto corde diligere, omnia jussa exsequi, et se inutilem appellare, nil agere causa gloriæ, sed Dei causa duntaxat, ut placeat Deo. » Quocirca eleganter et apposite quidam vir sapiens Religiosum Deo per tria vota desponsum, ejusque officia et mores per avium emblema depingit :

Religiosus sit
- Turtur in oratorio, ut jugiter gemat.
- Philomela in choro, ut devote canat.
- Pelicanus in capitulo, ut seipsum rostro lædat.
- Pavo in dormitorio, ut quiete incedat.
- Grus in locutione, ut dicenda expendat.
- Aquila in schola et studio, ut oculos mentis intendat.
- Columba in itinere, ut lecta meditetur.
- Accipiter in prædicatione, ut Christo prædam rapiat.
- Passer in refectorio, ut communia comedat.

Vers. 8.

8. QUI MULTIS UTITUR VERBIS, LÆDET ANIMAM SUAM : ET QUI POTESTATEM SIBI SUMIT INJUSTE, ODIETUR. — Explicata priore parte vers. 4, nunc explicat posteriorem : « Et est odibilis qui procax

est ad loquendum. » Hujus ergo procacitatis duas species et modos recenset : prior est, cum quis *multis utitur verbis*. Hic « lædet animam suam, » græce βδελυχθήσεται, id est, *abominabilis erit*, tum Deo, tum hominibus ; Syrus, *est qui odio habetur in multitudine sermonum suorum*. Verisimile est Nostrum aliter legisse in Græco ; nam ei adstipulatur Clemens Alexandrinus, lib. II *Pædag.* cap. VI, ubi sic legit : βδελύττεται τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, id est, *abominabilem facit animam suam*. Posterior est, cum quis *potestatem sibi sumit injuste*, cum scilicet sibi quis superbe arrogat præeminentiam, et jus in alios non sibi subditos, ut velit loquendo, docendo, imperando eis dominari. Hic enim ob fastum, injustitiam et tyrannidem odietur. Unde Syrus vertit, *et qui superbit, odio habebitur vita ejus*. Tales sæpe sunt verbosi et multiloqui, qui soli loqui volunt, nec aliis suas interloquendi dant vices, quasi ipsi soli sapiant, velintque omnes docere. Ita Rabanus, et ex eo Glossa Interlin., qui per potestatem accipiunt magisterii dignitatem.

Multiloquus peccat multa : cur ? Causa prima.

Alludit ad *Proverb.* X, 19 : « In multiloquio non deerit peccatum ; qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est ; » Hebr. *in multitudine verborum non cessabit prævaricatio*. Causæ sunt, *prima*, quia nihil tam fluxum et labile est, quam lingua et sermo. Quare ex verbis necessariis multiplicatis labitur ad superflua, ex utilibus ad otiosa, ex veris ad falsa, ex benevolis ad malevola, ex suavibus ad iracunda et rixosa.

Secunda.

Secunda, « quia in multiloquio nequaquam qui exit, sermo trutinatur : hinc imprudenter labitur, » ait S. Ambrosius, lib. I *De Cain et Abel*, cap. IX.

Tertia.

Tertia, quia in multiloquio mens dissipatur in varia, quibus illicitur et inficitur ; unde sui sermonisque curam quam deberet, habere nequit, vel negligit. Hanc dat S. Gregorius, part. III *Pastor.* admonit. 15 : « Admonendi sunt, inquit, multiloquio vacantes, ut vigilanter aspiciant a quanto rectitudinis statu depereant, dum per multiplicia verba dilabuntur. Humana etenim mens aquæ more et circumclusa ad superiora colligitur, quia illud repetit unde descendit ; et relaxata deperit, quia se per infima inutiliter spargit. Quot enim supervacuis verbis a silentii sui censura dissipatur, quasi tot rivis extra se ducitur. Unde et redire interius ad sui cognitionem non sufficit, quia per multiloquium sparsa, a secreto se intimæ considerationis excludit. »

Quarta.

Quarta est, quam subdit ibid. S. Gregorius : « Totam vero se insidiantis hostis vulneribus detegit, quia nulla minutione custodiæ circumcludit. Unde scriptum est : Sicut urbs patens et absque murorum ambitu, ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum. Quia enim murum silentii non habet, patet inimici jaculis civitas mentis ; et, cum se per verba extra semetipsam ejicit, apertam se adversario ostendit, quam tanto ille sine labore superat, quanto et ipsa quæ vincitur, contra semetipsam per multiloquium pugnat. Plerumque autem, quia per quosdam gradus desidiosa mens in lapsum casus impellitur, dum otiosa cavere verba negligimus, ad noxia pervenimus ; ut prius loqui aliena libeat, postmodum detractionibus eorum vitam de quibus loquitur mordeat, ad extremum vero usque ad apertas linguæ contumelias erumpat. Hinc seminantur stimuli, oriuntur rixæ, accenduntur faces odiorum, pax exstinguitur cordium. Unde bene per Salomonem dicitur : Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum. Aquam quippe dimittere, est linguam in fluxum eloquii relaxare. »

Quinta.

Quinta est, quam dat S. Dorotheus, doctr. 24 *De Compunctione*, quia multiloquium exstinguit compunctionem et devotionem : « A multiloquio, inquit, abstine ; hoc enim exstinguit cordi advenientes cogitationes rationales et cœlestes. » Exhalant enim illæ ex corde, et per os apertum evanescunt, sicut calor hypocausti vel furni exhalat et evanescit per ostium apertum. Unde S. Antiochus, homil. 102 *De Silentio* : « Immoderata, inquit, et effrenis verborum prolatio, qua periclitatur mentis tranquillitas, non solum circa operationem spiritualem lentescere facit eam ac desidere, sed et molestissimo dæmoni acediæ mancipat illam ac dedit. Et quemadmodum exæstuantis balnei fores continenter apertæ si sint, intimum calorem ocius efflant et expellunt in ea quæ sunt extrinsecus, ita etiam anima, » etc. Quocirca sapienter monet S. Ambrosius, lib. I *Offic.* cap. III : « Alliga, inquit, sermonem tuum ne luxuriet, ne lasciviat, et multiloquio peccata sibi colligat. Sit restrictior, et ripis suis coerceatur. Cito lutum colligit amnis exundans. »

SECUNDA PARS CAPITIS,

QUA DISCRIMINAT FATUORUM ET SAPIENTUM DICTA, ÆQUE AC FACTA ET DONA.

Vers. 9.

9. EST PROCESSIO IN MALIS VIRO INDISCIPLINATO, ET EST INVENTIO IN DETRIMENTUM. — Processio est processus, profectus, successus, prosperitas ; *in malis*, id est ad mala vergens, quasi dicas : Subinde contingit peccatorem et nequam prosperari, ut omnia ei ex voto fluant ; sed hæc ei tandem cedent in malis, id est, ad mala et noxia. Est Hebraismus et Græcismus : Hebræi enim dicunt בְּרַע *bera*, id est *in malis*, pro לְרַע *lara*, id est *ad malum* ; Græci ἐν ponunt pro εἰς, *in malis* pro *in mala, ad*

mala; simili modo subinde inventio, id est, res inventa, affert detrimentum, *q. d.* Prosperitas affluens quæ videtur esse felicitas, revera non semper est talis, sed ad gravia mala et damna deducit. Hunc esse sensum patet ex Græco, qui sic habet, *est* εὐοδία (minus recte Complutenses legunt, εὐδοκία, id est *beneplacitum*), id est *prosperitas, in malis viro peccatori, et est inventio in diminutionem,* id est, res inventa quæ opes non augeat, sed diminuat; alii, *est lucrum tendens ad egestatem.* Sic prosperitas et evectio Aman cessit ei in malum, quia fuit ei gradus ad furcam et patibulum, *Esther.* VII, 10. Sic prosperitas Jeroboam, Jehu, Achab, omniumque regum Israel, qui ex humili loco evecti sunt ad regnum, cessit eis in malum, quia omnes misere cum tota sobole trucidati sunt, ut patet lib. IV *Reg.* Sic inventio, id est, inventi thesauri inventoribus sæpe cesserunt in detrimentum, quia propter eos a furibus, vel æmulis et avaris occisi sunt; aliis vero cessere in damnum spiritale, quia propter eos animam et salutem æternam perdiderunt. Unde Palacius sic explicat: *Processio,* inquit, vocatur augmentum in opibus aut honoribus, ut illud *Genes.* cap. XXVI, 13: « Ibat Isaac proficiens atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est. » Est igitur sensus: Opum augmentum viro indisciplinato non est censendum in bonis, sed in malis; non enim in bonum ejus est, sed in majoris damnationis cumulum. Et similiter inventio ejus qua temporalia invenit bona, non est in profectum ejus, sed in detrimentum. Quo enim ille plus invenit, et diutius in malo perseverat, eo inventio acrius eum in inferno cremabit.

Secundo, τὸ *in malis* accipi potest proprie, ut sit idem quod *in malitia, in scelere.* Unde Tigurina vertit, *est cum quis scelerosus in malis rebus successum consequitur, et est cum res inventa detrimentum afferat.* Hinc Lyranus hæc connectens cum præcedentibus, referensque ad eum qui potestatem sibi assumit injuste, sic explicat: « Est processio in malis, » qua quis de malo procedit in pejus, sicut ex adverso justus it de virtute in virtutem, illaque est viro indisciplinato: hic enim prius vult esse magister quam discipulus, prius docere quam discere. Et est inventio, qua talis nititur invenire nova in detrimentum sui et aliorum, quia communiter sunt erronea quæ invenit. Hæc Lyranus.

Hæc sententia et sequentes pertinent ad varium et contrarium unius ejusdemque rei successum, ac præsertim ad prosperitatem insipientium, id est pravorum, desinentem in adversitatem et infelicitatem. Unde vers. seq. idem ostendit in donis et beneficiis, vers. 11 in honore et gloria, vers. 12 in rerum comparatione, vers. 13 in gratia verborum et factorum. Quod deinde fusius prosequitur.

Vers. 10. 10. EST DATUM, QUOD NON EST UTILE: ET EST DATUM, CUJUS RETRIBUTIO DUPLEX, — *q. d.* Beneficium alteri præstitum aliquando est inutile; aliquando vero utile, utpote duplicem retributionem recipiens. Inutile est apud homines, cum ingrato confertur; utile, cum grato, qui subinde illud non simpliciter, sed duplici retributione compensat. Inutile est apud Deum, cum malo animo et pravo fine pravisque circumstantiis confertur; utile, cum bono animo, debito fine et circumstantiis impenditur: tunc enim Deus illud *duplici,* id est multiplici, *retributione* remuneratur. Rursum *duplici,* quia in præsenti dat augmentum gratiæ, et donum gloriæ in futuro, aiunt Rabanus et Lyranus. Unde Tigurina vertit, *est munus quod tibi non prosit, et est munus cujus dupla sit compensatio.*

Aliter Palacius: « Datum, » inquit, id est opes, honores et deliciæ, quas Deus dat impio, non sunt ei utiles, siquidem in majorem illi pœnam valebunt. « Datum vero, cujus retributio duplex, » est datum pro quo Deus dans duplicem requirit compensationem. Cum enim Deus hominem dono aliquo egregio afficit, duo petit ab eo, nimirum gratiarum actionem, et commissi peccati pœnitentiam; si utrumque ei donatarius non præstet duplici pœna castigabitur, et ingratitudinis, et doni male collocati.

Vers. 11. 11. EST PROPTER GLORIAM MINORATIO: ET EST QUI AB HUMILITATE LEVABIT CAPUT. — Quod dixit de bono utili, jam dicit de honesto, puta de honore et gloria. Pro *minoratio* Græce est ἐλάττωσις, id est *diminutio, q. d.* Est qui propter gloriam et dignitatem, quam ambitiose assecutus est, vel tyrannice, imperiose, invidiose administravit, minuatur, id est privetur dignitate, opibus, et subinde vita. Minorari ergo est damnum pati, et minoratio est damni passio. Et vicissim est qui ab humilitate, id est ab humili sorte, loco et gradu ob modestiam, humilitatem et virtutes cæteras levat caput, et elevatur ad thronum regium, judiciarium, episcopalem, ac ad alias dignitates. Breviter, *q. d.* Subinde gloriosi minorantur et humiliantur, ac e contrario humiles exaltantur, juxta illud Deiparæ: « Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles, » *Lucæ.* I, 52. Et illud Psaltis, *Psal.* CXII, 7: « Suscitans a terra inopem, et de stercore erigens pauperem, » uti corporaliter erexit Joseph, Saulem, Davidem, etc., spiritaliter S. Antonium, S. Hilarionem, S. Franciscum, etc., ac præ omnibus Virginem Deiparam, atque post eam humilem Michaelem, qui superbum Luciferum sede sua dejecit, eamque Dei dono occupavit. Ita Rabanus. Sic Jobi minoratio et humilitas fuit in duplicatos honores; sed maxime id verum in Christum, qui eo quod « de torrente in via bibet, propterea exaltabit caput, » *Psal.* CIX.

Humilitas exaltat, ambitio deprimit.

Secundo, Tigurina vertit, *est qui se submittat causa gloriæ* (humiles enim qui se subinittunt, ab omnibus amantur, laudantur et exaltantur), *rursumque qui ab humilitate erigat caput.* Vis ergo esse gloriosus? submitte et humilia te; humilitas

enim eriget caput tuum, parietque gloriam præsentem et æternam.

Vers. 12. 12. EST QUI REDIMAT MULTA MODICO PRETIO, ET RESTITUENS (Græce ἀποτινύων, id est exsolvens) EA IN SEPTUPLUM, — *q. d.* Avarus subinde multa parvo pretio et justo minore emit, at postea septuplo plus amittit, sive Deo vindicante hanc ejus avaritiam et injustitiam, sive hominibus rapientibus (omnes enim oderunt avarum, eumque opibus avare reconditis privare student), sive judicibus in pœnam peccati ad id condemnantibus. Septuplo, id est multo amplius; septenarius enim est symbolum multitudinis, plenitudinis et universitatis, ut dixi cap. VII, 3, et *Genes.* cap. IV, vers. 15 et 24. Græce, *est qui multa parvo emat, eademque septuplo persolvat;* uti sæpe fit, cum de re empta moventur lites graves et longæ, quæ longe pluris stant quam res empta. Item, cum res empta, ab hoste vel tyranno invasa, est redimenda; cum ob eluvionem aquis est eximenda, et aggeribus vallanda; cum publica aliqua clade vastatur vel interit. Unde Tigurina, *est qui multa parvo emat, cui septies tanto amplius sit rependendum.* Syrus loco hujus sententiæ hanc habet, *est qui multa mutuo accepit tanquam pauca, et reddet illi* (a quo mutuum ad usuram accipit) *septuplum.* Usurarii enim per usuras iteratas, triplicatas et septuplicatas ab accipiente extorquent septuplum.

Mystice Rabanus : « Multa, inquit, redimit modico pretio, qui per confessionem humilitatis ab omni meretur reatu delicto; et restituit ea septuplum, quando in vitiorum locum copiosum inserit virtutum numerum. Nam, ut ait Apostolus : Ubi abundavit delictum, superabundat et gratia; ut, sicut regnavit peccatum in mortem, ita et gratia regnet per justitiam in vitam æternam per Jesum Christum Dominum nostrum, » *Rom.* cap V, 20. Sic et Lyranus. Verum hic sensus non congruit litteræ, sed potius ei contrariatur, ac proinde vere mysticus sensus esse nequit. Ut enim sit mysticus, debet litterali justa proportione respondere, imo ei inhærere, incumbere, et quasi inædificari, sicut parietes et domus inædificantur fundamentis.

Vers. 13. 13. SAPIENS IN VERBIS SEIPSUM AMABILEM FACIT : GRATIÆ AUTEM FATUORUM EFFUNDENTUR. — « Gratiæ, » id est verba gratiosa, facetiæ, lepores, quibus aliorum gratiam captant. *Secundo*, « gratiæ, » id est beneficia quæ gratis conferunt aliis, ut eorum gratiam sibi concilient: de iis enim in sequenti versu est sermo, *q. d.* Fatui gratiam omnem tam in dictis quam in factis faciunt ἀχαρίστως, id est insulse et ingrate, ideoque eam temere instar aquæ effundunt, ejiciunt et dissipant; perinde ac qui balsamum, oleum aut vinum pretiosum effundit in flumen, aut coram porcis. Unde Tigurina vertit, *lepores stultorum fluxi sunt;* Syrus vero, *sicut si projicias lapidem in avem, avolare facies eam: sic perdes dilectionem amici tui veri, et non invenies eam.* Stulti enim suis leporibus admiscent dicteria et probra quasi lapides, quibus amicos offendunt, omnemque gratiam in odium convertunt.

Præclare S. Chrysostomus in *Psal.* CXL : « Non solum, inquit, oportet tacere et loqui opportune, sed etiam cum magna gratia. Quocirca dicebat Paulus, *Coloss.* cap. IV, vers. 6 : Sermo vester sit semper in gratia sale conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos in unoquoque respondere. » Causam, quasi stimulum subdit, dicens : « Cogita hoc esse membrum, per quod cum Deo colloquimur. Hoc est membrum, per quod imprimis reverendum, et summa veneratione dignum sacrificium suscipimus; » lingua enim excipimus sacram Synaxim. Adde linguæ membrum esse quasi fecialem, qui pacem inter omnes constituat, omnes amore conglutinet, omnes gratia et dulcedine divina imbuat. Hebræorum est proverbium : « Qui infra diligitur, supra diligitur. Si vis amari a Deo in cœlo, præsta te amabilem hominibus in terra; super quemque enim spiritus hominum requiescit, super eum etiam quiescit Spiritus Dei. » Quocirca Dei donum est gratia et amabilitas loquendi et persuadendi. Ita S. Mechtildis loquebatur quasi Angelus. Porro amabilitatis hujus fons et origo est amor et suavitas interna, de qua vere Beda in *Proverbiis* : « Sicut, inquit, plurimi cibi nihil prosunt sine sale, sic omnes virtutes sine charitate. » Charitas enim facit homines benevolos et amabiles in verbis et factis. Id videre est in sanctis et fervidis concionatoribus, ait Palacius, qui concionibus suis amorem populi et venerationem extorquent : cum ex adverso qui impii esse sciuntur, nihil aliud sua eloquentia efficiant, quam verba profundere. Sapiens in loquendo gratiosus.

Qua de causa divine S. Augustinus *De Vita Christiana*, tom. IX, cap. IX : « Tales, ait, convenit esse Dei cultores et servos, mansuetos, graves, prudentes, pios, irreprehensibiles, immaculatos, ut quisquis viderit eos, stupeat et dicat : Hi omnes sunt dii, quorum talis est conversatio. Ita se homo Dei exhibere debet et agere, ut nemo sit qui eum videre non velit, qui eum non audire desideret; nemo eum, cum viderit, non Dei esse filium credat, ut vere in eo propheticum illud impleatur : Fauces plenæ dulcedinis, et totus desiderabilis; » et cap. VI : « Christianus est, qui non nomine tantum, sed et opere in omnibus Christum imitatur, qui sanctus, innocens, incontaminatus, intactus, cujus in pectore malitia non habet locum, cujus in pectore sola pietas consistit et bonitas, qui neminem novit lædere et nocere, sed omnibus opem ferre. »

Vers. 14. 14. DATUS INSIPIENTIS NON ERIT UTILIS TIBI : OCULI ENIM EJUS SEPTEMPLICES SUNT, — *q. d.* Oculi ejus pro uno dato respiciunt et reposcunt septem, vel dona, vel obsequia, quæ sibi rependi vult.

Vers. 15. 15. EXIGUA DABIT, ET MULTA IMPROPERABIT : ET APERTIO ORIS ILLIUS INFLAMMATIO EST. — Explicat

quod dixit: « Gratiæ autem fatuorum effundentur, » quia scilicet ejus datus, id est datum sive donum, non erit utilis accipienti, sed onerosus, *primo*, quia oculi ejus « septemplices, » id est, ut Græce, *multiplices*, sunt, *q. d.* Multis oculorum jactibus, nictibus aliisque modis ostendet se intentum ad lucrum, ut multo plus recipiat quam dederit: loquitur enim de avaro qui unum dat ut septem, id est plura, recipiat; *secundo*, quia « multa improperabit, » scilicet se tibi non merenti, vel ingrato, contulisse tot et tanta numera; « et apertio oris illius inflammatio, » id est ardens cholera, « est, » *q. d.* Aperiendo os dure, aspere, cholerice et iracunde loquetur, quasi efflans fumos et flammas choleræ et arrogantiæ, quibus te uret et cruciabit, ac ad similem choleram iramque accendet. Aliter Jansenius, *q. d.* Avarus, dum aperit os suum, velut flammam emittit, quia longe lateque spargit et prædicat beneficia a se collata, sicuti se flamma longe lateque spargit et diffundit. Unde Græca habent, *aperit os suum velut præco*. Significat ergo a tali non esse accipiendum beneficium, cum potius sit maleficium. Hunc sensum indicant Græca Complutensia, *donum insipientis non erit utile tibi accipienti; similiter autem et invidi* (id est avari, qui sibi et aliis usum opum invidet) *propter necessitatem ejus datum; nam oculi ejus pro uno ad recipiendum multi sunt. Pauca dabit, et multa exprobrabit, et aperiet tanquam præco os suum*; Tigurina, *munus insipientis tibi non proderit acceptum, nec item propter ipsius importunitatem, etc.*; Syrus, *donum stulti non est conforme illi, quia oculi ejus positi sunt ad septuplum retributionis. Parum dat, et multum exprobrat, et aperit os suum, et loquitur quod malum est, et blaterat.*

Vers. 16. 16. HODIE FŒNERATUR QUIS, ET CRAS EXPETIT: ODIBILIS EST HOMO HUJUSMODI. — Quod dixit de dono, nunc dicit de mutuo, *q. d.* Sicut insipiens avarus est et sordidus in dando, sic et in fœnerando, id est mutuando, quia hodie dabit mutuum, et cras, id est illico, illud repetet cum tua ignominia, molestia et damno: avaritia enim non sinit eum diu re sua carere. Quare ut ei dominanti satisfaciat, nec tuam egestatem, nec honestatem, nec amicitiam curabit; sed opportune importune id quod mutuo dedit reposcet, ideoque Deo et hominibus erit odibilis. Unde Tigurina, *mutuum dabit hodie quod cras repetat; invisus Deo simul et hominibus talis est;* et Syrus, *hodie commodat, et cras repetit, et exactio ejus exactio retributionis est; qui tales sunt, Deo et hominibus odibiles sunt.*

Nota: Hebr. נשה *nasa* significat *mutuare*, sive liberaliter, sive cum onere et fœnore, puta usura, id est, mutuare simpliciter et fœnerari, vel dare ad usuram. Quare *fœnerari* in Scriptura subinde non significat dare ad usuram, sed mutuare simpliciter, ut dixi cap. VIII, 15; *Deut.* XV, 6, et alibi. Hinc et Græcum δανείζειν (quo hic utitur Siracides) ambiguum est; nam significat ex æquo, et qui citra usuram dat mutuo, et qui ad usuram.

Usura ex etymo est partus et morsus.

Sed avarus dat ad usuram, quia ubique lucrum captat; unde per eam opes pauperis exsugit velut sanguisuga, donec eum exhauriat et fame enecet. Hinc *fœnus* dicitur Latinis quasi fœtus pecuniæ ex se sterilis; verius quasi funus et interitus pauperum. Græcis dicitur τόκος, id est partus, quia fœnus est quasi pecuniæ partus, sed innaturalis et monstruosus: pecunia enim ex se infrugifera est, nec parere potest fructus, uti parit ager. Hebr. dicitur נשך *nesech*, id est morsus, corrosio, quod silenter censum et substantiam hominis mordeat et corrodat; alii per metathesin a נחש *nachas*, id est serpens, derivant, quod clanculum viscera hominis penetret, illaque erodat; « usura enim non sentitur, donec ita augeatur, ut totam substantiam alicui exhauriat, » ait R. Salomon. Quocirca vere S. Chrysostomus, homil. 5 *in Matthæum*: « Pecunia usurarii, ait, similis est morsui aspidis; percussus enim ab aspide, quasi delectatus, vadit in somnum, et per suavitatem soporis moritur, quia tunc venenum per omnia membra latenter decurrit: sic qui pecuniam sub usura accipit, eo tempore quasi beneficium sentit; sed usura per omnes ejus facultates decurrit, et totum convertit in debitum, id est hominem devorat. »

Vers. 17 et 18. 17 et 18. FATUO NON ERIT AMICUS, ET NON ERIT GRATIA IN BONIS ILLIUS. QUI ENIM EDUNT PANEM ILLIUS, FALSÆ LINGUÆ SUNT. QUOTIES ET QUANTI IRRIDEBUNT EUM? — Dixit de fatuo avaro, nunc loquitur de fatuo prodigo; utrique enim extremo vitio opponitur media sapientis virtus liberalitatis. *Fatuus* enim hic practice intelligitur, puta vitiosus et sceleratus, qualis in dando tam prodigus est quam avarus, præsertim quia insipientes nunc avari sunt, nunc prodigi, juxta illud: « Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt. » Et sæpe qui in pauperes sunt avari, in suos adulatores sunt prodigi. Dicit ergo: Qui fatue sua prodigit per symposia et convivia in gnathones et adulatores, huic non erit verus amicus qui ei gratiam referet, quia sua profundit in parasitos, qui non sunt amici, sed adulatores. Hi ergo qui « panem illius comedunt, sunt falsæ linguæ, » id est, coram et in facie ficte et dolose ei blandiuntur, eumque tanquam liberalem, splendidum, magnificum impense laudant, et ad sidera tollunt; sed post tergum irrident eum tanquam fatuum et prodigum. Quare sicut avarus pro gratia odium, sic prodigus pro gratia non gratiam, sed irrisionem reportat; quis enim non rideat ejus fatuitatem et fatuam prodigalitatem?

Græca hæc habent in prima persona; inducunt enim fatuum prodigum loquentem, sed eodem sensu: *Dicit stultus* (id est, ut Tigurina, *merito dicat stultus*): *Amicus mihi nullus est, nec gratiam e bonis meis colligo. Qui vescuntur pane meo, lingua falsa sunt. Quot irridebunt hunc, et quoties!* Tan-

dem enim prodigi sentiunt se a suis convivis et mensæ asseclis irrideri, ac proinde eos non esse amicos, sed gnathones et assentatores, qui pro gratia irrisionem rependant. Sic et Syrus, *stultus dicit. Non habeo amicum, et non est gratia gratiæ meæ; comedentes panem meum, tanquam saxum durissimum sunt; sed sicut ipse, irridebunt eum.* Causam subdit :

Vers. 19. 19. NEQUE ENIM QUOD HABENDUM ERAT, DIRECTO SENSU DISTRIBUIT : SIMILITER ET QUOD NON ERAT HABENDUM, — *q. d.* Causa profusionis et irrisionis prodigi est, quod non directo sensu, id est, non recta prudentia, judicio et discretione, sed perperam, imprudenter et indiscrete distribuat et profundat in adulatores, id quod ei habendum et retinendum erat, ad honestam familiæ sustentationem et ad futuras necessitates ; quodque simili modo non recte distribuat id « quod non habendum erat, » quod, scilicet, licite retinere non poterat, quia injuste per usuras, dolos vel contractus illicitos partum, ideoque restitutioni obnoxium : illud enim quod suis dominis restituendum erat, prodigus injuste retinet, et prodige consumit. Similiter superflua quæ danda erant pauperibus, ipse in parasitos effundit. Igitur perperam distribuit tam habenda, quam non habenda.

Græca pleraque hunc versum non habent ; Complutenses tamen habent, sed hoc modo, *neque enim ipsum habere in recto sensu accipit, et ipsum non habere similiter indifferens est illi.* Quod Jansenius sic explicat : Significatur, inquit, prodigum non recto judicio accipere id quod ipsum habere contingit, et bonorum suorum possessionem, quia non accipit ad eum usum ad quem habet : et proinde non habere est illi idem atque habere, hoc est, indifferens est illi sive habeat, sive non habeat ; nec magis prodest illi quod habet, quam quod non habet. Juxta quem sensum quod Noster vertit, *non recto sensu distribuit*, videtur accipiendum, non de distributione quæ aliis fit per bonorum erogationem, sed de ea quæ animo fit, et judicio sensus discernente apud se quomodo habitis sit utendum, ut *distribuere* positum sit pro discernere et dijudicare. Id enim fit « recto sensu, » aut, ut græce est, *διαθήκει* ; quæ dictio non prudentiam significat, sed vim illam sentiendi, qua de diversis rebus aliter sentimus, ut visu discernimus colores et distribuimus. Itaque quod habendum erat, non recto sensu distribuit, quia non discernit apud se quomodo et ubi illud sit expendendum, aut quid habendum sit. Et similiter quod non erat habendum, etiam non recto sensu distribuit, quia nec recte judicat, nec discernit quid non sit habendum, sollicitus frequenter pro his quæ habere non oportet, negligens in his quæ habenda essent. Hæc Jansenius.

Habere pro dare. Huic sensui favet versio Tigurina, *neque enim quod habet opinione recta complectitur, et perinde refert ac si nihil haberet.* Verum noster Interpres Græcum *εἴληφε*, id est *accepit*, vertit, *distribuit, dedit* : sic enim sæpe Hebræum לקח *lacach*, id est *accepit*, per metalepsin significat *dedit*, uti ostendi *Ephes.* IV, vers. 8 ; unde vertit, *neque enim quod habendum erat directo sensu distribuit ; similiter et quod non erat habendum.* Quod idem est cum eo quod habet Græcus, *et ipsum non habere similiter indifferens est illi ;* hæc enim verba significant prodigo esse indifferens habere et non habere, hoc est, perinde illi esse quod habet ac quod non habet, quia utroque abutitur, utrumque temere profundit. Quod Noster significat, dicens prodigum abuti tam eo quod habendum et retinendum erat, quam eo quod non habendum et restituendum erat. Unde ex Græco sic aliqui clare vertunt, *nam quod habet, non recta ratione distribuit.* Adde Nostrum in Græco non legisse *τὸ ἀδιάφορον*, id est *indifferens*. Hic sensus plenior est : includit enim priorem Jansenii. Qui enim male, prodige et temere sua distribuit, hic utique prius in mente eadem ita distribuere statuit et decrevit. Sensus ergo plenus est, *q. d.* Prodigus non recto sensu et discretione, in mente sua secernit quid habendum et retinendum, quidque non habendum, sed erogandum sit : ac sicuti in mente sua sine judicio et temere id secernit, sic et temere idem exterius distribuit et dissipat.

Vers. 20. 20. LAPSUS FALSÆ LINGUÆ, QUASI QUI IN PAVIMENTO CADENS : SIC CASUS MALORUM FESTINANTER VENIET. — Quia vers. 18 meminit falsæ linguæ, hinc obiter ejus pœnam et ruinam hic assignat. Linguam falsam vocat mendacem et fallacem, qualis est calumniatorum et assentatorum, de quibus egit vers. 18. Assentatores enim unius solent esse calumniatores alterius, qui prioris inimicus est vel æmulus. Ut enim adulentur uni, a quo convivia et symposia, aliave lucra sperant, detrahunt alteri, quem sciunt ei cui adulantur exosum esse, vel minus gratum. Jam *primo*, Jansenius hunc dat sensum, *q. d.* Lapsus, qui provenit ex fallaci lingua, est quasi qui cadit in pavimento aliquo lapidibus strato. Sicut enim in tali pavimento quis præter exspectationem cadit, ubi non sunt offendicula ulla ; et sicut talis ob duritiem pavimenti graviter se lædit : ita et fallaces homines, dum non putant, graviter cadent, atque lædentur. Unde sequitur : « Sic casus malorum festinanter veniet, » hoc est, sic continget malos subito, et præter eorum exspectationem ruere in multa incommoda. Sic et Palacius : Si vides, inquit, hominem in pavimento plano (ubi non erat offendiculum) cadere, an non miraberis ? ita mirere, quod minister meus labatur lingua sua, me accusans, cum ego eum bene pascam, et meis bonis afficiam. Dic, serve nequam, quæ te ratio, quod offendiculum in bono invenisti, cujus causa me accusasti ? Nonne me vituperans cadis in plano ? nam bona, quæ tibi confero, non merentur eam accusationem, sed potius aut admonitionem, aut certe silentium.

Verum, quia lapsus in pavimento, utpote strato et æquali, ita ut nulli lapides exstent, in quos quis impingat et cadat, rarus est, nec graviter hominem labentem lædit : tantum enim hominem stantem ad pavimentum, in quo stat, pronum vel supinum dejicit ; hinc *secundo* et magis genuine sic exponas, *q. d.* Lapsus linguæ falsæ, id est lapsus fallacis adulatoris et calumniatoris, quo scilicet ipse ob linguam fallacem corruit in graves ærumnas et calamitates, similis est lapsui quo quis ex alto in pavimentum præceps ruit : uterque enim est improvisus, subitus, hominemque totum collidit et conquassat irreparabiliter. Unde sicut lapsus ex alto in imum cito subitoque fit : sic et « casus malorum, » puta impiorum, adulatorum et calumniatorum, festinanter veniet. Hunc sensum exigunt Græca : ὀλίσθημα ἀπὸ ἐδάφους μᾶλλον ἢ ἀπὸ γλώσσης, οὕτω πτῶσις κακῶν κατὰ σπουδὴν ἥξει, id est, *lapsus a pavimento potius quam a lingua, sic casus malorum festinanter veniet.* Hoc est, ut nonnulli clare vertunt, *lapsus de tecto tolerabilior est quam linguæ, adeo ruina malorum celeriter advenit.* Tectum enim vocat pavimentum, quia in Palæstina tecta erant non acuminata (uti apud nos), sed plana, adeoque erant pavimenta, ut in ipsis ambulare, cœnare, imo et per æstatem dormire solerent. Sensus ergo est : Sicut qui labitur a pavimento summo tecti in pavimentum imum domus vel areæ, toto corpore colliditur : sic et lapsus linguæ sæpe totum hominem collidit et evertit, *q. d.* Adulator, mendax et calumniator subito et dure direque corruet, cum minime putat.

Paulo aliter Tigurina ; vertit enim, *casus e lacunari dicto* (Hebr. enim מלשון *millascon*, id est a lingua, idem est quod præ lingua, præ sermone et dicto) *citior est : ita malorum ruina repentina aderit.*

Vers. 21. 21. HOMO ACHARIS (Eusebius Papa in *epist.* superius citata, pro *acharis* legit *ingratus.* Hinc utrumque legit Rabanus hoc modo : *Homo ingratus quasi acharis*) QUASI FABULA VANA, IN ORE INDISCIPLINATORUM ASSIDUA ERIT ; — alii, *assidue erit. Acharis* Græca est vox (unde interpres græcizat, et forte fuit Græcus, uti dixi in procemio), idem significans quod ingratus, sine gratia, injucundus, insuavis, insulsus, molestus. Respicit ad id quod dixit vers. 13 : « Sapiens in verbis seipsum amabilem facit, gratiæ autem fatuorum effundentur. » Gratias enim, sive Charites, effundit acharis. In Græco pulchra est paronomasia : ἄνθρωπος ἄχαρις μῦθος ἀκαίρος, quæ latine plene reddi non potest, *q. d.* Homo importunus est fabula importuna ; ἄχαρις enim est ἀκαίρος, hoc est, homo sine gratia est intempestivus et importunus. Sensus est, *q. d.* Homo sine gratia, insipidus et insipiens, est quasi fabula vana, id est, quasi fabulator (abstractum enim ponitur pro concreto ad emphasin, *q. d.* Homo acharis adeo fabulatione et fabulis pascitur, ut ex iis consutus, adeoque mera fabula esse videatur : sic hominem sceleratum vocamus scelus) vanus, qui non nisi fabulatur, ac fabulas inanes et futiles continuo eructat, quibus auditoribus tædium, indeque sibi odium creat, ut ab omnibus cordatis et prudentibus rejiciatur et explodatur. Fabula enim, sive fabulatio jam dicta, non nisi in ore indisciplinatorum, id est, insipientium et imprudentium, puta nugatorum et fabulonum, grata et jucunda, ideoque assidua et frequens est. Unde Tigurina vertit, *homo illepidus quasi importuna fabula est, cum ore imperito frequentatur ;* alii, *homo insulsus narratio intempestiva, ore indoctorum continuatur.* Hoc enim significat Græcum ἐνδελεχισθήσεται. Unde ἐνδελέχεια vocatur continuatio, assiduitas, perpetuitas, perennitas, et ἐνδελεχισμὸς vocatur continua mobilitas, qualis in anima cognoscitur ; quare animæ quasi genus tribuitur ab Aristotele, lib. I *De Anima*, ubi animam definit *esse actum* (Græce ἐνδελεχισμόν) *corporis organici.*

Aliter Lyranus, *q. d.* Homo acharis et insulsus est quasi fabula, quia in omnium est ore, omnesque de eo quasi insulso fabulantur : insulsi quidem et insipientes insulse eum laudando, sapientes vero sapienter eum velut insulsum ridendo et redarguendo.

Tertio, clare sic vertas et explices : « Homo acharis, » id est hominis acharitis et insulsi, « fabula intempestiva in ore indisciplinatorum assidua erit, » *q. d.* Indisciplinati assidue ad jocum et risum recordabuntur, repetentque fabulam insulsam ab homine insulso prolatam, ut sit antiptosis Hebræa. Hebræi enim casum unum pro alio, puta nominativum pro genitivo ponunt, eo quod careant declinatione et casibus : quare idem nomen inflexum et indeclinatum pro quolibet casu usurpant. Sic Apostolus II *Cor.* cap. VIII, 23 ait : « Sive pro Tito, etc., sive fratres nostri Apostoli, » pro *sive pro fratribus nostris Apostolis.* Similia plura sæpius notavi aliis in locis. Verum quia sic perit elegans paronomasia inter ἄχαρις et ἀκαίρος, quam spectasse videtur Siracides, et quia Noster addit τὸ *quasi*, et quia omnes Interpretes vertunt in nominativo *homo acharis*, hinc ille potius quam ejus fabula hic intelligenda videtur. Unde ex Græco Complutensi vertas masculine, *homo acharis quasi fabula vana, in ore indisciplinatorum assiduus erit.* Quare duo priores sensus veriores sunt, eosque sic connectas et in unum redigas, *q. d.* Homo acharis ob sua insipida et insulsa dicta et facta, est quasi fabula vana et insulsa, quæ omnium indoctorum et insulsorum ore assidue teritur. Insulsi enim gaudent insulsis, fabulones fabulis et fabulonibus, utpote sui similibus. *Acharis* ergo et insulsus est *fabula* insulsa, tum metonymice, quia fabulas insulsas narrat ; tum quia propter eas ipse proprie fit fabula et dicterium hominum, quod ore suo assidue jactant indocti et insulsi, uti dixit Lyranus. Utrumque significat Græcum μῦθος, id est fabula, apologus. Unde Æsopus aliique fabularum et apologorum scip-

Acharis quis et qualis ?

tores vocantur *mythologi*. Sic ergo omnes sensus jam dati eodem redeunt, et in unum conspirant.

Vers. 22. 22. EX ORE FATUI REPROBABITUR PARABOLA : NON ENIM DICIT ILLAM IN TEMPORE SUO. — *Parabolam* vocat gnomen sive sententiam gravem, seriam, acutam et sapientem. Occurrit objectioni. Dicet enim quis : Aliquando fatuus loquitur sententias admodum graves et prudentes : ergo tunc non erit fabula vana, id est fabulator vanus, sed sapientiæ antistes, vel oraculum. Respondet, nihilominus eum esse fabulatorem, quia suo tempore illas non profert : unde intempestiva, importuna et ingrata est ejus narratio, esto aureas sententias narret et proferat. Quare perinde est ac si sus ore sordido gestet, vel effundat auream armillam; hanc enim non ornat, sed dedecorat et conspurcat : est enim porca, id est spurca. Hinc Tigurina vertit, *pronuntiatum ex ore stulti gratiam amittit, quia non profertur in tempore;* Syrus, *in ore stulti impingit verbum, quia non dicit illud in tempore suo.* Alludit ad *Proverb.* XXVI, vers. 7: « Quomodo pulchras frustra habet claudus tibias, sic indecens est in ore stultorum parabola, » *q. d.* Sicut claudo pulchræ tibiæ deformes sunt, quia inæquales eum claudicare faciunt, ideoque eum risui intuentium exponunt: sic pulchra oratio in ore stulti deformis est, quia inæqualis est et claudicat : ipse enim nescit eam aptare et æquare tempori, loco, rebus et personis. Et vers. 9 : « Quomodo si spina nascatur in manu temulenti, sic parabola in ore stultorum, » quia parabola stultorum quasi spina non tantum dedecorat, sed et lædit ac cruentat, tam dicentes quam audientes, dum eos dicteria, scommata et convicia, quæ parabolæ imprudenter et temere quasi ebrii admiscent, in lites, rixas, pugnas et cædes impellunt.

TERTIA PARS CAPITIS.

DE NOXIA VERECUNDIA, PROBRO MENDACII, SAPIENTE VERACE, QUI PER SUAM SAPIENTIAM SESE EVEHIT, GRATIAMQUE INIT MAGNATUM, IDEOQUE IN JUDICIO A MUNERIBUS ABSTINET.

Vers. 23. 23. EST QUI VETATUR PECCARE PRÆ INOPIA, ET IN REQUIE SUA STIMULABITUR. — In requie, id est, cessatione a peccato, « stimulabitur, » id est, cruciabitur, eo quod malam suam voluntatem præ inopia exsequi non possit, *q. d.* Inopia adimit homini facultatem peccandi, at non voluntatem, imo eam magis accendit, quia nitimur in vetitum semper, cupimusque negata. Talis est qui vellet indulgere gulæ et libidini, sed non habet nummos quibus id procuret. Josephus, lib. XII *Antiq.* cap. XIII, et nonnulli Rabbini censuerunt internam voluntatem peccandi, v. g. inebriandi, fornicandi, occidendi, non esse peccatum, nisi in actum externum exeat, ut reipsa homo se inebriet, fornicetur et occidat. Refellit id Siracides, « ac vituperat intentionem voluntatis perversæ, » ait Rabanus, quod scilicet se cruciet in requie et cessatione a peccato. Vide dicta *Roman.* cap. VII, 8, et *Deuter.* cap. V, 21. Unde Tigurina vertit, *est qui peccare impediatur præ inopia, qui seorsim apud se discrucietur.* Hinc vulgare proverbium : « Improbitati nihil deest nisi facultas. »

Græca Complutensia et Romana contrarie legunt, οὐ κατανυγήσεται, id est, *non stimulabitur*, nec compungetur, *q. d.* Est qui vellet peccare, sed prohibetur per inopiam; et tamen de hac mala voluntate peccandi non dolet, nec compungitur. Aut potius, *q. d.* Est qui a peccato prohibetur per inopiam, qui proinde non stimulatur remorsu conscientiæ de peccato admisso, *q. d.* Felix est inopia quæ hominem liberat a peccato, et consequenter a remorsu conscientiæ ob peccatum admissum; quia facit eum impotentem ad peccandum : infelix vero est opulentia, quæ facit hominem potentem ad peccandum, quia dat ei facultatem exsequendi malam voluntatem. Sic Plato asserebat divitem esse infeliciorem paupere, quod pauper solum voluntatem habeat peccandi, dives etiam facultatem. Huic lectioni et sensui favet Syrus; vertit enim, *est qui evadit a peccatis propter egestatem suam; quis est qui fuit justus, et in opibus suis requiescit? q. d.* Pauper per pauperiem evadit peccata in quæ incurrit dives : difficile est enim esse justum simul et divitem : justus enim in Deo, dives in opibus spes et res suas reponit. Verum tollenda est negatio, et affirmative legendum, *stimulabitur*, compungetur, uti legit Noster, cui consentit Tigurina.

Vers. 24. 24. EST QUI PERDET ANIMAM SUAM PRÆ CONFUSIONE, ET AB IMPRUDENTI PERSONA PERDET EAM; PERSONÆ AUTEM ACCEPTIONE PERDET SE. — Gnome hæc taxat nimium et noxium pudorem; *q. d.* Est qui peccat, ideoque « perdet animam suam, » propter nimiam alicujus reverentiam et verecundiam, idque « ab imprudenti persona, » id est, ob imprudentem personam : quia scilicet imprudens, imo demens persona, quam ob potentiam vel auctoritatem reveretur, petit ab eo aliquid illicitum, scilicet aliquid turpe, vel injustum : ne ergo eam offendat, peccat, et offendit Deum. Igitur acceptione personæ perdit se, quia scilicet personam potentis accipit, et reveretur magis quam Deum. Tales

sunt qui in judicio, in persecutione, in lite, etc.; non audent confiteri veritatem, aut ferre æquam sententiam, ne divites et principes offendant. De qualibus ait Christus : « Qui erubuerit me et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua, et Patris, et sanctorum Angelorum, » *Luc.* IX, 26. Græcus de more hic concisus et bimembris est : *Est qui perdet animam suam, et ab acceptione personæ perdet eam.* Vel, ut Complutensis legit : « Ab imprudenti persona perdet eam. » Quod signum est olim utrumque in Græco fuisse, ideoque nostrum Interpretem ex eo utrumque transtulisse. Nec enim inter ἄφρονος, id est *imprudenti*, et λήψεως, id est *acceptione*, est litterarum affinitas ulla, ut pro uno irrepsisse alterum dici possit. Accedit quod Latina lectio plenior sit, ideoque verior; plane enim sententiam absolvit et explet. Græcum tamen de more sequitur Syrus, imo eo concisius vertit, *est qui perdet animam suam verecundia sua, et præ erubescentia perditum it.*

Vers. 25. 25. EST QUI PRÆ CONFUSIONE PROMITTIT AMICO, ET LUCRATUS EST EUM INIMICUM GRATIS,—id est temere, *q. d.* Qui præ pudore (quia scilicet nihil ei negare audet) promittit aliquid amico, quod reipsa præstare non potest, vel non vult, hic temerarius et imprudens est, quia ex amico facit inimicum, cum promissa non solvit. Quare nihil lucratur, nisi amici inimicitiam; qui si non promisisset, et rem suam et amici amicitiam retinuisset. Tigurina, *est qui causa pudoris promittat amico, et eum ultro sibi inimicum suscipiat*; Syrus, *est qui verecundia sua pollicetur proximo suo, et acquirit sibi inimicum gratis.* Quocirca sapienter Phocion Atheniensis dicere solebat, «non magna quidem hominibus promittenda, sed magna facienda esse. » Verum ejus dictum invertunt hodie, qui aureos montes ac Crœsi opes pollicentur hominibus; cum ne γρυ quidem præstent. Phocionis dictum exstat apud Stobæum serm. 1 *De Prudent.* Rursum cum Leosthenes civitatem Atheniensium ad bellum perpulisset, magnificis spebus ad nomen libertatis ac principatus erectam, Phocion illius verba dicebat esse cupressis similia, quæ sublimes cum sint ac pulchræ, fructum non habent. Nihil potuit dici accommodatius in sermonem splendide magnificeque pollicentem, sed infrugiferum, quemadmodum cupressus arbor sublimi compositoque in conum vertice, procul egregium quiddam polliceri videtur; at vix ulla est sterilior. Ita Plutarchus in *Græcor. apophthegm.*

Multa pollicens, pauca dans, similis est cupresso, cur?

Hic est secundus effectus nimiæ et præposteræ verecundiæ, quod scilicet per eam quis vel rogatus, vel ultro, promittat quid amico quod præstare nequeat, eaque ratione amicum offendat, perdatque ejus amicitiam. Priorem enim assignavit vers. præced., scilicet quod perdat animam per offensam Dei, *q. d.* Nimia verecundia offendit Deum pariter et homines, perdit gratiam et amicitiam tam Dei, quam hominum.

Vers. 26. 26. OPPROBRIUM NEQUAM IN HOMINE MENDACIUM, ET IN ORE INDISCIPLINATORUM ASSIDUE ERIT. — A violatione promissi ascendit ad mendacium, quasi a specie ad genus. Docet igitur quantum malum et probrum, quamque infame sit mendacium. Dicit ergo opprobrium nequam, id est, probrum malum, imo pessimum, in homine esse mendacium; et tamen homines indisciplinatos, id est, male institutos, incompositos et dissolutos, illud assidue in ore habere, quia probrum hoc vel non considerant, vel non æstimant. Græce, μῶμος πονηρὸς ἐν ἀνθρώπῳ ψεῦδος, id est, *macula* (vituperium, probrum) *pessima est mendacium in homine, ore indoctorum continuatur;* Tigurina, *perquam malo crimini est homini mendacium, at id ore imperito frequentatur;* Syrus, *malum quodpiam in homine mendacium, et in ore stulti frequens est.*

Hac de causa Aristoteles in *Ethicis*, mendacium servorum esse vitium dixit, ac proinde homine libero et ingenuo esse indignum. Præclare S. Thomas, opusc. *De Eruditione Principum*, mendacium comparat falsæ monetæ, puta denario adulterino, quem omnes aspernantur. Additque : « Qui loquitur mendacium, diaboli figuram gerit et imaginem : hic enim mendax est ab initio. Aliquando ergo auditurus est princeps mendax, qui denarius falsus est, verba illa : Cujus est imago hæc et superscriptio? et cum responsum fuerit : Diaboli; dicetur statim : Reddite ergo quæ sunt diaboli, diabolo. » Quocirca Basilius Imperator Leoni filio, ita præscribit cap. XVI : « Dicere oportebit ea quæ plane scies, aut quæ temporis ratio postulabit; de cæteris omnibus silere satius erit, quam eloqui : nam principem non nisi vera, et opportuna, et magni momenti verba proloqui decet. » S. Basilius, in *Regul. brevior.* Quæst. LXXVI : « Præcise, inquit, dictum est mendacium ex diabolo esse, neque mendacii ulla omnino distinctio adhibita. » Et *epist.* 75, « mendacium ait, esse diaboli fœtum. » Et B. Cæsarius *homil.* 16 : « Quod omnis, inquit, mendax sine maligno spiritu esse non possit, Scriptura testis est : Perdes omnes qui loquuntur mendacium. » Adeo autem Deus mendacium exsecratus est, ut noluerit imagines fingi pingique, *Exodi* cap. XX, 4. Rationem reddit Philo, lib. *De Gigant.* : « Laudatas, inquit, elegantesque artes, picturam atque statuariam, a sua rep. rejecit Moyses, quod veritatem mendaciis vitient, illudentes per oculos animabus facilibus. »

Mendax similis diabolo.

27. POTIOR FUR QUAM ASSIDUITAS VIRI MENDACIS (Tigurina, *quam qui frequentat mendacium*), PERDITIONEM AUTEM AMBO HÆREDITABUNT. — Potior, id est melior, non positive, sed comparative et negative, *q. d.* Minus malus, minus noxius est fur, quam qui assidue mentitur. Unde pœna tam mendacis quam furis erit perditio, id est, interitus et mors, tam præsens quam æterna : licet enim mendacium otiosum et jocosum non sit peccatum mortale, ac proinde non inducat reatum mortis præsentis et æternæ, tamen ex assiduitate mentiendi otiose et jocose, facile quis labitur in men-

Vers. 27.

dacium perniciosum, quo proximo vel famam, vel opes, vel vitam adimit. Quod proinde mortem utramque meretur, juxta illud *Apoc.* XXI, 8: « Idololatris et omnibus mendacibus : pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure, quod est mors secunda. » Hinc pro *potior* Græce est αἱρετώτερον, id est *eligibilius*. Unde Tigurina vertit, *tolerabilior est fur, quam qui frequentat mendacium, cæterum perniciem uterque contrahet* ; alii, *eligibilior est fur, quam qui mendacio assuescit* ; *ambo autem hæredes erunt exitii.* »

Nota : Congrue mendacium comparat furto, tum quia hæc duo jungi solent. Unde illud : « Ostende mihi mendacem, ostendam tibi furem ; » tum quia mendacium est quoddam furtum : furatur enim hominibus veritatem, famam, concordiam, imo opes sæpe et vitam ; tum quia utrumque ignominiosum est et infame.

Mendax pejor fure. Primo. Secundo.

Porro mendax pejor est fure : *primo*, quia fur opes, mendax vero famam, et subinde vitam homini eripit, fama autem præstat opibus ; *secundo*, quia fur ex egestate et fame furatur, *Prov.* VI, 30, mendax autem mentitur ex petulantia et protervia ; *tertio*, quia mendacium turbat integras familias, urbes, respublicas, ac inter eas rixas, cædes et bella internecina et immortalia concitat, quod non facit furtum ; *quarto*, quia esto furtum unum sit pejus mendacio, uno tamen furto pejor est assiduitas mentiendi, et hoc tantum ait Siracides : hæc enim assiduitas multas parit culpas et noxas furto graviores ; *quinto*, furto sæpe additur mendacium, ut furtum tueatur ; hoc ergo, upote duplex peccatum, solo furto est gravius. Unde Syrus vertit, *desiderat* (stultus) *furari et mentiri, et utræque illæ viæ ejus ignominiam comparant* ; *sexto*, furi præter opes cætera fidere potes, mendaci nihil. Sicut enim a verace omnia sunt tuta, ita a mendace nihil, non opes, non honor, non amicitia, non aliud quippiam. Equidem ego facilius feram famulum qui semel furatur, quam qui semper mentitur, ait Palacius.

Tertio.

Vers. 28. 28. MORES HOMINUM MENDACIUM SINE HONORE, ET CONFUSIO ILLORUM CUM IPSIS SINE INTERMISSIONE, — *q. d.* Mos mentiendi facit ut omnes mores et actus mendacis sint sine honore, viles et contemptibiles.

Pro *mores* Græce in singulari est ἦθος, id est mos, vultus, indoles, natura. « ἦθος, ait Quintilianus, lib. VI, uno verbo latine dici non potest : hoc enim omnes mentis habitus continentur. »

Pro *sine honore* Græce est ἀτιμία, id est, inhonoratio, infamia, ignominia. Unde Complutenses vertunt, *mos hominis mendacis ignominia, et confusio ejus cum eo sine intermissione.* Quid enim probrosius quam mendacem haberi ?

Rursum ἦθος Aristoteles, initio lib. II *Ethic.*, deducit ab ἔθος, ac significat id quod homini familiare, proprium, consuetum est ; item domicilium, locum consuetum, natale solum, sedem. Unde Tigurina vertit, *familiaris homini mendaci est ignominia, suumque dedecus comitatur eum assidue* ; alii, *proprium hominis mendacis est infamem esse, et pudor ejus illi adest assidue* ; alii, *sedes et natale solum mendacis est infamia* ; Syrus, *finis hominis mendacis maledictio, et ignominia cum ipso peribit.*

Porro mendaces semel cogniti, inter alias ignominias hanc maxime sibi congruam, meritam et debitam sustinent, ut semper audientibus suspecti sint, et, etiamsi vere dicant, eis tamen fides non habeatur, quia mentiendo sibi fidem abrogarunt. Rursum mendacibus evenit, quod mendacium omnes eorum mores (ut vertit Noster) decoloret, dehonestet et infamet. Sensus enim ejus est, *q. d.* Sæpe fit ut quis mores habeat honestos, dignosque honore, et laudabiles, ac laudetur quod sit justus, prudens, temperans, liberalis, etc. ; attamen hi mores et virtutes insignes penitus jacent, et debito honore carent, si, qui illis præditus est, mendax jure appellari possit : mendaces enim mentiendo offuscant omnes bonos mores et virtutes. Quocirca Indi, ei qui ter mentitus esset, perpetuum indicebant silentium, uti refert Diodorus, lib. III *Biblioth.* cap. X, et Arrianus, lib. III *De Gestis Alexandri.* Addit Philostratus, lib. II *De Vita Apollonii*, tales magistratu exclusos in perpetuum. Eadem fere de Persis memorat Xenophon in *Cyro* lib. III, et Herodotus, lib. I. Plura de turpitudine et probro mendacii vide apud S. Augustinum, lib. *Contra Mendacium*, Climachum *grad.* 12, Dorotheum *doctr.* 9, S. Bernardum, *serm.* 31.

Mendax infamis.

Vers. 29. 29. SAPIENS IN VERBIS PRODUCET SEIPSUM, ET HOMO PRUDENS PLACEBIT MAGNATIS. — Huic versui Græci præmittunt hunc titulum : *Verba parabolarum.* Imitatur enim Siracides Salomonem, qui cap. X, 7, et alibi, eumdem titulum suis parabolis sive proverbiis præfigit. Opponit stulto mendaci sapientem veracem, qui suo sermone vero et prudenti seipsum promovet, ut placeat magnatibus, ab eisque ad honores et regimen exaltetur, uti contigit Josepho, Danieli, Mardochæo, Esdræ, Nehemiæ et aliis. *Producet*, id est, porro ducet, puta ulterius ad majores honores et dignitates ; Græce enim est προάξει, id est, promovebit, provehet. Unde Tigurina vertit, *sapiens seipsum dictis provehet, et vir prudens placebit proceribus.*

Modum et causam promovendi se subjungit dicens : « Et, » id est quia, « homo prudens placebit magnatis, » qui utique agnita ejus sapientia eum promovebunt, ac præficient gubernaculis reipubl. Paulo aliter Syrus, *plenus proverbiis sapientiæ*, inquit, *tanquam parvum monstrat seipsum* (qui enim vere sapiens est, idem in oculis suis parvus est et humilis, ac apud alios parvum et humilem se ostendit), *et servus sapiens dominabitur magnatibus.*

Vers. 30. 30. QUI OPERATUR TERRAM SUAM, INALTABIT (altum faciet) ACERVUM FRUGUM, ET QUI OPERATUR JUSTITIAM, IPSE EXALTABITUR ; QUI VERO PLACET MAGNATIS, EFFU-

GIET INIQUITATEM, — *q. d.* Sicut agricola, strenue colens terram, magnam colligit messem, altumque frugum acervum attollit : sic qui excolit animam suam per opera justa virtutum, magnum colliget meritorum et gloriæ acervum et cumulum, per quem et apud Deum et apud homines exaltabitur. Quocirca qui placere cupit magnatis, ac ab eis exaltari, is omnem injustitiam et iniquitatem fugiat oportet, ac præsertim caveat ne dona accipiat, quibus excæcatus justitiam rectumque judicium pervertat, « quia xenia et dona excæcant oculos judicum, » ut sequitur. Græcus de more concisus et bimembris sic habet, *qui operatur terram, altum faciet acervum suum ; et qui placet magnatis,* ἐξιλάσεται ἀδικίαν, id est, placabit vel expiabit injustitiam. Complutenses addunt *suam,* sed alii delent τὸ *suam.* Sensus est, *q. d.* Sicut qui colit terram, altum colligit frugum acervum : sic qui colit principes, altum apud eos colligit gratiæ et benevolentiæ acervum, quo suas et aliorum in eos offensas placare, illosque principibus reconciliare valet.

Moraliter, monemur hic, seminando bona opera, accumulare altos meritorum acervos, ut per eos acquiramus altos gloriæ thesauros in cœlis ; quanti enim erunt isti, tanti erunt et hi. Altitudo enim gloriæ altitudini gratiæ et meritorum respondebit et adæquabitur, juxta illud : « Quæ (quanta) seminaverit homo, hæc (tanta) et metet, » *Gal.* cap. VI, 8. Et illud de Apostolis : « Euntes ibant et flebant mittentes semina sua ; venientes autem venient cum exsultatione portantes manipulos suos, » *Psal.* CXXV, 7.

Vers. 31. 31. XENIA ET DONA EXCÆCANT OCULOS JUDICUM, ET QUASI MUTUS IN ORE AVERTIT CORREPTIONES EORUM. — Explicat quod dixit : « Qui operatur justitiam, ipse exaltabitur, » *q. d.* Ut opereris justitiam, maxime caveas munera, quia hæc judicium rationis et sententiam judicum ad se inflectunt, itaque a recto detorquent et corrumpunt. Citat *Exod.* XXIII, vers. 8 : « Nec accipias munera, quæ etiam excæcant prudentes, et subvertunt verba justorum. » Vide ibi dicta.

Pro *mutus* Græce est φίμος, quod tam frenum, quam obturationem oris, quæ hominem facit elinguem et mutum, significat. *Mutus in ore* ergo est frenum in ore, vel obturatio oris : hæc enim facit hominem mutum. Est Hebraismus : ponitur enim *cal* pro *hiphil, mutus* pro *mutum faciens,* obturans os ; hoc enim significat φίμος, a φιμόω, id est, *os obturo.* Porro *mutus* a mussando dicitur, quod hic non amplius quam mus dicat. Muti ergo videntur habere murem, quasi frenum, in ore, qui facit eos mutire et mussitare. Quod Latini simili proverbio dicunt : « Bos in lingua. » Olim enim Græci pecuniam bovis simulacro signabant ; unde illa vocabatur Bos. Et : « Argentanginam patitur, » quod Demostheni objectum est, cum diceret se anginam pati, nec posse contra Philippum perorare, quasi argento a Philippo fuisset corruptus. Quocirca aliqui legunt, *et quasi frenum in ore,* rursum *avertit,* id est *avertunt.* Unde S. Hieronymus in cap. III *Michææ* sic legit : « Munera excæcant oculos etiam sapientum, et quasi frenum in ore avertunt increpationes. » Est Hebraismus : Hebræi enim verbum concordant sæpe cum substantivo proximiori, etiamsi ad remotius referendum sit : sic hic *avertit* concordat cum *mutus,* etsi respiciat *xenia et dona.* Sensus est : Xenia et dona sunt quasi frena, quæ faciunt judices cæcos et mutos, ut non audeant corripere et castigare delinquentes, qui ea dederunt. Unde Tigurina vertit, *xenia muneraque occæcant oculos sapientum, et tanquam oris obstructio reprehensiones inhibent ;* Syrus, *largitio et donum offuscant oculos, et obturant os, et cessare faciunt increpationem,* juxta illud : « Injice offam in os canis, ne latret. »

Aliter Dionysius et Lyranus : « Mutus, inquiunt, vocatur species ranæ, quæ a Græcis calamita dicitur, et in os canis latrantis injecta adimit latrandi potentiam, » uti docet Strabo, et ex eo S. Isidorus, lib. XII *Origin.* cap. VI, Vincentius Belluac. *Natur. Hist.* lib. XX, cap. LX, Albertus Magnus lib. XXVI *De Animal.* in *Rana,* qui et addit, si ranæ ossiculus in vas aqua fervens injiciatur, defervescet aqua, nec amplius bulliet : ita quantumcumque ferveat amore justitiæ justæque vindictæ judex, si aurum capiat, defervescet omnis ejus amor et zelus, ac instar calamitæ obmutescet. Alii censent Siracidem alludere ad ranas Seriphias, ab insula Seripho, ubi ranæ mutæ inveniri perhibentur, quasi hi judices ore muneribus obstructo, tanquam ranæ Seriphiæ obmutescant. Et sicut illæ ranæ monstrosæ sunt, quia ut cæteræ non coaxant, sed silent : sic pariter hi judices sunt quasi monstra, quia cum dicendo juri vacare debeant, tamen reticendo potius incumbunt. Id quod dixi de ranis Seriphiis, asserit Plinius lib. VIII, cap. LVIII. Hinc et proverbium apud Suidam, Didymum et alios : *Rana Seriphia,* id est, silens et mutus. Verum φίμος non significat calamitam vel ranam ; sed frenum, capistrum, camum, quo ferarum canumque ora obligantur ne mordeant : fiscellis etiam capistrantur jumenta ne segetes depascantur, quod Græci vocant φιμοῦσθαι. Unde Plinius, lib. XVIII, cap. XIX : « Fiscellis, inquit, capistrari boves oportet, ne germinum tenera præcerpant. » Ergo judices dona accipientes, inquit Palacius, sunt sicut equus et mulus, quorum maxillas munera velut camo et freno constringunt.

Mutus simile ranæ cur ?

Moraliter, disce hic quam judici cavenda sint munera. Quocirca Justinianus Imperator, § *Oportet,* de Mandatis princ. *Auth.* collat. 3, et *Novell.* 25, omne omnino ei vetat munus : « Oportet, inquit, te pure sumentem administrationem, et sine omni suffragio, et præ omnibus aliis mundas servare manus Deo, nobisque et legibus, et nullum contingere lucrum, neque majus, neque minus. » Nam, ut ait S. Nazianzenus in *Distichis* : « Munera

De cavendis muneribus.

faciunt ut sapientes quoque viri hallucinentur; atque ut aves laqueo, sic homines auro capiuntur. » Et inferius : « Auro loquente iners est omnis oratio ; persuadet enim illud, etiamsi nullam vocem edat. » S. Chrysostomus, homil. 64 *in Joannem* : « Gravis, ait, morbus est avaritia, oculos cæcat, et aures obstruit, et quavis bellua sæviores reddit. » Idem censuere Gentiles. Plutarchus, lib. *De Iside* : « Thebis, ait, judicum imagines visuntur absque manibus, et summi judicis oculi connivent, eo quod justitia nec muneribus capiatur, nec hominum vultu flectatur. » Recte Cajetanus et ex eo Delrio, *adag.* 86 : « Munera affectum mutant, inquit, et sic efficiunt, ut, si non speculative, saltem practice videatur accipienti fovenda, vel excusanda, vel toleranda pars a qua munera accipit. Unde Moses *Deuteron.* XVI, vers. 19 : « Non accipies, ait, personam, nec munera, quia munera excæcant oculos sapientum, et mutant verba justorum, » nimirum quantumvis oculatus fueris ut aquila, ut serpens, oculi tui muneribus eruentur. Donum enim tacite eblanditur et elucratur affectum ejus qui illud recipit, ac quasi cor illius non cogitantis suffuratur, illudque donanti alligat et astringit, ut non possit non eum amare, non illi favere, et vicem rependere.

Quocirca Basilius Imperator Constantinopolitanus, *Exhort. ad Leonem filium*, cognomento Philosophum, ita de muneribus sancit cap. XLIII : « Auro et muneribus venales honores et dignitates cave ne habeas, sed eas dignis largire gratis ; qui enim magistratum pretio emit, subjectos illi magistratui multo magis emit, ut muneribus quæ dedit fretus, ipse audacius munera capiat. Proba ergo atque explora prius diligenter, atque ita demum ad honores provehe eos qui sine muneribus ambibunt, si vis a republica omnem sordium et concussionis labem exsulare. Nam qui dat ut magistratum capiat, quæstum sibi a magistratu captat : dat enim ut jus capiendi habeat contra leges, hoc agens, ut nullis legibus teneatur. Qui enim magistratum mercari didicerit, is nunquam munera capere dediscet, et sine muneribus aliquid facere nunquam volet ; te autem concussionis et sordium habebit magistrum, quem debuerat habere vindicem : neque ipse solum munera capiet, sed eos etiam qui sub ipso erunt, munera capere coget. » Breviter, sed nervose, Demosthenes : « Dona principum, inquit, sunt auctoramentum servitutis ; » quos enim donis afficiunt, hos quasi servos sibi mancipant.

Vers. 32. 32. SAPIENTIA ABSCONSA, ET THESAURUS INVISUS (Syrus, *occultus*, hic enim non videtur) : QUÆ UTILITAS IN UTRISQUE ? — S. Hieronymus in cap. II *Sophon.* legit : « Sapientia abscondita, et thesaurus non comparens, quæ utilitas in ambobus ? Ἀφανὴς enim est non comparens, non visus, latens, occultus, obscurus, incognitus.

Respicit ad id quod dixit vers. 29 : « Sapiens in verbis producet seipsum, et homo prudens placebit magnatis. » Ne enim quis otii et quietis amantior, suam sapientiam celet, eaque alios defraudet, addit : « Sapientia absconsa, » etc. Tigurina, *cum sapientia occulitur, aut thesaurus abditur, quid est in utrovis utilitatis ?* Sicut enim thesaurus, licet in se pretiosus, nulli tamen est usui, si sit abditus : ita et sapientia, licet maxima, frustra est, nullumque habet usum, si abscondatur. Quare, sicut thesaurus a natura et Deo datur ad usum, ideoque publicandus et erogandus est, sic et sapientia. Idem docet Christus in parabola talentorum, qua docet Deum exactam exigere rationem talenti bene et cum lucro expensi, ideoque damnare eum qui talentum defodit, vel in sudario ligavit, *Matth.* XXV. Nam, ut recte ait S. Gregorius, I part. *Pastor.* cap. IX : « Pecuniam in sudario ligare, est percepta dona sub otio lenti torporis abscondere. » Si ergo litteratus es, sed solitarius et absconditus, quem doces ? si prædicator, quem ab bonam frugem convertis ? si sapiens, cui consilium præbes ? si sacerdos, cui Sacramenta ministras ? si sanctus, quem ædificas ? si robustus, in cujus utilitatem laboras ? Quocirca Eremitæ in solitudine suos docebant discipulos et advenas, eosque ad sanctitatem efformabant. Item scribebant epistolas et libros, ut iis suam sapientiam proximis communicarent.

In eos qui refugiunt onus prædicandi.

Egregie hoc argumentum tractat S. Gregorius III part. *Pastor.* admonit. 26 : « Admonendi sunt, inquit, qui, cum prædicare utiliter possunt, immoderata tamen humilitate refugiunt, ut ex minori consideratione colligant quantum in majoribus rebus delinquant. Si enim indigentibus proximis ipsi quas habent pecunias absconderent, adjutores procul dubio calamitatis exstitissent. Quo ergo reatu constringantur aspiciant, qui, dum peccantibus fratribus verbum prædicationis subtrahunt, morientibus mentibus vitæ remedia abscondunt. Unde et bene quidam sapiens dicit : Sapientia abscondita et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque ? » Probat idipsum per tres similitudines, dum subdit : « Si populum fames attereret, et occulta frumenta ipsi servarent, auctores procul dubio mortis existerent. Qua itaque plectendi sint pœna considerent, qui, cum fame verbi animæ pereant, ipsi panem perceptæ gratiæ non ministrant. Unde et bene per Salomonem dicitur : Qui abscondit frumenta, *Prov.* XI. maledicetur in populis. Frumenta quippe abscondere, est prædicationis sanctæ apud se verba retinere. In populis autem talis quisque maledicitur, quia in solius culpa silentii pro multorum, quos corrigere potuit, pœna damnatur. Si medicinalis artis minime ignari secandum vulnus cernerent, et tamen secare recusarent, profecto peccatum fraternæ mortis ex solo torpore committerent. Quanta ergo culpa involvantur aspiciant, qui, dum cognoscunt vulnera mentium, curare ea negligunt sectione verborum ! Unde et *Jerem.* bene per Prophetam dicitur : Maledictus qui pro- XXXVIII

hibet gladium suum a sanguine. Gladium quippe a sanguine prohibere, est prædicationis verbum a carnalis vitæ interfectione retinere. » Et paulo inferius : « Audiant quod talentum qui erogare noluit, cum sententia damnationis amisit. Audiant quod Paulus eo se a proximorum sanguine mundum credidit, quo feriendis eorum vitiis non pepercit, dicens : Contestor vos hodierna die, quia mundus sum a sanguine omnium; non enim subterfugi, quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis. Audiant quod voce angelica Joannes admonetur, cum dicitur : Qui audit, dicat : Veni, ut nimirum cui se vox interna insinuat, illuc etiam clamando alios, quo ipse rapitur, trahat, ne clausas fores etiam vocatus inveniat, si vocanti vacuus appropinquat. Audiant quod Isaias, quia a verbi ministerio tacuit, illustratus superno lumine, magna voce pœnitentiæ se ipse reprehendit, dicens : Væ mihi, quia tacui! Audiant quod per Salomonem in illum prædicationis scientia multiplicari promittitur, qui in hoc quod jam obtinuit, torporis vitio non tenetur; ait namque : Anima, quæ benedicit, impinguabitur; et qui inebriat, ipse quoque inebriabitur. Qui enim exterius prædicando benedicit, interioris augmenti pinguedinem recipit; et dum vino eloquii auditorum mentem deebriare non desinit, potu multiplicati muneris deebriatus excrescit. Audiant quod David hoc Deo in munere obtulit, quod prædicationis gratiam quam acceperat non abscondit, dicens : Ecce labia mea non prohibebo; Domine, tu cognovisti, justitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam et salutare tuum dixi. Audiant quod sponsi colloquio ad sponsam dicitur : Quæ habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam, » *Cantic.* cap. VIII. Hac sententia Zozimas persuasit S. Mariæ Ægyptiacæ (ut habet ejus Vita anno Christi 630) ut angelicam vitam, quam in eremo per 47 annos nulli hominum, sed soli Deo et Angelis visa, sancte peregerat, ad aliorum exemplum panderet : « Omnia, inquiebat, quæ circa te sunt edicito, ut Dei magnalia facias manifesta; sapientia enim abscondita et thesaurus occultus, quæ utilitas in utrisque? » Cui sententiæ ipsa obsecuta, omnem vitam suam Zozimæ enarravit, qui deinde eam scripto posteris mandavit : qua proinde tum alii, tum S. Joannes Columbinus Ordinis Jesuatorum institutor, ad Deum conversi sunt.

Matth. XXV. *Actor.* XX. *Apoc.* XXII, 17. *Isai.* VI. *Prov.* XI. *Ps.* LIX.

33. MELIOR EST QUI CELAT INSIPIENTIAM (Syrus, *stultitiam*) SUAM, QUAM HOMO QUI ABSCONDIT SAPIENTIAM SUAM. — Tigurina clare, *potior est homo celans stultitiam suam, quam qui sapientiam suam supprimit.* Insipientia enim sapienter celatur, ne sibi aliisve noceat; sapientia autem sapienter promitur et evulgatur ad aliorum utilitatem et instructionem. Vers. 33

« Porro malum est abscondere sapientiam, ait Palacius, quando Deus aut Superior jubent eam in lucem proferre, aut quando necesse est eam manifestare. Alioqui consultissime sanctissimi illi Eremitæ Dei sapientia pleni, in abditissimas solitudines se conjiciebant. Et plane, si sapientia mea utilis futura est Christianæ reipublicæ, curam Deus habet eam in lucem proferendi. Hoc demum non est silentio prætereundum, hæc verba (ut arbitror) procemium esse dicendorum, quasi vellet Auctor dicere : Sapientiam meam vobis scribo in sequentibus capitibus ; quorsum enim abscondam, cum sapientia absconsa inutilis sit? » Hæc Palacius.

Complutenses hanc sententiam addunt, *melior est exspectatio inevitabilis in inquisitione Domini, quam carens Domino auriga propriæ vitæ*, id est, ut clare Tigurina, *pluris est inevitabilis* (vel necessaria) *sequenti Dominum patientia, quam vitæ propriæ gubernator absque Domino.* Quæ sane in praxi aurea est sententia. Alii, *potior est potentia quæ recusari non potest, ab eo qui quærit Dominum, quam agitator vitæ propriæ sine Domino.* Verum Græca a Romanis correcta, Latina et Syra eam omittunt; unde non habent auctoritatem Scripturæ Canonicæ.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet summe cavendum ab omni peccato, et præsertim a superbia; secundo, vers. 14, depingit mores stulti, eisque opponit mores sapientis; tertio, vers. 23, describit stulti immodestiam in risu, visu, auditu, voce et sermone.

1. Fili, peccasti? non adjicias iterum; sed et de pristinis deprecare ut tibi dimittantur. 2. Quasi a facie colubri fuge peccata : et si accesseris ad illa, suscipient te. 3. Dentes leonis, dentes ejus, interficientes animas hominum. 4. Quasi rhomphæa bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non est sanitas. 5. Objurgatio et injuriæ annullabunt substantiam :

et domus, quæ nimis locuples est, annullabitur superbia : sic substantia superbi eradicabitur. 6. Deprecatio pauperis ex ore usque ad aures ejus perveniet, et judicium festinato adveniet illi. 7. Qui odit correptionem, vestigium est peccatoris : et qui timet Deum, convertetur ad cor suum. 8. Notus a longe potens lingua audaci : et sensatus scit labi se ab ipso. 9. Qui ædificat domum suam impendiis alienis, quasi qui colligit lapides suos in hieme. 10. Stuppa collecta synagoga peccantium, et consummatio illorum flamma ignis. 11. Via peccantium complanata lapidibus, et in fine illorum inferi, et tenebræ, et pœnæ. 12. Qui custodit justitiam, continebit sensum ejus. 13. Consummatio timoris Dei, sapientia et sensus. 14. Non erudietur, qui non est sapiens in bono. 15. Est autem sapientia, quæ abundat in malo : et non est sensus ubi est amaritudo. 16. Scientia sapientis tanquam inundatio abundabit, et consilium illius sicut fons vitæ permanet. 17. Cor fatui quasi vas confractum, et omnem sapientiam non tenebit. 18. Verbum sapiens quodcumque audierit scius, laudabit, et ad se adjiciet : audivit luxuriosus, et displicebit illi, et projiciet illud post dorsum suum. 19. Narratio fatui quasi sarcina in via : nam in labiis sensati invenietur gratia. 20. Os prudentis quæritur in ecclesia, et verba illius cogitabunt in cordibus suis. 21. Tanquam domus exterminata, sic fatuo sapientia : et scientia insensati inenarrabilia verba. 22. Compedes in pedibus, stulto doctrina, et quasi vincula manuum super manum dextram. 23. Fatuus in risu exaltat vocem suam : vir autem sapiens vix tacite ridebit. 24. Ornamentum aureum prudenti doctrina, et quasi brachiale in brachio dextro. 25. Pes fatui facilis in domum proximi, et homo peritus confundetur a persona potentis. 26. Stultus a fenestra respiciet in domum : vir autem eruditus foris stabit. 27. Stultitia hominis auscultare per ostium, et prudens gravabitur contumelia. 28. Labia imprudentium stulta narrabunt : verba autem prudentium, statera ponderabuntur. 29. In ore fatuorum cor illorum, et in corde sapientium os illorum. 30. Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipse animam suam. 31. Susurro coinquinabit animam suam, et in omnibus odietur ; et qui cum eo manserit, odiosus erit : tacitus et sensatus honorabitur.

PRIMA PARS CAPITIS.

Vers. 1. 1. FILI, PECCASTI? NON ADJICIAS ITERUM; SED ET DE PRISTINIS DEPRECARE UT TIBI DIMITTANTUR. — Tigurina, *si peccasti, fili, ne pergas peccare, sed antea acta depreceris.* Dicit, si peccasti, quia, ut habet Arabicum proverbium, *Cent.* 2, num. 57 : « Omissio peccati rectior est, quam exsecutio pœnitentiæ, » *q. d.* Melius est non peccare, quam post peccatum pœnitere : melior est innocentia quam pœnitentia : satius est non habere occasiones pœnitendi, quam pœnitere. Jam sensus est, *q. d.* Post peccatum admissum quasi post vulnus lethale acceptum, duo tibi ad salutem necessaria remedia suggero : prius, ne iteres peccatum; sunt enim multi, qui cum peccatum unum admiserint, quasi jam perdita innocentia et gratia desperantes, proni in omne scelus ruunt, et quasi sues in cœno voluptatum volutantur, uti faciunt meretrices et fornicatores. Hisce ait : « Fili, peccasti? ne adjicias iterum, » tum quia iteratio peccati novum est peccatum, novumque animæ vulnus. Sicut ergo qui unum vulnus accepit, cavet ne accipiat secundum ; ita et qui unum peccatum admisit, caveat ne admittat secundum, tum quia facilius curatur unum peccatum quam duo, tria et plura; sicut facilius curatur unum vulnus quam multa ; tum quia in iteratione peccati est animi protervia et libido, quæ graviter Deum offendit, facitque ut difficilis sit lapsi curatio et culpæ condonatio. Huc facit Hebræorum proverbium : « Præceptum trahit præceptum, et peccatum trahit peccatum, » *q. d.* Una observatio legis, una virtus trahit aliam; sic unum peccatum trahit allicitque ad aliud.

Posterius : « Sed et de pristinis deprecare ut tibi dimittantur, » *q. d.* Non sufficit ad veniam peccati, illud non iterare, vel vitam corrigere,

quasi pœnitentia non sit aliud quam resipiscentia, ut fingit Calvinus et Lutherus; sed insuper opus est dolere de peccato commisso, ejusque veniam humiliter et dolenter deprecari. Ita S. Augustinus, lib. I *De Nupt. et Concup.* cap. XXVI, ubi ex hoc loco docet actum peccati transeuntem post se relinquere reatum, sive maculam permanentem in anima, per quam homo censeatur et sit peccator, ac iræ Dei et gehennæ sit obstrictus et reus. « Nam si a peccando desistere, inquit, hoc esset, non habere peccatum, sufficeret ut hoc nos moneret Scriptura : Fili, peccasti? non adjicias iterum. Non autem sufficit; sed addidit : Et de pristinis deprecare, ut tibi remittantur. Manent ergo, nisi remittantur. Sed quomodo manent, si præterita sunt, nisi quia præterierunt actu, manent reatu? » Hæc S. Augustinus.

Moral. cito peccatori pœnitendum.

Mystice S. Gregorius, IV *Moral.* cap. XIX : « Peccatum, inquit, peccato adjicit, qui male gesta etiam defendit; et noctem illam solitariam non relinquit, qui culpæ suæ tenebris etiam patrocinia defensionis adjungit, » uti fecit Adam suum peccatum excusans, imo retorquens in Deum : « Mulier quam dedisti, inquit, mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi, *Genes.* III, 12, *q. d.* Tu occasionem deliquendi præbuisti, qui mulierem dedisti. » Hæc S. Gregorius.

Moraliter, hic disce post peccatum cito agendam esse pœnitentiam, et post eam cavendum a relapsu, ac constanter persistendum in justitia Deique gratia. Audi S. Gregorium III part. *Pastor.* admonit. 31 : « Admonendi, inquit, qui admissa plangunt, nec tamen deserunt, aut considerare sollicite sciant, quia flendo inaniter mundant, qui vivendo se nequiter inquinant; cum idcirco se lacrymis lavent, ut mundi ad sordes redeant. » Et paulo post : « Sus in volutabro luti cum lavatur, sordidior redditur; et qui admissum plangit, nec tamen deserit, pene graviori culpæ se subjicit, qui et ipsam, quam flendo potuit impetrare veniam, contemnit, et quasi in lutosa aqua semetipsum volvit; quia, dum fletibus suis vitæ munditiam subtrahit, ante Dei oculos sordidas ipsas etiam lacrymas facit. » Quocirca languido a se sanato hoc monitum dat Christus *Joan.* V, 14 : « Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. » De quo S. Cyprianus, lib. *De Disciplina et habitu Virgin.* : « Sospitantis, inquit, Domini verba sunt et docentis, curantis pariter et monentis : Ecce, inquit, sanus factus es, etc., dat vivendi morem, dat innocentiæ legem, postquam contulit sanitatem, nec habenis liberis et solutis vagari postmodum patitur, sed ipsis potius, quibus sanatus fuerat, mancipato, gravius comminatur; quod sit, scilicet, minor culpa deliquisse ante, cum necdum nosses disciplinam Dei; nulla sit venia ultra delinquere, postquam Deum posse cœpisti. » Simile appositum affert S. Fulgentius *De Fide ad Petrum*, cap. III : « Nullus, inquit, hominum debet sub spe misericordiæ Dei in suis diutius remanere peccatis, cum etiam in ipso corpore nemo velit sub spe futuræ salutis diutius ægrotare; tales enim qui ab iniquitatibus suis recedere negligunt, et sibi de eo indulgentiam repromittunt, nonnunquam ita præveniuntur repentino Dei furore, ut nec conversionis tempus, nec beneficium remissionis inveniant. »

Vers. 2. Fuge peccatum quasi colubrum.

2. QUASI A FACIE COLUBBI FUGE PECCATA; ET (id est *quia* : dat enim causam fugæ peccati) SI ACCESSERIS AD ILLA, SUSCIPIENT TE. — Legit Interpres δέξεται, id est *suscipient* : sic quoque legit S. Augustinus in *Speculo;* jam legunt δήξεται, id est *mordebit*: δηξεσθαι enim significat mordere, δέχεσθαι, suscipere. Sed eodem redit sensus, *q, d.* Peccata suscipient te quasi colubri et serpentes suis spiris, ut te mordeant, suumque virus tibi instillent, quo ita lædent animam tuam, ut naturaliter sanari nequeas per te, sed ut saneris opus habeas gratia Dei supernaturali. Tigurina, *tanquam a conspectu serpentis fuge peccatum*; alii, *tanquam serpentem fuge peccatum; nam si accesseris, mordebit te.* Eleganter S. Paulinus Natali X S. Felicis :

> **Ut faciem colubri Salomon peccata timeri**
> **Horrerique monet, dicens armata leonis**
> **Dentibus : et vere, quoniam velut ore ferino**
> **Sæva vorant animam, quam vicerit ægra voluptas.**

Alludit ad serpentem, per quem diabolus Evam ad peccatum pertraxit. Peccatum ergo est quasi serpens et basiliscus, qui visu solo quos aspicit necat; imo serpente ipsoque diabolo est nocentius, adeoque peccatum ex angelo pulcherrimo et felicissimo fecit teterrimum et miserrimum diabolum. Unde Rabanus : « A facie colubri exponit a facie diaboli. Coluber enim ille antiquus, inquit, qui semper colit umbras peccatorum, et regnat in filiis tenebrarum, interitum nostrum sine cessatione desiderat, ideoque nobis suggerit opera facinorosa. » Syrus, *fili mi, multum fuisti fugiens a peccato; si appropinques ad illud, mordebit te.* Per *morsum* hunc intellige omnem noxam, quam animæ infert peccatum, ac præsertim remorsum conscientiæ, juxta illud Dei ad Cain, *Genes.* cap. IV, 7 : « Sin autem male (egeris), statim in foribus peccatum aderit; » Hebr. *accubabit* : « Videlicet more serpentis et canis morosi, inquit noster Delrio, *adagio* 9, qui nec egredi, nec ingredi hominem tranquille sinat, sed importuno latratu semper inquietet, hoc sensu perpetuo tibi tuum peccatum ante pedes, ante oculos observabitur, ut te Deus ad tempus sinat impunitum; ipse peccati morsus, angues, furiæ acriter urgebunt, agitabunt, persequentur; quocumque perges, peccatum te comitabitur, conscientiæ tuæ se oggeret et ingeret, irrequietum malum te conquiescere animo non permittet. »

Huc facit proverbium Hebraicum : « Cogitationes peccati (de peccato admisso) graviores sunt quam peccatum; » quia cogitationes remorden-

tes conscientiam ob peccatum perpetratum gravius eam affligunt et cruciant, quam ipsum peccatum.

Porro S. Chrysostomus, homil., 8 *in Epist. ad Roman.* notat τὸ *si accesseris*. « Non enim, inquit, peccatum ad nos accedit, verum nos ad illud transfugimus. » Additque diabolum inter nos habitare « quasi latronem quemdam et tyrannum, qui, nisi quem apprehenderit inermem ac solitarium, in suas speluncas descendentem, accedere sane non sustinet. » Subdit eum similem esse serpenti : *primo*, quia deorsum ad terram et terrena nos trahere satagit; *secundo*, quia sicut serpens in spinis, sic dæmon in divitiis latitat et se occultat : qui, si spinas incideris, illico aufugiet; *tertio*, sicut serpens incantatur carmine; sic diabolus exorcizatur et fugatur per invocationem nominis Christi, et crucis potentiam. Rursum notant nonnulli τὸ *a facie colubri*. Qui enim sapiens est, non tantum serpentem et colubrum fugit, sed etiam *faciem colubri*, id est, occasionem peccati, et omnem ejus ingressum perhorrescit : qui enim ad occasionem et illecebram peccati accedit, ab ea suscipitur, implicatur et dementatur.

Vers. 3. Et quasi leonem.

3. DENTES LEONIS, DENTES EJUS, INTERFICIENTES ANIMAS HOMINUM. — Tigurina, *dentes leonini sunt dentes ipsius animis hominum exitiales;* Syrus, *sicut dentes leonis est mendacium* (omne enim peccatum vocatur in Scriptura et est *mendacium* practicum, quia contrarium veritati, veroque dictamini rationis, legis et virtutis), et corrumpit animas hominum. Comparavit peccatum serpenti ob virulentiam et clandestinum morsum lethiferum; nunc idem comparat leoni, ob sævitiam et ferociam, qua crudedeliter animam laniat et occidit, tum adimendo gratiam, tum adigendo ad gehennam.

Vers. 4. Et quasi rhomphæam.

4. QUASI RHOMPHÆA BIS ACUTA OMNIS INIQUITAS, PLAGÆ ILLIUS NON EST SANITAS. — Græce ἴασις, id est sanatio, vel remedium et curatio. Pro *bis acuta* Græce est δίστομος, id est anceps, biceps, utrimque scilicet acutus, sive duas habens acies quasi ora, quibus peccatorem secet, mordeat et devoret. Comparavit peccatum leoni et serpenti, nunc comparat rhomphææ, sive gladio utrinque scindenti, *q. d.* Peccatum est quasi gladius acutissimus, qui ipsa ossa dissecat et discindit; sic enim peccatum intima animæ dissecat, ipsamque animam necat et occidit. Tigurina, *instar ancipitis gladii nefas omne est, in plaga illius nulla est sanitas,* vel *contra plagam illius nullum est remedium;* Syrus, *gladius anceps os meretricis, et plagæ illius non est sanatio.* Meretricium enim crebrum est et commune peccatum, adeoque omne peccatum mystica est fornicatio, quia per illud anima desponsata Deo, eo spreto, fornicatur cum creaturis.

Moraliter, disce hic quanta sit noxa peccati. Ipsum enim magis nocet animæ quam basiliscus, quam leo, quam gladius anceps, quia quasi ex duabus partibus scindens animam simul et corpus perforat, occidit, et ad gehennam transmittit. Ita Rabanus. Vide Bellarminum, *De Gemitu columbæ*, sub initium lib. II, ubi pie et erudite ostendit peccatum summum esse malum, summeque injurium et noxium tum Deo, tum homini, tum creaturis cæteris, tum ipsi etiam inferno et damnatis; quia videlicet eorum pœnam adauget : unus enim damnatus affligit et cruciat alium, ideoque dives Epulo rogabat Abraham ut mitteret Lazarum ad fratres suos, ne si et illi damnarentur, per eos augeretur pœna ipsius. Dixit enim petitque hoc non ex charitate eorum, utpote quam non habebat, sed ex amore sui ipsius. Sic et S. Anselmus, lib. *De Similitud.* cap. CI : « Peccando, inquit, non solum iram Dei promeruimus, sed etiam totam creaturam adversum nos excitavimus. Potest ergo nobis justa consideratione terra dicere : Non debeo vos sustinere, sed potius absorbere; quoniam a Creatore meo non timuistis peccando recedere, et inimico ejus, diabolo scilicet, adhærere. Potest etiam cibus dicere et potus : Non meruistis ut vos pascere debeamus; imo potius ut confusionem vobis præparemus : ab illo enim peccando recessistis, per quem nec ales esurit. Sol quoque : Vobis ad salutem non debeo lucere, sed ad vindictam Domini mei, qui est lux lucis et fons luminum, penitus coercere. Sic etiam singulæ quæque creaturæ contra nos possunt surgere irrefragabili ratione. »

Peccatum nocet toti mundo.

Denique peccatum petit jugulum Dei et Christi, adeoque si cor Dei telo quopiam transfigi posset, non alio quam peccato transfigeretur. Peccatum ergo, quantum in se est, Deum e medio tollit. Peccatum est christicidium, imo deicidium. Quocirca tanta est vel unius peccati mortiferi malignitas, tanta in majestatem illam infinitam injuria, ut omnibus Sanctorum, Angelorum et hominum obsequiis, laudibus, cultibus, precibus, humiliationibus, pœnitentiis, afflictionibus ex æquo, et, ut ita dicam, ad æquilibrium justamque æqualitatem, nequeat compensari. Cum igitur nullum remedium nec in terra, nec in cœlo malis nostris medendis, et bonis amissis recuperandis appareret, nec ullus Angelus, aut ulla mens creata quidquam congrui auxilii posset invenire; misericordia divina inauditum, admirabile, ineffabile, incomprehensibile, omnibus sæculis, omnibus Angelis et hominibus obstupescendum excogitavit consilium, nimirum ut Filius Dei, Sapientia genita, per quam facta sunt omnia, naturam nostram sibi copularet, et in ea ac per eam totum genus humanum repararet.

Peccatum est quasi deicidium.

Audite, mortales, audite, peccatores, S. Augustinum, serm. 114 *De Tempore* : « Agnosce, homo, inquit, quantum valeas et quantum debeas; et dum tantam redemptionis tuæ perspicis dignitatem, ipse tibi indicito peccandi pudorem. Ecce pro impio pietas flagellatur, pro stulto sapientia

illuditur, pro mendace veritas necatur, damnatur justitia pro iniquo, misericordia affigitur pro crudeli, pro misero repletur sinceritas aceto, inebriatur felle dulcedo, addicitur innocentia pro reo, moritur vita pro mortuo. Expavit scelus hominum natura rerum; et quem creatura rebellis non agnoscit, eum mundi dominum tremens terra testatur, et cœli Regem sol fugiens confitetur. »

Vers. 5. 5. OBJURGATIO ET INJURIÆ ANNULLABUNT SUBSTANTIAM : DOMUS, QUÆ NIMIS (valde) LOCUPLES EST, ANNULLABITUR SUPERBIA (per superbiam, in pœnam superbiæ superbæque discordiæ et injuriarum); SIC SUBSTANTIA SUPERBI ERADICABITUR. — A genere descendit ad speciem, puta a peccato ad superbiam, quia hæc peccatorum est regina, imo mater, fons et radix. Pro *objurgatio* Græce est καταφληγμός. Unde Rabanus et alii Græcam vocem latinitate donantes, legunt *cataplectatio;* καταπληγμὸς autem est objurgatio superba, severa et acris, horribilis et formidabilis, quæ animos subditorum et servorum concutit, percellit, sternit et stupefacit, redditque quasi attonitos et apoplecticos : καταπλήττω enim est perterreo, injicio pavorem, percello : inde καταπλὴξ vocatur timore perculsus, stolidus, stupefactus, attonitus; et κατάπληξις vocatur pavor, confusio, stupor; unde Lucretius : « Magna, inquit, atque immanis κατάπληξις, velut quæ quasi numen attonitos stupentesque efficiat granditate sua. » Pro *injuria* Græce est ὕβρις, id est, superba violentia, immanior improbitas, contumelia, sævitia, ferocia, procacitas, petulantia, fastus, insolentia, protervia : ὑβρίζω enim est injurius sum, injuriam facio, contumeliose tracto, insolens sum, insulto, abutor, vim infero, stupro, contamino : inde ὑβριστὴρ vocatur injurius, convitiator, stuprator, corruptor, flagitiosus, impotens, insolescens ob copias et potentiam, oppressor, violentus. Sensus ergo est, *q. d.* Herus vel dominus, qui superbe objurgat, injurias infert, et tyrannice tractat suos servos, subditos, cæterosque qui in sua familia vel dominio degunt, hic attenuabit et ad nihilum rediget suam *substantiam* et opes; quia ob nimiam asperitatem, fastum et injurias servos et ministros faciet fugitivos vel fures. Sic Roboam ob superbum et asperum responsum datum decem tribubus Israel, eas a se alienavit, regnumque perdidit, III *Reg.* cap. XII. Id fit justo Dei judicio, qui superbiam et superbos juste opibus, regno et dominio privat et punit. Græcus hic de more brevis et bimembris sic habet, *vehemens objurgatio et contumelia annullabunt susbtantiam : sic domus superbi annullabitur;* Tigurina, *concertationes et injuriæ opes dissipant : similiter domus superbi desolabitur;* alii, *insultatio et contumelia desolant opes : sic et domus superbi ad eremum vel desertum redigetur :* hoc enim est Græcum ἐρημωθήσεται; Syrus, *a mane usque ad vesperam vastat cœnacula, et palatia multa subvertit* vel *eradicat et evellit.* Græcis adaptanda esse Latina censet Jansenius et Franciscus in *Notis* hic, ac proinde delendum esse τὸ *sic substantia superbi eradicabitur.* Verum Romani codices et cæteri plerique constanter id legunt, sensumque per hoc faciunt uberiorem et clariorem.

Vers. 6. 6. DEPRECATIO PAUPERIS EX ORE USQUE AD AURES EJUS PERVENIET, ET JUDICIUM FESTINATO ADVENIET ILLI. — « Ejus, » scilicet Dei (uthabent nonnulli codices), cujus proprium est deprecationes pauperum audire et exaudire. Dat causam cur substantia superborum et violentorum annulletur, quia, scilicet, subditi et pauperes ab eis oppressi clamant ad Deum, Deus autem eos exaudit : unde quasi justus vindex suum in eos judicium cito profert, oppressores puniendo, oppressos liberando. Nota τὸ *ex ore usque ad aures, q. d.* Os pauperum oppressorum quasi vicinum est auribus Dei, ita ut deprecatio ore eorum prolata mox tangat et feriat aures Dei. Oppressio enim pauperum est peccatum clamans in cœlum, quod illico vindictam Dei ciet et extorquet. Unde Tigurina vertit, *ab ore pauperis* vel *afflicti exaudietur precatio, q. d.* Mox ut oratio ore afflictorum prolata fuerit, audietur a Deo; unde subdit : « Judiciumque illius festinato veniet. » Syrus eleganter, *oratio pauperis tanquam ab ore suo ad aurem suam, et ante judicem sæculorum ascendit, q. d.* Os pauperis est os Dei, et vicissim auris Dei est auris pauperis. Quam facile ergo sermo ex ore pauperum ad aures ejusdem ascendit, tam facile quoque et cito ab ore eorum ascendit ad aures Dei, quia Deus ori eorum vicinus est, imo ori eorum insidet, in eoque format precationem qua opem suam invocent, ut invocatus illico eam præstet. Hoc est quod ait Psaltes *Psalm.*. IX, vers. 17. « Desiderium pauperum exaudivit Dominus. » Non enim exspectat Deus pauperem oppressum ad se clamantem ut eum audiat, sed clamorem ejus prævenit, et merum desiderium audit et exaudit.

Vers. 7. 7. QUI ODIT CORREPTIONEM, VESTIGIUM EST PECCATORIS : ET QUI TIMET DEUM, CONVERTETUR AD COR SUUM. — Prosequitur materiam de superbia et peccato, fugaque peccati : magna enim superbia, magnumque peccatum est, odio prosequi corripientem se de peccato. Hoc enim odium signum est animum in peccato esse obfirmatum et obduratum, ut monitiones et monitores non admittat, sed quasi inimicos odiat, respuat et exsecretur. Unde Græce est, *qui odit reprehensionem, in vestigio est peccatoris, q. d.* Inhæret viis et vestigiis peccati et peccatoris, per easque constanter et irrevocabiliter incedit et ingreditur. Tigurina, *qui odit castigationem, in vestigio scelerosi constitit;* Syrus, *qui odit correptionem, vir iniquus.* Noster vero *in vestigio,* legit *vestigium,* alia significatione, sed eodem sensu.

Vestigium tria significat.

Pro quo notandum, quod *vestigium* proprie sit pedis impressio, id est, signum et figura quæ in terra a pede relinquitur, juxta illud Virgilii, lib. III *Georgic.*:

Et gradiens ima verrit vestigia cauda.

Et Plautus in *Cistellar.*: « Video vestigium in pulvere. » Hinc *secundo*, « vestigium » metonymice vocatur ipsa ima pars pedis, quæ vestigium terræ imprimit. Sic Cicero IV *Academ.* ait: « Adversis vestigiis contra nostra vestigia stant Antipodes. » *Tertio*, « vestigium » sumitur pro reliquiis, monumento, indicio; quia vestigium est indicium, et quasi reliquiæ pedis impressi, ex quo vestigamus et conjicimus quis, qualis, et quantus fuerit pes et homo qui illud efformavit. Sic Cicero ait Act. 7 *in Verrem*: « Cujus rei neque index, neque vestigium aliquod. » Et Virgilius, IV *Æneid.*:

...Agnosco veteris vestigia flammæ.

Sic ergo « vestigium » vocatur indicium et nota, quæ rei formam et qualitatem ostendit: et *vestigare* est quærere diligenter, quasi per vestigium indagare: quod a vestigiis, quasi indiciis dictum.

Græcus ergo cum ait, *qui odit correptionem, in vestigio est peccatoris*; sumit « vestigium » proprie in primo significato jam assignato; Noster vero cum vertit, « vestigium est peccatoris, » sumit in tertio significato, *q. d.* Cum quis odit correptionem, idipsum « vestigium, » id est, certum indicium et signum, « est peccatoris, » puta hominis animique plane suis cupidinibus et peccatis affixi. *Peccator* enim significat eum qui habet habitum peccandi, ut peccatis assuetus, iis constanter et pertinaciter adhæreat. Ex adverso: « Qui timet Deum, convertetur ad cor suum; » Tigurina, *at qui reveretur Dominum, resipiscet ex animo*; Syrus, *et qui timet Dominum, pœnitet ex corde suo, q. d.* Peccator correptus odit correptionem: at vero qui timet Deum, si de quopiam delicto corripiatur, ad cor redit, culpam agnoscit, pœnitet, vitamque mutat et corrigit. Igitur « vestigium, » id est, argumentum absoluti et consummati « peccatoris, » est odisse correptionem; nam qui timet Deum, ut corripitur, ad cor suum redit, ut se emendet. Ergo sunt gradus in hac re. Est enim amare correptionem, est pati, est odisse. Primum, est signum prædestinationis, ut ultimum reprobationis. Nota phrasim Hebræam. *Converti ad cor*, est pium esse: ut enim peccando, relicto Deo, qui habitabat in corde, egreditur peccator e corde ad temporalia: ita in justitia vivendo, e temporalibus regredimur ad cor, ubi habitat Deus: ut simus homines interiores, juxta S. Paulum, et ut « omnis decor » noster sit « ab intus, » juxta Davidem, *Psalm.* XLIV, 14. Ita Palacius. Porro Rabanus per *peccatorem* accipit diabolum, *q. d.* « Qui non vult se corrigere a peccatis, et odit correptionem admonitoris, ipse indicium præbet in se nequitiæ sui seductoris, quoniam malignus induravit cor ejus, ne cederet et obaudiret veritati. »

Nec tantum veritati, sed et charitati: nam correptio est instar speculi, quod nobis ostendit maculas, quæ nos deturpant et infamant, ut eas eluamus. Unde Clemens Alexandrinus, lib. I *Pædagog.* cap. IX: « Quemadmodum, inquit, speculum non est malum deformi, eo quod ipsum ostendat qualis sit: ita nec is qui reprehendit, ei male vult qui laborat animo; nec enim ei delicta adjungit, sed ea quæ adsunt peccata ostendit. » Rursum, *correptio* est pharmacum eluens maculas et sanans animæ morbos: qui ergo eam odit, suam sanitatem odit. Unde exclamat S. Bernardus, serm. 42 *in Cantic.*: « Mira perversitas: medicanti irascitur, qui non irascitur sagittanti. » Quin et Psaltes: « Consumetur, inquit, nequitia peccatorum, et diriges justum, » *Psalm.* VII. 10. Ubi D. Chrysostomus: « Infer, inquit, supplicium, et cessare facies a vitio: quemadmodum enim putrefactiones cedunt usturis et sectionibus, ita et a supplicio arcetur improbitas. Qui scinditur et uritur, ita ad sanitatem ingreditur. » Unde Clemens Alexandrinus, lib. I *Pædag.* cap. VIII: « Est, inquit, reprehensio, veluti quædam chirurgia affectionum animæ; medicamentum autem est, probri insimulatio: quæ resolvit affectiones quæ jam occalluerunt, impudicæque ac libidinosæ vitæ sordes expurgat, fastusque ac superbiæ carnes, quæ excreverunt, exæquat. Jam vero admonitio est veluti quædam diæta ægrotantis animæ; quæ sunt sumenda, consulit; et quæ non sunt, prohibet. » Et paulo post: « Benevolentiæ, inquit, non odii, signum est reprehendere: ambo enim probrum objiciunt et amicus et inimicus, sed inimicus quidem irridens, amicus vero benevolens. »

Odiens correptionem odit medicinam.

Moraliter, disce hic proprium timentis Deum esse crebro introverti, et a rebus externis converti ad cor, ut ibi internum animæ suæ statum, sensusque et affectus omnes examinet, corrigat et componat ad legem et voluntatem Dei. Quocirca virum bonum et sapientem ita pingit Ausonius S. Paulini magister, *Idyllio* 16:

Sancti crebro redeunt ad cor.

Vir bonus et sapiens (qualem vix repperit unum
Millibus e multis hominum consultus Apollo),
Judex ipse sui, totum se explorat ad unguem.
Quid proceres, vanique ferat quid opinio vulgi,
Securus, mundi instar habens, teres atque rotundus:
Externæ ne quid labis per levia sidat,
Cogitat, et justo trutinæ se examine pensat,
Ne quid hiet, ne quid protuberet, angulus æquis
Partibus ut coeat, nil ut deliret amussis.

Et mox:

Non prius in dulcem declinat lumina somnum,
Omnia quam longi reputaverit acta diei:
Quæ prætergressus, quid gestum in tempore, quid non;
Cur isti facto decus abfuit, aut ratio illi;
Cur aliquem fracta persensit mente dolorem, etc.

8. NOTUS A LONGE POTENS LINGUA AUDACI: ET SENSATUS SCIT LABI SE AB IPSO, — *q. d.* Qui « potens » est « lingua audaci, » id est, qui pollet audacia dicendi, **Vers. 8.**

hic « longe » lateque « notus » est, celebris et famosus : plebs enim et rude vulgus miratur ejus in dicendo audaciam et facundiam; at vir prudens et « sensatus » deprehendit, scitque ipsum multa falsa et temeraria audacter effutire, seque, si ei credat et adhærat, « ab ipso labi, » id est, falli et decipi, ac ruere in multa incommoda et pericula, v. g. litium, rixarum, seditionum, carcerum, ut bonorum et vitæ discrimen incurrat : quare ei non credit, ac sibi ac ejus consortio cavet. Hæc quoque spectant ad superbos et superbiam : ipsa enim est mater audaciæ, facitque linguam audacem et effrenem.

Græca de more concisa sic habent, *notus a longe potens in lingua : sensatus autem novit cum ille labitur;* Tigurina, *potens procul ex sermone notus est : at qui sapit, caducum* (qui facile in errorem labatur et cadat) *esse meminit;* Syrus vero de sensato tantum sic habet, *sapiens e regione* (ex intuitu et aspectu) *oculorum suorum dignoscitur, et scrutatur in momento iniquum.* Hinc disce audaces et effrenes in loquendo esse insipientes, sapientes vero esse modestos et cautos, ideoque facile audacium insipientiam et falsitatem deprehendere et arguere.

Aliter Palacius, qui τὸ *scit labi* accipit pro *novit elabi,* ideoque sic explicat, *q. d.* Qui linguam audacem habet, sit tibi non prope, sed a longe notus; et si tibi appropiaverit, si sensatus es, elabere ab illo : cum enim ille linguam ardentem habeat, aduret te, nisi elabaris; et cum linguam venenatam afferat, effundet in te virus suum; cum linguam peste infectam adducat, pestis contagio te inficiet. Tu ergo cordate effugies illum, non eum offendendo, ne in te virus evomat; sed causas afferendo idoneas, cur ab eo mature discedas. Verum priorem sensum exposcunt Græca, et τὸ *scit se labi.* Sic enim habet Latina versio, non autem *scit labi,* id est elabi.

Vers. 9. 9. QUI ÆDIFICAT DOMUM SUAM IMPENDIIS ALIENIS, QUASI QUI COLLIGIT LAPIDES SUOS IN HIEME. — Ex prima specie peccati, puta superbia, descendit ad secundam ex illa manantem, puta injustitiam. Solent enim divites superbi per injustas angarias, exactiones et oppressiones pauperum augere suas opes et domos, *q. d.* « Qui ædificat domum suam, » non suo sumptu, sed alieno, puta injuste, per vim, fraudem, aliamve injustitiam ab aliis extorto vel rapto; hic similis est homini, qui ædificaturus colligit lapides ad fabricandum in hieme, Græce εἰς χειμῶνα, id est, in hiemem, vel ad hiemem : ut scilicet in hieme ædificet, tempore nimirum importuno. In hieme enim ob frigus calx conglaciatur, aut ob humorem dissolvitur; quo fit ut lateres et lapides inter se non satis firmiter conglutinet : qua de causa hiemalia ædificia rimas agunt, et facile corruunt, nec diu durant. Simili enim modo facultates alienæ nunquam inter se cohærent, et in unam rem coeunt; sed solutæ et dissectæ ruunt. Quare qui ex alieno vel rapto ædificat domum, illa diu non fruetur; sed vel ipse cito morietur, vel domus corruet aut ad alium transferetur, ulciscente sic Numine ejus injustitiam, ut in domo quam fabricando peccavit, in eadem et puniatur. Hæc enim est congrua talionis pœna. Complutenses pro εἰς χειμῶνα, habent εἰς χῶμα ταφῆς αὐτοῦ, id est *in tumulum sepulturæ suæ, q. d.* Qui ex alieno ædificat domum, non tam domum quam tumulum et sepulcrum sibi ædificat; quia in illa brevi morietur et sepelietur. Sic et Tigurina, *qui ære alieno domum suam ædificat, congerenti lapides in tumulum sepulturæ suæ similis est;* et Syrus, *qui ædificat domum suam facultatibus sociorum, congregat lapides tumulo suo;* ut facultates hæ quasi lapides in tumulum coacervati, mole sua ipsum opprimant et sepeliant; quia, scilicet, domino suo interitus sunt causa, et celeriorem mortem ipsi conciliant.

Alludit, imo citat illud *Jerem.* XXII, 13, de Joakim rege impio : « Væ qui edificat domum suam in injustitia, et cœnacula sua non in judicio : amicum suum opprimet frustra, et mercedem ejus non reddet ei. » Unde pœnam sepulcri jam dicti ipsi intentat vers. 19, dicens : « Sepultura asini sepelietur, putrefactus et projectus extra portas Jerusalem. » Jeremiam secutus Habacuc cap. II, vers. 9 : « Væ, inquit, qui congregat avaritiam malam domui suæ, etc. Væ qui ædificat civitatem in sanguinibus, et præparat urbem in iniquitate. » Vide utrobique dicta.

Aliter Palacius : Tempore hiemali, inquit, non sunt lapides colligendi, sed ligna contra frigus. Si igitur in hieme colligas lapides, stultus eris; qui non ligna quibus calescas, sed lapides sine utilitate collegisti : ita si ære alieno domum ædificas in qua habites, stultus eris; non enim in ea habitabis, sed potius a creditoribus inde expelleris. Verum priorem sensum exposcunt Græca.

Mystice idem Palacius : Cum, Domino dicente, temporalia nostra plane non sint, sed aliena (« si in alieno, inquit Dominus *Lucæ* XVI, 12, fideles non fuistis : quod vestrum est, quis dabit vobis? ») qui ex temporalibus domum suæ conversationis ædificat in terris, plane stultus est. Cum enim habitare hic voluerit, inde pelletur.

10. STUPPA COLLECTA SYNAGOGA PECCANTIUM, ET CONSUMMATIO ILLORUM FLAMMA IGNIS. — Complutenses addunt *in perditionem.* Culpæ assignat pœnam, *q. d.* Putant potentes et superbi se esse insuperabiles, invictos et quasi omnipotentes; at revera omnis eorum « synagoga, » id est, cœtus et multitudo, fragilis est, instar stuppæ collectæ. Sicut enim stuppa illico ab igne vicino corripitur conflagratque, et quo major est stuppa, eo facilius magisque ignis inflammatur : ita pariter ignis vindictæ divinæ facillime corripiet et consumet omnes peccantes, eoque facilius et ardentius, quo major fuerit eorum sygnagoga et multitudo. Hæc enim non est aliud quam « stuppa collecta » id est, fomentum et pabulum iræ et indignationis divinæ, æque ac ignis conflagrationis orbis in fine mundi,

ac judicii divini et gehennæ, juxta illud *Malach.* IV, 1 : « Et erunt omnes superbi, et omnes facientes iniquitatem stipula : et inflammabit eos dies veniens. » Unde in Græco est elegans paronomasia inter συνηγμένον, id est, collecta, in unum coacta ; et συναγωγή, id est, synagoga, cœtus, congregatio, *q. d.* Impiorum synagoga non est aliud nisi stuppa coacta ad ignem, nisi synagoga, id est congregatio, ignis.

Nota : « Consummatio » *primo*, idem est quod *consumptio*, *q. d.* « Consumptio illorum » erit « flamma ignis, » hoc est, flamma ignis consumet eos. *Secundo*, « consummatio, » id est finis, « illorum » erit « flamma ignis ; » hoc innuit Græcum συντέλεια : nam τέλος est finis. Porro, ignis hic consumens impios est quintuplex. *Primo*, ignis indignationis Dei. *Secundo*, vindictæ, qua Deus impios igne, id est, peste, fame, gladio (*ignis* enim significat omnem acrem vindictam, omneque ejus instrumentum) perdit in hac vita. *Tertio*, ignis conflagrationis mundi : hic enim superbos cum eorum domibus et opibus comburet. *Quarto*, ignis acerrimi judicii divini, quo Christus scrutabitur, damnabit et percellet improbos in ultimo die mundi, de quo ait *Daniel.* VII, 10 : « Fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie ejus. » *Quinto*, erit ignis gehennæ, de quo vers. seq. Unde Complutenses addunt, *in perditionem ;* et Tigurina, *stuppa collecta cœtus est nefariorum, flammaque ignis exitialis eorum exitus.* Ex quo infert Palacius, impios in gehenna non esse solutos, ut libere vagentur, sed esse colligatos in fascem, ut ait Isaias cap. XXIV, 22. Hoc enim significat « stuppa collecta, » scilicet, eos collectos, vinctos jacere, et velut stuppam constipatam comburi, juxta parabolam zizaniorum, de quibus ait Christus : « Alligate ea in fasciculos ad comburendum, » *Matth.* XIII, 30. Denique hæc erit impiorum « consummatio, » id est finis, sed sine fine. Eorum enim finis erit perpetuum incendium, et perennis flamma ignis, quæ ex eorum corporibus velut titionibus sursum ascendet, ait Palacius.

Ignis impiorum quintuplex.

Impii colligati in gehenna.

Moraliter, discant hic peccatores, evanidas esse suas vires, opes, conspirationes, fœdera, quibus fidem vel justitiam opprimere satagunt, adeoque ea non esse aliud quam stuppam collectam ad ingens incendium. Ex adverso justi et pii qui ab eis vexantur vel opprimuntur, nil eos formident, certique sint eos brevi, ut stuppam igne vindictæ divinæ conflagrandos. Unde Rabanus : « Comparat, inquit, rei fragili peccatorum synagogam, ut ostendat ejus vilitatem et velocissimum interitum : quia sicut stuppæ collectio igne adhibito facile conflagrat, ita peccatorum cœtus in futura vindicta sine mora disperiet. »

Vers. 11. 11. VIA PECCANTIUM COMPLANATA LAPIDIBUS, ET IN FINE ILLORUM INFERI, ET TENEBRÆ, ET POENÆ. — Græce, *in fine illorum fovea inferni*, *q. d.* Via concupiscentiæ per quam incedunt peccatores, initio videtur concinna, pulchra, amœna et jucunda, perinde ac si lapidibus planis esset strata et complanata : at postmodum apparet aspera, tristis et horrida ; nam finis ejus deducit et desinit in infernum, ubi sunt tenebræ densissimæ et pœnæ atrocissimæ. Sicut ex adverso via virtutis per quam incedunt justi, initio est aspera et stricta ; sed progredientibus in ea paulatim fit laxior, facilior et amœnior, ac tandem eos deducit ad beatitudinem et gloriam æternam. Alludit ad *Prov.* XIV, 12 : « Est via, quæ videtur homini recta : novissima autem ejus deducunt ad mortem. » Hoc est quod ait Christus *Matth.* VII, 13 : « Spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta, et arcta via est, quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam ! » Idem repræsentabat Pythagoras per suum Ypsilon, de quo exstat elegans epigramma Virgilii :

Symbolum Pythagoræ de via virtutis et vitii.

Littera Pythagoræ discrimine secta bicorni,
Humanæ vitæ speciem præferre videtur.
Nam via virtutis dextrum petit ardua callem,
Difficilemque aditum primum spectantibus offert,
Sed requiem præbet fessis in vertice summo.
Molle ostentat iter via lata ; sed ultima meta
Præcipitat captos, volvitque per ardua saxa.

Syrus hunc versum et præced. hoc uno exprimit, *sicut ascensus arenæ pedibus viri senis* (alia lectio habet *duri, asperi*) ; *ita robur iniquorum juxta ignem, et semita impii offendiculum est illi ; quia finis ejus fovea profunda est*, *q. d.* Sicut ascensus arenæ initio mollis et facilis est, sed quo altius per eam ascendit senex, eo fit ei difficilior, quia arena in cumulum assurgens ascendenti fit profundior, ita ut tandem non tantum pedem, sed et reliquum corpus sorbeat, et in voraginem sive abyssum arenæ demergat : ita plane via impiorum initio facilis, sensim fit difficilior, ac tandem in abyssum ignis æterni eos demergit : quare semita impii fit ei offendiculum, quia finis ejus est fovea inferni.

Vers. 12 et 13. 12 et 13. QUI CUSTODIT JUSTITIAM, CONTINEBIT SENSUM EJUS. CONSUMMATIO TIMORIS DEI, SAPIENTIA ET SENSUS. — Complutenses, *sapientiæ assumptio*. *Justitiam* vocat observationem legis, hæc enim facit hominem justum ; *sensum* vocat mentem et sententiam. Unde Græca habent, *qui custodit legem, tenet ἔννόημα*, id est, *cogitationem, notionem, intellectum, sensum ejus*, *q. d.* Qui observat legem, hic assequitur legis intelligentiam, hic percipit ac perspicit legis mentem et sensum, ut videat quid lex jubeat et velit, ejusque finem et causam, æque ac sapientiam et ordinem, scilicet, quam id quod Deus lege sua præcipit et sanxit, sit æquum, justum, sanctum ; quam sapienter ordinatum ad suum finem, quam justa de causa sancitum. Lex enim Dei non tam speculando quam practicando discitur et intelligitur, uti docet S. Bernardus, *epist.* 108 : « Quam utique scientiam, inquit, haud facile nisi qui mundo crucifixus erit, apprehendit. Falleris, fili, falleris,

si te putas invenire apud mundi magistros, quam soli discipuli, id est mundi contemptores, Dei munere assequuntur. Nec enim hanc lectio docet, sed unctio; non littera, sed spiritus; non eruditio, sed exercitatio in mandatis Domini. Seminate, inquit Osee x, 12, vobis in justitia, metite spem vitæ, illuminate vobis lumen scientiæ. Vides, quia non recte proditur ad lumen scientiæ, nisi justitiæ germen præcedat ad animam : ex quo formetur granum vitæ, et non palea gloriæ. »

Osee x, 12.

Ex quo recte infert Siracides : « Consummatio timoris Dei, sapientia et sensus, » *q. d.* Perfectio timoris Dei, quæ consistit in perfecta observatione legis Dei, parit veram sapientiam et intelligentiam, adeoque ipsa est vera sapientia et intelligentia. Vere enim sapiens et intelligens est, non qui alta speculatur, sed qui timet Deum, ejusque mandata opere exsequitur. Unde Tigurina vertit, *finis religionis Domini est accessio sapientiæ*, id est, ad sapientiam; Syrus, *qui timet Deum, nulliius rei indigebit*. Quare sapientis et sapientiæ est timere Deum, ut nulla re indigeat, sed Deus ei de omnibus abunde provideat. Rursum *sensus justitiæ*, inquit Palacius, est quædam lux intellectualis a Deo homini pio infusa, qua acute, intime, affectuose et amanter divinam legem intelligit, Deique justitiam penetrat et amat. Ait ergo Auctor : Qui custodit justitiam, assequitur illum sensum ejus, quo viri docti et pii non destituuntur. Unde egregie infert : Perfectus et consummatus timor Dei socios habet *sapientiam*, id est, divinam in affectu dilectionem; et *sensum*, id est, divinam in intellectu lucem. Hanc lucem, hunc sensum, hanc Spiritus Sancti doctrinam non accipiet qui non est sapiens in bono. Beatus enim ille est, quem tu erudieris, Domine: is non est sapiens in malo, sed sapiens in bono.

Nota : Pro *continebit sensum ejus*, Græce est κρατεῖ (vel, ut alii legunt, καταχρατεῖ) τοῦ ἐννοήματος αὐτοῦ, ubi si per spiritum lenem legas αὐτῶ, significat *ejus;* sin per asperum αὑτοῦ, significat *suum*, itaque legunt plerique. Unde Complutenses vertunt, *qui custodit legem Domini, dominatur cogitationi suæ;* Romana, *continet sensum suum*; Tigurina, *qui servat legem Domini, cogitationibus suis imperat*; Syrus, *qui custodit legem, subigit* (vel affligit) *appetitum suum*. Lex enim refrenat motus inordinatos appetitus et concupiscentiæ, eosque ordinat et componit. Quare qui legem Dei observare satagit, appetitus suos domet, legique Dei subjiciat.

SECUNDA PARS CAPITIS,

QUA OPPONIT MORES STULTI MORIBUS SAPIENTIS.

Vers. 14 et 15.

14 et 15. NON ERUDIETUR, QUI NON EST SAPIENS IN BONO. EST AUTEM SAPIENTIA (ita Romana et Græca : perperam ergo aliqui contrarie legunt, *insipientia*), QUÆ ABUNDAT IN MALO : ET NON EST SENSUS UBI EST AMARITUDO. — Græcus de more brevis et bimembris sic habet, *non erudietur qui non est astutus : est enim astutia multiplicans acerbitatem*, puta malitiam; Tigurina, *qui non est callidus non patietur eruditi se : est autem cum et calliditas amaritudinem multiplicat*. Distinguit duplicem πανουργίαν, id est, astutiam, calliditatem et sapientiam. Unam in bono quæ vera est, alteram in malo quæ adumbrata, ficta et falsa est, *q. d.* Astutia et sapientia vera consistit in observatione legis Dei, uti dixi vers. præced. Quocirca ea non erudietur, nec ejus est capax qui non est πανοῦργος, id est, astutus et sapiens in bono, qui scilicet non sapit, non amat, non operatur bonum. Est enim quædam πανουργία, id est, astutia et sapientia, « quæ abundat in malo, » ut scilicet mala multa astute moliatur et perpetret, juxta illud *Jerem.* IV, 22: « Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem agere nescierunt. » Hæc non est vera sapientia, nec verus sensus, veraque prudentia; « et, » id est quia, « non est » verus « sensus, » id est, vera sapientia, intelligentia et prudentia, « ubi est amaritudo, » Græce, πικρία, id est, malitia quæ amaricat animum, eumque facit acerbum tum sibi, tum Deo, tum proximis. Idque *primo*, quia « amaritudo, » id est, ira et rancor, offuscat judicium, illudque facit amarum, indignans et rancidum. *Secundo*, quia Deus sua luce cœlesti sensuque divino non donat, nec dignatur eos, in quibus est hæc amaritudo. Unde S. Jacobus cap. III, 14 : « Si zelum, inquit, amarum habetis, et contentiones sint in cordibus vestris; non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. »

Sapientia vera et falsa quæ.

Amaritudo tollit sapientiam duabus de causis.

Porro πικρία, id est *amaritudo*, est animi ægritudo et morositas. Unde Cicero *ad Atticum*: « Amariorem me senectus facit, stomachor omnia; » sed maxime, πικρία est acerbitas animi ultionem expetentis. Unde πικροὶ dicuntur amari et amarulenti, teste Gellio, qui exasperantur odio tendente ad vindictam, qui scilicet iram odiumque non deponunt, nec condonant, sed diu reservant. Sic Theocritus Pana vocat πικρόν, id est, amarum; causamque addit : « Quia illi bilis acris semper naribus insidet. » Quocirca S. Paulus *Ephes.* IV, 31, monet dicens : « Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis, cum omni malitia. » Et *Hebr.* XII, 15 : « Ne qua radix amaritudinis, inquit, sursum germinans impediat. » Alludit ad *Deuter.* XXIX, 18 : « Ne forte, etc., sit inter vos radix germinans fel et amaritu-

dinem. » Ubi ostendi omnem malitiam, omneque peccatum vocari fel et amaritudinem, causamque assignavi.

Vers. 16. 16. SCIENTIA SAPIENTIS TANQUAM INUNDATIO (Græce καταχλυσμός, id est eluvio, diluvium) ABUNDABIT, ET CONSILIUM ILLIUS SICUT FONS (Complutenses addunt, *purus*) VITÆ PERMANET, — *q. d.* Sicut crescente luna crescit mare, adeo ut luna plena exundet, camposque vicinos irriget et fecundet : sic crescente Dei illuminatione et gratia crescit « scientia sapientis, » adeo ut in alios exundet, eisque se communicans, illos pariter efficiat scientes et sapientes. Qua fit, ut « consilium » et doctrina sapientis sit quasi « fons » vitæ, qui jugiter manat aquas vitales sapientiæ, quibus alios assidue riget, ut vivant vitam gratiæ in terra, victuri vitam gloriæ in cœlo.

Sapiens est quasi fons sapientiæ.

Nota : Sapientiam nunc vocat *scientiam*, nunc *consilium*, nunc *eruditionem*, nunc *intellectum*, nunc *sensum*, nunc *disciplinam*. Causam dedi in Proœmio. Unde Tigurina vertit, *scientia sapientis exuberabit tanquam inundatio vitæ, ac veluti fons vitæ purus ejusdem consilium* ; Syrus, *mens sapientis sicut fons aquarum abundavit, et cogitatio ejus sicut aquæ vivæ*. Alludit ad *Prov.* XVI, 22 : « Fons vitæ eruditio possidentis. » Et cap. XVIII, 4 : « Aqua profunda verba ex ore viri, et torrens redundans fons sapientiæ. » Ad quæ loca alludens Christus : « Qui biberit, inquit, ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam, » *Joan.* IV, 14, et cap. VII, 38 : « Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. »

Moraliter, disce hic doctorem semper debere manare sanam sanctamque doctrinam, sive pauci sint auditores, sive multi ; sive pauperes, sive divites ; sive benevoli, sive malevoli ; sic enim fons omnibus et singulis perennes fundit aquas. Ita fecit Christus unam Samaritanam docens, *Joan.* IV, **ac pauperes piscatores in Apostolos efformans**, Christum secutus Paulus ait *Roman.* I, 14 : « Græcis ac Barbaris, sapientibus et insipientibus debitor sum. » Ubi S. Chrysostomus : « Sicut cœlum, ait, stellæ, sol non uni tantum genti : sic D. Paulus, sic omnes qui Deo militant, non uni, sed omnibus per doctrinarum exempla lucere debent ; nec, si desint qui illis utantur, desistere debent. Aquarum enim, ut inquit homil. 1 *De Lazaro et divite*, venæ, etiamsi nullus veniat aquatum manant tamen, et fontes, quamvis hauriat nemo, scatebras emittunt. » Plura de hoc fonte dicam *Proverb.* XVI, 22.

Vers. 17. 17. COR FATUI QUASI VAS CONFRACTUM, ET OMNEM SAPIENTIAM NON TENEBIT. — Opponit stultum sapienti, *q. d.* Mens sapientis est quasi fons vitæ, jugiter emanans aquas doctrinæ salutaris et vivificæ ; at mens stulti est quasi lagena confracta, et ideo nullam sapientiam quam legit vel audit, retinebit ; sed illa ex ea effluet, sicut effluit aqua ex lagena fracta vel pertusa. Nota : *Non omnem*, Hebræis idem est quod *nullam*. Pro *cor* Græce est ἔγκατα, id est *interiora*, puta viscera, inter quæ primum et præcipuum est cor. Unde Tigurina, *viscera stulti instar vasis confracti sunt, ut qui nullam in vita sua scientiam contineat* ; alii, *intestina stulti tanquam vas confractum, nullam continent scientiam* ; Syrus, *cor impii sicut cisterna disrupta, et omnibus diebus vitæ suæ sapientiam non discet*. Præclare S. Antonius in *Melissa*, part. 1, serm. 48 : « Sicut, inquit, vas fictile sono et tinnitu, sic homo sermone probatur. » Huc facit apophthegma Hebræorum in *Pirke Avoth*, id est, in *Sententiis Patrum* : « Quatuor hominum differentiæ sunt coram sapientibus astantium. Alii sunt quasi spongia, quæ humorem undequaque sugit ac trahit ; alii quasi dolium pertusum, quod aquam hauriens una ex parte, ex alia effluit, et quidquid accepit evacuat ; alii quasi cuppa, quæ cum vinum effluere sinat, fæces retinet ; nonnulli denique ad instar cribri seplasiarii vel pigmentarii, quod et furfur retinet, sed distinctis cellulis ; in superiore siquidem furfur, in inferiore vero farinam servat. »

Quatuor studiosorum differentiæ.

Vers. 18. 18. VERBUM SAPIENS QUODCUMQUE AUDIERIT SCIUS (Græce ἐπιστήμων, id est, sciens, prudens, sensatus), LAUDABIT, ET AD SE ADJICIET, id est, sibi applicabit, ut illud in arca memoriæ recondat, et in actus moresque conferat. Aliter Jansenius : *Adjiciet*, inquit, id est, auctius illud reddet. Sed priorem sensum exigit τὸ *ad se*, et antithesis quam subdit, dicens) : AUDIVIT LUXURIOSUS (verbum sapiens), ET DISPLICEBIT ILLI, ET PROJICIET ILLUD POST DORSUM SUUM, — *q. d.* Sapiens omnem sapientiam, quam audit vel legit, instar ovis ruminat, et in viscera transfert, ut inde crescat et pinguescat : at stultus qui suas voluptates præfert sapientiæ, qualis imprimis est luxuriosus, hic aversatur eam, ideoque ab oculis abjicit post tergum, ne cogatur eam aspicere, indeque vel mutare vitam, vel assidue corripi, castigari et verberari.

Nota : Pro *luxuriosus* Noster legit cum multis σπαταλῶν, id est, delicians, luxurians, luxui vacans ; sed Complutenses et alii legunt ἀσύνετος, id est *insipiens*. Rursum pro *ad se adjiciet*, Græce est, ἐπ' αὐτὸν προσθήσει : ubi Noster αὐτὸν legit spiritu aspero, ut significet *se* ; jam legunt spiritu leni, αὐτόν, id est *ipsum* ; unde vertunt, *et ad ipsum adjiciet*. Ita Tigurina, *si peritus*, inquit, *audierit dictum sapientis, laudabit illud, reddetque auctius ; quod si audierit imperitus, improbabit idem, et post tergum suum abjiciet* ; et Syrus, *verbum sapientis audit sapiens, et laudat illud, et super illud addit ; et audit illud stultus, et de eo ridet, et projicit illud ad unum ex lateribus suis*, id est, in angulum retrudit. Nimirum sicut lyræ aut citharæ similes, et simili modo temperatæ et modulatæ, invicem sibi respondent, adeo ut una pulsata alteram per quamdam sympathiam et occultam obsequentiam ex adverso accinere et similiter sonare compertum sit : sic etiam sapiens sapienti asquiescit

Ut lyra lyræ, sic sapiens sapienti consonat.

accinitque, ejusque dicta, velut stuppæ flammam, eminus odoratur, haurit et concipit. Idem facit stultus stulto et vitiosus vitioso. Unde illud : Fur furem agnoscit, mœchus mœchum, latro latronem. Tanta est vis similitudinis, similisque in corde affectionis et dispositionis ; hæc enim per motus et gestus similes foris se prodit, ex eisque a simili et conscio agnoscitur. Quin et sicut chordæ factæ ex nervis lupinis dissonant et quasi obstrepunt chordis quæ factæ sunt ex nervis ovinis per naturalem antipathiam : sic stultus dissonat et obstrepit dictis sapientis ; et vice versa.

Vers. 19. 19. NARRATIO FATUI QUASI SARCINA IN VIA : NAM IN LABIIS SENSATI INVENIETUR GRATIA. — Tigurina, *lepor*. Dixit, quale quamque differens et diversum sit cor stulti a corde sapientis : nunc idem dicit de ore ; os enim sequitur cor et mentem ; qualis enim est cogitatio cordis, talis est et sermocinatio oris. Dicit ergo : « Narrationem fatui esse quasi sarcinam in via, » quia sicut hæc onerosa est et molesta, gravatque et impedit viatores, ne facile et expedite in via progredi queant : ita pariter illa narratio stulti molesta est, gravatque auditores, tum quia importuna est, tum quia multiloqua, tum quia insulsa. At vero « in labiis sensati invenitur gratia ; » quia, sicut gratiosa, id est, discreta, prudens, concinna, suavis, utilis et salubris, est eorum cogitatio, ita est et eorum oratio et narratio ; quocirca auditores non gravat, sed delectat, ut cupiant eam crebro audire, ut sequitur. Unde Syrus vertit, *narrationes impii sicut sarcina gravis in via* (quia narrat sibi similia impia et turpia ; aut, si pia et sancta narret, narrat ea modo ingrato et insipido) : *et omne verbum justi gratia*. Audi S. Ambrosium, lib. I *De Interpell. Job.* cap. III : « Narratio fatui sarcina in via. Quid enim aliud est peccatum nisi sarcina ? quæ hujus seculi onerat viatorem gravi depressum fasce delicti ? qui se nollet oneri subjacere, debuit audire dicentem : Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos, » *Matth.* XI, 28.

Vers. 20. 20. OS PRUDENTIS QUÆRITUR IN ECCLESIA, ET VERBA ILLIUS COGITABUNT (Syrus, *ponent*, scilicet auditores ; Græca Romana, *cogitabit*, scilicet Ecclesia) IN CORDIBUS SUIS. — « Ecclesia » significat congregationem vel cœtum quemlibet hominum, *q. d.* In cœtu homines quærunt audire sapientem et prudentem, ut ejus doctrina instruantur, castigatione corrigantur, consiliis dirigantur, ideoque verba illius in corde suo appendent et ruminabunt. Unde Tigurina, *os sapientis in cœtu consulitur, et quisque dicta ipsius perpendit animo*. Contrarium facit stultus. Unde subdit :

Vers. 21. 21. TANQUAM DOMUS EXTERMINATA, SIC FATUO SAPIENTIA : ET SCIENTIA INSENSATI IN ENARRABILIA VERBA. — Græca, *tanquam domus destructa, sic fatuo sapienta : et cognitio imprudentis investigabilia verba. Τὸ sic fatuo sapientia*, duplicem habet sensum. Prior est, *q. d.* Sapientia prudentis, quæ quasi grata quæritur et perpenditur in Ecclesia, ingrata et contemptibilis est fatuo ; ipse enim eam nihili æstimat, imo odit et aversatur tanquam insipientiæ suæ contrariam. Sicut qui amat et quærit domum rite ædificatam, odit domum destructam et eversam, suisque ruinis obrutam et sepultam. Huic sensui favet Tigurina, *instar domus eversæ est stulto sapientia, et scientia imperiti sermones inconsulti sunt ;* et Syrus, *sicut carcer est sapientia stulto ; et intellectus insano sicut carbones ignis*, quibus se et alios comburat.

Posterior et germanior est, *q. d.* Sapientia quæ in fatuo est, quam scilicet a sapiente audivit aut legit, ab ipsomet fatuo incondite, inepte, inordinate, inconnexe, inconcinne, confuse, imo contrarie et contradictorie proposita, est quasi domus eversa. Sicut enim fatuus sua fatuitate domum destruit et evertit : sic idem evertit sapientiam quam protulit, dum ei immiscet vel subjungit sententias stultas, imo contrarias et contradictorias, quæ sapientiam ab ipso prolatam evertant. Sermo enim sapientis ordinatus, verax, compositus, connexus, pulcher, similis est fabricæ domus pulchræ, in qua una pars alteri recto ordine inædificatur, cohæret, compaginatur, ut omnes junctæ elegantem orationem quasi domum construant. At stultus sapientiæ, quam ædificare cœpit, admiscet et quasi inædificat fatua, insulsa, contraria, quæ sapientiæ fabricam evertant et destruant. Unde subdit : « Et scientia insensati inenarrabilia verba, » *q. d.* Insensatus et stultus scientiam suam profert et eloquitur incomposite, inordinate, inintelligibiliter, ut ejus scopus et connexio, imo et summa sententiaque, mente comprehendi et voce enarrari nequeat ; adeo ut si rogeris, Quid dixit ille fatuus ? responsurus sis, Nescio ; neque animi ejus sensa possis mente complecti, multo minus verbis enarrare. Unde nonnulli vertunt, *fatui* in genitivo, hoc modo : « Quod eversa domus, id est fatui sapientia, et scientia insipientis, res quæ perscrutari nequeunt. » Sicut enim in domo eversa omnia sunt confusa, incomposita, perturbata, eversa, sic et sunt in sapientia et sermone stulti. Hic verum est illud Nazianzeni in *Carm. ad Nicobulum* : « Simia est simia, etiamsi purpura vestiatur. Asinus etiam auro onustus, propterea rudere non desinit. »

Apologus galli jactantis cantum.

Parabolam hanc festivo galli et vulpis apologo illustrat Cyrillus, lib. II *Apolog. moral.* cap. XV, cui titulus : *Contra tumentes ex scientia.* « Gallus, inquit, intelligens dispositionem mutabilitatis cœlestis, mox de sua scientia tumidus, in arboris ramunculum ascendit, et recto collo alta voce cantavit. » Quem cum vulpes audisset, ad ejus cantum quam citissime accurrit, et stans deorsum ipsum salutavit et dixit : Frater mi, audivi vocem exsultationis tuæ, quæso, cantationis causam indica mihi. At ille protinus inquit : Nimirum intelligentia supernæ dispositionis dotatus, eam cum

sentio, statim voce cantabili nulli invidus pango. Tunc vulpes subridens ait: Ergo plenus es scientia, quæ est divinorum sublimium disciplina. Quo audito gallus plus intumescens cantavit, moxque vulpes saltavit. Cui ille desuper? Ut quid saltasti? Ipsa respondit, quia tu prius exsultasti. Gaudere namque cum gaudentibus licet. Dolositatis deinde rete exponens, verbis callidis adjunxit: O galle, tu es gloria nostra, tu es bestiarum lætitia. Te nunc quæso porrige, si dignaris, ut osculer mirum intelligentiæ tuæ caput. » Sed vide stolidam superbi de scientia sibi blandientis inscitiam et amentiam: « At ille adulationis dolosæ mellea lingua emollitus, statim vitale caput improvidus ori famelico porrexit. Quod avida vulpes stringens, deorsum miserum traxit et subjunxit: Galle, galle, ubi est sapientia tua? concepisti superbiam, et perdidisti prudentiam, et dedisti pro nihilo vitam tuam. Cui gallus: Quid gloriaris in malitia? At illa respondit: Non est malitia humiliare superbiam, sed ars vera. » Denique idipsum exemplo stellæ et oculi constabilit: « Sidus namque quanto splendidius, tanto demissius est; et quanto sublimius, tanto apparet minus. Parvus oculus rimatur acutius, et in cauda vermiculi lucis clarissimæ fulget decus. Porro quid scivisti, si te ignorasti? aut si novisti, quomodo superbisti, pulvis et cinis? Quid plura? Nulla major dementia est, quam, per scientiam cum inflaris, perdere sapientiam. Quo dicto, statim famelica suum ori ex præda officium dedit. »

Similia.

22. COMPEDES IN PEDIBUS, STULTO (græce ἀσυνέτοις, id est *stultis*) DOCTRINA, ET QUASI VINCULA MANUUM SUPER MANUM DEXTRAM. — Tigurina, *disciplina compedes sunt pedibus stultorum, et instar manicarum in manu dextra;* alii, *pedicæ in pedibus sunt amentibus disciplina, et ut manicæ super manu dextera*; Syrus, *sicut compes est doctrina in pedibus stulti, et sicut vinculum in dextera ejus*. Dat causam cur stulti oderint sapientiam, quia, scilicet, ipsa est quasi compes vinciens et stringens eorum pedes, ne ad fatua exercenda progrediantur. Eadem est quasi manica stringens « manum dextram, » ne quid fatui operetur *q. d.* Sapientia, quia sua disciplina restringit et coercet disciplinatos stultorum affectus, gressus et actiones, hinc eis est exosa. Unde ipsi ut suas cupiditates sequantur, libere incedant, agantque quod lubet, vincula hæc sapientiæ excutiunt dicuntque: « Dirumpamus vincula eorum, et projiciamus a nobis jugum ipsorum, » *Psalm.* II. Vers. 22.

TERTIA PARS CAPITIS.

DE STULTI IMMODESTIA IN RISU, VISU, AUDITU ET SERMONE.

Vers. 22.

22. FATUUS IN RISU EXALTAT VOCEM SUAM: VIR AUTEM SAPIENS VIX TACITE RIDEBIT. — Distinxit fatuum a sapiente in cogitatione et sermone: nunc eumdem distinguit in risu; quod scilicet fatuus ad quamlibet occasionem, imo nulla de causa, temere solvatur in risum, rideatque effuse, late, diducto ore, ac insulse, ad ea ob quæ potius lugere et flere deberet, quodque in risu *vocem exaltet*, cachinnetur et perstrepat. Cujus risus causa est animi levitas, mobilitas, lascivia et stoliditas. *Sapiens* vero raro et modice rideat, nec tam rideat quam subrideat, et labia instar ridentis diducat; quia sapiens sapienti, id est, gravi, maturo et constanti, æque ac modesto et verecundo est animo, scitque se in hoc mundo pleno ærumnis et periculis, quasi in valle lacrymarum versari, ideoque potius lugere quam ridere debere, juxta illud: « Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur, *Matth.* V, 5. Unde Græca habent, *stultus in risu attollet vocem suam, vir autem callidus vix placide subridet;* Tigurina, *stultus per risum sustollit cachinnum, at vir sapiens subridet tacite*; Syrus, *cum quiete ridet,* vel potius subridet; hoc enim significat Græcum ἡσυχῇ μειδιάσει. Alludit ad *Ecclesiastæ* cap. VII, 5: « Cor sapientium ubi tristitia est, et cor stultorum ubi lætitia, etc., quia sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti. »

Sapiens modice ridet.

Ita Christus Dominus sæpius flevisse, nunquam risisse legitur, ut Christianos doceret hic flendi, in cœlo ridendi fore tempus. Ita S. Basilius, *Regul.* XVII, *fusius disput.* Idem ad filium spiritalem ita ei præscribit: « Noli dissolutis labiis risum proferre, amentia namque est cum strepitu ridere; sed subridendo tantummodo mentis lætitiam indica. Nec in modum parvuli velis jocari assidue, quia non convenit ei qui ad perfectionem nititur, jocari ut parvulus. Esto in malitia parvulus, et vir perfectus in sensu. Nullum enim habet accessum cordis compunctio, ubi fuerit inmoderatus risus ac jocus. Ubi vero fuerint lacrymæ, ibi spiritalis ignis accenditur, qui secreta mentis illuminat, et vitia cuncta exurit. Tunc aviditate cœlesti anima flagrans, Christi amori copulatur, cum in terris degens de cœlestibus jugiter meditatur, calcat sæculi voluptates, nec ulla sæculi cura eam segregat ab amore Christi; sed ut figura quædam inter homines versari videtur, et tota ejus conversatio in cœlis est. Mors illi præsens, tanquam vita ipsa, est dulcis. Cupit dissolvi et esse cum Christo, quem in carne vivens intra suum portaverit templum. S. Basilio succinit

Gnomæ Patrum.

ejus symmystes S. Gregorius Nazianzenus in *Tetrastichis* :

Risum, *inquit*, meretur quilibet risus procax,
Fletum immodestus haud levem risus parit.
Tristem esse præstat, quam solutis moribus.
Firmum caduca nulla res tangit virum.

Idem orat. 11 *De Gorgonia* sorore sua ita scribit : « Quænam oculos ita frenavit? quænam risum ita irrisit? adeo ut vel leniter subrisisse, nimium pene ipsi videretur. » Vide S. Ephrem, tom. I, *tractat.* 44, cujus hic est titulus : *Non esse ridendum, sed lugendum et plorandum.* S. Bernardus, tractat. *De Natura divini amoris*, cap. III : « Amplectatur, ait, amans Deum cordis puritatem, corporis munditiam; silentium, vel verbum ordinatum; oculos stabiles, et non sublimes; aures non prurientes, victum et vestitum sobrium, et qui faciat, non impediat, boni operis diætam; manus continentes, gressum mitem, non ridendo cordis prodere lasciviam, sed leniter subridendo gratiam. » Idem in sermone de S. Malachia, Archiepiscopo Hiberniæ, modestum ejus risum ita dilaudat : « Risus aut indicans charitatis, aut provocans, rarus tamen et ipse. Equidem interdum eductus, excussus nunquam; qui ita nuntiaret cordis lætitiam, ut ori gratiam non minueret, sed augeret. Tam modestus, ut levitatis non posset esse suspectus; tantillus tamen, ut vultum hilarem ab omni tristitiæ nævo vel nubilo vindicare sufficeret. » Sic de nostro R. P. Petro Canisio scribit P. Sacchinus lib. III *Vitæ ejus*, p. 328 : « Risus ei perrarus, idemque non nisi humanitatis et charitatis in tempore condimentum. Lingua sancta, nescia nugarum, in mediis aulis religiosa, ubique cœlestia divinarum laudum mella manans. »

Ἀγέλαστοι qui?

Sic inter Gentiles ἀγέλαστοι, id est, risus expertes, cognominati sunt et celebrati, Heraclitus, Anaxagoras, Aristoxenus, Phocion, M. Crassus, Licinius, M. Cato, Nerva. Bessarionus, lib. IV *Apologiæ Platonis*, cap. I, scribit Platonem adeo fuisse modestum et gravem, ut raro subriserit, riserit nunquam. Risus enim nimius ridiculum facit, vel indicat; quare insipientem decet, non sapientem, juxta illud vulgo tritum :

Per risum multum poteris cognoscere stultum.

Quocirca Seneca in *Proverb.* litter. M : « Morbum, ait, esse scias, non hilaritatem, semper arridere ridentibus, et ad omnium æstimationem ipsum quoque os diducere. » Denique Beda in *Proverbiis* : « Præceps ad risum, præceps quoque fertur ad iram. » Et Dacrianus in *Speculo Monach.* : « Cachinnum, inquit, tanquam altum animæ præcipitium fuge, sciens quia risus excussus indisciplinatusque claustra pudoris violat. » Plura de risu dicam *Ecclesiast.* II, 2.

Vers. 24. 24. ORNAMENTUM AUREUM PRUDENTI DOCTRINA, ET QUASI BRACHIALE IN BRACHIO DEXTRO. — Est antithesis; nam vers. 22 dixit fatuo doctrinam esse quasi compedes pedum, et manicas manuum : hic ei opponit sapientem; huic enim doctrina et sapientia est instar ornamenti aurei, v. g. instar monilis et torquis aurei; quia similiter eum ornat in se, magisque eum ornabit, si quasi doctor eam aliis communicet et doceat; quare est ei instar armillæ et brachialis, quod manus et brachia decoret et exornet. Unde Tigurina, *veluti ornamentum aureum est eruditio sapienti, et instar armillæ brachio dextro*; Syrus, *sicut monile aureum sapientia intelligenti, et sicut gemma annuli super manu ejus dextera.* Sicut ergo annulus aureus et gemmeus ornat dexteram, sic sapientia ornat sapientem. Hujus rei symbolo Doctores dum creantur, torque aurea et annulo aureo donari et insigniri solent, uti dixi cap. VI, 25.

Vers. 25. 25. PES FATUI FACILIS IN DOMUM PROXIMI : ET HOMO PERITUS CONFUNDETUR A PERSONA POTENTIS. — Distinxit sapientem a stulto, in corde, ore et risu : nunc distinguit in incessu, *q. d.* Fatuus, quia curiosus et impudens, facile ingreditur domum proximi, ut curiose et impudenter scrutetur et audiat quid in ea agatur : at « homo peritus, » Græce πολύπειρος, id est, multa expertus, indeque prudens, qui scilicet experientia didicit quam ingrata sit hominibus curiosa perscrutatio domus propriæ, nimiaque libertas in eam ingrediendi; hic confundetur, Græce αἰσχυνθήσεται, id est, erubescet, verecundabitur, reverebitur personam; et, ut Græce est, vultum hominis potentis, *q. d.* Sapiens est verecundus et reverens, adeo ut et vultum potentis fixius inspicere erubescat; at fatuus est inverecundus et irreverens, adeo ut non solum vultum potentium intueri, sed et domum eorum sine causa, nec vocatus, ingredi, inspicere et perscrutari audeat. Unde S. Ambrosius *ad Virgin.* sic legit : « Pes fatui facilis in domum proximi; qui autem sapiens est, verecundatur; » Tigurina, *pes stulti in domum alterius proclivis est; at peritus homo reformidat vel inspectionem;* alii, *pes stulti festinus est ad domum, homo autem expertus erubescit ad aspectum*; Syrus, *pedes stulti ingrediuntur cito intra domum, et vir sapiens inclinat faciem suam*; quasi erubescens curiose eam inspicere, ideoque oculos deprimens, ne videat quæ in domo sunt vel fiunt, *q. d.* Prudens verecunde, nec nisi invitatus vel coactus ingreditur domum potentis; ejus enim faciem erubescit. Hoc vitio notatus fuit Crates Thebanus, qui idcirco vulgo dictus est θυρεπανοίκτης, id est, ostiorum apertor, quod in omnes domos irrumperet, et, si quid displicuisset, reprehenderet cynica libertate, teste Laertio, lib. VI, cap. V. Quocirca Socrates, ut suos auditores a curiositate rerum alienarum avocaret, crebro usurpabat illud Homeri :

Fatuus est curiosus et impudens.

Ædibus in nostris quæ prava aut recta gerantur.

Vers. 26. STULTUS A FENESTRA RESPICIET IN DOMUM : VIR

AUTEM ERUDITUS FORIS STABIT. — Secundus est hic gestus stulti, *q. d.* Fatuus, si nequeat ingredi domum alterius, quia fores sunt occlusæ, aut obsidentur ab aliis, similive de causa, tunc per rimas ostii aut fenestræ, rustice et curiose quasi stultus prospiciet in domum, præsertim si quem ex domo convenire vel alloqui desideret; at vir bene institutus et moratus, foris stabit pulsans ostium, ut evocet eum quem conventum cupit; vel, si Prælatus aut vir primarius sit, exspectabit donec ab eo evocetur, aut donec is domo egrediatur, itaque ei occurrat, seseque insinuet. Unde Græca habent, *insipiens per januam instrospicit in domum: vir autem bene institutus foris stat*; Tigurina, *insipiens ab janua domum introspicit, at vir eruditus foris consistit;* Syrus, *stultus ex janua introspicit in domum, et honor viri est ut stet foris et loquatur.* Ita Xenocrates (ait Laertius, lib. IV, cap. II) nihil referre dicebat, utrum pedes an oculos inferas in alienas ædes, imo ab oculis magis metuunt incolæ, quam a pedibus.

Præclare Hugo Victorinus, lib. *De Institut novit.* cap. XII : « Gestus hominis, inquit, in omni actu debet esse gratiosus sine mollitie, quietus sine dissolutione, gravis sine tarditate, alacer sine inquietudine, maturus sine protervia, et sine turbulentia severus. » Huc facit apophthegma R. Judæ in *Pirke Avoth.*, id est in *Sententiis Patrum* : « Procacis ac inverecundi hominis habitatio est infernus; sicut e contra modesti et verecundi, Paradisus. Placuit tibi, Domine Deus noster, præcipuam nostram sortem in legis tuæ studio constituere.

Vers. 27. 27. STULTITIA HOMINIS AUSCULTARE PER OSTIUM : ET PRUDENS GRAVABITUR CONTUMELIA. — Tertius hic est gestus stulti, qui si nequeat ingredi domum, nec in eam per januam vel fenestram introspicere, inverecunde et imprudenter aures applicat ad ostium, ut audiat quid in domo dicatur, aut geratur; et vir prudens grave sibi reputat hanc incivilitatem, immodestiam et inverecundiam committere; quia eam æstimat ingens esse suum, æque ac domus incolarum probrum, dedecus et contumeliam : « Prudens ergo gravatur contumelia, » *q. d. Primo*, gravem dicit hanc infamiam et contumeliam. *Secundo, q. d.* Prudens putat sibi a fatuo gravem fieri injuriam et contumeliam, dum is curiose et inverecunde ad ostium suum auscultat, ut secreta audiat. Unde Syrus vertit, *stultitia est homini auscultare ad januam, et sapienti gravis est contumelia ejus.* Summa horum omnium est, stultum rerum suarum esse incurium, alienarum vero esse curiosum, ideoque immodeste et inverecunde eas scrutari; sapientem vero alienarum rerum esse incurium, suarum vero curiosum, ideoque sua attente introspicere et circumlustrare, aliena vero negligere et præterire : quia eorum curam aliis ad quos pertinet relinquit, eam vero arrogare sibi, incivile, rusticum et ignominiosum ducit.

Pro *stultitia* Græce est ἀπαιδευσία, id est imperitia, rusticitas, incivilitas, ineptia, insolentia, insulsitas. Unde Tigurina vertit, *ad ostium auscultare quemquam inscitia est; qui sapit, hoc dedecus gravatim suscipit;* alii, *inscitia hominis est auscultare ad januam; prudens vero graviter fert infamiam, q. d.* Auscultare ducit esse infame.

28. LABIA IMPRUDENTIUM STULTA NARRABUNT : VERBA AUTEM PRUDENTIUM STATERA PONDERABUNTUR, — tum statera rationis a prudentibus antequam ea proferant, tum statera auctoritatis ab iis qui ea audiunt. Hi enim ea quasi præmeditate, graviter et sapienter prolata, magni æstimabunt, verbisque et factis ostendent ea apud se magnum auctoritatis momentum et pondus habere, ut ea crebro ruminent, meditentur, mente expendant, librent et ponderent, eaque in opus conferant, ac juxta ea mores suos conforment, vitamque instituant. Septuplicem stateram, qua singula verba, æque ac opera libranda sunt, recensebo *Proverb.* XI, vers. 1. Græca habent, *labia loquacium ea quæ non sunt sua narrabunt, verba autem prudentium in statera librabuntur;* Tigurina, *labia loquacium narrant absurda; sapientes autem quæ dicunt statera ponderant;* alii, *labia multiloquorum aliena narrant, sermones autem prudentium statera ponderantur;* Syrus, *os impii in corpore* (in corpus) *sui ipsius* (id est, contra seipsum) *loquetur; et cum pondere loquitur sapiens.* Græca vero Romæ correcta aliter habent, nimirum hoc modo, *labia aliorum in his gravabuntur, verba autem prudentium statera ponderabuntur.* Huc facit dogma S. Bernardi : « Verba tua prius veniant bis ad limam, quam semel ad linguam. » Lima verborum est mens, est ratio, est prudentia, est consideratio. Unde sequitur : « In ore fatuorum cor illorum, et in corde sapientum os illorum. » Huc etiam facit proverbium Arabicum, *Cent.* 1, num. 16 : « Esto cum paliuro oliva, » id est, esto cum stulto sapiens, et cum insano polylogo mentis compos et micrologus.

Præclare B. Petrus Damianus, epist. 10, *ad Petrum Cerebrosum* : « Qui dicaciam, ait, eloquentiam putat, rerum similitudine ductus aberrat. Sicut enim vir sapiens dicit : Labia imprudentium stulta narrabunt, verba autem prudentium statera ponderabuntur. Plane sicut equus effrenis per anfractus et invia, plana vel ardua, quæque transmittit; sic lingua stultorum recta vel frivola, ut quælibet suppetunt, indifferenter ac leviter effluit. Prudens autem quæ dicenda sunt ponderat, et tanquam cautus viator solerter attendit, ubi linguæ suæ vestigium figat. Ille quidquid occultum est, per impatientiam fandi producit in medium; iste, si dictet utilitas, sub clave silentii servat arcanum. Unde et idem Sapiens : In ore, inquit, fatuorum cor eorum, et in corde sapientium os illorum. »

Huc facit apophthegma Hebræorum in *Pirke Avoth*, id est, in *Capitulis Patrum* : « Septem di- Septem discri-

mina sapientis et stulti in loquendo.

cuntur de stulto, et totidem de sensato ac sapiente : Vir sensatus tacet et obmutescit coram seniore aut sapientiore se, loquentem non interpellat, importune aliquid effutiens et extra tempus, in medio, videlicet, sermonis interserens; vix respondet interrogatus, interrogat autem ipse ad rem apposite, respondetque etiam aptissime ad qæsita : quæ primo loco proposita sunt, de iis agit primum et ante omnia; posterius autem ad ea descendit agitanda quæ posteriore loco sunt oblata discutienda; si quæ autem sint quæ forte non intellexit, ingenue admonet, et dicit : Hæc et hæc capere non potui, hæc autem intellexi. Tandem cognita perspectaque veritate, dat manus et ultro cedit. Contrario prorsus modo de stulto ratiocinandum est. »

Vers. 29. Stulti habent cor in ore, sapientes os in corde. Primo.

29. IN ORE FATUORUM COR ILLORUM : ET IN CORDE SAPIENTIUM OS ILLORUM, — *q. d.* Fatui quidquid habent in corde, id ore effutiunt, nesciunt enim sensa sua celare; hinc videntur *cor* non habere intra viscera reconditum, sed in *ore* repositum, omnibusque patulum et expositum; ex adverso sapientes ore nihil proferunt, nisi quod prius in corde bene expenderunt; quare quæ celanda sunt celant, nihilque dicunt nisi quod hoc loco, tempore, coram talibus, etc., dicendum est; quare videntur os non habere in vultu patulum omnibus, sed reconditum *in corde;* quia cor dirigit et moderatur os eorum, ut non tam os quam cor eorum loqui, ac vicissim tam os quam cor eorum sapere videatur. Unde Tigurina, *ab ore stultorum pendet cor eorum, at in corde sapientum os eorum situm est;* quia scilicet sapientes os et verba cordis discretione reprimunt et mensurant. In stultis ergo dominatur os, id est, garrulitas et protervia loquendi, adeoque os regit cor ipsorum. In prudentibus vero dominatur cor, illudque regit os eorum, juxta illud *Proverb.*, cap. XVI : « Cor sapientis erudiet os ejus. » Et illud Psaltis *Psalm.* XXXVI, 30 : « Os justi meditabitur, » id est, meditato vel meditatam proferet, « sapientiam; » quia, scilicet, justus os habet in corde : cordis enim est meditari, oris vero meditatum eloqui. Unde Syrus nervose, *os stulti ipsum est cor ejus, et os sapientis in corde suo.* Sapienter Gellius, lib. I, 16, scribit garrulorum orationem in ore nasci, non in pectore. Ex adverso Homerus Ulyssem virum sapientem ait vocem mittere non ex ore, sed ex pectore. Hinc et dicitur *Psalm.* LI, vers. 2 : « Tota die injustitiam cogitavit lingua tua. » Ubi recte Origenes apud Agellium : « Cor, ait, fatuorum in superficie situm est, non in profundo, ad labia exsilit. » Sic olim dictum est, Græcis sermonem e labiis et ore, Romanis e mente et corde proficisci. Huc pertinet illud Themistoclis : ὀρρῶν ἔνεστι τῷ λόγῳ, id est, *sermoni inest os* et vigor, dictum de oratione non inani et fatua, sed gravi et sapienti solidas habente sententias. Sic Quintilianus rerum inventionem appellat *orationis ossa*, sumpta similitudine ab animantium corporibus quæ ossibus sustinentur, colligantur nervis, vestiuntur carnibus et pelle, cohærent anima, moventur actu.

Secundo, cor symbolum est secreti, os vero revelationis secreti. Cor enim in abscessu pectoris latitat, et intra præcordia se reducit. Sapientibus ergo os est in corde; id est, in abdito profundoque mentis recessu, ut silere et celare norint quod alii ore produnt. Fatuis vero cor est in ore, id est, secretum in lingua, quia omnibus illud propalant. Ita S. Gregorius Nazianzenus, epist. 1 *ad Celeusium* silentii se arguentem, scribit apologum hirundinum et cycnorum; hirundines enim habent cor in ore, cycni vero habent os in corde : « Melius est, inquit, silentium cycnorum, quam garritus hirundinum, » *q. d.* Melius est silentium sapientum, quam loquacitas insipientium, tandemque alio proverbio concludit : « Tum cantabunt cycni, cum graculi tacuerint. » Idem de diversis vitæ generibus : Secundo.

Non ego, *inquit*, cum gruibus, non anseribusque
In synodis, quæ se Marte furente petunt. [sedebo

Synodos anserum et gruum vocat illa concilia, in quibus nil recte et ordine gerebatur, sed confusis pugnantium inter se hominum clamoribus omnia perstrepebant, quales erant Synodi Arianorum ad evertendum Concilium Nicænum.

Tertio, Pineda, lib. III *De Rebus Salomon.* cap. XII, num. 4 : « In corde, inquit, sapientum os illorum, et in ore fatuorum cor illorum, *q. d.* Stultorum vana est eloquentia, at sapientum solida, ut quæ non solum verbis constet, sed et cordata sit, et gravibus sententiis polleat. Quod Salomon *Sapient.* VII, vers. 15, ait : « Mihi dedit Deus dicere ex sententia, » id est, ex anima et corde sententiose, cum sensu quodam et quasi sapore eorum quæ dicuntur. Tertio.

Quarto, Rabanus : « In ore fatuorum, inquit, cor illorum est, quando hæreticorum et schismaticorum stulta intentio verborum intendit ornatui; in corde autem sapientum os illorum, quando electorum studet eloquium, veræ sapientiæ fideliter exprimere sensum, » *q. d.* Stulti solam eloquentiam, prudentes magis sapientiam aucupantur, eamque verbis ostentant. Stulti ergo cor in ore, id est sapientiam in loquacitate, collocant; sapientes vero os in corde, id est, eloquentiam in sapientia reponunt, censentque se eloquenter dicere, si sapienter dicant. Huc facit illud vulgo tritum : « Stulta est egena sapientiæ eloquentia; » sapiens vero est sapientia, etiam carens eloquentia. Quarto

Denique cor symbolum est prudentiæ, magnanimitatis, consilii; os vero, id est garrulitas, imprudentiæ, levitatis, insipientiæ. Cor enim est animæ receptaculum, voluntatis fons, consilii et rerum agendarum radix. Unde Beda in *Proverbiis* : « Apud homines cor ex verbis, apud Deum vero verba pensantur ex corde. » Nam, ut ait Quinto.

Aristoteles lib. *De Sensu et sensibili* : « Anima est in corde, sicut aranea in sua tela ; » tum physice, tum ethice. Physice, quia in corde quasi arce habitat anima, indeque per spiritus vitales vivificat totum corpus. Unde cor est principium vitæ et sensus, præsertim tactus, quem acutissimum habet aranea, juxta illud : « Lynx visu, sus auditu, præcellit aranea tactu. » Quia, ut ait Aristoteles lib. II *De Anima* : « Animal est animal propter sensum tactus. » Omne enim animal habet tactum ; et quidquid habet sensum tactus, est animal, esto careat visu, auditu aliisque sensibus. Ethice, quia anima per cor, id est mentem et rationem, loquitur et agit omnia. Stulti ergo cor, id est, sapientiam et virtutem in ore, id est, in sua insipientia, reponunt ; sapientes vero suum os, id est levitatem et insipientiam, in corde abscondunt et celant. Plane, inquit Palacius, stultus homo exterior est, idcirco cor habet exterius in lingua ; at prudens interior homo est, linguam igitur revocat ad cor.

Vers. 30. 30. DUM MALEDICIT IMPIUS DIABOLUM ; MALEDICIT IPSE ANIMAM SUAM. — « Maledicit, » id est, *primo*, exsecratur, ut vertit Tigurina, *q. d.* Dum impius exsecratur diabolum, exsecratur seipsum ; quia ipse similis est diabolo ; est enim impius ut ipse. Fatue ergo fatuus exsecratur diabolum, cum non desinat eum imitari, imo eum venerari et colere, dum ejus suggestionibus obedit, ejusque inspirationes præfert inspirationibus Dei : quocirca ipse est servus et filius diaboli ; fatuum autem et indignum est ut servus hero, filius patri maledicat.

Impius est quasi diabolus.

Ubi nota quam turpe sit peccatum, quod angelum pulcherrimum fecit teterrimum diabolum, et hominem facit similem diabolo, imo diabolum, juxta illud Christi de Juda : « Nonne ego vos duodecim elegi ? et ex vobis unus diabolus est ? » *Joan.* VI, 71. Et cap. VIII, vers. 44 : « Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere. » Sic ebrius vel cholericus, dum furit, videtur esse diabolus incarnatus, inquit S. Chrysostomus et S. Gregorius Nazianzenus.

Secundo, *q. d.* Dum impius male precatur diabolo, male precatur sibi ipsi, quia eamdem pœnam ob eamdem impietatem meretur, quam diabolus. Unde eamdem sortem et gehennam recipiet, quam diabolus, juxta illud Christi in judicio : « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus, *Matth.* cap. XV, vers. 41.

Tertio, Palacius : « Simplicissimus, ait, sensus erit, si *diabolum* sumas pro adversario, » ut sit sensus : Si maledicis adversario, maledixisti tibi ; quia eum provocas, ut statim maledictum in te regerat. At si *diabolum* proprie sumas, ita explicatur : Diabolus ex se malus non erat ; malitia eum malum et diabolum fecit, ac ideo quia malus est, male ei dicimus. Cum igitur tu etiam malus sis, male de malo dicens male de te dicis ; imo si male imprecaris illi, quia malus, imprecaris et tibi, utpote malo. Ut enim qui jurat in altari, jurat per Deum qui est in altari ; ita qui male precatur diabolo, male precatur malitiæ quæ est in eo, et cum ea malitia sit in te, male etiam precaris tibi.

Dicit hoc Siracides, ut explicet quod dixit vers. 28 : « Labia imprudentium stulta narrabunt. » Et illud vers. 29 : « In ore fatuorum cor illorum, » *q. d.* Imprudentes et fatui, id est, impii, assidue habent diabolum in ore, quia eum semper habent in corde. Unde tertio quoque verbo eum nominant, et cum quid sinistri malive eis accidit, id fatue imputant diabolo, eique maledicunt, dicendo : Diabolus hoc malum mihi intulit ; sit ergo maledictus, eat in malam crucem, in gehennam. At sapientes et pii non diabolum, sed Deum habent jugiter in ore, quia eum jugiter habent in corde. Unde in adversis æque ac prosperis dicunt cum S. Job, cap. I, vers. 21 : « Dominus dedit, Dominus abstulit ; sicut Domino placuit, ita factum est : sit nomen Domini benedictum. »

Porro Syrus sic vertit, *cum stultus maledicit ei qui non peccavit illi, ipse maledicit seipsum*, vel *maledictionem inducit animæ suæ. Tristis est anima sapientis propter stultum, quia nescit quid dicat illi.*

Vers. 31. 31. SUSURRO COINQUINABIT ANIMAM SUAM, ET IN OMNIBUS ODIETUR : ET QUI CUM EO MANSERIT (sic legendum cum Romanis non, *qui permanserit ;* nec *cui manserit*, id est, cui cohabitarit vel adhæserit, ut vult Jansenius), ODIOSUS ERIT : TACITUS ET SENSATUS HONORABITUR. — Inter stulta quæ narrare solent stulti et impii, uti dixi vers. 28, unum valde frequens est, nimirum susurri, id est, occultæ detractiones, quibus absentis famam clam proscindunt, eumque audienti invisum reddunt, itaque amicitiam utrimque dissociant. Quod proinde hic taxat Siracides, *q. d.* Susurro et detractor, *primo*, inquinat animam suam culpa et vitio detractionis ; *secundo*, in omnibus locis æque ac actibus odietur ; *tertio*, non tantum ipse, sed et qui se illi sociarit, exosus erit. At vero tacitus et sensatus, qui vitia proximi, quæ vidit vel audivit, silentio premit, honorabitur ob prudens amicumque et justum silentium. Græcus de more brevis et bimembris clare sic habet, *maculat suam ipsius animam susurro, et ubicumque commorabitur, odio erit ;* Tigurina, *obtrectator polluit animam suam, et quocumque commearit, odiosus erit ; homo vero tacitus et cordatus honorem consequetur.* Paulo aliter Palacius : « Sicut, inquit, maledicens diabolo maledicit sibi, ita susurro detrahens honori aliorum, et culpans alios, cum eadem frequenter in eo culpa inveniatur, plane sui susurro est, se accusat, et de se maledicit. Tum grandem sibi maculam irrogat ; quod enim vilius probrum, quam susurro vocari ? Is etiam odiosus omnibus

est, et qui cum eo perseverat, ei scilicet familiaris, similiter odiosus erit. Contra, quam honorandus erit qui tacet, nec vitia aliorum ut sensatus traducit! » Hæc Palacius.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet quam viles, contemptibiles, probrosi, incorrigibiles et insupportabiles sint stulti et insensati, usque ad vers. 24. Inde usque ad finem recenset nonnulla quæ violant amicitiam, eaque cavenda monet.

1. In lapide luteo lapidatus est piger; et omnes loquentur super aspernationem illius. 2. De stercore boum lapidatus est piger : et omnis, qui tetigerit eum, excutiet manus. 3. Confusio patris est de filio indisciplinato : filia autem in deminoratione fiet. 4. Filia prudens hæreditas viro suo, nam quæ confundit, in contumeliam fit genitoris. 5. Patrem et virum confundit audax, et ab impiis non minorabitur : ab utrisque autem inhonorabitur. 6. Musica in luctu importuna narratio : flagella et doctrina in omni tempore sapientia. 7. Qui docet fatuum, quasi qui conglutinat testam. 8. Qui narrat verbum non audienti, quasi qui excitat dormientem de gravi somno. 9. Cum dormiente loquitur qui enarrat stulto sapientiam : et in fine narrationis dicit : Quis est hic? 10. Supra mortuum plora, defecit enim lux ejus : et supra fatuum plora, deficit enim sensus. 11. Modicum plora supra mortuum, quoniam requievit. 12. Nequissimi enim nequissima vita super mortem fatui. 13. Luctus mortui septem dies : fatui autem et impii, omnes dies vitæ illorum. 14. Cum stulto ne multum loquaris, et cum insensato ne abieris. 15. Serva te ab illo, ut non molestiam habeas, et non coinquinaberis peccato illius. 16. Deflecte ab illo, et invenies requiem, et non acediaberis in stultitia illius. 17. Super plumbum quid gravabitur? et quod illi aliud nomen quam fatuus? 18. Arenam, et salem, et massam ferri facilius est ferre, quam hominem imprudentem, et fatuum, et impium. 19. Loramentum ligneum colligatum in fundamento ædificii non dissolvetur : sic et confirmatum in cogitatione consilii. 20. Cogitatus sensati in omni tempore, metu non depravabitur. 21. Sicut pali in excelsis, et cæmenta sine impensa posita contra faciem venti non permanebunt : 22. sic et cor timidum in cogitatione stulti contra impetum timoris non resistet. 23. Sicut cor trepidum in cogitatione fatui omni tempore non metuet, sic et qui in præceptis Dei permanet semper. 24. Pungens oculum deducit lacrymas : et qui pungit cor, profert sensum. 25. Mittens lapidem in volatilia, dejiciet illa : sic et qui conviciatur amico, dissolvit amicitiam. 26. Ad amicum etsi produxeris gladium, non desperes : est enim regressus. 27. Ad amicum si aperueris os triste, non timeas : est enim concordatio, excepto convicio, et improperio, et superbia, et mysterii revelatione, et plaga dolosa : in his omnibus effugiet amicus. 28. Fidem posside cum amico in paupertate illius, ut et in bonis illius læteris. 29. In tempore tribulationis illius permane illi fidelis, ut et in hæreditate illius cohæres sis. 30. Ante ignem camini vapor, et fumus ignis inaltatur : sic et ante sanguinem maledicta, et contumeliæ, et minæ. 31. Amicum salutare non confundar, a facie illius non me abscondam : et si mala mihi evenerint per illum, sustinebo. 32. Omnis qui audiet, cavebit se ab eo. 33. Quis dabit ori meo custodiam, et super labia mea signaculum certum, ut non cadam ab ipsis, et lingua mea perdat me?

PRIMA PARS CAPITIS.

Vers. 1 et 2.

1 et 2. IN LAPIDE LUTEO LAPIDATUS EST PIGER, ET OMNES LOQUENTUR SUPER ASPERNATIONEM ILLIUS. DE STERCORE BOUM LAPIDATUS EST PIGER; ET OMNIS, QUI TETIGERIT EUM, EXCUTIET MANUS. — *Lapidem luteum* vocat non laterem ex luto plasmatum, sed lapidem luto conspurcatum et sordentem : hinc enim significat Græcum ἡρδαλωμένῳ. « Lapidadus est, » id est, lapidari solet : sic enim Hebræi per unum tempus significant cætera. Rursum per metalepsin, « lapide luteo lapidatus est, » id est, lapidando luto conspurcatus est, *q. d.* Piger adeo vilis, contemptibilis et exosus est, ut eum homines dignum censeant qui impetatur lapidibus sordidis et stercore boum : omnes enim eum quasi torpidum et sordidum aspernantur, ita ut eum tangere, cum eoque conversari nolint; sed omnes eum refugiant et aversentur, perinde ut qui tangit lapidem sordidum, vel stercus, illico illud manibus excutit. Stultorum et stultitiæ speciem unam persequitur, scilicet acediam et pigritiam; hæc enim facit hominem non tantum otiosum, sibique et aliis inutilem, sed et noxium multisque vitiis commaculat : otium enim et pigritia est causa omnis mali. Noster legit κατεβλήθη, id est, telis vel lapidibus impetitus est, aut σανελιθάσθη, id est, lapidatus est, a λιθάζω, id est, lapido, *q. d.* Piger adeo omnibus est vilis, ut eum quasi commune naturæ probrum lapidibus insectentur, in eumque jaciant lapides luto immersos, sordes et stercora. Jam legunt συνεβλήθη, id est, *comparatus est;* unde Græca sic habent, *lapidi inquinato* vel *polluto assimilatus est piger, et omnes sibilant ad ejus infamiam; ac stercori fimentorum comparatur piger : omnis qui tollit eum, excutiet manus;* Complutenses et Roman., *lapidi conspurcato comparatus est piger, et omnis exsultabit in ignominiam ejus, stercori boum de sterquiliniis comparatus est piger, omnis qui tollit illud, excutiet manum;* Tigurina, *lapidi conspurcato comparandus est piger, quem ignominiæ causa omnes irrideant; piger conferendus est stercori sterquilinii : quod quicumque contigerit, manus suas excutiat;* Syrus, *sicut lapis sordidus qui projectus est in platea, et unusquisque fugit ab odore ejus; ita et stultus, et unusquisque recedet ab eo. Dum exit quispiam foras in plateam, conviciatur ipsi, et omnis qui videt eum, complodit manibus suis;* Arabicus breviter rem acu tangit, *insipiens jam sibi acquisivit contumeliam et malum.* Porro Isidorus lib. X *Originum* : « Piger, inquit, dicitur quasi pedibus æger. » Idem, *De Differentiis verborum*, num. 46 : « Inter tardum, inquit, pigrum, inertem et segnem hoc interest, quod tardus dicitur qui trahit tempus; iners sine arte, nullius officii capax; piger per omnia ægro similis; segnis semotus est a calore et igne. »

Piger quasi pedibus æger.

Apposite pigro pœnam assignat stercus boum potius quam equorum vel aliorum animalium, quia bos, utpote gravis, lentus est et tardus : symbolum et figura est pigri. Unde illud :

Optat ephippia bos piger, optat arare caballus.

Ita Palacius : « Piger, inquit, comparatur lapidi conspurcato, et stercori boum. Ut enim qui lapidem ita sordidum, aut stercus boum inopinate tangit, statim utrumque e manibus excutit; ita qui ministrum habet pigritantem, excutit et repellit a se. Ita enim ministros pigros fugimus ut stercus, ut lutatos lapides. Ex hac Græcæ litteræ explicatione habemus sensum Latinæ, qui est hic : Talis est piger, ac si eum lapidassemus lapidibus luto sordentibus, aut stercoribus boum; ita enim sordet ille in oculis hominum, ac si rebus sordidis conspurcatus esset; ac ideo omnes loquentur super ejus aspernatione, dicentes quam sit ille spernendus, imo et excutiendus et repellendus. Si piger contemnitur a dominis temporalibus, si ab eis excutitur et repellitur, quam spernetur et repelletur a Deo ! Nam quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo; et, quia opus Dei facis desidiose, maledictus eris. O quantum est a Deo maledici et repelli, scilicet in ignem æternum ! » *Apoc.* III, 16; *Jerem.* XLVIII, 10; *Matth.* XXV, 41. Adde bovem, etsi lentum, tamen laboriosum esse; quare significat pigrum suum lentorem et pigritiam vincere debere labore, ad bovis imitationem. Hinc monetæ, puta didrachmis, olim imprimebatur figura bovis, ut ait Pollux lib. IX, quod labor pariat nummos et opes, pigritia vero inopiam et famem. Apposite ergo in pigri opprobrium et castigationem bovis stercus assumitur, ut bove se deteriorem et pigriorem agnoscat, et a bove suam tarditatem labore vincere discat. Accedit quod stercus boum servit stercorandis agris, ut, injecto semine, copiosam ferant segetem. Ager hic est piger : stercoratur ergo stercore boum, ut, injecto diligentiæ semine, copiosos illius proferat fructus.

Anagogice S. Gregorius, XV *Moral.* cap. III, explicans illud *Job.* cap. XX, de impio et hypocrita : *Quasi sterquilinium in fine perdetur* : « Quia, inquit, in morte sua, cum ad tormenta ducitur stercoribus vitiorum plenus, a malignis spiritibus conculcatur. Gaudia etenim vitæ præsentis, quæ injusti æstimant magna bona, justi stercora deputant. Unde scriptum est : De stercore boum lapidatus est piger. Is ergo qui Deum sequi noluerit, ab amore æternæ vitæ pigrescit; et quoties rerum temporalium damno percutitur, ex his nimirum affligitur, quæ justi viri velut stercora contemnunt. Qui ergo ex terrenarum rerum per-

cussione atteritur, quid aliud quam de boum stercore lapidatur? Et recte hypocrita sterquilinio similis dicitur : quia dum temporalem gloriam habere appetit, modo per cogitationem apud semetipsum tumet; modo eamdem gloriam aliis invidet, eamque alios veraciter habentes irridet. Quot ergo vitiis plenus est quasi tot stercoribus in conspectu æterni judicis illius pectus fœtet. »

Tropologice. Tropologice, Rabanus per *lapidem luteum* accipit increpationem S. Scripturæ; per *stercus boum*, increpationem prædicatorum : hi enim sunt boves mystici excolentes agrum Ecclesiæ : « In lapide luteo, inquit, lapidatur piger, quando peccatori duris Scripturæ sententiis fœditas scelorum suorum exprobratur, omnesque loquuntur super aspernatione illius, quia omnes boni detestantur et despiciunt sordes operum ipsius. Lapidatur piger de stercore boum, quando pigritia malorum in bono opere torpentium, per aptam stultitiæ suæ orationem a sanctis prædicatoribus illis improperatur, ita ut omnes qui aliquo modo communicaverint negligentiæ eorum, manus operum a squalore fœditatis illorum excutiant, et ad observantiam mandatorum Dei utili exercitio recurrant. »

Sic fere et S. Bernardus, serm. 2 *De SS. Petro et Paulo* : « Itaque arguere et increpare, inquit, interdum necesse est: nec ignoro fimum esse verbum increpatorium, verbum improperii; et quod si non excuset necessitas, ipsum quoque minus deceat proferentem. Sed quid agimus, quod hoc fimo etsi aliquos impinguari, sed alios plane lapidari et indurari videmus? Hinc namque scriptum est : De stercore boum lapidabitur piger. An non impinguatur, qui increpatus benigne accipit, mansuete respondet, libenter emendare conatur? Hæc plane salubris et fecunda impinguatio est, ut corripiat me justus in misericordia, et increpet; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. » Et mox : « Quid autem faciamus tibi, o piger, qui ad hanc misericordiam irritaris magis et exasperaris? Nonne bonum fimum sparsi in agro tuo? Unde ergo lapides habet? Sed tu, inimice homo (quoniam qui diligit iniquitatem, odit animam suam), tu, inquam, inimice homo, hoc fecisti, qui desidiam tuam non excutere, sed excusare pergens, fimum tibi pervertis in lapides; et unde impinguari debueras, lapidaris. »

Apologus pigritiæ. Huic apologo similis est apologus bovis et lupi, acutus et argutus, apud Cyrillum, lib. I *Apolog. moral.* cap. XIV, cujus titulus : *Quietem mentis dilige, et otium fuge* : « Hora vespertina, inquit, bovem jugo oneratum otiosus vagusque lupus reperiens, quasi compatiens illi, dixit : Quandonam solutus beata libertate vagaberis, et fatigatus grata quiete refocillaberis otiosus? cui ille respondit : Nimirum quando sapientia relinquet naturam. Labores enim quamdiu sustinebit membrorum societas, nunquam me rapiet vagationis captiva libertas, aut otiositas cordis fluctuans tempestatibus. Nam vagatio quædam mentis est alienatio, et otium tempestas est cordis. Siquidem alienatus a virtute sensus, mox sicut Cain (*Genes.* IV) profugus vagusque diffunditur, et veluti David (II *Regum*, cap. XI) statim procella vitiositatis involvitur animus otiosus. Ad hæc lupus adjunxit : Nunquam ergo quiescit sapiens? Respondit bos : Imo possidet eum secura quies. Nonne attendisti quod superior mandibula, licet non moveatur, minime sit otiosa? sic utique sapiens etiam nunquam otiosus, continue aut mente exercitatur aut corpore. » Otii deinde proprietates et damna recenset : « Quid enim est otium, nisi perditio irrevocabilis horæ, effusio vitæ, retrogradatio proficienti? Hinc gignit carnis desidiam, parit superbiam, accendit luxuriam, solvit linguam, nutrit indigentiam, et introducit rapinam. Egestatem namque operatur remissa manus (*Prov.* X,4); et qui sectatur otium, est stultissimus. Etenim, sabbatizante Israele (*Exodi*, XVI, vers. 30), cœlum non pluebat manna. Quin et aqua putrescit immobilis, et immotus ensis rubigine mox sordescit, pes quietus obstupescit, et vestem depositam dirus tineæ dens corrodit. E contra cœlum continuo currit; cor, dum vivit, nunquam quiescit; naturalis virtus non dormit, et regina mundi prudentia semper agit. Propter hoc, carissime, ego otium vitans, semper aut aro, aut comedo, aut rumino, aut ligatis nubecula sensibus cibum digerens requiesco et dormio. Quibus auditis, lupus otiosus vagusque mox abiit confusus. »

Otii damna et epitheta. Exempla.

3. CONFUSIO PATRIS EST DE FILIO INDISCIPLINATO : FILIA AUTEM (indisciplinata et *fatua*, ut habent Latina Complutens.) IN DEMINORATIONE FIET. — A probro pigri descendit ad probrum filiorum, quod male morati sibi suisque parentibus conciliant, *q. d.* Confunditur, et ignominia pudoreque afficitur pater, si habeat filium male institutum et dissolutum : filia autem similis, puta male morata et dissoluta, « in deminoratione fiet, » id est, minoris fiet, eritque contemptibilis, ut nemo eam velit habere uxorem : rursum *deminorationem*, id est, damnum sibi suisque afferet. Siracides enim Græcum ἐλάττωσις, id est *minoratio*, usurpat pro damno, ut superius ostendi. Unde vers. seq. per antithesin, opponit ei filiam prudentem et bene moratam, quæ viro suo commoda, imo hæreditatem adducit. Ita Syrus, *confractio*, inquit, *patri est filius stultus; et femina in defectum* vel *in detrimentum generatur;* Græca Complutens., *pudor patris in generatione indisciplinati, filia autem in diminutione fit;* Tigurina, *ignominia patris filius ignavus est, filiaque* (ignava) *minoris venit æstimanda;* alii, *dedecus patri ex procreatione ineruditi, filia vero* (inerudita) *nascitur ad detrimentum*, tum famæ, tum substantiæ et opum, quin subinde et vitæ. Filia enim dissoluta infamat se et patrem, dotemque suam et opes patris dilapidat, ac non raro mœroris et mortis ei est causa.

Vers. 3.

Aliter Palacius : « Filia fatua, inquit, in deminoratione fiet; » quia minor confusio et ignominia

est filia fatua, quam filius. Nativum enim et fere commune id vitium feminis est, ideoque minoris est ignominiæ, quam in masculis.

Vers. 4. 4. FILIA PRUDENS HÆREDITAS VIRO SUO : NAM QUÆ CONFUNDIT, IN CONTUMELIAM FIT GENITORIS, — *q. d.* Optima filiæ hæreditas et dos est prudentia, eaque magis viro optanda et ambienda est, quam opima opum dos et hæreditas; quia per prudentiam prudentemque conjugem opes quælibet conservantur et augentur. Græca habent, θυγάτηρ φρόνιμος κληρονομήσει ἀνδρὸς αὐτῆς, quod Complutenses vertunt, *filia prudens hæres erit viri sui;* quia solent viri uxoribus suis, si prudentes et obsequentes sint, sua credere, easque hæredes instituere. Alii pro ἀνδρὸς, id est viri, legentes ἀνδρά, id est virum, vertunt, *hæreditabit virum suum,* id est, virum suum possidebit, quasi hæreditatem, ut eum regat et dirigat instar familiæ. Aut potius, *q. d.* Hæreditate bona, scilicet, sua prudentia et sapientia, eum donabit, ut ejus domum et substantiam prudenter administret, eique suam prudentiam communicet et doceat. Prudenti opponit imprudentem et fatuam, dum subdit: « Nam quæ confundit, in contumeliam fit genitoris, » *q. d.* Quæ autem dedecus et probrum affert sua levitate, dissolutione, imprudentia, stultitia; hæc contumeliam parit suo parenti et genitori generique æque ac marito, qui apud parentem sæpe de ejus mala institutione queritur et expostulat. Græca habent, *pudenda* vel *probrosa tristitiam affert genitori;* tristatur enim parens de pudendis et probrosis filiæ moribus. Unde Tigurina vertit, *filia prudens viro est vice hæreditatis, ac turpiter vivens mœstitiam affert genitori;* Syrus vero, *patrem suum et matrem suam confusione afficiet stulta, et ab utrisque ipsa contumelia afficietur.*

Mystice et tropologice Rabanus: «Filia prudens, inquit, id est, anima, quæ prudenter et devote Christi servitium agit, ad hæreditatem ejus pertinebit; quæ autem confusione res dignas gerit, contumeliam genitori spiritali facit, qui eam per Spiritus Sancti gratiam in baptismate regeneravit, et sibi filiam adoptavit. » Et Palacius: « Ita plane, inquit, anima sancta multas Deo lucratur; at miseræ animæ nostræ contumelia sunt Creatoris. »

Vers. 5. 5. PATREM ET VIRUM CONFUNDIT AUDAX (femina et filia : Græce enim est ἡ θρασεῖα), ET AB IMPIIS NON MINORABITUR; AB UTRISQUE AUTEM INHONORABITUR, — *q. d.* Filia audax et inverecunda pudore et ignominia afficiet patrem æque ac maritum; quia in superbia, luxuria, gula, ebrietate cæterisque vitiis non erit minor, nec cedet viris impiis. Unde ab utrisque, puta a patre et viro, inhonorabitur. Græcus de more bimembris sic habet, *patrem et virum pudore afficit quæ audax est, et ab utroque infamia afficietur;* Tigurina, *impudens patrem et matrem afficit ignominia* (et impiis nihilo est inferior); *quare ab utroque vituperabitur.*

Causa audaciæ audaces. Porro, causa audaciæ est cupiditas et aviditas; quia enim femina avida plena est cupidinibus, hinc ut eas expleat, iisque potiatur, ducem assumit audaciam, fitque audax. Unde Festus censet audaciam dictam ab avide, id est cupide, agendo. Et Cicero, lib. II *Offic.*: « Animus, inquit, paratus ad periculum si sua cupiditate, non utilitate communi impellitur, audaciæ potius nomen habeat quam fortitudinis. » Et Aristoteles, lib. III *Ethic.* cap. VIII, asserit adulteros esse audaces propter libidinem. Audacia enim vitium est oppositum ignaviæ et timiditati; in medio enim utriusque consistit virtus, quæ fortidudo dicitur. Unde Aristoteles, lib. II *Ethic.* cap. II: «Qui, inquit, omnia fugit et timet, neque quidquam sustinet, ignavus; qui contra nihil animo timet, sed omnia adit, audax efficitur. » Qui autem timet timenda, et non timet non timenda, fortis est. Vide eumdem, lib. III *Ethic.* cap. VII, ubi docet ignavum esse desperabundum, audacem nimis confidentem, fortem autem nec desperare, nec nimis confidere, sed mediocriter se gerere. Unde « audaces, inquit, præcipites sunt, voluntque ante ipsa pericula periclitari, in ipsis vero constituti absistunt (juxta illud: « In pace leones, in prælio cervi»); sed fortes in operibus ipsis acres ac celeres, antea quieti sunt. » Adde : ætas filiæ, puta juventus, causa est audaciæ, sicut senectus causa est timiditatis. Ratio physica est, quod juventus abundet spiritibus, calore et sanguine, quæ causant audaciam et animositatem; senes vero iis destituti abundent phlegmate et frigore, quæ causant timiditatem. Ethica est, quod juvenes sint imperiti et inexperti, unde imperitia rerum in illis confidentiam et audaciam parit; in senibus vero multorum experientia malorum parit timorem et cunctationem. Hinc illud : « Dulce bellum inexpertis. Expertus metuit. » Unde Vegetius, lib. III *De Re milit.* cap. XIII : « Ne confidas, inquit, si tiro prælium cupit; inexpertis enim dulcis est pugna. » Sic filia amat speciosos juvenes, quia nondum sensit quantum amori insit amari.

Juvenes audaces, senes timidi. Causa.

Mystice Rabanus : « Pater, inquit, animæ christianæ Deus est, vir autem ejus Christus; hæc ergo si ad apostasiam venerit, et hæreticum errorem procaciter defenderit, inhonorat patrem suum spiritalem et virum; sed licet ab impiis, et sui erroris participibus, præsentialiter non vituperetur; ab utrisque tamen, hoc est, patre et viro, de quibus superius dixit, in futuro judicio confundetur, et damnatione merita perpetuis pœnis subjicietur. »

Vers. 6. 6. MUSICA IN LUCTU IMPORTUNA (S. Hieronymus, *epist.* 33 legit, *intempestiva*) NARRATIO; FLAGELLA, ET DOCTRINA IN OMNI TEMPORE SAPIENTIA. — Complutenses, *in tempore sapientiæ;* Romana, *in omni tempore sapientiæ*. Alludit ad *Proverb.* cap. XXV, 20: « Acetum in nitro qui cantat carmina cordi pessimo, » id est, tristissimo, ut vertit Symmachus, *q. d.* Sicut acetum acuit et exasperat nitrum, sic cantus exasperat tristitiam mœsti. Ex adverso Nazianzenus apud Antonium in *Melissa* : « Mag-

num, inquit, remedium tristitiæ affertur a condolentibus; nam qui æquali afflictione laborant, plus solatii patientibus exhibent; cum inter dolendum causas lætitiæ inveniunt aut offerunt. »

Hæc sententia videtur hic incongrue interseri iis quæ dicuntur de filia et filio dissoluto; at si quis penitius introspiciat, congruam et opportunam hoc loco censebit. Dat enim causam dissolutionis filiorum et filiarum, nimirum quod vacent conviviis et symposiis (hisce enim prisci inserebant musicos et musicam, ad oblectandum convivas); cum potius deberent vacare disciplinæ, abstinentiæ et luctui; flagella enim, luctus et disciplina docent decentque sapientiam; joci vero, convivia, cantus et recreationes dissolvunt sapientiam, docentque insipientiam, ac faciunt insipientes et improbos. Parentes ergo qui filios non castigant, sed sinunt indulgere suis cupiditatibus, causa sunt eorum dissolutionis et insipientiæ, ideoque juste ab eis probro et tristitia afficiuntur.

Sensus ergo est, *q.d.* Sicut musica in luctu est importuna narratio, quia lugentes, dum lugent, non delectantur musica, sed ea magis contristantur, luctumque quasi per antiperistasin adaugent; ita ex adverso in sapientia, id est, ad addiscendam sapientiam opportuna sunt flagella et doctrina, Græce παιδεία, id est, disciplina, *q. d.* Ut filios et filias doceas sapientiam, lascivos eorum mores coerce, et corrige per flagella et disciplinam; arce vero ab eis nimias recreationes, ludos, musicam et cantus; quia hæc importuna sunt luctui, id est, sapientiæ. Sapientia enim omnibus, sed maxime juvenibus cupiditate plenis, gravis est et lugubris, potius quam levis et dissoluta; præsertim quia ipsa docet monetque assidue hanc vitam esse tempus lugendi et flendi, in cœlo vero fore tempus gaudendi et ridendi. Ita Rabanus. Igitur «flagella et doctrina,» id est, disciplina, «in omni tempore sapientiæ,» scilicet sunt, hoc est, semper opportuna sunt sapientiæ, semper accommoda ad discendam sapientiam. Unde Græca habent, *flagella et disciplina* (scilicet sunt adhibenda) *in tempore sapientiæ*, quando nimirum filii et filiæ instruendi et docendi sunt sapientiam. Unde exclamat Palacius : « O miseram carnem nostram, quæ omni tempore requirit flagella! o insipientem animam nostram, quæ omni tempore eget doctrina! Non ergo miremur, si nos Deus flagellis frequentius verberet. Nec enim est pater, qui non assiduat filio flagellum; et qui parcit virgæ, odit filium suum, » *Hebr.* cap. XII, *Proverb.* cap. XIII.

Hunc sensum indicat Syrus, dum vertit, *sicut musica inter luctum narratio importuna, et* (id est, *sic*) *correptio et doctrina in omni tempore sapientia est*, id est, sapientiam parit. Priorem partem citat, suique silentii dat causam ob vastatam a Gothis Romam S. Hieronymus *Præfat. in Ezech.* « Postquam, inquit, clarissimum terrarum omnium lumen extinctum est, imo Romani imperii truncatum caput, et, ut verius dicam, in una urbe totus orbis interiit, obmutui, etc. Musica in luctu, importuna narratio. » Idem, epist. 34 *ad Julianum*, lugentem mortem filiarum et uxoris: « Musica in luctu, inquit, intempestiva narratio. Unde et nos leporem artis rhetoricæ contemnentes, et puerilis atque plausibilis eloquii venustatem, ad S. Scripturæ gravitatem confugimus, ubi vera vulnerum medicina est, ubi dolorum certa remedia. » Aliter Lyranus : « Flagella, inquit, et doctrina in omni tempore est sapientiæ, hoc est, debet fieri sapienter et prudenter. »

Moraliter, solentur se discipuli, subditi, cives omnesque homines, cum aut a magistris, Superioribus, Prælatis, aut a Deo flagellantur et affliguntur, cogitantes se per hæc flagella deduci ad sapientiam, id est, virtutem et perfectionem: « Patientia enim opus perfectum habet, » *Jacob.* I, 4.

Secundo, Jansenius per metathesin sententiam invertit, sicque exponit, *q. d.* Importuna narratio est, sicut musica in luctu, scilicet, intempestiva, et illo tempore incongrua. Unde Tigurina vertit, *intempestiva narratio velut in luctu musica est, flagella vero et castigatio semper opportuna sunt sapientiæ.* Verum, quid hæc ad filiam, vel filium disciplinatum? quid flagellis sapientiæ, cum intempestiva narratione? Nisi dicas hanc esse importunam, flagella vero opportuna ad sapientiam. Sed et hoc alienius et frigidius est. Quid enim flagellis cum narratione? Nisi rursum dicas flagella esse disciplinæ, narrationem vero intempestivam esse indisciplinati et insipientiæ, *q. d.* Narratio intempestiva parit insipientiam, flagella vero disciplinæ pariunt sapientiam. Qui sensus filio indisciplinato aptari potest; hic enim narrando lepida et insulsa, solet parentum aures oblectare, sibique devincire, ne licentiosam ejus vitam disciplina severiore castigent et flagellent.

Tropologice, Rabanus hæc exponit de concionatoribus, qui populi plausum, non planctum quærunt, quorum proinde conciones sunt quasi carmen musicum mulcens aures, non feriens cor, ut ait *Ezechiel.* cap. XXXIII, 32. « Contra eos facit, inquit Rabanus, qui operatione sua in Ecclesia plausum populi et favorem quærunt, et non ad hoc tendunt ut magis compunctionem lacrymarum in auditoribus suis excitent; cum Ecclesiæ panis non panis sit ridentium, sed lugentium. Ideo dicit : Flagella et doctrina in omni tempore sapientiæ : quia in omni tempore convenit ut ad præsentium rerum despectum, et ad futurorum appetitum, per doctores suos populus provocetur; ut sciat nunc tempus esse lugendi, tunc autem ridendi; nunc tempus belli, tunc autem pacis. Unde ipsa Veritas in Evangelio ait : Beati qui lugent nunc, quoniam ipsi consolabuntur. E contra alibi mundi amatoribus, qui præsentis vitæ consolationem quærunt, comminatur dicens : Væ vobis qui ridetis, quoniam flebitis! Hinc et Salomon ait : Cor sapientium in domo luctus, et cor insi-

Tropologice, in concionatores qui quærunt plausum, non planctum.

pientium in domo lætitiæ, id est, in domo talis viri qui se corripiat delinquentem, et adducat ad lacrymas; non in domo lætitiæ, ubi doctor decipit et decipitur, quando non conversionem audientium, sed plausus quærit et laudem. »

Post hunc versum Græca addunt hos duos : *Filii in bona vita artem* (Complutenses, *escam* vel *alimentum*) *habentes, propriorum parentum abscondent ignobilitatem. Filii in contemptu et vacuitate eruditionis*, id est, in insipientia, *gloriantes, cognationis suæ maculant nobilitatem;* Tigurina, *liberi si cum proba vita alimenta habeant, parentum suorum ignobilitatem oblitterabunt. Liberi si cum contumacia imperitiaque fastosi fuerint, fœdant nobilitatem suæ cognationis.* Verum Græca a Romanis correcta, æque ac Syrus, et Latina omnia hosce versus omittunt.

Vers. 7. 7. QUI DOCET FATUUM, QUASI QUI CONGLUTINAT TESTAM,—*q. d.* « Qui docet fatuum, » inutiliter et frustra laborat, agitque rem difficilem vel impossibilem, perinde ac qui « testam » confractam conglutinare conatur. Fatui enim cerebrum et caput est quasi testa confracta, tum quia phantasiam et sensum communem habet quasi distractum et diffractum; tum quia vires mentis et animi habet dispersas et quasi divulsas; adeo ut anima ejus confracta videatur, et divisa in duas partes, scilicet, in concupiscibilem et rationalem, ita ut concupiscibilis rationali, prout debet, subesse et connecti nolit; tum quia conceptus cogitationes et volitiones habet disparatas, imo sæpe contrarias; quas inter se combinare et connectere nequit, sicut testa diffracta nequit conglutinari, ut firmiter cohæreat sicut prius, cum esset integra. Denique sicut testa confracta liquorem, puta vinum vel oleum, continere non potest, sic nec caput stulti sapientiam.

Fatuus incapax disciplinæ, quis? *Fatuum* intelligit non physice, sed moraliter, puta peccatorem concupiscentiis deditum et affixum, qui suos appetitus regere nequit, sed suas voluptates rationi, suas cupiditates legi Dei, bona terrena cœlestibus, caduca æternis anteponit; hæc enim ingens est stultitia et fatuitas. Fatuus ergo est superbus, avarus, invidus, ebriosus, luxuriosus, etc.; hic est quasi testa confracta, quia rationes terrenas et temporales nescit combinare, et subordinare rationibus et legibus æternis; æternas enim tantum speculative cognoscit, temporales vero practice. Unde dicit : « Video meliora proboque, deteriora sequor. » Sic Aristoteles, lib. I *Politic.*, ait servos integrum non habere arbitrium, sed quasi dimidium mentis; et nonnulli Indi dicuntur dimidiatam habere animam, ob exile ingenium et tenue judicium, præsertim in rebus fidei et divinis. Unde cap. VIII, ait : « Servus omnino non habet deliberandi arbitrium, mulier vero habet quidem, sed invalidum; puer autem habet, sed imperfectum. » Exstat imago stulto-sapientum, in qua Deus stultorum capita quasi testas confractas refingit et conglutinat, efficitque sapientia; quia hoc est opus proprium, imo miraculum Dei, ac nullus figulus, nisi Deus, id efficere potest. Porro hunc locum ita citat Zacharias Pontifex, qui floruit anno Domini 740, *epist.* 11 : « Docuisti, inquit, eos, et non susceperunt, et factum est illis sicut scriptum est : Sapientiam qui docet fatuum, quasi qui conglutinat testam, arenam et salem. » « Operam ergo, o concionator, perdis, ait Palacius, si sola tua narratione eum velis glutinare, cum his quæ diximus bonis. Manus Dei potens requiritur, ut iis iterum glutinetur. Christi vox requiritur, ut Lazarum quatriduano somno depressum vigilantem efficiat. Dormiens hic mortuus est; dicat igitur Christus : Surge, qui dormis, exsurge a mortuis. Plus igitur concionator orationi nitatur, quam verbo. »

Huc spectant duo symbola Pythagoræ. Prius : « Apud quadrupedem poema ne canito; hoc est, apud ignaros et stupidos seria ne proferas. » Posterius : « In nive ne scribito, hoc est, incapacibus et mollibus animis dogmata tua ne committas. »

Vers. 8. 8. QUI NARRAT VERBUM NON AUDIENTI, QUASI QUI EXCITAT DORMIENTEM DE GRAVI SOMNO. — Comparavit fatuum testæ confractæ, nunc eum comparat dormienti. Unde Græca hæc ita combinant, *testam conglutinat qui stultum docet, et dormientem ex profundo somno excitare laborat.* Ita Tigurina, *q. d.* Frustra narres sapientiæ dictamina stulto, quia is suis cupiditatibus indormit; quare quasi dormiens non audiet quid narres; aut, si subinde semiexperrectus aliquid subaudiat, leviter, et quasi dimidius, id faciet, moxque iterum in somnum suarum voluptatum relabetur; iis enim incumbens et intentus, non attendit, nec percipit, imo avertit mentem a monitis sapientis; quia hæc contraria sunt iis quæ adeo adamat, quæque nullo modo vult dimittere. Alludit ad *Proverb.* XXIII : « In auribus insipientium ne loquaris. » Et : « Ubi non est auditus, non effundas sermonem. » Idipsum luculentius explicat vers. seq. Huc facit proverbium Arabicum, *Centur.* 1, num. 43 : « Ne admitte ad volatum accipitrem tuum in terra pulverulenta, id est, ne projicias sapientiam coram stultis et impiis. » Constat enim in terra pulverulenta male succedere aucupia, eo quod cursu aucupum pulvis excitatus adimat aspectum accipitris et prædæ.

Vers. 9. 9. CUM DORMIENTE (Græce νυσσάζοντι, id est dormitante, dormituriente, somnolento) LOQUITUR QUI ENARRAT STULTO SAPIENTIAM : ET IN FINE NARRATIONIS DICIT : QUIS EST HIC? — Græce, *quid est? q. d.* Sicut dormiens, audiens se excitantem et loquentem, dicit : Quis est qui me excitat, quid loquitur, quid vult? ac mox rursum somnolentus indormit : ita et fatuus audiens sapientiam a sapiente, quasi cupidinibus suis indormiens dicit : « Quis est hic, » qui mihi molestus est? quid dicit? cur me a somno deliciarum mearum avocat? non audio, non attendo, non capio; quia non gusto,

non delector sapientia et virtute; sed omnis meus gustus et delectatio est in voluptate, puta in ambitione, gula, ventre et venere. Syrus addit aliam similitudinem comedentis sine fame, ideoque nauseantis; sic enim nauseat stultus mente versans, et quasi comedens cibum sapientiæ : « Sicut, inquit, qui excitat dormientem de somno profundo, et sicut qui comedit panem, cum non esuriet; ita qui docet stultum : et, cum completa fuerint verba tua, dicit : Quid dixisti ? »

Peccator similis dormienti ob quinque analogias.

Apposite stultum, puta peccatorem, comparat dormienti : *primo*, quia uti hic somno, ita ille peccato, id est voluptati, suaviter et deliciose indormit; *secundo*, sicut in dormiente ligatur mens et ratio : sic in fatuo funibus concupiscentiæ ligata est ratio et prudentia; *tertio*, sicut dormiens vivit vitam animalem, non rationalem, sic et peccator; *quarto*, sicut dormiens variis luditur et illuditur somniis et phantasmatibus : sic et peccator luditur specie creaturarum, quasi amasiarum, juxta illud : « Et amantes sibi somnia fingunt. Quid enim sunt omnes hujus vitæ illecebræ ? Quid sunt omnes res et spes mortalium, nisi somnia vigilantium ? » ut aiebat Plato. Denique, sicut pueri altum dormitantes, flagellis et verberibus a somno excitandi sunt : sic et stulti, puta impii, a veterno peccatorum plagis evellendi sunt. Huc facit proverbium Ben-Sira, *alphabeto* 1, littera *Lamed* : « Sapientem nutu, et stultum fuste, » scilicet corrige et emenda. Sapiens enim verbo monitus præstat officium, quod stultus non facit, nisi verberum ictibus coactus. Sic Pharao non nisi decem plagis coactus cessit Deo, dimisitque Hebræos.

Vers. 10.

10. SUPRA MORTUUM PLORA; DEFECIT ENIM LUX EJUS (S. Augustinus, in *Speculo*, legit *ei*) : ET SUPRA FATUUM PLORA, DEFICIT ENIM SENSUS. — Græce, *defecit enim σύνεσις*, id est *intellectus;* unde Rabanus legit, *defecit enim sensus ejus;* alii legunt, *σύνεσιν*; unde vertunt, *reliquit enim intelligentiam;* ἐξέλιπε enim tam active accipi potest, ut significet *reliquit*, quam neutre, ut significet *defecit*, eclipsin passus est instar lunæ.

Et mortuo.

Comparavit fatuum testæ confractæ, deinde dormienti; nunc eum insuper comparat mortuo. Dormiens enim specien habet mortui, juxta illud:

Stulte, quid est somnus, gelidæ nisi mortis imago ?

et multi dormientes in somno catarrho suffocantur, aut apoplexia aliove symptomate enecantur. Sensus ergo est, *q. d.* Stultus, puta peccator, non tantum est dormiens, sed et mortuus per peccatum, cui affixus adhæret. Quare sicut ploras mortem amici mortui, quia « defecit » ejus « lux, » id est vita, qua videbat et fruebatur luce solari in hoc mundo : « et » (id est *sic*, vel *similiter;* est enim τὸ *et* Hebræis nota similitudinis et comparationis, uti sæpius monui) luge et « plora fatuum, » quia « defecit sensus, » id est prudentia et sapientia, quæ est quasi vita et anima animæ. Rursum « defecit sensu, » quia nullum habet sensum suæ salutis et rerum divinarum, perinde ac si iis esset mortuus. Unde Tigurina vertit, *mortuum lamentaris quod sit luce privatus; nec minus deplores stultum, quod sensum* (alii, *intelligentiam*) *amiserit;* Syrus, *super mortuum æquum est plorare, quia privatus est luce, et super stultum, quia privatus est sapientia.* Sic Christus ploravit mortem Lazari, et plorando eum resuscitavit, ut hoc symbolo ostenderet quam deplorandus sit peccator (cujus typum gerebat Lazarus defunctus), quantisque Sanctorum et Ecclesiæ lacrymis sit revocandus ad vitam gratiæ. Sic S. Monica plorabat inconsolabiliter filium Augustinum, hæresi et libidine mortuum; unde a quodam Episcopo audivit : « Fieri nequit ut filius tot lacrymarum pereat. » Verus hic fuit vates; nam ipsa jugibus lacrymis impetravit ei veniam et vitam a Deo.

Porro, maxime plorandi sunt fatui, id est peccatores qui in peccato moriuntur; hi enim utramque mortem, et naturalem et spiritalem obeunt, ac ad mortem secundam, puta ad gehennam ignis, transeunt, nec ab ea revocari possunt, sed per omnem æternitatem in ea cruciabuntur. Quare de his hunc locum accipit Isidorus Pelusiota, lib. I, *epist.* 334 : « Non vetat, ait, plorari omnes e vivis excedentes, sed eum qui improbis actionibus exstinctus est, nec vivam vitæ rationem consectatus est, ut qui a futura luce (gloriæ cœlestis) exciderit. » Damnati enim non sunt lugendi, tum quia desperati et perditi, tum quia a charitate et societate fidelium prorsus exclusi, et in æternum a Deo, cœlo, vita omnique bono privati, reprobati et excommunicati. Quocirca Synodus Alexandrina, quæ exstat apud S. Athanasium, Apolog. 2 *Contra Arianos*, sic legit : « Ne fleas mortuum, neque lugeas; sed complora comploratione egredientem, quia non amplius revertetur, » *q. d.* Ne lugeas damnatum quasi mortuum resuscitandum in fine mundi; sed plora, imo omnes Sancti omnesque homines, complorate comploratione et complosione manuum pedumque, quasi perditum, desperatum et condemnatum irrevocabiliter. Summum enim malorum summe deplorandum est; huncque ploratum naturaliter ciet movetque plorantium fidelium non charitas, sed communis natura, et damnatorum extrema calamitas; charitas enim damnatis succurrere nec vult, nec valet.

Vers. 11 et 12.

11 et 12. MODICUM PLORA SUPRA MORTUUM, QUONIAM REQUIEVIT (a laboribus, doloribus et miseriis innumeris hujus vitæ). NEQUISSIMI ENIM NEQUISSIMA VITA SUPER MORTEM FATUI, — *q. d.* « Modicum plora supra mortuum, » quia mors ipsi est quies a labore et dolore : at « plurimum plora super vitam fatui (uti addunt quædam manuscripta); nequissimi enim nequissima vita super mortem fatui; » hoc est, quia fatui, id est impii et nequissimi, vita est nequissima, ideoque nequior, id est deterior, pejor, miserior, adeoque magis deploranda quam

ipsa mors naturalis ejusdem fatui; vivit enim in peccato, id est in hostilitate Dei, ac proinde continuo auget sibi incendia æterna gehennæ, quæ augere cessat dum moritur. Hunc sensum exigunt Græca : ἥδιον, id est *dulcius, jucundius, mitius plora supra mortuum, quoniam requievit* : τοῦ γὰρ μώρου ὑπὲρ θάνατον ἡ ζωή, id est, *nam fatui super mortem vita*, intellige ex præcedenti, *est deploranda; aut super mortem*, id est morte pejor et deterior, est *vita fatui*. Unde Tigurina, *mortuum tamen levius defleas, utpote quiescentem; vita vero stulti morte pejor est;* alii, *mitius defle mortuum, eo quod requiescat; stulti autem vita morte deterior est*: quia nunquam requiescit a peccato, ac consequenter nec a lobore, et dolore, tum præsenti, tum æterno; Syrus, *non est plorandum super mortuo qui requiescit; pejor enim morte est vita prava.*

Quocirca S. Blancha hoc aureum dogma dabat filio S. Ludovico IX, regi Franciæ : « Fili, super omnia fuge peccatum. Mallem enim te videre, o fili, mortuum, quam peccatum mortale committentem. » Amplius dico : Vita in peccato præcise et formaliter est pejor morte, quam subeunt damnati in inferno. Peccatum enim est pejus gehenna; quia peccatum est culpa, gehenna est pœna : culpa autem altioris est ordinis longeque gravior quam quævis pœna. Ita S. Anselmus, ut habet ejus Vita, dictitabat, hocque quasi præmeditatum fixumque habebat : « Si hinc inferni ardorem, inde peccati horrorem cernerem, ac necessario alterutrum mihi eligendum foret; mallem in infernum insilire, quam peccatum committere. » Peccatum enim est offensa Dei, eaque summa et gravissima, adeoque peccatum est Christicidium et Deicidium, ut alibi explicui.

Peccatum pejus gehenna.

Aliter Palacius, *q. d.* «Nequissimi fatui nequissima est vita super mortem, » id est nequius est eum vivere quam mori. Nam quamdiu vivit, auget peccata, indeque suam damnationem; at moriendo peccare cessat, ideoque augere damnationem tam suam quam aliorum desistit. Ipse enim nulli est bonus et commodus, sed sibi et aliis nequam et noxius. Lege epistolam 25 S. Hieronymi, qua S. Paulæ ingentem luctum ob mortem filiæ Blesillæ moderatur, ac inter cætera ait : « Lugeatur mortuus, sed ille quem gehenna suscipit, quem tartarus devorat, in cujus pœnam æternus ignis æstuat. Nos quorum exitum Angelorum turba comitatur, quibus obviam Christus occurrit, gravemur magis, si diutius in tabernaculo isto mortis habitemus. Quia quandiu hic moramur, peregrinamur a Domino. Illa nos cupido teneat : Hei mihi! quia peregrinatio mea prolongata est, habitavi cum habitantibus Cedar, multum peregrinata est anima mea. » Et inferius S. Melaniæ exemplum proponens : « S. Melania, inquit, nostri temporis inter Christianos vera nobilitas, cum qua tibi Dominus mihique concedat in die sua habere partem, calente adhuc mariti corpusculo duos simul perdidit filios, etc. Lacrymæ gutta non fluxit, stetit immobilis, et ad pedes advoluta Christi, quasi ipsum teneret, arrisit : Expeditius, inquit, tibi servitura sum, Domine, quia tanto me onere liberasti. »

Moral. de luctu defunctorum modo vando.

13. LUCTUS MORTUI SEPTEM DIES; FATUI AUTEM ET (*et* significat *id est*) IMPII, OMNES DIES VITÆ ILLORUM, — scilicet lugendi et plangendi sunt. Dat causam cur magis lugendus sit fatuus quam mortuus, *q. d.* Sufficiunt «septem dies» ad lugendum mortuum; at «fatui;» id est impii, «dies omnes vitæ» lugendi sunt, quia hi non tam vitæ quam mortis continuæ sunt dies. Hanc causam indicat Syrus, addens *enim : Luctus enim*, inquit, *mortui septem dies, et luctus stulti omnes dies vitæ ipsius.* Vers. 13.

Olim lugebant per septem dies.

Non negat quin pluribus diebus quam septem liceat lugere mortuos: nam Mosen planxerunt Hebræi per triginta dies, *Deuter.* XXXIV, Jacobum per septuaginta, *Genes.* cap. L, sed quod septem dies satis sint, ideoque apud Hebræos, quos postea secuti sunt Christiani, septenarius hic luctus funeris fuerit usu receptus; septenarius enim numerus est plenitudinis et revolutionis; post hebdomadam enim septem dierum, iidem dies revolvuntur, et in orbem redeunt. Unde Tigurina, *defunctus septenis diebus est lamentabilis; stultus autem et impius diebus vitæ suæ omnibus;* alii, *luctus mortui septem dierum est; stulti autem et impii omnium dierum vitæ ipsius.* Adde die septima finiri luctum; quia octava symbolum est resurrectionis, lætitiæ et felicitatis. Unde S. Augustinus, serm. 13 *De Sanctis*, ex nuper inventis ad finem tomi X, expendens citatum Ecclesiastici locum, ostendensque sicut homo moritur, recedente anima, ita animam recedente Deo; subdit : « An vero, inquit, non in te sunt viscera Christianæ miserationis, ut plangas corpus, a quo discessit anima; et non plangas animam, a qua recessit Deus? » Quasi nihil magis præposterum ac perversum esse possit.

Per *luctum* intellige ploratum et planctum (hic enim durabat per septem dies) in quo ejulabant; saccum sive cilicium induebant, caput cinere adspergebant, publico abstinebant. Adhibebant quoque tibicines et præficas, id est mulieres lamentatrices, quæ passis crinibus manus complodentes, pectora tundentes, et næniam lugubri voce modulantes, omnes excitabant ad planctum. Unde illud Poetæ:

Cantabat mœstis tibia funeribus.

Ritus lugendi mortuos olim.

Addebant Gentiles, præsertim Romani, laceraliones genarum, maledicta in deos, laniationem comarum, lacertorum et pectorum. Unde Virgilius, lib. IV *Æneid.*, de Anna Didonis mortem deplorante :

Unguibus ora soror fœdans, et pectora pugnis.

Post hunc tamen planctum, sive luctum sepulcralem et vehementem septem dierum, alium

addebant leniorem qui durabat per annum integrum. In hoc luctu funebri apud Romanos erat justitium; consules sedebant vulgari sede in curia; fasces præferebantur inversi; læta omnia vitabant; abstinebant publico; fugiebant convivia; focum non instruebant; uxoribus jam marito mortuo viduis, aliud inire matrimonium non licebat, tum ut maritum honeste lugerent, tum ut ejus manes placarent (quæ erat Gentilium superstitio); tum, ut ait Ulpianus, lib. VIII *ad Edit.*, « propter turbationem sanguinis, » ne, si forte prægnans a defuncto marito relicta esset uxor, et illa intra legitimum tempus alteri nuberet, dubitari posset cujus esset proles. Ita Romulus luctus tempus decem mensium spatio (todidem enim mensibus annum ipse definivit, teste Macrobio, lib. XI, cap. XII, cui postea Julius Cæsar duos addidit, fecitque ut essent duodecim menses in anno) circumscripsit, ut tanto tempore lugeretur hominis occasus, quanto fit ejus ortus. Novem enim vel decem mensibus homo formatur in utero matris. Unde Ovidius, lib. I *Fastorum* :

> Quod satis est utero matris dum prodeat infans,
> Hoc anno statuit temporis esse satis.
> Per totidem menses a funere conjugis uxor
> Sustinet in vidua tristia signa domo.

Idem docet Cicero, orat. *pro Cluentio*. Et Seneca, *epist.* 63. « Annum, inquit, feminis ad lugendum constituere majores, non ut tamdiu lugerent, sed ne diutius : viris nullum legitimum tempus est, quia nullum honestum. » Sic de Junio Bruto consule Romano ait Livius lib. II : « Matronæ annum ut parentem eum » luxerunt, quod tam acer « ultor violatæ pudicitiæ fuisset. » Sic et Gratianus, Valentinianus ac Theodosius Imperator annum lugendo marito præscripserunt, ut patet lib. II *Codicis Theodosii*.

Vers. 14. 14. CUM STULTO NE MULTUM LOQUARIS, ET CUM INSENSATO NE ABIERIS. — Est dictorum conclusio, *q. d.* Cum stulti, id est impii, suis peccatis affixi, sint incorrigibiles, ut moneri nolint, imo monita non audiant quasi dormientes et mortui; hinc infero et suadeo ut ab eorum consortio caveas, nec cum eis multum loquaris, incedas aut converseris; tum ne eorum insulsos improbosque sermones et mores audire et tolerare cogaris; tum ne ipsi suam stultitiam et improbitatem tibi afflent : qui enim versatur cum superbo, esto sit humilis, sensim ejus superbiam induit; qui cum avaro, ejus avaritiam ; qui cum guloso, ejus gulam; qui cum luxurioso, ex ejus obscœnis verbis et actibus quos quotidie aspicit, obscœnitatem etiam nescius et invitus imbibit. Unde Salomon *Proverb.* cap. XIII, vers. 20 : « Qui cum sapientibus graditur, inquit, sapiens erit : amicus stultorum similis efficietur; tum ne stulti et impii suum malum nomen et infamiam tibi affricent: qui enim cum improbis versantur, censentur improbi et malæ famæ; tum denique, quia cum eis, utpote desperatis, perdis oleum et operam. Unde Græca Complutens. addunt, *non sentiens* (non audiens, nolens attendere et advertere tua monita) *enim spernet omnia tua;* Tigurina vertit, *ne verba multa facias cum insipiente, nec ad excordem accesseris;* alii, *cum amente ne multiplices sermonem, et ad insipientem ne accedito;* Syrus, *cum stulto ne complaceas in sermonibus, et cum sue* (impio et carnali, qui loquitur et vivit sordide, ut sus et porcus) *ne incedas per viam.* Hoc est quod ait Salomon *Proverb.* XXIII, 9 : « In auribus insipientium ne loquaris, quia despicient doctrinam eloqui tui. » Et, cap. IX, 8 : « Noli arguere derisorem, ne oderit te. Argue sapientem, et diliget te. »

Vers. 15. 15. SERVA TE AB ILLO, UT NON MOLESTIAM HABEAS, ET NON COINQUINABERIS PECCATO ILLIUS. — Solent enim impii suis sceleribus sibi familiares et amicos in periculum litium, rixarum, carceris, privationis bonorum, infamiæ, mortis, peccati et gehennæ adducere. Græce pro *peccato* est, ἐν τῷ ἐντιναγμῷ αὐτοῦ, id est, *in concussione illius*. Unde Tigurina, *ne labem ex conquassatione* (Vatablus, *ex interitu,* vel *dum quid ejaculatur*) *ipsius contrahas;* alii, *ne contamineris iis quæ excusserit;* Syrus, *recede ab illo ne contristet te, et ne conspurcet, cum ipse excusserit se,* cum, scilicet, impia sua verba et opera protulerit : sicut mendicus cum suum centonem excutit, vicinos implet sordibus et vermibus. Unde Noster apte vertit, « et non coinquinaberis peccato illius. » Huc facit proverbium Hebræorum : « Væ improbo, et væ vicino ejus. » Et: « Qui cum improbo habitat, cum eo vapulat; » Et : « Propter folium vapulat caulis, » hoc est, propter impios pii eis familiares vituperantur.

Consortia pravorum pestifera.

Moraliter, disce hic quam noxia sit societas stultorum, id est perversorum, qui non ratione, sed stultitia, id est concupiscentia et imprudentia, aguntur. Horum enim consilia, colloquia, risus, actiones, etc., sunt pestifera, ac instar pestis contagium et virus suum aliis afflant. « Neque enim, inquit Nazianzenus, *orat.* 21, vel pannus tincturam ita facile concipit, vel is qui fœtido aut suavi odori propius se adjunxit, ejus particeps fit, vel vapor quidam morbidus et noxius pari facilitate in aerem diffunditur, ac per aerem animantibus impertitur, quam nos vero nomine pestem dicimus, ut subditi præfectorum vitio celerrime imbui atque impleri solent, et quidem multo facilius quam virtute. » Porro longe magis noxia est societas malorum, quam salutifera sit societas bonorum, tum quia ad malum procliviores sumus quam ad bonum, tum quia bonum est difficile et arduum, malum vero facile et in promptu. Audi S. Augustinum, lib. *Contra Fulgentium Donat.* cap. XVI : « Facilius, inquit, sanctus qui junctus fuerit genti huic pessimæ, pessimatur, quam gens ista in melius commutetur; quia proclivius ad imitationem malorum curritur, quam ad virtutes bonorum animus excitatur. Sicut mellis plurimo parum absinthii

injectum, velocem amaritudinem trahit : mellis vero etiamsi duplum injiciatur, non poterit ejus obtineri dulcedo. » Eadem autem mellis et absinthii similitudine utitur Nazianzenus ad idem, aliasque affert non reticendas : « Citius, inquit, exiguum vitium uberrime largissimeque cuipiam impertiri queat, quam vel copiosissima virtus parce communicari : nam et exiguum absinthium amarorem suum melli celerrime impertiverit; mel contra ne duplo quidem majus, dulcedinem suam absinthio infuderit : ac parvo quidem lapide summoto, flumen totum in pronum trahitur; ejusdem autem impetus firmissimo etiam aggere cohiberi reprimique vix potest. » Hujus rei symbolum erat apud Judæos, quod caro immunda et polluta suo contactu polluebat omnia quæ tangebat; caro vero sancta Deoque oblata non sanctificabat tangentes vel comedentes eam, uti docet Aggæus cap. II, 12. Vide ibi dicta.

Vers. 16. 16. DEFLECTE AB ILLO, ET INVENIES REQUIEM, ET NON ACEDIABERIS (tædio afficieris) IN STULTITIA ILLIUS. — Alii, *in amentia illius*; unde Tigurina, *nec ab amentia ejus mœrorem accipias;* Complutenses, *in otiositate illius.* Græce enim est ἐν ἀπονοιᾳ αὐτοῦ. Ἀπονοια autem *primo*, dicitur quasi ἄπονός, id est, sine labore, puta otium, segnities, socordia; *secundo*, ἀπόνοια est ἄνοια; nam deducitur a νοῦς νοός, id est, *mens*, cum ἀπό, id est, *sine*; et sic ἀπόνοια idem est quod sine mente, vecordia, amentia, vita flagitiosa et contaminata : item astus, superbia, arrogantia, contumacia, desperatio. Syrus, *recede ab illo, et invenies requiem, et non fatigabit te multitudine narrationum, suarum.* Quocirca sapienter P. Syrus Mimus in *Sentent.*: « Amicitiæ firmamentum, ait, est sapientia. »

Vers. 17. 17. SUPER PLUMBUM QUID GRAVABITUR? ET QUOD ILLI ALIUD NOMEN QUAM FATUUS? — Corrupte Complutenses legunt, *quam plumbum.* Sensus est, *q. d.* Gravissimum inter metalla resque omnes est plumbum; at illo gravior, onerosior et molestior est stultus, id est impius, præsertim quia in graves ærumnas, adeoque in gehennæ periculum se suosque conjicit, deprimit et demergit, quasi dicas : Impius est plumbeus, imo plumbum et plumbo onerosior. Tigurina, *quid nomines aliud quod gravius sit plumbo, quam stultum?* Syrus, *plumbo enim valde gravior est : et quod nomen ejus nisi stultus?* Alludit ad *Proverb.* XXVII : « Grave est saxum, et onerosa arena : sed ira stulti utroque gravior. » Vere S. Bernardus, tract. *De Vita Solit.*: « Malus homo, ait, nunquam tute secum habitat, quia cum malo homine habitat; et nemo ei molestior est, quam ipse sibi; » si sibi, ergo et aliis.

Vers. 18. 18. ARENAM, ET SALEM, ET MASSAM FERRI FACILIUS EST FERRE, QUAM HOMINEM IMPRUDENTEM, ET FATUUM, ET IMPIUM, — id est, quam impium, qui est imprudens et fatuus, quia imprudenter et fatue anteponit terram cœlo, tempus æternitati, gehennam gloriæ, rogum regno, venerem Deo. Non enim hi sunt tres distincti, sed unus et idem tria habens nomina quasi epitheta. Idem enim « imprudens est scientia, fatuus doctrina, impius vita, » ait Rabanus. Semper enim hoc libro per *fatuum, insipientem* et *imprudentem* intelligit impium. Unde Græca pro hisce tribus habent unum, scilicet ἀσύνετον, id est, imprudentem. Quem vers. præced. comparavit plumbo ponderosissimo, hic tribus aliis valde ponderosis pari modo comparat, nimirum, arenæ, sali et massæ ferri : hisce enim ponderosior est stultus et stultitia. Illa enim, ait Jansenius, corpus duntaxat gravant, hæc vero animum : illa facile excutiuntur, hæc ægre et raro; illa arte allevari possunt, puta curru, equo, mulo vectari queunt; hujus pondus nulla re naturali (sed sola Dei illuminatione et gratia) non dico tolli, sed nec minui potest : præsertim quia fatuus putat se esse sapientem, imo sapientibus omnibus sapientiorem : quare a nemine doceri aut moveri se patitur, sed ipse omnes vult docere et arguere, nihilque rectum putat nisi quod ipse dixerit aut gesserit. Quod sane ei qui cum eo versatur ingens est onus et molestia. Unde Syrus, *arenam, et salem, et pondus ferri facilius est ferre, quam habitare cum viro stulto*; Tigurina, *cum excorde.* « Igitur gravissima, ait Palacius, in mundo sunt plumbum, arena, sal et ferrum. At his gravior est stultus. Si enim deorsum ferri, gravitatis est signum : fatuus in infernum descendit, quo plumbum et alia gravissima descendere nequeunt. Et quidem fert Deus omnia, quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, et fert omnia verbo virtutis suæ : fatuum tamen non sustinet. Ait enim : Laboravi sustinens, *Isaiæ* I, 14, et tandem pondus in infernum excutiet. »

Impii sunt quasi bruta.

Quocirca Boetius, lib. IV *De Consolatione*, docet stultos, id est impios, non tam esse homines quam bestias. « Evenit igitur, inquit, ut, quem transformatum vitiis videas, hominem existimare non possis. Avaritia fervet alienarum opum violentus ereptor? similem lupi dixeris. Ferox atque inquietus linguam litigiis exercet? cani comparabis. Insidiator occultis surripuisse fraudibus gaudet? vulpeculis exæquetur. Ira intemperans fremit? leonis animum gestare credatur. Pavidus ac fugax non metuenda formidat? cervis similis habeatur. Segnis ac stupidus torpet? asinum vivit. Levis ac inconstans studia permutat? nihil ab avibus differt. Fœdis immundisque libidinibus immergitur? sordidæ suis voluptate detinetur. Ita fit, ut qui, probitate deserta, homo esse desierit, cum in divinam conditionem transire non possit, vertatur in belluam. » Hinc diducit hæc paradoxa, sed reipsa verissima. *Primum* : « Sicut igitur probis probitas ipsa fit præmium, ita improbis nequitia ipsa supplicium est. » *Secundum* : « Cum ipsum bonum beatitudo sit, bonos omnes eo ipso quod boni sunt, fieri beatos liquet; sed qui beati sunt, deos esse convenit. » *Tertium* : « Infeliciores esse necesse est malos, cum cupita perfecerint, quam si ea quæ cupiunt, implere non possint. Nam si miserum est voluisse prava,

Quinque corollaria. Primum. Secundum.

potuisse miserius est, sine quo voluntatis miseræ langueret effectus. Itaque cum sua singulis miseria sit, triplici infortunio necesse est ut urgeantur,
Quartum. quos videas scelus velle, posse, perficere. » *Quartum* : « Feliciores esse improbos supplicia luentes, quam si eos nulla justitiæ pœna coerceat. » Rationem subdit, quod ipsa peccandi impunitas magnum sit malum et infelicitas; ex adverso pœna castigans culpam magnum sit justitiæ bonum, quo carent improbi, dum manent impu-
Quintum. niti. *Quintum* : « Veram illam Platonis esse sententiam liquet, solos, quod desiderent, facere posse sapientes : improbos vero exercere quidem quod libeat; quod vero desiderent, explere non posse. Faciunt enim quælibet, dum per ea quibus delectantur, id bonum quod desiderant, se adepturos putant; sed minime adipiscuntur, quoniam ad beatitudinem probra non veniunt, » nec cupiditatem explent, nec mentem satiant.

Vers. 19. 19 et 20. LORAMENTUM (male nonnulli legunt, *ornamentum*; alii, *levamentum* pro *ligamentum*) LIGNEUM COLLIGATUM IN FUNDAMENTO ÆDIFICII NON DISSOLVETUR : SIC ET COR CONFIRMATUM IN COGITATIONE CONSI-
Vers. 20. LII. COGITATUS SENSATI IN OMNI TEMPORE, METU NON DEPRAVABITUR — « Loramentum » proprie est lorum, quo quasi retinaculo constringuntur et retinentur canes, boves cæteraque jumenta, quales sunt habenæ equorum. Hinc per catachresin *loramentum* significat quodvis vinculum et ligamentum, sive illud ex loris, sive ex catenis, sive ex lignis, sive ex alia materia sit factum. Hic ergo significat vinculum ligneum, sive aptam lignorum inter se connexionem et contignationem, quæ fit per clavos ligneos. Idem significat Græcum ἱμάντωσις, id est colligatio, conjunctio : ἱμὰς enim est lorum vel corrigia qua res colligantur ; item ferramentum rotæ. Rursum ἱμάντωσις est lignum, quod ad continendos parietes in medio structuræ ponitur, ait S. Hieronymus et Suidas.

Syrus pro ἱμάντωσις, legit ἱματισμός, id est *vestimentum*. Unde vertit, *sicut vestis ex lino* aut *lana alba* (ξυλίνη enim et ligneum significat, et lineum vel laneum, puta gossypinum; ξύλον est gossypium, sive bombax aut bombasum) *coram tempestate non consistit : ita et cor stulti in visceribus ejus contritum est, et coram tribulatione non potest consistere.*

Græca addunt συσσεισμῷ, id est in concussione, Sensus ergo, *q. d.* Sicut « loramentum, » id est alligamentum vel connexio trabium ædificii, quæ lignis et ligneis clavis quasi loris firmissime colligantur, non facile dissolvitur, nec vi ventorum concutitur : sic nec prudens et firmum sapientis consilium facile dissolvitur, aut vi tentationum, adversitatum, persecutionum infringitur vel concutitur : validis enim rationibus quasi clavis connexum et compactum est : quo fit ut sapientis animus non facile a suo proposito, prius bene expenso et consultato abducatur : cogitatus ergo sensati et prudentis, metu potentum et quarumvis difficultatum, non flectitur, non concutitur, ut ejus propositum evertatur aut depravetur : metum enim assimilat concussioni. Unde ex Græco sic vertunt Complutenses, *connexio lignea ligata in ædificium, concussione non dissolvitur : sic cor firmatum in cogitatione consilii, in omni tempore non timebit*; Tigurina, *ut compages et jugamenta lignea ædificio indita concussu non dissolvuntur : sic animus firmatus perpenso consilio nullo tempore pertimescet.* Vatablus pro *compages* vertit, *subscudes*. « Subscudes sunt tabellæ, inquit Fletus, quibus tabulæ inter se configuntur; sic dictæ, quia qua immittuntur, succiduntur. » Rursum subscudes sunt lignea retinacula, quæ etiam secriculæ a forma vocantur, quasi securiculæ, quibus duo tigna tenacissime inter se vinciuntur. Galli hirundinum caudas appellant. Sic Vitruvius, lib. XVIII, cap. x, vocat subscudem, molle ferrum molendini, quod molam continet. Et Pacuvius : « Nec ulla subscus continet compagem. » Alii vertunt, *compages lignea in ædificatione connexa commotione non dissolvitur : sic cor deliberato consilio firmatum nullo tempore, pertimescet*; Syrus, *sicut structura lignorum colligata in parietibus angulorum domus : sic cor intelligens in consilio mentis suæ, et omnis timor non dimovebit illud.* Hoc est quod canit Psaltes *Psal.* CXI : « Paratum cor ejus sperare in Domino, confirmatum est cor ejus : non commovebitur. »

Causa est, quod prudens prudenter omnia prævideat, examinet, disponat et connectat, contraque omnes tentationes et difficultates se præmuniat et obarmet. Imitatur enim Deum, cujus providentia et provida dispositio certa et inconcussa persistit, attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter; quia rerum omnium series et ordines adeo sapienter rationibus inter se connexuit, ut nulla hominum vel dæmonum vi everti possint. Hanc sapientiam inconcussam et inviolabilem justis, quasi suis amicis et filiis, per gratiam aspirat Deus : quo fit ut ipsorum consilia quasi divina, contra omnes dæmonum hominumque vires et fraudes inconcussa consistant. Sic de Fabricio dicebant Romani : « Facilius est solem a suo cursu, quam Fabricium a suo proposito deducere. » Talis fuit S. Athanasius, qui nullis imperatorum, episcoporum, totiusque orbis persecutionibus per 46 annos a proposito tuendi homousii contra Arianos deduci potuit. Tales fuere S. Basilius, S. Chrysostomus, S. Nazianzenus cæterique heroes Ecclesiæ. Tales fuere Martyres, de quibus canit Ecclesia :

> Hi pro te furias atque ferocia
> Calcarunt hominum, sævaque verbera :
> Cessit his lacerans fortiter ungula,
> Nec carpsit penetralia.

Moraliter, disce hic per Dei gratiam et consilium firmare cor tuum in proposito serviendi Deo, ut firmiter decernas nullo metu, pretio vel præmio a Dei cultu resilire. Hoc enim propositum dum perseverat, nullo temporis lapsu senescit, nullo tyrannorum metu evertitur. Si ædificium sancti-

tatis dirui debet, prius hoc propositum a corde auferatur oportet. Ita David *Psal.* CXVIII : « Juravi, inquit, et statui custodire judicia justitiæ tuæ. » A bonis ergo firmisque propositis crebro iteratis et confirmatis, pendet constantia virtutis, bonorum operum, sanctitatis et salutis.

Mystice Rabanus : « Loramentum, inquit, ligneum colligatum fundamento ædificii non dissolvitur, quoniam fides passionis Christi in cordibus credentium adjuncta doctrinæ Apostolorum, indissolubile ædificium Ecclesiæ facit, veræque charitatis glutino fortiter connexum, nec persecutorum minis et flagellis, nec hæreticorum insidiis unquam destrui permittit : firmum enim stat Domini fundamentum, et cor fidelis viri in hujusmodi dogmatibus confirmatum, aliqua adversitate infirmari non potest ; sed summi artificis manu corroboratum, illæsum permanet in perpetuum. »

SICUT ORNATUS ARENOSUS IN PARIETE LIMPIDO. — Dele hæc verba cum Romanis ; licet enim habeantur in Græco, tamen noster Latinus ea expressit verbis sequentibus, scilicet « cæmenta sine impensa posita ; » hæc enim sunt ornatus arenosus parietis, puta crusta ex calce et arena, quæ parieti superinducitur. Verum, quia id sciolus quispiam non advertit, hinc quod in Græco invenit, sic ad verbum expressit : « Sicut ornatus, » etc. Porro Græca hæc jungunt versui præced. hoc modo : « Cor firmum in mente intellectus vel consilii, sicut ornatus arenosus in pariete raso, » id est, terso, *q. d.* « Sicut ornatus arenosus, » id est calx mixta arenæ, puta cæmentum, parietem incrustat, firmat et ornat : sic et consilium viri prudentis cor firmat et ornat ; prudentia enim et solertia deliberandi et dijudicandi, animo sapientis ingens est munimentum, æque ac ornamentum. Unde Syrus, *cor sincerum in cogitatione mentis suæ, sicut ornamentum statuæ in parietibus ornatis* ; Tigurina, *animus sententia cordata nixus, est velut in polito pariete arenarum tectorium.* Græca tamen Romæ emendata hæc verba jungunt sequentibus, uti faciunt Latina ; unde sic habent, *sicut ornatus arenosus parietis limpidi, pali in excelso contra faciem venti positi non permanebunt : sic cor timidum in cogitatione stulti contra omnem timorem non resistet.*

Vers. 21 et 22.

21 et 22. SICUT PALI (minus recte nonnulli legunt *paleæ;* Græce enim est χάρακες, id est valli, id est firmiores pali cui vitis alligatur ; pedamentum dicunt Latini et statumen) IN EXCELSIS, ET CÆMENTA SINE IMPENSA POSITA CONTRA FACIEM VENTI NON PERMANEBUNT : SIC ET COR TIMIDUM IN COGITATIONE STULTI CONTRA IMPETUM TIMORIS NON RESISTET. — Cordi sapientis firmo, quod nullo metu concutitur, eo quod in omnibus se dirigat sano consilio et prudentia, opponit « cor timidum » stulti, quod quia consilio et prudentia destituitur, timore occurrentium difficultatum agitatur, sicut vento agitantur cannæ et « pali in excelso » collocati, et sicut « cæmenta sine impensa, » id est, leviter et temere (quia scilicet parcitum est calci, ut nimium sit arenæ, quæ tam exigua calce imbui et conglutinari nequeat ; vel quia calx negligenter fuit præparata, ut parceretur impensæ) præparata, injecta parieti, facile a vento, velut decidua, discutiuntur, vel pluvia diluuntur. Eodem enim modo et cor fatui, ait Jansenius, quod sibi non est bene conscium, et in bono firmatum non est, nec habet suarum actionum solidas rationes, mox, cum tempestas aliqua malorum ingruerit, timorem incutiens, non persistit ; sed dejicitur et turbatur, animi consiliique inops, nihil firmum sequitur, sed fluctuat, dilabitur, et in omnem se mutat occasionem. Unde Græca Complutensium habent, *sustentacula in alto posita contra ventum non permanebunt : sic cor timidum in cogitatione fatui contra omnem timorem non resistet ;* Tigurina, *ut positi in excelso valli ventum non sustinent : sic animus meticulosus in consultatione stulti contra nullum metum substiterit ;* alii, *ridicæ in sublime positæ adversus ventum non permanent : ita cor pavidum in cogitatione stulti adversus nullum metum subsistit.* Metus ergo discriminat cor sapiens et stultum ; nam vincit cor stulti, vincitur vero a corde sapientis. *Ridica* est pedamentum vinearum, quod e quercu et junipero solet fieri, et subinde olea. Ridicæ ergo sunt pali quernei, aut juniperini, vel oleagini, aut sambucei, etc., qui vites sustentant : quod Romæ faciunt cannæ, sive calami arundinum. Porro codices Græci et Latini hic mire variant. Vide Franciscum Lucam hic : sed sequenda nobis est Latina Vulgata Romæ emendata. Syrus, *ligamen parvum super lapide elevato, et qui parum bonus est coram vento non poterit stare.* Siracidi attestatur Christus *Matth.* VII, 24 : « Omnis, inquit, qui audit verba mea hæc, et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram : et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit : fundata enim erat super petram. Et omnis, qui audit verba mea hæc, et non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificat domum suam super arenam : et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et cecidit, et fuit ruina illius magna. »

Insipiens pavidus, sapiens impavidus.

Ratio a priori.

Ratio a priori hujus sententiæ est. *Prima,* quod sapientia, id est virtus, natura sua sit fortis et constans ; vitium vero et vitiosa conscientia sit pavida, levis et inconstans, de quo plura *Sapient.* cap. XVII, 3 et seq. *Secunda,* quod sapiens, id est prudens, nihil aggrediatur nisi prius bene libratum et discussum ; quare omnia agit ex præscripto prudentiæ, et ex sapientium consilio : consilium autem firmat hominem, et communit contra omnes incidentes casus, pericula et timores, ut in omnibus impavidus consistat. Imprudens vero et stultus, quia temere sua agit, sine præmeditatione et consilio, hinc, cum in rei ex-

secutione occurrunt difficultates et pericula, iis se expedire nequit; quare trepidat, angitur, et variis timoribus discruciatur. Igitur stultus similis est cervo ubique timido, quia innata est ei timiditas et pavor, de quo exstat apologus apud Gabrielem Faernum : « Hinnulum cum cervo sic locutum aliquando ferunt : Mi pater, cum multo sis major canibus, et pedum his celeritate præstes, præterea cum tibi sint ardua cornua, quibus a te vim propulsare facile possis : qui fit, ut canes tantopere metuas? Ibi cervus ridens : Mi nate, vera, inquit, memoras; mihi tamen, nescio quo pacto, semper accidit, ut audita canum voce, in fugam statim convertar. » Affabulatio : Apologus.

« Timidi et fugacis ingenii qui sunt, eos
Nulla arma, nulla texerint sat mœnia. »

Talis fuit Pisander, qui anxie metuebat ne suam ipsius animam alicubi videret, quæ se vivum dereliquisset. Unde proverbium : « Pisandro timidior. » Ita extimuit cor Adæ post comestum pomum vetitum : « Vocem, inquit, tuam audivi in paradiso, et timui eo quod nudus essem, et abscondi me, » *Genes.* III, 10. Ita pavidum fuit cor Caini post parricidium Abelis; unde ait: « A facie tua abscondar, et erò vagus et profugus in terra : omnis igitur qui invenerit me, occidet me, » *Genes.* IV, 14. Ita trepidarunt Ægyptii ad plagas Mosis, quorum pavorem graphice depingit Sapientia, cap. XVII, 3. Porro pavor hic ingens est malum et tormentum, juxta illud Arabum adagium : « Accidens (infortunium) patienti unum est, paventi autem geminum. » Et illud : « Pejor est bello timor ipse belli. »

Vers. 23. 23. SICUT COR TREPIDUM IN COGITATIONE FATUI, OMNI TEMPORE NON METUET, SIC ET QUI IN PRÆCEPTIS DEI PERMANET SEMPER. — Jansenius et Franciscus Lucas censent hunc versum irrepsisse ex varia translatione vers. præced., tum quia hic versus deest in Græco, eumque omittit Rabanus, tum quia incongruum videtur habere sensum, tum quia in speciem repugnat versui præcedenti. Verum, quia Biblia Latina pleraque, etiam a Romanis correcta, eum constanter legunt : *primo*, Jansenius eum sic nectit et exponit : « Omni tempore non metuet sic, » scilicet, sicut stultus, « et, » id est etiam, « ille qui in præceptis Dei permanet semper, » *q. d.* Stultus metuet, at non etiam id faciet sapiens et justus. Unde Biblia Bessarionis, Brugensia et Atrebatensia, quæ citat Franciscus Lucas, omittunt τὸ *sicut cor trepidum in cogitatione fatui*, sicque legunt quasi sequitur : « Et in omni tempore non metuet qui in præceptis Dei permanet semper; » quæ sane lectio plena et apta est hoc loco.

Secundo, sequendo editionem et distinctionem Romanam, hic erit sensus, *q. d.* Sicut cor fatui trepidum ad terricula humana, nunquam metuit ruinas et terriculamenta divina, puta non timet Deum, non judicium, non dæmonem, non infernum : sic ex adverso sapiens, qui permanet in præceptis Dei, non metuit terriculamenta humana, sed divina. Aut potius, ut aptius cohæreat præcedentibus, *q. d.* Fatuus « non metuit omni tempore, » sed aliquo tantum, nimirum tempore timoris, uti præcessit, quando, scilicet, timor paupertatis, infamiæ, adversitatis aut cladis eum invaserit. At vere sapiens, qui in præceptis Dei permanet, semper non metuet, semper erit metus et timoris expers, unde Rabanus pro *sic et qui*, legit *sed qui*, ut vis antitheseos consistat in τῷ *non omni tempore*, et *semper*, *q. d.* Stultus omni tempore non metuet, sed aliquo; at sapiens semper non metuet, id est, nunquam metuet; nimirum, non metuet paupertatem, non persecutionem, non mortem, non dæmones, non gehennam : quia « perfecta charitas foras mittit timorem, » I *Joan.* IV, 18 : vide ibi dicta. Hinc justus confidit ut leo, imo morti insultat, uti fecit S. Andreas, S. Ignatius, S. Polycarpus, S. Laurentius, S. Vincentius, etc. Metus ergo spoliationis, infamiæ, incarcerationis, mortis, est lapis lydius quo discriminantur stulti a sapientibus et cordatis : stulti enim metui cedunt; cordati constanter et fortiter resistunt, ut sapientiam et justitiam conservent. Exempla.

Præclare S. Gregorius Nazianzenus in *Distichis* : « Ut incus maxima, inquit, ictus non pertimescit : sic mens sapiens omne detrimentum extrudit. Ut foliorum strepitus exterrent lepores, ita rerum umbræ timidos homines atque ignavos. » Sapiens ergo audet ut leo, insipiens pavet ut lepus; illius cor leoninum est, hujus leporinum. Hinc S. Pancratius martyr ad Diocletianum : « Noli, inquit, Imperator, frustra decipi, quod me puerum vides. Nam Dominus Jesus Christus eam mihi mentem infudit, ut nullos terrores principum aut judicum reformidem. » Et S. Acathius centurio et martyr : « En, inquit, corpus ad flagella paratissimum, utere eo ut libet; animi verò mei propositum nec Imperator, nec omnis dæmonum malitia evertere poterit. » Gnomæ.

PUNGENS OCULUM DEDUCIT LACRYMAS : ET QUI PUNGIT COR, PROFERT SENSUM. — Rabanus hæc jungit præcedentibus, sicque legit, *sed qui in præceptis Dei permanet, semper pungens oculos deducet lacrymas.* Verum Græca et cæteri Latini legunt et dispungunt eo modo, quo Vulgatus Interpres. Sensum jam dabo.

SECUNDA PARS CAPITIS.

DE CAVENDIS CONVICIIS ET INJURIIS IN AMICITIA, DEQUE SERVANDA FIDE AMICO IN ADVERSIS ET SECRETIS.

Vers. 24. 24. PUNGENS OCULUM DEDUCIT LACRYMAS, ET (id est *sic*, similiter, simili modo) QUI PUNGIT COR, PROFERT SENSUM. — Pro *sensum* Græce non est σύνεσιν, id est sapientiam, prudentiam, sed αἴσθησιν, id est, sen-

sationem, qua sentitur ipsa punctio et punctura, *q. d.* Sicut oculus dum pungitur, ostendit se hanc puncturam sentire et dolere, huncque suum sensum et dolorem testatur per lacrymas, quas velut sui indices emittit et profundit : ita similiter, « qui pungit cor, » id est mentem, minando, laudando, terrendo, interrogando, agitando, vexando, objecta amoris vel odii proponendo, etc., « hic profert sensum, » id est, affectus iræ, lætitiæ, timoris proritat et prodi facit, ut illi se has minas, laudes, terrores, vexationes sentire per signa externa significent. Unde Tigurina, *qui pungit oculum*, inquit, *elicit lacrymam : qui cor stimulat, affectus pruritat;* alii, *patefacit sensum.*

Analogiæ cordis et oculi quinque.

Apposite cor comparat oculo. *Primo*, quia utrumque est præstantissimum hominis membrum, æque ac tenerrimum. *Secundo*, utrumque valde est sensibile. Unde sicut oculus est sedes lacrymarum, ita cor est sedes passionum et affectionum animi. *Tertio*, quia sympathia est inter cor et oculum; cor enim suos affectus amoris, odii, iræ, lætitiæ, tristitiæ, pavoris, sollicitudinis maxime ostendit per oculos. *Quarto*, quia quod oculus est in capite, hoc est cor in pectore; sicut enim præcipuus sensus externus, puta visus, quo homo percipit sentitque res omnes, est in capite : sic præcipuus sensus internus, quo omnes animæ affectiones circa res quaslibet sentiuntur ab homine, est in corde. Quare sicut oculus est quasi cor capitis et sensuum exteriorum : sic vicissim cor est quasi oculus pectoris et sensuum interiorum. *Quinto*, sicut oculus, quia tener, illico in punctura suum dolorem per lacrymas significat : ita cor suam in punctura sensationem, per affectus internos et externos manifestat.

Porro sententia hæc, quia generalis, cuilibet punctioni cordis, et cuilibet ejus sensationi aptari potest; proprie tamen Siracides respicit ad puncturam, qua læditur amicus et amicitia, de qua enim agit in sequentibus, *q. d.* Sicut qui oculum alterius pungit, eum dolore afficit, facitque ut ipse dolorem suum indicet per lacrymas : sic qui pungit amici cor verbis mordacibus et aculeatis, aut factis injuriosis; hic illud dolore afficit, facitque ut ipsum hunc sui doloris sensum per gemitus, fremitus, suspiria verbaque dolentia significet; cum enim sedes tristitiæ cor sit, cor punctum contumelia, gemitu et lacrymis ubertim manat, quæ ingentis mœroris testes sunt. Ita Syrus, *plaga* (vel percussio) *oculi*, inquit, *descendere facit lacrymas, et plaga cordis aufert amicitiam.* Tacite ergo admonet, ut caveamus ab omni injuria et mordacitate, ne illa amicum offendamus, et amicitiam evertamus. Idem clarius significat sequent. versu, alia avium similitudine. Unde Palacius sic explicat : « Vis, inquit, cognoscere, quali sensu quilibet est? punge cor ejus, illum aliquo verbo exstimula, aliqua injuria vel molestia affice. Ut enim naturale est oculo puncto lacrymas proferre : ita cordi puncto, sui specimen et indicium producere. Facile abscondas cor tuum, si tibi detur cogitandi locus; at, si subito pungaris, subito proferes quis sis, scilicet mansuetus, patiens, humilis, aut contra. »

25. MITTENS LAPIDEM IN VOLATILIA, DEJICIET (Græce ἀπιοῖ θει, id est, abigit, repellit, excutit, alienat) ILLA : SIC ET QUI CONVICIATUR AMICO, DISSOLVIT AMICITIAM, — *q. d.* Sicut jaciens lapidem in aves, dejicit et depellit illas ex arbore in qua resident, illasque abigit et avolare facit : ita « qui conviciatur amico, « depellit abigitque illum, » ejusque « amicitiam » alienat et « dissolvit. » Monet ergo in amicitia summe cavendum a convicio, utpote quod sit quasi telum jactum in amicum, eum fugans et offendens. Amici enim ab amicis non ferunt probra, sed ab eis coli et honorari volunt. Hanc autem amicitiæ legem transgreditur, qui hostis ingenium induens, dedecore afficit amicum, ejusque vitia in publicum prodit, percutiens eum mucrone convicii. Agit enim hic de convicio non levi et familiari, sed gravi, quod amici famam adimit, aut valde lædit. Unde Syrus, *qui projicit lapidem in avem, avolare facit eam; et qui fraudat socium suum, tollit* (alia lectio habet perdit) *amicitiam ejus*; Tigurina, *qui volucres lapide petierit, abiget eas : qui probrum objicit amico, dirimit amicitiam.* Addit Syrus, *erga amicum tuum ne muteris, et si mutatus fueris, ne speres futuram tibi cum illo amicitiam.* Huc facit gnome P. Syri : « Amicum lædere ne joco quidem licet. » Et : « Amicum perdere est damnorum maximum. Tanti homo est absque amico, quanti corpus sine spiritu. » Nimirum « amicus est fidus solatii portus. Pessima promptius cum amicis, quam solus optima perferas. » Vers. 25.

26. AD AMICUM ETSI PRODUXERIS GLADIUM, NON DESPERES : EST ENIM REGRESSUS. Vers. 26.

27. AD AMICUM SI APERUERIS OS TRISTE, NON TIMEAS : EST ENIM CONCORDATIO; EXCEPTO CONVICIO, ET IMPROPERIO, ET SUPERBIA, ET MYSTERII REVELATIONE, ET PLAGA DOLOSA : IN HIS OMNIBUS EFFUGIET AMICUS. — « Os triste, » id est, os iratum, ut iracunda, morosa, acerba, minacia verba protulerit. Sic *tristis* pro *irato*, sævo et minaci sumitur, cum dicitur : « Acheron tristis, bellum triste, arma tristia, » quia tristitia in fronte hominis crudelitatis, iræ, minarum indicium est. Hinc Virgilius, II *Æneid.* : Vers. 27.

Quo tristis Erinnys,
Quo fremitus vocat.

Ibidem :

Illi mea tristia facta,
Degeneremque Neoptolemum narrare memento.

Ibidem :

Isque adytis hæc tristia dicta reportat:

tristia, id est minacia. Et Lucilius : « Timeo certe ne mihi sit tristior, » id est iratior. Tristitia enim et ira sese invicem comitantur; irascimur enim malo de quo tristamur, ac vicissim tristamur de

malo cui irascimur. Hinc Virgilius, *Ecloga* 2, vocat *tristes iras*, quia tristes faciunt. Et :

Corque meum penitus turgescit tristibus iris.

Quod citat Cicero, *Tuscul.* III.

Ostendit quam convicium sit noxium amicitiæ ex comparatione aliarum injuriarum, *q. d.* Etiamsi ex subita ira et cholera strinxeris gladium in amicum, ne desperes de amicitia; facile enim licebit per submissionem et pœnitentiam cum eo in gratiam redire. Multo magis si ex mentis præcipitatione, passione, et perturbatione aperueris os triste, ut amarulentius verbum in amicum jeceris, eumque contristaveris, non timeas eum amicitiæ renuntiaturum; est enim modus et locus reconciliationi. Excipe tamen convicium destinatum, superbiam, secreti revelationem, et plagam dolosam : in his enim læditur cor amicitiæ. Quocirca amicus si iis impetatur, quasi lethalibus telis confixus, irrevocabiliter aufugiet, eritque irreconciliabilis. Unde Tigurina, sive Vatablus, *si gladium strinxeris in amicum, spem ne abjicias : est enim in gratiam reditio. Si verbis invectus fueris in amicum, ne metuas ; locus enim reconciliationi superest ; dummodo convicium, aut superbia, aut arcani patefactio, aut ictus insidiosus abfuerit : his enim omnis amicus fugabitur ;* Syrus, *erga amicum tuum etiamsi eduxeris gladium, ne despondeas animo, est enim illi regressus. Et si adversus amicum aperueris os, ne timeas, quia est illi reconciliatio. Filius ignominiæ est ille, qui revelat secretum ; plaga destructionis* (vel *fraudulenta*) *aufert amicitiam.* Igitur docet hic Siracides reconciliabiles esse injurias in amicum, vel verbis vel factis editas, quæ ex subita passione committuntur, ac proinde honorem et famam amico non auferunt : irreconciliabiles vero esse eas quæ destinato et meditato perpetrantur, ideoque indices sunt non subitæ iræ, sed permanentis odii ; aut quæ honorem et famam amico adimunt. Talem esse docet *primo*, convicium, id est, probrum destinatum vel deliberatum, jactum in bonum nomen et dignitatem amici, eamque lædens vel auferens.

Quinque vitia abrumpunt amicitiam.

Primum.

Secundum.

Secundo, talem esse ait *improperium*, id est, beneficii collati exprobrationem, qua quis improperat amico ipsum beneficio esse ingratum et indignum, ac pro beneficiis rependisse maleficia.

Tertium.

Tertio, talem esse asserit *superbiam*, qua quis arroganter se super amicum extollit, eumque despicit et deprimit. Amicus enim amico cupit esse par et æqualis : et amicitia est quædam paritas et æqualitas. Quare « amicitia omnis expers est superbiæ, » ut habet vulgare proverbium, et S. Ambrosius loco mox citando.

Quartum.

Quartum est *mysterii*, id est, arcani sive secreti, quod amicus amico credidit, *revelatio ;* hanc enim omnes indigne ferunt, censentque insignem esse infidelitatem et injuriam. Secretum enim suum quisque amat, ut cor proprium, illudque nemini credit, nisi sibi et amico, qui est alter ego. Quare qui secretum prodit, cor quasi amici prodit et aufert. Huc facit gnome P. Syri : « Amicitiæ coagulum unicum est fides. »

Quintura.

Quintum est *plaga dolosa*, cum quis scilicet ex insidiis et fraudulenter amicum lædit, aut officio, gradu vel dignitate dejicit et deturbat. Quocirca Salomon *Proverb.* XXV, 17 : « Jaculum, inquit, et gladius, et sagitta acuta, homo qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium. » Unde S. Ambrosius, lib. III *Offic.* cap. XVI : « In his rebus, ait, requirenda est veritas testimonii, ne amicus appetatur amici perfidia, cujus fide absolvi debebat. Amicus itaque neque noxio gratificari debet, neque innocenti insidiari. » Hæc quinque igitur petunt jugulum amicitiæ, amicosque adeo alienant et offendunt, ut tesseram diffringant sine spe redintegrationis et reconciliationis.

Id ita fit sæpe et communiter, si naturam et gratiam ordinariam spectes, at non semper. Omnia enim superat insignis Dei gratia, ac perfecta charitas hæc et plura exsorbet, nec ulla re violari se sinit, quin potius quibuslibet offensis quasi flabellis, ejus flamma magis accenditur et inardescit. Unde S. Ambrosius, lib. II *De Interpellatione Job*, cap. II, explicans illud *Job.* cap. XIX, vers. 7, juxta Septuaginta : « Ecce rideo opprobrio, et non loquar, » ait Job præ gaudio ridere in contumeliis. In conviciorum vero tolerantia tres gradus assignat, nimirum *tacere, ridere, benedicere.* In primo collocat Davidem, qui cum esset rex, et petulanter a vili Semei malediceretur, tacitus, gemens et orans probra ejus excipiebat. In secundo, altiori utique et perfectiori, reponit Job, qui in contumeliis ridebat quasi Evangelicæ perfectionis æmulator, et illius beatitudinis particeps, quam Christus octavo loco, quasi summo, tanquam perfectionis culmen constituit, dicens : « Beati estis cum maledixerint vobis homines ; gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis, » *Matth.* V, 11. In tertio denique, Evangelii athletam Paulum, Judæis maledicentibus benedicentem, primipilum ponit : « Et si servus, inquit, proteruit, et, si pauper conviciatur, tacet justus ; et, si peccator opprobria jacit, justus ridet ; et, si infirmus maledicit, justus benedicit. Tacebat David cum Semei malediceret, Job ridebat, Paulus benedicebat, sicut ipse ait : Maledicimur, et benedicimus, » I *Cor.* IV. Quocirca merito exclamat Palacius : « O Christo gratia, cum quo reconciliatio patet, etiamsi his omnibus eum læserimus. Eidem sit etiam gratia, qui jussit, ut etiam his omnibus læsi, proximo reconciliemur. Si enim non dimittimus ex cordibus nostris, nec dimittetur nobis. Ergo tempora illa veteris legis non ita exigebant amicitiam nostram, ut Evangelica tempora. Tunc enim dicebatur : Odio habebis inimicum tuum ; nunc autem : Diligite inimicos vestros. »

Tres gradus patientiæ.

28. FIDEM POSSIDE CUM PROXIMO IN PAUPERTATE ILLIUS, UT ET IN BONIS ILLIUS LÆTERIS. — Legit εὐ-

Vers. 28.

ῤῥανθῇς, id est *lœteris;* et ita legunt Complutenses. Verum Romana, et alii legunt, ὁμοῦ πλησθῇς, id est *simul implearis.* Unde Tigurina, *præbe te fidum amico pauperi, ut una lœteris rebus ejus felicibus;* alii, *ut bonis ejus una fruaris;* Syrus, *sustenta proximum tuum in paupertate sua, ut etiam in bonis ejus communices.* Monet in egestate et adversis fidem et opem præstandam amico, in eoque discerni verum amicum a ficto et ollari, ac mercedem et fructum assignat, nimirum hac ratione eum prosperitatis, afflante fortuna, amico redituræ participem fore. Horum enim eum consortem faciet amicus, ut gratias ei referat, et fidem fidei rependat. Huc facit gnome P. Syri :

Amicum, an nomen habeas, aperit calamitas.
Amico ea exhibeto, quæ velis tibi.

Et illa vulgata, « amicitiam retinet fides et veritas. Amicus amici actu lætatur uti suo. Amicitia ollaris fervet, quamdiu olla fervida est. » Exemplum illustre est in Christo et Apostolis, quibus proinde ait Christus : « Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et (idcirco) ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo ; et sedeatis super thronos judicantes duodecim tribus Israel, » *Lucæ* XXII, 28.

Vers. 29. 29. IN TEMPORE TRIBULATIONIS ILLIUS PERMANE ILLI FIDELIS, UT ET IN HÆREDITATE ILLIUS COHÆRES SIS. — Quod dixit de paupertate, nunc de quavis tribulatione dicit, scilicet, in omni fidem amico servandam. Mercedem assignat hæreditatis participium, nimirum, cum amicus hæreditatem patris, avunculi, aut cognati nactus fuerit, ejus participem facturum amicum, qui in tribulatione, ac præsertim in exspectatione et lite hæreditatis, illi fideliter opibus, ope, et opera astiterit, imo subinde eum hæredem instituturum.

Ubi nota moris olim fuisse amicis partem aliquam hæreditatis testamento relinquere, ut in historiis Romanis videre est. Sic enim Mæcenas Augustum Cæsarem, quasi amicum, ex asse hæredem instituit. Unde Tigurina vertit, *fidem ei serves tempore calamitatis, ut una cum eo venias in possessionem ipsius ;* alii, *tempore adverso permane apud ipsum, ut patrimonii ejus hæres fias ;* Syrus, *in tempore angustiæ esto illi socius, ut etiam in hæreditate ejus hæredites.*

Hinc moraliter infert Palacius : Ergo cum Christus in membris suis, puta in pauperibus et afflictis, paupertatem patiatur et tribulationem (ait enim ipse Saulo *Actor.* IX : « Saule, Saule, quid me persequeris ») ? simus illi fideles, communicando minimis ejus opem opesque nostras, « ut deinde ipse nobis communicet suas longe ditiores et copiosiores. »

Græca Complutensium, et alia hoc loco hunc versum subnectunt, quasi causam præcedentis : « Non despicienda enim semper circumscriptio, » id est, res circumscripta et arcta : « Neque mirabilis dives mentem non habens ; » vel, ut clarius vertit Tigurina, *non enim spernenda semper angusta res est, nec dives mentis inops admirandus.* Verum Codices Græci Romæ correcti, Syri et Latini omnes illum omittunt.

Vers. 30. 30. ANTE IGNEM CAMINI VAPOR, ET FUMUS IGNIS INALTATUR : SIC ET ANTE SANGUINEM MALEDICTA, ET CONTUMELIÆ, ET MINÆ. — Hæc more Hebræo ad versum non proximum, sed remotiorem sunt referenda ; pertinent enim ad convicia, a quibus abstinendum monuit vers. 25 et 27. Hic enim conviciorum terminum et damnum assignat, scilicet, cædes et vulnera. Sensus ergo est, *q. d.* Abstine a conviciis, maledictis et rixis, quia sicut ex fumo naturaliter sequitur ignis, id est flamma omnia comburens : sic ex conviciis, maledictis et rixis sequitur effusio sanguinis, et cædes omnia vastans. Verissimum enim est illud Mimi : « Ab altero exspectes, alteri quod feceris. Litem lis parit, noxa noxam. »

Convicii et fumi quatuor analogiæ.

Apposite comparat convicium fumo, cædem flammæ : *primo,* quia sicut ex igne latente exsurgit fumus, sic ex ira et excandescentia animi prodeunt convicia et jurgia ; *secundo,* sicut ignis latens fumum conglomerat in altum, sic ira multiplicat convicia et rixas, ac a levibus sensim ascendit ad graves, graviores et gravissimas.

Tertio, sicut fumus obnubilat oculos corporis, ut nec flammam, nec rem quæ flamma aduritur, nec incolas, nec quid aliud videant ; sic iræ et rixæ obnubilant oculos mentis, ut irati nec suam iram, nec damna ex ea sibi illisque obventura videant.

Quarto, sicut fumus vertitur in flammam maximam, quæ omnia populatur ; sic rixæ utrimque rixantium animos accendunt, ut in mutua verbera et cædes grassentur. Græca de more breviter sic habent, *ante ignem vapor camini et fumus, sic ante cruores convicia ;* Tigurina, *vapor camini fumusque præcedit ignem ; ita convicia, contumeliæ atque minæ præcurrunt effusionem sanguinis,* Syrus, *coram igne fumat fumus, et coram effundente sanguinem contumelia.* Unde, sicut fumus elicit, protrudit et convolvit fumum, ac vicissim ab alio sequente elicitur, protruditur et convolvitur ; sic et convicium unius elicit, protrudit et convolvit convicium alterius in quem jactum est, ac vicissim ab altero par pari referente dicitur et protruditur ; quare fumi vicaria successio, exaltatio et convolutio expressa est species et imago rixæ, pugnæ et duelli.

Mystice Palacius : Antequam in inferno, inquit, accendatur ignis in titionibus damnatorum, præcessit fumus peccatorum nostrorum ; et ante sanguinem quem Dei gladius educet ex miseris, præcesserunt ejus minæ et maledicta contra peccata, et nostræ contra eum contumeliæ.

Vers. 31. 31. AMICUM SALUTARE NON CONFUNDATUR (alii legunt, *non confundaris*), A FACIE ILLIUS NON ME ABSCONDAM ; — alii legunt, *non abscondaris.* Unde Syrus,

si pauper factus fuerit amicus tuus, ne rubore afficias eum, et a conspectu ejus non abscondaris. Siracidi succinit R. Matthias in *Pirke Avoth,* id est, in *Apopthegm. Patrum* : « Præveni, inquit, salutatione quoslibet tibi obvios. Melius est tibi caudam esse leonibus, quam vulpeculis caput;» sive: « Plus expedit ultimum esse in numero bonorum, quam caput et primipilum malorum. »

Vers. 32. Amici est salutare amicum.

32. ET SI MALA MIHI EVENERINT PER ILLUM, SUSTINEBO. OMNIS QUI AUDIET, CAVEBIT SE AB EO, — *q. d.* Amicum, quamvis in paupertatem, tribulationem, periculum fortuna eum dejecerit, salutare, et officiis amici prosequi non verecundabor, nec ab eo me abscondam; quod si (quæ humana ingratitudo est) per amicum postea aliquod mihi malum contigerit, ictum illum pro amicitia et officio meo patienter et fortiter sustinebo. At qui me læsum ab illo audierit, illum, scilicet, violasse amicitiam et amico nocuisse, hic utique detestabitur eum, et cavebit ab eo, tanquam ab infido et ingrato proditore. Aut potius cum Glossa et Lyrano, imo S. Ambrosio (cujus locum et verba mox citabo), *q. d.* Tanti sunt amici fructus, ut etiamsi per illum, id est, propter illum, illius causa, mihi mala evenerint, sustinenda sint : « Omnis autem qui audiet hoc, » id est quia superius dixi, scilicet, quanta sint bona et commoda veri amici veræque amicitiæ: ille totis viribus cavebit ab illo, scilicet, amico lædendo; nimirum omni studio cavebit ne injuria, convicio, perfidia, etc., amicum offendat, alienet et amittat. Huc faciunt duo paradoxa, et in speciem contraria P. Syri : « Amici vitia nisi feras » per compassionem, « facis tua » per impatientiam. « Amici vitia si feras » per conniventiam, « facis tua » per tacitum consensum; dum enim ea non corrigis, cum potes, videris eis consentire. Porro Syrus alio abit, dum pro secundo versu hunc substituit, *si revelat tibi proximus tuus secretum suum, ne palam facias illud, ne quicumque audierit, se caveat a te, et tanquam virum damnosum reputet te.*

Nota : Pro *salutare* Jansenius opinatur legendum *salvare.* Nam Græce est σκέπασαι, id est *tueri,* protegere, defendere. Verum Noster legit ἄσπασαι, id est *salutare* (amici enim est amicum benevole salutare, imo prævenire salutando : « Nam amicitias plures rumpit silentium »), et ita legit S. Ambrosius, lib. III *Offic.* cap. VII : « Amicum, inquit, salutare non erubescam, et a facie illius non me abscondam; siquidem vitæ et immortalitatis medicamentum eum esse Ecclesiasticus cap. VI, testatur. Et summum in charitate præsidium nemo dubitaverit, cum Apostolus dicat: Omnia suffert, omnia sperat, omnia credit, omnia sustinet, I *Corinth.* XIII, et cap. VIII. Quod si eum inveneris, qui vivacitate ingenii, mentis vigore atque auctoritate præstet, et accedat eo, ut exemplo et usu paratior sit, præsentia solvat pericula, prospiciat futura, denuntiet imminentia, argumenta expediat, remedium ferat in tempore, paratus sit non solum ad consulendum, sed etiam ad subveniendum; huic ita fides habetur, ut dicat qui consilium petit : Et si mala mihi evenerint, per illum sustineo. Hujusmodi igitur viro salutem nostram et existimationem committimus, qui sit (ut supra diximus) justus et prudens. Facit enim justitia, ut nullus sit fraudis metus; facit etiam prudentia, ut nulla sit erroris suspicio. » Et cap. XVI : « Defer amico ut æquali, nec te pudeat ut prævenias amicum officio. Amicitia enim nescit superbiam. Ideo Sapiens dicit : Amicum salutare non erubescas. Nec deseras amicum in necessitate, nec derelinquas eum, neque destituas, quoniam amicitia vitæ adjumentum est. Ideo in ea onera nostra portemus, sicut Apostolus docuit. Dicit enim his quos eadem complexa est charitas: Etenim si amici secundæ res amicos adjuvant, cur non et in adversis amici rebus amicorum adjumentum suppetat? Juvemus consilio, conferamus studio, compatiamur affectu. Si necesse est, toleremus propter amicum etiam aspera. Plerumque inimicitiæ subeundæ sunt propter amici innocentiam, sæpe obtrectationes, si restiteris vel responderis, cum amicus arguitur et accusatur; nec te pœniteat ejusmodi offensiones. Justi enim vox est : Et si mala mihi evenerint propter amicum, sustineo. In adversis enim amicus probatur, nam in prosperis amici omnes videntur. Sed ut in adversis amici patientia et tolerantia necessaria; sic in prosperis auctoritas congrua est, ut insolentiam extollentis se amici reprimat et redarguat. » Probat id ipsum exemplis S. Job et Davidis, ac deinde subjicit : « Quid est enim amicus nisi consors amoris, ad quem animum tuum adjungas atque applices, et ita misceas, ut unum velis fieri ex duobus, cui te tanquam alteri tibi committas, a quo nihil timeas, nihil ipse, commodi tui causa, inhonestum petas? Non enim vectigalis amicitia est, sed plena decoris, plena gratiæ. Virtus est enim amicitia, non quæstus; quia non pecunia quæritur, sed gratia, nec licitatione pretiorum, sed concertatione benevolentiæ. Denique meliores amicitiæ sunt inopum plerumque, quam divitum; et frequenter divites sine amicis sunt, quibus abundant pauperes; non est enim vera amicitia ubi est fallax adulatio. Divitibus itaque plerique assentatorie gratificantur. Erga pauperem nemo assentator est. Verum est quidquid defertur pauperi, hujus amicitia invidia vacat. Quid amicitia pretiosius, quæ Angelis communis et hominibus est? unde et Dominus Jesus dicit : Facite vobis amicos de iniquo mammona, qui recipiant vos in æterna tabernacula. »

Officia amici ex S. Ambrosio.

33. QUIS DABIT ORI MEO CUSTODIAM, ET SUPER LABIA MEA SIGNACULUM CERTUM, UT NON CADAM AB IPSIS (per ipsa), ET LINGUA MEA PERDAT ME? — Postquam ostendit quanta ex conviciis et vitiis linguæ damna inter amicos sequantur, exclamat : « Quis dabit,» etc., *q. d.* O utinam mihi aliquis det custodiam ori meo, qua quasi sigillo certo, id est, Vers. 33.

fido et securo, obsignentur labia mea, ne per illa cadam in damna jam recensita, ac lingua mea perdat me! Alludit ad *Psalm.* CXL : « Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis; » id est, ostium circumstans, claudens, custodiens labia mea. Unde S. Augustinus legit : *Ostium continentiæ labiis meis;* Theodotion et Aquila, *super labia mea, q. d.* Sicut civitas custoditur custodia militari, ita os meum custodias, o Domine, per gratiam tuam, ne quid effutiam per impatientiam et desperationem in hisce malis contra hostes meos. Ita Theodoretus ibidem. Rursum, sicut domus custoditur ostio, ut nihil quod obesse possit, exeat aut introeat in domum: sic pariter gratia tua custodiat labia mea, ne per ea quid exeat impurum aut vitiosum. Aut generalius : « Pone ostium circumstantiæ, » id est, murum toti domui, id est, labiis et corpori meo, qui omnes meas fenestras, id est quinque sensus, custodiat, ait S. Hieronymus ibidem. Ubi sagaciter notat S. Augustinus dici *ostium*, non *claustrum*, quia os quasi ostium aperiri debet ad confessionem peccati, et Dei laudem, sed claudi ad opus peccati ejusque excusationem.

Nota : Pro *signaculum certum*, uti legit Noster et S. Augustinus in *Speculo* et lib. *De Gratia et libero arbitr.* cap. XVI, Græca legunt σφραγῖδα πανοῦργον, id est, sigillum astutum, cautum, prudens, ut, scilicet, cautus et prudens sim, in hoc sigillo continendo et resignando, ne incaute et imprudenter illud vel obsignem et claudam, vel resignem et aperiam. S. Chrysostomus, homil. 4 *ad baptizandos* legit πανουργίας, id est, *astutiæ*, hoc est, ut Tigurina vertit, *sigillum sapientiæ*. Sic etiam legit S. Eprem, *De Timore Dei*, ubi Interpres vertit, « signaculum versutum; » Syrus vertit, *signaculum honoris, ne loquar in eis fraudem, et lingua mea ne perdat me.* Porro S. Ambrosius *Psalm.* XXXVIII, ad illud : « In increpationibus super iniquitatem corripuisti hominem, » pro φυλακήν, id est *custodiam*, legens φλάγελλον, id est *flagellum*, aut potius miscens quædam ex cap. seq. vers. 2, sic legit et explicat : « Quis mihi imponet cogitationum mearum flagella? et quis dabit mihi labiorum meorum signaculum? ut cor suum ipse suis cogitationibus flagellaret, et signaret labia sua; quo et vetera peccata minueret, nec alia loquendo renovaret; quo propriis cogitationibus eruditus, exercitia virtutis indueret. »

Signaculum labiorum est circumspectio et præmeditatio dicendorum.

Signaculum ergo certum est signaculum cautum et prudens, quod certis solidisque rationibus, quas dictat prudentia, nititur, indeque fidum et securum. Signaculum hoc igitur, et custodia oris, est prudens et cauta circumspectio et præmeditatio, quid, quantum, quo modo, quem hic et nunc loqui conveniat; quam Deus ponit, sine quo sunt incertæ providentiæ nostræ, eamdem ponit et homo, quia ipse ori suo invigilare, illudque diligenter observare debet. Ita S. Chrysostomus in *Psalm.* CXL, ad illud : « Pone, Domine, custodiam ori meo, » duplicem oris custodiam duplexque sigillum assignat : unum Dei, scilicet, gratiæ divinæ auxilium; alterum, nostrum, scilicet, rationem et continentiam : « Os ergo nostrum, inquit, perpetuo custodiamus, ei rationem tanquam clavem adhibentes. Non ut perpetuo claudatur, sed ut convenienti tempore reseretur. Nonnunquam enim silentium est loquela utilius, sicut loquela quoque silentio. Et ideo dicebat ille sapientissimus (*Eccle.* cap. III) : Tempus tacendi, et tempus loquendi. Si enim oporteret ora perpetuo patere, non factæ essent portæ; si autem perpetuo clausa esse, non esset opus custodia. Quod enim clausum est, cur quis custodierit? sed propterea sunt portæ et custodia, ut faciamus singula tempore convenienti. » De hoc linguæ sigillo plura dicam cap. XXVIII, vers. 28 et 29.

Tradunt Anatomici linguam duas habere venas, quarum una tendit ad cor, altera ad cerebrum; quo significat natura linguam nil debere eloqui, esto cor id appetat, nisi cerebrum, id est, mens et ratio, consentiat, et idipsum ut rectum probet. Cor enim debet subservire cerebro, hoc est, appetitus rationi; hæc enim in homine est præses et princeps, regens appetitum.

Didactice S. Augustinus, *De Gratia et libero arbit.* cap. XVI, ex hoc loco contra Pelagianos docet necessitatem gratiæ Dei, ac nominatim nos sine ea non posse moderari linguam; nam, ut ait Salomon *Prov.* XVI, 1 : « Hominis est animam præparare, et Domini gubernare linguam; » quocirca hoc gratiæ auxilium bene vivere et loqui volenti, assidue esse implorandum, uti implorat Siracides cap. seq. Et Esther cap. XIV, 13 : « Tribue, inquit, sermonem compositum in ore meo, in conspectu leonis, et transfer cor illius in odium hostis nostri. » Igitur cum aliquid grave locuturus aut tractaturus es, precare ut Deus componat verba in corde et ore tuo, eo modo ut feriant corda audientium, eisque persuadeant quod dicturus es, ideoque dicito cum Psalte : « Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam. »

Symbolice, « signaculum astutum » est quod occultas habet seras, quæ non nisi certis signis reserari possunt, qualia sunt quæ ex circulis variis coalescunt, cuique autem circulo sua insculpta est littera; quare eousque rotandi sunt circuli, donec certam dictionem, v. g. Joannes, reddant. Ita os nostrum seras suas habeat, cum occurrit vanitas, detractio, murmur, ira, etc.; solum autem reseretur, cum honesta et sancta dicenda sunt, juxta illud S. Ambrosii : « Signaculum oris tui Christus sit Verbum Dei. » Christus ergo reseret os nostrum.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Dogmata sapientiæ de bene agendo et loquendo hucusque tradita concludit oratione, qua precatur Deum pro gratia qua ea opere adimpleat, frenetque concupiscentiam cordis et oris, ut, scilicet, Deus dirigat omnes ejus cogitationes, affectiones, sermones, ne qua exorbitent. Hanc orationem nobis imitandam et crebro usurpandam proponit. Idem orat Salomon Sapient. *cap.* XI. *Inde, vers.* 7, *prosequitur materiam de moderanda lingua, et vitando juramento. Denique, vers.* 21, *a vitiis et intemperantia linguæ transit ad vitia et intemperantiam operum et vitæ, ac cæcitatem fœditatemque fornicariorum adulterorumque multis exaggerat.*

1. Domine pater, et dominator vitæ meæ, ne derelinquas me in consilio eorum : nec sinas me cadere in illis. 2. Quis superponet in cogitatu meo flagella, et in corde meo doctrinam sapientiæ, ut ignorationibus eorum non parcant mihi, et non appareant delicta eorum. 3. et ne adincrescant ignorantiæ meæ, et multiplicentur delicta mea, et peccata mea abundent, et incidam in conspectu adversariorum meorum, et gaudeat super me inimicus meus? 4. Domine pater, et Deus vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu illorum. 5. Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, et omne desiderium averte a me. 6. Aufer a me ventris concupiscentias, et concubitus concupiscentiæ ne apprehendant me, et animæ irreverenti et infrunitæ ne tradas me. 7. Doctrinam oris audite, filii : et qui custodierit illam, non periet labiis, nec scandalizabitur in operibus nequissimis. 8. In vanitate sua apprehenditur peccator, et superbus, et maledicus scandalizabitur in illis. 9. Jurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illa. 10. Nominatio vero Dei non sit assidua in ore tuo, et nominibus Sanctorum non admiscearis : quoniam non eris immunis ab eis. 11. Sicut enim servus interrogatus assidue, a livore non minuitur : sic omnis jurans, et nominans, in toto a peccato non purgabitur. 12. Vir multum jurans implebitur iniquitate, et non discedet a domo illius plaga. 13. Et si frustraverit, delictum illius super ipsum erit : et si dissimulaverit, delinquit dupliciter; 14. et si in vacuum juraverit, non justificabitur : replebitur enim retributione domus illius. 15. Est et alia loquela contraria morti, non inveniatur in hæreditate Jacob. 16. Etenim a misericordibus omnia hæc auferentur, et in delictis non volutabuntur. 17. Indisciplinatæ loquelæ non assuescat os tuum : est enim in illa verbum peccati. 18. Memento patris et matris tuæ, in medio enim magnatorum consistis : 19. ne forte obliviscatur te Deus in conspectu illorum, et assiduitate tua infatuatus, improperium patiaris, et maluisses non nasci, et diem nativitatis tuæ maledicas. 20. Homo assuetus in verbis improperii, in omnibus diebus suis non erudietur. 21. Duo genera abundant in peccatis, et tertium adducit iram et perditionem. 22. Anima calida quasi ignis ardens, non exstinguetur donec aliquid glutiat : 23. et homo nequam in ore carnis suæ non desinet, donec incendat ignem. 24. Homini fornicario omnis panis dulcis, non fatigabitur transgrediens usque ad finem. 25. Omnis homo qui transgreditur lectum suum, contemnens in animam suam, et dicens : Quis me videt? 26. Tenebræ circumdant me, et parietes cooperiunt

me, et nemo circumspicit me ; quem vereor? delictorum meorum non memorabitur Altissimus. 27. Et non intelligit quoniam omnia videt oculus illius, quoniam expellit a se timorem Dei hujusmodi hominis timor, et oculi hominum timentes illum : 28. et non cognovit quoniam oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abyssi, et hominum corda intuentes in absconditas partes. 29. Domino enim Deo, antequam crearentur, omnia sunt agnita : sic et post perfectum respicit omnia. 30. Hic in plateis civitatis vindicabitur, et quasi pullus equinus fugabitur : et ubi non speravit, apprehendetur. 31. Et erit dedecus omnibus, eo quod non intellexerit timorem Domini. 32. Sic et mulier omnis relinquens virum suum, et statuens hæreditatem ex alieno matrimonio : 33. primo enim in lege Altissimi incredibilis fuit; secundo, in virum suum deliquit; tertio, in adulterio fornicata est, et ex alio viro filios statuit sibi. 34. Hæc in ecclesiam adducetur, et in filios ejus respicietur. 35. Non tradent filii ejus radices, et rami ejus non dabunt fructum. 36. Derelinquet in maledictum memoriam ejus, et dedecus illius non delebitur. 37. Et agnoscent qui derelicti sunt, quoniam nihil melius est quam timor Dei; et nihil dulcius quam respicere in mandatis Domini. 38. Gloria magna est sequi Dominum : longitudo enim dierum assumetur ab eo.

PRIMA PARS CAPITIS.

Vers. 1. Oratio Siracidis.

1. DOMINE PATER, ET DOMINATOR VITÆ MEÆ, NE DERELINQUAS ME IN CONSILIO EORUM : NEC SINAS ME CADERE IN ILLIS. — « Eorum, » scilicet fatuorum, id est impiorum, de quibus multus sermo præcessit. Aut potius « eorum, » scilicet, labiorum loquacium et intemperantium; de his enim egit vers. præcedenti, *q. d.* Domine, qui dominaris universo, dominare labiis meis; qui dominaris vitæ meæ, dominare linguæ meæ : nam « mors et vita in manu linguæ, » *Proverb.* XVIII, 21. Rursum lingua est « universitas iniquitatis, » *Jac.* III, 6. Moderatorem ergo requirit dominatorem universi : Deum vocat *dominatorem vitæ*, tum quia ipse est creator et dominus animæ quæ causat vitam; tum quia ipse officia, status actusque omnes vitæ nostræ regit et moderatur; tum quia vita nostra durat quamdiu ipse vult. Hæc vera sunt tam in vita supernaturali gratiæ, quam naturali animæ.

Porro *consilium labiorum* vocat, id quod loquacitas labiorum dicendum suggerit, puta importunitatem, temeritatem, intemperantiam, et pruritum loquendi quidlibet quod in buccam venit. Itaque *consilium labiorum* est effrenata libertas dicendi quidquid libet. Nam « cor stultorum in ore ipsorum, » uti superius dixit. Unde subdit : « Nec sinas me cadere in illis; » aliqui legunt, *nec sinas me cadere in illa exprobratione*, vel *in illam exprobrationem*, ut, scilicet, intemperantia linguæ mihi exprobretur, ac præsertim quod in amicum probrum aliquod conjecerim, aut vitium aliquod exprobrarim. De convicio enim amicorum egit cap. præced. Unde Tigurina vertit, *Domine pater, totiusque vitæ meæ dominator, ne me permittas consilio illorum, nec sinas me per ea corruere;* Syrus, *Deus pater mi, et Domine vitæ meæ, ne offendere facias* (permittas) *me propter ea.*

Vers. 2. 2. QUIS SUPERPONET (ita Romana; hoc enim est Græcum ἐπιστήσει; male ergo nonnulli legunt, *supponet*) IN COGITATU MEO FLAGELLA, ET IN CORDE MEO DOCTRINAM SAPIENTIÆ, UT IGNORATIONIBUS EORUM NON PARCANT MIHI, ET NON APPAREANT DELICTA EORUM? — Oravit pro freno linguæ; nunc orat pro freno cogitationum et cordis, id est, appetituum. Hi enim omnis boni vel mali sunt duo fontes. Duplicem ergo hic Dei gratiam deposcit. *Primo*, illuminationis, quæ cogitationes intellectus et phantasiæ vagas, animales et erroneas illustret, cohibeat, corrigat, dirigat, faciatque spiritales, cœlestes et divinas. Alteram impulsus, quæ cordis, id est, voluntatis et concupiscentiæ, affectiones et desideria noxia per dictamina sapientiæ et prudentiæ, quasi per flagella castiget, emendet, purificet et sanctificet; idque ad hoc, ut in « ignorantionibus eorum, » puta in erronea cogitatione et appetitione cogitatus et cordis, id est, intellectus et voluntatis, dum scilicet aliqua ignoranter, id est, imprudenter et erronee, intellectu cogito, vel voluntate appeto, « non parcant mihi flagella, » id est, castigationes sapientiæ, itaque « non appareant » (nec sint) delicta « eorum. » Ita S. Ambrosius, cujus verba in fine cap. præced. citavi. Et S. Chrysostomus in *Psalm.* CXL : « Non oportet, inquit, os solum obstruere, sed mentem etiam ante os. Quocirca pulchre dixit quidam sapiens : Quis dabit

Poscit illuminationes et impulsus cœlestes.

in cogitatione vel mente mea flagella, ut ignorantiis meis non parcant? » Unde fusius id explicans et exaggerans Siracides subdit :

Vers. 3. 3. ET NE ADINCRESCANT IGNORANTIÆ MEÆ, ET MULTIPLICENTUR DELICTA MEA (ignorantia enim in mente et intellectu practico, quo imprudenter præfero bonum concupiscibile bono honesto, parit et multiplicat delicta in voluntate et appetitu; hic enim sequitur judicium practicum, appetitque et eligit quod ille appetendum et eligendum dictat) ET PECCATA MEA ABUNDENT, ET INCIDAM IN CONSPECTU ADVERSARIORUM MEORUM, ET GAUDEAT SUPER ME INIMICUS MEUS, — *q. d.* Ne per ignorantias et peccata incidam in damna fortunarum, famæ, vitæ et animæ, itaque fiam ludibrium dæmonum et hominum mihi inimicorum, ut illi in mea pernicie exsultent, meque rideant et subsannent. Porro Complutenses nonnulla hic interserunt, scilicet hæc : *Ne parcas tu, Domine, et injurias eorum, qui in professione sunt peccatores, ne prætereas.* Unde Tigurina hæc omnia clare exprimens vertit : *Quis menti meæ flagella adhibeat, et cordi meo sapientem institutionem, ut ne parcant inscitiæ meæ, nec illorum peccata prætereant? ne, inquam, inscitia mea multiplicetur, neve peccata mea perniciosam accessionem faciant, et corruam coram adversariis meis, gaudeantque de me inimici mei, quorum spes procul abest abs tua misericordia;* Syrus vero : *Quis autem constituit super mentem meam flagellum, et super cor meum virgam doctrinæ, ut ipse Dominus indulgeat delicta mea, ne in congregatione eorum hæreditent, neque ament corrumpere, ut non multiplicentur delicta mea, neque invalescant peccata mea, et revelent me coram inimicis meis, et lætetur de me inimicus?* Sicut ergo puerorum et stultorum levitates, distractiones, petulantiæ et stultitiæ flagello et virga parentum vel præceptorum flagellantur, castigantur et cohibentur; sic pariter phantasiæ et concupiscentiæ pueriles, stultæque cogitationes et appetitiones illicitæ noxiæque, flagello et virga disciplinæ, hoc est, timoris Dei, castigandæ et compescendæ sunt, ne nos ducant in ruinam et gehennam. Vere enim ait Beda in *Proverbiis* : « Reprobi et in sæculo fatigantur desideriis (concupiscentiæ), et in futuro tormentis » gehennæ. Appetitus enim et concupiscentia index est carentiæ, ait Aristoteles, lib. V *Physic.* Nemo enim appetit et concupiscit nisi id quo caret, et de cujus carentia tristatur et dolet.

Vers. 4. 4. DOMINE PATER ET DEUS VITÆ MEÆ, NE DERELINQUAS ME IN COGITATU ILLORUM. — Hunc versum non habent Græca. Jam primo, eum sic explicat Jansenius : Τὸ *illorum*, inquit, vel potest referri ad adversarios et inimicos, de quibus dictum est in superiore sententia, ut sit sensus : « Ne derelinquas me, » ut in me hostes mei perficiant quod cogitant, aut in me videant fieri quod cupiunt, quodque eventurum cogitant. Aut, « ne derelinquas me, » ut talia cogitem qualia illi, nempe mala. Vel potest potius relativum *illorum* referri ad cogitatum et cor; ut, sicut superius oravit ne relinqueretur in consilio labiorum, nunc oret ne relinquatur « in cogitatu » animi et cordis sui; ita scilicet, ut sibi relictus ea cogitet et faciat quæ intellectus et voluntas hominis, cum Dei gratia destituuntur, homini ex seipsis suggerunt, qualia sunt quæ sequuntur.

Verum minus congrue *illorum* refert *cogitatum.* Nam non recte dicitur : « Ne derelinquas me in cogitatu cogitatus et cordis. » Igitur pronomen *illorum* respicit delicta et peccata, de quibus vers. præced. dixit : « Ne adincrescant ignorantiæ meæ, et multiplicentur delicta mea, et peccata mea. » Unde ea explicans subdit : « Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, etc. Aufer a me ventris concupiscentias, » etc. Hæc enim sunt capitalia peccata, ex quibus cætera oriuntur. Orat ergo : « Ne derelinquas me in cogitatu illorum, » scilicet peccatorum, puta superbiæ, gulæ et libidinis, quia hæc oriuntur ex eorum cogitatu, imagitione et cogitatione. Cogitatio enim diutina peccatorum morosam efficit delectationem, quæ est peccatum mortale; hæc deinde in actum externum sese exerit, peccatumque consummat, uti docet S. Jacobus, cap. I, vers 15. Hunc sensum indicat Syrus, *Deus pater mi, et Domine vitæ meæ, ne abjicias me in errorem eorum*, puta in ignorantias peccatorum : « Errant enim qui operantur malum, » *Proverb.* XIV, 22.

Vers. 5. 5. EXTOLLENTIAM OCULORUM MEORUM NE DEDERIS MIHI, ET OMNE DESIDERIUM (id est, concupiscentiam: hanc enim Hebræi vocant חמדה *chemda*, id est desiderium. *Desiderium* ergo vocat impatientem et impotentem erga voluptatem quamlibet affectum, earumque ardentem cupidinem et sitim) A VERTE A ME. — « Ne dederis, » id est, ne dari sinas, ob mea priora crimina et demerita. Deus enim cum sit sanctissimus, non potest esse auctor peccati et concupiscentiæ; Deus enim « intentator malorum est, ipse autem neminem tentat, » *Jacob.* I, 43; potest tamen permittere dæmonibus, hominibus et concupiscentiæ, ut nos tentent ad superbiam, gulam, libidinem, etc. Unde contra hoc orandum cum Siracide ex præscripto Christi : « Et ne nos inducas (id est, induci permittas) in tentationem, sed libera nos a malo, » *Matth.* VI, vers 13. Porro sæpe id permittit Deus in pœnam præcedentium peccatorum, et tunc proprie dicitur dare vel tradere homines suæ concupiscentiæ, tentationi et dæmoni tentanti. Hebræi enim verba activa primæ conjugationis *Cal*, sæpe pro neutris usurpant. Vide dicta *Exod.* VII, 3, et *Rom.* I, 24.

« Extollentiam » vocat *elationem*, ut legit S. Augustinus, *De Gratia et liber. arbitr.* cap. XVI. « Addit oculorum; » licet enim elatio et superbia sit proprie in animo, maxime tamen se prodit per oculos elatos et fastosos. Unde Syrus, *oculum superbum ne dederis mihi.* Et *Psalm.* cap. V : « Superbo oculo et insatiabili corde, cum hoc non edebam. » Et Salomon *Proverb.* cap. VI, 17, inter septem quæ Deus

detestatur, primo loco ponit oculos sublimes. Et cap. XXX, 13 : « Generatio, inquit, cujus excelsi sunt oculi, et palpebræ ejus in alta surrectæ. » Quocirca Græca Complutensium, Tigurina et alii hoc loco addunt, γιγαντώδη ψυχήν, id est, *giganteam animam*; sic enim habent : *Domine Pater, Deusque vitæ meæ, ne mihi tribuas oculos elatos, sed giganteum animum a servis tuis semper prohibeas.* Giganteus animus est excelsus, tumidus, se supra omnes erigens, cæterosque despiciens, eisque dominans. Talis enim fuit gigantum, qui uti corpus, ita et animum habebant giganteum, *Genes.* VI, 4.

Per *desiderium*, aliqui repetentes τὸ *oculorum*, quod præcessit, intelligunt avaritiam; verum melius alii accipiunt *concupiscentiam*. Sic enim legit S. Augustinus, *De Gratia et liber. arbitr.* cap. XVI : « Elationem oculorum, inquit, ne dederis mihi, et concupicentiam averte a me. » Sic etiam legunt Græca Romana. Unde concupiscentiam hanc in duas species vers. seq. partitur. Porro ex peccatis nominat tantum duo, scilicet extollentiam oculorum, id est superbiam et concupiscentiam, quia ex his quasi primis fontibus cætera omnia oriuntur. Ex superbia enim oritur avaritia, ira, invidia: ex concupiscentia oritur gula, libido, acedia.

Apologus ambitiosi. Primus. Ingenioso lepidoque ursi, cervæ et vulpis apologo idipsum ostendit S. Cyrillus, lib. II *Apolog. moral.* cap. XI, cui titulus : *Contra appetitum dignitatis.* « Latitanti urso famelico ut prædam aliquam deglutiret, magistra fallaciæ vulpes, pia impio subvenire cupiens, ad eum cervam solivagam arte doli sui adducere conabatur, sic eam affata : Quam vultu placidam, cervice altam, pelle politam, pede validam, proportione perfecta decoram parens te natura formavit! unum certe tantum perfectæ tuæ venustati deest, quod cornibus careas; neque profecto sexui etiam infirmo, tam superba et tuta debuit armatura deesse, maxime cum ea concessa sit vaccæ. An forte livoris nescia, quædam imperfecta reliquit in arte natura? simia quidem suppletiva arte induitur, et magisterio aurum et argentum politur. Si vis ergo perfici cornu, audi monitum meum, et sequere ductum, quoniam ad magistrum te dirigam in hac arte expertum. At illa non tam mobilitate feminea, quam cornu appetens sequebatur mendacem. Verum pia sorte dolo captæ fuit obvius cervus, qui sociam miratus dixit : Quo vulpinam sequeris caudam? Cui cerva : Quippe tanta duce ad ursum tendo, ut sicut et tu cornibus gaudeam. An solus vis apparere superbia masculina? Ad hoc ille astutus, utriusque sentiens fastum et dolum, errori amicæ compatiens, sic illam exhortatus est : Nempe propter cornua ursus dedit virtutis auriculam, cave tu ne amittas simul pellem et vitam. Responsum hoc obscurum sequenti apologo declarat : Ursus namque, interrogatus a lupo utquid faciem pronam ferret, respondit : Quia habeo debile caput. Cui lupus ait : Muni ipsum cornibus. His enim caput armavit natura bovinum; vade igitur ad hominem arte dotatum, et ea tibi ponet. Ivit ergo ad magistrum petens cornu sibi poni pro labore autem, inquit, solvere tibi volo hoc quod dare non noceat. Cui magister : Si a te unum denarium vel assem peterem, non dares mihi? Da mihi ergo aures, et nihil tibi nocebit. Quo consentiente scidit eas, et ferens malleum ut perforaret cranium ejus, audivit ab urso : Fatuusne sum, ut perfores mihi caput? Qui ait : Aliter cornua non ponuntur. Tunc ursus abbreviatis auribus : Bene fatuus est, inquit, qui cornua petit. Perdit enim, ut video, caput discretionis, et aures quietæ virtutis. Et sic, abscissis auribus, sine cornibus abiit illusus. » Denique idipsum aliis parabolis lunæ, vaccæ et cervi commonstrat : « An ignoras quod luna, dum emittit cornua, lumine sit vacua, et (*Exodi* XXXIV, 29) cornuta Moysi facies divini contuitus dulcedine et velamento est privata? Illaqueatur autem vacca per cornua, per quæ etiam sub duro jugo aratri servus bos assidue duci solet. Non attendis quantum nos cornu pondere aggravamur, et serpentis haustu comburor interius, ut possim vetustatis onus cornu deponere? Quid plura? bestialitatis commune signum ostenditur aut cornu, aut cauda. Pone igitur fastum et fuge cornu, ne dira te ursi ungula dilaniet. Quibus intellectis, mox dimissa vulpe humiliter secuta est cervum. »

Secundus.

Vers. 6. 6. AUFER A ME VENTRIS CONCUPISCENTIAS, ET CONCUBITUS CONCUPISCENTIÆ NE APPREHENDANT ME. — *Concupiscentia ventris* est gula, *concupiscentia concubitus* est libido. Atque prior causa est posterioris : « Venter enim mero æstuans despumat in libidines, » ait S. Hieronymus. Complutenses, Tigurina multique alii rursum hic multa addunt; sic enim habent, *averte a me spes vanas et concupiscentias, tibique continuo servire cupientem retineas in officio*; *ne me comprehendant* (vel occupent et dominentur : hoc est enim Græcum καταλαβέτωσαν. Noster vertit, *apprehendant*) *appetentia ventris et concubitus.* Verum Græca a Romanis correcta ea omittunt, et consentiunt Latinæ Vulgatæ; Syrus vero, *cor impudicum*, ait, *longe fac a me. Id quod bonum est ne effugiat me, et lascivia carnis ne lascivire faciat me.*

Porro S. Augustinus (vel quisquis est auctor) *Soliloquior.* cap. XII, putat hic notari triplicem concupiscentiam, nimirum concupiscentiam oculorum, id est avaritiam; concupiscentiam carnis, et superbiam vitæ, quæ omnis mali in mundo tres perennes sunt fontes, uti docet S. Joannes *epist.* I, cap. II, 16. Nam «extollentiam oculorum» confert et adæquat cum concupiscentia oculorum, concupiscentiam carnis cum « concupiscentia ventris et concubitus, » superbiam vitæ cum « anima irreverenti et infrunita. » Exstat hac de re emblema pruriginis, quæ symbolum est concupiscentiæ (hæc enim semper prurit, estque vera animæ prurigo), estque tale:

Emblema concupiscentiæ. Ipsa est prurigo.

Agrum caveto carneum ne vomere
Arare pergas corneo, pro mellea
Semente, mox reponet urens tibi piper
Cupido eamdem dulcamarus (γλυκυπικρός) vim tenet,
Pro melle felleum propinans poculum.
Fœdare tristis unguibus cutem cave,
Assiduus est pruriginis comes dolor.

ET ANIMÆ IRREVERENTI ET INFRUNITÆ NE TRADAS ME. — Nonnulli sic exponunt, *q. d.* Ne tradas et subdas me animo impudenti et stolido, ne permittas mihi dominari hominem impudentem et stultum. Verum loquitur Siracides de anima propria, non aliena; agit enim de extollentia oculorum, et concupiscentia propria, non aliena. Unde τὸ *animæ irreverenti* pertinet ad extollentiam oculorum, sive superbiam; hæc enim conjuncta est cum irreverentia, id est inverecundia et impudentia; hanc enim significat Græcum ἀναιδεῖ. Nam superbi sunt inverecundi, audaces et impudentes, qualis fuit judex ille impius, qui nec Deum timebat, nec homines reverebatur *Lucæ* XVIII, 2. Dei enim et hominum reverentia unicum est peccatorum frenum, quo amisso vel rupto, peccator velut equus effrænis in omnes voluptates et scelera ruit, τὸ vero *infrunitæ* pertinet ad concupiscentiam ventris et concubitus; hæc enim est infrunita et inexplebilis. Sensus ergo est, *q. d.* Ne permittas ut anima impudens et infrunita, hoc est, impudentia et insatiabilis concupiscentia animæ meæ, mihi dominetur. Ubi enim hæ passiones regunt et dominantur, ibi tyranni dominantur, quibus homo servire cogitur.

Infrunitus quis?

Nota : *Infrunitus* idem est quod imprudens, insipiens, stolidus, indeque impudens, petulans, intemperans, inexplebilis et insatiabilis, qualis est gulosus et libidinosus, ipsaque ejus gula et libido : hisce enim nullæ deliciæ, nulla voluptas sufficit; sed semper dicunt : « Affer, affer, » *Proverb.* XXX, 15. Unde Noster cap. XXXI, 23, pro ἀπλείστος, id est *inexplebili*, vertit *infrunito*. Porro lexicographi nonnulli *infrunitum* deducunt a Græco ἄφρονα, id est insipientem, ideoque legendum censent *infronitum;* Lyranus deducit a *frumen*, quod significat summam partem gutturis, qua sapor sentitur, cibusque in ventrem lingua demittitur, ut *infrunitus* sit idem quod sine frumine, id est, gutture et sapore, puta insipiens, indiscretus, qui caret sapore sapientiæ. Melius alii *infrunitum* dici censent quasi qui suis frunisci, id est frui, nesciat uti decet; veteres enim dicebant *fruniscor* pro *fruor*. Ita Cato apud Festum, frunitum vocat prudentem (Græce φρόνιμον), quasi quo perfrui liceret, et qui suis rite et decenter frui nosset. Et Seneca, lib. III *De Beneficiis*, cap. XVI, ac Hermolaus *infrunitum* vocant stolidum et insipientem qui nulli est usui. Ruellius, lib. II, cap. XL : « Unguentum in lenticula, inquit, proverbium est in eos jactari solitum, qui nullo rerum discrimine quas agunt aut dicunt, pari nixu cuncta moliuntur, quos (ut est apud Senecam et Gellium) infrunitos appellamus, » Græce κεχοζήλους καὶ ἀπειροκάλους. Seneca, lib. *De Vita beata*, *infrunitum* usurpat pro stolide jactabundo : « Alterum, inquit, infruniti est animi, alterum timidi ac pusilli. »

Infruniti ergo sunt gulosi, qui escis frui nesciunt, sed eas illico glutiunt, ita ut saporis suavitatem vix sentiant, ideoque similes lupis. Lupus enim, ait Aristoteles in *Histor. animal.*, quia gulosus, comedit non masticando cibum, sed devorando et glutiendo : unde tantum vorat uno tempore, quantum ei ad tres dies sufficiat. Sic infruniti sunt luxuriosi, avari, ambitiosi, qui suis uxoribus, opibus, honoribus gaudere et frui nesciunt; quia in eas tam intemperanter et impotenter se effundunt, ut sensum voluptatis obtundant et hebetent, dum in iis vires omnes exhauriunt, potentias animæ affligunt, totamque naturam lædunt. Igitur infrunitus est brutus, hoc est, ut ait S. Isidorus, lib. X *Origin.*, obrutus, quia sensu caret. Unde Junius, primus Romæ consul, cognominatus est Brutus, quia coram Tarquinio Superbo, avunculo suo, simulavit se stultum. Hæc Isidorus.

Orat ergo Siracides liberari a concupiscentia ventris et veneris, ne per eam tradatur animæ irreverenti et infrunitæ, ut scilicet ei dominetur animæ impudentia et insolentia; hæc enim utraque ex gula et libidine nasci solet; quo enim plus eis indulges, eo magis eas accendis, ut fiant impudentes, insolentes et insatiabiles, ideoque tibi tyrannice dominentur. Igitur spiritus luxuriæ, æque ac gulæ, est quasi tyrannus quidam, et miles irreverendissimus, inverecundissimus et contumeliosissimus, imo quasi harpya rapacissima, cujus tyrannidem egregie depingit Seneca *epist.* 39 : « Quis hostis, inquit, in quempiam tam contumeliosus fuit, quam in quosdam voluptates suæ sunt? quorum impotentiæ atque insanæ libidini ob hoc possis ignoscere, quod quæ fecere patiuntur. Vivunt itaque voluptatibus suis, non fruuntur; et mala sua, quod malorum ultimum est, amant. Tunc autem consummata est infelicitas, ubi turpia non solum delectant, sed etiam placent; et desinit esse remedio locus, ubi quæ fuerunt vitia, mores fiunt. »

Moral de impudentia.

Moraliter, hic disce quantum malum sit impudentia; hæc enim aufert pudorem, qui est frenum omnis mali, quo rupto homo impudenter quasi equus, ruit in omnes cupiditates et scelera. Quare semper pudere nos debet mali. Ex adverso pudere nos non debet boni; boni ergo impudentia sancta est. Audi S. Augustinum in illud *Psal.* LXVIII, 8 : *Quoniam propter te sustinui opprobrium, operuit confusio* (S. Augustinus legit *irreverentia*) *faciem meam* : « Irreverentia quid est? non confundi, non erubescere. Ergo irreverentia quasi impudentia est. Oportet ut habeat Christianus irreverentiam istam, quando venerit inter homines, quibus displicet Christus. Sententiam quippe ipsius vide, qui neminem fallit : Qui

me erubuerit coram hominibus, et ego erubescam eum coram angelis Dei. Observa igitur tu si sit in te irreverentia. Frontosus esto, quando audis opprobrium de Christo, prorsus esto frontosus. Quid times fronti tuæ, quam signo crucis Christi armasti? Hoc est enim : Propter te sustinui exprobrationem. Et quia non de te erubui, quando mihi propter te insultabatur, operuit irreverentia faciem meam. » Hanc sanctam irreverentiam habuit S. Magdalena, quando, ut ait S. Augustinus *homil.* 23, inter 50 : « Non invitata irruit convivio, ubi suus medicus recumbebat, et quæsivit pia impudentia sanitatem, irruens quasi importuna convivio, opportuna beneficio. » Vide dicta *Ezech.* III, vers. 7 et 8.

SECUNDA PARS CAPITIS,

QUA POST PRECES REDIT AD OFFICIUM DOCENDI ID QUOD PRECATUS EST, DE MODERANDIS LABIIS; AGIT ERGO DE CAVENDO JURAMENTO CÆTERISQUE LINGUÆ VITIIS.

Vers. 7 7. DOCTRINAM ORIS AUDITE, FILII; ET QUI CUSTODIERIT ILLAM, NON PERIET (peribit) LABIIS, NEC SCANDALIZABITUR IN OPERIBUS NEQUISSIMIS. — « Doctrinam oris » vocat non quam ore suo dicturus est, sed quam de ore et labiis moderandis dicturus est. Unde Græca hunc titulum hic præfigunt, *disciplina oris.* Rursum τὸ *nec scandalizabitur,* idem est quod non offendet, non impinget; non enim agitur hic de scandalo proprie dicto, quo quis scandalizatur, id est, ex dicto vel facto alterius in peccatum inducitur. Unde Græca tantum habent, *non capietur labiis suis.* Sensus est, *q. d.* O filii, o discipuli, audite doctrinam, quam de ore gubernando traditurus sum; qui enim illam custodierit, non peribit per labia sua, nec offendet, aut in ruinam incurret per opera nequissima oris, qualia sunt perjurium, calumnia, rixæ, maledicta, etc. Unde Tigurina clare vertit, *institutionem oris* (aliqui addunt ἀληθινοῦ, id est *veri*) *audite, liberi; quam qui servat labiis suis non capietur, nec ex malefactis suscipiet offensionem;* Syrus breviter, *doctrinam oris mei, audite, filii, et qui cautus est non afficietur ignominia.*

Vers. 8. 8. IN VANITATE SUA APPREHENDITUR (comprehenditur) PECCATOR, ET SUPERBUS ET MALEDICUS SCANDALIZABITUR IN ILLIS. — Probat quod dixit vers. præced., eum qui audit doctrinam hanc de ore moderando, non periturum, nec in offendiculum aliquod incursurum, per antithesin, sive a contrario, quia scilicet peccator qui negligit oris et labiorum custodiam, apprehendetur et capietur « in vanitate; » Græce, *in stultitia,* id est stultiloquio suo « et superbus et maledicus scandalizabitur, » et impinget, offendet, et in periculum incurret, « in illis, » id est per illa, puta labia sua. Dum enim intemperanter labiis utitur, iisque detrahit, conviciatur, jurgatur, etc., sibi periculum carceris, verberum, famæ, et non raro vitæ accersit et creat. Refert enim se ad id quod vers. præced. dixit per antithesin de sapiente : « Non periet labiis, » *q. d.* Fatuus vero et peccator peribit labiis suis; aut potius, « scandalizabitur in illis, » scilicet, operibus nequissimis, in quibus non scandalizandum sapientem dixit vers. præced. *q. d.* Superbus et maledicus offendet et impinget in opera nequissima perjurii, blasphemiæ, rixarum, cædium, etc., a quibus cavebit prudens, quia labia sua continet riteque moderatur. Unde Tigurina vertit, *scelerosus labiis suis capietur, et maledicus ac superbus offendet in illis;* Syrus, *in sermone enim suo deprehenditur iniquus, et stultus in ore suo offendit.* Hinc observat Palacius causam, cur multi labantur in perjuria, blasphemias, rixas et cædes, esse, quia superbi et maledici sunt. Hoc enim est justum Dei judicium, qui superbiam profunda ruina deprimit, castigat et sternit.

9. JURATIONI NON ASSUESCAT OS TUUM, MULTI ENIM CASUS (Tigurina, *lapsus*) IN ILLA. — Facile enim ex assuetudine jurandi fit, ut crebro quis juret temere frustraque, et aliquando id quod falsum est, itaque committat perjurium. Ita Auctor Imperfecti *in Matth.* apud S. Chrysostomum, *homil.* 12 : « Nisi, inquit, juramentum (crebrum vel temerarium) interdicatur, non possunt amputari perjuria; ex juramento enim perjurium generatur. Nemo est enim qui frequenter jurat, et non aliquando perjuret. Propter hoc admonet Salomon (Ecclesiasticus enim a priscis inscribitur Salomini, ob causas quas in Procœmio recensui) : Non assuescas juramento os tuum; multus enim casus in illo. Sicut enim qui facit consuetudinem multa loqui, necesse est ut aliquando et importuna loquatur; et qui facit consuetudinem manu sua frequenter percutere, necesse est ut aliquando et injuste percutiat : sic qui facit consuetudinem jurare in rebus idoneis frequenter, et in rebus superfluis, etiam nolens, consuetudine trahente perjurat. Nam omnium rerum consuetudinem, quando voluerimus quidem, tunc facimus; sed non quando volumus, tunc repellimus eam. » Et inferius : « Cesset ignis, et incendium non fit : subtrahe gladium, et homicidium non commit- Vers. 9.

titur : sic tolle juramentum, et perjurium non fit. »

Quocirca sapienter S. Augustinus, sermone 28 *De Verbis Apostoli* : « Falsa juratio exitiosa est, inquit, vera juratio periculosa est, nulla juratio secura est. » Vide quæ de juramento annotavi *Jacob.* v, 12; vide et S. Chrysostomum, homil. *ad Popul.* 5, 6, 7 et seq. usque ad 16, in quibus omnibus acriter insectatur jurandi consuetudinem illo ævo grassantem, ac in 15 docet pejus esse jurare quam occidere : « Non ita pungit ensis, inquit, sicut juramenti natura; non sic occidit gladius, sicut juramenti plaga. » Idque probat ex falce quam a Deo immitti in domos jurantium vidit Zacharias, cap. v.

Pejus jurare quam occidere.

Vers. 10. 10. NOMINATIO VERO DEI NON SIT ASSIDUA IN ORE TUO, ET NOMINIBUS SANCTORUM NON ADMISCEARIS; QUONIAM NON ERIS IMMUNIS AB EIS. — Vetuit juramentum, nunc vetat quamlibet Dei et Sanctorum levem et irreverentem nominationem; sunt enim nonnulli qui tertio quolibet verbo, Deum, Christum, Sacramenta, etc., temere nominant. Quæ sane non parva Dei et Sanctorum est irreverentia. Græca hanc sententiam sic breviter efferunt, *nominationi τοῦ ἁγίου*, id est *sancti, ne consuescas*; ubi *τὸ sancti* partim masculine, *q. d.* Dei sancti; partim neutre accipitur, ut *sancti* idem sit quod rei cujuslibet sanctæ, sive sit animata, uti sunt Angeli et homines sancti in cœlo; sive inanimata, uti sunt templa, altaria, Sacramenta, etc. Noster legit in plurali *τῶν ἁγίων*, id est *sanctorum*, eodem sensu; *sanctorum* enim masculine idem est quod Angelorum et hominum sanctorum; neutre vero idem est quod rerum sanctarum. Vetat ergo hæc temere et irreverenter nominari, sive id fiat in juramento, sive extra juramentum, juxta secundum Decalogi præceptum : « Non assumes nomen Domini Dei tui (et rerum divinarum, puta sanctarum; hæ enim Deum attingunt, unde qui illas temere nominando violat, violat et Deum) in vanum, » *Exodi* XX, 7. *Nomen* enim *Dei* est res sacratissima, omnem sanctitatem exsuperans; ergo indignum est ut illud vano et profano ore calcetur. Secus est si illud crebro, sed ex ingenti amore et reverentia, in ore habeas. Sic enim S. Paulus identidem nominat Deum et Jesum Christum, adeo ut in paucis parvisque Epistolis Christum nominet quadringenties, Jesum ducenties et amplius. Causam subdit : « Quoniam non eris immunis ab eis, » non sanctis, sed nominibus Sanctorum, *q. d.* Abstine a vanis et irreverentibus nominationibus Sanctorum, quia « ab eis, » id est per eas, propter eas (hoc enim significat Hebr. מהם *mehem*, id est *ab eis*) non eris immunis, scilicet a peccato, puta a culpa et pœna. Tigurina, *quia non impune feres;* Syrus, *qui frequens est ad jurandum, a delictis et a plaga non justificatur.* Alludit, imo citat *Exodi* cap. XX, 7 : « Non enim habebit insontem Dominus eum qui assumpserit nomen Domini sui frustra. » Deus enim sui nominis et honoris est zelotes; quocirca eos qui nomen suum irreverenter usurpant et temerant, acriter castigat, tum in hac vita, tum in futura.

Vers. 11. 11. SICUT ENIM SERVUS INTERROGATUS ASSIDUE, A LIVORE NON MINUITUR; SIC OMNIS JURANS ET NOMINANS (temere Deum et Sanctos, vel res sanctas) IN TOTO A PECCATO NON PURGABITUR. — « Interrogatus, » id est, tortus; solent enim servi in tortura examinari de crimine admisso : unde tortura vocatur *quæstio*; et in Martyrum passionibus, *interrogatio* subinde ponitur pro flagellis et tormentis, ait Rabanus, *q. d.* « Sicut servus interrogatus » per quæstiones flagella et tormenta, verberibus et vibicibus impletur: ita quoque crebro jurans, crebra peccatorum verbera animæ suæ infligit. Unde Tigurina vertit, *sicut enim servus crebro vapulans non levatur vibicibus : ita qui dejerat, et nomen Dei assidue usurpat, culpa non vacabit.* Apte jurantem comparat servo, juramentum quæstioni et torturæ, juramenti damna vibicibus. Nam, ut ait Plutarchus in *Problemat.* « Juramentum homini libero pro tormento est. Unde Romani a servis veritatem per tormenta extorquebant, a cive juramento, a sacerdote solo verbo. » Juramentum enim torquet animam, tum quia eam metu Numinis percellit, anxiamque reddit et sollicitam, ne illicite jurando ejus indignationem incurrat; tum quia eam reipsa divinæ vindictæ exponit. Nam qui dejerat jurando juramento exsecratorio, v. g. dicendo : Si mentior, Deus me puniat; expresse sibi Dei ultionem imprecatur, si mentiatur. Idem implicite facit, sibique imprecatur jurans juramento assertorio. Porro Rabanus sic explicat, *q. d.* « Sicut servus assidue correptus a livoris crimine non abstrahitur, sed magis ad odium provocatur: sic omnis jurans et nominans sæpe nomen Dei Sanctorumque ejus, inde a peccatis non purgabitur, sed magis polluitur. » Verum livor hic non crimen, puta iram et invidiam animi, sed corporis livorem et vibicem significat : hunc enim denotat Græcum *μώλωψ*.

Vers. 12. 12. VIR MULTUM JURANS IMPLEBITUR INIQUITATE (puta perjuriis, blasphemiis, injustitiis, etc.), ET NON DISCEDET A DOMO ILLIUS PLAGA. — Tigurina, *vir crebro jurans replebitur scelere, nec flagellum abscedet a domo ipsius;* Syrus, *vir jurator acquirit delicta, et non auferetur a domo ejus seditio et colaphizatio.* Exemplum est in Saule, qui proclivis ad jurandum, multa jurando deliquit, ideoque plagas Dei graves sibi suisque posteris accersivit, ut patet II *Reg.* XXI, vers. 1 et sequent.

Vers. 13. 13. ET SI FRUSTRAVERIT (si juramentum non impleverit), DELICTUM ILLIUS SUPER IPSUM ERIT; ET SI DISSIMULAVERIT, DELINQUET DUPLICITER, — *q. d.* Si frustra jurarit, ita ut quod juravit reipsa non præstiterit, hic reus erit delicti, ejusque pœnam sustinebit : si insuper illud corrigere et expiare neglexerit et dissimularit, Græce *ὑπερίδῃ*, id est *despexerit*, dupliciter peccabit, scilicet *primo*, fallendo et juramentum non implendo; *secundo*,

peccatum hoc, puta perjurium, non expiando, juxta legem. Alludit enim, imo citat legem *Levit.* cap. V, 4: « Anima quæ juraverit et protulerit labiis suis, ut vel male quid faceret, vel bene, et idipsum juramento et sermone firmaverit, oblitaque postea intellexerit delictum suum, agat pœnitentiam pro peccato, et offerat de gregibus agnam sive capram, orabitque pro ea sacerdos et pro peccato ejus. » Vide ibi dicta. Ita Tigurina, *Cum commiserit,* inquit, *peccatum, ipse culpam suam sustinebit: quam si non agnoscat, eamdem conduplicaverit.*

Vers. 14. 14. ET SI IN VACUUM JURAVERIT, NON JUSTIFICABITUR : REPLEBITUR ENIM RETRIBUTIONE DOMUS ILLIUS. — Ne quis putet eum solum qui frustrat juramentum, non præstando id quod juravit, peccare, ideoque puniendum a Deo; addit, quod is quoque qui « in vacuum, » id est temere, inaniter, leviterque, ubi non est necessitas vel justa utilitas, jurat, esto sine mendacio vel proximi damno; « non justificabitur » in hoc facto, id est, non censebitur juste riteque egisse, non declarabitur justus; sed potius ut male agens corripietur et punietur, si non ab hominibus, certe a Deo; a Deo enim « replebitur retributione domus illius, » *q. d.* Deus illi ejusque domui, id est, familiæ et posteris, pro temerariis hisce juramentis debitam retributionem, id est vindictam, pœnam et supplicia retribuet. Notent hoc qui jurandi habent consuetudinem, et leviter tertio quoque verbo jurant. Unde Tigurina vertit, *ac ne temere quidem usus juramento insons judicabitur : nam domus ejus crebris appetetur insultibus;* alii, *quod si inaniter juravit, non evadet pœnam; replebitur enim domus ejus calamitatibus.* Has enim significat Græcum ἐπαγωγῶν, uti superius dixi. Sic crebro jurantes, crebra in domibus suis vident infortunia, ut faciant jacturam mercium, famulorum, filiorum, etc., ac causam non advertunt, nimirum irreverentiam in Deum, ac temerarium juramentum, quo sanctum Dei nomen profanant.

Aliter hunc versum et præced. explicat Palacius : « Tres inquit, male jurandi modos affert : *Primus,* fratrem frustrando, et tunc, si quid frater frustratus propterea deliquerit, hoc delictum gravat jurantem, ut qui ejus delicti causam dederit. Ergo si frater frustratus nocuerit ei qui fidem violavit, ejus criminis culpa in perjurum recidit. *Secundus* modus est, dissimulando veritatem coram judice, et qui ita veritatem dissimulat, dupliciter delinquit : nam delinquit contra Deum, et contra judicem, cui simpliciter ad ejus mentem respondendum est, si modo juridice interroget. *Tertius* modus est, jurando quidem vere, sed absque necessitate aut utilitate, et tunc non evadit culpam; replebitur enim domus ejus retributione, ut, sicut jurans caret reverentia erga Deum, ita mala careant reverentia erga domum, sed irreverenter et temere domum intrent, ut temere Deum ille jurabat. » Verum hæc expositio nimis frigida, grammatica et jejuna videtur.

Vers. 15. 15. EST ET ALIA LOQUELA CONTRARIA MORTI, NON INVENIATUR IN HÆREDITATE JACOB. — Ita Romani et cæteri correcti codices. Male ergo Lyranus legit, *contraria in mortem;* et alii, *e contrario in mortem,* Græca jam habent, ἀντίπεριβεβλημένη, id est vestita, amicta, induta. Unde sic habent, *est loquela induta* vel *amicta morte,* etc. Tigurina, *est sermo morte obvolutus, absit in possessione Jacob inveniatur;* alii, *est oratio circumsepta undique morte.*

Noster legit ἀντιβεβλημένη, id est opposita, contraria, aut potius ἀντιπαραβεβλημένη, uti etiamnum legunt nonnulli codices, id est, opposita, collata, comparata. Nam ἀντιπαραβάλλω, idem est quod oppono, confero, committo, comparo. Unde ἀντιπαραβολὴ est mutua collatio. « Contraria morti » igitur idem est quod altera ex parte respondens, et quæ conferri ac comparari queat cum morte, morti opposita, objecta, vicina, e regione mortis posita. Unde Syrus omittens τὸ *morti* sic vertit, *et etiam si est aliquid aliud quod comparetur illi* (juramento), *non invenietur in hæreditate Jacob.* Sic Christus ait *Matth.* XXI, 2 : « Ite in castellum quod contra vos est, » id est quod e regione vestri est, in prospectu vestro, vobisque vicinum. Et Virgilius, VI *Æneid.* :

Contra elata mari respondet Gnosia tellus :

contra, id est e regione, e vicino.

Minus recte ergo Jansenius τὸ *morti* construit non cum *contraria,* sed cum *est, q. d.* Est alia loquela prædictæ contraria, quæ est in mortem, hoc est quæ mortem mox adfert, vel, ut Lyranus, *morti,* subintellige, obligata vel destinata. Porro blasphemia dicitur contraria juramento, quia juramentum videtur habere Dei honorationem, ut qui in testem tanquam veracissimus adhibeatur, at blasphemia apertam habet Dei inhonorationem. Hæc Jansenius subtilius quam solidius.

Loquela contraria morti, quæ ?

Quæres, quænam est hæc *loquela contraria,* id est opposita et comparata, *morti?* Aliqui censent esse perjurium; Græci enim non habent τὸ *alia.* Verum Latini habent τὸ *alia :* ergo non agitur hic de perjurio; de eo enim paulo ante egit vers. 13, nec legimus perjurium apud Judæos solitum puniri morte, ut cum ea hic comparetur et æquetur. Alii intelligunt contumelias, rixas, jurgia, quæ communiter suscitant pugnas, ex quibus sequuntur vulnera, mors et cædes multorum, ut ea vestiri illique comparari et æquari videantur. Verum de his quoque egit superius, eaque clare exprimere et nominare solet.

Resp. Primo.

Primo igitur, Rabanus, Lyranus, Jansenius et Palacius per *loquelam* hanc accipiunt blasphemiam : hæc enim Judæis adeo erat exosa et horribilis, ut nec eam nominare auderent, sed per antiphrasin eam significarent, vocantes eam benedictionem, ut, « Benedic, id est maledic, Deo, et morere, » *Job* II, 9. « Benedixit, id est maledixit, Naboth Deum et regem, » III *Regum,* cap. XXI, 13.

Porro blasphemia dicitur comparata vel vestita morte, quia mortem tum animæ, tum corpori affert. Unde mortis sententiam in blasphemum protulit Deus, *Levit.* cap. XXIV, vers. 14 et 23. Aliter Palacius : « Hæc loquela blasphemiæ, inquit, quam benedictionem vocabant, erat contraria morti, quia benedicere Deum erat contrarium morti : est enim benedicere, vivere, non mori : ergo blasphemia, ut per antiphrasin et per contrarium vocatur benedicere, ita per contrarium vocatur contraria morti, cum tamen sit penitus mortifera. Certe benedictio Dei est contraria morti ; ut ergo blasphemia vocata est benedictio, ita vocatur contraria morti. Aut certe erat contraria morti, id est maledictioni, quæ mors erat. Ait igitur Auctor : Est alia loquela, scilicet benedicendi Deum, quæ contraria est maledictioni mortis, cum sit tamen blasphemia. »

Secundo. *Secundo,* accipi potest loquela qua quis docet aut suadet apostasiam a Deo, fide et religione, hæresim vel idololatriam. Talem enim, etiamsi esset filius, morte mulctari jussit Deus, *Deut.* XIII, vers. 1 et 6, utpote qui mortem animæ inferat, et ad mortem secundam in gehennam suos sequaces deducat. Unde S. Joannes, *Apocal.* VI, 8, describens tentationem et persecutionem Ecclesiæ et fidelium futuram per Mahometanos et Saracenos, eos repræsentat per equum pallidum cui insidet mors : « Et infernus, inquit, sequebatur eum. »

Tertio. *Tertio,* loquela hæc accipi potest murmur, rebellio, seditio. Sic enim Core excitans suos contribules ad murmur et rebellionem contra Mosen, morte punitus, vivusque a terra absorptus est. Simili modo cæteros murmurantes sæpius in deserto, semper morte vel plaga horribili castigavit Deus, cum cætera populi peccata dissimularet, uti ostendi *Exodi* XVI, 7. Unde optat eam, utpote exsecrandam, non inveniri « in hæreditate Jacob, » id est in populo Israelitico : hic enim est posteritas et hæreditas Jacobi patriarchæ, qui alio nomine dictus est Israel. Nam, ut ait S. Gregorius in *Psalm.* VII *Pœnit.* vers. 2, qui murmurat, cum Deo contendit : « Qui, inquit, contra conditoris flagella murmurat, quasi cum eo in judicium intrat : Dei namque accusat judicium, qui se æstimat injuste percussum. Et quasi cum Deo in judicio contendit, qui inter flagella innocentem se ostendit. »

Vers. 16. 16. ETENIM A MISERICORDIBUS (Græce, εὐσεβῶν, id est piis, religiosis, colentibus Deum, quales erant veræ Israelitæ, posterique et sequaces Jacobi patriarchæ, de quibus vers. præced.) OMNIA HÆC AUFERENTUR, ET IN DELICTIS NON VOLUTABUNTUR. — Ita Romana et Græca : male ergo Lyranus et nonnulli legunt, *non voluptabunt,* id est non delectabuntur. Male etiam alii legunt *non volutabunt.* Sensus est, *q. d.* Perjuria, blasphemiæ cæteraque lethifera linguæ vitia, Deus per gratiam et custodiam suam auferet a viris piis se colentibus : aut, si quando aliquem in illa cadere permittat, non sinet eum in illis volutari et perseverare, se illico illi suum scelus et periculum ostendet, eumque impellet, ut ab illo se eximat. Unde Tigurina vertit, *sane a piis aberunt hæc omnia; neque enim peccatis involventur;* paulo aliter Syrus, *et etiam,* inquit, *qui continet animam suam ab hujusmodi, vivet, et in peccatis non commiscebitur.*

Moraliter, notat Palacius blasphemiam puniri aliis sceleribus; ob illam enim Deus permittit ut in hisce volutetur.

Vers. 17 17. INDISCIPLINATÆ LOQUELÆ (S. Augustinus in *Speculo* legit, *indisciplinationi*) NON ASSUESCAT OS TUUM ; EST ENIM IN ILLA VERBUM PECCATI. — Græce, ἀπαιδευσίᾳ ἀσυρῇ (pro quo Complutenses legunt ἀχολασίᾳ ὅρκου, id est *intemperantiæ juramenti,* qua qui laborant, intemperanter tertio quolibet verbo jurant), id est *ineruditioni molestæ, indisciplinatæ, temerariæ,* per quam cum Lyrano et Jansenio intellige rusticitatem et irreverentiam loquendi, qua rustici cæterique homines viles et effrenes male instituti, irreverenter, rustice, dure, probrose loquuntur etiam majoribus et superioribus, sine respectu personæ et dignitatis; quos proinde offendunt, et ad puniendam hanc libertatem excitant. Unde Tigurina, *os tuum imperitæ temeritati ne assuescas : nam sunt in ea res flagitiosæ ;* alii, *est enim in ea res peccati. Verbum* enim *peccati* est sermo peccans, vel res peccati, puta peccatum ipsum. Sæpe enim *verbum* metonymice sumitur pro *re* per verbum significata.

Secundo, Syrus per *indisciplinatam loquelam* accipit stultiloquium. Unde vertit, *fatuitati ne assuescat os tuum, quia etiam in illa sunt verba mendacii.*

Tertio, Palacius accipit inconsiderationem, dissolutionem et incontinentiam loquendi, *q. d.* Ne assuescas loqui quod velis, quod libet, quod in buccam venerit; habeto disciplinam in ore, loquere quod æquum est. Alioqui, si loquaris temere, aderit statim peccatum; ex hac enim temeritate prorumpes in convicia, maledicta, blasphemias, perjuria, rixas, pugnas et cædes. Hic sensus maxime videtur genuinus, eumque sequitur Rabanus : hoc enim proprie significat *indisciplinatus,* nimirum eum qui non adhibet disciplinam et moderationem debitam in loquendo.

Vers. 18. 18. MEMENTO PATRIS ET MATRIS TUÆ, IN MEDIO ENIM MAGNATORUM CONSISTIS. — Τὸ *enim* respondet Hebræo כִּי *ki,* id est *nam,* vel *cum;* hic pro *cum* accipitur, ait Vatablus, Lyranus et Palacius, *q. d.* Cum inter magnates versaris, aut ad eorum gradum elevaris et extolleris, memento tamen patris et matris, id est tuæ familiæ et prosapiæ, si illa humilior et vilior sit, ut te in humilitate contineas, nec inter magnates tui generis oblitus fastu intumescas : sin prosapia tua sit honestior, memento honestæ tuæ educationis, quam a patre et matre accepisti, ut inter magnates honeste et modeste loquaris et agas; ac proinde abstineas a perjuriis, juramentis, blasphemiis, irreverentia, fatuitate cæterisque linguæ vitiis, de quibus hucusque egi. Hinc

Tigurina vertit, *memento patris et matris tuæ, cum sedes inter proceres.* Unde sequitur :

19. NE FORTE OBLIVISCATUR TE DEUS IN CONSPECTU ILLORUM, ET ASSIDUITATE TUA (id est, cum assidue conversando cum magnatibus disces ambire magna, et superbire) INFATUATUS, IMPROPERIUM PATIARIS, ET MALUISSES NON NASCI, ET DIEM NATIVITATIS TUÆ MALEDICAS,—*q. d.* Vide, o fili, ne obliviscaris paternæ tuæ prosapiæ, vel honestæ institutionis parentum, ut inter magnates, magnos et superbos induas spiritus, magna ambias et audeas; quia si id feceris, obliviscetur tui Deus, sinetque te cadere, tuaque gratia, honore et statu excidere in conspectu magnatum; atque, quia ob assiduam cum magnatibus conversationem « infatuatus » superbivisti, dejiciet te, ut dejectus « improperium patiaris, » adeo ut optes te non natum, et nativitati tuæ maledicas. Unde Græca sic habent, *ne quando in oblivionem coram illis* (parentibus vel potius magnatibus) *venias, et consuetudine tua infatueris* (hoc enim significat μωρανθῇς, pro quo Complutenses legunt μαρανθῇς, id est *marcescas;* continua enim et nimis libera conversatio et familiaritas cum magnatibus parit fastidium, indeque contemptum); *et velles te non esse natum, et diem partus tui exsecrere;* Tigurina, *ne tu quoque ab ipsis tradaris oblivioni, assiduitateque tua stultitiam contrahas; quamobrem te velis non esse natum, et natalem tuum diem exsecreris.* Ita Palacius : « Præceptum hoc, inquit, non ad omnes, sed ad eum qui in cura inter magnates versatur, referri debet. Ait enim : In medio magnatorum consistis. Tum referri omnino debet ad eum qui magnatorum favorem habet, ac ideo cum eis versatur assidue; dicit enim : Assiduitate tua, etc.; ergo quia favor magnatorum quosdam degeneres elatos facit, adeo ut pudeat eos de suis parentibus loqui; ideo præcipit Auctor istis, ut mentionem faciant parentum suorum; tum quia in medio magnatorum ambulamus, qui vehementer delectantur, cum audiunt nos de parentibus etiam vilibus loqui; tum quia si parentum obliviscimur, curabit Deus ut magnates illi obliviscantur nostri; tum tertio, quia nos infatuati ex favore, et assidua magnatorum familiaritate, aliquando ab eis improperium patiemur; dicent enim indignissimos nos esse qui parentes nostros dedignemur. Tunc plane optassemus nos non fuisse natos, et diei natali maledicemus. Hæc Auctoris institutio quotidiana in curiis experientia comprobatur; quotidie enim audimus quosdam, qui suos etiam rusticos parentes honorarunt, a regibus magnopere honoratos; alios vero qui parentes dedignati sunt, regibus magnopere displicuisse, ac ideo ab eorum favore dejectos. » Hæc Palacius.

Secundo, Syrus censet hic stimulum dari filio ad bene loquendum et vivendum, ex verecundia et reverentia parentum. Sic enim vertit, *recordare quod habes patrem et matrem, et æquali timore liberaberis, ne offendas coram eis, et in doctrina tua ignominia afficiaris, et dicas : Utinam creatus non fuissem; et diem in quo genitus est maledicas.*

Rursum pro συνεδρεύεις, id est considis, consistis, præsides, Complutenses legunt συνεδρεύσεις, in futuro; unde vertunt, *memento patris et matris tuæ; in medio enim magnatum præsidebis, q. d.* Si honores patrem et matrem, eorumque instituta et documenta reipsa expleas, honorabit te Deus, facietque te magnis et magnatibus præsidere.

Tertio, Jansenius τὸ *enim* proprie accipiens, et per *magnatos,* id est magnates, intelligens viros sanctos et Angelos, pie sic explicat : Ut rusticitati et irreverentiæ non assuescas, memor esto institutionis et præceptorum quæ a parentibus accepisti. Memento item ex qualibus sis ortus parentibus, sanctis scilicet et Deum verum colentibus; consistis enim et conversaris inter magnatos, nempe cultores Dei, sanctos homines sanctosque Angelos Dei, qui sunt in medio populi Dei, et contemplantur singulorum mores; unde merito tibi cavendum est, ne coram talibus indecore te geras aut assuescas inepte et inhoneste loqui; ne aliquando eveniat, ut, sicut tu noluisti meminisse præceptorum et reverentiæ quam te docuerunt tui parentes, originis item tuæ : ita etiam vicissim eveniat, ut Deus obliviscatur tui in bonum, ad honorandum, scilicet, te in conspectu illorum magnatorum, in quorum oculis et auribus indecore te hic gessisti. Atque tunc tu, qui jam mala loquendi assuetudine et assiduitate infatuatus es, improperium patiaris et ignominiam, quando ex eorum consortio, cum quibus jam in populo Dei censeris, turpiter ejicieris, et tuæ irreverentiæ et inobedientiæ justas dabis pœnas. Ex quo et hoc consequetur, ut qui, si voluisses, in parentibus tuis gloriari poteras, ob ignominiæ et pœnarum magnitudinem malis non fuisse natus, et maledicas diem nativitatis tuæ, sive in hoc sæculo, sive in futuro. Docet ergo reverentiam et honestatem verborum, juxta parentum monita, et sanctam originem servandum, vel ob honorem qui debetur cœtui sanctorum, sicut et Paulus monet mulieres in Ecclesia habere velamen super caput suum; vel propter Angelos. Et Tobias consideratione parentum a quibus nati erant, suam conjugem monet honestatis et temperantiæ, dicens : « Filii quippe sanctorum sumus, et non possumus ita conjungi, sicut Gentes quæ ignorant Deum, » *Tobiæ* VIII. Et diligenter observandum est, quod illi « Memento patris » opponatur « Ne obliviscatur te Deus; » et honori quem quisque ex Sanctorum cœtu obtinet, opponitur improperium et dedecus quod irreverens incurrit, sive hic, sive postea, in conspectu sanctorum et hominum et Angelorum.

20. HOMO ASSUETUS IN VERBIS IMPROPERII, IN OMNIBUS DIEBUS SUIS NON ERUDIETUR, — *q. d.* Qui consuevit in alios convicia et probra jacere, hic eruditionis, institutionis et correctionis est incapax, tum quia talis est impudens, procax et pervicax, in eoque callum per consuetudinem obduxit; Vers. 20.

tum quia sicut in alios innoxios insurgit, ita multo magis in monitores suos, a quibus corripitur, contumeliosus erit, in eosque plaustra contumeliarum et maledictorum conjiciet. Unde Vatablus vertit, *homo verbis probrosis assuetus, disciplinam per omnem vitam suam non admittet;* Syrus pro probrosis ponit otiosa : *Vir,* inquit, *qui discit verba otiosa, omnibus diebus vitæ suæ sapientiam non discet.*

Duas alias explicationes affert Palacius. Prior est, *q. d.* « Cave ne lingua assuescat jacere in alios contumelias, nam id signum æternæ reprobationis est; non enim tales homines a Deo eruditur. At vero, ut beatus est, quem tu erudieris, Domine : ita reprobus, ac ideo omni infelicitate infelicior, quem tu non erudieris. Alium sensum mihi usus ostendit; is est : Ne credant domini ministros suos improperiis emendandos, imo vero minister his improperiis assuetus, nunquam erudietur. Igitur non solum non assequitur herus suis conviciis ministri emendationem, sed potius eum facit contumacem, ut de eo desperetur. »

TERTIA PARS CAPITIS.

DE CÆCITATE FŒDITATEQUE FORNICATIONIS ET ADULTERII.

Vers. 21. 21. DUO GENERA ABUNDANT IN PECCATIS (Græce, *multiplicant peccata*), ET TERTIUM ADDUCIT IRAM ET PERDITIONEM. — Post vitia linguæ pergit ad vitia operum, inquit Jansenius, sicut et in principio capitis postquam precatus est linguæ continentiam, mox precatur vitæ totius temperantiam. Sensus est, *q. d.* Duo genera vitiorum et vitiosorum hominum sunt, quæ peccata peccatis accumulant; tertium vero hæc duo superans, acrem Dei iram, vindictam et perditionem provocat. Simile est *Proverb.* VI, 16 : « Sex sunt, quæ odit Dominus, et septimum detestatur anima ejus : » septimum est susurratio et susurro, qui seminat inter fratres discordias. Unde Syrus hoc loco vertit, *duos modos odit anima mea, et tertius ascendere facit iram;* Tigurina, *duo genera peccatis abundant, et tertium meretur supplicium,* scilicet singulare et acre. Inter hæc tria *primum* est « anima calida, » puta anima æstuans ira et cholera. *Secundum* est « nequam in ore carnis suæ, » id est, nequam in appetitu carnis, id est veneris, puta luxuriosus. *Tertium* est, vers. 25, « qui transgreditur lectum suum, » id est adulter.

Vers. 22. 22. ANIMA CALIDA QUASI IGNIS ARDENS, NON EXSTINGUETUR DONEC ALIQUID GLUTIAT. — Tigura, *animus æstuans tanquam ardens ignis, qui non exstinguitur donec absumatur.*

Anima calida, quæ? Respondeo primo. Quæres, quænam hæc « anima calida? » *Primo,* Rabanus, Jansenius, Palacius et Lyranus accipiunt animam avaram : hæc enim ardet avaritia et cupiditate, quasi igne. Unde non desistit donec proximorum bona per fas et nefas glutiat, et in stomachum avaritiæ suæ ita sitibundum trajiciat. Unde Boetius, lib. II *De Consol.,* metro 5 : « Sævior ignibus Ætnæ, inquit, ardet amor habendi. » Audi Rabanum : « Anima calida quasi ignis ardens est mens avari, quæ ardet in concupiscentia terrenarum rerum, cujus ardoris flamma non mitigatur, donec lucro terreno repleatur : sed quia avaritiæ pestis morbo hydropiæ est similis; quo qui laborat, quanto plus bibit, tanto plus sitit : sic et anima avari, quanto plura in pecuniarum quæstu acquirit, tanto plus in eorum ardet ambitione. Idcirco dum dicitur. Non exstinguetur, donec aliquid glutiat; non ejus morbi in eo exprimitur curatio, sed perversi usus denotatur multiplicatio, ut, dum appetitum lucrum acquirit, inde quasi jam absolutus, ad alia appetenda paratior reddatur. » Et S. Ambrosius lib. *De Cain et Abel,* avaritiam vocat : « Æris libidinem, quæ quo plura abstulerit, eo magis inopem esse se credit. Omnibus invida, sibi vilis, affectu extenuat quod censu abundat. Nullus rapiendi modus, ubi nulla mensura capiendi. Sic inflammat, sic igne suo pascit animum, ut hoc solo a luxuria distet, quod hæc formarum adultera sit, avaritia terrarum. »

Secundo. *Secundo,* potius et aptius, « anima calida » est anima bile et ira æstuans. Ira enim est effervescentia sanguinis circa cor, quæ proinde hominem ita succendit, ut naribus fumos, ore et oculis ignes spirare videatur : hæc non exstinguitur donec aliquid, puta famam, sanguinem, vel vitam ejus, cui irascitur, glutiat, donec scilicet aliquem infamet, vulneret, mutilet, vel occidat. Græca jam habent passive καταποθῇ, id est *donec glutiatur,* id est, donec absumatur bilis et ira, vel ipse iratus. Irati enim in rixas et enses quasi furibundi ruunt, ideoque sæpe feriuntur et occiduntur.

Tertio. *Tertio,* valde concinne « anima calida » potest accipi anima æstuans libidine. Unde Syrus vertit, *anima quæ luxuriatur cum ignominia carnis suæ.* Hanc enim vers. seq. dicit fornicando accendere ignem, atque omnia sequentia spectant ad eam et ad adulterium. Videtur enim per tria quæ nominavit vers. 21, intelligere tres gradus libidinis, ut primus sit interna concupiscentia, quæ non exstinguitur donec aliquid externæ voluptatis per pollutionem, oscula, tactus impudicos, etc., glutiat et hauriat; secundus sit fornicatio; tertius, adulterium. Aut certe intelligit tria genera luxuriosorum : *primum* est « anima calida, » id est, anima æstuans libidine et fornicatione, *secundum* est adulter, *tertium* est adultera de qua vers. 25. Adultera

enim sæpe nocentior est adultero, quia adducit iras et cædes, ac perditiònem integrarum familiarum. Unde Syrus et Complutenses hunc versum jungunt cum seq. quasi «anima calida» sit anima fornicarii. Sic enim habent Complutenses, *anima calida quasi ignis ardens non exstinguitur, donec deglutiatur homo fornicarius in corpore carnis suæ, non desinet donec accendat ignem.* Licet Græca a Romanis emendata hæc separent, uti facit noster Latinus Interpres, ac proinde ante τὸ *homo fornicarius*, ponunt hypocolon, quasi alterum et diversum ab anima calida, ideoque secundum e tribus peccatis, de quibus vers. 21 membrum sit *homo fornicarius*.

Exemplum uxoris Ottonis Imperatoris.

Exemplum singulare, sed multiplex hujus ignis et animæ calidæ, exstat in Maria filia regis Aragonum, uxore Ottonis III Imperatoris apud Crantzium in *Saxon.* lib. IV, cap. XXVI, et ex eo Baronius, anno Christi 998 : « Hæc enim femina procax, inquit, oculos conjecit in comitem quemdam virum integerrimum, forma pulcherrimum : quæ a viro castissimo passa repulsam, illum de pertentata pudicitia calumniose accusavit apud Imperatorem, qui facile nimis adhibens fidem ipsi, comitem morte damnavit. Quem cum capite amputatum audisset ejus uxor, magna audacia, quam pudoris nescius dolor ministravit abunde, Ottonem convenit pro tribunali sedentem, clamans de nece justissimi viri vindictam, projectoque capite viri in medium, ipsum imperatorem reum sanguinis innocentissimi apud ipsum jura reddentem accusat. Probationem per contrectationem ferri candentis veritatis indicem offert. Consentit ille, paratur ignis, ferrum candens exhibetur; mulier conscia innocentiæ viri sui, arripit illud illæsa, contrectat inusta, quia justa; stringit ut flores ignitum metallum, quo solum exuruntur præcordia ipsius Imperatoris. Cui tunc insultans victrix femina, vindictam in Imperatorem a gladio exigit imperantis. Fatetur ille culpam, nec refugit pœnam, spondens jugulum, sed poscit inducias. Interim proceres accurrunt, pro vita feminam exorant Imperatoris. Sed frustra diu laboratum; at tandem ea est conditione transactum, ut auctrix sceleris Augusta, ex qua causa processerat viri necis, flammis comburenda daretur. Quo facto, suam redemit vitam justissimus imperator, qui eamdem donatam tribus castris, solutus ipse ac liber subeundi supplicii, eam abire rogavit. » Ecce quantas tragœdias anima feminæ, calida amore, dein furore, excitavit; sed catastrophe in ipsammet revoluta, æstum amoris et furoris luit ignis ardore.

Denique «anima calida» generatim potest accipi ea, quæ quovis affectu pravo, v. g. superbiæ, ambitionis, invidiæ, gulæ, etc., ardet : hæc enim non satiatur donec rem adeo concupitam glutiat, eaque per fas et nefas potiatur. Quocirca de talibus ait Isaias cap. LVII, 20 : « Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest. » Et *Osee* cap. VII, 4, insaniam Israelitarum et ardorem colendi idola sub Jehu rege, quasi mysticam fornicationem et adulterium incusans : « Omnes adulterantes, ait, quasi clibanus succensus a coquente, etc. Quia applicuerunt quasi clibanum cor suum, cum insidiaretur eis : tota nocte dormivit coquens eos, mane ipse succensus quasi ignis flammæ. Omnes calefacti sunt quasi clibanus, et devoraverunt judices suos. » Vide ibi dicta. Ita noster Pineda in *Job*, cap. XX, vers. 12 : « Duo genera, inquit, abundant in peccatis (id est, multorum peccatorum fons et origo sunt) : Anima calida (ventriculus, stomachi appetentia) quasi ignis non extinguetur, donec aliquid glutiat; stomachus, videlicet, non minus famescens, et ardens fame, quam ignis, qui nisi devoret et depascatur multam materiam, continuo exstinguitur, et tunc demum videtur contentus, cum multa illi nutrimenta subministraveris. En animam, aut stomachum impii æstuantem atque ardentem cupiditatibus, et non quiescentem donec desideratis potiatur. » Et inferius : « Exprimitur enim quanta sit impiorum in peccando fames, quanta voracitas. In universos enim illud quadrat : Quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum. Nam cum omnes unicam voluptatem, atque peccatorum dulcedinem appetant, gurgites sunt et helluones spurcissimi voluptatum, nati abdomini suo, non veræ laudi, non gloriæ, non fruendo Deo. »

Tropologice.

Tropologice, «anima calida,» id est, æstuans ira, libidine, aliave cupiditate, parat et succendit sibi ignem multarum pœnarum et calamitatum, ac tandem ignem gehennæ, juxta illud *Isaiæ* L, vers. ult. : « Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, et in flammis quas succendistis. » Vide quæ ibidem notavi.

Vers. 23.

23. ET HOMO NEQUAM IN ORE CARNIS SUÆ, NON DESINET DONEC INCENDAT IGNEM. — Hoc est secundum genus eorum qui abundant in peccatis, nimirum fornicariorum : hi enim libidines multiplicant, quia iis non satiantur. Est enim libido insatiabilis, suique flammas majores semper suscitat et accendit : unde «abundat in peccatis.» Noster pro πόρνος, id est *fornicarius*, legit πονηρός, id est *nequam*. Unde aliqui hæc accipiunt de guloso, qui non satiatur ore carnis suæ, puta sua gula et ingluvie, nec quiescit donec in se accendat ignem libidinis. Verum ex Græco et Syro liquet hic notari fornicarium. Unde Tigurina vertit, *deinde scortator homo qui corpore carnis suæ non conquiescit, donec ignem succenderit;* Syrus, *vir qui luxuriatur cum ignominia carnis suæ* (alii, *membri sui*), *non conquiescet donec accendatur in eo ignis.* Sensus est : «Homo nequam in ore carnis suæ,» hoc est, nequam in explendo appetitu carnis, id est concupiscentiæ et libidinis suæ, puta luxuriosus et fornicator, «non desinet donec ignem» libidinis suæ, quo ardet interius, exterius «accen-

dat» et expleat, donec scilicet amasias suas eodem igne succenderit, cum eisque se libidine contaminarit et concremarit.

Est metonymia, qua os quasi instrumentum ponitur pro ipso appetitu cibi. Rursum est catachresis, qua appetitus cibi ponitur pro appetitu rei venereæ. Unde sequitur : « Homini fornicario omnis panis dulcis. » Dicitur ergo «nequam in ore carnis suæ » fornicator, qui explet omnia quæ appetit caro sua, sive quidquid carni libet, quique ore suo postulat ac sollicitat amasias, ad explendum suum hunc brutalem appetitum. Simili phrasi Scriptura tribuit gladio os, cum dicit : « Percussit eos in ore gladii, » id est, in acie gladii. Rursum «in ore,» id est, in appetitu gladii, *q. d.* Percussit eos ad satietatem quantum libuit gladio, id est, quantum appetiit furens miles et gladiator. Noster legit στόματι, id est *ore*; jam legunt σώματι, id est *corpore*.

Porro, ignis hic libidinis concipitur ex forma et pulchritudine, quæ oculis hauritur, ac per eos in reliqua membra proserpit, eaque accendit. De quo eleganter S. Chrysostomus, homil. 3 *De Verbis Isaiæ* : « Vidi Duminum : Ut ignis, inquit, ubi fœnum aliquod aut culmum arripuerit, nihil moratur, sed simul lucidam accendit flammam : itidem et ignis concupiscentiæ, qui est in nobis, simul atque per oculorum intuitum elegantem ac venustam attigerit formam, protinus exurit animum. » Quocirca ut ab igne hoc immunem te serves, omni studio custodiendi sunt oculi. Vide S. Basilium, tract. *De Virg.* : « Est sane iniquum et indignum, inquit, præterquam quod ad vitium per oculos vehitur, virginem, quæ manu contrectare non audet, ea jactu oculorum indifferenter attingere. Quæ igitur non evitavit luminum jactum quantum in se est, ne manus quidem tactum vitavit. Sicut enim cum ignem tangimus, ignis indicia per impressas nobis adustiones excipimus, ita possibile non est eum, quem ignis amoris attigit, ejusmodi tactum innocuum inviolatumque præferre. »

Vers. 24. 24. HOMINI FORNICARIO OMNIS PANIS DULCIS, NON FATIGABITUR TRANSGREDIENS USQUE AD FINEM. — Sicut vers. præced. appetitum fornicationis vocavit *os carnis;* ita persistens in eodem tropo, *panem* quo hoc *os*, id est, appetitus venereus, impletur, vocat feminam, *q. d.* Homo assuetus fornicationi irruit in quaslibet mulieres : omnis femina sive pulchra sit, sive turpis; sive pauper, sive dives; sive juvenis, sive senex, ei videtur dulcis : sicut famelico dulcis videtur et sapidus quilibet panis, etiam ater et durus. Qualibet ergo femina, quasi pane os, id est, appetitum luxuriæ suæ, implet et saturat : «unde non fatigatur transgrediens (legem Dei per continuas fornicationes) usque ad finem,» scilicet vitæ; Tigurina, *donec intereat*. Tenacissima enim est libido, et consuetudo fornicandi, adeo ut cum senectute non consenescat, sed vivat et vigeat, imo ardeat usque ad mortem, nec nisi cum ea moriatur. Simili tropo de meretricibus clanculariis ait Salomon *Proverb.* IX, 17 : « Aquæ furtivæ dulciores sunt, et panis absconditus suavior. » Ita Syrus : *Carni*, inquit, *viri luxuriosi omnis caro suavis est, et non continebit donec peccet.* Sunt enim turpissimi scortatores, qui vaga libidine delectantur, nullo delectu, qui non nisi libidinari cupiunt, et, ut ait Plato in *Convivio*, « Vere non amant, sed ad explendum tantum desideria inhiant, et quodcumque sors obtulerit, exsequuntur. »

Porro noster Pineda, lib. V *De Rebus Salom.* cap. IV, num. 13, censet hic alludi ad panem mellitum, qui in nuptiis dabatur sponsis, ac deinde convivis : ex quo nuptiæ dicebantur contrahi *confarreatione*, quia panis ille erat farraceus, aut far, teste Athenæo, lib. VII, Alexandro ab Alexandro, lib. II, cap. V, et Cælio Rhodigino, lib. XXIV, cap. XV. Unde sponsus invitans sponsam ad hanc placentam mellitam *Cantic.* V, 1 : « Comedi, inquit, favum cum melle meo. » Ubi Septuaginta, *comedi panem meum cum melle meo;* ut sensus sit, *q. d.* Scortator projectissimus est ad omnem cujuslibet feminæ voluptatem, neque minus ardet quavis occasione oblata, quam si primas nuptias celebraturus esset, ac mellitam placentam nuptialem degustaturus.

Vers. 25. 25. OMNIS HOMO QUI TRANSGREDITUR LECTUM SUUM, CONTEMNENS IN ANIMAM SUAM, ET DICENS : QUIS ME VIDET? — Adde : « Hic in plateis vindicabitur, » uti dicetur vers. 30. Ibi enim sententia hic inchoata absolvitur. Sensus est, *q. d.* Tertius, qui abundat peccatis, et adducit iram et perditionem, uti dixi vers 21. Est adulter, qui torum et lectum conjugalem violat, alteriusque conjugem aut certe fornicariam invadit, itaque contemnit «animam suam,» tum quia vitam suam periculo mortis objicit, ne videlicet cognati conjugis, aut maritus adulteræ cum qua peccat, eum ob injuriam et infamiam tam conjugi quam adulteræ, indeque sibi illatam, occidant; tum quia animam suam Dei vindictæ, judicio et damnationi exponit. Sed hæc omnia contemnit cæcus amor adulteri, quia clanculum adulterans, putat se latere hominum oculos dicitque : «Quis me videt?» unde Tigurina vertit, *homo denique* (est tertius et ultimus abundans peccatis) *temerator tori sui, sic animo secum cogitans : Quis me videt?* Syrus, *vir qui prævaricatur super lectum strati sui, et dicit in anima sua : Quis videt me?* Ideoque non cogitat illud Senecæ Gentilis, cum ipse sit fidelis : « Etiamsi scirem homines ignoraturos, et Deum ignosciturum, tamen peccare nollem, ob peccati turpitudinem. »

Vers. 26. 26. TENEBRÆ CIRCUMDANT ME, ET PARIETES COOPERIUNT ME, ET NEMO CIRCUMSPICIT ME : QUEM VEREOR? DELICTORUM MEORUM NON MEMORABITUR ALTISSIMUS. — *q. d.* Nec homines vereor, utpote qui me tenebris et cubiculo clausum non vident; nec Deum, utpote quem non credo videre aut curare res mortalium, ut castos præmiet, adulteros puniat; ni-

mirum : « Nubes cœli latibulum ejus, nec nostra considerat, et circa cardines cœli perambulat, » ut aiunt impii, *Job* XXII, 14. Libido enim ducit homines ad atheismum, ut negent Dei providentiam omneque numen. Quocirca qui firmus in fide persistere cupit, sit castus : castitas enim est custos veræ fidei et religionis : hanc enim evertit intemperantia et libido. Hac de causa S. Petrus, S. Paulus, S. Joannes, S. Matthæus, S. Clemens, cæterique Apostoli virique Apostolici, eximii præcones fuere castitatis, æque ac fidei, adeoque pro castitate Martyres occubuerunt. Sciebant enim sanctitatem Christianæ fidei et religionis esse tantam, ut non nisi a castis capi et conservari possit. Syrus vertit, *ecce parietes domus meæ tegunt me, et tectum domus meæ superjacet mihi, et non est qui videat me, quis prohibebit me ne peccem?* Tigurina, *tenebris circumseptus sum, et parietes mihi præbent latebram, nec quisquam videt me, quidnam metuam? peccata mea non curat Altissimus.*

Castitas custos fidei.

Sapienter S. Chrysostomus, homil. 11 *in* I *ad Corinth.* « Noli, inquit, dicere : In tenebris sum, pariete claudor, quis me videt? Qui enim omnia nostra corda effinxit, ipse omnia novit. Quoniam tenebræ apud eum nihil obscurius reddunt. Recte autem inquit peccator : Tenebræ circumdant me, et parietes; nisi enim in tenebris animus esset, non sane Dei timore abjecto, tanta duceretur licentia. Nam nisi prius rationalis pars caligaret, non tam licenter peccata in nos impetum facere potuissent. Quamobrem ne dicas, Nemo me videt; est namque qui ad animam usque et spiritum, articulos et medullas penetrat. Te autem ipsum non vides, neque potes nebulas expellere; sed tanquam muro undique circumdaris, et sic nequis cœlum suspicere. » Docet deinde in omni peccato esse tenebras mentis, et rationis lumen exstingui : « Nam quemadmodum, inquit, latrones, et parietum perfossores, cum quid pretiosum rapere volunt, exstincto lumine id aggrediuntur, sic in peccatoribus corrupta ratio. Etenim in nobis rationis lumen est semper ardens; quod si spiritus iniquitatis vehementiori impetu aggressus exstinxerit, quamprimum animam obscuravit, expugnavitque, et quidquid in ea conditum est, compilavit. »

Tenebras peccatoris discutit lux Dei omnia videntis.

27. ET NON INTELLIGIT (non credit; vel, si credit, non cogitat, non considerat), QUONIAM OMNIA VIDET OCULUS ILLIUS (Dei : Dei enim nomen est *ille*, scilicet *qui est*, *Exodi* III, 14), QUONIAM EXPELLIT A SE TIMOREM DEI (ut liberius sine metu vindicis et vindictæ adulteretur et peccet), HUJUSMODI HOMINIS TIMOR (quo adulter timet videri ab hominibus, non a Deo, ideoque noctem et latebras quærit, *q. d.* Hic timor quo adulter tantum hominem, et ab homine videri timet, expellit timorem Dei), ET OCULI HOMINUM TIMENTES ILLUM. — Idem dicit et inculcat, *q. d.* Et oculi adulteri, qui sunt « oculi hominum, » id est, quibus videri metuit ab hominibus, ideoque oculis suis circumspicit, num quis hominum eum videat. « Oculi » ergo « hominum » sunt metus et timor hominum; hi oculi sunt « timentes illum, » supple hominem, qui præcessit, *q. d.* Oculi adulteri solum timent hominem, ideoque expellunt timorem Dei, ut jam dixit : hoc enim ex prædictis hic subaudiendum et repetendum relinquit. Unde Græca pro his omnibus hoc tantum habent, *et oculi hominum timor ipsius*, id est, ut Tigurina, *sane huic oculi tantum hominum timori sunt*, *q. d.* Talis tantum timet aspici ab hominibus. Unde S. Ephrem in *Apophtheg.* legit : « At contra oculos hominis timet. » Syrus hæc omnia præterit et omittit. Nonnulli codices aliter dispungunt sensumque dant faciliorem hoc modo : « Expellit a se timorem Dei, » scilicet adulter, deinde ponunt colon, ac quasi epiphonema subjungunt : « Hujusmodi (est) hominis timor, et oculi hominum timentes illum, » *q. d.* Talis est timor hominis, et tales sunt oculi hominum, qui solum timent hominem, qui scilicet duntaxat timent videri ab homine quem metuunt, non a Deo quem non metuunt. Nimirum hi sunt humani et carnei oculi, qui non nisi hominem timent. Insanit ergo adulter dum oculos Dei fallere vel fugere se posse putat. Audi Rabanum : « Qui enim castitatis virtutem perdit, et impudentiæ se vitio tradit, cum ipse tenebrosæ sit mentis, tenebrarum opera sine conscientia alterius æstimat se agere; et quia Dei timorem a se expellit, in eo maxime deluditur quod occultorum omnium conditorem se fallere posse arbitratur; cum Propheta testante didicimus, quod vultus Domini sit super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum; et Dominus interrogat justum et impium; qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam; coram sole justitiæ nihil latere potest : omnes enim viæ hominum patent oculis Dei; cœlorum ipse continet thronum, et abyssum intuetur, cœlum palmo metitur, et terram pugillo concludit, ipse novit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt, et singulorum cogitationes intelligit a longe : homo enim videt in facie, Deus autem intuetur cor. »

Audi et S. Ambrosium hunc locum expendentem, lib. I *Offic.* cap. XIV : « Nolunt (adulteri et impii) supra se esse judicem, quem nihil fallat; nolunt ei dare occultorum scientiam, qui metuunt occulta sua prodi : sed etiam Dominus sciens opera eorum, tradidit eos in tenebras. In nocte, inquit, erit fur; et oculus adulteri servabit tenebras, dicens : Non considerabit me oculus, et latibulum personæ opposuit suæ. Omnis enim qui male agit, lucem fugit, diligit tenebras, studens latere, cum Deum latere non possit, qui intrat profundum abyssi, et intra hominum mentes non solum tractata, sed etiam volvenda cognoscit. Denique et ille qui dicit in Ecclesiastico : Quis videt me? et tenebræ cooperiunt me et parietes, quem vereor; quamvis in lecto positus hæc cogitet, ubi non putaverit, comprehenditur. Et erit, inquit, dedecus, quod non intellexerit timorem

Ex S. Ambrosio.

Dei. Quid autem tam stolidum, quam putare quod Deum quidquam prætereat; cum sol qui minister luminis est, etiam abdita penetret, et in fundamenta domus, vel secreta conclavia vis caloris ejus irrumpat? » Et paulo post : « Si igitur radius solis fundit lumen suum super omnem terram, et in ea quæ clausa sunt se inserit, nec vectibus ferreis, aut gravium valvarum obicibus, quominus penetret, impeditur; quomodo non potest intelligibilis Dei splendor in cogitationes hominum et corda, quæ ipse creavit, semet inserere; sed ea quæ ipse fecit, non videt, et fecit ut meliora sint quæ facta sunt, et potentiora, quam ipse est qui ea fecit, ut possint, quando volunt, cognitionem sui operatoris latere? Tantam ergo virtutem et potestatem inseruit mentibus nostris, ut eam comprehendere cum velit, ipse non possit. »

Vide hic et admirare, quanta sit hominum, Dei oculos velare conantium, stupiditas, vel rusticitas, vel cæcitas, vel ignorantia, vel oblivio, quam sæpe miraculis coarguit Deus. Ut alia taceam, mirabile et memorabile est, quod scribit B. Petrus Damianus S. R. E. cardinalis et Episcopus Ostien-

Mirum exemplum ex Damiano.

sis, suoque ævo sapientiæ sol. Sic enim ait lib. V, epist. 16 *ad Landulphum* : « Quidam alienam suem furtive surripuit, et caveæ clandestinus inclusit; vir tamen ille pietatis operibus intentus esse consueverat. Interea adest dives Jesus in effigie pauperis, et tanquam prolixo jam crine deformis egebat arte tonsoris. Ille protinus reverenter assurgens, inter cætera officiosæ humanitatis impendia, cœpit illum forcipibus attondere; sed dum tornat ac satagit, ecce reperit duos in occipitio sub crinibus oculos latitantes. Expavit homo, stupensque contremuit, et quid vellet esse quod cerneret, pavidus inquisivit. Cui mox ille : Ego, inquit, Jesus vocor, qui undique cuncta contemplor, et isti sunt oculi quibus etiam suem vidi, quam nuper in cavea conclusisti. Moxque disparuit. Ille protinus ad cor rediens, et divinam circa se clementiam recognovit, et quod inique præsumpserat, satisfactione purgavit. »

Huc pertinet Apophthegma prisci Rabbini in *Pirke Avoth*, id est, in *Apophth. Patrum Hebr.* « Tria tibi servanda sunt, ut nunquam in peccatum labaris : *primum*, ut attendas oculum omnia videntem; *secundum*, ut aurem, cui nec ipsum tacet silentium, in omni loco reverearis; *tertium*, ut cogites omnia et singula opera tua in libro scientiæ illius esse exarata. »

Vers. 28. 28. ET NON COGNOVIT, QUONIAM OCULI DOMINI MULTO PLUS LUCIDIORES SUNT SUPER SOLEM, CIRCUMSPICIENTES OMNES VIAS HOMINUM, ET PROFUNDUM ABYSSI, ET HOMINUM CORDA INTUENTES IN ABSCONDITAS PARTES. — Græca, *nec intelligit oculos Domini millies sole splendidiores esse, qui intuentur omnes vias hominum, et contemplantur in partes abstrusas*; Syrus vero, *et nescit quia oculi Dei magni, majores sunt decies millies sole, et videt vias omnium hominum, et intelligit in tenebris faciem operum eorum*. Sol centies et sexagies major est globo terræ, ideoque in se contineret centum et sexaginta terræ globos, si existerent : cogita ergo quam magnus sit Dei oculus, ac quoties major sit tota terra? Quid ergo eum latere queat, quod non videat? Unde Tigurina, *nec intelligit oculos Domini sole infinitis partibus perspicaciores, vias hominum omnes ac profundum maris inspicere, atque abstrusissima quæque perlustrare.*

Apposite oculum, id est, aciem mentis qua omnia inspicit Deus, comparat soli; Deus enim, ut ait Poeta, est ἡέλιος ὃς πάντ' ἐφορᾷ, καὶ ἐπακούει, id est, *sol qui omnia videt, et omnia audit.* Vide dicta *Isaiæ* XLV, vers. 1, ubi octodecim analogias inter regem et solem recensui : Deus enim est Rex regum. Igitur sicut sol ex alto cœlorum vertice, luce sua quasi oculo terram inspicit, imo illustrat, ut omnia faciat visibilia cuivis homini et animali : ita Deus acie perspicacissima et immensa mentis suæ totum mundum inspicit, circumspicit introspicit, et ad fundum quaquaversum perspicit et comprehendit, imo omnia in lucem profert in die judicii. Unde eleganter Philo, lib. *De Victimas offerentibus* : « Deus, inquit, est ipsius solis sol, illustrans sensibilem intelligibilis. » Sicut enim sol res sublunares conspicit, et conspicuas facit: ita Deus res omnes creatas, et inter illas ipsum solem, clarissime videt, et visibilem efficit.

Verum Dei oculus in multis superat solem. Sol enim non circumspicit omnes vias, id est, mores, et actus etiam internos hominum : hos tamen circumspicit Deus. Dei oculus lucidior sole. Primo.

Secundo, sol non penetrat profundum abyssi, id est, maris; mare enim multis in locis ad duo vel tria milliaria profundum est, quo non pertingunt solis radii : ut plurimum tamen maris profunditas non excedit dimidium milliarii, uti testantur nautæ qui maris altitudinem demissa bolide explorarunt. Adde nonnulla maria ita profunda esse, ut eorum profunditas necdum reperta sit, qualia sunt Suecica littora, ubi non anchoris, sed ferreis annulis naves cohibentur, et in Ponto, de quibus Plinius, lib. II, cap. CII : « In Ponto, inquit, ex adverso Coraxorum (vocant Bathea, id est profunda, Ponti) trecentis fere a continenti stadiis immensam altitudinem maris tradunt, vadis nunquam repertis. » Vide Picolomineum, lib. *De Quantit. terræ et aquæ*, et Conimbricenses, lib. III *De Cœlo*, cap. V, Quæst. III, art. 2. Secundo.

Tertio, Deus est cardiognostes, et hominum corda introspicit. Id facere nequit sol. Quocirca a Sophocle in *Œdipo Colon.* epithetum Deo proprium datur παντόπτης, id est, omnia intuens; quod nihil eum lateat, nullum cordis arcanum ejus aspectum fugiat. Tertio.

Quarto, absconditas mundi partes, puta terræ viscera et centrum, locaque inferni, ac tot milliones dæmonum et hominum damnatorum ibi degentium clare intuetur Deus; rursum omnes mundi angulos, cubicula, lectos, stragula, antra, Quarto.

cavernas, latibula, fossas, hiatus pervidet. Id non facit sol. Oculi ergo Dei multo lucidiores sunt sole, præsertim circa actus hominum bonos vel malos : hos enim acerrima acie intuetur Deus, ut suo tempore æternis pœnis vel præmiis eos puniat aut remuneret. Quocirca S. Joannes *Apoc.* I, 14, Christi gloriam describens : « Oculi ejus tanquam flamma ignis. » Et Danielis cap. X, 6. Angelum Dei, et in eo Deum pingens : « Facies ejus, inquit, velut species fulguris, et oculi ejus in lampas ardens. » Et Ezechiel Cherubinos stemmata Dei gerentes describens cap. I, 18 : « Totum corpus, inquit, oculis plenum in circuitu; » quomodo Poetæ finxerunt Argum pastorem Ionis circumcirca esse centum oculis oculatum. Quin et Plinius, lib. II, cap. VII : « Deus, inquit, totus est sensus, totus visus, totus auditus, totus animæ, totus animi, totus sui. »

Præclare S. Augustinus in *Speculo*, cap. IV, ita Deum definit, aut potius periphrastice describit : « Immutabilis mutans omnia, invisibilis videns omnia, immortalis, illocalis, interminatus, incircumscriptus, nusquam finitus, ineffabilis, inæstimabilis, indicibilis, inscrutabilis, immotus, tangens omnia, investigabilis, metuendus atque terribilis, venerandus atque verendus, honorandus atque horrendus, nunquam novus, nunquam vetus, omnia innovans; in vetustatem perducens superbos, et nesciunt; semper agens, semper quietus; colligens, et non egens; omnia portans sine onere, omnia implens sine inclusione, omnia creans et protegens, nutriens et perficiens. Quærens, cum nihil desit tibi; amans, nec æstuas; zelans, et securus es; pœnitet te, et non doles; irasceris, et tranquillus es; opera mutas, sed consilium nunquam recipis. » Et paulo inferius : « Qui es ubique totus, qui sentiri potes, et videri non potes; qui nusquam dees, et ab iniquorum cogitationibus longe es. Qui nec ibi dees ubi longe es : quia ubi non es per gratiam, ades per vindictam. Qui omnia tangis, nec tamen æqualiter omnia tangis. Quædam enim tangis ut sint, nec tamen ut vivant et sentiant : quædam tangis ut sint, vivant et sentiant, nec tamen ut discernant; quædum tangis ut sint, vivant, sentiant atque discernant. Et cum tibimetipsi nunquam dissimilis sis, dissimiliter tangis dissimilia. Qui ubique præsens es, et inviniri vix potes : quem stantem sequimur, et apprehendere non valemus. Qui tenes omnia, imples omnia, circumplecteris omnia, superexcellis omnia, sustines omnia. »

Moral., de Dei præsentia.

Idem in *Soliloq.* cap. XIV : « Gressus meos semitasque consideras, et die noctuque super custodiam meam vigilas, omnes semitas meas diligenter notans : speculator perpetuus, veluti si totius creaturæ tuæ cœli et terræ oblitus, tantum me solum consideres, et nihil sit tibi curæ de aliis. Neque enim tibi crescit lux incommutabilis visionis tuæ, si tantum unum aspicias; neque minuitur, si innumera videas et diversa. Quia sicut uno totum simul perfecte consideras, sic singula quælibet, licet diversa, perfecte simul, totaque totus conspicit visus tuus. Sed sicut omnia, sic unum; et sicut unum, sic singula, totus simul, sine divisione, vel commutatione, vel diminutione consideras. Itaque totus tu in toto tempore sine tempore, totum me simul semperque consideras, ac si nihil aliud considerare habeas. Sic igitur super custodiam meam stas, sicut si omnium oblitus sis, et mihi soli intendere velis. Semper quippe te præsentem exhibes, semper te paratum offers, si me paratum invenis. Quocumque iero, tu me, Domine, non deseris, nisi prior ego te deseram. Ubicumque fuero, non recedis, quoniam ubique es, ut quocumque iero, inveniam te, per quem possim esse, ne peream sine te, cum sine te esse non possim. Fateor quidem, quia quidquid facio, et quæcumque facio, ante te facio : et illud quidquid est quod facio, melius tu vides quam ego qui facio. Quidquid enim semper operor, tu pariter semper præsens ades, utpote perpetuus inspector omnium cogitationum, intentionum, delectationum et operationum mearum. » Et mox : « Cumque hæc diligenter considero, Domine Deus meus, terribilis et fortis, timore pariter et ingenti rubore confundor : quoniam nobis magna indita est necessitas juste recteque vivendi, quia cuncta facimus ante oculos judicis cuncta cernentis. » Quocirca Psaltes *Psal.* CXXII, 1 : « Sicut oculi servorum, inquit, in manibus dominorum suorum, sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ : ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum donec misereatur nostri. » Et *Psalm.* XV, 8 : « Providebam Dominum in conspectu meo semper : quoniam a dextris est mihi, ne commovear. » Et sponsus sponsæ *Cantic.* VIII, 6 : « Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum. » Hinc S. Basilius ad filium spiritualem, hoc inter alia ei præscribit : « Memento te sub Domini conspectibus stare, qui occulta cordis prospicit, et abdita mentium novit. In omni opere quod cogitas facere, prius examina si secundum Dominum est quod cogitas : et si rectum est coram Domino, perfice; si vero adversum fuerit repertum, amputa illud ab anima tua. » Hæc S. Basilius, quem S. Gregorius Nazianzenus, *epist.* 26 ad eumdem S. Basilium non adulatorie, sed jure et merito vocat oculum orbis, magnificam vocem ac tubam, regiumque dicendi splendorem. S. Bernardus in *Formula honestæ vitæ*, ad eam duo requirit. « Primum est, inquit, ut subtrahas te ab omnibus transitoriis rebus, ut nihil de eis cures ac si non essent; secundum, ut ita te des Deo, ut nihil dicas et agas, nisi quod credideris firmiter placere Deo. » Idem in *Meditat.* cap. VI, ex S. Augustino : « Sicut, inquit, nullum est momentum, quo homo non fruatur Dei bonitate et misericordia : sic nullum debet esse momentum quo eum præsentem non habeat in memoria. Quocumque loco consistis, cogitationes tuas jacta in Deum,

aut aliquid salutare in animo tuo versa. Omnis siquidem locus ad meditandum congruus est. »

Denique sicut sol Zodiacum duodecim signis distinctum assidue perambulat, imo percurrit : sic Deus mentem fidelem duodecim primariis virtutibus ornatam perambulat, ut eam in illis illuminet, inflammet, roboret, perficiat. Unde Isaias cap. LX, 19, Deum vocat Ecclesiæ et fidelium lucem et solem; et Malachias cap. IV, 2, Christum vocat solem justitiæ; et illud *Cantic.* V, 14 : « Venter ejus eburneus, distinctus sapphiris; » alii vertunt : *Sicut circulus medius, in quo sunt similitudines siderum.* Christus ergo Zodiacum siderum, id est virtutum, pingit in mente fideli et sancta.

Vers. 29. 29. DOMINO ENIM DEO, ANTEQUAM CREARENTUR, OMNIA SUNT AGNITA : SIC ET POST PERFECTUM RESPICIT OMNIA. — Probat oculos Dei sole lucidiores omnia intueri, ex eo quod ipse omnium sit creator, conservator et gubernator : sicut ergo antequam crearet ea cognovit per ideam, quam in mente habuit : juxta eam enim ea creavit; sic quoque postquam ea creavit et perfecit, respicit et intuetur omnia, ut creata a se conservet et gubernet. Unde Græca clare habent, *antequam crearentur, omnia sunt ei agnita, sic et postquam consummata sunt;* Syrus vero, *quia antequam fiat quidquam, manifestum est coram eo, et etiam post consummationem mundi ipse judicat illum, q. d.* Deus facta hominum prænovit et prævidit, antequam ea faceret homo, imo antequam mundus existeret : unde idem postquam facta sunt, postquam scilicet ea fecit homo, in consummatione, id est, in fine mundi, judicabit illum, qui ea fecit et patravit.

Deus ergo actiones omnium, tam bonas quam malas, prævidit ante mundum, videt in mundo, judicabit post mundum. Audi Rabanum : « Notum est Deo ab initio opus ejus, nec aliquid novum ei accidere potest; quia ante omnia præsciebat tempora, quæ in tempore voluit facere opera, et post perfectum opus nihil illi defuit aut præteriit, quia neque præteritum, neque futurum aliquid illi est, sed omnia præsentialiter coram eo sunt. In omnipotente enim Deo ea quæ secutura sunt tempora, præsentia semper consistunt : cui nec futura veniunt, nec præterita discedunt, sed cuncta simul ante ejus oculos adsistunt : fuisse, vel futurum esse æternitas non habet; cui nimirum nec præterita transeunt, neque futura superveniunt, quæ cuncta præsens videt. »

Vers. 30. 30. HIC IN PLATEIS CIVITATIS VINDICABITUR, ET QUASI PULLUS EQUINUS FUGABITUR : ET UBI NON SPERAVIT (id est, non timuit, non putavit; græce enim est οὐχ ὑπενόησε, id est *non suspicatus est;* sic Poeta ait : « At sperate, id est *timete,* deos memores fandi atque nefandi ») APPREHENDETUR. — « Hic, » scilicet adulter, « qui transgreditur lectum suum, » de quo egit vers. 21; ibi enim sententia inchoata, et per plures versus suspensa, hic demum expletur. Unde Tigurina vertit, *quamobrem ille in plateis urbis condemnabitur;* Vatablus, *pœnas dabit;* utrumque enim significat Græcum ἐκδικηθήσεται; Syrus, *et id in quo non putat homo, qui apprehenditur in plateis civitatis, detegetur.* Cætera enim de pullo equino desunt in Græco et Syro. Sensus est, *q. d.* Adulter peccavit in secreto et tenebris; at Deus publice eum puniet, tum alias, tum cum juxta legem veterem eum in foro et platea per judicem morte puniet. Quare ubi ipse de judicis adventu et inquisitione audierit, fugiet ut « pullus equinus; » sed Deo vindice, « ubi non » putat, « apprehendetur. »

Hic est timor et pavor qui persequitur adulteros, quem ipsi quasi umbram mortis exhorrent, ut ait Job cap. XXIV, 17. Est enim mirabilis pulli equini, ait ibidem noster Pineda, metus appropinquante homine : fugit enim quaquaversus, nullo recto cursu aut itinere, atque semper ad conspectum viatorum commovetur, metuit, diffugit, multoque velocius atque perturbatius, cum capere illum conantur. Denique vel repentino laquei injectu, aut alia ratione a tergo improviso capitur. Sic sane adulter imitatus equum petulantissimum hinnientem ad uxorem proximi sui; at in timore et perturbatione animi, in fugiendo, et timendo lucem, pullum equinum imitatur. Ita Deus vindicavit adulterium Davidis, cum eum trepidum cogeret fugere a facie Absalom filii sui. Audi sententiam Dei in Davidem II *Reg.* XII, 11 : « Ecce, ego suscitabo super te malum de domo tua, et tollam uxores tuas in oculis tuis, et dabo proximo tuo, et dormiet cum uxoribus tuis in oculis solis hujus. Tu enim fecisti abscondite : ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, et in conspectu solis. » Sic quoque Deus punivit adulterium non perpetratum, sed destinatum Abimelech cum Sara uxore Abrahæ, etsi materiale duntaxat et inculpabile, eo quod Sara dixisset se sororem Abrahæ, non uxorem. Unde ex eo graviter S. Ambrosius, lib. I *De Abraham,* cap. II, conjuges fidei conjugalis admonens : « Adest, inquit, præsul conjugii Deus, quem nihil lateat, nullus evadat, nemo irrideat; vicem absentis mariti tuetur, servat excubias, imo sine excubiis deprehendit reum, antequam faciat quod paraverit : in animis singulorum, in mentibus universorum crimen agnoscit. Et si maritum adulter fefelleris, non falles Deum : et si maritum evaseris, et si judicem fori luseris, non evades judicem totius mundi. Ille gravius ulciscitur injuriam inopis, contumeliam imprudentis mariti. Major enim injuria auctorem quam custodem thalami spretum esse, nec consideratum. »

Fidem conjugii docent pisces :

Hujus fidei idem Ambrosius lib. V *Hexamer.* cap. III, exemplum dat pisces : « Nullus, inquit, alteri, sed generi suo miscetur; thymallus thymallo, lupus lupo. Scorpæna quoque castitatem immaculati connubii generi suo servat. Itaque habet pudicitiam generis sui, sed venenum ge-

neris sui non habet; non enim percutit scorpæna, sed reficit. Nesciunt igitur alienigena pisces aut adulterina contagia, sicut sunt ea quæ coeunte asinorum equarumque inter se genere magna cura hominum perpetrantur, vel rursus cum equus asinæ miscetur; quæ sunt vera adulteria naturæ. Nam utique majus est, quod in naturæ colluvionem committitur, quam quod in personæ injuriam. » Idem, cap. VII, adulteros comparat viperæ, quæ cum muræna copulatur : « Grave, inquit, est adulterium, et naturæ injuria. Duos primum Deus fecit, Adam et Evam, hoc est virum et uxorem; et uxorem de viro, hoc est, de costa Adam; et jussit ambos esse in uno corpore, et in uno spiritu. Quod unum separas corpus, unum dividis spiritum; natura adulterium est; sed hoc docet murænæ et viperæ, non jure generis, sed ardore libidinis expetitus amplexus. »

palumbes, Porro Ælianus exemplum fidei conjugalis dat palumbes, lib. III *De Animal.* cap. XLIV : « Ex avibus, ait, castissimi ab omni stupro palumbes; ut enim mas et femina tanquam nuptiis alligati sunt, adeo ad stabile et certum connubium adhærescunt per summam castimoniam, ut neuter alienum cubile attingat. Si qui ad alienam oculos adjecerint, eos reliqui circumsedentes marem quidem mares discerpunt, feminas vero feminæ. »

et turtures. Idem ait de mari turturum et columbarum albarum, sed feminæ ignosci. Idem rem miram refert lib. VII, cap. XXV, de canicula Sicula, quæ adulterum in domo absconditum prodidit. Idem lib. VIII, cap. XX, narrat ciconiam heram adulterantem excæcasse. Adulteros etiam legitur occidisse elephas. Sed omnia superat avis dicta porphyrio, de qua ita scribit Ælianus, lib. III, cap. XLII : « Acerrima rivalitate ardet, et mulieres quæ sunt sine viro, observat; quod si cum matrefamilias stuprum fieri cognoverit, se strangulat, » tum ex dolore, tum ut crimen prodat.

Apologus noctuæ et lucis. Hoc festivo noctuæ et lucis apologo repræsentat Cyrillus, lib. III *Apolog. moral.* cap. XVII, cui titulus : *Contra fures, qui ibi sæpius deprehenduntur, ubi latere crediderunt* : « Cum multum, inquit, de nocte noctua in furti facinore desudasset, radio diei præventa, minus intuens, sed plus timens, cœpit de luce conqueri, et maledicere diei, dicens : O caliginosam lucem ! o obscuram diem acceleratione apertam, dubitatione lethiferam ! utquid prævenisti me ? cur tam cito venisti ? ecce jam non video ubi condar. Siquidem visa ab inimicantibus avibus confundar. Cui mox adversatrix lux ita respondit : Certe quod tibi nequam odiosa sim gaudeo, sed magis quod caliginosa sim jubilo; sed maxime quod tibi damnosa sim exsulto. In nocte enim vides, ut noceas, cæteris quiescentibus, inquietaris ut rapias; universis dormientibus, vigilas ut occidas. Inquietasti noctem, sprevisti diem, odisti lucem, pervertisti ordinem naturalem. » Deinde exemplo reliquarum avium eamdem confutat : « Revera cæteræ aves, cum surgo, surgunt; cum advenio, jucundantur; cum appareo, ad inveniendæ pascua pacificæ ventilantur. Tu vero, surgente die, quiescis ut lateas; apparente die, dispares ne pereas; ac quando alii vigilant, tu dormis, ut per noctem malefaciendo discurras. Quare cum illuminatrix sim cunctorum, cunctis gratissima tibi sum tenebra odiosa, et cum omnibus sim secura, tibi soli timorifera. Cum oculus tuus nequam sit, cor malevolum, conscientia scelerosa, non miror si contuitus tuus frangat sapphirum, qui attactus fugat venenum; quoniam in æternum habes spiritum venenosum, qui impugnat virtutem, fugit lucem, et odit splendorem. Quod autem mansuetæ aves tibi adversentur, evidens argumentum est tuæ malitiæ, contra quam non omnis duntaxat lex armatur, sed tota etiam natura æquitatis amica insurgit. Quibus dictis, adversus eam statim insurgentibus avibus, mox dilaniata est mansuetudinis inimica. »

Vers. 31. 31. ET ERIT DEDECUS OMNIBUS, EO QUOD NON INTELLEXERIT TIMOREM DOMINI, — *q. d.* Adulter suum adulterium voluit celare tenebris noctis, et secreto conclavis; at Deus ejus scelus et dedecus toti orbi deteget, cum illud morte per judicem, vel alia publica pœna et clade puniet, idque condigne et merito, eo quod adulter practice « non intellexerit, » id est, non cogitarit, « timorem Domini, » ut ejus timore ab adulterio se cohiberet, *q. d.* Eo quod non timuerit Dominum, sed suas libidines Deo Deique amori prætulerit. Unde Tigurina, puta Vatablus : *Erit*, inquit, *omnibus dedecori, eo quod animo religionem Domini non coluerit*. Græca Complutensium Romana, cæteraque, ac Syrus hunc versum non habent.

Nota : *Intelligere* hic et in Proverbiis cæterisque libris ethicis, idem est quod sapere et prudenter agere; atque *intellectus* vocatur ipsa sapientia, prudentia et virtus. Sic *Psalm.* XL, 2, dicitur : « Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, » qui scilicet practice intelligit quantæ virtutis et meriti sit misereri pauperis, ideoque ei miseretur et succurrit. Unde Chaldæus, *beatus qui cogitat, ut ægro et pauperi prospiciat;* intelligens, scilicet, Dei consilio id fieri, tum ut pauperem per paupertatem probet et exerceat; tum ut divitum misericordiam exploret et exstimulet, ait ibidem Eusebius; tum ut cogitet dives sibi idem accidere posse. Sic et *Psalm.* CXVIII, vers. 95 : « Testimonia tua intellexi, » id est, cognovi et practicavi. Et vers. 100 : « Super senes intellexi. » Et vers. 104 : « A mandatis tuis intellexi. »

32. SIC ET MULIER OMNIS RELINQUENS VIRUM SUUM, ET STATUENS HÆREDITATEM EX ALIENO MATRIMONIO. — Hæc sententia suspensa expletur vers. 34 : « Hæc in Ecclesiam adducetur. » Quod enim dixit de adultero, ejus occultum facinus fore publicandum, publicaque ignominia et supplicio castigandum idem nunc dicit de adultera, *q. d.* Adultero similis et in scelere par est adultera, ideo-

que simili infamia et morte, puta lapidatione juxta legem Mosis, punietur. Porro adultera « statuit hæreditatem ex alieno matrimonio, » id est, hæreditatem statuit et consignat spurio, quem concipit ex marito alterius matrimonii, puta ex adultero, *q. d.* Adultera hæredem mariti sui efficit spurium filium adulteri, quæ ingens est fraus et injustitia. Unde Tigurina vertit, *idem accidet mulieri virum suum deserenti, et hæredem paranti ex alieno;* Syrus, *et etiam mulier quæ offendit maritum suum, et supponit hæredem ex alio.* Porro antequam sententiam absolvat et pœnam exprimat, quanta sit hujus sceleris gravitas et injuria ex triplici capite demonstrat, dum subdit :

Vers. 33. 33. PRIMO ENIM, IN LEGE ALTISSIMI INCREDIBILIS FUIT ; SECUNDO, IN VIRUM SUUM DELIQUIT ; TERTIO, IN ADULTERIO FORNICATA EST (Græce, *in fornicatione mœchata est*), ET EX ALIO VIRO FILIOS STATUIT SIBI. — « Incredibilis, » id est incredula, id est infida fuit, fidem Deo datam non servavit; hoc enim significat græcum ἠπειθησε. Triplicem enim adulteræ injuriam recenset : *prima* est in Deum, cujus auctoritatem violavit, dum ejus legi fidem et obedientiam, quam in circumcisione vel baptismo promisit, non præstitit; *secunda* in maritum, cui fidelitatem in contractu matrimonii stipulatam violavit; *tertia* in matrimonium, cujus jura et sanctitatem per adulterium fornicando læsit. Accedit *quarta* injuria in filios legitimos, quorum hæreditas ad nothos et adulterinos vel in totum, vel ex parte transfertur. Et *quinta,* quod corpus suum (æque ac animam) quod erat, vel esse debebat, templum Spiritus Sancti, adulterio profanavit et polluit, juxta illud Apostoli : « Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi, » II *Cor.* VI, 15. Et vers. 19 : «An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri ? » Unde Tigurina vertit, *primum enim legi non obtemperavit* (alii, *in Dei legem contumax fuit*), *deinde peccavit in virum suum; tertio autem adulterio constuprata est, et liberos ex alieno viro peperit;* Syrus, *primo, quia mentita est legem Dei ; et secundo, maritum adolescentiæ suæ ; et tertio, fornicationem adulterii, quia ex extraneo supposuit filium.* Mentita est, id est, mendaciter fraudavit, infideliter fefellit, fidem datam violavit. Porro adultera peccat in Deum, maritum, filios, et seipsam; esto maritus vel filii dent ei facultatem adulterandi; nam eam dare nequeunt, nec jure suo cedere possunt. Quare semper adulterium est eis injurium; quia crimen violati tori essentialiter in se continet injuriam Dei, viri, uxoris et filiorum. Ita Palacius.

Quintuplex culpa adulteræ.

Vers. 34, 35 et 36. 34, 35 et 36. HÆC IN ECCLESIAM ADDUCETUR, ET IN FILIOS EJUS RESPICIETUR. NON TRADENT FILII EJUS RADICES, ET RAMI EJUS NON DABUNT FRUCTUM. DERELINQUET IN MALEDICTUM MEMORIAM EJUS, ET DEDECUS EJUS NON DELEBITUR. — Quintuplici injuriæ ab adultera commissæ, quintuplicem pariter ejus pœnam assignat. *Prima* est, quod « in Ecclesiam, » id est, in cœtum populi, publice « adducetur, » quasi infamis et rea, ut de adulterio convicta damnetur et lapidetur, uti adducta a Pharisæis fuit adultera coram Christo, *Joan.* VIII.

Quintuplex

ejusdem pœna.

Secunda, quod non tantum in se, sed et in filiis suis punietur. Nam « in filios ejus respicietur, » id est, inquiretur, ut spurii a legitimis verisque hæredibus secernantur, infamia notentur, et hæreditate excludantur; hoc enim significat Græcum ἐπισκοπὴ ἔσται, id est, inspectio et visitatio erit. Unde Tigurina vertit, *ipsa producetur in concionem, et in liberos ejus inquiretur;* alii, *animadvertetur;* Syrus, *ipsa quoque de Ecclesia egredietur* (*q. d.* Ejicietur ex Ecclesia et cœtu fidelium, imo viventium omnium per lapidationem et mortem), *et super filios ejus* (alia lectio habet, *super pectus ejus,* juxta ritum in exploratione adulterii a Deo præscriptum *Numer.* V, vers. 18 et 22) *peccata ejus in memoriam revocabuntur.*

Tertia, quod « non tradent (Syrus, *non jacient;* Tigurina, *non agent*) filii ejus radices, » *q. d.* Filii ejus non erunt longævi, nec radicabitur eorum familia et prosapia ; sed cito eradicabitur et exterminabitur progenies adulterina, juxta illud *Sapient.* IV, vers. 3 : « Spuria vitulamina non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt. » Unde Græca Romana sic legunt, *non diffundentur filii ejus in radicem,* id est, non diffundent radices.

Quarta : « Rami ejus non dabunt (Syrus, *non facient;* Tigurina, *non afferent;* alii, *non edent*) fructum, » *q. d.* Filii ejus non progignent liberos, sed erunt steriles vel illiberes, ut infame adulterii semen et propago exstirpetur. Hac pœna sæpe, licet non semper, adulteros et adulteras punit Deus. Rursum spurii in vita non edent fructus illustrium operum, ait Palacius ; ac sæpe matribus sunt similes, quia earum levitatem et petulantiam ex ipsis in conceptu, lactatione et educatione hauriunt et induunt.

Quinta : « Derelinquet (adultera) in maledictum memoriam ejus, » id est *suam :* ita Romana, hoc est, ut alii legunt, *relinquetur in maledictum memoria ejus, et dedecus ejus non delebitur, q. d.* Memoria ejus non erit in benedictione, sed in maledictione ; omnes qui eam nominari audient, illi maledicent. Erit ipsa ergo maledictum et probrum omnium, non tantum hominum, sed et sæculorum. Unde Tigurina, *memoriam sui relinquet in exsecratione, nec probrum ejus abolebitur;* alii, *relinquet exsecrabilem sui memoriam, et dedecus ejus non emaculabitur;* Syrus, *relinquetur in maledictionem memoria ejus, et delicta ejus non delebuntur.*

Tropologice, adultera est anima hæretici et cujusvis peccatoris, ait Rabanus : « Unde dicit *primo,* inquit, illam deliquisse, eo quod legi Altissimi incredibilis fuit, quando sanctorum Patrum fidem et traditionem in sacris Scripturis sequi noluit. *Secundo,* virum suum dereliquit, quia charitatem

Tropologice, adultera est anima hæretici quodvis peccatum.

Dei et proximi habere despexit. *Tertio,* in adulterio fornicata est, quando fœdere turpissimo per errorem associata est diabolo, a quo filios ignobiles accepit, quando prava dogmata et perversa opera ejus maligno instinctu generavit; hæc in Ecclesiam adducetur, et in filios ejus respicietur, cum ejus perversitas ubique in conventu fidelium per sanctorum Doctorum solertiam declaratur, et doctrina ejus ubique damnatur; nec secta illius, quæ fundamentum veritatis non habet, perseverantem bonorum operum fructum gignere prævalet; sed ignominiosam memoriam post se relinquens confusione perpetua confundetur. Unde et fideles quique ejus damnationem futuram agnoscentes, spernunt ejus societatem, et eligunt Catholicæ fidei tenere in omnibus firmitatem. »

Vers. 37. 37. ET AGNOSCENT QUI DERELICTI SUNT, QUONIAM NIHIL MELIUS EST QUAM TIMOR DEI; ET NIHIL DULCIUS QUAM RESPICERE IN MANDATIS DOMINI. — « In mandatis, » id est, in mandata : Hebræi enim verba contactus, sive corporalis, sive mentalis, quale est respicere, videre, etc., construunt cum ב *beth,* id est *in.* Sensus est, *q. d.* Ex probro et pœna adulterorum et impiorum, qui Deum non timuerunt, per antithesin contrarii colligent mortales « nihil » esse « melius, » id est, honestius et utilius, « timore Dei, et nihil dulcius quam » attendere, obedire et obsequi « mandatis Domini. » Timor enim Dei est observatio et obedientia mandatorum ejus. In hoc ergo omne hominis bonum consistit, puta omnis honestas, omnis utilitas, omnis suavitas et voluptas humana. Hæc enim sunt tres boni species; omne enim bonum vel honestum est, vel utile, vel suave et delectabile; perfectum autem est quod hæc tria in se continet et comprehendit. Unde Tigurina vertit, *ut superstites cognoscant nihil esse religione Domini potius, nec quidquam suavius quam mandatis ipsius attendere;* Syrus, *et cognoscent omnes habitatores terræ, et omnes qui supersunt in orbe, quia non est quidquam melius timore Dei, et non est quidquam jucundius quam custodire præcepta ejus.* Licet enim lex et virtus peccatori initio conversionis sit dura et aspera; tamen sensim per gratiam Dei dulcescit, eoque magis quo magis ei assuescit, præsertim, dum per eam credit et sperat se assecuturum vitam et gloriam æternam. Hoc est quod ait Sapiens *Eccles.* XII, 13 : « Deum time, et mandata ejus observa; hoc est enim omnis homo, » *q. d.* Hoc est omne bonum, omnis perfectio, omnis felicitas hominis. Et Psaltes *Psalm.* XXXIII : « Gustate et videte quoniam suavis est Dominus. » Et *Psa'm.* XVIII : « Judicia Domini dulciora super mel et favum. » Habet plane mel, et deliciæ humanæ suum saporem; sed quantum vincunt divina res temporales, tantum sapor divinorum transcendit sapores terrenos, ait Palacius. Idipsum fuse et operose toto cap. seq. Siracides ostendet.

Vers. 38. 38 GLORIA MAGNA EST SEQUI DOMINUM : LONGITUDO ENIM DIERUM ASSUMETUR AB EO. — Dedecori, quod adulterum et adulteram sibi suisque prolibus consciscere dixit vers. 31, opponit decus et gloriam timentis Deum, *q. d.* Adulter sequitur suas amasias, concupiscentias et libidines; ideoque sibi suisque parit æternum dedecus et indelebile probrum; at vero timens Deum, adeoque Dei legem et timorem, sequitur paritque sibi suisque æternum decus et gloriam. Quia « gloria magna est sequi Dominum; » nam servire Deo regnare est : *primo,* quia nobile est servire Deo nobilissimo, qui est summa et divina majestas; *secundo,* quia hæc servitus facit nos similes Deo. Ita Clemens Alexandrinus, lib. VII *Stromat.*, versus finem docet quod, sicut illi qui studendo sequuntur Ciceronem, Platonem, Aristotelem, fiunt Ciceroniani, Platoniani, Aristotelici, imo novi quasi Cicerones, Platones et Aristoteles; sic et illi qui Deum sequuntur, voluntati legique ejus obediendo, fiunt divini et quasi dii quidam terrestres. Sic enim ait : « Quemadmodum si quis in Ischomacho studium posuerit, eum faciet agricolam; et si Lampidi, nautam; et Charidemo, Imperatorem; et Simoni, equitandi gnarum; et Perdici, cauponem; et Crobylo, obsoniorum conditorem; et Archelao, saltatorem; et Homero, poetam; et Pyrrhoni, contentiosum; et Demostheni, oratorem; et Chrysippo, dialecticum; et Aristoteli, physicum; et Platoni, philosophum : ita qui paret Domino, et per eum datam sequitur prophetiam, efficitur ad magistri imaginem, Deus qui in carne versatur. » Subdit deinde : « Hanc ergo altitudinem minime assequuntur, qui non sequuntur Deum eos ducentem; ducit autem per Scripturas divinitus inspiratas. » *Tertio,* quia Deus sibi servientes remunerat gloria regni cœlestis, eosque facit reges universi, juxta illud *Apocal.* V, 10 : « Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes, et regnabimus super terram. » Unde causam subdens, ait : « Longitudo enim dierum assumetur ab eo. » Ubi τὸ *eo* tam referre potest Dominum, quam sequentem Dominum, *q. d.* Sequens Dominum assumet et accipiet longævitatem, tum hujus vitæ (hanc enim Deus promisit e præstitit piis in veteri Testamento, ut Abrahæ, Isaac, Jacob, Joseph, Mosi, Tobiæ); tum futuræ, puta beatam æternitatem assumet a Domino, qui sui sequelam amplissimo hoc præmio remunerabitur. Græca habent, *longitudo dierum suscipi te ab eo;* Tigurina, *gloria ingens est sequi Dominum, et ab eodem recipi, vitæ longinquitas.* Unde Jansenius suspicatur Nostrum primitus vertisse, *longitudo enim dierum assumi te ab eo;* ut sit sensus : « Longitudo dierum, » id est vita æterna, obtinetur per hoc, quod Dominus assumit te ad se.

Deum sequentes fiunt divini.

Nota : Licet omnes timentes Deum, puta omnes humiles, omnes obedientes, omnes patientes, omnes religiosi (et cæteri) sequantur Deum; tamen id proprie hic tribuitur castis et virginibus : hos enim opponit adulteris. Ratio est, quod Deo

Casti præ aliis sequuntur Deum, cur?

mirifice placeat castitas, eo quod ipse sit purissimus spiritus, adeoque sit ipsa increata puritas et castitas, atque in hac puritate ejus sanctitas consistit, ut docet S. Dionysius *De Divinis Nomin.* Hinc S. Joannes, *Apocal.* cap. XIV, 4, vidit virgines sequi agnum quocumque ierit. Nam, ut ait Paulus, I *Corinth.* VI, 16 : « Sicut qui adhæret meretrici, unum cum ea corpus efficitur ; » sic qui adhæret Domino per mentis corporisque castitatem, « unus spiritus est cum eo. »

Moral. de sequela Dei.

Præclare hanc sententiam pertractat S. Cyprianus, tract. *De Habitu Virg.* : « Qui, inquit, fecerit voluntatem Dei, manet in æternum, quomodo et Deus manet in æternum. Æterna igitur et divina sectanda sunt, et omnia Dei voluntate facienda sunt, ut Domini nostri vestigia et magisteria sectemur, qui monuit et dixit : Non descendi de cœlo ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me, *Joan.* VI. Quod si non est major domino suo servus, et liberatori debet obsequium liberatus; qui esse cupimus Christiani, debemus quod Christus fecit, imitari. Scriptum est, et legitur, et auditur, et in exemplum nostri Ecclesiæ ore celebratur : Qui dicit se in Christo manere, debet quomodo ille ambulavit, et ipse ambulare, I *Joan.* II, 6. Ambulandum est igitur vestigiis patribus, æmula ingressione nitendum est. Tunc respondet ad fidem nominis sectatio veritatis, et credenti præmium datur, si quod creditur et geratur. » Idem, tract. *De Zelo et livore* : « Quomodo portavimus imaginem ejus qui de limo est, portemus et imaginem ejus qui de cœlo est. Imaginem autem cœlestem portare non possumus, nisi in eo quod esse nunc cœpimus, Christi similitudinem præbeamus : hoc est enim mutasse quod fueras, et cœpisse esse quod non eras, ut in te divina nativitas luceat, ut ad patrem Deum delfica disciplina respondeat, ut honore et laude vivendi Deus in homine clarescat, ipso exhortante et monente, et eis qui se clarificant, vicem mutuam pollicente : Eos, inquit, qui clarificant me, clarificabo, et qui spernit me spernetur, » *Joan.* XII. Subjicit deinde exemplum, nimirum nos debere imitari Deum in dilectione inimicorum : Deus enim peccatores hostes suos diligit, donisque et gratia sua prævenit. Ac subdit : « Si hominibus lætum est et gloriosum, filios habere consimiles, et tunc magis generasse delectat, si ad patrem lineamentis paribus soboles subsiciva respondeat ; quanto major in Deo patre lætitia est, cum sic spiritaliter nascitur, ut in actibus ejus et laudibus divina generositas prædicetur ! Quæ justitiæ palma est, quæ corona, esse te talem de quo Deus non dicat : Filios generavi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me ! *Isaiæ* I. Collaudet te potius Christus, et invitet ad præmium, dicens : Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi, » *Matth.* XXV. Idem *De Oratione Dominica* : « Quanta autem Domini indulgentia, quanta circa nos dignationis ejus et bonitatis ubertas, qui sic nos voluerit orationem celebrare in conspectu Dei, ut Deum Patrem vocemus, et, ut est Christus Dei Filius, sic et nos Dei filios nuncupemus ! Quod nomen nemo nostrum in oratione auderet attingere, nisi ipse nobis sic permisisset orare. Meminisse itaque, fratres dilectissimi, et scire debemus, quia quando patrem Deum dicimus, quasi filii Dei agere debemus, ut, quo modo nos nobis placemus de Deo patre, sic sibi placeat et ille de nobis. Conversemur quasi Dei templa, ut Deum in nobis constet habitare. Nec sit degener actus noster a spiritu, ut qui cœlestes et spirituales esse cœpimus, non nisi spiritalia et cœlestia cogitemus et agamus ; quia et ipse Dominus Deus dixit : Eos qui clarificant me, clarificabo ; qui me spernit, spernetur. Beatus quoque Apostolus in epistola sua posuit : Non estis vestri ; empti enim estis pretio magno : clarificate et portate Deum in corpore vestro, » I *Corinth.* VI.

Sic Abraham secutus est Deum, *Genes.* cap. XII, 4, ubi S. Ambrosius, lib. I *De Abraham*, cap. II : « Sapientis (Biantis), inquit, vox fuit : Sequere Deum. Prævenit Abraham dicta factaque sapientum, et secutus Deum, exivit de terra sua. » Quin et Cicero, lib. III *De Finib.*, memorat inter alia sapientum præcepta : « Qui jubeat, inquit, sequi Deum, et se noscere. » Ejusdem meminit Plutarchus, lib. *De Audiendo*. Celebre est illud Homeri, καὶ τις θεὸς ἡγεμόνευε, id est, « et Deus aliquis ductor fuit. » Et illud Platonis in *Critone* : « Sine, ait, o Crito, ut hoc pacto agamus, quandoquidem hac nos ducit Deus. »

Vide hic quanta sit militiæ nostræ præstantia et gloria, quod Deum habeamus ducem : quanta item securitas ; tanto enim duce quis timeat ? « Nolite recedere, ait Samuel I *Reg.* XII, 20, a tergo Domini, et nolite timere. » Quare ex adverso magnum probrum, magna inertia, magna pusillanimitas nolle sequi quo Deus dux noster præcedit, nosque ducit. Herodotus, lib. IV, narrat Darium regem Persarum, proficiscentem contra Scythas, cum Ocobazus Persa nobilis ex tribus quos habebat filiis, duos tantum qui eum in bellum sequerentur obtulisset, sibique tertium reservaret, valde indignatum jussisse omnes tres occidi, patrique relinqui, ut ostenderet quam indignum esset, quantumque nefas nolle quempiam regem in aciem euntem sequi. Simile narrat de Xerxe Darii filio : cui in Græcos castra moventi, cum Pythius Lydiæ rex comites daret et asseclas quatuor filios, quintum vero utpote primogenitum apud se detineret ; illico Xerxes eum per medium secari jussit, perque media illius membra exercitum ire. Si id fecere Darius et Xerxes reges terreni, et homines ut cæteri, quid faciet Deus Rex regum et Dominus dominantium ?

Facile est sequi Deum.

Porro, ne quis se excuset, dicatque difficile, imo impossibile esse, ut homo debilis Deum

omnipotentem quaquaversum sequatur; hac de causa Deus humanitatem induit, Christusque factus est homo, ut homo hominibus agendo et patiendo viam præiret per labores, dolores et opera quæcumque in cœlum. Audi S. Ambrosium in *Psalm.* CXVIII, octonario 5, explicantem illud : *Deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui.* « Quis, inquit, hoc dicit, nisi qui sequitur Christum? Non potest alius hoc dicere, nisi qui illud exsequitur quod scriptum est: Post Dominum Deum tuum ambulabis, et ipsi adhærebis, quia ipse te deducit, *Deuter.* x. Quomodo deducat, audi: Nisi quis tulerit crucem suam, et post me secutus fuerit, non est me dignus, *Matth.* x. Præcedit ergo Christus ut nos sequamur, præcedit Verbum. Principium Christus est, ideo Sapientia dicit : Dominus creavit me principium viarum suarum, *Proverb.* VIII. **Advertimus quod et** principium Christus, et finis viarum sit. » Et paulo post: «Est natus ex virgine; creatus est, ut redimeret creaturas; homo factus est, ut homines a morte perpetua liberaret. Creatus est, ut vias mihi demonstraret æternas, quibus homo redire possit ad Dei regnum. Ergo quia principium est viarum Dei, hoc principium sequamur. Primus viam novi ingressus est Testamenti, ut viam devotionis sterneret nobis. Si jejunamus, ante nos ille jejunavit: si pro nomine ejus sustinemus injurias, prius ille sustinuit pro nostra redemptione : cervices suas posuit in flagella, maxillas suas in palmas; ascendit crucem, ut doceret mortem non esse metuendam. Denique quasi præcedens ait Petro : Tu me sequere. Et ideo Petrus cursum consummavit, quia secutus est Christum, » *Joan.* XXI.

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

ENCOMIUM SAPIENTIÆ.

HUNC ENIM TITULUM HABENT BIBLIA GRÆCA ROMÆ EMENDATA.

Quod in fine capitis præcedentis dixit : Quoniam nihil melius est quam timor Dei, et nihil dulcius quam respicere in mandatis Dei. Gloria magna est sequi Dominum, longitudo enim dierum assumetur ab eo, *idipsum toto hoc capite prosequitur. Igitur sapientia hic loquitur, seque dilaudat et commendat hominibus, ab origine, officiis, domo, pulchritudine et fructibus. Primo, itaque ostendit originem et genus se ducere a Deo; secundo, vers.* 6, *docet se cœlos, mare, terram omniaque quæ iis continentur, creasse, dirigere et gubernare sapientissime; tertio, vers.* 12, *asserit se domum et sedem fixisse in Sion, et populo Israel; quarto, vers.* 17, *sui pulchritudinem demonstrat, comparans se arboribus pulcherrimis, puta, cedro, palmæ, olivæ, cinnamomo, balsamo, myrrhæ, terebintho, viti; quinto, vers.* 24, *suos fructus enarrat : nimirum, dilectionem, timorem, agnitionem, sanctam spem, omnemque veritatem, vitam et virtutem; sexto, vers.* 32, *docet se contineri in Lege, Moysi et Prophetis, ab eisque requirendam; sed maxime a Christo, cujus plenam sapientiam ac doctrinæ abundantiam et fecunditatem comparat fluviis Phison, Tigri, Euphrati, Jordani, imo mari. Porro, Siracides de more imitatur Salomonem, qui,* Proverb. VIII, *pari modo sapientiam se laudantem omnibusque commendantem inducit.*

1. Sapientia laudabit animam suam, et in Deo honorabitur, et in medio populi sui gloriabitur, 2. et in ecclesiis Altissimi aperiet os suum, et in conspectu virtutis illius gloriabitur, 3. et in medio populi sui exaltabitur, et in plenitudine sancta admirabitur, 4. et in multitudine electorum habebit laudem, et inter benedictos benedicetur, dicens: 5. Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam. 6. Ego feci in cœlis ut oriretur lumen indeficiens, et sicut nebula texi omnem terram : 7. ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis. 8. Gyrum cœli circuivi sola, et profundum abyssi penetravi : in fluctibus maris ambulavi, 9. et in omni terra steti : et in omni populo, 10. et in omni gente primatum habui : 11. et omnium excellentium et

humilium corda virtute calcavi : et in his omnibus requiem quæsivi, et in hæreditate Domini morabor. 12. Tunc præcepit, et dixit mihi Creator omnium : et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo. 13. Et dixit mihi : In Jacob inhabita, et in Israel hæreditare, et in electis meis mitte radices. 14. Ab initio, et ante sæcula creata sum, et usque ad futurum sæculum non desinam, et in habitatione sancta coram ipso ministravi. 15. Et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. 16. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hæreditas illius, et in plenitudine sanctorum detentio mea. 17. Quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion : 18. quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi plantatio rosæ in Jericho : 19. quasi oliva speciosa in campis, et quasi platanus exaltata sum juxta aquam in plateis. 20. Sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans odorem dedi : quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris : 21. et quasi storax, et galbanus, et ungula, et gutta, et quasi Libanus non incisus vaporavi habitationem meam, et quasi balsamum non mixtum odor meus. 22. Ego quasi terebinthus, extendi ramos meos, et rami mei honoris et gratiæ. 23. Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris, et flores mei fructus honoris et honestatis. 24. Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei. 25. In me gratia omnis viæ et veritatis, in me omnis spes vitæ et virtutis. 26. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini : 27. Spiritus enim meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum. 28. Memoria mea in generationes sæculorum. 29. Qui edunt me, adhuc esurient : et qui bibunt me, adhuc sitient. 30. Qui audit me, non confundetur : et qui operantur in me, non peccabunt. 31. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. 32. Hæc omnia liber vitæ, et testamentum Altissimi, et agnitio veritatis. 33. Legem mandavit Moyses in præceptis justitiarum, et hæreditatem domui Jacob, et Israel promissiones. 34. Posuit David puero suo excitare regem ex ipso fortissimum, et in throno honoris sedentem in sempiternum. 35. Qui implet quasi Phison sapientiam, et sicut Tigris in diebus novorum. 36. Qui adimplet quasi Euphrates sensum : qui multiplicat quasi Jordanis in tempore messis. 37. Qui mittit disciplinam sicut lucem, et assistens quasi Gehon in die vindemiæ. 38. Qui perficit primus scire ipsam, et infirmior non investigabit eam. 39. A mari enim abundavit cogitatio ejus, et consilium illius ab abysso magna. 40. Ego sapientia effudi flumina. 41. Ego quasi trames aquæ immensæ de fluvio, ego quasi fluvii dioryx, et sicut aquæductus exivi de paradiso. 42. Dixi : Rigabo hortum meum plantationum, et inebriabo prati mei fructum. 43. Et ecce factus est mihi trames abundans, et fluvius meus appropinquavit ad mare : 44. quoniam doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus, et enarrabo illam usque ad longinquum. 45. Penetrabo omnes inferiores partes terræ, et inspiciam omnes dormientes, et illuminabo omnes sperantes in Domino. 46. Adhuc doctrinam quasi prophetiam effundam, et relinquam illam quærentibus sapientiam, et non desinam in progenies illorum usque in ævum sanctum. 47. Videte quoniam non soli mihi laboravi, sed omnibus exquirentibus veritatem.

PRIMA PARS CAPITIS.

Vers. 1 et 2. 1 et 2. SAPIENTIA LAUDABIT ANIMAM SUAM, ET IN DEO HONORABITUR, ET IN MEDIO POPULI SUI GLORIABITUR : ET IN ECCLESIIS ALTISSIMI APERIET OS SUUM, ET IN CONSPECTU VIRTUTIS ILLIUS GLORIABITUR. — Est prosopopœia; inducitur enim hic sapientia quasi persona et regina sapientissima, sanctissima, pul-

cherrima, ditissima, gloriosissima, quæ quasi magistra omnes erudit, omnesque ad sui disciplinam, studium, imitationem, obsequium et cultum invitat. Porro « sapientia » hic generaliter ampleque accipitur, ut tam physicam, qua Deus omnia creat et gubernat, quam moralem, qua omnia juste sancteque efficit; tam creatam, quam increatam, sive essentialem, quæ communis est toti Sanctissimæ Trinitati; sive personalem, quæ propria est Filio, complectatur. Unde nonnulla quæ hic dicuntur de sapientia, magis conveniunt essentiali, alia magis personali, alia magis creatæ. Filius enim, puta Christus, qua Verbum æternum Dei Patris est Sapientia increata et hypostatica, sive personalis a Deo Patre genita; idem, qua homo, est Sapientia in utero B. Virginis incarnata, uti fusius dixi cap. I, 1. Unde Rabanus, Lyranus et Palacius totam hanc sapientiæ panegyrim, ad litteram soli Christo incarnato assignant. Ecclesiasticus, inquit Palacius, accepit per revelationem, futurum ut sapientia genita, seu Filius Dei, coram Deo, coram omnibus hierarchiis Angelorum (omnibus Angelis advocatis e mundo in cœlum) hanc luculentissimam orationem in sui laudem habitura esset. Et ego probabilissime opinor eam orationem habuisse, quo die incarnari voluit. Quo die coram Deo, et tota curia cœlesti eam habuit; et postquam habuit, magnum audientium applausum sibi conciliavit. Ita ipse recte, sed nimis arcte. Favet, quod dicit versus 2 : « Et in conspectu virtutis illius, » id est coram militia cœlesti, « gloriabitur; » quodque ait Paulus *Hebr.* I, 6 : « Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit : Et adorent eum omnes angeli Dei. »

Sensus ergo est, *q. d.* Hucusque ego Siracides, quasi encomiastes sapientiæ, multa sparsim dixi de ejus laudibus; nunc illam ipsam loquentem introducam, ut ex ore ejus hæc et plura melius, clarius, efficacius intelligatis, itaque ejus amore exardescatis, et in ejus admirationem studiumque rapiamini. « Et in Deo honorabitur, » id est, sapientia honorabit et laudabit seipsam; sed « in Deo, » id est, ad Domini Dei auctoris sui honorem et laudem, non ad vanam sui gloriam. Porro id faciet « in ecclesiis Altissimi, » id est, in cœtibus fidelium : hi enim soli capaces sunt sapientiæ veræ et practicæ, puta, prudentiæ, virtutis et sanctitatis. Unde hos solos sibi erudiendos sumit sapientia, in iisque gloriosa sua Deique opera et virtutes celebrat et deprædicat. Quocirca subdit : « Et in conspectu virtutis illius » (Græce, δυνάμεως αὐτοῦ, id est, exercitus, vel exercituum Dei; puta, in conspectu omnium Angelorum et hominum fidelium); gloriabitur, id est, gloriosas suas Deique virtutes et facinora commemorabit et celebrabit. Hinc enim dicitur *Deus sabaoth*, id est exercituum; quia angelos omnes hominesque ad manum habet quasi legiones validissimas, quibus hostes suos debellat. Ubi nota : Populum Dei fidelem nominat primo, *Ecclesiam*, ob conventus ad sacra peragenda, quæ pacis sunt; *exercitum* vero ad bella, Deo duce, contra vitia et vitiosos peragenda. Unde Syrus vertit, *sapientia laudabit animam suam*, id est, *seipsam et in medio populi Dei honorabitur. In Ecclesia Dei aperiet os suum, et in medio exercituum ejus gloriabitur;* Tigurina vero, *sapientia commendat seipsam, et in medio populo suo gloriatur. Os suum aperit in consilio Altissimi, et coram potentia ejus se prædicat, q. d.* Sapientia coram Deo potentissimo, Deique summa potestate et majestate laudabit seipsam, ut ostendat hasce laudes audiri debere magna cum humilitate, reverentia, attentione, desiderio, studio et obedientia; utpote quæ coram Deo judice et vindice id faciat, qui hæc sapientiæ elogia aspernentes potentissime, severissime et acerrime puniet.

Mystice, apte Ecclesia in Officiis divinis B. Virginis hæc omnia (quidquid frustra obstrepat Lutherus, et occlament hæretici) accipit de B. Virgine, idque justissimis et gravissimis de causis : *Prima* est, quia B. Virgo inter puras creaturas (Christus enim matrem superans non est pura creatura, sed mixtum quid ex Creatore et creatura : qua Deus enim, est Creator; qua homo, creatura) est opus Dei sapientissimum, in cujus, scilicet, conceptione, nativitate, generatione, æque ac sanctificatione et glorificatione Deus summam ostendit sapientam; nimirum, longe majorem quam ostenderit in creatione cœli et terræ, ac totius universi, imo omnium Angelorum et hominum. Hæc enim omnia sua dignitate, puta, maternitate, gratia et gloria longe superat B. Virgo; Deus enim in ea, velut prima et nobilissima creatura, se suaque omnia quasi in speculo perfecto expressit, ut in ea ab omnibus semper laudetur et glorificetur. **Mystice, hæc omnia tribuas B. Virgini, cur? Causa prima.**

Secunda, quia Deus B. Virgini in ejus conceptione, majorem quam ulli Angelo vel homini indidit sapientiam, virtutem et sanctitatem, quam deinde ipsa singulis momentis augendo et duplicando continue, per annos 72, quibus vixit, mire auxit, adeo ut ipsa sit idea omnis sapientiæ et sanctitatis hominum et Angelorum. Tota enim hæc panegyris potest accipi de sapientia creata : hæc autem in B. Virgine fuit perfectissima, quia ipsa perfectissime post Christum participavit sapientiam Dei, ejusque quasi exemplar nobis a Deo est proposita. **Secunda.**

Tertia, quia ipsa est mater æternæ Sapientiæ in se incarnatæ. Sicut ergo filius ejus est Sapientia genita et incarnata : sic ipsa est sapientia illum gignens et incarnans. Adde : ipsa Christi, qui est æterna Sapientia, illustrissimum est membrum. Quare, cum hic laudatur Sapientia Dei, puta, Christus, utique laudatur et B. Virgo ejus mater; laus enim filii est laus matris. Quare, sicut Christus dicitur « primogenitus omnis creaturæ; » sic et B. Virgo dicitur primogenita omnis creaturæ, quia prædestinata fuit a Deo, ante cæ- **Tertia.**

teras omnes creaturas; sicut enim Christus prædestinatorum est primus, uti docet Scriptura et Theologi : sic et B. Virgo. Cum enim prædestinatus est Christus, Christique incarnatio, simul prædestinata est ejus conceptio et nativitas ex B. Virgine : non enim decebat, nisi ex illa, ipsum carnem assumere.

Quarta. *Quarta*, quia ipsa nobis est mater et causa omnis sapientiæ, id est, prudentiæ et sanctitatis; hanc enim per ipsam nos accipere vult Christus, qui non per aliam quam ipsam, naturam nostram induere elegit. Quare, sicut de Christo incarnato ait S. Paulus I *Corinth.* cap. I, 30, quod factus sit nobis sapientia, justitia, sanctificatio et redemptio : sic Christus idem analogice concessit suæ matri, ut causaliter fieret nobis sapientia, justitia et sanctificatio; quia per illam nos suæ gratiæ, sapientiæ, justitiæ et redemptionis voluit fieri participes et compotes. Deus ergo illam nobis æque ac sibi statuit matrem, ac ad eam, quasi matrem in omni tentatione, difficultate, defectu virium et gratiæ nos voluit recurrere, ac per eam omne bonum omnemque gratiam impetrare, itaque in ea jugiter laudare Deum.

Dices : Quomodo cum veritate aptari possunt B. Virgini illa, quæ Sapientia dicit de se, vers. 6 : « Ego feci ut in cœlo oriretur lumen indeficiens; » vers. 40 : « Ego effudi flumina? » Respondeo, *primo*, mystice, *q. d.* Ego feci ut in cœlis, id est Ecclesiis, oriretur Christus qui est sol justitiæ, feci ut in iis oriretur lux fidei. Rursum, ipsa, quasi mare gratiarum, earum flumina in Ecclesiam et fideles effundit. *Secundo*, ad litteram hoc sensu, *q. d.* Ego fui causa, cur Deus crearit lucem, cœlos, mare, flumina totumque universum. Hujus enim creatio ordinata fuit ad justificationem et glorificationem Sanctorum, factam a Christo per B. Virginem, tanquam ad suum finem; ordo enim naturæ creatus et institutus est propter ordinem gratiæ. Quia ergo B. Virgo fuit mater Christi, ac consequenter fuit medium nostræ redemptionis, ac totius ordinis gratiarum a Christo instituti; hinc pariter fuit causa finalis creationis universi; universi enim finis est Christus, ejusque mater et Sancti; ut scilicet, Sancti in universo hoc per Christum et B. Virginem, gratia et gloria donentur. Quare creationis universi causa finalis fuit prædestinatio Christi, B. Virginis et Sanctorum. Licet enim universi partes quædam sint Christus et B. Virgo, ideoque eo posteriores in genere causæ materialis; tamen in genere causæ finalis sunt priores. Quare inter creationem universi et nativitatem Christi ac B. Virginis, est mutua quædam contradependentia; nec enim Deus nasci voluit Christum et B. Virginem, nisi in universo hoc; nec vicissim voluit universum hoc existere sine Christo et Beata Virgine, imo propter illos illud creavit. Totum enim universum ad Christum et Beatam Virginem, ordinemque gratiarum, velut ad sui complementum et finem referri et ordinari voluit. Vide nostrum Suarez, Vasquez, Valentiam, III p., *Quæst.* I, ac P. Canisium, lib. V *Marial.* cap. VI, et lib. I, cap. XII. Christus ergo et B. Virgo sunt causa finalis, ob quam creatum est universum, ac proinde ejusdem sunt causa formalis, puta exemplaris, scilicet, idea. Ordo enim gratiarum, in quo primus est Christus et B. Virgo, est idea et exemplar, juxta quod Deus creavit et disposuit ordinem naturæ totiusque universi. Vide Dionysium Carthusianum, qui omnia quæ hoc capite dicuntur, sigillatim B. Virgini accommodat.

Finis mundi est Christus, et Maria.

Vers. 3 et 4. 3 et 4. ET IN MEDIO POPULI SUI EXALTABITUR, ET IN PLENITUDINE SANCTA ADMIRABITUR (id est, admirationi erit) : ET IN MULTITUDINE ELECTORUM HABEBIT LAUDEM, ET INTER BENEDICTOS BENEDICETUR, DICENS,— *q. d.* Populus fidelis audiens hæc præconia sapientiæ, eamdem exaltabit : et plenitudo, id est, multitudo, amplus plenusque cœtus Sanctorum, eam admirabitur (sic sumitur *plenitudo* pro multitudine, vers. 16, et alibi); et multitudo electorum, ac qui a Deo sunt benedicti, eam laudabunt et benedicent. Hic versus jam deest in Græco et Syro, eumque omittit S. Ambrosius, lib. IV *De Fide*, cap. IV; olim fuisse in Græco liquet ex nostro Interprete, et ex S. Cypriano, lib. II *Testimon.* Tigurina vertit, *in medio populi sui se geret magnifice, et in sancta multitudine miraculo est. In cœtu electorum laudem habet, et se beatam inter beatos prædicat, et ait :*

Vers. 5. 5. EGO EX ORE ALTISSIMI PRODIVI, PRIMOGENITA ANTE OMNEM CREATURAM. — Hæc verba proprie competunt Sapientiæ increatæ, tum essentiali, tum personali, puta, Verbo æterno, et Filio Dei : suo tamen modo competunt quoque sapientiæ creatæ, uti ostendi cap. I, vers. 1.

Quæres, quodnam os Dei, ex quo prodiit sapientia? Respondeo, anthropopathōs, id est, humano more, tribuitur Deo os, cum ipse sit purissimus spiritus, carens ore et corpore. *Primo* ergo S. Ambrosius, lib. *De Fide contra Arianos*, cap. II, per *os* accipit jussionem Dei, qua initio *Genesis* dixit : « Fiat lux, fiant luminaria, fiat firmamentum, » etc., illicoque omnia facta sunt. Tunc ergo ex ore Dei prodiit sapientia, cum ex sapientia sapientissime dixit : « Fiat cœlum et terra; » itaque sapientiam ipsam opere quasi enixus est, et in lucem edidit. Sic et Jansenius : Significat, inquit, juxta litteralem sensum, sapientiam Dei verbo editam esse in mundo, cum Dei verbo omnia creata sunt, in quibus Dei sapientia (quæ ante mundi creationem velut latebat in corde Dei) mire declarata est, et hominibus exhibita.

Os Dei est mens. *Secundo*, simplicius, generalius et germanius, *os* hic metaphorice significat mentem et intellectum Dei : sicut enim ex ore formatur et prodit verbum oris vocale, sic ex mente formatur et prodit verbum mentis, sive mentale. Quod enim est os capiti, hoc est mens animæ. Unde Lyranus : « Os Altissimi, inquit, dicitur potentia gene-

rativa Patris, qua producitur verbum spiritale, sicut ore producitur verbum sensibile. » Quare sicut verbum oris nostri exprimit totum conceptum mentis nostræ; sic Pater æternus uno hoc Verbo mentis dicit et exprimit omne quod sapit, omne quod comprehendit, imo omne quod est, omne quod habet, omne quod potest, ac consequenter omnes creaturas possibiles. Unde in hoc Verbo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ divinæ absconditi.

Dicit ergo : « Ego ex ore Altissimi prodivi ;» id est, ego ex mente Dei, velut verbum mentis prodii, aut, mente Dei concepta sum, mentis Dei partus sum et proles. Est catachresis. Sicut enim ore dicimus verbum sensibile, ita Deus mente dicit et concipit Verbum divinum intelligibile ; tum essentiale, quod commune est toti SS. Trinitati; tum notionale et personale, quod proprium est Filio, cui proprie hæc competunt, teste S. Ambrosio, lib. I *De Fide*, cap. VII, et lib. *De Filii divinitate*, cap. XII. Unde aliqui pro *ore* legunt *corde*. Ita Agnellus Episcopus Ravennæ, epist. *ad Arminium*, quæ exstat tom. IV *Biblioth. SS. Patrum*, Arianis quærentibus an Filius, cum venit in mundum, formam servi accipiens, deseruerit Patrem, respondit : « Sit verbum, quod exierit de ore meo, et introierit in aurem tuam, et per aurem tuam in corde tuo cœperit manere, dic mihi : Numquid, quia in pectore tuo manet, jam in meo pectore non est ? Si ergo sensus per os meum egressus, in tuam mentem ingressus, meam non deserit animam; quanto magis ex Deo Patre egressus sermo, pectus Patris deserere non potuit? Nam ipse Filius dicit : Ego ex corde Patris prodii, *Eccle.* XXIV; et Pater dicit : Eructavit cor meum Verbum bonum,» *Psalm.* XLIV. Porro S. Ambrosius, lib. IV *De Fide*, cap. IV : « Dicimus, inquit, potestatis esse, quod nos filios Dei fecit; proprietatis autem generationem esse oracula divina declarant. Dicit enim Sapientia Dei : Ego ex ore Altissimi prodivi; hoc est, non coacta, sed libera ; non potestati obnoxia, sed nata, generationis arcano, privilegio dominationis, et jure potestatis. » Unde sequitur, « primogenita, » id est, primo elicita et concepta, « ante omnem creaturam. » Licet enim sapientia hic generatim capiatur, ut communis est creatæ et increatæ, non quomodolibet; sed quatenus ipsa est idea et causa creaturarum, ut sequitur; tamen proprie hæc verba competunt Filio, qui a Patre procedit ut Verbum et idea Patris, juxta quam omnia dixit et creavit. Unde Syrus vertit, *ego ex ore Altissimi processi;* Tigurina, *ego prodivi ex ore Altissimi; ante omnem rerum naturam primogenita;* alii, *ego ex ore Altissimi exivi;* hoc enim significat Græcum ἐξῆλθον. Quocirca solus Filius proprie est primogenitus Patris, idque ab æterno ante omnem creationem et creaturam : quare a S. Paulo vocatur « primogenitus omnis creaturæ, » *Coloss.* I, 15. Hinc patet pluralitas personarum in SS. Trinitate : genitus enim a gignente sive genitore distinguitur; nemo enim potest gignere seipsum. Judæi id pertinaciter negant, dicuntque in Deo unam esse personam, sicut est una essentia. Quare hunc locum accipiunt de lege data Mosi, quam ipsi fingunt creatam fuisse a Deo ante mundum, per duo millia annorum, quæ sane insulsa est fabula. Ita Lyranus.

Ex hoc loco Theologi docent Filium procedere et gigni immediate, non a natura divina, sed ab ore, id est, ab intellectu divino Patris : ipse enim est Verbum mentis paternæ; ac refutant Durandum in I, dist. 6, *Quæst.* II, qui opinatus est processiones Filii et Spiritus Sancti in divinis esse immediate per naturam, et non per intellectum, vel voluntatem. Vide Suarez lib. I *De Trinit.* cap. V, num. 3.

Porro Jansenius, qui hæc omnia accipit de Sapientia Dei essentiali, censet eam primogenitam dici ante omnem creaturam, quod ante omnia in Deo substiterit, nunquam quidem in eo incipiens; sed cum eo semper permanens. Verum hoc proprie non est esse primogenitum, sed esse ingenitum et permanens. Quare hoc epithetum proprie competit soli Sapientiæ notionali, puta, Filio; sapientiæ vero essentiali et increatæ, abusive duntaxat per catachresin, qua *primogenita* idem est quod primo mente concepta. Unde Sixtus Papa, *epist.* I, hæc verba Ecclesiastici producit ad probandum Filium esse Patri coæternum et consubstantialem.

Prima est hæc laus sapientiæ, qua ipsa se laudat ab origine nobilissima : originem enim et genus ducit a Deo, idque ab æterno. Unde in sequentibus docet eam a Deo prodeuntem exstitisse ideam, et causam cœli et terræ, omniumque rerum creatarum; sed tandem proprie se ostendisse, et fixisse sedem in populo fideli, puta, in Israelitis, posteris Abrahæ et Jacob.

Perperam Ariani ex τῷ *primogenita* inferebant Christum esse creaturam, sed primam. Τὸ enim *primo*, inquiebant, dicit respectum ad secundum, *q. d.* Christus est primogenitus Dei; quia secundogeniti sunt Angeli, cæteræque creaturæ. Perperam, inquem : nam Filius est genitus, non creatus; creaturæ vero sunt creatæ, non genitæ a Deo. Igitur τὸ *primo* respicit quidem creaturas, sed in alio ordine productionis, *q. d.* Filius est prius genitus, quam creaturæ sint creatæ : nam Filius ita est primogenitus, ut idem sit pariter unigenitus, ut ait S. Joannes cap. I, 18.

Moraliter, hæc verba Siracidis legens et ruminans B. Henricus Suso, in sapientiæ amorem totus exarsit, uti refert auctor Vitæ ejus, cap. IV; unde ipsemet Suso in *Dialog.* cap. VII, ita sapientiam loquentem, et homines ad se invitantem, introducit : « Ego præcelso edita sum genere, et clarissimis orta natalibus. Ego amantissimum sum paterni cordis Verbum, et secundum suavissimam abyssum naturalis generationis meæ ex purissima ac nuda Patris substantia mirifice placeo

Visio sapientiæ

blandissimis oculis ejus, in mellitissima ac flagrantissima Sancti Spiritus charitate. Ego thronus felicitatis, ego animarum corona sum : oculi mei lucidissimi, os delicatissimum, genæ rubicundæ et candidæ, totaque habitudo et species mea tanti decoris et gratiæ, tamque absolutæ elegantiæ, ut etiamsi quis eo nomine ad extremum usque judicii diem, in fornace ardenti jacere deberet, quo vel unico mei posset conspectu perfrui; nec sic adhuc pro dignitate meritus id esset. Ego lana candidissima tam præclare ornata sum vestibus picturatis, variis intextis floribus (puta, rubentibus rosis, albicantibus liliis, purpureis violis aliisque quibuslibet) tam delicate circumdata sum, ut quantumvis amœni ac vernantis maii flores omnes, pratorum omnium, quamvis apricorum, virentes frutices et virgulta, denique camporum quorumlibet pulcherrimi flosculi, si cum mea venustate conferantur, non aliud sint quam horridi tribuli. » Unde concludens subdit : « Ego in divinitate ludum ludo jucundissimum; unde in beatos angelicos spiritus tanta redundat copia gaudiorum, ut mille anni vix brevissima eis horula videantur. Totus cœli exercitus, præ insolita admiratione, in me suos intendunt obtutus, meque observant. O terque quaterque beatum illum, cui hunc amoris ludum, isthæc jucunda tripudia in cœlestibus gaudiis ad latus meum, delicatas tenenti manus meas, felicissima securitate in omnem æternitatem celebrare dabitur. Non nisi unicum ex ore meo blanditer proficiscens verbum, omnem instrumentorum musicorum harmoniam, omnes Angelorum omnium melodias superat. Tam sum amabilis et suavis animæ puræ et amanti, ut præ mei desiderio merito rumpi deberent corda omnium. » Hæc Suso.

Mystice de B. Virgine.

Mystice, hæc verba Siracidis adaptes B. Virgini : ipsa enim non solum excelluit sapientia et gratia omnes Angelos et omnes homines; sed et velut caput eamdem in omnes Adæ posteros se invocantes transfundit. Audi S. Hieronymum vel potius Sophronium serm. *De Assumpt.* : « Dei genitrix, ait, electa et præelecta, vere ab Angelo salutatur et prædicatur gratia plena, per quam largo Spiritus Sancti imbre superfusa est omnis creatura. » Et B. Petrus Chrysologus, *serm.* 142 : « Beata, inquit, quæ sola inter homines audire meruit præ omnibus : Invenisti gratiam apud Dominum. Quantam? quantam superius dixerat, plenam? et vere plenam, quæ largo imbre totam funderet et infunderet creaturam. Invenisti enim gratiam apud Deum. Hæc cum dicit, et ipse Angelus miratur, aut feminam tantum, aut omnes homines vitam meruisse per feminam. » Rursum Sophronius : « Talibus, inquit, decebat Virginem oppignerari muneribus, ut esset gratia plena, quæ dedit cœlis gloriam, terris Deum pacemque refudit, fidem gentibus, finem vitiis, ordinem vitæ, ac moribus disciplinam. » Et rursus : « Quid mirum, si lætitiam et gloriam plenam et superplenam habet in regno, quæ gratiam plenam et superplenam habet in exilio? Quid certe mirum, si tam in cœlo, quam in terra ejus plenitudo super omnem creaturam sit, de cujus plenitudine omnis natura virescit? » Utrumque locum citat S. Bonaventura in *Speculo*, cap. VII, quibus attexit hæc S. Anselmi verba : « O femina plena et superplena gratia; de cujus plenitudinis abundantia respersa reviviscit omnis creatura! »

Ad id spectant etiam illa S. Bernardi, sermone *De Aquæductu* : « Petit, inquit, supereffluentiam ad salutem universitatis : Spiritus Sanctus, ait, superveniet in te; et copiosum illud balsamum tanta plenitudine influet, ut copiosissime effluat circumquaque. » Et alibi : « Plena, inquit, sibi, superflua nobis. » Concludit S. Bernardus, serm. citato *De Aquæductu* : « Deus totius boni plenitudinem posuit in Maria, ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea noverimus redundare, quæ ascendit deliciis affluens. Hortus plane deliciarum, quem non modo afflaverit veniens, sed et perflaverit superveniens Auster ille divinus, ut undique fluant et diffluant aromata ejus, charismata, scilicet, gratiarum. Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum, ubi dies? Tolle Mariam, hanc maris stellam, maris utique magni et spatiosi, quid nisi caligo involvens, et umbra mortis, et densissimæ tenebræ relinquuntur? Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, et votis omnibus Mariam hanc veneremur : quia sic est voluntas ejus qui totum nos habere voluit per Mariam. » Accedit Richardus Victorinus in *Cant.* cap. XXVIII : « Omnium, inquit, salutem desideravit, quæsivit, obtinuit; imo salus omnium per ipsam effecta est. »

SECUNDA PARS CAPITIS.

DE POTENTIA, CREATIONE ET GUBERNATIONE SAPIENTIÆ.

Vers. 6.

6. EGO FECI IN COELIS, UT ORIRETUR LUMEN INDEFICIENS. — Tigurina, *indefessum*. Lux enim, initio mundi, per sapientiam Dei in cœlis creata, semper in iis mansit, et luxit, imo aucta est quarta die mundi, cum ex ea factus est sol, luna et stellæ, uti declaravi *Genes* I, 14, Hæc est secunda laus sapientiæ ab effectu, quod, scilicet, ipsa sit causa rerum, ac præsertim lucis, quæ est quasi oculus, anima et vita mundi : cum enim ipsa sit lux, hinc præ aliis creatis meminit lucis a se factæ; cumque

eam vocat indeficientem, significat etiam post diem judicii lucem non defuturam. Hæc verba jam desunt in Græco et Syro ; sed legit ea S. Maximus homil. 2 *De Festo Paschæ* : « Ipse est Dei Filius, inquit, cui Pater dies divinitatis suæ eructat arcanum (juxta illud *Psal.* XVIII, 3 : « Dies diei eructat verbum.) » Ipse, inquam, est dies, qui ait per Salomonem : « Ego feci, ut oriretur in cœlo lumen indeficiens. »

Quocirca D. Ludovicus Blosius in *Aspirat.* apte et pie ad Sapientiam anhelus ita suspirat : « O Sapientia æterna, lumen tuum mihi præbe. Illucesce mihi, o lux fulgida et gratiosa, ut in meridiem clarissimam vertantur tenebræ cæcitatis meæ. Exorna, o bone Jesu, animam meam illo charitatis decore, quem diligis ; impingua eam illo amoris adipe, quo delectaris ; aufer ab ea quidquid oculis tuis minus placet, et eam redde tibi per omnia placentem. O ardor suavissime, vora et feliciter consume pulvisculum substantiæ meæ. Transfer me in te, ut ego indissolubili amoris glutino tibi adhærens vivam ex te, et tanquam lilium effloream coram te. O venustissime atque vernantissime flos, Jesu ; o vita perennis ; vita, per quam vivo, sine qua morior ; vita, per quam gaudeo, sine qua mœreo ; vita dulcis et amabilis, concede, ut tibi jungar, te amplectar, et suavi charitate soporatus in te, qui es pax gratissima, sancte obdormiam ! »

Notat Lyranus : Describitur hic, inquit, generatio sapientiæ genitæ, puta Christi, *primo* æterna, vers. 1 ; deinde temporalis ex Virgine descendente ex David, vers. 34 ; mox, post generationem Verbi, describitur hoc vers. 6, creatio mundi. Similem ordinem servat S. Joannes Evangelista cap. I, ubi vers. 1, assignat emanationem Verbi divini a Patre, dicens : « In principio erat verbum ; » *secundo*, mundi creationem, dicens : « Omnia per ipsum facta sunt ; » *tertio*, Verbi incarnationem, cum subdit : « Et verbum caro factum est. »

Mystice de B. Virgine.

Mystice hæc verba : « Ego feci in cœlis, ut oriretur lumen indeficiens, » adaptes B. Virgini. Unde B. Petrus Damianus, serm. *De Assumpt.* : « Electa ut sol. » « Electa, inquit, sed præelecta, ut sol ; quia sicut sol solus orbem illuminat ; sic hæc sola soliliori lumine et Angelos et homines illustrat. » Et post nonnulla : « Nihil habuit Spiritus in visibilibus creaturis excellentius, cui excellentiam Virginis compararet ; multo enim altius aliquid habuit claritas solis, quam lunæ : quia etsi illa minores stellas obscurat, non tamen penitus occultat ; hic vero lucidius incandescens, ita sibi siderum et lunæ rapit positionem, ut sint quasi non sint, et videri non possint. Similiter et virga Jesse veri prævia luminis, in illa inaccessibili luce prælucens, sic utrorumque spirituum habebat dignitatem, ut in comparatione Virginis nec possint, nec debeant apparere. » Et inferius : « Considera, inquit, quam stellaris et serena obumbratio, quam luminosus fulgor circularem orbem tanti sideris superfundat, et aliorum luminum claritatem non mediocriter offuscet ; sic et Virgo inter animas Sanctorum, et inter Angelos evecta, merita singulorum et omnium titulos antecedit. Quamlibet stellæ reluceant, luna tamen et magnitudine præeminet, et splendore ; sic utramque naturam Virgo singularis superat, et immensitate gratiæ, et fulgore virtutum. » Et Richardus Victorinus, ad illa *Cant.* IV : « Duo ubera tua, sicut duo hinnuli gemelli, etc. His hinnulis, inquit, dicta B. Mariæ ubera comparantur ; quia, cum tam Angeli quam Sancti pro peccatoribus solliciti sint, et eis tam meritis quam intercessione subveniant ; credendum est B. Virginem tantum in hoc posse, quantum utraque simul creatura ; imo utraque potentior judicatur, quia utraque per hanc reparatur, et Angelorum ruina per hanc restaurata est, et humana natura reconciliata. » Rursum S. Anselmus apud S. Bonaventuram, in *Speculo*, cap. VII : « Tibi solum, inquit, loquor, Domina, beneficiis tuis plenum esse mundum : inferna penetravit, cœlos superavit ; per plenitudinem enim gratiæ tuæ, quæ in inferno erant, se lætantur liberata ; et quæ supra mundum sunt, se lætantur restaurata. » Ipse etiam S. Bonaventura, cap. V, sic ait : « O quam late, et quam longe arbor illa magna beata virgo Maria ramos suos extendit ; quam late ad homines, quam longe ad Angelos, quam alte ad Deum ! »

Nebula texit terram, quæ?

ET SICUT NEBULA TEXI OMNEM TERRAM. — Syrus, *sicut nebula cooperui terram ;* Tigurina, *in modum nebulæ terram omnem obtexi.* Significat tenebras primigenias, de quibus dicitur *Genes.* I, 2 : « Tenebræ erant super faciem abyssi, » *q. d.* Ego sapientia tenebris, quasi nebula primitus texi terram, utpote rudem et deformem, ne ejus deformitas appareret, sicut homo nudus tegit suam nuditatem tenebris et latebris ; ut τὸ *nebula* sit ablativi casus. Sensus ergo est : Sicut nebula solet tegere terram ; sic sapientia per tenebras primigenias, quasi sui nubem et nebulam, texit terram, juxta illud *Job.* XXXVIII, 9 : « Cum ponerem nubem, vestimentum ejus (maris et terræ), et caligine illud quasi pannis infantiæ obvolverem, » *q. d.* Sicut infans nudus fasciis obvolvitur et vestitur ; sic ego nuditatem primigeniam terræ tenebris, quasi pannis infantiæ fasciisque vestivi et obvolvi.

Resp. primo.

Addit noster Gregorius de Valentia, *De Opere sex dierum*, in opere secundæ diei : « Quasi nebula, » inquit, obtexit sapientia terram, quia aer initio mundi creatus non fuit purus, sed immixta ei fuit nebula, quæ proxime texit terram, et aspectum prohibuit (etiam orta luce) ejus spatii patentis, quod nunc ex terra cernimus usque ad ipsa corpora cœlestia, quousque pertingere potest acies oculorum.

Secundo.

Hinc *secundo*, exponi potest., *q. d.* Ego terram texi nebula, id est, continua successione tenebrarum et noctis, post creationem lucis et solis, cujus lumen indeficiens immediate ante descripsit ; illi

enim hanc nebulam opponit : nebula enim est symbolum tenebrarum et noctis. Unde nebulæ ænigma apud Symposium hoc exstat :

Ænigma nebulæ.

> Nox ego sum facie ; sed non sum nigra colore,
> Inque die media tenebras tamen affero mecum :
> Nec mihi dant stellæ lucem, nec Cynthia lumen.

Tertio. *Tertio,* nonnulli cum Lyrano apposite per nebulam metonymice accipiunt aquas nebulosas et caliginosas, quæ in genesi mundi totam terram, aerem et ætherem usque ad cœlum empyreum repleverunt : ex quibus Deus deinde formavit omnes cœlos, elementum ignis et aeris ; quæque, *Genes.* I, vocatur *abyssus* : « Tenebræ, inquit, erant super faciem abyssi. » Sapientia ergo hic suam potentiam, providentiam et fecunditatem significat, nimirum, quod aquis nebulosis operuerit terram, ut illam irrigaret et fecundaret ad producendum ex ea herbas, arbores et plantas ; homines item et animalia, cæteraque omnia. Huc facit illud *Psalm.* CXLVII, 5 : « Qui dat nivem, sicut lanam ; nebulam, sicut cinerem spargit, » *q. d.* Deus solus eloquio, id est verbo suo, dat nivem quæ candore, levitate, mollitie, ait Theodoretus, densitate et calore similis est lanæ : nam nix quasi lana terram tegit ad eam fovendam, calefaciendam et fecundandam, dum halitus et expirationes calidas terræ cohibet ; et intra terram repellit, ut earum calore semina jacta altiores et latiores agant radices, itaque uberem dent messem. Et « nebulam, » Hebr. *pruinam,* « sicut cinerem spargit. » Pruina enim similis est cineri colore, copia, calore et virtute ; nam instar cineris exurit et consumit nimium humorem terræ, itaque eam calefacit, temperat et fecundat. Unde Sextus Pompeius : « Pruina, inquit, dicitur quasi perurens. » Deus ergo sicut in æstate terram pluviis et ventis eventilat et refrigerat, ne æstu lædatur ; ita in hieme, ne lædatur frigore, eam nive quasi lana fovet, pruina quasi igne calefacit, crystallo vel grandine quasi pane et cibo alit ; grandines enim quasi grana sacchari terram edulcorant, humectant et nutriunt. Hoc est quod subdit Psaltes : « Mittit crystallum (id est grandinem) suam, sicut buccellas. »

Quarto. *Quarto,* sic exponas : Sicut nebula tegit terram ; ita ego sapientia texi tegoque terram, non nebula, sed gloria mea, et pulchritudine varia creaturarum. Unde Arabicus nude vertit, *exivi namque de ore Altissimi, et operui terram.* Porro, apte gloria comparatur nebulæ, quia olim gloriam suam et splendorem majestatis suæ, quam oculus humanus ferre non potuisset, infringere et obvelare Deus solet nebula. Unde per nebulam Dei gloria repræsentabatur in tabernaculo Mosis, *Exodi* XXXIII, 9 ; et in templo Salomonis, III *Reg.* VIII, 10, ac *Isaiæ* cap. VI, 4. Unde Suarez, lib. II *De Opere sex dierum,* cap. V, num. 6, tertiam et quartam expositionem conjungens : Sapientia, ait, terram texit aqua, perinde ac solet terra tegi nebula : vel potius, « sicut nebula, » quia majestate sua et præsentia terram implebat ad eum modum, quo de divino Spiritu dicitur : « Spiritus Domini ferebatur super aquas ; » quia, scilicet, fovebat illas præsentia et virtute sua.

Mystice B. Virgo, æternæ Sapientiæ mater, tegit terram quasi nebula : *primo,* quia hominum miseriam et nuditatem tegit sua misericordia et gratia ; *secundo,* quia eorum humorem et phlegma, id est, acediam et torporem, desiccat et calefacit, eosque efficit fervidos et fecundos bonorum operum ; *tertio,* sicut nebula, flante Austro, adveniens solvit glaciem et rigorem ab Aquilone inductum, terramque humectat : ita Virginis intercessione, per Spiritus Sancti gratiam, solvitur gelu et obduratio cordis a diabolo inducta, ac virentes virtutum actus producuntur. Quare S. Bernardinus, tom. III, *serm.* 11, art. 11, verba illa *Eccli.* cap. XLIII : « Medicina omnium in festinatione nebulæ, » adaptat B. Virgini ; ait enim medicinam omnium hominum esse in festiva Assumptione Virginis : « Quia omnes, inquit, qui volunt, participes fiunt gratiæ suæ ; » ac citat S. Bernardum dicentem Deiparam copiosissima charitate sua omnibus sapientibus et insipientibus fecisse se debitricem ; et misericordiæ sinum aperire, ac de plenitudine ejus accipere universos.

B. Virgo est nebula. Primo. Secundo. Tertio.

7. EGO IN ALTISSIMIS HABITAVI, — disponendo cœlum empyreum, ait Lyranus, illudque mox ut a me creatum est, replendo innumeris Angelorum myriadibus. Licet enim Sapientia divina, puta Deus, Deique Filius, sint per essentiam, præsentiam et potentiam in toto mundo, juxta illud *Jerem.* XXIII : « Cœlum et terram ego impleo ; » tamen habitatio, id est, domus et templum, in quo habitare dicitur Deus, est cœlum, præsertim empyreum ; quia in eo suam potentiam, magnificentiam, opes et gloriam ostendit sanctis Angelis et hominibus. Unde ait *Isaiæ* LXVI. « Cœlum mihi sedes est ; terra autem scabellum pedum meorum. » Porro per cœlum, maxime quidem empyreum, generatim tamen quodvis accipe, non tantum sidereum et æthereum, sed et aereum. Unde de eo subdit :

Vers. 7.

ET THRONUS MEUS IN COLUMNA NUBIS. — Nota : In Scriptura Deus Deique majestas dicitur habitare in nubibus, juxta illud : « Qui ponis nubem ascensum tuum ; » idque multis de causis : *prima,* quia nubes a terra sunt elevatæ et altæ, alta autem et excelsa sedes debetur Deo altissimo ; *secunda,* quia nubibus velatur et tegitur Dei majestas et gloria ; *tertia,* quia in nubibus ostendit suam potentiam : in iis enim et ex iis mirabiliter tonitrua, ventos, imbrem, quo terram fecundat, grandinem, fulgura et fulmina vibrat ; *quarta,* quia alludit ad columnam ignis et nubis, in qua residebat, suamque gloriam ostendebat Deus Hebræis, eosque, præeundo, et dando manna, pascendo per quadraginta annos, deduxit in terram promissam, *Exodi* XXXI, 21. Vide ibi dicta. Unde Syrus vertit, *ego in excelsis superorum tabernaculum meum posui* (alii, *fixi*), *et sedes mea in columnis nubium,* juxta

Nubes thronus Dei quatuor de causis.

illud *Psalm.* XVIII, 6 : « In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. » Et *Psalm.* XVII, 11 : « Volavit super pennas ventorum. Et posuit tenebras latibulum suum; in circuitu ejus tabernaculum ejus; tenebrosa aqua in nubibus aeris. » Tigurina vertit, *ego in sublimi sedem cepi, et solium meum super columnam nubis collocavi.* Porro thronus hic sapientiæ non est aliud quam cathedra Dei docentis, simul et judicantis tribunal, juxta illud *Psalm.* XCVIII, 7 : « In columna nubis loquebatur ad eos, » tanquam ex tribunali regio et cathedra jus dicens, piis favens, noxios damnans, docens, instruens, dirigens, viam monstrans in terram promissam.

Anagogice Christus, qui est Sapientia Patris, thronum habebit in nube gloriosa, cum venerit judicare orbem in die judicii, *Matth.* XXIV, 30.

Allegorice Rabanus : Thronus, inquit, Filii Dei fuit in columna nubis, id est, in humanitate excelsa, omnibusque virtutibus dotata, quæ quasi nubes gloriosa velavit et decoravit ejus deitatem, juxta illud *Isaiæ* XIX : « Ecce Dominus ascendet super nubem levem. »

Mystice, Sapientia incarnata, puta Christus, Dei Filius, novem mensibus habitavit in utero B. Virginis, quasi in cœlo animato, et in columna nubis. Quocirca multi Patres B. Virginem vocant nubem, eo quod ipsa Solis, id est divinæ vindictæ, ardorem temperet, animamque irroret et fecundet. Ita Chrysippus homil. 2 *De Deipara* : « Ave, inquit, nubes pluviæ potum animis Sanctorum exhibentis. » Et Hesychius, homil. 2 *De Deipara*, « nubem eam dicit, pluvias incorruptas continentem. » S. Epiphanius, serm. *De Laud. Virg.* : « Ave, inquit, gratia plena, nubes columnæ similis, quæ Deum habes, qui populum deduxit per desertum. » Et iterum : « O B. Virgo, nubes, inquit, es lucida, quæ fulgur de cœlo lucidissimum ad illuminandum mundum deduxisti Christum; nubes cœlestis, quæ tonitruum Spiritus Sancti in te ipsa reconditum deduxit in mundum, et imbrem Spiritus Sancti in universam terram, ad producendum fidei fructum, cum impetu demisit. » Proclus Episcopus Constantinopolitanus *De Deipara* : « Hæc, inquit, vere levis nubes, quæ super Cherubim sedentem in corpore suo gestavit. » S. Hieronymus in *Psalm.* LXXVII, 14 : « Certe, inquit, nubem levem debemus sanctam Mariam accipere. Pulchre dixit : In nube diei ; nubes enim illa non fuit in tenebris; sed semper in luce. » Andreas Cretensis orat. 2 *De Deipara* : « O columna, inquit, non carnalem per lucem deducens Israelem, qui fugatur; sed spiritualem, qui deducitur ad inerrantem lucem cognitionis, divinis illuminans facibus. O nubes tota lucida, et mons umbrosus, non adumbrans ingratum populum Judæorum, sed dilectum Dei populum, gentem sanctam, maternis tuis tædis illustratam. » S. Bonaventura, in *Specul. B. Virgin.* cap. III, ait : « Maria est nobis columna nubis, juxta illud psalmi : Deduxit eos in nube, quia tanquam nubes protegit ab æstu divinæ indignationis, et ab æstu diabolicæ tentationis, sicut dicitur in psalmo : Expandit nubem, etc. Maria quoque est columna ignis in nocte sæculi hujus illuminans mundum. » Citatque illud Bernardi : « Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum, ubi dies ? Tolle Mariam, hanc maris stellam, quid nisi caligo involvens, umbra mortis, ac densissimæ tenebræ relinquuntur ? » Hæc ex Bonaventura de Virgine, quæ dicitur columna nubis et ignis. Sicut enim de columna hac dicitur *Exodi* XIV : « In vigilia matutina respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis et nubis, interfecit exercitum eorum, et subvertit rotas curruum, ferebanturque in profundum. » Ita Deus per Deiparam tanquam per fenestram cœli, et per mysticam columnam ignis et nubis respiciens, dæmonis vires et potentiam penitus evertit.

B. Virgo est nubes, cur?

Quod si denique dicas, in Dei sede plerumque Dei majestatem auctoritatemque significari, hoc quidem negari non potest; attamen in nulla pura creatura ita relucet Dei gloria atque majestas divina, item attributa, præsertim potentiæ, sapientiæ et bonitatis, sicut in Virgine Deipara. Ut propterea S. Bernardinus tom. I, *concion.* 61, art. 6, cap. IV, dicat Deiparam appellari, *Psalm.* VIII, Dei magnificentiam.

Symbolice, nubes, in qua quasi in throno residet Deus, est divina caligo, de qua docte disserit S. Dionysius, *epist.* 5 ; Deus enim « lucem inhabitat inaccessibilem, » I *Timoth.* VI, 16. In hac caligine residet SS. Trinitas, puta, tres divinæ Personæ, ac primo in ea thronum suum habet Pater, deinde Filius, mox Spiritus Sanctus.

Tres quasi throni et adorationes SS. Trinitatis.

Dices : Una est essentia, majestas, adoratio et thronus (uti ait hic Siracides, et Isaias cap. VI, et S. Joannes, *Apocal.* cap. IV et V) SS. Trinitatis; quomodo ergo insinuas thronum Filii esse medium inter thronum Patris et thronum Spiritus Sancti ? Respondeo : Throni tribuuntur SS. Trinitati figurate et anthropopathos; constat enim illam, utpote spiritum, proprie nec egere, nec habere thronum. Throni ergo significant ipsam trium Personarum hypostasin sive subsistentiam, ejusque dignitatem et excellentiam : in hac enim subsistunt, et quasi in throno gloriæ suæ resident. Nam, ut ait D. Thomas, I part. *Quæst.* XXIX, art. 3 in corp., persona significat id, « quod perfectissimum est in tota natura, subsistens in natura rationali, atque idipsum excellentiori modo convenit Personis divinis, quam creatis. » Et ad 2 : « Quia, inquit, magnæ dignitatis est in rationali natura subsistere, ideo omne individuum rationalis naturæ dicitur persona; sed dignitas divinæ naturæ excedit omnem dignitatem, et secundum hoc maxime competit Deo nomen personæ. » Si persona, dignitas est; habet ergo suæ dignitatis statum quasi thronum. Ratio est, quia paternitas in Patre magna, imo infinita est dignitas, ex qua,

Probatur.

Primo.

ut ait Apostolus : « Omnis paternitas in cœlo et in terra nominatur. » Æqualis dignitas est filiatio in Filio, et spiratio in Spiritu Sancto, quas proinde adoratione latriæ colimus et veneramur. Hoc est quod ait Damascenus, lib. I *De Fide*, cap. XI, « Patrem et Filium distingui perfectionibus personalibus. » Atque tres relationes in personis esse tres eximias perfectiones, validis rationibus docet Suarez, lib. III *De Trinit.* cap. IX, ac Gregorius, *De Valentia*, in citatum S. Thomæ locum. Unus igitur est Deus, sive unum Numen, unicusque deitatis est thronus, una pariter essentialis adoratio ; at Personæ sunt tres, eæque eximiæ et infinitæ, ideoque singulæ latria colendæ : illæ ergo triplicem habent personalem subsistentiam, et, ut ita dicam, thronum, consequenter et adorationem. Patrem enim, qua Pater est, adoramus ut generantem Filium, Filium adoramus ut a Patre genitum, Spiritum Sanctum ut procedentem ab utroque. Igitur, esto adoratio essentialis Dei, qua Deus est, sit una ; tamen personalis est triplex, nam adoratione personali, quæ propria est Patri qua Pater est, non licet adorare Filium qua Filius est, nec Spiritum Sanctum qua Spiritus Sanctus est; et vice versa : hoc enim esset cum Sabellio confundere tres Personas divinas, cum illæ realiter a se invicem distinguantur, sintque tres
Secundo. reales hypostases et subsistentiæ. Sic Ecclesia in festo Pentecostes invocat Spiritum Sanctum, ut personam distinctam a Patre et Filio, in festo SS. Trinitatis sigillatim tres personas, ut personæ distinctæ sunt, invocat et adorat. Sicut ergo deitatis unius una est essentialis et tribus personis communis adoratio ; sic Sanctissimæ Trinitatis trina trium Personarum, ac cuilibet sua propria personalis est adoratio, juxta id quod canit Ecclesia in Præfatione Missæ SS. Trinitatis : « Ut et in personis proprietas, et in essentia unitas, et in majestate adoretur æqualitas. » Tam ergo proprietas in personis adoranda est, quam in essentia unitas. Hæc autem proprietas triplex est : ergo triplici personali adoratione adoranda. Rursum
Tertio. in Officio ad *Magnificat*, in secundis Vesperis : « Te Deum, inquit, Patrem ingenitum, te Filium unigenitum, te Spiritum Sanctum Paracletum, etc., laudamus atque benedicimus. » Pater ergo adoratur ut ingenitus, Filius non ut ingenitus, sed
Quarto. ut unigenitus. Hos thronos notasse videtur Daniel cap. VII, dicens : « Aspiciebam, donec throni positi sunt. » Nam hos thronos fuisse Dei et SS. Trinitatis patet ex eo quod subdit : « Et antiquus dierum sedit, » etc., cujus deinde majestatem describit, nulla facta Angelorum vel Sanctorum mentione ; imo de Angelis primis et summis dicit : « Decies millies centena millia assistebant (non assidebant) ei. » Hoc enim decorum et dignitas divinæ majestatis exigit, ut Angeli illi, non sedendo assidere, sed stando assistere dicantur. Secus est de Christo judice, cui quasi homini homines, puta, Apostoli, in judicio assidebunt, *Matth.* XIX. Igitur, ut fusius dicta in synopsi contraham, tres Personæ divinæ sunt tres reales hypostases ; anthropopathos ergo eis tres tribuimus thronos, quia cuique suus debetur honor et adoratio. Unde Ecclesia in Litaniis seorsim singulas personas adorat et invocat, dicens : « Pater de cœlis, Deus, miserere nobis. Fili, redemptor mundi, Deus, miserere nobis, » etc.

Rursum tres in tribus personis sunt relativæ Quinto. proprietates excellentissimæ, ideoque in suo statu, quasi throno, honorandæ et adorandæ ; nam cuique personæ sua est propria, puta, paternitas, filiatio, spiratio. Pater enim per paternitatem generat Filium sibi coæqualem : Filius per filiationem nascitur, ut imago Patris, splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus : Spiritus Sanctus procedit ut amor notionalis Patris et Filii immensus. Pater ergo adoratur ut genitor, Filius ut genitus, Spiritus Sanctus ut amor notionalis : utriusque Summa, Deitatis unus est thronus essentialis ; Sanctissimæ vero Trinitatis, triplex personalis.

8, 9, 10 et 11. GYRUM COELI CIRCUIVI SOLA, ET PROFUNDUM ABYSSI (Græce, *abyssorum*, id est, profundissimarum aquarum et voraginum, quæ fundo carere videntur, quia eum explorare nequeunt homines) PENETRAVI, IN FLUCTIBUS MARIS AMBULAVI ; ET IN OMNI TERRA STETI, ET IN OMNI POPULO, ET IN OMNI GENTE PRIMATUM HABUI, ET OMNIUM EXCELLENTIUM ET HUMILIUM CORDA VIRTUTE CALCAVI. — Tigurina, *orbem* (alii, *ambitum*) *cœli circuivi sola, vadaque profundi perambulavi. Omnes fluctus maris, et terram omnem, necnon cunctos populos gentesque possedi, et tam excellentium, quam humilium corda calcavi omnium;* Syrus, *in cœlo una cum eo* (Deo) *simul habitavi, et in fundamentis abyssorum ego ambulavi, in fontibus aquarum, et in fundamentis orbis, et in omnibus gentibus et populis dominata sum.* Dicit in præterito, *habitavi, circuivi, penetravi, ambulavi, steti, primatum habui, calcavi,* ut significet suam antiquitatem et æternitatem, antiquumque et æternum jus et dominium ; alioqui hæc præterita, more Hebræo, quamlibet temporis, etiam præsentis et futuri, differentiam significant : *circuivi* ergo, id est, circuivi, circumeo, et circumibo ; *calcavi*, id est, calcavi, calco, et calcabo ; et ita de cæteris. Vers. 8, 9, 10 et 11.

Hisce omnibus demonstrat Sapientia amplum et universale suum herile jus, dominium et fortitudinem, ait Rabanus, æque ac scientiam et providentiam circa omnia quæ cœli et terræ ambitu continentur ; se, nimirum, omnia perspicere, pervidere, providere, ordinare, disponere, seque omnibus dominari et præsidere, omniaque continere et complecti ; *secundo*, se in omnium rerum creatione legem perpetuo servandam singulis indidisse, obedientesque suæ voluntati et legi cunctas effecisse, quod proprium est sapientiæ munus ; *tertio*, se omnibus gentibus Dei cognitionem, metum et cultum, una cum ratione inse-

ruisse. Primum enim excellentissimumque in omni republica semper habitum fuit, numinis reverentia, cultus et religio.

Nota: Cum ait Sapientia : « Gyrum cœli circuivi sola ; » si per Sapientiam accipias increatam et personalem, puta Filium Dei, τὸ *sola* non excludit Patrem et Spiritum Sanctum. Nam, ut ait Evaristus Papa, *epist.* 1, sicut nihil nocet Filio, quod solus Pater habitet lucem inaccessibilem, ita nihil nocet Patri, quod ejus sapientia sola cœli gyrum circumierit : nam utrobique τὸ *solus* excludit cæteras non personas divinas, sed naturas creatas, puta, omnes homines et Angelos, uti docent Scholastici.

Unde Lyranus hæc de Filio Dei sic particulatim exponit : « Gyrum cœli, » id est, cœlum sidereum, inquit, luminaribus et stellis ornatum, « circuivi sola, » disponendo motum orbium. « Et profundum abyssi penetravi, » præparando concavitates in terra, ut ibi congregatis aquis appareret arida, quæ congregatio vocatur Oceanus vel abyssus. « Et in fluctibus maris ambulavi, » salvando Noe, et eos qui cum eo erant in arca inter aquas diluvii. « Et in omni terra steti, » stabilitatem ei dando undique circa centrum mundi. « Et in omni populo, et in omni gente primatum habui : » nam omnis potestas hominum a Deo est. « Et omnium excelsorum et sublimium corda virtute calcavi : » nam omnes, tam magni, quam parvi, Filio Dei sunt subjecti, quia toti Trinitati. Hucusque Lyranus.

ET IN HIS OMNIBUS REQUIEM QUÆSIVI, ET IN HÆREDITATE DOMINI MORABOR, — *q. d.* In omnibus populis et gentibus, in quibus me jam dixi primatum tenere et dominari, quæsivi locum et populum, in quo proprie requiescerem per amorem et gratiam, meque oblectarem quasi in populo meo cultore, sapiente, pio et sancto ; dixique : « In hæreditate Domini, » id est, in populo fideli, qui est peculium, hæreditas et Ecclesia Domini, « morabor, » id est, morari desidero, gestio et destino. Nolo enim morari in populo infideli et gentibus idololatris : hi enim sunt hæreditas, id est, cœtus et ecclesia diaboli ; ac proinde hi sunt stulti, incapaces, imo hostes mei : ipsi enim sunt inimici veræ sapientiæ, id est, veræ fidei et pietatis. Unde Græca et Syrus pro *Domini* habent τινὸς, id est *cujus ;* sicque clare enuntiant, *cum his omnibus requiem quæsivi, et cujus in hæreditate morarer,* vel *figerem domicilium,* repete *quæsivi.* Syrus, *in qua hæreditate quiescam ?*

Anagogice, Sapientia et sapiens quærit requiem in hæreditate Dei cœlesti : nec enim alibi est vera requies, juxta illud *Apocal.* XIV : « Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis : opera enim illorum sequuntur illos. » Et illud *Psalm.* IV : « In pace in idipsum dormiam et requiescam. » Vide S. Bernardum serm. 2 *in festo omnium Sanctorum.*

TERTIA PARS CAPITIS.

DE SAPIENTIÆ HABITATIONE IN ISRAEL.

Vers. 12. 12. TUNC PRÆCEPIT, ET DIXIT MIHI CREATOR OMNIUM : ET QUI CREAVIT ME, REQUIEVIT IN TABERNACULO MEO. — Hucusque Sapientia descripsit sui originem, nimirum quod a Deo processerit, quia ejus primogenita ; suamque operationem et efficientiam, nimirum, quod cœlum et terram formarit, illustrarit, gubernarit : nunc describit suum officium et legationem in terras ad homines erudiendos. Itaque poetice loquitur de se, quasi de persona distincta a Deo, cum tamen ipsa reipsa sit Deus. Quare proprie hæc competunt *primo,* sapientiæ communi, quæ est attributum proprium Deo. Hæc enim hic personam induit, ac per prosopopœiam facit se velut ministram Dei, ut ejus jussa exsequatur, eique ministret in erudiendis hominibus, ac illis se communicet per sapientiam a se communicatam et creatam. Simili prosopopœia misericordia et justitia dicuntur astare Deo, ab eoque mitti, quasi legati et judices, ad exercendum opera misericordiæ et vindictæ ipsius. *Psalm.* LVI, 4 : « Misit Deus misericordiam suam et veritatem suam. » *Psal.* LXXVII, 49 : « Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem, et iram, et tribulationem. »

Secundo, tamen possunt hæc quoque adaptari Sapientiæ personali, puta Verbo et Filio Dei. Huic enim appropriatur sapientia et doctrina, sicut Patri appropriatur potentia et creatio, Spiritui Sancto bonitas et sanctificatio hominum. Nam licet Filius in se majestate et dignitate, æque ac natura et deitate par et coæqualis sit Patri ; tamen quod officium legationis, quod hic assumit, ex humana hominum æstimatione videtur Patre esse minor, eique ministrare : mittitur enim hic quasi legatus, ut Patris præcepta exsequatur, eaque hominibus promulget ; unde legati personam, quæ regis Deique persona minor hominibus videtur, induit. Loquitur ergo anthropopathōs, sive humano more : sic enim rex, licet dignior sit republica et regno suo, tamen si ipse a republica mittatur ad Imperatorem, quoad hoc officium missionis et legationis, censetur minor et inferior esse republica, et Episcopus, si a sua Ecclesia mittatur ad Pontificem, uti missus est S. Athanasius, S. Epiphanius, S. Paulinus, et hodie multi mittuntur ; licet major et dignior sit Ecclesia ; tamen quatenus ab ea mittitur, censetur ea esse minor. Sic quoque Filius Dei, quatenus

Filius præcepta Patris exequitur.

a Patre hic mittitur, ejusque fit legatus et doctor hominum, anthropopathōs, sive apud homines, et ex hominum more et æstimatione, videtur Patre esse inferior; licet in se plane sit par et æqualis. Inducitur ergo hic Filius ante incarnationem, quasi legatus a Patre proficisci ad Judæos et Israelitas, posteros Abrahæ et Jacobi, ut eos per Mosem doceat legem, fidem et cultum Dei, veramque sapientiam qua fideles, sancti et beati evadant. Ita Lyranus. Missio, inquit, Sapientiæ genitæ (puta Verbi, sive Filii in mundum) vocatur præceptum. Porro, quomodo Filius dicatur mitti a Patre, quia ab eo procedit; et Spiritus Sanctus a Patre et Filio, a quibus procedit; Pater vero non dicatur mitti a Filio et Spiritu Sancto, utpote qui a neutro procedat, vide S. Thomam et Scholasticos edisserentes 1 part. *Quæst.* XLIII Aliter Palacius : Non dicit, inquit : « Tunc præcepit mihi,» sed solum : « Tunc præcepit, » id est, præcepit intra se, decrevit, et animo firmavit. Sic et Jansenius.

Hinc factus est homo.

Rursum et potius id præstitit Filius per incarnationem, quando ex posteris Abrahæ, puta ex B. Virgine incarnatus est, eosque verbo et exemplo docuit viam virtutis et salutis. Tunc enim reipsa Filius ex immensa sua dignatione et gratia « semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo, » ut ait Apostolus *Philip.* II. Nam ipsa divinitas Filii se demisit, et quasi depressit ad imum carnis et humanitatis nostræ, ut ex omni fieret quasi inane et nihil, puta creatura et homo creatus; hoc enim significat τὸ *exinanivit.* Porro Filius factus homo, qua homo minor fuit Patre, et seipso qua Deus est, uti omnibus clarum est. Sicut ergo Filius ante incarnationem fixit suam sapientiæ et doctrinæ cathedram apud Judæos, docendo eos per Mosem, Pontifices, Scribas et Pharisæos; sic et post incarnationem eamdem ipse personaliter apud eos fixit et usurpavit, ore proprio evangelizans et prædicans arcana Patris, et abscondita a constitutione mundi. Et hæc omnia significat hic Siracides, imo ipsa Sapientia, quæ hic loquitur.

Dicit ergo : « Tunc præcepit, » etc., *q. d.* Cum tam avide et sollicite populum et sedem, puta hæreditatem Domini, in qua requiescerem, quærerem; ecce tibi Deus votis meis obsecundans, populum, locum domumque mihi assignavit in Jacob, id est, in posteritate et populo Israel : hunc enim elegit ipse in hæreditatem, id est, in suam possessionem, populum et Ecclesiam, in qua ego tabernaculum meum figere desiderabam et destinabam. Præcepit ergo mihi Creator omnium, dixitque : « In Jacob inhabita. » Igitur : « Qui creavit me, requievit, » id est, requiescere me fecit, «in tabernaculo meo,» id est, mihi a Deo attributo, puta «in Jacob, » id est, in Israel. Hunc sensum exigunt præcedentia et sequentia, ac Græca, quæ habent, κατέπαυσε τὴν σκηνήν μου, id est, *quiescere fecit,* fixit, collocavit *tabernaculum meum,* et per consequens me in eo. Sic Virgilius in *Pharmaceutria* ait :

Requievit, pro, *requiescere me fecit.*

> **Et mutata suos requierunt** *(id est, quiescere fecerunt, collocarunt),* **flumina cursus.**

Et Plautus in *Mostellar.* : «Quiesce (id est quiescere fac, seda), tumultum hunc, qui est ante ostium.» Est hebraismus : Hebræi enim sæpe *cal* usurpant pro *hiphil,* id est, verbum neutrum pro activo. Sic Paulus ait *Rom.* VIII, 26 : « Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus;» «postulat,» id est, postulare facit; nec enim Spiritus Sanctus postulare potest gemitibus, quia gemere nequit, ait S. Augustinus.

Unde Tigurina totam hanc sententiam a vers. 11 usque ad vers. 14, ita plane clareque connectit, vertitque, *post hæc omnia quæsivi quietem, et in alicujus possessione domicilium. Tum Conditor universorum mandata mihi dedit, et Creator meus fixit mihi tabernaculum meum, et ait : In Jacob habita, et inter Israelitas accipe possessionem.* Alii ad Græca pressius clariusque, *in Jacob figito tabernaculum, et in Israel hæreditatem adito.* Græcum enim κατασκήνωσον idem est quod, *figito tabernaculum,* quod respondet ei quod præcessit : κατέπαυσε τὴν σκηνήν μου, id est *requiescere fecit,* fixit, locavit, *tabernaculum meum.* Sic et Syrus, *in omnibus his requiem quæsivi mihi, quia in qua hæreditate requiescam? Tunc præcepit mihi Dominus universorum, et qui fecit me, et collocavit tabernaculum meum, dixit mihi : In Jacob habita, et stabilire in Israel.*

Si quis tamen malit τὸ *et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo,* proprie, ut sonat, accipere; sic exponat et adaptet, *q. d.* Creator omnium, qui creavit me, quique requievit in tabernaculo meo, præcepit et dixit mihi : « In Jacob inhabita. » Deus enim dicitur habitare in tabernaculo sapientiæ, id est, *primo,* in ipsa sapientia : ipsa enim sibi domus est et tabernaculum. Quo schemate et prosopopœia significatur sapientiam Deo esse domesticam, familiarem et intimam, adeo ut in ea Deus habitare videatur. Sic Deus dicitur habitare in throno misericordiæ et justitiæ. *Ps.* LXXXVIII, 15 : « Justitia et judicium præparatio sedis tuæ. » *Psalm.* IX, 9 : « Paravit in judicio thronum suum, et ipse judicabit orbem terræ in æquitate, judicabit populos in justitia. » *Proverb.* cap. XX, 28 : «Roboratur clementia thronus ejus. » *Proverb.* XXV, 8 : « Firmabitur justitia thronus ejus. »

Deus habitat in tabernaculo sapientiæ. Primo.

Secundo, Deus Pater habitat in Filio, qui est sapientia genita, per περιχώρησιν, id est, circumincessionem divinam, qua una persona est in alia quavis, nimirum Pater est in Filio et Spiritu Sancto; Filius est in Patre et Spiritu Sancto; Sanctus Spiritus est in Patre et Filio, juxta illud Christi : « Non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me est? » *Joan.* XIV, 10. Et vers. 20 : « In illo

Secundo.

die cognoscetis, quia ego sum in Patre meo.» Unde Evaristus Papa, *epist.* 1, et Joannes II Pontifex, anno Christi 532, epist. *ad Valerium* sic legunt: « Qui genuit me, requievit in tabernaculo meo.»

Tertio. *Tertio*, Deus, præsertim Filius, est in carne et humanitate, quam assumpsit, quasi in tabernaculo suo: in ea enim «inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter,» *Coloss.* II, 9. Humanitas ergo Christi, quæ est tabernaculum sapientiæ creatæ et incarnatæ, eadem est tabernaculum Dei, et Filii Dei: in ea enim ipse hypostatice, essentialiter et personaliter inhabitat.

Quarto. *Quarto*, tabernaculum sapientiæ, id est, veræ fidei, religionis, pietatis et sanctitatis, est Ecclesia, in qua quasi in tentorio et templo suo requiescit Deus Pater, Filius et Spiritus Sanctus.

Tropologice. Tropologice, Nazianzenus in *Distichis*: « Perpetuum tibi sit hoc studium, inquit, ut mentem tuam templum Deo exstruas. Hinc enim assequeris, ut eum pro spirituali statua in intimo cordis habeas. Nosce teipsum, hoc est, unde originem duxeris, et qua dignitate præditus sis: sic enim facile primarium illud pulchritudinis exemplar consequeris.» Sic et S. Bernardus, in *Meditat.* cap. I: «Nihil, ait, tam simile est illi summæ Sapientiæ, quam mens rationalis, quæ per memoriam, intelligentiam et voluntatem in illa Trinitate ineffabili consistit. Consistere autem in illa non potest, nisi ejus meminerit, eamque intelligat ac diligat. Meminerit itaque Dei sui, ad cujus imaginem facta est; eumque intelligat, diligat atque colat, cum quo potest semper esse beata. Beata anima, apud quam Deus requiem invenit, et in cujus tabernaculo requiescit. Beata, quæ dicere potest: Et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo. Negare siquidem requiem cœli ei non poterit. Cur ergo nos deserimus, et in his exterioribus Deum quærimus, qui apud nos est, si nos velimus esse apud eum?»

Tabernaculum Dei est B. Virgo. Mystice, tabernaculum, in quo Deus recondidit summam sapientiam creatam, imo et sapientiam increatam et incarnatam, est B. Virgo, in qua Dei Filius, dum conciperetur, novem mensibus habitavit et requievit. Atque hinc ipsa omnem suam dignitatem accepit; accipit enim maternitatem Dei, quæ est dignitas tanta, ut ab hominibus et angelis comprehendi nequeat; sed omnem omnium captum superet. Nam, ut recte docet noster Christophorus a Castro *De Deipara*, cap. III, Virginem Mariam esse matrem Dei, est excellentia quasi infinita; quia non potest esse mater filii excellentioris, quam Dei, sicut, proportione servata, humanam Christi naturam unitam esse Filio Dei hypostatice, est dignitas infinita: quia uniri non potest excellentiori supposito, quam divino. Hinc B. Petrus Damianus, sermone *De Nativitate* S. *Mariæ*, dixit «Deum tribus modis esse in creaturis; quarto vero per identitatem in Virgine, quia idem est quod ipsa,» eo modo, quo mater et filius sunt una caro, et quasi una persona civilis; multo magis quam sint uxor et maritus, de quibus dicitur *Genes.* II, 24: «Erunt duo in carne una.» Et S. Anselmus, lib. *De Excellentia B. Virginis*, cap. II: «Quamvis, ait, hoc solum de sancta Virgine prædicari, quod Dei mater sit, excedat omnem altitudinem, quæ post Deum dici vel cogitari potest.»

Ex hoc principio deducitur alterum: ut, quemadmodum ex unione humanitatis Christi cum Verbo, colligimus naturali quadam consecutione, datam esse illi infinitam gratiam capitis, et impeccabilitatem, et omnem rationem merendi et satisfaciendi pro hominibus, tanquam mediatori et redemptori; et omnem scientiam et cognitionem eorum, usque ad cogitationes; denique omnia charismata, tanto uberius et excellentius quam aliis, quanto excellentius nomen capitis hæreditavit quam membra, et nomen filii, quam ministri ejus angeli vel homines: sic etiam fateamur quasi naturali quadam consecutione, ex matris dignitate debitam illi immensam quamdam gratiam, qua facta est Dei gratia impeccabilis, advocata, mediatrix et redemptrix omnium hominum; et indita est illi cognitio eorum omnium requisita, et tam copiosa affluentia charismatum et donorum supernaturalium, quanto excellentior est mater servis, et propinquior Verbo quam cæteri, tam angeli quam homines. Juxta hoc recte Methodius, orat. *De Purificatione*: « Euge, ait, euge quæ debitorem illum habes, qui omnibus mutuatur: Deo enim universi debemus; tibi autem etiam ille debet. Proinde, qui dixit: Honora patrem tuum, et matrem tuam, ut is decretum a se promulgatum observet, et alios excedat, omnem matri et gratiam et honorem impendit.» S. Cyprianus quoque, serm. *De Nativitate Christi*: « Matri, ait, plenitudo gratiæ debebatur.»

Mariæ etymon. Atque hac de causa vocata est Maria, id est, excelsa, sublimis, eminens, a radice רמו *ram*, id est, excelsus fuit; vel Maria, id est, domina, magistra et princeps: מורה *more* enim est dominus, magister, princeps, a radice מירה *iara*, id est, docuit, direxit, licet alii Maria idem esse velint quod myrrha vel amaritudo passionis, a radice מור *marar*, id est, amarus fuit. Accedit, quod B. Virgo sit mater Dei sine patre, ipsa enim supplevit vicem patris et matris. Quare magis est mater Dei, quam sint matres hominum: hæ enim non dant totam substantiam filio, sed partem unam duntaxat; nam alteram, eamque præcipuam, dat pater. Christus ergo totam humanitatem accepit a matre, omniaque sua, qua homo est, debet matri. Quocirca Christus Deus et homo per hanc suam a Virgine conceptionem et nativitatem, factus est B. Virgini debitor, eique quasi matri et patri obligatur, suaque accepta ferre debet magis, quam alii filii debitores sint suis parentibus, iisque suum esse acceptum referre teneantur.

Quæ sane magna est Deiparæ dignitas, magna Filii Dei dignatio.

Porro, quod Sapientia ait se creatam, dicens : « Et qui creavit me, » intellige accommode : « creavit, » id est, quomodolibet fecit, ut vertit Syrus. Hebr. enim בָּרָא *bara*, id est, creavit, amplissimæ est significationis. Quare *primo*, de Sapientia increata et essentiali sic exponas, *q. d.* Creator omnium creavit me, id est, elicuit me, concepit me, ipsa enim est conceptus mentis divinæ, Verbumque Dei essentiale; *secundo*, de Sapientia personali, puta, de Filio, *q. d.* « Creator creavit me, » id est, genitor genuit me; *tertio*, de Sapientia incarnata, puta de Christo homine, ac de sapientia creata, quam Deus Angelis, hominibus cæterisque creaturis communicat propria, *q. d.* Creator creavit, id est, ex nihilo produxit me. Vide dicta cap. XIV.

Vers 13. 13. ET DIXIT MIHI : IN JACOB INHABITA, ET IN ISRAEL HÆREDITARE (hæreditatem adito, Israel sit hæreditas, portio et possessio tua), ET IN ELECTIS MEIS MITTE RADICES, — *q. d.* Deus sapientiæ populum, locum et domum assignavit posteros Jacobi Patriarchæ, qui alio nomine dictus est Israel, puta, Israelitas. Hi enim fuerunt Ecclesia, id est, populus fidelis a Deo electus, ut eum sua sapientia, id est, fide, cultu, religione, præ cæteris gentibus imbueret. In eo ergo dicitur quasi in hæreditate sua habitasse, et misisse radices, id est, firmiter radicata fuisse sapientia Dei.

Dei sapientia radices misit in Israel.

Primo, quia illum solum vera puraque Dei cognitione imbuit, juxta illud : « Notus in Judæa Deus : in Israel magnum nomen ejus, » *Psalm.* LXXV, 1.

Primo.

Secundo, quia ei soli dedit legem, ritus et cæremonias, quibus pure coleret Deum, juxta illud : « Non fecit taliter omni nationi : et judicia sua non manifestavit eis, » *Psalm.* CXLVII, 9.

Secundo.

Tertio, quia ei dedit Pontifices, Scribas et Pharisæos, sibi invicem per singulas ætates succedentes, qui hanc Dei cognitionem, legem et cultum apud posteros conservarent et propagarent.

Tertio.

Quarto, quia solis Judæis familiariter oracula et responsa dabat ex propitiatorio; item per urim et tummim, quæ erant in Rationali pontificis.

Quarto.

Quinto, quia his solis dedit vicissim Prophetas, ac tandem Christum a Prophetis prædictum, qui in Judæa incarnari et habitare voluit, ut eos doceret veram sapientiam.

Quinto.

Sexto. Denique Deus Judæos tot miraculis et beneficiis, tantaque et tam peculiari providentia continuo prosecutus est, ut proprie eorum videretur esse Deus, pater, custos, tutor, provisor, juxta illud : « Ego sum... Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, » *Exodi* cap. III, 16.

Sexto.

ET IN ELECTIS MEIS (id est in Israelitis, quos mihi in populum elegi), MITTE RADICES, — id est radicare, sedemque tuam firma. Aliter Lyranus : Radices, inquit, sunt præcepta Decalogi, et alia cæremonialia et judicialia, quæ Deus Hebræis dedit, ut per eorum observantiam radicarentur in sapientia divina.

Allegorice. Allegorice, Sapientia et Christus habitant in Jacob et Israel, id est, in Ecclesia cœtuque fidelium et Christianorum. Hi enim sunt filii Abrahæ et Jacobi, non secundum carnem, sed secundum sapientiam, id est, fidem, spiritum et gratiam, uti docet Apostolus *Rom.* IX, 8.

Tropologice. Tropologice, sapientia et Christus inhabitant in Jacob et Israel, id est, in supplantatore (hoc enim Hebr. significat Jacob) vitiorum et passionum. Unde Jacob repræsentat Sanctos et electos; Esau vero, impios et reprobos, juxta illud *Malachiæ* I, 2, quod citat Apostolus, *Rom.* IX, 13 : « Jacob dilexi, Esau autem odio habui. » Iidem in Israel hæreditant, id est, in viro orationi et contemplationi dedito, qui magna fiducia orans dominatur quasi Deo, ab eoque impetrat quidquid vult, uti fecit Jacob luctans cum angelo Deum repræsentante, ideoque vocatus est Israel, id est, « dominans Deo, » aut, ut alii, « vir videns Deum, » *Genes.* XXXII, 26. Nimirum vere sapientem et sanctum efficiunt hæ duæ virtutes, oratio et mortificatio.

Mystice, B. Virgo æternæ Sapientiæ mater habitavit in Jacob; quia ex Judæis nata inter Judæos habitavit, ibique genuit Christum et Christianos : in his ergo quasi electis a Deo, misit primas radices Ecclesiæ Christianæ. Hæc enim cœpit in Sion et Sionidis, id est, Judæis ad Christum conversis, opera B. Virginis et Apostolorum. Rursum B. Virgo electorum est dux, mater, magistra et custos. Unde graves Theologi docent signum prædestinationis et electionis divinæ esse cultum et devotionem assiduam erga B. Virginem, juxta illud, quod ei mystice attribuit Ecclesia : « Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino, » *Proverb.* VIII. Unde Germanus Patriarcha Constantinopolitanus orat. *De Deipara* : « Sicut, inquit, continua respiratio non solum est signum vitæ, sed etiam causa; sic S. Mariæ nomen, quod in Dei servorum ore assidue versatur, simul argumentum est quod vere vivant; simul etiam hanc ipsam vitam efficit et conservat, omnemque eis lætitiam et opem ad omnia impertitur. »

Vers. 4. 14. AB INITIO, ET ANTE SÆCULA CREATA SUM. — Laudavit se Sapientia, vers. 5, a sui origine divina, quod, scilicet, a Deo quasi primogenita Dei filia prognata sit : nunc laudat se a sui antiquitate et æternitate. Quia enim paulo ante dixit se in Jacob habitasse, ne quis putet eam tempore Jacob et Mosis incepisse, subjicit : « Ab initio, et ante sæcula creata sum, » *q. d.* Ab æterno, ante omnia sæcula et tempora, tum realia, tum imaginaria, creata, id est, producta vel concepta sum. Concipe fingeque animo ante mundum centum annorum millia, milliones annorum, mille myriades myriadum annorum, ante hos, et quosvis alios, quos mente concipere potes, exstiti, eosque omnes in infinitum antecessi, quia ab æterno exstiti, Deoque coæterna fui. Æternitas autem omnia tempora realia et imaginaria in infinitum antecedit. Unde Græca habent, *ante sæculum* (id est, ante

tempus et mundum) *ab initio creavit me, et usque ad sæcula non deficiam;* Tigurina, *ante ævum conditum ab initio condidit me, et in æternum non deficiam.* « Ab initio » ergo, id est ab æterno : unde sequitur : « Et ante sæcula. » Appellat enim Scriptura initium id, quod erat ante tempora; hoc autem erat æternitas. Unde *Proverb.* VIII, dicit eadem sapientia de se : « Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret. » Et Michæas, cap. V : « Egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis. » Ita Gabriel Vasquez, I part., *Quæst.* XXXIII, disp. 139, cap. I, in fine.

Igitur hisce verbis Sapientia significat : *primo,* se esse intemporalem, ideoque increatam et divinam, imo Deum; æternitas enim separat eam, æque ac Deum, ab omni re humana et creata. Nam, ut ait Nazianzenus, orat. 5 *De Theolog.* : « Temporis interstitio a Deo scindimur et dividimur. » Deus enim æternus est; nos vero subdimur tempori, æque ac cæteræ res creatæ. Unde de Jesu Filio Dei ait B. Petrus Damianus lib. II, *epist.* 5 : « Ipse nobis et intemporale tempus, et illocalis est locus. » *Secundo,* significat Sapientia se vicissitudinis expertem, ac casibus omnibus, quos variatio temporis parit, superiorem, *q. d.* Temporarias mutationes transcendo, constans sum, et ad omnes casus invicta, perinde ac si cum Deo de æternitate et immutabilitate certarem.

Æternitas separat Deum ab omni re creata.

Nota : Alludit Siracides ad illud Salomonis *Proverb.* cap. VIII, vers. 22 : « Dominus possedit me in initio viarum suarum; » ubi pro *in initio* Hebr. est רשית *rescit,* quod Noster accipit pro ברשית *berescit,* id est, *in principio.* Septuaginta autem nude acceperunt *rescit,* pro *principio;* unde verterunt, *dominus creavit me initium vel principium viarum suarum in opera sua.* Quare verisimile est Siracidem Seniorem, qui Hebraice hunc librum conscripsit, Salomonem imitatum, in Hebræo hoc loco scripsisse *rescit,* id est *principium;* Siracidem vero Juniorem, qui Seniorem in Græcum transtulit *rescit* accepisse pro *berescit,* id est *ab initio,* a principio, uti accepit Noster *Proverb.* VIII. Quare, si cum Septuaginta *rescit* nude accipias pro ἀρχή, id est principio, hoc quoque loco cum eis vertas, *principium creata sum;* idque *primo, q. d.* Dominus fecit me principium operum suorum, ut ego Sapientia essem prima, primoque concepta ante omnia Dei opera; *secundo, q. d.* Deus fecit, ut essem principium et causa omnium operum ipsius : quia per me, quasi ideam, omnia architectatus est; *tertio,* ἀρχὴ non tantum principium, sed et principatum significat; unde illud *Psalm.* 109 : « Tecum principium, » id est, principatus (Græce enim est ἀρχή, Hebr. נדבות *nedabot,* id est, principatus) « in die virtutis tuæ : » sic sensus erit, *q. d.* Ego Sapientia creata sum ut essem principatus Dei, facta sum princeps omnium operum Dei; *quarto,* ἀρχή significat primas et primitias, *q. d.* Ego Sapientia creata sum ἀρχὴ, id est, ut primitiæ operum Dei, ut primas inter opera Dei tenerem, juxta illud cap. I, 4 : « Prior omnium creata est Sapientia. »

Sapientiæ est principium quadrupliciter.

Mystice, hæc omnia facile adaptes B. Virgini, uti fusius ostendam *Prov.* VIII, 22; interim vide ibidem nostrum Salazar erudite et pie hæc pertractantem. Nam B. Virgo ab æterno prædestinata fuit, ut esset principium operum Dei, puta omnium purarum creaturarum. *Secundo,* ut esset idea sanctitatis, juxta quam sanctos Angelos, Apostolos, Martyres, Virgines, Confessores, Religiosos efformaret. Cum ergo Deus B. Virginem mente concepit et prædestinavit, hos omnes, adeoque fideles omnes prædestinavit. *Tertio,* principatum gratiæ et gloriæ ei decrevit, principatum sanctitatis, æque ac dominii addixit : destinavit enim eam, ut esset omnium creaturarum princeps, regina et domina. *Quarto,* Deus eam fecit primitias operum suorum. Solebant Deo offerri primitiæ frugum, ut per eas cæteræ fruges censerentur Deo oblatæ et sanctificatæ; ita mundus obtulit Deo B. Virginem, quasi primitias naturæ humanæ, per quam omnes homines, totaque natura censeretur ei oblata, purificata et sanctificata.

Sic et B. Virgo.

Quocirca pulchre Rupertus in cap. II *Cantic.,* B. Virginem ita de se loquentem inducit : « Priusquam nascerer, Deo præsens aderam; antequam fierem, bene illi cognita fueram. Elegit me ante mundi constitutionem, ut essem sancta et immaculata in conspectu ejus in charitate. Et si deliciæ ejus esse cum filiis hominum, quanto magis deliciabatur cum ista ancilla Domini, miraculo cunctorum filiorum hominum? » Hæc Rupertus. Qua de causa Damascenus, serm. 1 *De Nativitate B. Virg.,* eam vocat « miraculorum abyssum, miraculorum officinam. »

Anagogice, hæc adapta hæreditati Jerusalem cœlestis, in qua quasi regina regnat et triumphat B. Virgo. Unde hæc ei adaptat Ecclesia in festo Assumptionis ejusdem.

ET USQUE AD FUTURUM SÆCULUM NON DESINAM, — *q. d.* Sicut æterna sum a parte anteriori, ita et a parte posteriori, quia, *usque ad sæcula,* ut habent Græca, id est per omnia futura sæcula, in æternum persistam. Ita Lyranus. Syrus, *ante sæcula creata sum, et in sæcula sæculorum non desinet memoria mea.*

ET IN HABITATIONE SANCTA CORAM IPSO MINISTRAVI, — *q. d.* In tabernaculo et templo Judaico in quo habitavi, sacra ministeria per meos ministros levitas et sacerdotes obivi, Deoque vera sacrificia obtuli : hoc enim significat Græcum ἐλειτούργησα : unde Græca et Syrus sic clare habent, *in tabernaculo sancto coram ipso sacrum ministerium obivi.* Hinc Sapientia vocatur μύστις, id est sacerdos et mystes, qui arcana Dei servat, eique sanctas sacrificat victimas, uti superius dixi.

Sapientia est sacerdos Dei.

Mystice, B. Virgo ministravit Deo in templo, cum in eo fuit præsentata triennis, imo ultro præsentavit seipsam. Unde Ecclesia hæc pro Epi-

stola legit in festo Præsentationis ejusdem. Ipsa enim ab anno ætatis tertio usque ad 14, quo fuit desponsata Joseph, et, nuntiante Angelo, concepit Christum, continuo Deo ministravit in templo, vacans perpetuis orationibus, meditationibus, piis lectionibus, concionibus, ac operi manuali ad ministeria templi, ut se aptaret et disponeret ad conceptionem Verbi. Vide nostrum Canisium in *Mariali* et Christophorum a Castro *De Vita Deiparæ*.

Vers. 15. 15. ET SIC IN SION FIRMATA SUM, ET IN CIVITATE SANCTIFICATA SIMILITER REQUIEVI, ET IN JERUSALEM POTESTAS MEA, — *q. d.* Ego Sapientia per meum tabernaculum et templum, quod in monte Sion per Davidem et Salomonem ædificavi, firmiterque collocavi, cum prius per mobile tabernaculum moverer et vagarer per varias Judææ urbes, in Sion firmata firmiterque locata sum. Unde in civitate per templum cultumque meum sanctificata, puta in Sion et Jerusalem firmiter requievi : in arca enim et propitiatorio templi residere et requiescere dicebatur Deus, præsertim quia ex eo loquebatur dabatque oracula. Unde non tantum dignitatem Ecclesiasticam, sed et sæcularem regiamque potestatem in eadem collocavi : David enim regium thronum fixit in Sion et Jerusalem, eumque secuti sunt omnes ejus posteri. Unde Græca, Romæ emendata, habent, *in Sion firmata sum, in civitate dilecta* (legunt ἠγαπημένη, id est *dilecta*, cum Complutenses et Noster legant ἡγιασμένη id est *sanctificata*) *similiter quiescere me fecit, et in Jerusalem potestas mea*; Tigurina, *et in Sion confirmata sum; tum etiam in chara civitate quietem mihi dedit, et Hierosolymis adepta sum potestatem;* Syrus, *et rursus in Sion steti, in civitate quæ est dilecta illi, sicut ego requievi, et in Jerusalem imperium meum fuit,* puta regia sedes regumque thronus.

Mystice, hæc omnia adaptes B. Virgini. Illi ergo verius acclames id, quod Israelitæ acclamarunt victrici Judith ob cæsum Holofernem : «Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri,» *Judith*, XV, 10.

Vers. 16. 16. ET RADICAVI IN POPULO HONORIFICATO, ET IN PARTE (ita Romana et Græca : male ergo aliqui legunt *partes*) DEI MEI HÆREDITAS ILLIUS, ET IN PLENITUDINE SANCTORUM DETENTIO MEA. — Quod dixit de loco, nunc dicit de populo, *q. d.* Sicut in Sion habito, et radicata sum, sic pariter in Sionidis, id est inter Israelitas, habito et radicata sum : hi enim soli cognoscunt coluntque verum Deum. Quare hi soli sunt populus honorificatus, et pars Dei ac hæreditas illius, sive, ut Græca habent, *pars Domini hæreditatis illius*, id est, pars hæreditaria et hæreditas Domini, puta peculium et sors Domini. Quare τὸ *illius*, non tam refert populum honorificatum, ut vult Palacius, *q. d.* Pars Dei est hæreditas populi honorificati; quam Deum, *q. d.* Pars Dei mei, in qua radicavi, est hæreditas illius, scilicet Dei. Hos denique vocat *plenitudinem Sanctorum*, id est plenum totumque fidelium et Sanctorum cœtum, sive Ecclesiam. «Radicavi» ergo in Israele quasi «in populo honorificato,» et quasi «in parte» et sorte «Dei mei,» quæ pars et sors est «hæreditas illius,» scilicet Dei. Denique, in pleno Sanctorum hujus populi cœtu est «detentio» et habitatio «mea.» Unde Tigurina clare vertit, *in illustri populo sum radicata, et in ea quæ Domino cesserit possessione;* Syrus, *educata fui in populo honorificato, in parte Domini, et in medio hæreditatis Israel.* Vox enim *radicavi*, significat educationem et enutritionem; unde «radix in plantis similis est ori in animalibus,» ait Aristoteles, lib. II *De Anima* : quia sicut hæc ore sumunt cibum, ita plantæ per radicem sugunt succum ad alimentum.

Quare symbolice, τὸ *radicavi in populo honorificato*, denotat Sapientiæ genitæ, puta Christi Domini incarnationem, conversationem, passionem, qua totum populum fidelem insolubili amoris debito sibi obstrinxit. De quo pulchre S. Bernardus, serm. *De Quadruplici debito* : «Christo Jesu, ait, debes omnem vitam tuam, quia ipse vitam suam posuit pro vita tua, et cruciatus amaros sustinuit, ne et tu perpetuos sustineres. Quid tibi dirum vel durum esse poterit, cum recordatus fueris quia ille in forma Dei in die æternitatis suæ, in splendoribus sanctorum ante Luciferum genitus, splendor et figura substantiæ Dei, venit ad carcerem tuum, ad limum tuum, infixus (ut dicitur) usque ad cubitos in limo profundi? Quid non suave tibi, cum tibi collegeris omnes amaritudines Domini tui, et rememoraveris primum quidem infantilium necessitatum, deinde laborum quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, tentationum in jejunando, insidiarum in colloquendo; postremo periculorum in falsis fratribus, conviciorum, sputorum, colaphorum, flagellorum, irrisionum, subsannationum, exprobrationum, clavorum horumque similium, quæ, in salutem nostri generis, triginta et tribus annis operatus et passus est in medio terræ? O quam indebita miseratio, quam gratuita et sic probata dilectio, quam inopinata dignatio, quam stupenda dulcedo, quam invicta mansuetudo, regem gloriæ pro despicatissimo vernaculo, imo vermiculo crucifigi! Quis audivit unquam tale, aut quis vidit huic simile?» Et mox : «Cum ergo ei donavero quidquid sum, quidquid possum, nonne istud sic est sicut stella ad solem, gutta ad fluvium, lapis ad montem, granum ad acervum? Non habeo nisi minuta duo, imo minutissima, corpus et animam; vel potius unum minutum, voluntatem meam; et non dabo illam ad voluntatem illius, qui tantus tantillum tantis beneficiis prævenit, qui toto se totum me comparavit? Alioqui si illam retinuero, qua fronte, quibus oculis, qua mente, qua conscientia vado ad viscera misericordiæ Dei nostri; et audeo perfodere illud fortissimum propugnaculum quod [illegible]dit Israel, et illius sanguinis non guttas, sed

Christus homo amore homines sibi obstrinxit.

undas a quinque partibus corporis in meum pretium detorquere? »

Allegorice, Sapientia et Christus constanter et perenniter habitant, et habitabunt in æternum, in Ecclesia Christiana, et cœtu Christianorum. Hi enim magis quam Judæi, sunt *Sion*, id est, specula : quia speculantur Deum hic per fidem, in cœlo speculaturi per gloriam; et *Jerusalem*, id est visio pacis, quia pace præsenti et æterna fruentur et fruuntur. Hi quoque sunt populus honorificatus, pars et sors Dei, ac plenitudo plenaque congregatio Sanctorum. Ita Rabanus : « In populo honorificato, inquit, id est in populo Christiano, qui nominis ejus insigni præconio meruit honorari (ut a Christo dicatur Christianus), qui pars ejus et hæreditas dicitur, quia ad sortem ejus, inter omnes nationes mundi, ipse solus pertinet : et in plenitudine Sanctorum detentio ejus, quoniam illi membra sunt corporis ejus : ipse fit omnia in omnibus. » Christianum enim populum honoravit Christus, dum propter eum homo cæteris similis fieri, pro eoque mortem et crucem pati, eumque seipso in Eucharistia pascere dignatus est, ut eum ad cœlum sublimaret, imo ad nobiles Martyrum, Virginum, Doctorum, etc., palmas et coronas eveheret. Unde Palacius legens : « In partes Dei mei hæreditas illius, » sic explicat, *q. d.* Ego radices amoris egi in populo honorificato, amat enim ille me. Nec frustra tamen : nam ideo in partibus et divitiis Dei hæreditatem habet populus ille qui me amat. Vel clarius : hæreditas populi illius honorati est in partibus et hæreditate Dei. O populum honoratum et fortunatum!

B. Virgo est in plenitudine Sanctorum. Primo.

Mystice, B. Virgo recte de se dicit : « In plenitudine Sanctorum detentio mea. » *Primo*, quia, ut ait S. Bernardus in hæc ipsa Ecclesiatici verba : « Merito in plenitudine Sanctorum detentio ejus, cui nec fides defuit Patriarcharum, nec spiritus Prophetarum, nec zelus Apostolorum, nec constantia Martyrum, nec sobrietas Confessorum, nec castitas Virginum, nec fecunditas conjugatorum, nec puritas Angelorum, *q. d.* Omnes dotes et gratias omnium et singulorum Sanctorum in se quasi in mari collectas, a Deo infusas accepit B. Virgo. Unde passim docent Theologi : « Quidquid alicui Sanctorum a Deo fuit indultum, id B. Virgini, utpote matri Dei, non fuisse negatum, imo plenius quam ulli concessum : » cæteris enim per partes, Mariæ autem se totam infudit gratiæ plenitudo, teste Sophronio, serm. *De Assumpt.*, et Chrysologo *serm.* 143, juxta illud *Proverb.* cap. XXXI : « Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas. » Unde S. Bernardus, *serm.* 174 : « Quod itaque, inquit, vel paucis mortalium constat fuisse collatum, fas certe non est suspicari tantæ Virgini esse negatum, per quam mortalitas emersit ad vitam, » Et S. Thomas, III p., *Quæst.* XXVII, art. 5 in corp. « Beata, inquit, virgo Maria propinquissima Christo fuit secundum humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam; et ideo præ cæteris majorem debuit a Christo gratiæ plenitudinem obtinere. » Et *Quæst.* VII, art. 10, ad 1, explicat plenitudinem gratiæ Virginis fuisse, quia, scilicet, habebat gratiam sufficientem ad illum statum ad quem erat elevata a Deo, ut esset mater Unigeniti ejus. Quare S. Cyprianus, serm. *De Nativit. Christi* : « Ut matri, inquit, plenitudo gratiæ; ut virgini, abundantior gratia, debebatur. » Et S. Epiphanius, serm. *De Laud. Deiparæ* : « Quomodo, inquit, Virgo invenitur esse cœlestis sponsa et mater, quæ donorum antenuptialium nomine, Spiritum Sanctum accepit; dotis vero gratia, cœlum una cum Paradiso. » Quocirca S. Ephrem, orat. *De B. Virgine*, eam nuncupat reginam omnium; » et iterum, « dominam, principem atque reginam præstantissimam, et perquam benedictam, dominarum dominam purissimam; » et mox, « reginam ac dominam cunctis sublimiorem. » Sic et « reginam supernorum civium, et dominam Angelorum, » eam appellat S. Athanasius, serm. *De B. Virgine* : « Quia ipse Christus, inquit, Rex est et dominus, mater quæ eum genuit, et regina domina vere censeretur. »

Secund

Secundo, quia B. Virgo, sicut habuit plenitudinem gratiæ, ita habuit et plenitudinem gloriæ omnium Sanctorum. Ita S. Bernardinus, tom. III, *serm.* 11, art. 2 : « In hac Assumptione Virginis impletum est, inquit, quod II *Reg.* VI, de David dictum est, quod deduxit arcam Domini, et erant cum David septem chori, scilicet beatorum Spirituum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, qui jam transierunt, Martyrum, Confessorum atque Virginum, ut impleatur in Virgine quod *Eccli.* XXIV, scriptum est : In plenitudine Sanctorum detentio mea. » Et mox hanc Virginis gloriam figuratam vult III *Reg.* II, cum Salomon matris thronum ad dextram suam collocavit : « Ubi contemplare, inquit, altissimam matris sublimationem, et immediatissimam conjunctionem, quia positus est thronus matri, et sedit ad dexteram filii. »

Tertio, quia, ut ait S. Bonaventura in *Speculo B. Virg.* cap. VII : « B. Virgo non solum in plenitudine Sanctorum detinetur, sed etiam in plenitudine Sanctos detinet, ne eorum plenitudo minuatur : detinet nimirum virtutes, ne fugiant; detinet merita, ne pereant; detinet dæmones, ne noceant; detinet filium, ne peccatores percutiat. Ante Mariam non fuit qui sic detinere Dominum auderet, teste Isaia cap. LXIV, 7, qui dixit : Non est qui invocet nomen tuum, et teneat te. » Et infra, ad hoc idem propositum citat S. Anselmum. « Et ideo, inquit, bene sic ait Anselmus : Tibi solum loquor, domina, beneficiis tuis plenum esse mundum, inferna penetrarunt, cœlos superarunt; per plenitudinem enim gratiæ tuæ, quæ in inferno erant, se lætantur liberata; et quæ supra mundum sunt, se gaudent restaurata. »

Quocirca in mystico hoc S. Ecclesiæ corpore,

cujus caput est Christus, ipsa collum, quod cæteris membris eminet, et per quod omnis a capite virtus derivatur in membra, appellatur : ut jure optimo *Apocal.* XII, quemadmodum ait S. Bernardus, sub ejus tanquam mediatricis pedibus luna, quæ nonnunquam, propter susceptum a sole splendorem, Ecclesiam hujus temporis a Christo, sole justitiæ, suis radiis illustratam significat, constituta legatur. Quod idem animadvertit S. Antoninus, IV part. tit. V, cap. XX, § 2, ubi de Virgine explicat illud *Eccli.* XXIV : « In Jerusalem potestas mea, » hoc est, in Ecclesia : « Quoniam Ecclesia, inquit, jure sub pedibus est Virginis, quia non tantum sub ejus patrocinio, verum etiam sub ejus est dominatione ac potestate. Ergo, cum sit pars secundum Christum omnium nobilissima, per quam Deus suam providentiam, et in homines misericordiam peculiari ratione exercet, præcipue commemoranda videbatur. »

B. Virgo sanctitatis omnis thesaurus.

Quare Petrus Damianus, serm. *De Assumpt.*, Sanctam Sanctarum illam vocat; et Andreas Cretensis, *De Dorm. Virg.* « O Sancta, inquit, et Sanctis sanctior, et omnis sanctitatis sanctissime thesaure. » Damascenus, orat. 2 *De Dorm.* : « Cernere, inquit, mihi videor hanc Sanctis sanctiorem, et sacris sacratiorem, piisque pietate præstantiorem, » etc. S. Bernardus, serm. *De Aquæductu*, ut probet magnam vim et efficacitatem precum Virginis, citat illud : « Oratio justi penetrat cœlos; » et subdit : « Et quis justus, si non Maria justa, de qua Sol justitiæ ortus est nobis? » S. Bernardinus, tom. III, *serm.* 11, art. 3, cap. I : « Sicut, inquit, filius Mariæ est Sanctus Sanctorum ; ita constat quod mater, quæ ipsum portavit, est Sancta Sanctarum, in qua erat ille pretiosus thesaurus, tabernaculum Dei, thronus Dei atque thalamus Dei. Ubi ergo est summa plenitudo sanctitatis humanæ et angelicæ, ibi semper Virgo Dei mater prima suæ sanctitatis jecit fundamenta, ibi dedit gradum, et plantam fixit virgineam. » Denique noster Sebastianus Barradius in *Cant. Mosis*, lib. III, sect. 8, annot. 16, num. 243 : « B. Virginis laus, inquit, plenitudinem, in qua gradum figat, non habet, nisi dicamus, ultra Sanctorum omnium merita concessam illi fuisse ab originali peccato immunitatem. In hac assertione sita est Sanctorum plenitudo, in qua detinetur : In plenitudine Sanctorum detentio mea. »

QUARTA PARS CAPITIS,

QUA SAPIENTIA SE COMPARAT CEDRO, ALIISQUE ARBORIBUS.

Nota : Sapientia hucusque se dilaudavit a dotibus intrinsecis, nunc se dilaudat ab extrinsecis analogiis et comparationibus. Ut enim sui pulchritudinem, præstantiam, utilitatem ostendat, comparat se arboribus, aromatibus, fluminibus quæ cæteris antecellunt; iisque sacris, ut significet se sacram esse, adeoque esse ipsam sanctitatem increatam, quæ homines ad sanctitatem creatam erudit, dirigit et deducit. Quocirca Isidorus, lib. IV, *epist.* 228 : « Salomon, ait, Sapientiam quasi personam repræsentans, cum non inveniret quo pacto per unum aliquod exemplum, aut unam plantam, ipsius pulchritudinem, sublimitatem et suavitatem exhiberet, vagatus per omnia gignentia, et ab unoquoque colligens id quod maxime conveniens et decorum erat, ad eam repræsentandam, ita eam hominibus adumbravit, ut ab hac quidem planta pulchritudinem, ab alia sublimitatem, ab alia odoris suavitatem ac fragrantiam mutuatus, occasionem præberet aliquid cogitandi quod Sapientia dignum est. »

Igitur *primo*, primis versibus comparat se quatuor arboribus præstantibus æque ac sacris, puta cedro, cupresso, palmæ et oleæ. Sacris dico, quia ex his fabricatum est templum, ejusque vasa, ut patet III *Reg.* V, 6; *Cant.* I, 16; III *Reg.* VI, 18, 29, 32. Unde et ex his compacta dicitur crux Christi, ut inferius ostendam, quam proinde hic ænigmatice adumbrat Siracides.

Secundo, vers. 21, comparat Sapientia seipsam quatuor aromatibus sacris, puta galbano, myrrhæ, stactæ et thuri, ex quibus fiebat thymiama sacrum, quod quotidie tam mane quam vespere adolebatur Deo in altari thymiamatis, quodque repræsentabat ardorem devotionis et charitatis, quo se Christus Deo in cruce obtulit, quasi incensum et thymiama in odorem suavitatis.

Tertio, vers. 35, comparat se quatuor fluminibus quasi sacris, puta Euphrati, Tigri, Phison et Geon; sacris dico, tum quia hi quatuor fluvii sunt vicini Terræ Sanctæ, puta Palæstinæ, ejusque sunt limites et termini; unde et crebro nominantur in sacra Scriptura; tum quia hi erant quatuor fluvii Paradisi, qui erat locus innocentiæ et sanctitatis, in quo scilicet vixit Adam quamdiu mansit sanctus; sed dum peccavit, illico eo expulsus est : quia hic locus a Deo destinatus erat innocentiæ, innocentibus et sanctis; erat enim ipse symbolum et inchoatio Paradisi et felicitatis cœlestis. Sapientia ergo hoc versu et sequentibus, ut sui elegantiam dotesque et virtutes miras declaret, doceatque se perfectissime habere omnes perfectiones rerum perfectissimarum, comparat se arboribus pulcherrimis, præstantissimis et pretiosissimis, quæ in Israele, puta in Judæa, a præsertim in monte Libano Judææ vicino, eminebant. Nam, ut ait S. Hieronymus in cap. XIV *Osee* : « Arbores Libani quantum in auras consur-

gunt vertice, tantum radicem in ima demergunt; ut nulla tempestate quatiantur, sed stabili mole consistant. Harum arborum rami huc illucque tenduntur, ut veniant volatilia cœli, et habitent in eis. Crebræ hic crescunt cedri enodes et imputribiles, miraque proceritate (quibus idcirco in sacra Scriptura superbi comparantur) sublimes. Rectæ quoque et electæ abietes, odoriferæ cupressi seu cyparissi, pingues olivæ, pini, buxi, diversæque arbores thuriferæ; quarum gummi electum olibanum a medicis nuncupatur. »

Quia igitur arbores Judææ et Libani cæteris præstant, hinc iis se comparat Sapientia, ac præsertim cedro, cupresso, palmæ, platano, oleæ et rosæ, quæ ibidem excellunt et eminent. Cedro convenit immortalitas, inquit Palacius, cupresso rectitudo, palmæ victoria, platano jucunditas umbræ, olivæ pretium olei, rosæ odoris gratia. Hæc igitur universa sibi adscripsit Sapientia, scilicet quod, cum sit rerum omnium celsissima, sibi convenit melior immortalitas quam cedro, melior rectitudo quam cupresso, melior vincendi potestas quam palmæ, melior umbra (id est protectio, favor et auxilium) quam platano, odor jucundior quam rosæ, majus misericordiæ suæ pretium quam olivæ. Et quia Christus quod habet dat, ideo immortalitatem dat suis, rectitudinem justis, victoriam pugnantibus, afflictis sole tentationum, umbram suæ protectionis, devotis æternitatis odorem (nam dictum est : « In odorem unguentorum tuorum curremus »); demum omnibus suæ misericordiæ oleum largitur; ideo enim christus, id est unctus, dicitur, scilicet oleo exsultationis præ consortibus suis.

Vers. 17. 17. QUASI CEDRUS EXALTATA SUM IN LIBANO. — Tigurina, *instar cedri in Libano excrevi;* Syrus, *nutrita fui.* Itaque hi, τὸ *in Libano,* referunt ad τὸ *quasi cedrus* : potest et referri ad τὸ *exaltata sum, q. d.* Ego Sapientia exaltata sum in Libano, id est in Jerusalem et templo, quod constructum erat e lignis Libani (ideoque vocatur Libanus, *Ezech.* XVII, 3) sicut cedrus exaltatur inter arbores Libani. Ante omnia Sapientia comparat se cedro, quia cedrus inter arbores eminet : *primo* altitudine, quæ tanta est, ut Plinius, lib. XVI, cap. XL, dicat : « In Cypro traditur ad undeciremem Demetrii succisa (cedrus) centum triginta pedum, crassitudinis vero ad trium hominum complexum. » Adde, cedrus amat montes; pari modo altissima est Sapientia, quia ad cœlos et Deum pertingit; docet enim cœlestem et divinam doctrinam, quæ homines faciat Angelos et deos quosquam terrestres, imo eos ad cœlum evehat, ibique faciat reges et hæredes regni Dei. Porro ita exaltata est in Libano, id est in Judæa, et Ecclesia populoque Dei : hic enim est Libanus, id est albus puritate, et odoratus sanctitate famaque virtutum.

Sapientia similis cedro. Primo.

Secundo. *Secundo,* rectitudine : cedrus enim enodis et rectissima est. Rectissima pariter est Sapientia; quia nihil dat favori, gratiæ, timori, respectui humano; sed rectissime ad æternam veritatem, legem, voluntatem Dei, quæ omnis rectitudinis est forma, se adaptat et conformat.

Tertio. *Tertio,* soliditate; cedrus enim solidissima est et quasi ossea; sic et Sapientia solida est, quia docet sequi rationes stabiles et æternas, non temporales et caducas. Insuper, cedrus folia non abjicit, sed perpetua coma viret, medulla rubet et odorata est; ita viret jugiter, et suavissime fragrat sapientia; corque sapientis et sancti, quia sanguine Christi respersum, rubet et ardet.

Quarto. *Quarto,* incorruptione; cedrus enim cariem, tineam et vetustatem non sentit; imo res aliæ, perunctæ oleo cedrino, cariem aut tineam non sentiunt, ait Plinius. Idem, lib. XXIV, cap. V : « Defuncta, ait, corpora incorrupta ævis servat, viventia corrumpit : mira differentia, cum vitam auferat spirantibus, defunctis pro vita sit. »

Quinto. *Quinto,* duratione; cedrus enim diutissime durat; unde æterna indigitatur : hinc et digna cedro vocantur, quæ æternitatem merentur. Audi Plinium, lib. XIII, cap. V : « Materiæ ipsi æternitas. Itaque et simulacra deorum ex ea factitaverunt. Cedrinus est Romæ in delubro Apollo Sosianus. » Et lib. XVI, cap. XL : « Memorabile, ait, est Uticæ templum Apollinis, ubi Numidicarum cedrorum trabes durant a prima urbis ejus origine, annis 1188. » Additque tectum templi Dianæ Ephesiæ fuisse e trabibus cedrinis. Porro Salomon non tantum suum palatium, sed et templum, quod fuit orbis miraculum, ædificavit ex lignis cedrinis, III *Regum,* cap. VII, 2, et seq., et cap. IX, 11. Æterna pariter est Sapientia, suique studiosos æternat, imo donat gloria et regno æterno.

Sexto. *Sexto,* fructu. « Fructum ferunt (cedri, ait Plinius, lib. XIII, cap. V) myrti magnitudine, dulci sapore. Et majoris cedri duo genera : quæ floret, fructum non fert; fructifera non floret, et in ea antecedentem fructum occupat novus. » Vidi Romæ fructum cedri : nux erat ingens instar nucis pineæ. Fructus pariter sapientiæ et disciplinæ, licet initio amarus et asper videatur, mox tamen dulcescit, ac tandem dulcissimus evadit : « Omnis disciplina, ait Apostolus *Hebr.* XII, 11, in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris : postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ. »

Septimo. *Septimo,* odore; odorata enim est cedrus, ideoque incorrupta et æterna. Hinc cedrus suo odore fugat et occidit serpentes, eaque de causa in domibus et villis accendi solebat : ita Rabanus, qui id probat ex illo Virgilii, III *Georg.* :

> **Disce et odoratam stabulis accendere cedrum,**
> **Galbaneoque agitare graves nidore chelydros.**

Ubi Servius : « Chelydri, inquit, sunt serpentes, ita dicti, quasi chersydri, quia in aquis et terris morantur. Nam χέρσον dicimus terram, ὕδωρ autem aquam. » Sic et Plinius, lib. XXIV, cap. V : « Cedri

scobe serpentes fugari, inquit, certum est : item baccis tritis cum oleo, si qui perungantur. » Hinc quoque libros perungebant oleo cedrino, quos proinde cedratos vocat Plinius, qui a tineis illæsi integrique durabant per multa sæcula. Tales fuisse libros Pythagoricos, qui defossi in terra, post 535 annos, integri reperti sunt, eo quod cedrati essent, tradit Plinius, lib. XIII, cap. XIII. Odorata pariter est sapientia : odor sapientiæ est fama et celebritas, juxta illud Pauli : « Christi bonus odor sumus, » II *Cor.* II, 16. Ita Rabanus.

Octavo, medicina et vi medicandi; cedrus enim resinam habet laudatissimam, quæ variis morborum generibus medetur. « Cedrus magnam, ait Plinius, lib. XXIV, cap. V, dat picem, quæ cedria vocatur, dentium doloribus utilissimam. » Et inferius : « Cedrides, hoc est fructus cedri, tussim sanant, urinam cient, alvum sistunt, utiles ruptis, convulsis, spasticis, stranguriæ, vulvis admoti. » Pari modo sapientia omnibus animi ægritudinibus medetur, easque vel sanat vel lenit.

Sancti Doctores sunt cedri ob octo analogias.

Tropologice et mystice, Sapientia omnes has suas dotes sapientibus sui studiosis, puta beatæ Virgini, et Sanctis, præsertim doctoribus, communicat. Hos enim facit *primo,* altos et excelsos, ut cum Paulo dicant : « Nostra conversatio in cœlis est, » *Philipp.* III, 20; *secundo,* justos et rectos, ut a linea justitiæ et honestatis, nullius metu aut gratia, vel ad punctum deflectant; *tertio* solidos, ut nulla adversitate frangantur; *quarto,* incorruptos, ut nulla voluptate, adulatione, blanditiis enerventur; *quinto,* æternos, et « æternitatis satores, incorruptionem omnibus, quibus eorum sermo aspersus fuerit, conferentes, qui verbum vitæ in æternitatis cibum alendæ Christi familiæ dispensant, » ait S. Hilarius canon. 27 *in Matth.*; *sexto,* dulces in sermone et consolatione, juxta illud cap. XX, vers. 13 : « Sapiens in verbis seipsum amabilem facit; » *septimo,* odoratos, ob virtutis et sapientiæ famam; *octavo,* medicos, quia erroribus, passionibus et vitiis hominum medentur, tartareos serpentes expellunt, et a peccati putredine se invocantes tuentur. Audi Rabanum : « Sapientiæ doctores, inquit, virtute verbi cœlestis, solent venenata hæreticorum dogmata repellere, eosque a simplicium seductione fugare. Hoc quoque, quod ejus resina, quæ cedria dicitur, in conservandis libris adeo est utilis, ut perliniti ex ea, nec tineas patiantur, nec tempore consenescant : quis non videat quantum eisdem prædicatoribus sanctis conveniat : quorum sensu spiritali Scriptura sancta confecta est, quæ nulla hæreticorum astutia corrumpi, nulla potest sæculi labentis ætate consumi : adeo ut donec transeat cœlum et terra, iota unum aut unus apex non prætereat a lege, donec omnia fiant : quod cum dixerit Dominus de lege, quanto magis de Evangelio intelligendum relinquit ? »

Ita S. Ildephonsus, serm. *De Assumptione,* loquens de Deipara : « Hæc est, inquit, quæ, ut cedrus Libani, quotidie in terris multiplicabitur, dilatabiturque ramis, et in cœlo radicibus, ut crescat amplius, solidatur. »

ET QUASI CYPRESSUS IN MONTE SION. — Græca, *in monte Hermon.* « Sion » ergo est Hermon. Duplex enim fuit mons Sion : unus in Jerusalem; hic scribitur Hebraice in initio per litteram *tsade;* alter, qui alio nomine dictus est Hermon; hic scribitur per *schin;* id patet *Deuter.* IV, 48 : « Usque ad montem Sion, inquit, qui est Hermon; » et *Psalm.* CXXXII : « Sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion, » quasi Sion fuerit pars inferior Hermonis; et *Deuter.* cap. III, vers. 8 : « Usque ad montem Hermon, quem Sidonii Sarion vocant, et Amorrhæi Sanir. » Unde Syrus hoc loco vertit, *et sicut arbor olei in Sanir monte nivis.* Audi Adrichomium in *Theatro Terræ sanctæ,* p. 89 : « Hermon mons qui ab Hebræis Chermon, a S. Hieronymo Aermon, ab Amorrhæis Sanir et Sinir, a Sidoniis Sarion et Sirion, a Phœnicibus Sanior, in Deuteronomio etiam Sion, alias Seon vocatur, Straboni Irachon, aliis Irachonus, Ptolemæo Alsadamus appellari videtur, situs est ultra Jordanem e regione civitatis Paneadis, etc. Mons iste excelsæ altitudinis est, ideoque perpetuo in eo inveniuntur nives, quas S. Hieronymus in *Locis Hebr.* in Aermon suo ævo Tyrum ob delicias deferri solitas scribit, ut nempe æstatis tempore æstiva pocula temperarent. »

Sapientia hic comparat se cupresso, qui et cypressus et cyparissus dicitur : *primo,* pulchritudine; cupressus enim est arbor pulcherrime comata; ejus enim coma rotunda in conum altissime assurgit; unde vocatur conifera. Qua de causa Romæ, et per totam Italiam, cypressi sunt decus et pulchritudo hortorum et vinearum. Ita pulcherrima est Sapientia, et altissime sublimata in Sion, id est in Ecclesia et populo Dei, quæ conum, id est aciem et intentionem mentis, in altum, id est in cœlum ad Deum, dirigit. Rursum, cupressus pro foliis frondes habet capillatas, æque ac pinus, easque densas, et in modum comæ in conum assurgentes, quæ magnam ei elegantiam conciliant; ita Sapientia non latis verborum foliis quasi phylacteriis luxuriat, sed stricta et quasi capillata rerum copia auditorem instruit, ac in omnibus sapientem efficit.

Sapientia similis cypresso. Primo.

Secundo, utilitate; nam ex cupresso fiebant perticæ et asseres pretiosi, de quibus Plinius, lib. XVI, cap. XXXIII : « Utraque (cupressus scilicet, mas et femina) immittitur in perticas asseresve amputatione ramorum, qui decimo tertio anno denariis singulis veneunt. Quæstuosissima in satus ratione sylva; vulgoque dotem filiarum antiqui plantaria appellabant. » Pari modo quid utilius, quid quæstuosius sapientia ? Vide ejus opes et lucra descripta *Sap.* VII, vers. 8 et seq.; *Prov.* VIII, 15; *Job.* XXVIII, vers. 15 et seq. Secundo.

Tertio, duratione; nam cupressus semper viret, Tertio.

nec temere rimam aperit, ullave parte fatiscit. Unde Plinius, lib. XVI, cap. XL : « Cariem, ait, vetustatemque non sentiunt cupressus, cedrus, ebenus, lotos, buxus, taxus, juniperus, oleaster et olea. » Et inferius, agens de templo Dianæ Ephesiæ : « Valvæ, inquit, e cupresso, quoniam præter cætera uno in genere materiæ nitor maxime valeat æternus. Nonne simulacrum Jovis in arce e cupresso durat a condita urbe 551 anno dicatum? » perducentos scilicet annos; tot enim fluxerunt ab anno 551 conditæ Urbis usque ad ætatem Plinii. Pari modo Sapientiæ nitor, gratia et decus perennat, imo in Sanctis per dies singulos magnis virtutum et heroicorum facinorum incrementis, quasi novis ornamentis accrescit.

Quarto. *Quarto,* vi medica. Plinius, lib. XXIV, cap. V : « Cupressi, ait, folia trita serpentium ictibus imponuntur, et capiti, cum polenta, si a sole doleat; item ramici, qua de causa et bibuntur. Eadem trita, etc., pedum ac nervorum dolores sedant. Pilulæ adversus serpentium ictus bibuntur. » Sic sapientia omnibus animæ corporisque morbis medetur.

Quinto. *Quinto,* cupressus succisa non recrescit. Quocirca priscis erat symbolum mortis et funeris, indeque vocatur feralis; unde Horatius ait arborem nullam sequi homines ad inferos nisi cupressum. Hinc Gentiles eam Diti deo inferorum dicarunt. Quocirca Suetonius in *Vespasiano,* cap. V, hoc ei omen præsagum imperii obtigisse narrat : « Arbor, inquit, cupressus in agro avito sine ulla vi tempestatis evulsa radicitus atque prostrata, insequenti die viridior ac firmior resurrexit. » « Hoc enim, inquit Tacitus, præsagium fuit grande prosperumque assensu aruspicum, et summa claritas juveni admodum Vespasiano promissa. » Ex adverso Severus Imperator, teste Pierio, *Hieroglyph.* 52, cap. V, mortis indicium accepit, cum Æthiops quidam cum corona e cupresso facta illi obviam factus, edixit : « Totum fuisti, totum vicisti : jam Deus esto victor. » Paucis vero post diebus Severus vita functus est. Ita Sapientia docet hominem memorem esse mortis, ac post mortem non esse reditum ad vitam, sed transitum in æternitatem. Quare illud assidue singulis inclamat : « Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis, » *Eccli.* VII, 40, quo fit ut sapientes et Sancti ex hac mortalitatis palæstra sine laurea abeant, sed ipsa eis cupressus in lauream abeat, id est dignissimam corona vitam mors honestissima et sanctissima claudendo coronet.

Sexto. *Sexto,* deorum simulacra et heroum sarcophagi fiebant e cupresso, ob ejus perpetuitatem et suaveolentiam. Ita Junonis reginæ simulacrum factum erat e cupresso, teste Plinio, lib. LII, cap. VII. Rursum Thucydides, lib. II, refert Spartanos qui in bello Peloponnesiaco pro patria occubuerant, quasi heroes in arca cupressina esse repositos. Ita Sapientia divina est, imo ipse Deus, Deique Filius, qui suos asseclas fortes efficit athletas et heroes cœlestes. Hinc et crux Christi dicitur compacta fuisse ex cupresso, cedro, palma, olea. Unde carmen :

Ligna crucis palma, cedrus, cupressus, oliva :

Quod citat Glossa in Clement. 1 *De summa Trinitate.* Et : « Corpus tenet alta cupressus. » Et : « Pars est oliva suprema. » Vide nostrum Gretserum, lib. I *De Cruce,* cap. V, ex S. Chrysostomo. In cruce enim Christus quasi cedrus exaltatus fuit, quasi cupressus comata pulchruit, quasi oliva gratiæ oleum fudit, quasi palma victrix de morte triumphavit.

Septimo, cupressus amara fugat blattas et ti- Septimo.
neas; ita Sapientia severa est, fugitque et fugat adulatores, quos recte Seneca non arrisores, sed arrosores nuncupandos esse censet. Audi Catonem Severum (cupressum severe pingentem) apud Plinium lib. XVI, cap. XXXIII. Cupressus « natu morosa, fructu supervacua, baccis torva, folio amara, odore violenta, ac ne umbra quidem gratiosa, materia rara, ut pene fruticosi generis, Diti sacra, et ideo funebri signo ad domos posita. »

18. QUASI PALMA EXALTATA SUM IN CADES. — Ju- Vers. 18.
dæa abundat palmis et palmetis : unde Vespasianus de ea victa triumphans, nummum excudit, in quo Judæa capta sedens, mœrensque, et manus complodens; ipse vero astans juxta palmam, pingebatur. Hinc et Palmyra urbs a Salomone ædificata in tribu Manasse, Hebraice dicta est *Thamar,* id est, palma; unde Palmyra, teste S. Hieronymo in cap. XLVII et XLVIII *Ezechielis.* Sic et alia Judææ urbs, scilicet Engaddi, a copia palmarum prius dicta est Asasonthamar, id est urbs palmarum, eo quod floreret palmis et balsamo, quod olim fere juxta eam duntaxat, ac vix in alio Judææ vel orbis totius loco, reperiebatur. In deserto tamen Sin, quod alio nomine dictum est Cades, excellebant palmeta et palmæ, atque in eo palma una cæteris insignior et celebrior fuit, quæ nomen loco dedit, ut vocaretur Palma Cades, uti hic vocat Siracides. Testis est Adrichomius in *Theatro Terræ sanctæ,* p. 118, et in tabula chorographica ei annexa.

Porro S. Isidorus, lib. XVII *Origin.* cap. VII : Palmæ
« Palma, inquit, dicta, quia manus (palmæ) vic- etymon.
tricis ornatus est; vel, quia appansis est ramis, in modum palmæ hominis. Est enim arbor insigne victoriæ, proceroque ac decoro virgulto, diuturnisque frondibus vestita, et folia sua sine ulla successione conservans. Hanc Græci φοίνικα dicunt, quod diu duret, ex nomine avis illius Arabiæ (phœnices) quæ diu vivere perhibetur. »

Pro *Cades* Græca, Complutenses habent *in Gaddi,* vel *Engaddi :* quia Engaddi situm est juxta Cades, ibique abundant palmæ et balsamum, uti paulo ante dixi ex Adrichomio : sed verius est, corrupte in Græcis legi *Gaddi* pro *Cades;* unde Græca variant. Nam ea quæ Romæ sunt emendata pro

ἐν γαδδί, id est *in Gaddi*, legunt ἐν αἰγιαλοῖς, id est *in littoribus;* unde Tigurina, *quasi palma circum littora verticem extuli;* Syrus vero, *quasi palma nutrita sum in Engaddi.* Nota : Pro palma Græce est φοῖνιξ, quæ vox tam phœnicem avem, sive veram, sive potius hieroglyphicam, uti ostendi *Gen.* VII, 2, quam palmam significat : utraque enim longæva est, ideoque æternitatis symbolum. Unde Job ait cap. XXIX, 18 : « Dicebamque : In nidulo meo moriar, et sicut palma (Græce φοῖνιξ) multiplicabo dies. » Hinc dicta est Phœnicia, cui adjacet Judæa, quod abundet palmis, inquit Jansenius. Licet alii, ut Stephanus, lib. *De Urbibus,* a Phœnice conditore, Neptuni et Libyes filio, dictam velint Phœniciam; unde Silius, lib. I :

Sapientia est phœnix longævitate.

Et qui longa dedit terris cognomina phœnix.

Palmæ dotes.

Porro, palma excellit robore, coma, duratione, nisu in superna, æqualitate, fructu : unde anachoretæ longævi vivebant dactylis, qui sunt fructus palmæ, et etiamnum Afri nonnulli non nisi dactylis vivunt : dactyli enim uti gustu sunt suaves, ita usu sunt sani et salubres. Talis est et Sapientia, scilicet robusta, comata, æterna, sursum vergens, ac contra omnia adversa in cœlum enitens et eluctans, justa, frugifera.

Palma est B. Virgo et Sancti.

Quocirca mystice palma (æque ac phœnix, feminarum enim, imo et virorum, quin et Angelorum phœnix fuit B. Virgo) repræsentat B. Virginem, Ecclesiam et Sanctos, uti per multas analogias et parallela ostendit Auctor anonymus *Hieroglyph.* lib. III, p. 89. Primo.

Primo, Judæa inquit, inclyta est palmis, teste Plinio, lib. XIII, cap. IV. Sic Ecclesia catholica amœnissimum Jesu Christi palmetum est, quod passim in orbe terrarum plantatum est illius manu.

Secundo.

Secundo, palma Hebræis *Thamar,* Græcis φοῖνιξ, salsum solum diligit : ergo ubi non est tale, salem aspergunt, non radicibus, sed paulo longius amandando, ut ex Theophrasto annotavit Ruellius *De Natura stirpium,* lib. I, cap. CVIII. Homo autem justus sapientiæ sale respersus dictis et factis id profitetur, eo quod sibi hæc dicta voluit : nam « omnis homo igne salietur, et omnis oblatio sale salietur. Bonum est sal : quod si sal insulsum fuerit, in quo condietis ? Habete in vobis salem, et pacem habete inter vos mutuo, » *Marci* IX, 49, 50; item *Coloss.* IV, 6 : « Sermo vester cum gratia sit sale conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere. »

Tertio.

Tertio, a fimo palmam magnopere abhorrere quidam perhibent. Spiritualis palma pari modo, videlicet sancta Ecclesia, peccatorum sordibus, ceu teterrimo fimo, gravissime offenditur. Novit enim sibi præceptum : « Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei, » II *Corinth.* VII, 1. Item *Apocal.* XXII, 11 : « Qui nocet, noceat adhuc : et qui sordidus est, sordescat adhuc : et qui justus est, justificetur adhuc : et sanctus, sanctificetur adhuc. »

Quarto.

Quarto, comam palma habet in cacumine circumtensam, ramos in digitorum morem protensos, ac ejus fructus, quod digitis similes sint, palmulæ seu dactyli dicuntur. Homo justus puras supplicesque palmas ad Deum tendens, preces per fidem concipit, et in spiritu ac veritate Deum Patrem adorat, non ignarus sententiæ distichi Gregorii Nazianzeni :

Non opus est manuum melius, quam tendere cœlo
Castas, et toto jungere corde preces,

puta, eas legibus divinis præstandis prompte et dextre adhibere.

Quinto.

Quinto, ex urbano genere (ait Ruellius, veterum physiologorum sententias repetens) perpetua fronde pubent olea, palma, laurus, myrtus, etc. Idem et de justis hominibus, qui constanti honore virent, dicitur, ut testantur hæc dicta : « Ego autem, sicut oliva fructifera (S. Hieronymus, *virens :* hoc enim significat Hebr. *raanan*) in domo Dei, speravi in misericordia Dei in æternum, et in sæculum sæculi, » *Psalm.* LI, 10.

Sexto.

Sexto, palma gaudet riguis, totoque anno bibere cum amet, anno sitienti squalidoque, lætior est. Justus pariter gaudet ea rigatione de qua dicitur : « Ego plantavi, Apollo rigavit : sed Deus incrementum dedit, » I *Cor.* III, 6, et *Isaiæ* LVIII, 11 : « Requiem tibi dabit Dominus semper, et implebit splendoribus animam tuam, et ossa tua liberabit, et eris quasi hortus irriguus, et sicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ. » Alii vertunt, *deducet te Dominus semper, et saturabit in siccitatibus animam tuam, ossaque tua impinguabit : et eris velut hortus irriguus, ac veluti scaturigo aquarum, cujus aquæ non deficiunt.* Idem in medio afflictionum æstu spe gaudet, et gloriatur in oppressionibus, *Rom.* V, 3, ac cum Apostolo II *Corinth.* IV, 8, ait : « In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur : aporiamur, sed non destituimur : persecutionem patimur, sed non derelinquimur : dejicimur, sed non perimus. »

Septimo.

Septimo, folia et fructuum germina propemodum cacumine gestat palma, cum vis tota genitalis in ejus vertice resideat : quare decacuminata moritur, nec (tanquam esset adusta) germinat. Pius pariter in Christo Jesu, capite suo, summum decus obtinet, et fructus bonorum operum profert : sine Christo nihil potest facere, *Joan.* XV, 2. Bene autem habet, quod unum cum Christo Jesu factus, nunquam (nisi velit) ab eodem sejungi potest, *Rom.* VIII, vers. 38 et 39.

Octavo.

Octavo, Aristotele et Theophrasto attestantibus, palma victoriæ symbolum est, nec cedit oneri, quamlibet ingenti, nec inflectitur, sed contra pondus resurgit : quin et folia palmæ dura et acuta sunt instar gladii : quare ipsa quot foliis, tot gladiis armatur : ideoque fere in coronariis certaminibus aliud præmium quam palma non

dabatur. Sic de justis dicitur: « Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum: et hæc est victoria, quæ vincit mundum, nempe, fides nostra, » I *Joan.* v, 4, nimirum :

Pressa sub ingenti ceu pondere palma virescit,
Sub cruce sic florent dedita corda Deo.

Nono, palmæ translatu gaudent; quamquam in Græcia, loci mutatione sterilescant. Justi itidem lætantur se translatos esse ex morte ad vitam, I *Joan.* III, 14; nunquam usquam gentium sunt infrugiferi: quia Christi consortes facti a Spiritu ejus reguntur, et ad omne opus bonum instructi sunt.

Decimo : « Palma, ait Plinius, est solis amantissima. » Ita ipse lib. XVII, cap. XLIV, lib. XIII, cap. IV, asserit « nullam palmam esse frugiferam, nisi in terra et solo fervido : » hinc semper sitit, magisque gaudet aquis scaturientibus quam pluviis, ait Theophrastus, lib. II *De Plantis,* cap. IV. Et Palladius, scribens rem rusticam in octobri, *tract.* 12: « Palma, inquit, circumfodiatur assidue, ut irrigatione continua æstatis vincat ardores. » Sic et justus est amantissimus Solis justitiæ, puta Christi; hinc perpetuo vivas ejus sitit aquas gratiæ salientes in vitam æternam, *Joan.* IV, 14.

Undecimo, palma in sublime assurgit, sed dactylos in humum inclinat. Sic B. Virgo in cœlo meritorum verticem ad solium Deitatis erexit, ait S. Gregorius ;eadem tamen fructus suæ clementiæ in terram inclinat, dum velut mater invocantibus se, opitulatur et succurrit. Id significavit Spiritus Sanctus, *Cantic.* VII, sponsam, quæ typus fuit B. Virginis, dilaudans: « Quam pulchra es, inquit, et decora, charissima in deliciis ! Statura tua assimilata est palmæ, et ubera tua botris. » Theodoretus legit : *Quam decora, et quam jucunda est charitas, in deliciis tuis !* Explicat vero hanc pulchritudinem, has delicias charitatis, in hunc modum: « Cum enim excelsa sis adeo, ut cœli fastigium attingas, attamen submittis te infirmis, quibus ubera præbes doctrinæ tuæ. Palma enim fructus pendentes deorsum habet. » Egregium sane charitatis symbolum palma, in sublime assurgens, deorsum tamen dactylis pendentibus onusta; ut quæ Deum intime complectitur, ad utilitatem tamen proximorum sese demittit. Id fecit et facit præ omnibus Sanctis B. Virgo : quia præ omnibus Angelis et hominibus charitate excellit et flagrat.

Apologus palmæ et ficus.

Hanc parabolam, sive apologum, simili palmæ, olivæ, lauri, mali aurei et ficus apologo, pulchris ex Ethica gnomis, velut corona rosis, intertexto repræsentat Cyrillus lib. I *Apol. moral.* cap. ult.: « Inter laurum, inquit, olivam, malum aureum, atque palmam ficus exorta, cum succedente hieme, illis solida viriditate vigentibus, suis ipsa foliis velut arida nudaretur, non minus mox confusa quam livida, vicinis tetro vultu querulam proposuit quæstionem: Ut quid semper viridia folia retinetis, et transacto fructu frondes inutiles jam fovetis ? Num forte umbratilis apparentia complacet ? et spreta substantia cortex mulcet ? At illæ pruritum invidentiæ sentientes, spinam verbi, risu patientiæ confregerunt. Tantum igitur ad virtutem loquentibus illis, prima respondit laurus : Ego quippe naturali complexione concalui, et idcirco frigiditate repulsa, in me folium semper vivit. Tunc oliva subjunxit : Nimirum in me humor pinguedinis supercrescit, quo exundans radix, suas in perpetuum frondes nutrit. Mox malum aureum aiebat : Solidior substantia me componit; unde in me constans viriditas nunquam perit. Sic et palma tandem addidit: In me folium nunquam exaruit, quoniam moderatum illud germinavi. Denique laurus vice omnium eloquens dixit: Non audistis quare sapiens nunquam ponat clari nominis venustatem ? Nimirum quia claritate prudentiæ, pinguedine justitiæ, soliditate constantiæ, puritate modestiæ, semper viget. Seipsum enim dirigit per prudentiam nullum lædit per justitiam, in adversis non deficit per constantiam, et in prosperis non mollescit per temperantiam. Igitur his virtutum quatuor anchoris in portu sapientiæ ratem figit. Quamobrem nunquam eum mundialis fluctus tempestatis eludit. Quo dicto quieverunt. »

Et QUASI PLANTATIO (Græce φυτὰ, id est *plantæ rosarum,* ut vertit Tigurina; alii, *stirpes rosarum*) ROSÆ IN JERICHO. — Rosa est regina florum et veris purpura; candidat enim ut adamas, rubet ut pyropus. Ad hæc odoris est suavissimi, et in cibis ac medicinis sana æque ac sapida, tam sapore quam vigore cæteris floribus antecellit: unde ex rosis distillatur aqua rosacea, quæ aciem oculorum clarificat et dolores mitigat. Quocirca rosa scarabæum e stercore cui incubat sordentem et fœtentem, odore suo necat. Hinc et rosa Græce dicitur ῥόδον a ῥεῖν, id est fluere, quod odoris redundantia diffluat, ait Plutarchus. Talis est et sapientia, nimirum purissima, odoratissima et sapidissima. Porro Eucherius in *Form. allegor.* ait rosas esse hieroglyphicum martyrii, Martyresque coronari rosis, ob ruborem sanguinis pro Christo effusi. Rursum, rosa symbolum et corona est virginitatis et virginum, uti dixi *Actor.* XII, 13. Audi rosæ encomia ex Josepho Stephano in *Defensione Rosarii B. Virginis* cap. III. Rosa apud veteres lætitiæ et pulchritudinis est signum, cum inter flores omnes sola purpureo conspicua colore resplendeat, et toto rubentium rutilantiumque foliorum orbe pandatur. Sappho (apud Achillem Tacium) eam florum reginam, terræ ornamentum, plantarum decus, oculum florum, prati ruborem, pulchritudinem coruscantem, terræ risum appellavit. Rosa vero Musas coronari solitas eadem Sappho cecinit, ut lib. II *Pædagogi,* cap. VIII, Clemens Alexandrinus est auctor. Anacreon vetus poeta, qui in rosæ encomiis

maximam operam et studium contulit, ita eam laudibus prosecutus est:

Foliis rosa decoris,
Rosa singularis, o flos,
Rosa prima cura veris,
Rosa cœlitum voluptas,
Chariton choros frequentans.

Et paulo post:

Cum vere patre florum
Socianda laus rosarum.
Rosa flos odorque divum:
Rosa hominum voluptas,
Decus illa Gratiarum.

Olim enim Gratiis sacram fuisse rosam, ob insignem floris elegantiam, auctor est Pausanias, lib. VI; cum ejus venustas et καλλίφυλλος (ut loquitur Anacreon), id est, foliorum decor et ornatus, ipsammet vivam imaginem pulchritudinis exprimat. Aurora quoque, quæ aureo vultu splendentem solis faciem reducit, quæ mundum novo pingit lumine, et rutilanti lucis flore spargit omnia, ab antiquis auctoribus Dea rosea, ab Anacreonte ῥοδοδάκτυλος, id est, roseis digitis decora, nuncupatur. Præterea veteres Poetæ quamprimum Minervam e capite Jovis prodiisse fingunt, statim nobilem rosarum stirpem editam, matrisque sinu exceptam fabulantur. Constantinus Cæsar lib. XI *De Agricultura*, cap. XVIII, ut rosæ suavitatem exprimeret, e divino nectare in terram effuso eam emanasse testatur. Hæc Josephus Stephanus. Pierius vero *Hieroglyph.* 58, cap. I: Flos, inquit, hic tam venustus, tam suaveolens, tam pulcher visu, tam suavi odore delectabilis, humanæ sit imbecillitatis hieroglyphicum, ac boni momentanei signum; tam brevis illi vita, tam caducus decor, ut quo die florens vigensque enituerit, eodem ipso defloreat et elanguescat. Hinc elegantissimus poeta, quicumque ille fuit, qui rosam, quæ Maroni adscribitur, celebravit, vel deploravit potius, repentinam hanc jucunditatis rapinam ita lamentatur:

Mirabar celerem fugitiva ætate rapinam,
Et, dum nascuntur, consenuisse rosas.

Quantum vero illud habet invidiæ, et acerbæ in rerum naturam querimoniæ!

Quam longa una dies, ætas tam longa rosarum,
Quas pubescentes juncta senecta premit.

Et inferius: Illud etiam memoratu dignum, quod rosæ simulacrum, bonum significat quod undique circumseptum sit malis, ac proinde voluptates nostras amaritudinis et asperitatis plenas. Nam, ut S. Ambrosius in *Hexaemero* philosophatur, rosam spina sepsit, tanquam humanæ vitæ speculum ostentaret, et quod esse potuit suavitatis, finitimis curarum stimulis sæpe compunctum, amarescere videatur; vallata enim est elegantia vitæ nostræ, et quibusdam sollicitudinibus obsepta, ut tristitia semper adjuncta sit hilaritati. Quare non illepide Catullus Venerem, quæ jucunditatis hilaritatisque auctor præcipuus habetur, spinosas ait in pectore curas serere. Quod autem rosa et rubet et pungit, affectus amatorii signum esse Placiades affirmat, utpote qui sine verecundiæ rubore, et facinorosi criminis exulceratione esse non possit.

Rosam primitus spinis caruisse S. Basilius tradit, postea vero pulchritudini floris additos esse aculeos, ut quod ex voluptate oblectamentum perceperimus, propinquo inde dolore exulcerati, qui ex delicti recordatione emergit, statim amittamus. Cujus rei monumentum spinas tribulosque tellus ipsa nobis passim ostendat. Insuper, sicut spina rosam tuetur, sic mortificatio castitatem conservat. Qua de causa S. Benedictus, sentiens tentationem carnis, in spinis se volutavit, illoque dolore noxiam voluptatem exstinxit. Dumetum hoc spinarum visitans S. Franciscus, anno Domini 1222, spinasque exosculans, eisque signum crucis imprimens, miraculo dumetum in rosetum pulcherrimarum rosarum ferax convertit, quæ etiamnum perdurant, multisque ægris sanitatem attulerunt; de quo acute Poeta:

S. Franciscus spinas vertit in rosas.

Virgineum sepit florem Benedictus acutis
Vepribus, et proprii rore cruoris alit.
Hinc dumeta novas tanto fecunda liquore,
Franciscique manu culta tulere rosas.
Falsa quidem roseo cecinere e germine Vates,
Sed latuit salso carmine vera fides.
Scire cupis rosei flos exeat unde pudoris?
Sola rosas potuit gignere puncta Venus.

Ita Waddingus in *Annal. Minorum*, anno Christi 1222, num. 5.

Jam, quod comparat sapientiam rosæ *in Jericho*, significat Jerichuntis rosas fuisse excellentiores cæteris, sive specie et rubore, sive odore (*Jericho* enim Hebraice *odorem*, vel potius *exspirationem odoris* notat; unde ab ea dicta videtur urbs Jericho), sive magnitudine, sive altitudine; nimirum roseta ibidem excrevisse in arbores, vel certe in arbusta. Rosam enim hic collocat Siracides inter cedrum, cypressum, palmam et oleam, quæ omnes sunt arbores. Forte etiam rosæ Jerichuntis alterius ab aliis fuere speciei et generis. Certe Saligniacus, tomo IX, cap. VI, scribit prope fontem Jericho, quem ex salso dulcem reddidit Eliseus IV, *Reg.* II, in spinosis arboribus pulcherrimos nasci flores, quas rosas Jerichuntinas vocant, illasque id habere gratiæ, ut nocte Natalis Domini sese aperiant, postea se concludant, licet siccæ sint et aridæ, in testimonium Virginei partus, ut credere licet, ait Adrichomius in *Descript. Terræ sanctæ*, in *Fonte Elisei*.

Sic rosa Chinensis arbor, vel potius arbustum est, foliis similis ficui, carens spinis, quæ rosam profert similem nostræ colore; sed ita ut primum albescat, deinde sensim tota in rubrum sese con-

vertat. Vidimus eam e China Romam translatam, ibidem hoc anno jubilæi 1625, in decembri sub Natalem Domini cum stupore intuentium florentem, rosasque proferentem primo candidas, mox rubeas et purpureas. Mirum est quod de ea hoc anno in lucem edidit noster P. Joannes Baptista Ferrarius Senensis, Hebraicæ linguæ in Collegio Romano professor, qui primus semen ejus e China acceptum, Romæ sevit, educavit, arborescens florensque hoc anno effecit, uti oculatus sum testis; illam enim cubiculo meo oppositam, imo appositam quotidie specto. Sic ergo ipse in oratione 25, cujus titulus : *Ætas florea*, rosam Chinensem pingit : « Videas frondibus, magnitudine ac forma pampinos imitantibus convestitam, e smaragdino dehiscentis calicis conclavi, multiplici foliorum syrmate regaliter explicato, in publicam lucem prodire, lucis ipsius formosa discrimina quotidie sic æmulantem, ut initio quidem candidam, deinde ex candida rubentem, postremo saturo colore purpuream, hoc est simul aliam, simul eamdem admireris, et quotidiani miraculi novitate fateri cogaris, ad florum reginam, quæ tanquam sol alter, variæ fuco lucis diem coloret, colorum principes vicissim accedere tributarios. »

Rosa Jericho an amomum ?

Porro errant qui rosam Jericho censent esse amomi speciem, quos recenset et confutat Matthiolus in *Dioscor.* lib. I, cap. XIX : « Omnino, ait, explodendi sunt, qui pro certo asserere non verentur eam stirpem esse amomum, quam Jerichuntam, a Jericho Palæstinæ oppido, appellant. Plantam hanc plerumque ad nos e Jericho deferunt ii qui ad sanctissimum Redemptoris nostri Sepulcrum peregre proficiscuntur. Ea enim est quam nostrates mulieres rosam divæ Mariæ vocant. Constat hanc amomum non esse quod folia albæ vitis non proferat, nec ullo spiret odore. Legitimum enim valde odoratum est, adeo ut nares feriat primo statim occursu, organumque recipiat. Cordus, libello *De Conficiendis pharmacis*, satis inconstanter de amomo disseruit; quippe in compositione aureæ Alexandrinæ pro certo asserit amomum verum esse rosam Jerichuntis; in compositione vero theriacæ sui ipsius oblitus, habere nos amomum negat. Utuntur Jerichunta nostrates mulieres, tempore partus, ad investigandam pariendi horam; quandoquidem (ut ipsæ fatentur) in aquam demissa, non prius fatiscit, quam fœtus nasci incipiat. Tanta inter Christicolas irrepsit superstitio ! » De rosa Jerichuntica scripsit insignem librum D. Joannes Sturmius, philosophiæ ac medicinæ in Academia Lovanensis doctor.

Pro *plantatio rosæ* Syrus vertit ערבת ורדא *arbat vardo;* quam vocem si dividas, idem est quod planta vel plantatio rosæ, uti habet Noster et Græcus; sin conjunctim legas, et quasi unam dictionem accipias, significat buphthalmum; itaque Syri legunt, unde vertunt, *et sicut buphthalmus in Jericho;* adduntque : Buphthalmus est planta quædam quæ germinat secus decursus aquarum, et habet flores sicut rosa (idem appareret in icone buphthalmi quam exhibet Clusius, lib. III *Histor. plant.* cap. XXX) et appellatur vulgariter apud Arabes *arbor Mariæ*. Dicitur buphthalmus per crasin, quasi βοὸς ὀφθαλμὸς, id est bovis oculus, quod illi sit similis; sicut *buglossa* dicitur quasi βοὸς γλῶσσα, id est bovis lingua, quod illi herba hæc assimiletur. Unde Plinius, lib. XXV, cap. VIII : « Est et buphthalmos, inquit, similis boum oculo, folio fœniculi, circa oppida nascens, fruticosa caulibus, qui et manduntur decocti. Quidam cachlam vocant. Hæc cum cera scirrhomata discutit. »

Buphthalmus, quis ?

B. Virgo est rosa in Jericho.

Mystice, rosa in Jericho est B. Virgo in sublunari hoc orbe (*Jericho* enim Hebr. *lunam* vel *odorem* notat) : omnia enim encomia rosæ, jam data, multo aptius conveniunt B. Virgini, quæ ornatissima sua pulchritudine et dignitate omnem mundi splendorem vincit. Ipsa enim est aurora rosea, virtutum gratia simul pulcherrima et uberrima, æque ac splendidissima ac fulgentissima, quæ umbris depulsis novum lumen edidit mundo, *Cant.* cap. VI, 9. Ipsa est, quæ post longam peccati, tristitiæ et desolationis hiemem enata, novum ver gratiæ, lucis et consolationis mundo attulit. Quocirca in Dominica *Lætare*, quæ sub festum Annuntiationis B. Virginis occurrere solet, rosa a Pontifice Romano benedicitur, tanquam lætitiæ gaudiique prænuntia (ut ait Innocent. III, sermone hac de re edito), ut inde omnes agnoscant novam prolem, et propagationis spiritalis sobolem editam in Ecclesia, cum scilicet ipsa purissima Virgo lætitiæ et exsultationis florem, ornamentum humani generis, et totius orbis auctorem in se concepit et corporavit. Insuper, rosa verecundiæ et virginitatis insigne, quam nisi Virginem virginum denotat? Sane Columella, lib. X, rosam florem pudicitiæ plenum nuncupat. Ad hæc, odorata est rosa, et odore diffluit. Quis vero in Maria virtutum omnium quasi odoramentorum fluxum non sentit ? quis eo non trahitur, et suavitate non allicitur? quis in illius unguentorum odorem non currit ? Etenim per eam maximum odorem notitiæ suæ Christus manifestat in omni loco (ut ait Paulus, II *ad Corinth.* II) divinitatis thymiama, amomum, muscum et omnem pigmentorum exquisitam elegantiam effundit et efflat, et quasi balsamum aromatizans odorem suavitatis emittit, floribusque Paradisi (ut ait S. Epiphanius) totum mundum exornat; adeo ut merito rosa Jericho fuerit appellata.

Quare B. Cyrillus Alexandrinus, orat. *Contra Nestorium* : « Hæc est Virgo, inquit, per quam sancta Trinitas in universo orbe glorificatur et adoratur, per quam cœlum exultat, per quam Angeli et Archangeli lætantur, per quam dæmones fugantur, per quam tentator diabolus cœlo decidit, per quam prolapsum plasma in cœlum

denuo subvehitur; per quam universa creatura, idolorum vesania detenta, ad veritatis cognitionem perducta est; per quam sanctum Baptisma obtigit credentibus, per quam exultationis oleum consecratur, per quam toto terrarum orbe fundatæ sunt ecclesiæ, per quam gentes adducuntur ad pœnitentiam; per quam, ut paucis absolvam, unigenitus Dei Filius iis qui in tenebris et umbra mortis sedebant, lux resplenduit; per quam Prophetæ futura prænuntiarunt, per quam Apostoli salutem gentibus prædicarunt, per quam mortui exsuscitantur, per quam reges in sancta Trinitate regnant. » Unde eleganter Sedulius, lib. II *Carm.* alludens ad rosam, quam S. Basilius et S. Ambrosius in *Hexam,* censent initio mundi creatam sine spinis, post peccatum vero spinas induisse, ita canit ;

Et velut in spinis mollis rosa surgit acutis,
Nil quod lædat habens, matremque obscurat honore;
Sic Evæ de stirpe sacra veniente Maria,
Virginis antiquæ facinus nova virgo piavit :
Sicut spina rosam, genuit Judæa Mariam.

Hinc B. Hermannus Joseph, mire B. Virgini devotus et familiaris, eam nuncupare solebat rosam suam, nec sine causa. Nam quadam vice ab illa visitatus, et cœlesti consolatione perfusus, vidit ab ea per cubiculum suum spargi perplures fragrantissimi odoris rosas, quas ipse reverenter colligens pretioso in calice collocavit. Unde ipsa crebro eum visitans, consolans, et familiariter colloquens, ipsum suum fidelem amicum, sacellanum, quin et sponsum appellare solebat. Quadam enim nocte apparens eidem specie pulcherrima, comitata Angelis, Angelorum unus dexteram Hermanni apprehendens et manui B. Virginis copulans, his verbis eam illi despondit : « Hanc ego Virginem tibi trado sponsam, sicut fuit olim desponsata Joseph, ut nomen sponsi pariter cum sponsa accipias, et de cætero Joseph vociteris. » Hoc et plura exstant in Vita ejus apud Surium, die 7 aprilis, quam ejus familiaris amicus, vir gravis, conscripsit.

B. Hermannus desponsatus B. Virgini.

Rosa igitur B. Virginis venustatem, dignitatis item et gratiæ suaveolentiam, cum puritate vitæ, charitatis ardore morumque suavitate conjunctam, nobis exhibet. Unde Damascenus, orat. 1 *De Nativitate* : « O rosa, inquit, quæ ex spinis, id est Judæis, orta es, ac divina fragrantia omnia perfudisti. » Atque hac de causa B. Virginem, quasi rosam cœlestem, fideles rosario (cujus auctor et propagator fuit S. Dominicus) sive corona, centies et quinquagies iterando Salutationem Angelicam, honorant.

Similes rosæ mysticæ sunt virgines Dei amore flagrantes, quæ magnæ Dei matris asseclæ, eam salutationum et laudum suarum rosariis coronant. Talis Siculæ Jerichuntis rosa emicuit B. Rosalia virgo, cujus sacras corporis exuvias Deus optimus maximus hisce diebus, quibus hæc scribo, post quingentorum fere annorum latebras, miraculorum multitudine et gloria coruscantes ad salutem Siciliæ totiusque Italiæ, mire patefecit; dum per easdem communem pestis luem omnia populantem stitit et sustulit. Quocirca Illustriss. Dom. Archiepiscopus, ac senatus populusque Panormitanus illas publicis colendas honoribus exposuit, anno Jubilæi 1625. Inventum fuit virginis corpus in Erctæ montis specu, lapideo cortice circumseptum. Humor enim frigidi loci nativus depositum Rosaliæ corpus circumfluens, ac temporis diuturnitate conglaciatus, crystallinam velut arculam, pellucidumque velut sarcophagum eidem conformaverat. Perinde quasi satis patrio monti non fuerit se totum ad civem atque alumnam suam tumulandam addicere, nisi suas etiam lacrymas, e supercilio jugi guttatim expressas, ac rigido pene dolore gemmantes, instillasset ad eamden tumulo illustriore condendam, imo pandendam; ut non tam in sepulcro jacens Rosalia videretur, quam lucens in crystallo rosa. Nata est B. Rosalia ex illustri stirpe, quæ cum regibus Siciliæ e manu Maurorum liberatoribus affinitatem contraxerat, Panormi, in urbe prænobili, quæ tota portus est, ut notatur ex nomine (ὅρμος enim Græce portus est et monile, quale portus hic inter alia dedit beatam Rosaliam). Parentem habuit Quisquinæ et Rosarum (est regio Siciliæ ita dicta, quod quovis anni tempore rosis vernet) principem Sinibaldum. Neque enim alibi nasci cœlestis hæc rosa debuit, quam in terrestrium principatu rosarum. A teneris se Deo dedit, ac velut rosa calyculum mentis ad radios Solis divini exorientis explicuit. Vix aulam aspexit, cum eam exaggerata voluntate despexit. Rosæ videlicet, ut imitabatur nomen, sic admonebatur exemplo. Rosa enim veram dat tragœdiam mundi vanitatum indicem, cum unius diei spatio flos regius et foliorum syrmate purpurascens, mox iis languidis et concidentibus ad terram prostratus, misere devolvatur, floris cadaver, ventorum ludibrium, calcantium pedum opprobrium. Hoc meditans B. Rosalia, mundi pompas et regales nuptias aspernata, paternam et regiam deserens domum, in maxime desertam ditionis suæ partem iter sola suscepit; sed viæ comites habuit Angelos. In monte specum sibi virgo delegit, et quasi speculam, e qua continenter ad tutelam virginitatis excubaret; utque ipsos lapides haberet officii monitores, in eadem spelunca susceptæ vitæ propositum lapidi inscripsit, his verbis : EGO ROSALIA, SINIBALDI QUISQUINÆ ET ROSARUM DOMINI FILIA, AMORE DOMINI MEI JESU CHRISTI, IN HOC ANTRO HABITARE DECREVI. Hic herbarum radicibus et rore cœlesti victitans, totam se dedit orationi, lectioni, meditationi, jejunio, penitentiæ, flagellis, ciliciis, ac crucem et Christum crucifixum semper in oculis, semper in mente habebat; cujus in aspectu Rosaliæ transfigebatur cor, ut amoris jaculo sauciata, sanguinem

Siciliam peste liberat.

Ejus nobilitas.

Secedit in solitudinem.

Pia ejus exercitia.

B. Rosaliæ elogia.

cordis, lacrymas per oculos, amoris vulnera, profunderet. Hic Rosalia instar rosæ purpuream se Christo suo pinxit, flagello usa pro penicillo, cruore pro colore. Hic ab Angelo modum orandi edocta, rosarium precum ad numerum globulorum decurrens, tot rosas quot preces, per Angelum ad Christum et Virginem Deiparam coronandos, in calathis transmisit. Post mortem inventi sunt globuli precarii circa pectus et inter ipsius digitos, quibus coronam laudum magnæ Dei Matri supplex offerebat. Quare vicissim varia ab Angelis obsequia, et florum munera recepit. Ac tandem sub mortem a Christo Domino in gremio matris, quasi in thalamo regali considente et blandiente, modulantibus Angelis, corona ex auro et rosis coronata, assistentibus SS. Ecclesiæ principibus, Petro et Paulo, quasi ad cœlestes Agni nuptias invitata, dormientis in morem componens sese, sola in antro peregrini montis, Angelis notissimo, hominibus inaccesso, roseam et virgineam in manus Christi Domini efflavit animam; atque Angelo duce, rosis etiam redimito, ad cœlestem sponsi thalamum deducta, in æternum regnat et triumphat. Constans est fama corpus ejus, instar S. Catharinæ, angelico ministerio sepultum; quod et immane integrumque saxum, cui undique inclusum, conclusum et occlusum fuit (omnem naturæ hominumque vim et artem superans) reipsa proclamat. Exstant hæc omnia in tabulis et picturis Siciliæ pervetustis, atque exinde in iconibus Romæ approbatis, et in ære incisis affabre exsculpta, indeque impressa anno elapso, qui fuit a partu Virginis 1627. Saxo ergo ejus sepulcrali hoc epitaphium inscribas, quod Martialis api inscripsit lib. I, *epigramm.* 95 :

ab Angelis edocta.

ab iisdem sepulta.

Et latet et lucet Phaetontide condita gutta,
Ut videatur apis nectare clausa suo.
Dignum tantorum pretium tulit illa laborum;
Credibile est ipsam sic voluisse mori.

Vers. 19. 19. QUASI OLIVA SPECIOSA (Græce εὐπρεπὴς, id est *decora*) IN CAMPIS. — Syrus, *sicut oliva nutrita fui in campo;* Vatablus, *ut elegans oliva, et ut platanus ab aquis excellui.* Oliva speciosa est tum caudice, tum fronde semper virenti, tum maxime fructu, ex quo exprimitur oleum, quod, ut ait S. Bernardus in illud *Cant.* I : « Oleum effusum nomen tuum; lucet, pascit et ungit. Fovet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem; lux, cibus, medicina. Vide idem et nunc de sponsi (Christi) nomine. Lucet prædicatum, pascit recogitatum, invocatum lenit et ungit. » Quæ sigillatim deinde explicat, et fuse prosequitur serm. 15 *in Cant.*

Sapientia similis olivæ ob novem analogias.

Recte ergo sapientia comparatur olivæ et oleo, quia oliva symbolum est *primo,* misericordiæ; *secundo,* pacis; *tertio,* victoriæ; *quarto,* mansuetudinis; nihil enim lenius et tranquillius oleo; unde Joannes Sinæ monachus : « Velut uter oleo repletus, fluctuum rabiem in serenitatis tranquillitatem commutabat; » *quinto,* hilaritatis et lætitiæ; *sexto,* spei; *septimo,* nitoris; *octavo,* pinguedinis; *nono,* æternitatis. Vide plures analogias inter oleam et sapientiam, interque oleum et sapientes sanctosque, quas recensui *Genes.* VIII, 11; *Zachar.* IV, 11, et *Apocal.* XI, 4. Hinc celebris illa corona nobilis, quam hoc carmine expressit Poeta :

E lauro, quercu, ac olea duce digna corona,
Prudentem, fortem pacificumque decet.

Sic et B. Virgo.

Hæc omnia mystice adaptes B. Virgini, quæ recte dicitur oliva speciosa, idque in campis, tum quia omni tempore et loco, ac pro omni morborum genere, quasi mater misericordiæ, omnibus eam invocare volentibus, ad opitulandum est exposita; tum quia nobis viatoribus tentationum æstu, tanquam solis ardore afflictis, in campis apertis, ubi similes arbores desunt, optatum suo umbraculo præbet refrigerium; tum quia Deipara est veluti campus absque colono, quia sine viri opera Christum genuit, eumque omnibus accedentibus exposuit. Unde ipse ait *Cant.* II : « Ego flos campi. » Tum denique, quia ipsa B. Virgo campus est virginitatis, omnibus ad eam necessitatum suarum causa recurrentibus patens et apertus, æque ac frugifer et salutifer.

Olea typus virginitatis.

Denique olea est sapientiæ et castitatis symbolum; unde olea Palladi sive Minervæ erat sacra; vera autem Pallas est B. Virgo. Audi Pierium *hierogl.* 53, cap. XVI : « Quod vero pertinet ad Minervam, quæ innupta, quæ virgo perhibetur, merito ea sibi olea asciscit, cum puritate pudicitiaque non minus olea, quam Minerva delectetur. Græci enim, ut Rutilius Taurus ait, jubent olivam, cum plantatur et legitur, a mundis pueris atque virginibus operandam; credo, inquit, recordati, arbori huic esse præsidem castitatem. Florentinus quoque, lib. *De Re rustica,* adeo puram esse oleam tradit, ut collectores etiam non nisi puros amet, qui cum ad olivationem accedunt, jurant se non aliunde quam ab uxore sua venire; ita fieri ut anno insequenti uberiorem proventum exhibeant. Præcipue vero aiunt Anaxarbi, quæ Ciliciæ est civitas, oleas esse fecundissimas, quoniam a castis tantummodo pueris colantur. » Hæc Pierius; quæ tamen cum grano salis accipienda sunt, ut a superstitione Gentilium caveamus.

Memorabile est quod scribit auctor *Histor. plantarum* in olea, glycyrizam (vulgo regalizia, sive lignum dulce), si oleæ adhærescat, et circa ejus stipitem radices agat, oleam sensim emori et enecari; sic si castitas versetur in deliciis, ab eis enecatur et suffocatur. Rursum, olea ex se insipida et agrestis, fit sapida et edulis, si sale et aceto maceretur; ita sapida fit stabilisque castitas, quæ sale et aceto mortificationis perfricatur et maceratur. Denique oleæ, ut fundant oleum, multis pistilli ictibus contundi debent; sic car-

nem jejuniis aliisque austeritatis modis contundas oportet, si ex ea oleum puritatis et virginitatis, Deo et Angelis gratæ, exprimere destinas. Hæc ergo tua sit Carthusia, uti fuit S. Pauli I *Cor.* cap. IX, vers. ultim. « Castigo, inquit, corpus meum, et in servitutem redigo. » Vide ibi dicta.

Sapientia similis platano, cur?

ET QUASI PLATANUS EXALTATA SUM JUXTA AQUAS IN PLATEIS. — Syrus, *nutrita fui sicut platanus super aquas;* Græca, *ut platanus ab aqua evecta,* vel *exaltata sum.* « Platanus » a πλάτος, id est latitudine, dicitur, eo quod late ramos et folia expandat, quibus umbram in æstu solis viatoribus et advenis præbet gratissimam; adeo « ut gentes vectigal pro umbra pendant, » ait Plinius, lib. XII, cap. I; hinc aquas adamat, quia ad tot tantosque ramos et folia alenda, multo humore indiget. Rursum, platani folia arcent vespertiliones, ait Pierius *hierogl.* 25. Insuper iisdem nido impositis, ciconiæ ab ovis pariter et pullis arcent noctuas iis noxias et exitiales, nimirum arbor genialis opponit se aliti lethali; noctuæ enim foliorum platani contactum non ferunt, sed ex eo illico in torporem illabuntur, et quasi obstupescunt, ait ex Æliano Pierius *hierogl.* 17, cap. VII. Vide quæ de platano dixi *Ezech.* XXXI, 8.

Similem umbram, refugium et refrigerium in omni ardore persecutionis, tribulationis, tentationis, æque ac iræ et vindictæ divinæ, ad se confugientibus præbet Sapientia et Christus, juxta illud : « Sub umbra illius quem desideraveram sedi, » *Cant.* II, 3. Et : « Sub umbra alarum tuarum protege me, » *Psal.* XVI, 8. Et : « Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur. Dicet Domino : Susceptor meus es tu, et refugium meum; Deus meus, sperabo in eum. Scapulis suis obumbrabit tibi, » *Psal.* XC, vers. 1. Idque facit in plateis, id est, in viis latis hujus mundi, puta, in conversatione cum tam vario tamque dissoluto et difficili hominum genere, ubi major est umbræ et refrigerii necessitas.

Sic et B. Virgo.

Rursum, platanus repræsentat B. Virginem. Nam platanus patulis diffunditur ramis, habet folia instar scutorum et peltarum; sic B. Virgo est quasi platanus, patulis diffusa ramis, quibus universos homines abscondit et protegit; perfugium est, protectio, scutum et asylum omnium ad se confugientium. Nulla est tentatio, nulla calamitas, nullus labor, nullum periculum, nullus hostis, contra quem B. Virgo validissima scuta peltasque, opem suam implorantibus, non suggerat et suppeditet.

Porro, perperam nonnulli hæc aliter dispungunt, ac τὸ *in plateis* referunt ad sequens, *cinnamomum et balsamum,* dum sic legunt, *in plateis sicut cinnamomum et balsamum odorem dedi.* Nec enim cinnama et balsama in plateis, sed in hortis nascuntur.

Vers. 20.

20. SICUT CINNAMOMUM ET BALSAMUM AROMATIZANS ODOREM DEDI. — Pro *balsamum aromatizans,* Complutenses legunt ὡς πάλαθος, id est, sicut pila vel massa aromatum; alii, ὡς παλάθη, id est, sicut massa carycarum vel ficuum aridarum. Ita Vatablus. Melius Romana et cætera Græca legunt, ἀσπάλαθος ἀρωμάτων, id est *aspalathus aromatum,* id est aromaticus, quia pro ὡς παλάθος, per diastolen duarum vocum, legunt per systolen, unica voce, ἀσπάλαθος. Unde Tigurina, *in modum cinnamomi et aspalathi odorem spiravi aromaticum;* Syrus, *sicut cinnamomum et thymiama, et myrrha electa suavem reddidi odorem meum.* Quocirca pro *balsamum* hic in Latino legendum esse *aspalathus,* vel *aspalathum,* censent nonnulli, tum quia ita legunt Græca et nonnulla Biblia Latina manu scripta, ac diserte Rabanus, Jansenius et Lyranus qui legit *aspalthum* : quod non intelligentes ii qui Biblia olim descripserunt, pro *aspalthum* videntur scripsisse *balsamum* tum quia balsami mox mentionem faciet Siracides versu sequenti.

Aspalathus quis?

Porro, *aspalathus* arbor parva, vel potius arbustum est, redolens, præsertim apparente iride, uti tradit Plinius lib. XII, cap. XXIV (cujus verba ex Rabano mox recitabo), et Aristoteles in *Problem.* sect. 12, num. 3, ubi et hujus rei causam indagat. Quod apte congruit ad litteram Sapientiæ, ac mystice B. Virgini et Sanctis. Iris enim symbolum est misericordiæ et gratiæ Dei, a quo omnis sapientiæ decor odorque dimanat. Rursum, iris symbolum est incarnationis Christi; hæc enim est quasi arcus cœlestis habens duo cornua, id est, duas naturas, divinitatem scilicet et humanitatem, uti septem analogiis ostendi *Genes.* IX, 13. Ab incarnatione autem Christi omnis B. Virginis nostraque sapientia et sanctitas derivantur. Quare, licet illa ante Verbi conceptionem et incarnationem plena esset gratia, uti salutata est ab Angelo, tamen mox ubi Verbum in se concepit et corporavit, quasi plena Deo mirabiles sapientiæ et sanctitatis odores et ardores in Judæa, ac deinde per universum orbem sparsit.

Ejus virtutes.

Secundo, Dioscorides aspalatho has dat virtutes lib. I, cap. XIX : « Aspalathus, inquit, multis spinis horrens, vim calefaciendi cum astrictione obtinet. Unde decoctum cum vino ad tetra oris ulcera colluenda convenit, ad nomas genitalium et sordida ulcera infunditur; subjectum in pesso, partum extrahit. Alvum sistit ejus decoctum, et sanguinis rejectionem potu cohibet, urinæ difficultatem inflationesque discutit. » Galenus, lib. VI *Simplic. medic.* : « Aspalathus, ait, gustu quidem acris, simul et astringens est; facultate vero ex dissimilibus constat, nempe partibus sui acribus excalefaciens, partibus vero aliis, austeris scilicet, refrigerans. Itaque utriusque ratione desiccat, et proinde ad putredines et fluxiones est utilis. » Insuper pharmacopœi aspalatho utuntur ad theriacam, ut eorum peritissimi Romæ mihi asseruerunt, ac ipsum aspalathi lignum mihi exhibuerunt; quod sane odorem habere gratum, sed masculum deprehendi. Simili modo Sapientia

omnes fluxos concupiscentiæ motus omnesque animæ putredines desiccat, contraque omnes venenatas diaboli suggestiones theriacam et antidotum dat præsentissimum.

Sed audi Rabanum, hunc locum egregie, tam litteraliter quam tropologice, explicantem : « Sicut cinnamomum, inquit, et aspalathum aromatizans odorem dedi : Cinnamomum et aspalathum aromaticæ arbores sunt. Nam cinnamomum dictum, quod cortex ejus in modum cannæ sit rotundus et gracilis, gignitur in Indiæ et Æthiopiæ regionibus, frutice brevi, duorum tantum cubitorum, colore subnigro vel cinereo tenuissimarum virgarum. Nam quod in crassitudinem extenditur, despectui est; quod vero gracilius provenerit, eximium : quod cum frangitur, visibile spiramentum emittit ad imaginem nebulæ seu pulveris. » De aspalatho vero Plinius Secundus ita refert : « In eodem tractu aspalathus nascitur, spina candida, magnitudine arboris modicæ, flore roseo, radix ejus unguentis expetitur. Tradunt in quocumque frutice curvetur arcus cœlestis eamdem, quæ sit aspalatho, suavitatem odoris existere, sed in aspalatho inenarrabilem quamdam : quidam eum Erysisceptrum vocant, alii sceptrum. Ejus probatio est in colore rufo vel igneo, tactuque spisso, et odore castorei. Permutatur in libras quindecim. »

Subjicit Rabanus tropologiam, dicens « Hæc ergo duo arbusta, pro sui brevitate a quibusdam inter herbas deputantur odoriferas; quæ recte pro ipsa brevitate, humiles spiritu quorum est regnum cœlorum, significant : qui, quasi purpureo vestiti colore, semper Dominicæ sunt passionis memores, semper ipsi ad patiendum pro Domino parati, qualis erat qui ait : Quoniam propter te morte afficimur tota die, æstimati sumus ut oves occisionis. Nam et hæc est virtus, quæ maxime inter nos animorum motus ac lascivias, quasi viscerum dolores castigare ac tollere consuevit. Cum, recogitantes quid pro nobis passus est Deus, minus nos pati quam meremur cognoscamus. Bene ergo junguntur cinnamomum et aspalathum; quia Dominicæ passionis sacramento, nostræ conversationis conformari debet status; ut juxta Joannis sententiam, sicut ille pro nobis animam suam posuit, ita et nos discamus pro fratribus animas nostras ponere. Nam quod cinnamomum coloris subnigri vel cinerei esse perhibetur, animis congruit humilium, qui fragilitatis propriæ conscii, quotidianis in precibus Deo dicere norunt : Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis. Et iterum : Ipse me reprehendo, et ago pœnitentiam in favilla et cinere. Quod autem aspalathum spinæ candidæ similitudinem habet flore roseo, significat quod dolorem passionis Dominicæ in nostra conversationis angustia quotidie debemus imitari, juxta illud Evangelicum : Qui vult (inquit) venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me. Quod autem radix ejus unguentis expetitur, significat humilitatem Christi, omnium virtutum odorem commendare, et ad suavitatem æternæ dulcedinis electis Dei redundare. »

Applicantur humilitati et patientiæ.

Genes. XVIII. Job. XLII.

Lucæ IX.

Porro, moderni medici et physici de aspalatho dissident. Aliqui enim censent aspalathum esse sandalium rubrum, quos refellit Matthiolus in locum citatum Dioscoridis. Ibidem Amatus et Ruellius censent aspalathum esse lignum Rhodium, ex quo globuli precatorii conficiuntur : Matthiolo et Cornario planta est ignota. Verum, quia Biblia omnia impressa, etiam a Romanis emendata, constanter legunt, *sicut cinnamomum et balsamum*, non, *aspalathum*, itaque pariter legit Ecclesia in Officio Ecclesiatico B. Virginis, omnesque cæteri Doctores et Interpretes; hinc hanc quoque lectionem explicandam, imo retinendam censeo. Igitur, postquam Siracides comparavit sapientiam tribus arboribus majoribus, odoratis et præstantibus, scilicet cedro, cupresso, palmæ, nunc eamdem comparat tribus minoribus arbustis, sed magis odoratis et præstantibus, quorum quodque est *aromatizans*, id est, aromaticum odorem, quin et ipsum aroma ex se diffundens. Frutex enim cinnamomi fundit aroma cinnamomi, frutex balsami fundit opobalsamum (cum aspalathus nullam det resinam vel aroma), frutex myrrhæ stillat myrrham.

Porro, cinnamomum inter aromata delicatissima numeratur, adeo ut veteres finxerint illud in nido phœnicis nasci, teste Plinio, lib. XII, cap. XIX. Odorem habet suavem, sed pariter delicatum et subtilem : quocirca aliis aromatibus, ut nardo, myrrhæ, etc., misceri solebat. Unde Martialis, lib. IV, *epigramm.* 15 : Cinnamomum quale?

Jam bene rara suo miscentur cinnama nardo.

Et Ovidius, *Metamorph.* XV :

Quassaque cum fulva substravit cinnama myrrha.

Insuper Galenus, lib. *De Antidotis* : « Optimum, inquit, cinnamomum dignosces, si sit odoratissimum, et indicibilem quamdam odoris gratiam super alia aromata referat.

Cinnamomum dicitur quasi canna amomi : cannæ enim, vel calami speciem habet : unde Hebr. vocatur קנמון *kinnamon*, a קנה *cane*, id est canna. Ab Hebræo autem *kinnamon* Græci, Latini cæterique vocarunt *cinnamomum*. Quare minus vere Garcias ab Horto, lib. I *Aromatum historiæ* cap. XV, *cinnamomum* censet dici quasi *Chinensium amomum*, eo quod mercatores Chinenses ex Zeilano insula (ea enim optimum fert cinnamomum) illud in alias oras deveherent et venderent : unde Persæ illud vocant *Darchini*, id est lignum Chinense.

Balsamum vero inter aromata excellit : unde vocatur *aromatizans;* Tigurina, *aromaticum*, id est fragrans, non tantum odore, sed et aromate ex

eo stillante : stillat enim opobalsamum; ὀπος enim succum significat, *q. d.* succum balsami. Audi Plinium, lib. XII, cap. XXV : « Omnibus odoribus præfertur balsamum, uni terræ Judææ concessum, quondam in duobus tantum hortis, utroque regio, etc.; viti similior est quam myrto; folium proximum rutæ, perpetua coma. Inciditur vitro, lapide, osseisve cultellis, succus e plaga manat, quem opobalsamum vocant, eximiæ suavitatis, sed tenui gutta. » Balsamum, quale?

Audi et Brocardum, Saligniacum, Bredenbachium, et ex iis Adrichomium, in voce *Engaddi*, ubi nascitur balsamum : « Sunt, inquit, balsama arbusculæ, uni omnium terrarum Judææ quondam concessæ, quas vineas Engaddi Salomon in Canticis nominat; quarum frutices, si acuto vitro, lapide, osseisve cultellis incidantur, stillant succum pretiosissimum, eximiæ suavitatis, quem opobalsamum vocant, præferturque omnibus odoribus. Hunc hortum, seu vineas balsámi, tempore Herodis magni, Cleopatra Ægypti regina, concedente Antonio, vel amatore, vel marito, invidens tantam felicitatem Herodi, transtulit in Ægyptum, ubi irrigatur a fonte parvo, uberrime tamen fluente, in quo fama est sæpe lotum a B. Virgine puerum Jesum, adeoque ex eo potum sibi et sponsæ suæ sanctum Joseph paravisse, cum in Ægypto esset; atque ideo ab incolis in veneratione et cultu haberi maximo. Sunt tamen adhuc surculi quidem balsamorum in monte Engaddi, sed nullius cultus, nullius proventus : videlicet, hoc est justitiæ Dei justissimum judicium, qui sese ulciscitur de peccatoribus et persequentibus nomen suum, ut quoniam Herodes olim balsami possessor, puerum Jesum persequebatur, Jesus fugiens in Ægyptum, post se traxerit balsami hortum. » Et inferius : « Messis balsami talis est : decerpitur folium ex stipite contra solem, mox que gutta lucida et mire fragrans scaturit ex ruptura; et hic balsami pretiosissimus liquor vitreis vasis colligitur, minime fluxurus nisi ad ortum solis fiat ruptura. Fonticulus autem Jesu parvulus est, non sufficiens irrigationi totius horti : quare Saraceni alium foderunt juxta illum puteum, ex quo quatuor boves aquam protrahunt per rotam, sperantes ex vicinitate fontis Jesu aquam fore salubrem; at longe aliter res evenit, donec missis canalibus, aquam putei ducerent in fontem Jesu. Quo facto, largiter et salubriter ex aquis mixtis rigatur balsami hortus. Mirum dictu! Verumtamen a meridie sabbati usque ad auroram diei lunæ, boves nullo verbere impelli possunt, ut in protrahenda aqua laborent : quod est fidei nostræ testimonium celebre. Sed et Saraceni hic se et pueros suos lavant, non ut baptizentur, sed ut corporum suorum fœtorem naturalem evadant. » Hæc Adrichomius.

Hinc patet quam recte sapientia, sapientes et sancti, ac imprimis B. Virgo, comparetur cinnamomo et balsamo. Nam *primo*, balsamum proprium fuit Judææ, sed inde delatum et celebratum per totum orbem; sic et B. Virgo nata, educata, vivens et defuncta in Judæa, sui odorem et famam sparsit per totum mundum. Eadem, sicut ex Judæa fugiens Herodem, balsamum secum traxit in Ægyptum; ita et veram Dei cognitionem cultumque, puta Christianismum, ipsa a perfidis Judæis transtulit ad Ægyptios cæterasque gentes. B. Virgo similis balsamo.

Secundo, balsami odor virtutem habet masculam et fortem : quocirca balsamum velut virile et generosum, reliquisque unguentis præcellens, viris adhiberi solebat, cum feminis daretur amomum Assyrium, aliaque id genus delicata unguenta, juxta illud Martialis, lib. XIV, *epigram.* 54 : Secundo.

Balsama me capiunt, hæc sunt unguenta virorum ;
Delicias Nini vos redolete nurus.

Hinc sacramenti Confirmationis, quo perfecte christiani efficimur, ungimurque quasi milites et athletæ Christi ad pugnam contra diabolum, carnem et mundum, materia est chrisma, quod fit ex oleo et balsamo : ut scilicet christiani confirmati, memores jucundi odoris qui e balsamo efflatur, vitæ sanctitate, morumque suavitate cæteros omnes ad vitam Christianam virtutisque studium pellicere satagant.

Rursum Christi caro in Eucharistia est quasi balsamum, balsamans (ut ita dicam) corpora nostra, ut resurgant ad vitam immortalem : de qua re vide S. Joannem, cap. VI, vers. 50, 55, 58. Simili modo virtutum Deiparæ fragrantia nil habuit molle vel effeminatum, sed virilis fuit et mascula. Ipsa enim fuit virgo, imo virago, quæ non tantum feminas, sed et viros fideles in sui admirationem et imitationem rapuit, ut dicerent : « In odorem unguentorum tuorum curremus, » *Cant.* I.

Tertio, quod balsami arbor (ut recte annotavit noster Spinellus *De Deipara*, cap. XXI) non cultro ferreo, sed osseo ac lapideo, et vitro incidatur, et (ut quidam dicunt) ea parte quæ respicit solem; inde vero fluat balsamum candidum, quod deinde rubescit et durescit. Hoc etiam Deiparæ aptari potest, quæ Christum, solem justitiæ, aspiciens, eumque penitus in se excipiens, non ferri materialis sectione, sed filii compassione, qui lapis est angularis, et speculum sine macula vitreum, verisque ossibus constabat; transfigebatur, mittebatque non sanguinem, sed lacrymas et affectus candentes puritate, rubentes vero charitate : quorum meritum lucidissimum nullo unquam tempore mollitie evanescet, sed durum ad firmum stabit. Tertio.

Quarto, balsamum Deiparæ nulla admixtione olei vel mellis est vitiatum. Quod hoc cap. V, 21, ex persona ejus dicitur, illis verbis : « Et quasi balsamum non mixtum odor meus. » Hoc autem S. Bonaventura in *Speculo B. Virgin.* cap. V, eleganter explicat : « Balsamum, inquit, misceri solet et vitiari melle vel oleo; sed certe balsamum Spiritus Sancti in Maria non fuit mixtum, quia nec melle carnalitatis et mundanæ consolationis, nec Quarto.

oleo vanæ laudis et adulationis fuit vitiatum; sed vera et pura Mariæ gratia fuit. »

Quinto. *Quinto*, Pausanias in *Bœoticis*, lib. IX, scribit in Arabia plurimas viperas sub balsami arboribus latitare, easque sub illis commorantes balsami pastu venenum amittere, ipsarum item morsus ob id esse innoxios. At vero, præsidio Deiparæ, quæ est mystice balsami arbor, dæmonibus per serpentes significatis, venenum adimitur, ne eorum morsus et nefariæ quas immittunt suggestiones, Deiparæ devotis noceant.

Quocirca S. Bonaventura in *Speculo B. Virgin.* cap. VII : « Odor, inquit, Mariæ fuit sicut cinnamomum in cortice conversationis, sicut balsamum interius in unctione devotionis, sicut myrrha in amaricatione castigationis ; fuit quoque odor Mariæ sicut cinnamomum in actione, sicut balsamum in contemplatione, sicut myrrha in passione. O vere dives, quæ tam plena fuit odorifero Spiritus Sancti balsamo ! ut ait S. Bernardus super illud : Spiritus Sanctus superveniet in te. » Idem ibidem, cap. V : « Balsamum, inquit, Mariæ est unctio gratiæ, quæ Mariæ copiosissime est infusa; unde S. Bernardus loquens de verbo illo : Spiritus Sanctus superveniet in te, ait : Pretiosum illud balsamum tanta tibi copia, tantaque plenitudine influet, ut copiosissime effluat circumquaque. »

QUASI MYRRHA ELECTA DEDI SUAVITATEM ODORIS. — Tigurina, *ut præstantissima myrrha suaviter redolevi;* Syrus, *sicut myrrha electa suavem reddidi odorem meum.* Plinius, lib. XII, cap. XV, scribit myrrham esse arborem, id est arbustum altum quinque cubitos, spinosum, caudice duro et intorto, crassiore quam thuris, cortice levi, folio olivæ, sed crispiori et aculeato, juba olusatri, quæ bis per annum inciditur, ut resina, puta liquor myrrhæ defluat. Sudat autem, inquit, sponte priusquam incidatur, quæ vocatur stacte, sive lacryma myrrhæ, eaque myrrha est præstantissima : sicut inter aliarum arborum resinas, lacryma quæ sponte fluit, est optima; ac inter vina, lacryma quæ ex uvis maturissimis sponte distillat, est sapidissima. Myrrha notat sapientis mortificationem, quæ parit in anima miram Dei consolationem et suavitatem, quasi aroma myrrhæ suavissimi odoris : hæc animam a putredine vitiorum servat incorruptam, sicut myrrha corpora defunctorum servat incorrupta. Ita Rabanus. Rursum, myrrha est compunctio suaveolens Deo, et lacrymæ cordis compuncti; unde myrrhæ hoc exstat ænigma et hieroglyphicum :

Myrrha sapientiæ.

> De lacrymis, et pro lacrymis mea cœpit origo ;
> Ex oculis fluxi, sed nunc ex arbore nascor :
> Lætus honor frondis, tristis sed imago doloris.

Myrrha B. Virginis. Myrrha hac excelluit B. Virgo; unde de ea dicitur *Cant.* III : « Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ et thuris, et universi pulveris pigmentarii? » In thure enim oratio sursum ascendens, sicuti in myrrha amara carnis mortificatio, insuavis illa quidem, sed contra vitiorum putredinem apprime utilis, quæ orationem, ut sit efficacior, comitari debet, adumbrantur. In reliquo vero pulvere pigmentario, non modo virtutum omnium universitas, quæ in Virgine erant, designatur, verum etiam ne minutissimos quidem virtutum actus in Virgine desideratos ostendit, cum eos is qui in spiritualibus ditescere satagit, negligere non debeat. Hæc porro virgula in cœlum recta ascendebat, quia in Deum Virgo sanctissima semper erat intenta; virtutibus quoque redolens, tanquam aromatibus in pulverem redactis, et in charitatis igne positis, circumstantes mira odoris suavitate replevit.

Ita Sophronius, serm. *De Assumptione* : « Dicta sane, inquit, quasi virgula fumi, quia gracilis et delicata ; quia divinis extenuata disciplinis, et concremata intus in holocaustum incendii pii amoris, et desiderio charitatis. Ut virgula fumi ex aromatibus, nimirum, quia multis repleta est virtutum odoribus; manans ex ea fragrabat suavissimus odor, etiam Angelicis spiritibus. » Sic et Petrus Damianus, serm. *De Assumpt.* : « In myrrha, ait, continentiam, in thure devotionem intellige. » Et mox : « Hæc sunt duo quæ virginalem substantiam totam circumdedere virtute, continentia scilicet et devotio; quorum alterum carnem, alterum mentem ita possedit, ut caro mundissima, mens purissima genitricem Domini singularius consecrarent. » Et infra : « Universus pulvis pigmentarius in Virgine conjectus est, quia in ea virtutum conventus reverendum sibi thalamum consecravit; et, si cæteris per partes spiritus affuit, Mariæ tamen tota pulchritudo gratiæ supervenit. Hæc integræ fuerunt in ea species, scilicet pigmentariorum aromatum, sed in subtilissimum pulverem comminutæ : quia ipsa est quæ, fortioribus tribulantium malleis supressa, vidit suum et Dei filium affigi cruci, militari lancea perforari, inter duos latrones positum exspirare. »

Porro myrrhæ, id est mortificationi fuisse addictam B. Virginem patet, tum ex eo quod adstare voluit Christo filio suo cruci affixo, ut mortis et mortificationis ejus esset socia et consors; tum ex nomine : Maria enim, ut multi volunt, dicta est a מרר *marar*, id est amarus fuit; tum ex eo quod scribit S. Bonaventura in *Meditat. vitæ Christi*, cap. III, B. Virginem cuidam personæ sibi devotæ (quam ipse putat fuisse S. Elisabetham) hæc verba dixisse : « Filia, dico tibi quod nullum donum, gratiam vel virtutem habui a Deo sine magno labore, continua oratione, ardenti desiderio, profunda devotione, multis lacrymis, et multa afflictione; dicendo cogitandoque semper placita sibi, sicut sciebam et poteram, excepta sanctificationis gratia, qua sanctificata fui in utero matris. » Addiditque : « Pro certo scias quod nulla gratia descendit in animam, nisi per orationem et corporis afflictionem. » Idem sibi revelatum asserit S. Brigida in suis *Revelationibus*.

Nota.

Gratia non venit nisi per orationem et mortificationem.

Vers. 21. 21. ET QUASI STORAX, ET GALBANUM, ET UNGULA, ET GUTTA, ET QUASI LIBANUS NON INCISUS VAPORAVI HABITATIONEM MEAM. — Græca breviter sic habent, *ut galbanum, et onyx, et stacte, utque thuris vapor in tabernaculo;* Tigurina, *redolui ut galbanus, ut onyx, ut stacte thurisque odor in tabernaculo. Storax* est lacryma sive resina et succus odoratus arboris quæ styrax dicitur, de quo Dioscorides, lib. I, cap. LXXVIII, et Plinius, lib. XII, cap. XVII et XXV; ex eo fit unguentum styracinum, quod capillos non tantum bono odore, sed et flavo colore imbuit et insuccat. *Galbanum* est lacryma, vel resina fruticis, quæ in Syria ferula dicitur, de qua Plinius, lib. XII, cap. XXV. *Ungula,* Græce ὄνυξ, id est onycha, id est unguis odoratus, est aroma colore unguis humani. *Gutta* est stacte sive lacryma myrrhæ : στάζειν enim est distillare. Hæc tria sunt aromata odorata, ex quibus, mixto thure, fiebat thymiama. Thymiama enim, quod quotidie mane et vespere Deo offerebatur in altari thymiamatis, componebatur ex galbano, onycha, stacte et thure lucidissimo, ut patet *Exodi* XXX, 34; vide ibi dicta. Igitur significatur hic sapientiam odoratam esse instar thymiamatis, adeoque ipsam esse thymiama Deo et hominibus acceptissimum.

Notat Palacius non alia sapientiæ hic tribui aromata, quam quæ serviebant templo, adeoque erant Deo sacra : « Ut occulte indicetur, inquit, grande secretum, scilicet futurum, ut ipsa incarnata Sapientia se Deo in sacrificium suavissimi odoris offerret, et in cruce igne charitatis cremaretur, sicut thymiama cremabatur; atque ex eo sacrificio, odor coram Patre suavior ascenderet, quam ex sacrificio Noe et omnibus aliis unquam ascendit. Indicans præterea quod, sicut his aromatibus conficiebatur unguentum, quo omnia in templo ungebantur, et sancta reddebantur : ita Christi sapientia, spiritu et gratia ungi debent, quæcumque coram Deo sancta reddi debent. Neque enim datum est sub cœlo aliud nomen, in quo oporteat nos salvos fieri, » *Actor.* IV. Quare vapor odoris Christi, in cruce suspensi, replevit cœlestem habitationem simul et terrestrem, puta totam Ecclesiam, ut omnes divinam ejus charitatem, patientiam, obedientiam cæterasque virtutes admirari et imitari cœperint.

ET QUASI LIBANUS NON INCISUS VAPORAVI (id est, replevi vapore odorato) HABITATIONEM MEAM. — Libanus vocatur thus, unde? *Libanus* hic non montem Libani, sed thus aut arborem thuris, ex qua distillat et colligitur thus, significat : quia enim Hebræi thus vocant לבונה *lebona,* hinc Græci thus quoque vocarunt λίβανος : λίβανος autem vocatur ipsa arbor thus producens, quæ a Virgilio, lib. II *Georgic.* vocatur *thurea virga;* λιβανωτὸν vero vocatur ipsum thus, ait Theophrastus, lib. IX, cap. IV, et alii : sed sæpe hæc confunduntur, et utraque vox jam dicta significat ipsum thus et aroma thuris, uti hic fit. Hinc quoque Libanum montem dictum ab Hebræo *lebona,* id est thus, quod thuris sit ferax, censet Andreas Masius, et ex eo noster Serarius in *Josue,* cap. I, *Quæst.* VII, licet Franciscus Ribera in cap. II *Habacuc,* a candore nivium dictum Libanum putet : לבן *laben* enim Hebræis significat album : nam, ut ait Tacitus, lib. V *Hist.* : « Regio hæc præcipuum montium Libanum erigit, mirum dictu, tantos inter ardores opacum fidumque nivibus. » Utramque notionem jungunt nonnulli : quia enim *thus* ibi *candidum* nascitur, ideo Libanum appellatum censet S. Hieronymus. Porro thus laudatissimum sola profert Arabia : unde Virgilius, *Georg.* II :

Solis est thurea virga Sabæis.

Addit *non incisus* : quæ vox jam non est in Græco, sed plane videtur ex eo excidisse scriptorum oscitantia, eo quod sequatur ἀτμὶς, id est vapor, quæ vox vicina est voci ἄτομος, id est *non incisus* : quam cum non intelligerent scribæ, putarunt errore repetitam, idemque esse quod ἀτμὶς, ideoque eam omiserunt. Est enim duplex λίβανος, id est thus : prius vocatur ἄτομος vel ἄτμητος, id est non sectum, non incisum, sed indivisum et integrum : hoc primas tenet, ideoque masculum vocatur. Posterius vocatur, ἔντομος καὶ τμητός, id est, incisum et sectum, sive divisum et comminutum, ac sæpe cum alia re permixtum.

Thus incisum, quod? Porro, thus incisum censent nonnulli esse id quod ex arbore incisa stillat : non incisum, quod ex ea quasi gravida et prægnante, sponte quasi destinato et fecundo naturæ partu, profluit, quod maturrimum et optime concoctum, ideoque perfectissimum et odoratissimum est. Sic enim cæteræ arbores resinosæ, ut myrrha, pinus, storax, balsamum, sponte sudant gummi sive resinam, quæ melior est illa quæ per incisionem, quasi vi ab arbore incocta et imperfecta elicitur et extorquetur : sicut embryo qui a matre sponte paritur, perfectior est eo qui a matrice per incisionem vi elicitur. Verum quia Plinius non meminit alterius thuris, quam quod per incisionem, quæ bis in anno fit, elicitur, hinc Jansenius, Palacius et alii censent, thus ἄτομον, id est non incisum, sive insectum et indivisum, vocari id, quod ab arbore incisa integrum in massam sponte confluit, cum hærente lacryma priore sequens miscuit se : cui præcipua gratia est, teste Plinio, tum quia id signum est bene concocti, maturi et fecundi thuris; tum quia vis unita fortior est seipsa divisa. Cum enim guttæ seorsim sparguntur, evaporat vis thuris, illudque proinde vocatur incisum, sectum, divisum, quod minus est odoratum. Audi Plinium, lib. XII, cap. XIV : « Quod, inquit, ex rotunditate guttæ pependit, masculum vocamus. » Et mox : « Præcipua autem gratia est mammoso, cum hærente lacryma priore, consecuta alia miscuit se. Singula hæc manum implere solita invenio, cum minore diripiendi aviditate lentius nasci liceret. Græci stagoniam et atomum (id est, *non incisum*) tali modo appellant; minorem autem orobiam (male quidam legunt *arabian*; pejus alii, *Arabiam*)

micas concussu elisas mannam vocamus. » Et inferius : « Probatur candore, amplitudine, fragilitate, carbone, ut statim ardeat. Item, ne dentem recipiat potius quam in micas frietur. » Sic et Dioscorides, lib. I, cap. LXX : « Thus, ait, gignitur in Arabia. Primas tenet masculum, stagonias appellatum, suapte natura rotundum : tale autem individuum est, candidum cum frangitur, intus pingue, in suffitu statim ardens. Indicum vero flavescit et colore livet, sed rotundum industria factitant, etc., quod atomum aut syagrum appellant. Secundum locum habet Arabicum, quod aliqui copiscum vocant, minus multo et fulvius. »

Dicit ergo Sapientia de se : « Ego quasi libanus non incisus vaporavi habitationem meam, » *q. d.* Sicut thus masculum, carbonibus impositum, odore optimo, quem evaporat, replet domum, quo omnes noxios humores aerisque corruptiones desiccat et consumit : sic pariter ego Sapientia populum Hebræum, in quo habitationem mihi delegi, mea suavissima doctrina et lege imbui, qua omnes infidelitatis, impietatis omniumque vitiorum errores consumpsi, eumque suavissimo cœlestis gratiæ virtutumque odore imbui, ac mira consolatione recreavi. Sicut ergo thus curat oculorum lippitudinem, fluxum sanguinis, tenasmum, tussim, impetigines, inflammationes, arthritidem, dysenteriam, hemicraniam, ulcera; memoriam auget, fugat tristitiam, lætificat cor, etc., uti docet Dioscorides, lib. I, cap. LXX et seq., ac ibidem ex Galeno Matthiolus : sic pariter sapientia omnes animæ ægritudines curat et sanat, præsertim virtute orationis, cujus symbolum est thus, ut paulo ante dixi. Unde thus dicitur, ἀπὸ τοῦ θύω, id est, odorem facio; vel potius θύω, id est sacrifico, quod qui sacrificabant, thure utebantur. Omnes enim gentes, omnibus sæculis, thus soli Deo dederunt, illique thurificarunt. Unde *thuris honores* vocantur honores divini, qui non nisi Deo debentur et deferuntur. Multo magis Christus, qui est Sapientia Patris, hæc omnia præstitit et in dies præstat Christianis. Ipse ergo vaporavit et vaporat Ecclesiam suam, in qua habitat, miraculis, doctrinis, legibus, consiliis Evangelicis, divinis virtutum omnium exemplis, quorum vapor et odor suavissimus divinitatem ejus spirat, fideles recreat, infirmos sanat, mœrentes lætificat, debiles corroborat, Angelos et Deum ipsum exhilarat, præsertim odor et vapor admirandæ passionis ejus et mortis in cruce.

Thuris virtutes applicantur sapientiæ.

ET QUASI BALSAMUM NON MIXTUM ODOR MEUS. — Hæc verba nonnulli delent, eo quod non sint in Græco, et de balsamo dictum sit vers. 20. Verum hic balsamum illud explicat et determinat, aitque esse non mixtum, id est purum et merum. Balsamum enim multis modis aliarum rerum mixtione adulteratur. Audi Dioscoridem, lib. I, cap. XVIII : « Æstivis, inquit, sub ortu canis ardoribus, arbor unguibus ferreis inciditur, manatque e plaga succus, quem opobalsamum vocant; sed tam exiguo stillatu, ut annis singulis ne plures quidem quam seni septenive congii cogantur, inibique pondus duplo rependitur argento. Succi probatio est, ut sit recens, validi odoris, sincerus, non ad acorem vergens, dilui facilis, levis, adstringens, ac modice mordens gustu. Sed varie vitiatur, mixto ab aliquibus terebinthi, cypri, lentisci, balani unguento; item susino, metopio, melle, aut cypria cera liquida. Quod maleficium facile deprehenditur : namque merus in laneam vestem fusus, neque maculam facit, neque si eluatur notam relinquit; vitiatus autem inhæret; et lac instillatus coagulat, quod adulteratus non efficit. Quin etiam sincerus in aqua aut lacte celerrime liquatur, coloreque lactescit : vitiatus vero olei modo innatat, se convolvens, aut in stellæ modum diffundens. Sincerus senescens crassescit, deteriorque redditur. » Et mox sinceri balsami virtutes recensens : « Horrores, inquit, illitu discutit : ulcera sordida expurgat, et cruda concoquit : urinam potu ciet, ægre spirantibus prodest : datur in lacte contra aconitum haustum, aut serpentium ictus. Miscetur acopis, malagmatis et antidotis. In summa, præcipua auctoritas succo, secunda semini, minima ligno. Semen commode potui datur doloribus lateris, pulmonum vitiis, tussi, ischiadicis, comitialibus, vertiginosis, orthopnoicis, urinæ difficultati, torminibus, ac serpentium morsibus : ad muliebres suffitus perquam utile est : vulvam aperit, » etc.

Balsamum quomodo adulteretur?

22. EGO QUASI TEREBINTHUS EXTENDI RAMOS MEOS, ET RAMI MEI HONORIS ET GRATIÆ. — De terebintho audi Plinium, lib. XIII, cap. VI : « Syria terebinthum habet. Ex his mascula est sine fructu. Feminarum duo genera. Alteri fructus rubet lentis magnitudine, alteri pallidus. Cum vite matures-cit, non grandior faba, odore jucundior, tactu resinosus circa Idam Troadis. Sed in Macedonia brevis arbor hæc atque fruticosa, in Damasco Syriæ magna. Materies ei admodum lenta, ac fidelis ad vetustatem, eximii ac nigri splendoris; flos racemosus olivæ modo, sed rubens; folia densa. » Idem, lib. XIV, cap. XX, « optimam tenuissimamque resinam fundit, » quæ inde terebinthina vocatur, vulgo *termentina*.

Vers. 22.

Hæc omnia sapientiæ, prædicationi Evangelii, et Ecclesiæ, quæ ramos per totum orbem expandit, particulatim adaptat Rabanus. Sapientiæ autem rami, id est, propagines sunt *honoris*, Græce δόξης, id est gloriæ; et *gratiæ*, quia illi ejusque asseclis conciliant gratiam, honorem et gloriam, tam apud homines quam apud Deum et Angelos. Sicut enim arboris honor et decor sunt folia, et multo magis flores et fructus, juxta illud Virgilii, *Georg.* II :

Terebintho similis sapientia.

> Et jam olim seras posuit cum vinea frondes,
> Frigidus et sylvis Aquilo decussit honorem,

id est folia; sic sapientiæ honor et decor sunt ejus rami, id est propagines, quibus se per omnes

fideles, doctores et Ecclesias extendit et propagat: quibus totidem quasi comata est gratiis et honoribus, quot foliis rami in viridi qualibet ac frondosa arbore, præsertim terebintho, comati et coronati sunt. Simile est *Ezech.* XXXI, 3.

Rhododaphne quæ?

Syrus pro *terebintho* vertit *rhododaphnen* : « Ego, inquit, sicut rhododaphne tetendi radices meas, et rami mei rami laudis et honoris. » Rhododaphne frutex est, ita dictus a flore roseo et folio laureo : ῥόδον enim est rosa, δάφνη laurus : vocatur et rhododendros, quasi rosa arborescens, aut nerium, « sempiternum fronde, inquit Plinius, lib. XVI, cap. XX, rosæ similitudine, caulibus fruticosum, jumentis caprisque et ovibus venenum est. Idem homini contra serpentium venena remedio. » Sicut ergo rhododaphne jumentis est noxia, hominibus salutaris; sic quod stultis periculum affert, ut adversitas, rerum copia, scientia, hoc ipsum sapientia et sapiens vertit in suum bonum et salutem.

Verum Græca et Latina constanter habent *terebinthus*. Alludit ad terebinthum sub qua Jacob idola defodit et obruit. *Genes.* XXXV, quæ figurabat Christum : Christus enim idola et idololatriam sepelivit et sustulit; ex cujus corpore terebinthina, resina pretiosissima, defluxit : quando ab eo Sacramenta legis novæ instituta, et copiosa illis indita fuit gratia, quæ manare non cessat nobis ea quæ ad salutem sunt necessaria.

Vers. 23.

23. EGO QUASI VITIS FRUCTIFICAVI (id est *germinavi*, ut habent Græca) SUAVITATEM ODORIS : ET FLORES MEI FRUCTUS HONORIS ET HONESTATIS. — Pro *honestatis* Græce est πλούτου, id est *divitiarum* : sic passim hoc libro *honestatem* vocat divitias, uti vulgo honestos vocamus divites et opulentos. Græca Romana sic habent, *ego similis sum viti germinanti gratiam, et flores mei fructus sunt gloriæ et divitiarum ;* Complutenses pro χάριν, id est, *gratiam*, legunt εὐωδίαν, id est suavem odorem, quomodo legit Noster Latinus. Tigurina, *ego quasi vitis odoram emisi gratiam, et flores mei fructus gloriæ sunt et divitiarum;* Syrus, *ego sicut vitis decorata pulchritudine, et frondes mei frondes splendoris et decoris.*

Sapientia similis viti. Primo.

Sapientia viti se assimilat, *primo*, in εὐωδίᾳ, id est in flore et suavitate odoris. Vitis enim dum floret suavem expirat odorem : sic et sapientia se omnibus gratam, amabilem, jucundam et delectabilem præstat; atque hac ratione omnes delec-

Secundo.

tat, recreat et ad se allicit. *Secundo*, in fructu, quod scilicet sicut flores vitis mox producunt fructum, puta uvam, quæ præ cæteris honoratus et nobilissimus est fructus, æque ac honestissimus et ditissimus : ex uva enim exprimitur vinum suave, copiosum et generosum, quod magni est pretii. Unde illud Alcæi monitum : « Nullam aliam arborem severis prius vite, » quod citat Athenæus; et illud Poetæ :

Vinea terrarum pars optima, ruris ocellus,
Autumni prima es gloria, primus honor.
Cœlum te dicam; nam quot cœlo astra refulgent,
Tot nitidis astris æmula poma tenes.

Sic et sapientia fructus nobilissimos affert, nimirum honorem, gloriam et opes, tum spiritales, tum corporales, quas explicat dum subdit : « Ego mater pulchræ dilectionis, » etc. Porro, iidem sunt sapientiæ fructus et flores, quia idem in ea est sapidum et floridum, utile et pulchrum. Audi Rabanum : « Quid, inquit, per hanc vitem, nisi ipse exprimitur, qui in Evangelio discipulis suis ait : Ego sum vitis vera, et vos palmites? cujus vitis liquor lætificat cor hominum, quando bibendo sanguinem ejus, gaudentes laudant redemptionis suæ venerabile Sacramentum : hæc vitis fructificat suavitatem odoris, quando per totum orbem fama spargitur Evangelicæ prædicationis ; floresque ipsius fructus sunt honoris et honestatis, quia jucunditas et decor omnium virtutum quotidie ejus dono florescit, atque clarescit in credentium turbis. » Vide quæ de vite ejusque analogiis cum sapientia et sanctitate, dixi *Ezech.* XV, 2. Hac de causa S. Ephrem Syro, coævo S. Basilii, per visum apparuit vitis fructifera, denotans ejus sapientiam, copiam et suavitatem dicendi scribendique, uti habet ejus Vita initio operum ipsius. *Joan.* XV.

Vitis Deipara.

Mystice, vitis est Deipara, quæ uvam pretiosissimam protulit, puta Christum, ex quo, in torculari crucis presso, expressum est vinum rubrum, quod inebriat omnes fideles. Ita Damascenus, orat. 1 *De Nativitate* : « Vinea, inquit, uberrima (Deipara) ex Anna pullulavit, atque uvam suavissimam protulit, nectar mortalibus fundentem in vitam æternam. » Et S. Ildephonsus, serm. 1 *De Assumpt.* : « Mater Domini, inquit, quasi vitis fructificavit suavitatem odoris, et protulit cunctis gentibus fructus honestatis et gratiæ. » Ipsa ergo quasi vitis protulit uvam et vinum, puta Christum, quod Deum lætificat et homines, *Judic.* IX. Unde S. Bernardus, serm. 4 super *Salve Regina*, sic Deiparam alloquitur : « Defecit vinum in cadis nostris, vinum scilicet lætificans cor hominis, de quo Propheta, quod germinat virgines; hujus pincerna tu, vexillifera tu : vexilla Regis prodeunt in nobis, te agente pro nobis : calix in manu tua vini meri, in manu tua, in potestate tua, vini meri amoris divini. Calix hujus vini inebrians quam præclarus est! inebriat ad contemptum mundi; calefacit, quia ferventes facit; acuit, quia erudit; audaces facit contra adversa, fortes et invincibiles a carne, mundo et dæmonibus; obliviosos, eorum scilicet quæ retro sunt, et in futura extensos; discretos, quia erudit ad justitiam; somnolentos ad temporalia et tædiosos, ad invisibilia vero contemplanda pronos et promptos. Per te panem speramus, qui cor hominis confirmat, de quo Scriptura : Panem Angelorum manducavit homo. » Hucusque S. Bernardus, agens de vino amoris

Zachæria. 9.

Psal. LXXVII.

divini, quem mater pulchræ dilectionis filiis suis impetrat.

Flores hujus vitis sunt « fructus honoris et honestatis; » quia B. Mariæ virginitas et humilitas, quasi flores, protulerunt fructum infiniti honoris, scilicet Deum hominem, qui in Eucharistia est « frumentum electorum, et vinum germinans virgines, » *Zachar.* cap. IX. Rursum, cum de hac vite dicitur : « Et flores mei fructus honoris et honestatis, » his verbis significatur Deiparæ illibata simul et fecunda virginitas. Hæc enim adeo honestate delectatur, ut carnis voluptates non tantum rationi dissonas, quas rejicere castitatis est munus, aversetur; sed ne licitas quidem in usu conjugii admittat. Quocirca hæc summa virginitatis honestas honori merito conjungitur, quod homines adeo honore dignos efficiat, ut eos angelis ipsis perquam similes reddat. Deinde, quia flos symbolum est virginitatis, et sicut fructus symbolum esse potest fecunditatis. Cum ergo « flores (Deiparæ) fructus honoris, » dicantur et « honestatis, » his verbis virginitas ejus fecunda, et fecunditas virginea omni honore prosequenda, omnique honestate conspicua ostenditur. Etenim in arboribus flores simul cum fructibus, qui ex iisdem emanant, et in quos ipsimet flores transeunt, existere nequaquam possunt; sed, erumpente fructu, decidit flos; quamdiu autem flores vigent, fructus nondum advenere : ita et in cæteris mulieribus virginitas cum fecunditate eodem tempore esse nequit. At vero in sola Deipara, super omnem naturæ cursum, hæc duo conjuncta reperiuntur. Quocirca ipsa una merito dicere potest, flores suos esse pariter et fructus : nam eleganter quidam cecinit :

Partus et integritas discordes tempore longo
Virginis in gremio fœdera pacis habent.

Hoc est quod stupens S. Bernardus intonat, homil. 2 super *Missus est* : « Deum hujusmodi decebat nativitas, qua non nisi de virgine nasceretur : talis congruebat virgini partus, ut non pareret nisi Deum. » Quocirca exclamat S. Augustinus. serm. 9 *De Natali Domini*, qui est 13 *De Tempore* : « O miracula, o prodigia! naturæ jura mutantur, in homine Deus nascitur : virgo sine viro gravidatur, viri nesciam sermo Dei maritat; simul facta est mater et virgo; mater facta, sed incorrupta : virgo habens filium, nesciens virum : semper clausa, sed non infecunda. Solus enim sine peccato est natus, quem sine virili complexu non concupiscentia carnis, sed obedientia genuit mentis. »

QUINTA PARS CAPITIS,

QUA SAPIENTIA SUOS FRUCTUS, VERSU PRÆCEDENTI PROMISSOS, ENARRAT, SCILICET DILECTIONEM, TIMOREM, AGNITIONEM, SANCTAM SPEM, OMNEMQUE VERITATEM, VITAM ET VIRTUTEM.

Vers. 24. 24. EGO MATER PULCHRÆ DILECTIONIS, ET TIMORIS, ET AGNITIONIS, ET SANCTÆ SPEI. — Pro *agnitionis* codex manuscriptus montis Amiati legit *magnitudinis;* et sic legitur in Officio parvo B. Virginis, in capitulo ad Completorium. Forte scriptor quispiam pro *agnitionis*, scripserit abbreviate *agnitis;* quod alius describens, nec intelligens, putarit errore omissam litteram, inscripseritque *magnitudinis* : scioli enim plura talia depravarunt. Nam vera lectio est *agnitionis* : sic enim constanter legunt cæteri codices Græci et Latini, manuscripti et typis excusi, atque Rabanus, Lyranus, Hugo, Dionysius, Jansenius aliique interpretes. Tigurina vertit, *ego pulchræ charitatis, ego religionis, et cognitionis, speique sanctæ mater sum.*

Quatuor fructus sapientiæ. Sapientia hic fructus suos, quos in suis discipulis producit, explicat, eosque quatuor assignat. *Primus*, est dilectio pulchra : est enim dilectio turpis et illecebrosa illi contraria, qualis est dilectio fornicariorum et amatorum mundi : unde Græce est κακῆς, quod tam bonam quam pulchram significat. *Secundus*, est timor, id est Dei metus, reverentia et cultus. *Tertius*, est agnitio, Græce γνῶσις, id est cognitio, scientia, intelligentia, puta, qua plene Deum resque cœlestes et divinas cognoscamus. *Quartus*, est sancta spes, qua a Deo certo speremus omne bonum, puta omnem gratiam et gloriam. Porro, hæc quatuor rite sibi invicem subordinantur. Ex dilectione enim Dei nascitur ejusdem reverentia et cultus, ex reverentia sequitur plenior ejusdem cognitio, ex cognitione major nascitur spes et fiducia.

Quocirca, dum hæc verba Ecclesiastici legi audiret D. Henricus Suso, minister æternæ Sapientiæ, in ejus connubium exardescens, raptus vidit eam specie quasi puellæ, mox specie juvenis elegantis, in columna nubis resplendentem in throno eburneo, fulgore solis radiantem. « Corona ejus erat æternitas, amictus felicitas, sermo suavitas, complexus omnis satietas. » Et dixit ei : « Præbe mihi, fili, cor tuum. » Ita habet auctor Vitæ ejus, cap. IV. Audi Rabanum : « Sapientia Dei, inquit (quæ est Christus), mater est pulchræ dilectionis, et origo omnium virtutum; quia ipsius gratia

generatur in cordibus electorum affectus veræ charitatis, timor salubris, intellectus scientiæ spiritalis, spesque vitæ æternæ et gaudii futuri. Sine eo quoque nihil boni habemus : quoniam omne datum optimum, et omne donum perfectum, desursum est, descendens a Patre luminum : ipse est fons vitæ, et in lumine ejus videbimus lumen. De quo et Paulus ait : Gratia Dei (inquit) sum id quod sum. » Notat Palacius, τὸ *mater* significare dolores Christi, quibus ipse in cruce has virtutes parturiit, id est promeruit ut a Patre nobis concederentur.

Jacob I.

et B. Virginis.

Mystice, B. Virgo est mater pulchræ dilectionis. Nam, ut ait S. Bonaventura in *Speculo B. Virginis*, cap. VI, spectans ad illud *Isaiæ* XI : *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus*, etc. « Quicumque, inquit, septiformem Spiritus Sancti gratiam adipisci desiderat, ipsum florem Spiritus Sancti in virga quærat : per virgam enim ad florem, per florem ad spiritum in ipso requiescentem pervenimus; per Mariam ad Christum accedimus, et per Christum gratiam Spiritus Sancti invenimus. Propterea S. Bernardus, Mariam alloquens, ait : Per te accessum habeamus ad Filium, o benedicta inventrix gratiæ, genitrix vitæ, mater salutis, ut per te suscipiat nos, qui per te datus est nobis. » Hæc Bonaventura. Hinc in Litaniis B. Virgo vocatur et invocatur *Civitas refugii*. Ita ad eam in quavis tribulatione confugerunt Sancti. Ecclesia certe eam, in *Salve Regina*, spem nostram vocat : « Et spes nostra, salve. » Ita S. Bernardus, sermone *De Aquæduc.* : « Filioli, inquit, hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ. » De S. Francisco S. Bonaventura in ejus Vita, cap. IX : « In matre, inquit, Domini post Christum præcipue fidens, eam sui ac suorum advocatam constituit. »

S. Ephrem, ad Virginem preces fundens, multa in eamdem sententiam addit. S. Damascenus, orat. 1 *De Dorm.* : « Tibi, inquit, nos quoque hodierna die assidemus, o Domina, domina, atque iterum dicam, domina, Dei genitrix et virgo, animas nostras ad spem tuam non secus atque ad firmissam quamdam anchoram alligantes, mentem, animam, corpus, totos denique nos tibi dicantes ac consecrantes, psalmis et hymnis spiritualibus quantum possumus honorantes. » Germanus, Patriarcha Constantinopolitanus, orat. *De Oblat. Deiparæ*, in fine : « Certe, inquit, domina Dei parens, certe meum refugium, vita et defensio, arma et gloriatio, spes et robur meum : concede mihi, ut et ego quoque fruar inenarrabilibus, et quæ comprehendi non possunt, tuis bonis in cœlesti perseverantia. Habes enim, sat scio, cum tua voluntate concurrentem potentiam, ut quæ sis mater Altissimi, et propterea audeo. Ne ergo priver mea exspectatione, o domina intemerata, quæ universorum exspectationem supra rationem peperisti, Dominum nostrum Jesum Christum. » Hæc ille.

25. IN ME GRATIA OMNIS VIÆ ET VERITATIS, IN ME OMNIS SPES VITÆ ET VIRTUTIS. — Pro *virtutis* Tigurina vertit, *præsidii;* alii, *vigoris et roboris* : hoc enim significat Hebræum חיל *chaïl*, quod Noster vertere solet, virtutem. Unde Emmanuel Sa : « Virtutis, » inquit, id est fortitudinis : virtus enim a viro dicta est, quia virilis est et mascula. Rabanus, Jansenius et alii, pro *viæ* legunt, *vitæ*, et intelligunt vitam gratiæ; deinde, cum sequitur *vitæ*, intelligunt vitam gloriæ, *q. d.* Per me obtinetur omnis gratia, et quæ in bona vita consistit, et quæ in veritatis agnitione sita est. Per me habetur omnis spes, et quæ est de vita æterna obtinenda, et quæ est de virtute habenda, quæ ad vitam æternam consequendam est necessaria. Verum Biblia Romæ correcta priori loco pro *vitæ*, legunt *viæ;* estque hendyadis : *viæ veritatis*, id est viæ ad veritatem, *q. d.* In me est gratia ostendendi docendique omnem viam et modum quo ad veritatem veramque vitam et gratiæ et gloriæ itur et pervenitur, juxta illud Christi, qui huc allusit : « Ego sum via, et veritas, et vita, » *Joan.* XIV. Vers. 25.

In sapientia est omnis veritas et virtus.

Aliter Palacius, *q. d.* Ego intra me habeo omnes gratias viæ, veritatis et vitæ, ut nemo eas possit habere nisi per me. Habet igitur sapientia omne bonum pertinens ad hoc sæculum, quod est via; et futurum, quod est veritas : ita ut nullus speret vitam gratiæ aut gloriæ, neque etiam virtutem (quæ virtutis perfectum nomen habeat) nisi ex dono sapientiæ.

Porro, audi de hac omni gratia sapientiæ D. Henricum Susonem, ministrum æternæ sapientiæ, in *Dialog.* cap. VII : « In te, ait, pulchritudo est infinite amabilis, gratia mire formosa, sermo cum bonis moribus, nobilitas cum virtute, divitiæ cum potentia, interna libertas cum externa claritudine conjuncta : et præter hæc, quod in toto mundo nusquam comperi, plena virtus ac facultas perfecte explendi omne votum, omne desiderium, et quantumvis sitibundam cordis probe diligentis voluntatem. Quo perfectius agnosceris, eo ferventius amaris : quanto tibi quispiam est familiarior, tanto te sentit amabiliorem. Papæ, quam es bonum prorsus immensum, inexhaustum, purissimum ! Quæso, advertite, mortales omnes, quam misere illis impositum sit, qui suum amorem in quidvis aliud conferunt. Procul a me recedite, amatores stultissimi ac vanissimi : non mihi appropinquetis unquam. Hanc unicam delegi amicam cordi meo, quæ sola cor, animam, appetitiones, affectum, et vires meas omnes complet ac exsatiat amore intimo, nec unquam interitur. » Deinde, ad eam toto affectu suspirans, eamque compellans : « Utinam, Domine Jesu, cordi meo te inscribere, utinam in ipsas cordis et animæ medullas aureis litteris eliquare te possim, ne ulla te deleret aut aboleret vetustas ! Heu me miserum ! heu me infelicem ! quod cor

meum non perpetuo tibi dedidi, te uno occupavi. Quid mihi ex aliis omnibus amoribus meis reliqui est, nisi temporis jactura, verba in ventum jactata, manus vacua, perexigua bona opera, atque conscientia vitiis onusta? »

Sic et in B. Virgine. Mystice, hæc competunt B. Virgini; nam, ut ait S. Augustinus vel quisquis est auctor (non enim est S. Augustinus), serm. 20 *De Nativit. Domini ad Fratres in eremo* : « Propterea Maria mater electa est, et super omnes creaturas præelecta, omnibus gratiis fecundata, omni virtute et sanctitate in utero repleta, ut de mundissima matre mundissimus filius nasceretur : et, sicut in cœlis Filius habet patrem immortalem et æternum, sic et in terra haberet matrem omni corruptione carentem. » S. Gregorius, lib. I *in* I *Regum.*, cap. I : « Potest, ait, hujus montis nomine beatissima semper virgo Maria Dei genitrix designari : mons quippe fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis suæ dignitate transcendit. An non mons sublimis Maria, quæ, ut ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum choros usque ad solium deitatis erexit? Hujus enim montis præcellentissimam dignitatem Isaias *Isaiæ* II. vaticinans ait : Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, *Isaiæ* II. Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ super omnes Sanctos refulsit. » Huc accedit Albertus Magnus, homil. super *Missus est* : « Congregationes, inquit, aquarum vocavit Deus maria, locus autem omnium gratiarum vocatur Maria. » Et S. Bonaventura in *Speculo B. Virgin.* cap. III et seq. : « Maria, inquit, dicitur mare propter affluentiam et copiam gratiarum; unde scriptum est *Eccles.* I : Omnia flumina intrant in mare, dum omnia charismata sanctorum intrant in Maria. » Et mox : « Unde ipsa optime dicere potest illud *Ecclesiast.* XXIV : In me omnis spes viæ et veritatis, in me omnis spes vitæ et virtutis. » S. Thomas, *Opusc.* VIII, probans B. Virginem plenam gratia, quam refundit juvando alios : « In omni, inquit, opere virtutis potes eam habere in adjutorium, et ideo dicit ipsa » *Ecclesiast.* cap. XXIV : In me omnis spes vitæ et virtutis. » Rursum S. Bonaventura in *Speculo*, cap. VI, probans plenitudinem gratiæ Deiparæ, præsertim donorum Spiritus Sancti : « Maria, inquit, gratulabunda dicere potest illud *Ecclesiastici* : In me omnis gratia vitæ et veritatis, quæ mater est ejus quem legimus plenum gratiæ et veritatis. Et quid mirum, si in illa virga est tanta donorum Spiritus Sancti affluentia, in cujus flore Spiritus Sanctus requievit, cum tanta donorum affluentia. Maria namque est illa virga, et filius Mariæ est ille flos de quo dicitur in *Isaia* : *Isaiæ* XI. Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritu timoris Domini. In hoc flore mira Spiritus Sancti effluentia, de quo in omnem Ecclesiam mira fit influentia, ut beatus Evangelista Joannes dicat : De plenitudine ejus non omnes accepimus, et gratiam pro gratia. Cum ergo de isto flore tanta gratia redundet in totum hortum, quanto magis in ipsam hujus floris virgam, in ipsam Mariam. Dicat ergo Maria secure : In me omnis gratia vitæ et veritatis. » Hæc Bonaventura.

B. Virgo ergo est nostra Pandora, id est, omnis doni alma parens, de qua Tertullianus lib. *De Corona militis* : « Si fuerit, inquit, aliqua Pandora (quam primam feminarum memorat Hesiodus) hoc primum caput coronatum est a Charitibus, cum ab omnibus muneratur, unde Pandora. » Meminit etiam Pandoræ S. Irenæus *Adversus hæreses* : « Quod autem, inquit, Salvatorem ex omnibus Aconibus factum esse dicunt, omnibus in eum deponentibus florem suum, non extra Hesiodi Pandoram novum aliquod afferunt. » Meminit etiam hujus Fulgentius in *Mythologia*. Hæc ergo gratiarum omnium corona Pandoræ christianæ, puta, B. Virgini, omni jure debetur. Quocirca a S. Ephrem, orat. *De Laudibus Virginis*, ipsa vocatur « spes desperantium, peccantium adjutrix, mundi solatium, porta cœlorum. »

Græca et Syrus hunc versum omittunt, sed pro eo Complutenses et alii nonnulli habent hunc, *do autem, cum omnibus meis natis, sempiternas* (laudes) *iis quæ ab eo dicuntur;* Tigurina, *do autem æterna* (vel æternos fructus) *liberis meis, quibus Deus jussit simul omnibus.*

Vers. 26. 26. TRANSITE AD ME OMNES QUI CONCUPISCITIS ME, ET A GENERATIONIBUS MEIS IMPLEMINI. — Est epilogus. Sapientia enim, post recensita sui commoda et fructus, concludit ut ad se accedant, itaque eorum fiant compotes : *generationes* enim vocat fructus a se genitos : hi enim Græce vocantur γέννημα, Hebr. תבואה *tebua, q. d.* Vos omnes, quos ex Dei munere mei amor tetigit, transite ad me : fructibus meis dulcissimis vos exsatiate : alibi enim satietatem nullam reperietis, juxta illud Christi ad Samaritanam *Joan.* IV : « Qui biberit ex aqua hac, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. » Unde Tigurina, *accedite ad me omnes cupidi mei, et facite ut fructibus meis impleamini.* Nota τὸ *implemini, q. d.* Fructus parci, quos dat mundus, non satiant, non implent appetitum, sed magis excitant et irritant; at fructus mei largi et ampli, utpote divini (solus enim Deus implet animam), implent et satiant quamvis orexin et appetitum. Unde Syrus, *declinate ad me omnes, qui concupiscitis me, et de fructibus meis optimis voluptatem capietis.* Audi Rabanum : « Materno affectu admonet Sapientia filios suos, ut ad ipsam concurrant, ejus munere ditentur, ac ope reficiantur. Tale est et illud Evangelii testimonium, quo Salvator misericorditer laborantes hortatur ad se venire : Venite, inquit, ad me omnes, qui labo- *Matth.* XI.

ratis et onerati estis, et ego reficiam vos; et item : Qui sitit, veniat ad me, et bibat, et de ventre ejus fluent aquæ vivæ. » Sic S. Ephrem, tract. *De Timore Domini*, tract. 1, p. 69, narrat sibi per visum apparuisse Sapientiam, puta Christum, in gloria, seque invitasse, ut relicta mundi vanitate totum se ei traderet.

Joan. VII.

B. Virgo de se multa revelat S. Brigidæ.

Mystice, pari modo B. Virgo revelavit S. Brigidæ, uti ipsa refert lib. VI *Revelat.* cap. x, dixitque : « Ego sum regina cœli, ego mater misericordiæ, ego justorum gaudium et aditus peccatorum ad Deum : nulla etiam pœna est in purgatorii igne, quæ propter me non remissior erit et lenior ad ferendum, quam aliter esset. Nullus est adeo maledictus, qui, quamdiu vivit, careat misericordia mea, quia propter me levius tentatur a dæmonibus, quam aliter tentaretur : nullus est ita alienatus a Deo, nisi omnino fuerit maledictus, qui, si me invocaverit, non revertatur ad Deum, et habeat misericordiam. » Idem revelavit Deus S. Catharinæ Senensi : « Mariæ, inquit, unigeniti Filii mei gloriosæ genitrici a bonitate mea concessum est, propter incarnati Verbi reverentiam, ut, quicumque etiam peccator ad eam cum devota veneratione recurrit, nullo modo decipiatur a dæmone infernali : hæc enim est a me electa, parata et posita tanquam esca dulcissima ad capiendos homines, et præcipue animas peccatorum. »

S. Ephrem elogia B. Virginis.

Unde S. Ephrem, *De Laudibus B. Virg.* sic eam salutat : « Spes desperantium, per te reconciliati sumus Christo, Deo meo, filio tuo : tu peccatorum et auxilio destitutorum unica advocata es atque adjutrix; tu portus naufragantium tutissimus, solatium mundi, carcere clausorum liberatrix celeberrima; tu orphanorum susceptio; tu captivorum redemptio; tu ægrotantium exultatio, et omnium salus; tu monachorum et solitariorum stabilimentum, et spes sæcularium; tu virginum gloria, corona et gaudium; tu mundi lætitia. » Et iterum : « Tu enim noster es portus et præses, pia auxiliatrix. » Et infra : « Ave, periclitantium auxiliatrix, et jucunda libertas, fons gratiæ et consolationis; ave, peccatorum refugium atque diversorium; ave, laborantium propitiatorium; ave, spes omnium proborum adversis casibus afflictorum, dulce conversorum solamen atque præsidium; ave, virorum pariter atque mulierum regina et patrona; ave, nostra consolatrix, quæ mœrores sedasti, et oppressorum molestias leniisti, cunctasque oppressiones sustulisti; ave, clavis regni cœlestis; ave, portus tutissime in hac vita navigantium; ave, firma salus universorum Christianorum ad te sincere ac vere recurrentium; ave, nostra omnium protectio insignis et gloria. »

Sapienter S. Augustinus, lib. *De Catechiz. rudibus* : « Tantum, inquit, valet animus erga auditorem benevolus, ut nobis loquentibus et illis discentibus, habitemus invicem; atque ita illi et quod audiunt quasi loquantur in nobis, et nos in illis discamus quodammodo quæ docemus. Nonne accidere hoc solet, cum loca quædam ampla et pulchra, vel urbium vel agrorum, quæ nos sæpe videndo sine aliqua voluptate præteribamus, ostendimus eis qui antea nunquam viderant, ut nostra delectatio in eorum novitatis delectatione renovetur, et cognitio perficiatur, quanto magis nos, » etc.

Doctor est ut fons effluens et affluens.

Porro, S. Chrysostomus, homil. 3 *in Genes.* : « Divina eloquia fonti similia sunt largis perennibusque fluentis scaturienti; etiam qui ante nos fuere, pro viribus suis aquas inde hauserunt, et similiter qui post nos futuri sunt, idem attentabunt, neque sic totum evacuare poterunt, sed magis interim augentur flumina et increscunt. Hæc enim spiritualium fluentorum natura est, ut hoc magis scaturiat spiritualis gratia, quo magis inde hauritur. » Rursum, idem S. Chrysostomus, homil. 55 *ad Popul.* : « Has opes, inquit, et ipsi sancti imitantes, sacrorum voluminum floridos saltus circumvolitant, et inde quidquid suave et mellitum est decerpunt. Et, si vis experiri illorum ora, videbis quidem talia eructantes, omnia mitia et jucunda, et spiritualis odoris suavitate plena. Nullum turpe verbum illa possunt ora emittere, nihil scurrile, nihil asperum et amarum, sed omnia ipsis cœlis digna. »

Denique Petrus Cellensis tract. *De Conscientia*, pulchre docet sapientiam esse quasi venam sanguinis, quæ subinde aperienda sit, ut sanguis effluat et affluat : « Scalpello, inquit, instantiæ eorum qui me rogant, et a me edoceri volunt, vena cordis incisa, undecumque vocavi vivum sanguinem venarum totius meditationis, ut de sanguine defæcatæ eruditionis commodaret seu emitteret cor, quod sufficeret dicenti, et sibi retineret unde viveret. Tunc enim utiliter, aut dicitur, aut scribitur, cum de tractatu suo, et vita propria emendatur, et aliena conscientia nihil minus instruitur. Nec credendum quod semper vena cordis evacuetur perniciose quoties inciditur, quin potius de effusione charitatis commodius fluit ac liberius. »

Vers. 27 et 28.

27 et 28. SPIRITUS ENIM MEUS SUPER MEL DULCIS, ET HÆREDITAS MEA SUPER MEL ET FAVUM : MEMORIA MEA IN GENERATIONES SÆCULORUM. — Ita Romana : minus recte alii legunt, *in generatione sæculorum*. Pro *spiritus* Græce est μνημόσυνον, id est *memoria*, vel potius *memoriale*. Unde Græca sic habent, *memoriale enim meum super mel dulce, et hæreditas mea super mellis favum;* Tigurina, *nam memoria mei melle dulcior est, possessioque mea favo mellito jucundior*. Jam per *memoriam*, vel *memoriale*, Syrus accipit doctrinam; sic enim vertit, *quia doctrina mea præ melle dulcis est, et iis qui hæreditant me præ favo*.

Secundo, Jansenius accipit legem dictatam a sapientia : μνημόσυνον enim significat memoriale et pignus, quod ad conservationem memoriæ

relictum sit. Tale autem memoriale est lex, a sapientia Dei fidelibus relicta in hæreditatem, id est, in perpetuam possessionem. Itaque idem dicitur hic quod *Psalm.* CXVIII, 103 : « Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo ! » Et *Psalm.* XVIII, 11 : « Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum : et dulciora super mel et favum. »

Tertio, planius et sublimius, Rabanus, et ex eo Glossa : « Memoria sapientiæ Dei, inquit, in generationem omnium sæculorum permanebit; quia ipsam laudant Angeli, collaudant Archangeli, vaticinantur Prophetæ, prædicant Apostoli, omnisque militia cœlestium virtutum, et infinita multitudo sanctarum animarum adorant et glorificant in æternum. » Atque hanc memoriam æternam suis asseclis communicat Sapientia, dum eos æternitate nominis et famæ donat, juxta illud : « In memoria æterna erit justus, » *Psalm.* CXI, 7. Unde Palacius sic explicat, *q. d.* Nullum erit sæculum, in quo inter homines pios non fuerit memoria mei. Ab Adam usque in finem sæculi habuit et habebit suos divina Sapientia amatores, qui dicant : « Nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animæ. » Nam sanctis illis patribus Sapientia apparebat in specie humana, Christianis apparuit in vera carne; ideo et hi et illi Christi memoriam habent in desiderio animæ.

Isaiæ XXVI, 8.

Spiritus Sapientiæ quis? Resp. Primo.

Porro, « spiritus » Sapientiæ *primo,* a Rabano accipitur Spiritus Sanctus, qui a Sapientia genita, puta a Filio, æque ac Patre, procedit, *q. d.* Spiritus Sanctus, quem Christus mittet in mundum, super mel dulcis est; quia charitas Dei quæ per ipsum infunditur in cordibus electorum, incomparabilis est dulcedinis.

Secundo.

Secundo, Glossa : Spiritus, inquit, id est, degustatio meæ bonitatis, super mel dulcis est, quia ipsam non adæquat aliqua delectatio corporalis.

Tertio.

Tertio, alii, *q. d.* Spiritus, quem Sapientia aspirat suis asseclis, non est austerus et durus, sed benignus, suavis et dulcis super mel; unde sapientes, id est sancti, sunt mansueti, benigni, affabiles, suaves in verbis omnique conversatione.

Quarto. et genuine.

Quarto, et genuine Jansenius : « Sapientia, inquit, tribuit sibi spiritum, sicut supra tributa est ei anima. Significat autem nomine *spiritus,* suam naturam, de se per legis doctrinam et opera mirabilia, spirantem suavem apud homines odorem. Quomodo et *Sapient.* XII, dicitur : O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus ! quod non tantum de Spiritu Sancto est accipiendum, cum etiam ipsi Spiritui Sancto dici possit : O Domine, quam suavis est spiritus tuus ! » Hoc est quod huc alludens Christus, qui est Sapientia incarnata, ait *Matth.* XI, 29 : « Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve. »

Christus ergo et Deus per se et natura sua est mel; sed nos peccatis nostris eum amaricantes cogimus nobis esse venenum et fel, juxta illud *Osee* XIV, 1 : « Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitavit Deum suum. » Ubi S. Hieronymus ex Symmacho : « Pœnitebit eam, inquit, quod dulcissimum Deum in amaritudinem verterit; » scilicet, de patre in judicem, de benefactore in flagellatorem.

Denique « hæreditas, » id est possessio et peculium Sapientiæ, quam ipsa suis asseclis communicat, est gratia et gloria, sive sanctitas et felicitas; hæc dulcior est favo, quia sanctitas quietat totaliter appetitum, ait Glossa; felicitas vero æterna dulcissima est : « Hæreditas enim superna, ait Rabanus, quæ in agnitione et dilectione Dei tribuetur sanctis, quando eum videbunt facie ad faciem, et delectabuntur in dextera ejus usque ad finem, est inenarrabilis et inæstimabilis, quia scriptum est : Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum, » 1 *Corinth.* cap. II. Igitur causas et illecebras suæ invitationis dat Sapientia, quod ipsius spiritus sit dulcissimus, hæreditas pariter et possessio dulcissima, ac memoria sit æterna. S. Bernardus, serm. 2 *De S. Andrea,* ipsum statuit in exemplum, cui hic spiritus Jesu « crucem et mortem, inquit, fecit non solum non molestam, sed etiam desiderabilem atque omnino delectabilem esse. Spiritus enim meus (ait Dominus) super mel dulcis; ita ut ne ipsa quidem dulcedini ejus prævalere queat, amarissima licet, mortis amaritudo. Quid non temperabit illa dulcedo, quæ mortem quoque facit esse dulcissimam? Quæ resistere possit asperitas unctioni illi, quæ mortem quoque facit suavissimam? Cum dederit (ait) dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini. Quam molestiam non expellit gaudium illud, quod mortem quoque ipsam facit esse lætissimam? Quæramus hunc spiritum, fratres, tota sollicitudine operam demus, ut mereamur habere hunc spiritum, imo, ut quem jam habemus, abundantius habeamus. Quicumque enim spiritum Christi non habet, hic non est ejus. »

Sapientiæ quanta dulcedo,

Hujus rei symbolum fuit ænigma Samsonis : « De comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo, » cum, scilicet, ipse in ore leonis a se occisi invenit mel, *Judic.* XIV, 14. Græci habent, *de tristi,* vel tristitia et labore, « egressa est dulcedo. » Sic spinæ rosas proferunt, sentes uvas, tribuli ficus. Nimirum : « Vincenti datur manna absconditum; et quod fuit durum pati, meminisse dulce est. »

et Jesu.

Dulcissimus ergo est spiritus, dulcissimum et nomen Jesu, qui est sapientia nostra, et hæc tria nobis præstat. Audi S. Bernardum, in *Sententiis* : « Et quid tam cordium vita, quam Deus meus Jesus? Is vere est amans et amabilis, et totum quod de ipso est, vere est, quando ipse est non aliud sane, quam ipse veritas. Quis fidus verusve animæ

amor, nisi utique is, quo veritas adamatur? Rationis sum compos, veritatis capax; sed utinam non forem, si amor mihi defuerit! Non sum securus a securi, si absque eo inveniar. Valde omnino mihi amandus est, per quem vivo, sapio; si non ingratus sum et indignus. Dignus plane est morte, qui tibi, Domine Jesu, vivere recusat, et mortuus est; et qui tibi non sapit, desipit; et qui curat esse nisi propter te, pro nihilo est, et nihil est. Propter temetipsum, Deus, fecisti omnia; et qui esse vult sibi, et non tibi, nihil esse incipit inter omnia. Pro his ergo ita sum amans te, quantum possum; sed est quod me plus movet, plus urget, plus accendit; super omnia, inquam, reddit amabilem te mihi, Jesu bone, calix quem bibisti; opus nostræ redemptionis. Hoc omnino amorem nostrum facile vindicat totum sibi; hoc est quod nostram devotionem et blandius allicit, et justius exigit, et arctius stringit, et afficit vehementius. »

Anagogice. Anagogice S. Bernardus, tract. *De Diligendo Deo*, post initium : « Memoria mea, inquit, in generatione sæculorum; hoc dicit, quia quamdiu stare præsens cernitur sæculum, in quo generatio advenit, et generatio præterit, non deerit electis consolatio de memoria, quibus nondum de præ- *Psal.* CXLIV. sentia plena refectio indulgetur. Unde scriptum est : Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt, haud dubium quin hi quos paulo superius dixerat : Generatio et generatio laudabit opera tua. Memoria ergo in generatione sæculorum, præsentia in regno cœlorum. Ex ista glorificatur jam assumpta electio, de illa interim peregrinans generatio consolatur. » Deinde subjicit, qui hujus boni sint capaces, qui non. « Sed interest, inquit, quænam generatio ex Dei capiat recordatione solamen. Non enim generatio prava et exasperans, *Lucæ* VI. cui dicitur : Væ vobis, divites, qui habetis consolationem vestram; sed, quæ dicere veraciter potest: *Psal.* LXXVI. Renuit consolari anima mea. Hinc plane et credimus, si secuta adjecerit : Memor fui Dei, et delectatus sum. Justum quippe est, ut quos præsentia non delectant, præsto eis sit memoria futurorum; et qui de rerum fluentium qualibet affluentia despiciunt consolari, recordatio illos delectet æternitatis. Et hæc est generatio quærentium Dominum, quærentium non quæ sua sunt, sed faciem Dei Jacob. Dei ergo quærentibus et suspirantibus præsentiam, præsto interim et dulcis memoria est, non tamen qua satientur, sed qua magis esuriant, unde satientur. Hoc ipsum de se cibus ipse testatur, ita dicens : Qui edit me, adhuc *Psal.* XVI. esuriet; et qui eo cibatus est : Satiabor, inquit, cum apparuerit gloria tua. Beati tamen jam nunc, qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam quandoque ipsi, et non alii, saturabuntur. Væ tibi, generatio prava atque perversa; væ tibi, populo stulte et insipiens, qui et memoriam fastidis, et præsentiam expavescis. »

B. Virgo Mystice, spiritus B. Virginis dulcissimus est. Unde Ecclesia eam invocat : « Salve, regina, mater misericordiæ, vita, dulcedo, et spes nostra, salve. » Audi S. Bernardum, serm. 4 *De Assumpt.* : « Quis, inquit, misericordiæ tuæ, o Benedicta, longitudinem et latitudinem, sublimitatem et profundum queat investigare? Nam longitudo ejus usque in diem novissimum invocantibus eam subvenit universis. Latitudo ejus replet orbem terrarum, ut tua quoque misericordia plena sit omnis terra. Sic et sublimitas ejus civitatis supernæ invenit restaurationem, et profundum ejus sedentibus in tenebris et umbra mortis obtinuit redemptionem. » Et superius idem S. Bernardus dixerat : « Sileat misericordiam tuam, Virgo beata, si quis est qui invocatam te in necessitatibus suis, sibi meminerit defuisse. Nos quidem, servuli tui, cæteris in virtutibus congaudemus tibi, sed in hoc potius nobis ipsis; laudamus virginitatem, humilitatem miramur; sed misericordia miseris sapit dulcius, misericordiam amplectimur clarius, recordamur sæpius, crebrius invocamus. » Idem S. Bernardus, sermone in illud : « Signum magnum, » ait, peccatorem vereri posse accedere ad Deum, qui ignis consumens est; ne, quemadmodum fluit cera a facie ignis, sic pereat ipse a facie Dei. Et mox : « Quid, inquit, ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? nihil austerum in ea, nihil terribile; tota suavis est, omnibus offerens lac et lanam. » Et infra : « Quæ ad eam pertinent, plena omnia pietatis et gratiæ; plena sunt mansuetudinis et misericordiæ. Denique omnia omnibus facta est, sapientibus et insipientibus copiosissima charitate debitricem se fecit; omnibus misericordiæ sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi. » Rursum Damascenus, orat. 2 *De Assumpt. Virg.* : Dei Mater, inquit, « est inexhaustum pelagus gaudii, unica mœroris oblitteratio, pharmacum ex omni pectore dolorem propulsans. » Si ergo tristaris, invoca B. Virginem, ipsa tibi sua gaudia communicabit. dulcissima est.

Id S. Agnes revelat S. Brigidæ. Quocirca S. Agnes S. Brigidæ (ut habetur lib. IV *Revelat.* cap. XI) apparens, eique laudes Deiparæ narrans, hanc conclusionem eliciendam relinquit : « Sicut sole illuminantur et inflammantur cœlestia et terrestria, sic ex dulcedine Mariæ nullus est qui non per eam, si petitur, sentiat pietatem. » In ea ergo impletur illud *Prov.* XXXI : « Lex clementiæ in lingua ejus. » Unde S. Ambrosius S. Mariam vocat manna; sic enim ait in *Psalm.* XXI, in fine : « Quin potius, inquit, ipsam Mariam manna dixerim, quia est subtilis et splendida, suavis et virgo, quæ velut cœlitus veniens, cunctis Ecclesiarum populis cibum dulciorem melle defluxit; quem qui edere aut manducare neglexerit, vitam in semetipso habere non poterit, sicut ipse Dominus ait : Nisi quis manducaverit carnem meam, » etc.

Denique memoria B. Virginis est in generationes sæculorum, quia durat per omnia sæcula, non tantum apud Christianos, sed et apud infideles et

Saracenos. In Alcorano enim eorum multa ei præclara dantur elogia, ac inter alia, quod ipsa sit virgo et mater Christi, summi et sapientissimi Prophetæ, quodque Angeli salutarint eam dicentes : « O Maria, præ cunctis mulieribus Deus elegit te, et Verbum Dei concipies, tu es mundissima virgo, » etc.

Vers. 29. 29. QUI EDUNT ME, ADHUC ESURIENT : ET QUI BIBUNT ME, ADHUC SITIENT. — Ostendit sapientia se dulciorem esse melle et favo, quia dulcedo mellis, si multum comedatur, parit fastidium et nauseam. At vero dulcedo sapientiæ quo magis gustatur, eo magis appetitur et esuritur; et, quod mirum est, satiat impletque mentem, et tamen mens satiata ulterius ea satiari et impleri desiderat. Unde Tigurina vertit, *qui me comederint, esurient amplius; et qui me biberint, adhuc sitient;* Syrus, *sitient me.*

Nota *primo* : Sapientia, inquit Palacius, vocat se cibum et potum. Plane, quia ipsa est eminenter omnia; et vir pius credat hoc loco Sapientiam meminisse de se, ut futura erat in Eucharistia, in qua ipsa est vere cibus, vere potus. Nota *secundo* : Si est vere cibus et potus, non est quod ultra eam requiras, in his enim vita nostra continetur. Nota *tertio* rem miram : Sapientia ipsa est cibus, ipsa est esuries; nam qui eam comedit, eam esurit. Ut enim Deus simul est unus et trinus, misericors et justus; ita sapientia simul satiat animam, ut nihil ultra eam quærat; ita vero satiat, ut simul desiderium sui ac esuriem accendat. Non igitur erit unquam in cœlo fastidium.

Virtus, quo plus gustatur, eo plus appetitur.

Luculenter et pie hanc sententiam explicat B. Macarius Ægyptius, S. Antonii discipulus, qui floruit anno Christi 370, tota homilia 10, loquens de viris eximie sanctis : « Animæ, inquit, Dei ac veritatis amantes, quæ Christum in fide ac spe summa induere perfecte desiderant, aliorum admonitione non multum indigent, nec desiderio cœlesti aut erga Dominum amore, in quo aliquatenus imminui patienter ferunt; sed totæ penitus cruci Christi affixæ, spiritalem promotionem erga sponsum spiritalem in seipsis quotidie sentiunt et agnoscunt. Et cum desiderio cœlesti vulneratæ sint, et justitiam virtutum esuriant, illustrationem Spiritus Sancti summa ac inexplebili aviditate expetunt. » Subdit deinde, originem hujus aviditatis esse lumen cœleste : « Quod si forte beneficio fidei suæ notitiam mysteriorum divinorum adipisci merentur, aut lætitiæ gratiæ cœlestis participes fiunt, non confidunt in seipsis, arbitantres se aliquid esse; sed quanto magis abundant donis spiritalibus, tanto vehementius et sine satietate desiderii cœlestis inquirunt; quantoque magis spiritalem profectum in se senserint, tanto plus esuriunt ac sitiunt participationem et augmentum gratiæ; et quanto spiritaliter locupletiores sunt, tanto se pauperiores existimant; et absque satietate spiritali desiderio feruntur erga sponsum cœlestem, ut ait Scriptura : Qui edunt me, adhuc esurient; et qui bibunt me, adhuc sitient. » Denique earum ingentia lucra et præmia addit : « Hujusmodi animæ, quæ tam ardenti et insatiabili dilectione flagrant erga Dominum, dignæ sunt vita æterna; quare merentur ab affectionibus redimi, accipiuntque perfectam illuminationem et participationem sancti et arcani Spiritus, ac mysticæ societatis, in plenitudine gratiæ. At vero socordes ac minime viriles animæ, quæ talia non exquirunt, intus revera vivunt in carne, » etc.

Causa est, præstantia sapientiæ, quæ ita plena est sapore et dulcedine, ut nunquam plene degustari possit, quin ulterius gustari desideretur. Audi S. Gregorium, homil. 36 *in Evangel.* : « Hoc distare, inquit, fratres charissimi, inter delicias corporis et cordis solet, quod corporales deliciæ, cum non habentur, grave in se desiderium accendunt; cum vero avide eduntur, comedentem protinus in fastidium per satietatem vertunt. At contra, spiritales deliciæ, cum non habentur, in fastidio sunt; cum vero habentur, in desiderio; tantoque amplius a comedente esuriuntur, quanto et ab esuriente amplius comeduntur. In illis appetitus placet, experientia displicet; in istis appetitus vilis est, et experientia magis placet. In illis appetitus saturitatem, saturitas fastidium generat; in istis autem appetitus saturitatem, saturitas appetitum parit. Augent enim spiritales deliciæ appetitum in mente dum satiant, quia quanto magis earum sapor percipitur, eo amplius cognoscitur quod avidius ametur. Et ideo non habitæ, amari non possunt, quia earum sapor ignoratur. Proinde Psalmista nos admonet, dicens *Psalm.* XXXIII : Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus, *q. d.* Suavitatem ejus non cognoscitis, si hanc minime gustatis; sed cibum vitæ ex palato cordis tangite, ut probantes ejus dulcedinem amare valeatis. »

Deliciæ spiritales gustatæ acuun esuriem.

Esuries dispositio ad sapientiam.

Esuries ergo est optima dispositio et præparatio ad comparandam sapientiam. Id ipsa Sapientia docuit D. Henricum Susonem, uti ipse refert in *Dialog.* cap. XXIII : « Spiritalis, inquit, esuries, et præsens sive actualis (ut vocant) devotio potius te ad me percipiendum, quam sola consuetudo movebunt. Anima in cœlesti abstractæ vitæ domicilio vel inclusorio, intime sentire ac dulciter perfrui me cupiens, vitiis oportet ut sit ante nudata ac expoliata, ornata virtutibus, libera ab occupationibus supervacaneis, rosis purpureis flagrantissimæ charitatis consita, suave fragrantibus humilis abjectionis violis, et albicantibus inviolatæ puritatis ac castimoniæ liliis stipata. Lectulum mihi vel thalamum efficiat in vera cordis pace, siquidem in pace factus est locus meus : suis me stringat ulnis, omnem excludendo amorem alienum et extraneum; utpote quem haud secus ipse fugere consueverim, quam solent milvium aviculæ devitare. Cantet mihi cantica Sion, id est, ardentissimi amoris, cum attentissima ac devotissima laude. Tum vero ipse quoque vicissim amplexabor illam, et, meo innixam pectori, tranquillam faciam experiri requiem, perspicuam

ac manifestam contemplationem, inexpertam fruitionem, quamdam sempiternæ suavitatis degustationem, et perennis beatitudinis experimentum. Quæ quidem ipsa soli sibi servare debebit, dicens cum Propheta : Secretum meum mihi, secretum meum mihi. Alieni enim ista non sentiunt, nec percipiunt. Dicet ergo cum intimo cordis suspirio : Vere tu es Deus absconditus; tu es bonum illud occultum, quod nemo novit nisi qui accipit.»

Signum profectus in virtute, quod ?

Tropologice, hic disce certum signum et effectum sapientiæ, virtutis et profectus esse, magis semper eam esurire et sitire; quia sapientia et virtus sui acuit desiderium, eoque magis quo ipsa crescit. Acres ad idipsum, ex hisce Ecclesiastici verbis, stimulos studioso sapientiæ et virtutis adhibet Faustus Rhegiensis Episcopus, *Instruct. ad Monachos*, in fine, quæ exstat in Appendice *Biblioth. SS. Patrum*, p. 1566 : «Simus, inquit, in opere Dei indeficientes propter æternam retributionem, et quotidie ad meliora tendamus. Ipsa enim apprehendendi aviditas, ipsa consuetudo proficiendi semper nos ad majora provocet; et ubi viderit Deus devotionem animæ, ardentiorem insinuabit affectum; et quanto nos arserimus ad studium, tanto ille addet ad gloriam. Qui habet, dabitur illi, et superabundabit. Et alio loco dicit : Posui adjutorium super potentem. Gratia enim de gratia nascitur, et profectus profectibus serviunt, lucra lucris, et merita meritis locum faciunt, ut, quanto plus acquirere cœperit, tanto plus acquirere conetur; et quanto avidius de sapientiæ bonis hauserit, tanto plus haurire desideret; sicut ipsa de se loquitur Sapientia : Qui edunt me, adhuc esurient. Urgeamus cursum nostrum, ut crescat in novissimo vita nostra. Quæramus usque in finem, unde sine fine gaudere mereamur. Sed esto, non possimus exercere corporis labores, conferamus nos ad spiritualium bonorum desiderium, ad compunctionis et charitatis augmentum. Si quotidie in cordibus nostris disponamus ascensus, nulla infirmitate, nulla ætate lassari possunt mentes, ut spiritualibus quibusdam gradibus ascendere mereamur ad promissa Domini nostri Jesu Christi. » Plura vide apud nostrum Alvarez de Paz *De Natura perfectionis*, lib. III, part. II, cap. XIV et XV, fructu 6.

Porro S. Augustinus, lib. XV *De Trin.* cap. II : « Qui me manducant, inquit, adhuc esurient; et qui bibunt me, adhuc sitient. Manducant et bibunt, quia inveniunt : et quia esuriunt ac sitiunt, adhuc quærunt. Fides quærit, intellectus invenit; propter quod ait Propheta Isaias cap. VII : Nisi credideritis, non intelligetis. Et rursus : Intellectus eum quem invenit, adhuc quærit. Deus enim respexit super filios hominum, ut videat si est intelligens aut requirens Deum. »

Mystice de cultu B. Virginis.

Mystice B. Virgo, quo magis a fidelibus amatur, desideratur et colitur, eo majorem in eis sui amoris, desiderii et cultus esuriem sitimque excitat, quia eo magis suam charitatem, potentiam, opem ostendit. « Ad hunc igitur fontem sitibunda properet anima nostra, » inquit S. Bernardus, homil. 4 super *Misus est*. Idem, serm. *in Visitat.* : « Omnibus, inquit, omnia facta est (S. Maria) sapientibus et insipientibus copiosissima charitate debitricem se fecit, omnibus misericordiæ sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi, captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus lætitiam, denique tota Trinitas gloriam, Filii persona carnis humanæ substantiam, ut non sit qui se abscondat a calore ejus. »

Denique pie æque ac germane idem S. Bernardus in Jubilo hæc attribuit Jesu Christo :

Qui te gustant (inquit) esuriunt;
Qui bibunt adhuc sitiunt;
Desiderare nesciunt,
Nisi Jesum, quem diligunt.

Id particulatim explicat, dum subdit :

Jesu, decus angelicum,
In aure dulce canticum,
In ore mel mirificum,
In corde nectar cœlicum.

Unde ad eum anhelans concludit :

Desidero te millies,
Mi Jesu, quando venies?
Me lætum quando facies?
Me de te quando saties?

In Eucharistia edimus carnem B. Virginis, quomodo?

Porro, sicut τὸ *qui edunt me, adhuc esurient*, ad litteram verum est de Christo, quem edimus in Eucharistia, et tamen eumdem esurimus, iterumque edere gestimus : sic idem pariter ad litteram vere dici potest de B. Virgine. Mirum hoc, sed verum. Quoties enim comedimus carnem Christi in Eucharistia, toties in eadem comedimus realiter carnem B. Virginis : quia caro Christi est caro B. Virginis : imo ipsissima caro Christi, antequam in incarnatione a B. Virginis carne decideretur et daretur Christo, fuit propria caro B. Virginis, ejusque anima informabatur et animabatur. Sicut ergo et quotidie esurimus carnem Christi in Eucharistia, sic et esurimus in eadem carnem B. Virginis, ut virgineas ejus dotes et mores imbibamus, nobisque incorporemus. Idque faciunt non soli sacerdotes et Religiosi, sed omnes Christiani; omnes enim sua, æque ac Christi carne pascit B. Virgo in Eucharistia. Atque hinc ille virginitatis et angelicæ puritatis amor in digne et frequenter communicantibus. Sane fideles omnes hac de causa uti Christum, sic B. Virginem assidue corde, ore et opere gestare deberent; imo in B. Virginem quasi transire et transmutari, sicut ferrum igne candens transit in ignem, et sicut panis fermento conditus in fermentum quasi immigrat et transit. Unde Christus se suaque comparat fermento, *Matth.* cap. XIII, 33. Atque hac de causa Christus suam carnem reliquit in Eucharistia, optante, et forte orante, id B. Virgine, ut sese

Hinc puritatis amor.

intime fideli cuique per omnia temporum sæcula uniret et incorporaret. Vide hic eximiam charitatem Christi et B. Virginis in nos, ut nos vicissim in eum cor totum defigamus, imo in eum quasi transeamus, ac dicamus cum S. Paulo : « Quis nos separabit a charitate Christi ? Certus sum quia neque mors, neque vita, » etc. *Rom.* VIII.

Vers. 30. 30. QUI AUDIT ME, NON CONFUNDETUR : ET QUI OPERANTUR IN ME (id est, qui mihi navant operam), NON PECCABUNT. — Tigurina, *qui me audit, in nullam prorsus ignominiam incidet; et qui navant operam, non peccabunt;* Syrus, *qui audit me, non cadet; et omnia opera ejus corruptelam non patientur.* Duplicem hic fructum promittit Sapientia sui studiosis, scilicet quod duplex evadent malum, nimirum confusionem et peccatum. « Qui, inquit, audit me, » id est, qui mihi auscultat, qui mihi obedit, nunquam pudore suffundetur; quia nihil aget, cujus eum pudere possit; sed omnia perficiet sapienter, ut de iis lætari et gloriari queat : quare æternam reproborum confusionem evadet, nec spe sua potiendi gloria cœlesti frustrabitur, sed eam certo assequetur. « Et qui operantur in me, id est, ait Jansenius, qui sua per me obeunt negotia, non peccabunt» in eis; sed sua omnia uti prudenter, ita et feliciter peragent. In priori ergo membro εὐτυχίαν, id est, felicitatem promittit; in secundo εὐπραξίαν, id est, bonam operationem.

Mystice. Mystice, utrumque sui cultoribus sibique devotis præstat B. Virgo, uti ex omni sæculorum omnium historia liquet: quare si quis a peccato et pudore immunis vivere velit, si gratiam et salutem sibi assecurare, si quis magnum perseverantiæ donum nancisci cupiat, illud identidem a Deo per intercessionem B. Virginis efflagitet. Perire enim et damnari nequit, qui tantam apud Deum patronam habet; nisi quis ultro se in scelera et gehennam præcipitet, uti faciunt nonnulli stolidi, qui impune in suas cupiditates ruunt, præsumptuose præfisi de ope B. Virginis, cui se devotos dicunt, eo quod in ejus honorem sabbato jejunent, Rosarium recitent, vel similem ei cultum exhibeant. Qui sane in B. Virginem injurii sunt, tum quod de ejus misericordia impie præsumant, tum quod cultum ejus tot criminibus inquinent, dedecorent et infament, ideoque duplici damnatione digni sunt.

Modus obtinendi donum perseverantiæ.

Tropologice S. Bernardus, serm. *De Septem Donis*: « Operemur, inquit, in Sapientia quæ dicit : Qui operantur in me, non peccabunt; ager enim est mundus, ait Veritas. Fodiamus in eo, thesaurus absconditus latet, effodiamus eum; ipsa est enim sapientia quæ trahitur de occultis. Omnes eam quærimus, omnes concupiscimus eam; sed frustra quærit, qui in lectulo suo quærit, neque in terra suaviter viventium invenitur. Lectulus est, et ibi gigantem quæris; tuus est, et ibi speras invenire qui diversoria semper ignorat. Si quæritis, inquit, quærite, convertimini, et venite. Quæris, unde? a lectulo tuo. Quæris, unde convertaris ? a voluptatibus, inquit, tuis avertere. »

Vers. 31 31. QUI ELUCIDANT ME, VITAM ÆTERNAM HABEBUNT. — Tigurina, *interpretes mei vitam æternam consequentur,* nisi sapientiam, quam verbis elucidant, factis pravis obscurent. Equidem videtur difficile et rarum, ut tam rebelli sit animo S. Scripturæ interpres, ut resistat veritati quam jugiter interpretatur, maxime cum Sapientia adeo benigna sit, ut continenter fere suos elucidatores vocet ad se, ait Palacius. Sententia hæc jam deest in Græco et Syro. Sapientia recensuit promisitque præmia discipulo, qui audit sapientiam, vers. præcedenti; nunc præmium assignat doctori et interpreti, qui scilicet non seipsum suamque gloriam, sed Sapientiæ Deique laudem aucupatur et celebrat. Præmium est vita et gloria æterna, quia, ut ait Daniel cap. XII : « Qui docti fuerint, fulgebunt ut splendor firmamenti : et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. » Nam, ut ait S. Bernardus, serm. 39 *in Cant.* : « Benignus est spiritus Sapientiæ, et placet illi doctor benignus et diligens, qui ita cupiat satisfacere studiosis, ut morem gerere tardioribus non recuset. Denique, qui elucidant me, vitam æternam habebunt, ait ipsa Sapientia. Quo quidem præmio ego fraudari noluerim. »

SEXTA PARS CAPITIS,

QUA DOCET SAPIENTIA, SE IN LEGE MOYSI ET PROPHETIS CONTINERI, AB IISQUE EXQUIRENDAM; SED MAGIS A CHRISTO, QUI MOSIS ET PROPHETARUM DICTA COMPLEVIT; UNDE CHRISTI PLENAM PERFECTAMQUE SAPIENTIAM COMPARAT FLUVIIS COPIOSIS, PHISON, TIGRI, EUPHRATI, JORDANI, GEHON, IMO MARI.

Vers. 32 et 33. 32 et 33. HÆC OMNIA LIBER VITÆ, ET TESTAMENTUM ALTISSIMI, ET AGNITIO VERITATIS. LEGEM MANDAVIT MOYSES IN PRÆCEPTIS JUSTITIARUM, ET HÆREDITATEM DOMUI JACOB, ET ISRAEL PROMISSIONES. — Hæc et sequentia censet Jansenius esse verba non Sapientiæ, sed Siracidis qui hic interloquatur, explicetque et confirmet verba Sapientiæ; sed nihil obstat quominus accipiamus ea ut verba Sapientiæ, quæ hic pergat loqui, ostendatque ubi et quibus in libris ipsa tradita sit, ideoque in iisdem

legenda et perquirenda. Nam inferius vers. 40, pergit loqui Sapientia, dicitque : « Ego Sapientia effudi flumina. » Sensus ergo est, *q. d.* Hæc omnia quæ hactenus in meam laudem a me dicta audistis, subaudi, continet, tradit et præstat liber vitæ, id est liber legis (Pentateuchus Mosis) et Prophetarum, qui dicitur *Liber vitæ;* quia, si eum observes, pertinges ad vitam æternam. Idem dicitur *Testamentum* Dei, quia continet extremam et summam ejus voluntatem, et pactum cum hominibus, estque ipsa *agnitio veritatis*, puta veri Dei, veræ fidei et religionis, veræ salutis, veræ virtutis, quæ una est via ad salutem assequendam : liber, inquam, legis, quem « mandavit Moyses, » dando « præcepta justitiarum, » id est justa, imo justissima, quæ essent quasi hæreditas perpetua Israeli, eique promitterent et præstarent hæreditatem fertilem, stabilemque possessionem Judææ in hac vita, et in futura æternam paradisi cœlestis regnique Dei. Unde Græca breviter sic habent, *hæc omnia* (subaudi, *continet*, vel *sunt*) *liber fœderis Dei altissimi; lex quam præcepit nobis Moyses, ac dedit nobis hæreditatem* (hæreditario scilicet jure possidendam) *in synagogis Jacob.* Ubi nota : Si intelligas verbum *sunt*, significatur quod Sapientia sit liber vitæ, testamentum Altissimi, agnitio veritatis, lex quam mandavit Dominus. Unde Tigurina, *hæc omnia ipse liber vitæ et pacti Dei celsissimi sunt, veritatis scientia, et lex quam Moyses præceptis justissimis tulit populis Jacob hæreditariam, una cum promissionibus ad Israelitas pertinentibus.*

Alii vero subaudiunt verbum non *sunt*, sed *continet*, eodem fere sensu. Unde Syrus, *universa hæc*, inquit, *in libro testamenti Domini scripta sunt, lex quam mandavit mihi Moyses, hæreditas est congregationi Jacob.* Unde illud regii Psaltis *Psalm.* CXVIII : « Portio mea (hæreditaria), Domine, dixi, custodire legem tuam. »

Post hunc versum Græca, Complutenses et Tigurina hunc addunt, *ne elanguescite, quominus fortes sitis in Domino* (Tigurina, *ne elassescatis cum Domino fortiter agere*), *ut ipse vicissim confirmet vos. Adhærescite ei, Dominus omnipotens solus Deus, et non est alius præter ipsum servator.* Verum Græca Romæ emendata, Syrus et Latini omnes hæc omittunt.

Vers. 34 et 35. 34 et 35. POSUIT DAVID PUERO SUO EXCITARE REGEM EX IPSO FORTISSIMUM, ET IN THRONO HONORIS SEDENTEM IN SEMPITERNUM. QUI IMPLET QUASI PHISON SAPIENTIAM, ET SICUT TIGRIS IN DIEBUS NOVORUM. — A Moyse quasi typo, transit ad Christum quasi antitypum. Quia enim dixit sapientiam in lege Moysis et Prophetis descriptam contineri, ne quis in iis quasi fine et termino, plenaque sapientia sistendum putet, subjicit, per Moysen et Prophetas tendendum esse ad Christum, qui est finis legis et Prophetarum; Christus enim solus plenam perfectamque sapientiam, adumbratam tantum per Moysen et Prophetas, mundo attulit et docuit, juxta illud *Joannis* I, vers. 17 : « Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est. Deum nemo vidit unquam : unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit. » Prior versus deest jam in Græco et Syro; sed olim in Græco exstitisse liquet ex nostro Interprete, qui illud in suo exemplari legit, uti hoc loco fatetur Jansenius. Neque enim probabile est, inquit, illum de suo tam multa addidisse, quibus nihil tale in suo exemplari correspondisset. « Posuit » ergo, scilicet Deus, qui David fecit « regem, » eique promisit filium eo potentiorem, puta Messiam sive Christum. Hebræi enim sæpe suppositum ex circumstantiis vel antecedentibus quasi notum, et cuivis obvium, subaudiendum relinquunt. Sic hic Sapientia, quia Deo est familiarissima et intima, Deum suum, quasi omnibus notum, subticet et subaudit : præsertim quia eum hoc capite sæpius, ac paulo ante vers. 32, nomine *Altissimi* nominavit; perinde ac S. Magdalena ait hortulano : « Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum : et ego eum tollam; » quem? utique Christum, quo plena erat S. Magdalena, amore ejus ebria, putabatque hortulanum et alios eumdem cogitare, quem ipsa cogitabat et ardebat, *Joan.* XX, 15.

Sensus est, *q. d.* Deus altissimus, qui vetus Testamentum et legem dedit per Moysen, « posuit, » id est statuit et sanxit, ex Davidis semine excitare Messiam « regem fortissimum, » et sempiternum legislatorem novi Testamenti, novæque legis, et doctorem novæ sapientiæ; « qui, » scilicet Christus, « implet, » Græce est *implens*, id est implebit, hoc est plene effundet, faciet abundare « sapientiam, » perinde ac « Phison » et « Tigris » abundant aquis « in diebus novorum, » id est novarum frugum prodeuntium et maturescentium, puta tempore veris (tempore æstatis etiam exundasse Jordanem patet *Josue* III, 15 et vers. sequent. hic), eamque plenam perfectamque tradet Ecclesiæ et Christianis, per quam efficiet præstantissimos Doctores, Theologos, Confessores, Pontifices, Martyres, Virgines ac fideles in omni sapientia, id est virtute et sanctitate, præstantes et perfectos. Unde Tigurina vertit, *Davidi constituit se regem potentissimum creaturum ex eo, qui in solio majestatis sedeat in æternum. Qui quasi Phison omnia replet sua sapientia, et ut Tigris novarum frugum temporibus;* Syrus, *quia plena est sicut fluvius Phison sapientia, et sicut Tigris in diebus frugum suarum.* Ita Lyranus. Hinc patet hæc verba non convenire Salomoni, sed Christo; etsi enim Salomon mortalium fuerit sapientissimus, tamen præ Christo fuit insipiens. Unde et regnum ejus non fuit æternum, sed modici temporis et caducum; Christi vero regnum est æternum, uti hic dicitur. Ita Rabanus et Lyranus. Notat Palacius proprie hæc convenire Pentecostæ; in ea enim Christus misit Spiritum Sanctum in Apostolos, ut in eos suam sapientiam et spiritum copiose instar fluminis effunderet, imo in eos faceret quasi flu-

mina sapientiæ, quæ totum orbem inundarent. Unde apparuit eis in specie linguarum ignearum, *Actor.* cap. II. Alludit ad etymon Phison ; *Phison* enim Hebraice idem est quod multitudo, copia, exuberantia, a radice פוש *pus*, id est luxuriari, multiplicari, exuberare. Ita Josephus, lib. I *Antiquit.* cap. II, et Isidorus, ib. XIII *Etymol.* cap. XXI.

Aliter Jansenius; censet enim τὸ *qui implet quasi Phison*, non referri ad Christum, sed ad Deum, esseque suppositum versus præcedentis, *q. d.* Deus altissimus qui implet quasi Phison, sapientiam, hic Davidi puero suo constituit excitare regem Messiam fortissimum. Verum Messias hic non tam a fortitudine quam a sapientia laudandus venit : ergo τὸ *qui implet quasi Phison sapientiam*, ad Messiæ sapientiam declarandam referendum est; alioqui tenuis et plane frustranea Messiæ hic mentio induceretur.

Nec obstat Græcum, ὁ πιμπλῶν, id est *implens*, scilicet Deus; nam si regem Christum referret, dicendum fuisset πιμπλοῦντα, id est *implentem*, ut objicit ipse Jansenius; quia articulus ὁ sumitur pro relativo ὅς, id est *qui;* et forte sic legit Noster; unde vertit, *qui implet* : *qui*, scilicet rex Christus; hic enim præcessit, non Deus. Hebræi enim participio utuntur pro indicativo, quia eo carent. Adde antiptosin crebram esse Hebræis, ut nominativum usurpent pro accusativo; quia Hebræi casibus carent. Denique iidem sæpe subaudiunt relativum, אשר *ascer*, id est *qui*, præsertim in epiphonemate, quale hic est, *q. d.* Deus excitabit regem Messiam, qui erit ὁ πιμπλῶν, id est ille cœlestis doctor implens omnem sapientiam.

Nota *primo* : Sapientia hucusque se comparavit pulcherrimis arboribus, resinis, aromatibus et floribus : nunc se in Verbo incarnato, puta Christo, qui est Sapientia Patris, tam genita quam incarnata, comparat præstantissimis sacrisque fluminibus, scilicet quatuor Paradisi, per quos mystice repæsentabatur : sicut enim illa exuberant aqua, ita Christus gratia; et sicut illa irrigant et fecundant Paradisum, ita Christus irrigat et fecundat Ecclesiam. Rursum, sicut illa ad quatuor orbis partes tendunt, ita Christi sapientia quatuor orbis plagas pervasit et adaquavit. *Tertio*, quatuor flumina, ait Ambrosius, lib. *De Paradiso*, et S. Augustinus, lib. XIII *De Civit.* cap. XXI, ac Rabanus et Lyranus repræsentant quatuor Evangelia, quibus conscripta est sapientia Christi, quæ quatuor mundi regiones occuparunt. Igitur Sapientia increata et genita hic descendit ad Sapientiam incarnatam, puta ad Christum, qui non tantum fuit redemptor hominum, sed et sapientiæ doctor; ac ex ea vers. 40 descendit ad sapientiam creatam et communicatam creaturis.

Sapientia similis quatuor fluviis Paradisi.

Nota *secundo* : *Implere sapientiam*, est plenam continere sapientiam; item plenam dare, docere et effundere instar Phison, qui ita plenus est aquis, ut plenitudine sua exundet, eamque effundat in campos vicinos. Est hebaismus; miscetur enim *cal* cum *hiphil*, id est significatio neutra cum activa : *implere* enim est plenum continere, et plenum effundere.

Tertio, Tigris impletur aquis « in diebus novorum, » id est, dum novæ fruges adolescunt, hoc est in martio et vere : quia tum nives hieme constrictæ liquantur, et in Tigrim influunt. Eadem de causa multa alia flumina in martio crescunt et intumescunt : idque fit sapientia et sapienti consilio Dei, ut scilicet fruges crescentes et maturescentes, a crescente et exundante flumine majus sugant alimentum. Audi Plinium, lib. X, cap. XVIII : « Excellentius Thebaidis regioni frumentum, quoniam palustris Ægyptus : similis ratio, sed major felicitas Babyloni ac Seleuciæ, Euphrate ac Tigri restagnantibus (exundantibus), quoniam ibi rigandi modus manu temperatur. »

Phison an Ganges?

Quarto, qui sint Tigris et Euphrates, constat; de Phison et Gehon dubium est. S. Hieronymus, Josephus, Epiphanius, S. Augustinus, S. Ambrosius, Isidorus, Rabanus, Glossa et passim alii censent Phison esse Gangem « qui circuit terram Hevilath, » ut dicitur *Genes.* II, 11, id est Indiam, quæ est intra Gangem, « ubi nascitur aurum » optimum ; imo ipse Ganges, teste Plinio, aurifer est et gemmifer; et Gangem exundare æque ac Nilum docet Plinius loco jam citato. Ganges etiam recte vocatur *Phison*, id est multitudo, quia in Gangem decem magna flumina aquas suas exonerant. Verum, quia difficile est creditu Paradisum, qui Hebr. vocatur *gan*, id est hortus voluptatis, tot tamque vastas regiones, quot inter Euphratem, Gangem et Nilum interjacent, complexum esse; hinc Pererius, Oleaster, Eugubinus, Vatablus et alii probabiliter opinantur Phison et Gehon esse duos fluvios, qui ex confluxu Euphratis et Tigris, cum rursus se dividunt et diffluunt, nascuntur, ac post varios anfractus labuntur in sinum Persicum. Unde Q. Curtius, lib. V, et Plinius, lib. VI, cap. XXVII, unum horum vocat Phasitigrim, qui videtur esse Phison. Vide quæ de hac quæstione dixi *Genes.* II, 8.

Vers. 36. 36. QUI ADIMPLET QUASI EUPHRATES SENSUM : QUI MULTIPLICAT QUASI JORDANIS IN TEMPORE MESSIS, — *q. d.* Christus adimplet, id est plenum perfectumque promit profertque sensum, Græce σύνεσιν, id est intelligentiam, sicut Euphrates plenas promit funditque aquas. Unde Tigurina, *in modum Euphratis fecundat ingenium* Christus. Idem « multiplicat, » id est multum docendo effundit sensum et sapientiam, sicut « Jordanis in tempore messis » aquis exundat. Jordanem adjungit quatuor sacris fluminibus Paradisi, quia et ipse sacer est ex Terra sancta quam interluit, et ex miraculoso transitu Hebræorum per illum sicco pede, duce Josue, *Josue*, cap. III. Item ex habitatione Eliæ, Elisei et Prophetarum, ac S. Joannis Baptistæ, qui in Jordane baptizavit Judæos, adeoque ipsum Christum. Porro Jordanis, eadem de causa qua Tigris, exundat tempore messis, scilicet eo quod in

vicinis montibus liquatæ per æstum nives, aquæ copiam in Jordanem immittant, uti docet Abulensis, Andreas Masius et Arias Montanus in *Josue* cap. III. *Tempus* enim *messis* vocat martium et ver. In nisan enim, id est martio, in Judæa, utpote regione calida, primæ fruges maturescunt, ut patet ex eo quod in Paschate primæ fruges hordeaceæ Deo ex lege offerebantur : qua de causa nisan, id est martium, Scriptura vocat « mensem novarum frugum, » vel, « primum verni temporis, » *Deuter.* XVI, 1, uti ostendi *Exodi* XIII, 4. Unde Syrus hic expresse vertit, *supernatat sicut Euphrates intelligentia, et sicut Jordanis in diebus nisan,* id est in martio.

Symbolice, Jordanis typus est Baptismi, quo illuminamur, ac fide et sapientia Christi donamur. Ita Rabanus.

Vers. 37. 37. QUI MITTIT DISCIPLINAM SICUT LUCEM, ET ASSISTENS QUASI GEHON IN DIE VINDEMIÆ. — Tigurina, *disciplinam profert in lucem, inundat sicut Gehon tempore vindemiæ;* Syrus, *effundit sicut fluvius doctrinam, et sicut Gehon in diebus vindemiæ.* Miscet fluminibus solem et lucem, quia quod sol est in cœlo, hoc est flumen in terra, scilicet terræ oculus : sicut enim sol spargit lucem quæ terram illuminet, calefaciat et fecundet; sic et fluvius spargit rivos aquarum qui terram irrigent, inebrient et fecundent. Unde Hebræi hæc duo per unum idemque verbum significant : נהר *nahar* enim significat et illuminare et confluere; hinc *nahar* est fluvius in quem confluunt aquæ : *nahar* rursum alludit ad נר *ner*, id est lucerna, et ad אור *or*, id est lux, quia fluvius est quasi lucerna et lux terræ.

Fluvius est quasi lucerna terræ.

Porro, aptissime Christi sapientia comparatur luci et soli : quia ipse est sol sapientiæ, gratiæ et justitiæ, qui ejus radios mittit in omnes homines. Vide dicta *Jacobi* I, vers. 17, et *Malachiæ* IV, 2.

ET ASSISTENS QUASI GEHON. — Τὸ *assistens* jam non est in Græco et Syro; Jansenius illud accipit active, *q. d.* Sapientia sistit lucem, id est eam præsentem exhibet : verum latine nemo dicitur *lucem assistere,* pro eam præsentem exhibere. « Assistens » ergo proprie significat, Christum nobis *assistere* cum copia suæ sapientiæ et gratiæ, paratum ut eam in nos effundat, si vas capax, puta cor rebus aliis vacuum ei exhibuerimus; sicut Gehon intumescens, cum aquarum copia assistit agris, ut eam in illos effundat, nisi quis murus vel alius obex obsistat.

Quæres, quis et qualis fluvius est Gehon? S. Epiphanius, S. Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, Theodoretus, Josephus, Damascenus, Isidorus, Rabanus, Eucherius, Rupertus, Glossa in *Genes.* III, et alii veteres communiter, quos citant et sequuntur Conimbricenses in *Meteora,* tract. 9, cap. X, et Ribera in *Amos* cap. VI, num. 44, imo et Septuaginta, *Jeremiæ* II, vers. 17, conferendo cum Hebræo, docent Gehon esse Nilum : Nilus enim est qui circuit terram Æthiopiæ, ubi regnat Prete Joannes, quod de Gehon dicitur *Genes.* II, 13. Item Nili exundatio celeberrima est, uti de Gehon hic dicitur. Nilus ergo e terrestri Paradiso oritur, sed subterraneis cuniculis absconditur Dei consilio ad occultandum Paradisum, donec perveniat ad regnum Congi, ubi e quodam lacu Nilum primum nasci observarunt ii, qui hoc sæculo ea loca lustrarunt. Hinc veteribus Nili origo incognita : Pausanias tamen in *Corinthiacis* ait non deesse qui ex Euphrate terra condito, ac postea supra Æthiopiam prodeunte, Nilum effici putant. Quod respondet S. Scripturæ, quæ *Genes.* II, quatuor illa flumina Paradisi, inter quæ est Euphrates, ex uno oriri, vel in unum confluere docet. Nec mirum, Nilum ita condi, et tam remote exoriri : nam flumina remotissima a mari, hoc modo e mari oriuntur, ut ait Ecclesiastes cap. I, vers. 7. Porro patet Nilum exundare in æstate post messem, quæ in Ægypto fit in maio, puta sub solstitium æstivale, sub quod tempus ibidem fit vendemia; et tum partim exundando, partim oblimando, stercorare et fecundare Ægyptum. Causam exundationis variam dant Solinus, Plutarchus, Diodorus, Mela, Plinius et alii, ut notavi *Exodi* cap. IX. Vera est, quam dat Aristoteles in *Meteor.* et quam recentiores experientia didicerunt, scilicet, pluviæ quæ in superioribus partibus, in quibus eo tempore hiems est, quo in Ægypto est æstas, tum ob hiemem, tum ex peculiari cœli et sideris alicujus influxu, stato tempore abundant, et in Nilum cum nivibus a se in aquam resolutis defluunt. Quæ etiam causa est communis inundationis aliorum fluminum. Ita Conimbricenses superius citati. Verum quia incredibile videtur Nilum et Gangen tanto et tam vasto terrarum spatio sub terra se condere, et fluere, puta, per 4,300 milliarium; hinc Pererius, Oleaster, Eugubinus et alii probabiliter censent Gehon æque ac Phison esse illa duo flumina, quæ post confluxum Tigris et Euphratis rursum se in duo secant et dividunt. Qua de re fuse dixi *Genes.* II, 8.

Gehon an Nilus?

Porro, apposite Sapientia comparat se Nilo. Ægyptus enim omnem suam fertilitatem et felicitatem haurit a Nilo, sic homines a sapientia. « Nilus ibi coloni vice fungitur, » ait Plinius lib. XVIII, cap. XVIII, exundatione sua enim oblimat, impinguat et fecundat agros : quin et subinde semina aliunde allata in agri sinus jacit, ut coloni provenientes fruges metant, quas non seminarunt. Sic, influente in nos sapientia, velut Nilo, cœlestium donorum et seminum, nec aratam nec seminatam virtutum messem provenire cernimus, ut impleatur illud Christi : « Alius est qui seminat, et alius est qui metit. Ego misi vos metere quod vos non laborastis : alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis, » *Joan.* IV, 37.

Sapientia similis Nilo, cur?

Tropologice, Paradisus voluptatis est anima sapiens et sancta, quæ quatuor rigatur fluviis : Gange, id est prudentia; Nilo, id est temperantia; Tigri, id est fortitudine; Euphrate, id est

justitia. Ita S. Ambrosius, lib. *De Paradiso*. Vide dicta *Genes.* II.

Vers. 38. 38. QUI PERFICIT PRIMUS SCIRE IPSAM, ET INFIRMIOR NON INVESTIGABIT EAM. — *Perficit scire*, id est perfecte scit : est græcismus. Sensus est : Christus solus perfecte novit sapientiam ; et quicumque Christo minor et infirmior est, hic nunquam plene eam investigabit. Unde Græca pro ὃς, id est *qui*, legendo jam οὐ, id est *non*, sic habent, *neque primus perfecte novit eam, neque similiter ultimus pervestigabit, q. d.* Nec primus hominum qui studuit sapientiæ, nec ultimus qui eidem studuit vel studebit, eamdem plene penetravit aut penetrabit. Unde Tigurina, *primus eam non pernovit exacte, nec item pervestigabit ultimus ;* clare Syrus, *non absolverunt antiquiores sapientiam, nec posteriores comprehendent eam.* Hoc est quod ait Baruch cap. III, 31 : « Non est qui possit scire vias ejus (sapientiæ), neque qui exquirat semitas ejus ; sed qui scit universa, novit eam, etc. Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est, » homo factus, ut homines doceret sapientiam.

Audi Rabanum. « Vere enim Dominus noster Jesus auctor est scientiæ spiritalis, et salubris doctrinæ : quia ipse per Moysen primum condidit legem, ipse inspiravit Prophetas, ipse docuit Apostolos, ipse ordinavit Evangelistas et prædicatores novi Testamenti : nec alius est plenus et perfectus investigator et agnitor sapientiæ Dei, nisi is qui cum Patre et Spiritu Sancto unus est Deus, de quo scriptum est: Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. Quod autem dicitur : A mari abundavit cogitatio illius, et consilium ipsius ab abysso magna, ostendit profunditatem sapientiæ divinæ inæstimabilem et incomprehensibilem esse : quia nemo secreta illius per omnia penetrare potest, nisi ipse unus et solus Deus Pater et Filius et Spiritus Sanctus, qui semetipsum per omnia novit, et consilii sui verus agnitor est. Dat creaturæ suæ tantum de se nosse, quantum novit illi expedire ; et doctrinæ suæ fidelibus suis secundum modum dispensationis suæ tribuit intellectum. »

Vers. 39. 39. A MARI ENIM ABUNDAVIT COGITATIO EJUS, ET CONSILIUM ILLIUS AB (ita legendum cum Romanis et Græcis, non *in*) ABYSSO MAGNA. — Dat causam cur nemo, nisi Christus, plene possit pernoscere sapientiam : quia scilicet « a mari, » id est, præ mari, plusquam mare abundat et profunda est « cogitatio » sapientiæ, et « consilium » ejus præ « abysso, » id est aquarum voragine et copia, quæ fundo caret, id est, carere hominibus videtur, profundum est et inscrutabile, juxta illud *Roman.* XI : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus ! » Est hebraismus : Hebræum enim מן *min*, id est, *a, ex, de*, sæpe significat *præ, plusquam*. Hoc imitatur subinde Latinus interpres, unde *a* vel *e* sumit pro *præ*. Exempla sunt *Ezech.* cap. XVI, vers. 3; *Reg.* cap. XIV, vers. 21, et alibi.

Quocirca Tigurina vertit, *nam abundantior mari est intellectus ejus, et consilium ejus profundo immensius ;* Syrus, *quia præ mari magno multiplicata est sapientia, et cogitatio præ abysso magna ;* alii, *supra mare multa est cogitatio ejus, et consilium ejus supra abyssum ingentem.* Aliter Palacius : *A mari divinitatis,* inquit, *ortum habet sapientia Evangelica, et ideo ejus consilium est in* (*sic enim ipse legit pro* ab) *eadem devinitatis abysso. Quis igitur nisi Deus eam cognoscet ?*

Vers. 40. 40. EGO SAPIENTIA EFFUDI FLUMINA. — Tigurina, *ego sapientia tota effundo super flumina.* Ne quis enim miretur, dicatque : Cur te, o Sapientia, comparasti cum Euphrate, Tigri, Jordane, etc., quid tibi, quæ lux es spiritalis, cognationis aut rei est cum fluminibus ? Respondet magnam sibi cum eis cognationem esse ; se enim esse matrem fluminum, se e suis visceribus quasi effudisse flumina. Adde, magnam esse analogiam fluminis et aquæ cum sapientia : utraque enim refrigerat, rigat, fecundat, sitim sedat ; denique qualis est fluxus fluminis e fonte, talis est fluxus luminis a sole, puta sapientiæ a Deo : imo hic illo longe est celerior, sublimior, divinior. Vide Hydragiologiam M. Antonii Marsilii Columnæ Archiepiscopi Salernit. in qua ostendit aquæ et fluminum præstantiam, ideoque crebrum aquæ usum esse in Sacramentis et rebus sacris. Unde Thales et philosophi, « aquam principem rebus creandis » dixere, inquit Ausonius in *Ludo sapient.* Analogia aquæ et sapientiæ.

Dicit ergo : Ego Sapientia meipsam in Christo (qui est Sapientia æterna Patris) comparavi fluminibus : quia ego quasi fons effudi flumina tum corporalia et proprie dicta (Deus enim per me quasi ideam et sapientiam ordinate et sapienter creavit omnia, ac proinde tam flumina quam cœlum et terram, juxta illud *Proverb.* cap. VIII, vers. 27 : « Quando præparabat cœlos, aderam, quando certa lege et gyro vallabat abyssos, etc. cum eo eram cuncta componens ») ; tum potius spiritalia et metaphorica : ego enim effudi flumina, id est, abundantiam sapientiæ et gratiarum in fideles et Ecclesiam quovis mundi ævo. Unde de iis subjungit : « Rigabo hortum meum, quoniam doctrinam quasi antelucanum illumino. » Ita Rabanus : « Christus, inquit, est sapientia, et effudit in mundum flumina doctrinæ Evangelicæ, quæ abundantissime reficiunt et satiant avidas mentes electorum. » Porro, hæc sententia jam deest in Græco et Syro.

Vers. 41. 41. EGO QUASI TRAMES AQUÆ IMMENSÆ DE FLUVIO : EGO QUASI FLUVII DIORYX, ET SICUT AQUÆDUCTUS EXIVI DE PARADISO. — Dat causam ejus quod dixit : « Ego effudi flumina, » quia scilicet ego ipsa sum flumen primigenium, et trames aquæ immensæ de fluvio ; per me ergo cætera omnia tam flumina, quam creata quælibet a Deo creatore profluxerunt.

Nota : Pro « ego quasi fluvii dioryx, » quæ est

vera lectio, quam habent Romana et Græca, scriptores non intelligentes τὸ *dioryx*, perperam varia substituerunt, quisque quod sibi affine et commodum videbatur. Unde alii legunt, *ego quasi fluvius vorax;* alii, *ego quasi fluvius Dorix;* alii, *dorax.* Vide Franciscum Lucam hic annot. 272; alii, *ego quasi fluvius Dioryx,* putantes Dioryx esse nomen proprium fluvii, puta esse Araxim, qui Armeniam interluit, de quo proinde hunc versum sic tam ad litteram, quam mystice explicat Rabanus: « Hunc fluvium, inquit, quidam historialiter Araxim amnem Armeniæ esse putant, qui ab uno monte cum Euphrate diversa specie oritur. Dictus autem, quod rapacitate cuncta prosternat: unde et cum Alexander eum transgredi vellet ponte fabricato, tanta vi inundavit, ut pontem dirueret: hic brevibus intervallis ab Euphratis ortu caput tollit, ac deinde Caspium fertur in mare. Doricum autem a Græcis hunc æstimant nuncupatum. Est autem pars Græciæ gentis Doris nuncupata, ex qua tertia lingua Græcorum Dorica appellata est. Mystice autem Sapientia comparat se fluvio rapidissimo, et aquæ egredienti de paradiso: quia doctrina Salvatoris de cœlesti prodiens thesauro, omnia obstacula errorum atque persecutionum sua velocitate atque fortitudine disrumpit ac frangit; ita ut per ora prædicatorum in totum orbem longissima atque latissima diffluat; unde scriptum est: In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum, » *Psalm.* XVIII.

Dioryx an Araxes?

Verum vera lectio, ut dixi, est: « Ego quasi fluvii dioryx. *Dioryx* enim græca vox est, significans alveum, rivum, fossam in quam fluvius derivatur, ab ὀρύττω, id est *fodio.* Est ergo nomen appellativum, non proprium.

Porro, τὸ *ego quasi trames aquæ immensæ de fluvio,* idem est cum eo quod sequitur: « Ego quasi fluvii dioryx. » Prius enim explicat posterius. Unde Græca posterius tantum habent; sic enim legunt: ἐγὼ ἡ σοφία ὡς διώρυξ ἀπὸ ποταμοῦ, καὶ ὡς ὑδραγωγὸς ἐξῆλθον εἰς παράδεισον, id est, *ego sapientia quasi dioryx de fluvio, et quasi aquæductus exivi in paradisum.* Quare Franciscus Lucas et Jansenius censent, in Latina Vulgata junctas esse duas ejusdem græcæ sententiæ translationes, quas non est verisimile ab eodem nostro Interprete simul profectas; sed alteram ex alterius versione additam. Nostrum itaque vertisse, *ego quasi trames aquæ immensæ:* sic enim vertit διώρυξ, vers. 43. Alterum addidisse: « Ego quasi fluvii dioryx. » Quare hæc tria, *trames, dioryx, aquæductus,* unum et idem, aut pene idem sunt. Trames enim aquæ non est aliud quam διώρυξ, id est fossa e fluvio deducta ad transferendam aquam. Unde Tigurina vertit, *ego quasi fossa e fluvio ducta, atque ut aquæductus in Paradisum pertineo;* Syrus, *ego sicut fluvius qui irrigat, et sicut dioryx aquarum quæ descendit in hortos.* Sensus est, *q. d.* Ego sapientia flumina doctrinæ salutiferæ effudi in terras: quia ego sum quasi trames aquæ immensæ de fluvio, id est quasi fossilis aliquis fluvius, aut fossa aliqua in quam derivantur aquæ immensi fluvii, puta immensa sapientia Dei, *q. d.* Non a me hæc habeo, sed a Deo: quare sum quasi fluvii dioryx, id est, quasi fossa a fluvio illo magno divino deducta, et sicut aquæductus exivi de Paradiso cœlesti et divino, ex quo omnia flumina oriuntur (a Deo enim cœli domino oriuntur omnia) sicut e Paradiso terrestri oriebantur quatuor illa celeberrima flumina jam dicta, nimirum Phison, Gehon, Tigris et Euphrates. Græca pro *e paradiso* habent *in paradisum,* eo sensu qui explicabitur versu sequenti, ubi dicitur: « Rigabo hortum meum: » hic enim hortus est Paradisus, ubi fons est sapientiæ et voluptatis.

Porro, hæc sententia accipi potest *primo,* de sapientia increata essentiali, quæ communis est Patri, Filio et Spiritui Sancto. Hæc enim, licet sit idem cum Deo, tamen nostro modo concipiendi manat a Deo, id est Dei essentia, sicut ab essentia creata manant ejus accidentia, qualia sunt sapientia, bonitas, perspicacitas, etc., perinde ac a fonte oritur rivus et aquæductus.

Secundo, hæc sententia accipi potest de Sapientia increata notionali, quæ propria est Filio: Filius enim a Patre procedit quasi verbum ab ore, uti dixit vers. 6, quasi lumen de luce, quasi fluvius a fonte, qui totam fontis aquam in se recipit et capit, ideoque ei adæquatur. Sic enim Filius recipit a Patre totam ejus essentiam et sapientiam, eique per omnia est par et æqualis. Ita Rabanus: « Ipse, inquit, est trames aquæ immensæ de fluvio: quia sicut Deus de Deo, lumen de lumine, ita ipse aqua immensa de fonte Patre, sive fluvio, tropice dici potest; quoniam Pater origo est divinitatis, quando sicut de Patre genitus est Filius, ita et Spiritus Sanctus procedit a Patre; quem in Evangelio *aquæ* nomine Dominus nuncupavit, dicens: Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam, » *Joan.* IV. « Item: Si quis sitit, veniat ad me, et bibat, et de ventre ejus fluent aquæ vivæ, » *Joan.* VII. « Et rursum: Aqua sapientiæ salutaris potabit eum, » *Eccli.* XV.

Sic et Palacius: « Pater, inquit, hoc loco vocatur fluvius, unde omne esse in universo fluit: ex hoc fluvio primus trames fluens est Filius, in quem ex Patre universa divinitas derivatur: unde ipse est trames aquæ immensæ et non mensuratæ nec mensurabilis. » Rursum: « Pater est Paradisus: aquæductus, id est, fluvius inde egrediens, est Filius, seu Sapientia; egreditur vero non velut primarius fluvius, is enim est Pater, sed velut aquæductus, seu trames, seu fossa, juxta illud: Verbum erat apud Deum, id est Sapientia apud Patrem; non Pater, sed ex Patre; et juxta illud: Ego ex ore Altissimi prodivi. »

Denique noster Gregorius de Valentia, I part. disp. 7, Quæst. VI *De Paradiso,* punct. 1, sic explicat: « Ego quasi aquæductus exivi de Para-

diso, » id est, ego Filius qui sum Sapientia genita, processi de substantia Patris, in qua est tanquam uberrimus torrens voluptatis. *Paradisus* enim metaphorice significat omnem rem vel locum amœnum instar horti. Multis exemplis idipsum ibidem demonstrat Valentia. Deus enim est Paradisus, imo oceanus deliciarum et bonorum omnium.

Tertio, accipi potest de Sapientia incarnata, puta de Christo homine : hic enim fuit quasi dioryx et aquæductus divinitatis : ab ea enim hausit omnem suam sapientiam, gratiam et virtutem, ut eam quasi aquæductus in homines et Ecclesiam transfunderet.

Quarto, valde apposite accipi potest de sapientia creata et communicata creaturis, præsertim fidelibus. Hæc enim est dioryx et aquæductus Sapientiæ increatæ, exitque de Paradiso cœlesti in terras, ut eas irriget, sicut quatuor flumina exibant e Paradiso, ut orbem irrigarent, *q. d.* ait Jansenius : Ego Sapientia effudi in mundo per legem et sapientum doctrinam, ac per internam inspirationem, flumina, hoc est copiosam mundo exhibui doctrinam, quam tamen non ex meipsa accepi, sed sum quasi effossa aliqua via immensæ aquæ, de fluvio aliquo magno deducta, hoc est, sum quasi fluvius fossilis, et sicut aquæductus exivi in mundum ad homines de Paradiso cœlesti, ubi fons est omnis sapientiæ, et verus locus voluptatis. Significat ergo legis doctrinam, per quam sapientia hominibus est communicata, originem suam habere a Deo ; nec tamen omnem Dei sapientiam ad nos plene derivatam, sed partem tantum, quæ nobis et conveniebat et necessaria fuit.

Porro, sicut dioryx est multiplex, sic et sapientia. Richardus de S. Victore decem modos recenset, quibus aqua ad homines transfunditur, scilicet efficiendo puteum, fontem, torrentem, rivum, cisternam, fluvium, stagnum, lacum, abyssum, diluvium. Totidem et pluribus modis ad homines dimanat sapientia. Hæc autem ortum suum in mundo habuit ex plenitudine cœlestis sapientiæ, quæ in Deo a Beatis plenius hauritur et percipitur.

Mystice dioryx est B. Virgo.

Mystice, trames, dioryx et aquæductus fluvii divini est B. Virgo et Sancti. B. Virgo enim quasi aquæductus excepit sapientiam divinam, ipsamque personam Verbi, ut eam pareret, et in homines transfunderet. Audi in primis nostrum Salazar in *Prov.* cap. XXXI, num. 135. Mariæ, inquit, virginis exitus primus, et prima in lucem editio celebratur his verbis, et jam tunc in immensum effusam gratiarum suarum affluentiam aperiens : « Ego, inquit, quasi trames aquæ immensæ de fluvio. » Et subdit : « Ego quasi fluvius dioryx. » Ex vetustis exemplaribus aliqua sic habent : « Ego quasi fluvius vorax ; » et in Virginem aptissime quadrat, quæ gratiarum omnium fluenta, ut ita dicam, hausit ac perbibit. Accipe Bonaventuram in *Speculo*, cap. III : « Omnia, inquit, charismata intrant in Mariam ; flumen enim gratiæ Angelorum intrat in Mariam, flumen gratiæ Patriarcharum et Prophetarum intrat in Mariam, flumen gratiæ Apostolorum intrat in Mariam, flumen gratiæ Martyrum, Confessorum, Virginum, Doctorum intrat in Mariam ; omnia denique flumina intrant in Mariam. Sed quid mirum si omnis gratia in Mariam confluxit, per quam tanta gratia ad omnes defluxit? » Est ergo Maria flumen immensum omnium fluminum vorax. Quin et Mahomet in Alcorano, de familia Adamar hæc elogia dat B. Virgini : « Dixit, inquit, angelus Gabriel ad Mariam : O Maria, Deus te elegit, et docuit gratiam, et præelegit super omnes mulieres omnium sæculorum, et posuit te quasi novum medium, dividens inter homines terrenos et angelos Dei in paradiso deliciarum. » Nec multum abit illud nomen *dioryx*, aut *duoryx*, cujus hic meminit Ecclesiasticus, a nomine Durii nostri. Rabanus existimat nomine Dioryx Araxem, totius Persiæ maximum fluvium, notari, qui tanto volvitur impetu per declivia, ut præceps ejus lapsus omnia secum auferat, pontes, impedimenta, etc. Huc spectat illud Poetarum principis :

Mahometis elogia de B. Virgine.

Pontem indignatus Araxes.

Ergo ad rem nostram, Maria cum fluvio Araxe aptissime comparatur, quia collectis undique gratiarum omnium rivis, in quamdam immensam evasit gratiarum vim : ex hac vero tanta in pietatem et honestatem propensio nata est, tamque rapidus præcepsque in bonum omne cursus, ut omnes peccatorum illecebras, occasiones, tentamenta, et motus pravos alvei istius vis magna devolveret ac demergeret. Hæc Salazar.

Audi et S. Bernardum, serm. *in Nativit. B. Mariæ*, quem inscribit *De Aquæductu*, explicantem quomodo dioryx et aquæductus gratiarum nobis facta sit B. Virgo : « Altius intuemini quanto devotionis affectu a nobis Mariam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria : ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea noverimus, redundare, quæ ascendit deliciis affluens. Hortus plane deliciarum, quem non modo afflaverit veniens, sed et perflaverit superveniens auster ille Dominus, ut undique fluant et effluant aromata ejus, charismata scilicet gratiarum. Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum, ubi dies? Tolle Mariam hanc maris stellam, maris utique magni et spatiosi, quid nisi caligo involvens, et umbra mortis, ac densissimæ tenebræ relinquuntur? Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, et votis omnibus Mariam hanc veneremur : quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam. » Et paulo superius : « Plenus equidem, inquit, aquæductus, ut accipiant cæteri de plenitudine, sed non plenitudinem ipsam. Nostis enim cui dictum est : « Ave, gratia plena. » Et inferius : « Ascendit plane supra omne huma-

num genus, ascendit usque ad angelos; sed et ipsos quoque transcendit, et cœlestem omnem supergreditur creaturam. Nimirum super angelos hauriat necesse est, quam refundat hominibus aquam vivam. » Unde concludens ait : « Cæterum, quidquid illud est quod offerre paras, Mariæ commendare memento, ut eodem alveo ad largitorem gratiæ gratia redeat, quo influxit. Neque enim impotens erat Deus et sine hoc aquæductu infundere gratiam prout vellet; sed tibi vehiculum voluit providere. Forte enim manus tuæ, aut sanguine plenæ, aut infectæ muneribus, quod non eas ab omni munere excussisti : ideoque modicum istud quod offerre desideras, gratissimis illis, et omni acceptione dignissimis Mariæ manibus offerendum tradere cura, si non vis sustinere repulsam. Nimirum candidissima quædam lilia sunt, nec causabitur ille liliorum amator inter lilia non inventum, quidquid illud sit quod inter Mariæ manus invenerit. » Maria ergo est trames, id est, via in invio peccatorum, ipsa via in bivio deviantium, ipsa via in trivio dubitantium, et secure ad patriam in cœlum redeuntium : manat ex fluvio, id est ex Spiritu Sancto, vel ex Christo, cujus aqua immensa est, immensa ejus redemptio, et gratiarum copia ex ea profluens.

Vers. 42. 42. DIXI : RIGABO HORTUM MEUM PLANTATIONUM, ET INEBRIABO PRATI MEI FRUCTUM. — Ita legendum *prati* scilicet, non *partus* vel *pratus* : sic enim legunt Romana, et Græcum πρασιὰν significat areolam horti in qua seruntur olera, sive viridaria. Unde Columella : « Fiunt, inquit, ad olerum consitionem quadratæ dispositiones, quæ πρασιαὶ dicuntur in laterculi formam. » Hinc et πράσιος vocatur color viridis, qui conflatur ex fulvo et nigro, teste Platone in *Timæo*. Sic ergo habent Græca : μεθύσω μου τὴν πρασιὰν τὴν δίκαιαν, id est *irrigabo areolam meam justam, q. d.* Ego Sapientia rigabo mea lege et doctrina Ecclesiam, sive cœtum fidelium, quem quasi areolam et hortum populi justi et sancti, mihi e toto mundo colendum delegi et suscepi, ut in ea plantem omnia virtutum genera, omnesque justorum status et gradus, qui varios sapientiæ et sanctitatis fructus proferant. Quod ut faciant, indigent assidua irrigatione sapientiæ, id est, illuminationis, impulsus et gratiæ Dei : sine hac enim exsucci, aridi et steriles ex seipsis remanerent; ut vero id abunde et copiose faciant, ego non tantum irrigabo, sed et inebriabo eos mea sapientia et gratia.

Pro *plantationum* Complutenses habent ἄριστον, id est *optimum*; alii, *egregium*. Unde sic habent, *potum dabo horto meo optimo, et inebriabo meam viriditatem justam*, id est juste et adæquate dimensam et circumscriptam, uti in hortis areolæ florum solent late in circulos, vel quadrate efformari, et laterculis circumscribi, ut justa omnium sit proportio et adæquatio. Talis enim areola, per omnia juste adæquata, et conformata est Ecclesia, quoad omnes sui partes, puta quoad Ecclesias quaslibet particulares, quoad varios fidelium status et gradus, ac præsertim quoad Clerum bene ordinatum et sibi invicem subordinatum. Unde Tigurina vertit, *horto meo eximio potum dabo, justamque meam areolam irrigabo;* Syrus, *dixi : Rigabo hortum meum, et inebriabo cubilia mea*, puta areolas meas : has enim hortulani vocant lectulos, sive cubilia florum et aromatum. Ita Rabanus et Palacius, quem audi : Quia, inquit, sapientia dixit se esse tramitem aquæ immensæ, manifestat nobis decretum suum esse, ut, sicut divinitas ex Patre fluxit in Filium, ita ex Filio fluat suo modo in Ecclesiam. Hoc ait : Rigabo hortum, scilicet Ecclesiam; hæc vocatur hortus plantationum : quia in eo plantantur fideles, qui sunt velut plantæ, de quibus habes in *Canticis*, habes et in *Psalm.* cum dicitur : « Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt. » *Psal.* XCI, 14. Et rursum : « Erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum. » *Psal.* I, 3. Quod *secundo* dicit, « Inebriabo, » notat primum, aquam Spiritus Sancti et gratiæ, qua sapientia rigat Ecclesiam (quæ pratum est), aquam esse ad rigandum, et vinum ad inebriandum. Quod autem dicit, « Inebriabo fructum, » notat plantas Ecclesiæ non esse ficus, sola folia habentes, ut erant olim Pharisæi; sed esse fructiferas, fructus spiritus ferentes, quos Paulus enumerat. Notat *tertio*, *Galat.* V. tunc maxime pios a musto Spiritus inebriari, cum fructus ferunt; ideo, inquit, « Inebriabo fructum. » Si vis videre ebrietatem hanc, martyrum fervorem considera.

Mystice, hæc adaptes B. Virgini; unde Rupertus Abbas, lib. IV *in Cantica* : « Hortus conclusus, inquit, soror mea, sponsa, Dei genitrix. Ecce novus Paradisus, novæ plantationes, quas plantavit unus idemque antiqui Paradisi plantator, Dominus Deus. Ille est Paradisus antiquus, Paradisus terrenus : iste est Paradisus novus, paradisus cœlestis : utriusque plantator est unus, idemque Dominus Deus : in illo posuit hominem quem formaverat, in isto formavit hominem, qui apud ipsum in principio erat. De illa humo produxit omne lignum pulchrum visu et ad vescendum suave, lignum etiam vitæ in medio Paradisi : istam humum, istam terram suam benedixit, et ex ea cunctarum germina gratiarum, et cunctarum exemplaria virtutum produxit, ipsum quoque lignum vitæ Christum Deum et hominem, Dominum Paradisi cœlestis. De illo voluptatis loco egrediebatur fluvius ad irrigandum Paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita : de isto Paradiso ille fluvius, sive istud flumen egressum est, de quo Psalmista dicit : Fluminis impetus lætificat civitatem Dei, qui inde dividitur in quatuor Evangelia. » Merito ergo B. Virgo, a S. Hieronymo, Petro Damiano et aliis, imo ab Ecclesia, vocatur et invocatur « Paradisus voluptatis, quem Deus omnibus gratiæ divitiis cumulavit, ac hor-

tus deliciarum, in quo condita sunt omnia florum genera, et omnia ornamenta virtutum. » Atque a S. Ignatio, epist 1 *ad S. Joannem*, vocatur « cœleste prodigium, et sacratissimum spectaculum, in quo humanæ naturæ natura sanctitatis angelicæ sociatur. »

Vers. 43. 43. ET ECCE FACTUS EST MIHI TRAMES ABUNDANS, ET FLUVIUS MEUS APPROPINQUAVIT AD MARE. — Pro *trames* Græce est διώρυξ, *q. d.* Fossa illa, vel aquæductus, de quo dixi vers. 39, cum initio esset arctus et exiguus, sensim ita crevit, ut fossa facta sit flumen abundans, imo videatur esse mare. Hoc maxime factum est, cum Dei sapientia, id est lex, fides et religio, quæ initio sola Judæa concludebatur, tempore Christi per Apostolorum prædicationem effudit se in omnes gentes, easque fecit christianas. Unde Tigurina, *aquæductus ecce meus evasit flumen, et flumen meum in mare excrevit;* Syrus, *et ecce etiam fuit mihi torrens, et fluvius meus pertingit usque ad mare;* Arabicus, *et habebam vadum, et pervenit ad mare; fluvium meum in mare inundare facio mane, faciamque illum etiam in generationes plurimas;* alii, *et ecce fossa illa factus est fluvius, et fluvius meus evasit in mare.* O rem ineffabilem! exclamat Palacius, fluebat doctrina Evangelica, et in ea quodammodo Spiritus et Christus : obstabant huic fluxui omnes dæmonum, imperatorum, militum et totius orbis vires extentæ; at, his omnibus invitis, ut mare totam vallat et circumdat terram : ita vita christiana et ipse Christus totum circumdedit orbem; siquidem « in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum, » *Psalm.* XVIII.

Maria gratiarum mare. Mystice, gratia, quam B. Virgo in primo instanti conceptionis accepit, per 72 annos, quibus per continuos et gratiæ adæquatos actus jugiter eam auxit, et assidue conduplicavit, excrevit quasi in immensum, ut vere Maria dici posset essetque mare gratiarum : unde a Damasceno, orat. 2 *De Assumptione*, vocatur *gratiæ abyssus.* Et S. Epiphanius, orat. *De Laud. Virg.* : « Gratia, inquit, S. Virginis est immensa. » Et inferius eam vocat, « mare spirituale, cui prædicando, neque hominum, neque angelorum lingua sufficit. » S. Ildefonsus, serm. *De Assumptione* : « Sicut, inquit, est incomparabile quod gessit, et ineffabile quod percepit; ita est incomprehensibile præmium gloriæ quod meruit. » S. Anselmus, *De Excellentia Virg.* cap. VIII : « Quid amplius, ait, dicere possum, Domina? Immensitatem quippe gratiæ et gloriæ, et felicitatis tuæ considerare incipienti, et sensus deficit, et lingua fatiscit. » Atque ut alios omnes præteream, Andreas Cretensis, serm. *De Dormit. Deiparæ*, sic eam compellat : « O sancta, et sanctis sanctior, et omnis sanctitatis sanctissime thesaure. » Eodem modo crevit et crescit in dies sanctitas Apostolorum, Martyrum, Virginum, Confessorum Sanctorumque omnium, quam eis, utpote sibi devotis, suisque clientibus aspirat B. Virgo.

44. QUONIAM DOCTRINAM QUASI ANTELUCANUM ILLUMINO OMNIBUS, ET ENARRABO ILLAM USQUE AD LONGINQUUM. — Pro *antelucanum* Græce est ὄρθρον, id est *diluculum, q. d.* Sicut lux diluculi, sive auroræ, post noctis tenebras initio modica est, sed sensim crescit usque ad meridiem et lucem clarissimam; ita et ego sapientia sensim omnibus « illumino, » id est, lucem meam profero, meque diffundo magis et magis, donec etiam in longinquum, id est remotissimas gentes, me effundam, easque illuminem; uti hoc sæculo factum videmus, ac quotidie fieri in Sina, Japone totaque India Orientali et Occidentali. Unde Græca habent, *nam disciplinam ut diluculum illustro, et ostendo eam usque in longinquum;* Tigurina, *quoniam disciplinam illumino ut diluculum, et in multum tempus illustro eam;* Syrus, *rursum doctrinam meam mane dico, et relinquam eam in generationes multas,* vel *potabo ea generationes multas.* Notat Palacius doctrinam Evangelicam vocari *auroram*, non *meridiem*, tum quia obscura est; fide enim creditur, non videtur oculis; tum quia admiscetur tenebris persecutionum et tribulationum; tum quia sensim crescit ut aurora.

Vers. 45. 45. PENETRABO OMNES INFERIORES PARTES TERRÆ, ET INSPICIAM OMNES DORMIENTES, ET ILLUMINABO OMNES SPERANTES IN DOMINO. — Tigurina, *imas omnes terræ partes penetro, dormientes video quoscumque, et spem in Domino ponentes omnes illumino.* Hic versus jam deest in Græco et Syro. Sunt verba Sapientiæ, *q. d.* Adeo dioryx et aquæductus meus crevit in flumen, imo in mare; adeo lux auroræ meæ crevit in meridiem, ut non tantum illuminem omnes gentes in superficie terræ degentes, sed et penetrem imas terræ partes; ibique inspiciam et visitem omnes dormientes, id est defunctos; ac damnatos quidem inspiciam terribili vultu, metuque percellam, et damnationem eorum confirmabo; pios vero sperantes in Domino illuminabo, id est, luce meæ cognitionis, puta revelatione Christi nati, passi et resurgentis, indeque consolatione redemptionis et salutis per eum factæ perfundam. Consolabor ergo et beabo omnes Patres in limbo degentes, sperantes in Domino, et avidissime Christum redemptorem exspectantes. Itaque sæpius quidem per angelos Deus illuminavit patres in limbo; sed perfectissime hæc sententia impleta est, cum Christus, qui est Sapientia Patris incarnata, in cruce moriens, descendit ad limbum, ac patres sui cognitione, imo conspectu tam humanitatis, quam divinitatis suæ donavit; itaque eos consolatus est, imo beatos reddidit, secumque tertio die in terram, ac quadragesimo die, ascendens in cœlum, in triumphum duxit. Ita hunc locum de descensu Christi ad inferos interpretatur S. Isidorus, lib. *De Resurrect. Domini*, cap. LI, et alii passim, ac noster Salazar in cap. XXIX *Proverb.* num. 59, ubi τὸ *illuminabo*, exponit, *visitabo et perscrutabor.*

Idem implebitur in resurrectione; tunc enim Deus inspiciet et visitabit corpora Sanctorum la-

tentia in sepulcro, eaque animabus uniet, vivificabit et glorificabit.

Porro ex eo quod ait : « Penetrabo omnes inferiores partes terræ, » Bellarminus, lib. IV *De Anima Christi*, cap. XVI, et alii opinantur Christum post mortem descendisse ad omnia loca inferni, adeoque ad ipsum infernum damnatorum, tanquam omnium dominatorem. Ita videtur sentire Cyrillus Hierosolymitanus, *Catechesi* XIV; Athanasius, serm. 4 *Contra Arianos;* S. Augustinus, *epist.* 99; Fulgentius, lib. III *Ad Trasimund.* cap. XXX; Nyssenus, orat. 1 *De Resurr.*, Damascenus, lib. III, cap. CXXIX. Sed probabilius est Christum substantialiter tantum descendisse ad limbum : « Ut quos ipse per gratiam visitabat interius secundum divinitatem, eos etiam secundum animam visitaret et loco, » ait S. Thomas, III p., *Quæst.* LII, art. 2; virtualiter vero et effective, sive quoad efficaciam, descendisse ad locum puerorum et damnatorum, confutando scilicet et damnando illorum peccatum, sive originale solum, sive etiam actuale in adultis. « Penetrabo ergo omnes inferiores partes terræ, » quia scilicet unam substantialiter, cæteras virtualiter penetrabo. Ita Valentia in locum D. Thomæ jam citatum, nec aliud volunt Patres pro priori sententia citati. Ita et Bonaventura, Richardus, Gabriel, Palud. Marsil. et alii in III, dist. 22, ac Franciscus Suarez III p., *Quæst.* LII, art. 8 : Penetrabo, ait, *primo*, quoad divinitatem; *secundo*, quoad humanitatem, ad omnes partes terræ; quia non solum ad superficiem terræ descendit, sed etiam usque ad infimum terræ locum penetravit, etiamsi non ad omnes ejus sinus.

Christus personaliter non descendit ad infernum damnatorum,

Rursum, ex eo quod ait : « Illuminabo omnes sperantes in Domino, » multi probabiliter censent Christum omnibus animabus in Purgatorio existentibus suo ad eos descensu dedisse primum plenumque jubilæum, omnesque a pœnis liberasse, et secum ad cœlum in triumphum duxisse. Ita S. Bonaventura in dist. 22, Quæst. V; Thomas Argentin. ead. dist. Quæst. unica, art. 4, Gabriel eadem dist. Quæst. unica, art. 3, dub. 3; Sotus in IV, dist. 45, Quæst. 1, art. 3, in fine. Illud certum est Christum tum animas patrum plene expiatas illuminasse lumine gloriæ, eisque suam divinitatem conspiciendam obtulisse, itaque eas beasse, ac æterna felicitate donasse.

dedit in Purgatorio jubilæum.

Tropologice Rabanus : Sapientia, puta Christus, « inspicit inferiores partes terræ, inquit, quoniam carnalium corda et cogitationes scrutatur; inspicit omnes dormientes, qui vel ignorantiæ somno, vel torpore negligentiæ dormitant; et illuminat recta fide et agnitione sperantes in Deo; quoniam qui sperat in Deo, beatus est. Beneplacitum enim est Domino super timentes eum, et in eos qui sperant in misericordia ejus, » *Psalm.* CXLVI.

Vers. 46. 46. ADHUC DOCTRINAM QUASI PROPHETIAM EFFUNDAM, ET RELINQUAM ILLAM QUÆRENTIBUS SAPIENTIAM; ET NON DESINAM IN PROGENIES ILLORUM USQUE IN ÆVUM SANCTUM. — Hic versus potest accipi tam ut dictus a Sapientia, quam a Siracide. A Sapientia, quasi illa pergat hic loqui, explicetque illud vers. 44 : « Enarrabo illam in longinquum; » cui immediate Græca hunc versum subjungunt. Favent Complutenses quæ pro ἔτι, id est *adhuc*, legunt ὅτι, id est *quoniam*, *q. d.* Enarrabo sapientiam in longinquum, quoniam doctrinam effundam usque in ævum sanctum. Et Syrus, qui cum pro vers. 44 vertisset, *rursus doctrinam meam mane dico, et relinquam eam in generationes multas;* quæ constat esse verba Sapientiæ, quasi ea explicans, hunc versum subdit, *rursus doctrinam meam in prophetia dico, et extremitas ejus usque in longinquum.* Cum ergo prior versus sit Sapientiæ, ejusdem quoque videtur esse posterior, utpote illi respondens, illumque explicans. Unde Rabanus sic explicat : « Non cessat, inquit, S. Scriptura ab ævo usque in ævum docere genus humanum, quatenus intelligat ex præceptis Dei quid vitare debeat, quidve agere; ut nemo sit qui rite se possit excusare, quasi nesciens quid præceptum sit in lege divina, cum sapientia viam veritatis, et normam justitiæ palam omnibus demonstret. » Et Palacius : « Videor, inquit, mihi audire Christum dicentem : Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Non igitur cessabit unquam prædicatio Evangelii exterius, et prædicatio Christum interius, usque ad ævum sanctum, id est æternitatem. Nota doctrinam Evangelicam paris esse auctoritatis cum prophetia; ideo ait doctrinam quasi propheticam; utramque enim a Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines, » II *Petri* I, 21.

Rursum hæc verba accipi possunt quasi dicta a Siracide. Ipse enim, post interlocutionem Sapientiæ hucusque a se inductam, videtur resumere sermonem, ac sternere viam ad nova sapientiæ dogmata, quæ tradet cap. proximo et seqq. Nam vers. seq. usurpat Siracides quasi suum cap. XXXIII, 18. Unde Græca de more breviter sic habent, *adhuc doctrinam ut prophetiam effundam, et relinquam ipsam in generationes sæculorum;* et Tigurina, *etiamnum effundo doctrinam ut oraculum, perque sæculorum ætates emitto eam quærentibus.* Quare Lyranus hæc ita cum vers. præcedenti connectit : « Quia, inquit, scriptor hujus libri immediate locutus est de judicio finali, posset quis dubitans quærere : Intendis tu hic librum tuum finire? Ad quod respondet, dicens : Adhuc doctrinam quasi prophetiam effundam. » Sic et Jansenius, qui sigillatim singula de Siracide sic explicat : « Dum dicit, inquit, se prolaturum doctrinam sicut prophetiam, significat se divinam doctrinam traditurum, quæ certa sit et solida, quæque non humano ingenio sit excogitata; sed divinitus revelata; sicut Prophetæ Spiritu Sancto inspirati locuti sunt. Dum se dicit eam relicturum in generationes sæculorum, significat se eam scripto relicturum posteris, ut in perpetuum ab eis legi et audiri possit, qui studiosi sunt sapientiæ. Et non

desinam, inquit, hoc est, perseverabo semper per scriptam a me doctrinam, in progenies illorum qui quærunt sapientiam, usque in ævum sanctum, hoc est, usque in sæculum futurum, ubi humana amplius doctrina opus non erit; sed implebitur illud, quod per Jeremiam dictum est: Non docebit ultra vir proximum suum. Omnes enim cognoscent me a majore usque ad minimum eorum, » *Jerem.* XXXI.

Nota, *ævum sanctum* vocari sæculum futurum: præsens enim non est sanctum, quia « totus mundus in maligno positus est, » I *Joan.* V. At æternitas beata, in quam nihil coinquinatum ingreditur, ævum sanctum est. Meminerint ergo doctores et scriptores se docere et scribere non tempori, sed æternitati; seque in suis laboribus solentur, quod illis non sibi tantum, sed et discipulis et lectoribus, eorum scripta usque ad finem mundi lecturis, accersant ævum sanctum, scilicet beatam æternitatem: ad hanc enim se suosque lectores informant et dirigunt. Unde subdit et concludit:

Vers. 47. 47. VIDETE QUONIAM NON SOLI MIHI LABORAVI, SED OMNIBUS EXQUIRENTIBUS VERITATEM, — *q. d.* Videte ex his quæ hactenus tam prolixe dixi et scripsi, ac deinceps dicturus et scripturus sum, me non mihi soli studuisse et vacasse, sed et aliis laborasse et consuluisse, ut meo exemplo idem faciant alii sapientes, nec satis putent si ipsi sapiant, sed et sapientiam suam aliis docendo et scribendo communicent. Unde Rabanus: « Doctor ecclesiasticus, inquit, verba Dei scribendo et docendo non solum sibi laborat, sed et aliis; quia sibi laborat pro æterna mercede et quiete; aliis autem pro vera salute ac perpetua requie; unde in *Daniel.* cap. XII, scriptum est: Qui docti fuerint, fulgebunt sicut splendor firmamenti, et qui ad justitiam eruditum multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Hinc et Jacobus ait: Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum. De quo et Paulus ad Timotheum scribens ait: Attende tibi, et doctrinæ sanæ, insta in illis; hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt. Hinc et ipsa Veritas in Evangelio ait: Qui solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum. » Et item: « Vos, inquit, estis lux mundi; sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. »

Cap. V. II. *Tim.* IV. *Matth.* IX.

Porro Palacius, hæc accipiens ut dicta a sapientia, puta Christo, sic explicat: « Nullum grandius, inquit, epiphonema fere potuit a sapientia dici: O mortales, veni in mundum; o quam in eo laboravi! laboravi porro in gloriam Patris, et in commodum vestrum, si veritatem inquiratis; ne committatis ergo, ut ego frustrer proposito meo, et vos tanto commodo vestro. »

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Post encomium sapientiæ, pergit alia ejus tradere dogmata. Unde, vers. 1, *recenset tria quæ placent sapientiæ, et vers.* 3, *totidem quæ ei displicent. Inde, vers.* 9 *usque ad* 17, *enarrat decem beatitudines, puta res decem quæ hominem faciunt beatum. Denique, a vers.* 17 *usque ad finem capitis, agit de nequitia mulierum, eamque multis exaggerat.*

1. In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo et hominibus: 2. Concordia fratrum, et amor proximorum, et vir et mulier bene sibi consentientes. 3. Tres species odivit anima mea, et aggravor valde animæ illorum; 4. pauperem superbum: divitem mendacem: senem fatuum et insensatum. 5. Quæ in juventute tua non congregasti, quomodo in senectute tua invenies? 6. Quam speciosum canitiei judicium, et presbyteris cognoscere consilium! 7. Quam speciosa veteranis sapientia, et gloriosis intellectus, et consilium! 8. Corona senum multa peritia, et gloria illorum timor Dei. 9. Novem insuspicabilia cordis magnificavi, et decimum dicam in lingua hominibus; 10. homo, qui jucundatur in filiis, vivens et videns subversionem inimicorum suorum. 11. Beatus qui habitat cum muliere sensata, et qui lingua sua non est lapsus, et qui non servivit indignis se. 12. Beatus qui invenit amicum verum, et qui enarrat justitiam auri audienti. 13. Quam magnus, qui invenit sapientiam et scientiam! sed non est super timen-

tem Dominum; 14. timor Dei super omnia se superposuit: 15. beatus homo, cui donatum est habere timorem Dei: qui tenet illum, cui assimilabitur? 16. Timor Dei initium dilectionis ejus: fidei autem initium agglutinandum est ei. 17. Omnis plaga, tristitia cordis est: et omnis malitia, nequitia mulieris. 18. Et omnem plagam, et non plagam videbit cordis: 19. et omnem nequitiam, et non nequitiam mulieris: 20. et omnem obductum, et non obductum odientium: 21. et omnem vindictam, et non vindictam inimicorum. 22. Non est caput nequius super caput colubri: 23. et non est ira super iram mulieris. Commorari leoni et draconi placebit, quam habitare cum muliere nequam. 24. Nequitia mulieris immutat faciem ejus: et obcæcat vultum suum tanquam ursus, et quasi saccum ostendit. In medio proximorum ejus 25. ingemuit vir ejus, et audiens suspiravit modicum. 26. Brevis omnis malitia super malitiam mulieris, sors peccatorum cadat super illam. 27. Sicut ascensus arenosus in pedibus veterani, sic mulier linguata homini quieto. 28. Ne respicias in mulieris speciem, et non concupiscas mulierem in specie. 29. Mulieris ira, et irreverentia et confusio magna. 30. Mulier, si primatum habeat, contraria est viro suo. 31. Cor humile, et facies tristis, et plaga cordis, mulier nequam. 32. Manus debiles, et genua dissoluta, mulier quæ non beatificat virum suum. 33. A muliere initium factum est peccati, et per illam omnes morimur. 34. Non des aquæ tuæ exitum: nec modicum: nec mulieri nequam veniam prodeundi. 35. Si non ambulaverit ad manum tuam, confundet te in conspectu inimicorum. 36. A carnibus tuis abscinde illam, ne semper te abutatur.

PRIMA PARS CAPITIS.

Vers. 1 et 2.

1 et 2. IN TRIBUS PLACITUM EST SPIRITUI MEO, QUÆ SUNT PROBATA CORAM DEO ET HOMINIBUS: CONCORDIA FRATRUM, ET AMOR PROXIMORUM, ET VIR ET MULIER SIBI BENE CONSENTIENTES. — Loquitur ipsa Sapientia, vel certe Siracides sapiens, ex persona et mente sapientiæ: quod in idem redit. Sapientiam enim hic loqui docet Rabanus, et evincunt Græca, quæ sic habent: ἐν τρισὶν ὡραίσθην, καὶ ἀνέςην ὡραῖα ἔναντι Κυρίου καὶ ἀνθρώπων, id est, *in tribus pulchra facta sum, et surrexi decora coram Deo et hominibus*. Noster pro ἀνέςην legit ἐςὶν ὡραῖα, id est, *sunt speciosa, grata, probata.*

Nota: Siracides hic ternarios virtutum et vitiorum subjicit, more veterum qui sua præcepta ad numeros redigebant, ut facilius capi et memoria retineri possent. Qua in re imitatur Salomonem, qui idem facit *Proverb.* cap. XXX, vers. 18 et sequent.

Primum sapientiæ præceptum, de concordia.

Primum ergo sapientiæ hoc est præceptum, de concordia et charitate: hæc enim prima et princeps est virtus, quæ Dei et hominum gratiam conciliat. Ea autem maxime in triplici hominum genere requiritur. *Primo*, inter fratres, vel germanos, vel consobrinos, vel quomodolibet cognatos et consanguineos; hi enim omnes ab Hebræis vocantur fratres. Alludit ad *Psalm.* CXXXII, vers. 1: « Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum! *Secundo*, inter proximos, id est, eos qui in eadem domo, collegio, vicinia, officio, arte, negotio, aliove modo invicem devincti et quasi colligati sunt: horum enim omnium vinculum est amor et concordia. *Tertio*, inter virum et mulierem: hi enim ita conjuncti sunt habitatione, toro, mensa rebusque omnibus, ut una caro, id est unus homo civilis, et una persona politica censeantur; unde et conjuges vocantur. Quare si inter se concordes vivant, vitam agent jucundissimam et sanctissimam; sin discordes sint, molestissimam et diabolicam. Quocirca pro *sibi bene consentientes*, Græce est, ἑαυτοῖς συμπεριφερόμενοι, id est *mutuo una circumferentes*, vel *mutuo una circumlati;* hæc enim vox Græca magnam habet emphasin, significatque summum inter conjuges consensum, quando alter alterius mores, infirmitates et vitia tolerat, eique in omnibus se accommodat, perinde ac fit in rota: dum enim ejus pars una volvitur et gyratur, pars altera ei connexa eodem volvatur et gyretur oportet: talis enim rota est conjugium. Aut, sicut duo boves vel equi, æque idem jugum subeunt, trahuntque: inde enim dictum est conjugium. Sensus ergo est, *q. d.* Vir et uxor ita consentire debent, ut quocumque fertur unus, vel voluntate propria, vel infirmitate, vel necessitate ingruente, eodem sponte inclinet ac feratur et alter: vult maritus hanc artem exercere, eam-

dem exerceat, vel exercenti obsecundet uxor : maritum excipit morbus, paupertas, jactura, persecutio, carcer; maritum eodem sequatur, imo ultro comitetur uxor, ut eum soletur, patienti compatiatur et serviat, eumque omnibus officiis modisque adjuvet. Denique quicumque fortunæ flatus virum impulerit, eodem impelli se sinat uxor : ac vice versa, quocumque impulsa fuerit uxor, eodem sequatur et maritus.

Causa concordiæ est amor mutuus.

Porro, hujus consensionis radix et causa est amor reciprocus. Unde S. Augustinus in *Sententiis*, num. 163 : « Pax domestica, inquit, est ordinata cohabitantium imperandi obediendique concordia. Imperant enim qui consulunt, sicut vir uxori, parentes filiis, domini servis. Obediunt autem quibus consulitur, sicut mulieres maritis, filii parentibus, servi dominis. Sed in Domino juste viventes ex fide, et ab illa adhuc civitate peregrinantes, etiam qui imperant serviunt eis, quibus videntur imperare: quia non dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi, nec principandi superbia, sed providendi beneficio. »

Nota *secundo* : Pro *beneplacitum est spiritui meo*, Græce est, ὡραίσθην, id est *decora* vel *pulchra facta sum*, *q. d.* Hæc tria ita mihi placent, ut iis pulchrescam, ut iis mihi pulchra et speciosa esse videar, ut iis me decorari sentiam, aveam et gaudeam. Unde Tigurina vertit, *tria me exhilarant, et coram Domino simul et hominibus condecorant;* alii, *tribus sum exornata, et surgo speciosa coram Deo et hominibus ;* Syrus, *tria desideravit anima mea, et ea decent coram Deo et hominibus, fraternitas fratrum, amicitia amicorum, et vir et uxor ejus, quando sunt concordes.* Simili phrasi ait Apostolus *Hebr.* cap. XIII, 16 : « Beneficentiæ et communionis nolite oblivisci, talibus enim hostiis promeretur Deus; Græce, εὐαρεστεῖται, id est, conciliatur, placatur, sibi complacet; Syrus, *pulchrescit*, hilarescit et gloriatur. Itidem facit de concordia nostra : quia in hac sita est salus domorum, urbium et regnorum.

Moraliter, de pace.

Audi hanc sententiam explicantem bonaque pacis et concordiæ enarrantem S. Augustinum, serm. 169 *De Tempore* : « Pax, inquit, concordia fratrum, sicut scriptum est : In tribus placuit spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo et hominibus : concordia fratrum, et amor proximorum, et vir et mulier consentientes sibi. Concordia ergo fratrum voluntas Dei est, jucunditas Christi, perfectio sanctitatis, justitiæ regula, materia doctrinæ, morum custodia, atque in rebus omnibus laudabilis disciplina. Pax, suffragio precum et supplicationum, facilis atque impetrabilis; quia desideriorum omnium competens est plenitudo, sicut scriptum est in Apostolo. Pax conventionis amabilem Deo facit in fratribus, quæ charitatis indicat testimonium. Pax ergo dilectionis mater est, concordiæ vinculum, ac puræ mentis indicium manifestum; quia sibi exigit de Deo quod velit, quidquid voluerit petit, et quidquid voluerit sumit. Pax præceptis regalibus conservanda est, Domino Christo dicente : Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. In pace vos dimitto, in pace vos dimisi, in pace vos inveniam. Proficiscens voluit dare quod desiderabat rediens in omnibus invenire, » quodque a singulis severe exiget et repetet in die judicii. *Joan.* XIV.

Universi status consistit in concordia : cur?

Præclare S. Gregorius Nazianzenus, orat 12 *De Pace*, docet universi statum decusque consistere in concordia elementorum, licet discordium et contrariis qualitatibus inter se pugnantium; cœlorum, et mixtorum omnium : « Mundus, inquit, celebre Dei elementum, quamdiu secum pacatus et tranquillus est, seque naturæ suæ finibus coercet, nec quidquam adversus alterum insurgit, neque ex iis benevolentiæ vinculis, quibus ab artifice verbo rerum universitas constricta est, excedit; mundus vere est, ut appellatur (mundus enim Græce dicitur κόσμος, id est *ornatus*) et incomparabilis pulchritudo. At simul atque pacatus et quietus esse desiit, mundus quoque esse desinit. » Idem plane dicas de microcosmo, sive parvo mundo, qui est homo, ejusque conjugio et familia, scilicet, omne ejus decus et bonum consistere in pace et concordia; ac vice versa, omne ejus dedecus et malum stare in discordia. Porro, recte eadem oratione addit Nazianzenus : « Melior est contentio pietatis causa suscepta, quam vitiosa concordia. »

Concordiæ fons SS. Trinitas.

Ratio a priori est, quod Deus sit ipsa prima, increata, summa et perfectissima concordia : quare summe amat concordes, utpote sibi simillimos, imo ut opus suum proprium et perfectum. Nam et SS. Trinitas, puta Pater, Filius et Spiritus Sanctus summe sunt concordes, non accidentaliter, sed essentialiter; quia unam eamdemque numero ac individuam habent essentiam, consequenter et mentem ac voluntatem concordiamque : quare quod unus, verbi gratia, Pater vult, hoc essentialiter volunt cæteri duo, puta Filius et Spiritus Sanctus; quocirca ipsa SS. Trinitas hanc sui concordiam cœlis, elementis, rebusque omnibus communicavit et impressit. Atque hic est cœlorum concentus in dissonanti tot orbium, motuum, stellarum, etc., consonantia, et discordi concordia, quam admirans Baldad apud *Job* cap. XXV, 2 : « Qui facit, inquit, concordiam in sublimibus suis. » Et ipse Job cap. XXXVIII, 37 : « Quis enarrabit, inquit, cœlorum rationem, et concentum cœli quis dormire faciet? » Hinc Deus suam Triadem cum unitate singulis rebus a se conditis participative indidit. Nam omnia « in mensura, numero et pondere » disposuit, *Sapient.* XI, 21. Eamdem suo modo impertivit matrimonio, domui et familiæ cuilibet, in qua pater quasi repræsentat Deum Patrem, filius Deum Filium, uxor Spiritum Sanctum. Id maxime verum fuit in cœlesti et divina familia Verbi incarnati, quæ tribus constabat personis sanctissimis, puta Josepho patre, B. Virgine matre, et filio Jesu : in qua proinde summa

fuit concordia, summus amor, summa erga se mutuo reverentia, summa sanctitas : quam sane omnes conjuges et familias assidue inspicere et imitari operæ pretium est. Hoc est quod ait Psaltes *Psalm.* LXVII, 7 : « Deus in loco sancto suo, Deus qui inhabitare facit unius moris in domo. » Quin et Christus *Matth.* XVIII, 19 : « Si duo ex vobis, inquit, consenserint super terram de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in cœlis est: ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. » Ubi ergo concordia est, ibi Christus est, ibi Deus est, ibi tota SS. Trinitas est, faciens triadem et monadem, puta, unionem sanctamque concordiam mentium, animorum et actionum. Quid mirabilius in cœlo, quid divinius, quam quod tria sint unum, et unum sint tria, puta tres personæ sint unus Deus, et unus Deus sit tres personæ? hoc tamen efficit summa trium concordia et unio. Quid mirabilius in terra, quam in una domo, familia, collegio, civitate, regno, esse decem, centum, mille, imo milliones hominum; hos tamen omnes conspirare in unam rempublicam, in unam Ecclesiam, in unum commune bonum? hoc tamen facit amor et concordia, quæ facit ut eis sit cor unum et anima una. Concordia enim a congruente corde dicitur. Illa ergo res cœlestis et divina sit oportet, utpote a Deo intime manans. Ex adverso, discordia, quæ etiam paucos dissociat, divellit, dissipat, ut inter se dimicent et confligant usque ad necem, infernalis est et diabolica, utpote manans a Lucifero, qui primus discordiam inter angelos fecit in cœlo, ideoque instar fulguris præcipitatus est in tartara. Discordia ergo fecit infernum, concordia cœlum et paradisum : discordia fecit dæmones, concordia angelos : discordia fecit homines reprobos, concordia sanctos et electos. Denique, tritum est illud Sallustii in *Catilina* : « Concordia res parvæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur. »

Discordiæ pater Lucifer,

Porro, discordiæ fons et origo est cupiditas et avaritia, puta hæc duo pronomina, *meum* et *tuum* : quæ, ut ait S. Chrysostomus totum mundum scindunt et turbant; concordiæ vero mater est charitas, comitas et liberalitas. Unde S. Ambrosius, *Hexam.* cap. XIV, docet aves rapaces non convenire, sed mansuetas : « Est etiam, inquit, diversitas copularum; quarum gratia carent, quæ intendunt rapinis. Nam propter aviditatem prædandi, vel propter insidias explorandi, nec ipsis inter se convenit, et ideo declinant sui copulam. Refugit enim avaritia consortium plurimorum. Deinde conjuncti facile ipsa se proderet. His ergo avibus nihil est copulatorium præter jugale consortium. Ergo aquilis accipitribusque hic usus est vitæ. Contra vero palumbes, grues, sturni, corvi atque cornices, etiam turdi gaudent connexione. »

ac meum et tuum:

Jam vero quanta sit concordiæ vis et robur docent grues, quæ, ut ait S. Basilius homil. 8 *Hexam.* gregatim pascuntur et volant, ut ab aquilis et venatoribus se tueantur, ideoque vicissim per noctem excubias agunt. Pluribus id ostendit Plinius lib. X, cap. XXIII, qui et lib. XXX, in fine, rem miram affert, scilicet : « Non lassescere in ullo labore, qui nervos ex alis et cruribus gruum habeant. » Fides sit penes auctorem. Adde : grues simul volant forma trianguli, non rectilinei, sed acuti, ut facilius aerem findant. Invadente autem eas aquila, omnes in orbem consistunt, et acie velut ordinata speciem prælii exhibent, quam extimescens aquila retrocedit. Rursum S. Basilius, loco citato, vim concordiæ ostendit in locustis, quæ, cum sint vilia et infirma animalcula, tamen conglobata agros et provincias vastant, uti vastarunt Ægptum, *Exodi* X, 15; adeo ut nulla vis eis resistere queat : « Quonam pacto, ait S. Basilius, tibi militias exercitusque locustæ terribiles enarravero, quæ, velut agmine facto, sub una tessera in sublime universa simul elata, castris toto late positis agro, non antea sane fructus depascitur, quam ipsi sit a Deo concessum atque mandatum? » His adde boves, qui, cum lupum vident, in orbem coeunt, junctisque simul viribus, cornibus hostem exspectant et fugant. Equi quoque in circulum coguntur, cum hostem timent, istiusque circuli centrum capitibus quisque suis efficit, atque sic singuli calces et soleas ferreas, arma scilicet sua, advenienti hosti objiciunt atque ostentant. Quin et porci alias stupidi, et de glandibus inter se morsu certantes, ubi tamen lupum vel hostem vident, illico in triangulum se disponunt, ac robustioribus in prima acie collocatis, cuivis invadenti sunt formidabiles.

et locusta,

et boves, equi et porci.

Denique R. Simeon in *Pirke Avoth*, id est in *Capitulis* sive *Proverbiis Patrum Hebr.* cap. I « Tribus, inquit, rebus mundus hic subsistit, ratione, veritate et pace. Hunc enim ordinem statuit S. Scriptura dicens : Veritatem et judicium pacis judicate in portis vestris. » Ibidem R. Hillel, socius R. Samai : « Exhibete, inquit, vos tanquam filios Aaron, qui pacem omni cura studiose quærebat, ac hominum amator, omnes ad legis observantiam adducere satagebat. » Addebat illud : « Qui honorem avidius quærit, honoris jacturam facit. » Ambitio enim honoris et præcellentiæ turbat pacem et concordiam.

Mystice Rabanus, et ex eo Glossa : « Mulier et maritus, inquit, sibi bene consentientes sunt ratio inferior et superior, sive anima et spiritus, appetitus et mens, » concupiscentia et ratio : cum enim hæc rationi consentit, tunc mire placet Deo totus homo; sic concordia fratrum est concordia rationis et voluntatis : voluntas enim, quasi frater junior, consentire debet rationi quasi fratri seniori, ut placeat Patri cœlesti. Sic amor proximorum est, cum quisque sensus, potentia et appetitus, non privatum suum bonum, quod concupiscit, sed commune cæterorum totiusque hominis, puta sapientiam et virtutem, appetit et prosequitur, atque in hac harmonia et concordia membrorum viriumque hominis mire sibi complacet Deus.

Grues vivunt concordes,

Vers. 3. 3. TRES SPECIES ODIVIT ANIMA MEA, ET AGGRAVOR VALDE ANIMÆ ILLORUM. — *Animæ*, id est animali cupiditati, indoli et vitæ, hoc est moribus modoque vivendi illorum, *q. d.* Aggravor, id est graviter fero illorum indolem et mores. Unde Græca habent: προσώχθισα σφοδρὰ τῇ ζωῇ αὐτῶν, id est, *offendor, stomachor, indignor vitæ ipsorum;* Tigurina, *eorumque vitam perquam inique fero.* Quia sicut monstra naturæ communiter brevis sunt vitæ, ita hæc monstra, in genere moris, brevis ævi esse deberent, ait Palacius. Syrus, *affligor valde super vita illorum; super vita,* id est super modo vivendi et inconcinnis moribus eorum. Recensuit tria hominum genera quæ sibi placere dixit, eo quod vivant decenter et congrue suo statui, nimirum quod sint concordes in eadem familia, congregatione vel connubio. Congregationi enim nihil ita congruit ac concordia; hanc enim sibi deposcit ipsa congregationis natura, quæ in unione et concordia consistit; atque hæc est ratio a priori, cur concordia adeo Deo et hominibus sit grata, tamque arcte et graviter ab eo sancita. Nunc totidem genera hominum recenset, quæ sibi, puta sapientiæ et sapienti Siracidi mire displicent, eo quod vivant incongrue et difformiter suo gradui et statui, adeoque pugnent cum natura suæ conditionis et vocationis. Tria hæc nominat subdens:

Vers. 4. 4. PAUPEREM SUPERBUM: DIVITEM MENDACEM: SENEM FATUUM ET INSENSATUM. — Status enim et conditio pauperis, utpote abjecta, quasi naturaliter poscit animi demissionem et humilitatem: non enim habet pauper opes quibus superbiat; si ergo superbit, reipsa quasi pugnat cum humili paupertatis suæ statu. Sic et conditio divitis pugnat cum mendacio, tum quia dives non habet necessitatem mentiendi, quam habent pauperes, ut suæ inopiæ succurrant; tum quia divites in republica sunt honorati et senatores, quos plane dedecet mendacium, eo quod in iis valde noxium sit reipublicæ. Denique conditio senectutis repugnat fatuitati; senectus enim, tum ob sedatas passiones, tum ob experientiam, affert sapientiam; quare res probrosa et monstrosa est senex insipiens et fatuus, juxta illud *Isaiæ* LXV, 20: « Puer centum annorum morietur, et peccator centum annorum maledictus erit. » Per puerum enim insipientem et fatuum intelligitur peccator; hic enim licet ætate sit senex, moribus tamen et vitiis est puer insipiens. Unde Græca pro *senem fatuum et insensatum,* habent, *senem adulterum et deficientem intelligentia,* id est, *prudentia;* Tigurina, *senem adulterum, utpote mentis impotem.* In juvenibus enim, ob exuberantiam caloris et sanguinis, aliquatenus tolerari et excusari potest libido; at non in senibus, in quibus friget sanguis et concupiscentia, vigetque mens et ratio. Unde illud Ovidii:

Turpe senex miles, turpe senilis amor.

Noster pro μοῖχον, id est mœchum, sive adulterum, legit μῶρον, id est fatuum, vel stultum; ita legit quoque Syrus, unde vertit, *pauper superbus, et dives mendax, et senex fatuus et amens.*

Mystice *primo*, Rabanus, et ex eo Glossa explicat, *q. d.* Odi diabolum ob tria, scilicet: *primo,* quod ipse, cum gratia sit pauperrimus, sit tamen superbissimus; *secundo,* quod cum in donis naturæ sit ditissimus, simul tamen sit mendacissimus, adeoque pater mendacii, ut ait Christus *Joan.* VIII. Rursum, ipse est dives in promissione, sed mendax in solutione, ait Hugo; *tertio,* quod cum sit senex, adeoque coævus mundo, sit tamen stultissimus et imprudentissimus, quia omnis honestatis et virtutis est hostis. Mystice. Primo.

Secundo, aptius idem Rabanus et Jansenius: « Pauper superbus, inquit, aut est, qui, cum virtutis et sapientiæ sit inops, de virtutibus tamen et scientia gloriatur. Dives mendax est, qui, cum in S. Scriptura multum sit versatus, errorum tamen magister efficitur. Senex fatuus est, qui, cum longo prius tempore probe vixerit, in senectute tamen vanitates carnis et mundi sectatur, uti fecit Salomon. » Secundo.

Tertio, valde ingeniose et apposite vir eruditus hæc explicat de tribus sapientiæ et sapientum, id est sanctorum hostibus, qui sunt dæmon, caro et mundus, quos odisse, quibusque tentantibus jugiter resistere jubemur. Pauper superbus ergo est diabolus; hic enim est pauper, quia miser et imbecillis, utpote privatus omnibus gratiæ donis, ac sua potentia et viribus spoliatus a Christo; idem tamen superbissimus est. Dives mendax est caro, quia hæc mentitur se non posse subire labores virtutis, cum eos, si velit, capessere possit; v. g. cum dicit se non posse jejunare ob defectum virium, mentitur; nam habet vires ad fornicandum: cur ergo non habeat vires ad jejunandum? habet vires ut serviat mundo, multosque et magnos pro eo labores toleret; cur non habeat vires, ut serviat Deo? Senex fatuus mundus. Hic enim est senex, quia stetit pene sex millibus annorum; sed fatuus, quia contraria dictat Deo, qui est prima veritas et sapientia. Dictat enim v. g. ulciscendam esse injuriam, odio habendos esse inimicos, beatos esse divites, miseros esse pauperes, ostentandas esse vires, nemini esse cedendum, supprimendos esse æquales, etc., quæ omnia in schola Christi falsa et fatua sunt. Sic in Religione senes fatui sunt, qui ob senium laxant disciplinam religiosam, nolunt obedire, nolunt servare regulas, quærunt ubique exemptiones, adeoque vivunt ut sæculares et libertini. Quæ sane magna est insipientia, eoque major, quo junioribus magno sunt scandalo, eosque ad similia verbo et exemplo invitant. Aliter Hugo: « Pauper superbus, inquit, est caro lasciviens, indigens alimentis, indumentis, elementis; dives mendax est mundus; senex fatuus est diabolus. » Tertio.

Quarto, hæc tria adaptes triplici concupiscentiæ, quam explicat S. Joannes *epist.* 1, cap. II, 15: « Nolite diligere mundum, neque ea quæ in Quarto.

mundo sunt, etc. Quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.» Nam superbia vitæ congruit cum paupere superbo; superbus enim superbit, cum sit pauper; superbire enim est *super se ire*, puta, ambire plus quam vires et opes ferant. Concupiscentia oculorum, puta avaritia, congruit cum divite mendace; avarus enim est dives, sed mendax : cum enim divitiis uti non audeat, vere non est dives, sed mendaciter se divitem æstimat, cum reipsa sit pauper; nec enim divitiis magis gaudet quam pauper, qui iis caret : unde perinde illi sunt opes, ac si eas non haberet. Quare ei congruit illud *Apocal.* III, 17 : «Dicis quod dives sum et locupletatus, et nullius egeo; et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus et nudus. » Concupiscentia carnis, puta gula et libido, congruit cum sene fatuo; libido enim senex est, quia ab Adamo peccante concepta est, singulisque posteris ingenita : eadem fatua est, et, ut Græca habent, adultera, tum quia carnem ipsam necat et corrumpit; tum quia modicam turpemque voluptatem anteponit cœlesti et æternæ, adeoque meretricem præfert ipsi Deo et Christo, qui est verus animæ sponsus. Quod sane spiritale, sed enorme est adulterium.

Denique Hugo hæc tria adaptat hypocrisi et hypocritæ. Hic enim est pauper in veritate, dives in ostensione, senex in exteriori conversatione; superbus mente : mendax ficta simulatione; fatuus et insensatus sui et aliorum deceptione.

Vers. 5. 5. QUÆ IN JUVENTUTE TUA NON CONGREGASTI, QUOMODO IN SENECTUTE TUA INVENIES? — Ex tribus, quæ se odisse dixit, tertium prosequitur, scilicet senem fatuum; unde hic indicat causam fatuitatis in senibus, nimirum quod in juventute non studuerint, nec congregarint sapientiam; quæ enim juvenis non didicisti, quomodo senex addisces, imo invenies? Ad sapientiam enim proprie pertinet hæc sententia, licet et ad alia quælibet, etiam opes temporales, extendi possit. Unde in sequentibus docet quam senes deceat sapientia, ut hac ratione juvenes excitet ad eam comparandam; utpote qua in senio fruituri sunt, æque ac decorandi. Græca, omisso τῷ *quæ*, sic naturaliter et pathetice sententiam efferunt : *In juvcntute tua non congregasti, et quomodo in senectute tua poteris invenire?* Tigurina, *si nihil in juventute congessisti, quomodo rem facias in senectute?* Syrus clare, *in adolescentia tua non congregasti sapientiam, et quomodo reperies eam in senectute?* Sicut ergo formicæ congregant grana in æstate, quæ comedant in hieme; sic tu, o juvenis, congrega sapientiam, merita et virtutes in ætate florida, quibus fruaris, honoreris et exultes in senio.

Mystice.

Juventus suos mores transmittit in senium.

Juventus enim suos mores sive probos, sive improbos, transmittit et transcribit in senium. Hinc illa justa in senem improbum exprobratio apud Gracchum, quam recitat S. Isidorus, lib. II *Origin.* cap. XXI : « Pueritia tua adolescentiæ tuæ inhonestamentum fuit, adolescentia senectutis dedecoramentum, senectus reipublicæ flagitium. » Præclare Cassianus, *Collat.* II, cap XIII : « Divitiæ senum, ait, non sunt canities capitis, sed industria juventutis, ac præteritorum laborum stipendiis metiendæ. Quæ enim non congregasti in juventute, quomodo invenies in senectute?» Tacite ergo hic reprehenditur multorum juvenum error et sensus, qui dicunt : Juventutem dabo voluptati, senectam pœnitentiæ; juventutem otio et vitio, senectam labori et virtuti; juventutem diabolo, senectam Deo. Quid turpius, quam florem ætatis dare diabolo, fæces Deo? quid stultius, quam juventam aptam labori dare otio, et senectam natam ad quietem cogere ad laborem insuetum? quid periculosius, quam se dare vitiis sub inani et incerta spe longævæ vitæ et seræ pœnitentiæ? Sed de hoc plura inferius. Denique sapienter S. Augustinus in *Psalm.* CXII : « Virtus, inquit, exigit ut sit senectus nostra puerilis, et sit pueritia senilis. »

tit in senium.

Antistrophæ Siracidi sunt hæ philosophorum gnomæ Ennii :

Sicut fortis equus, spatio qui forte supremo
Vicit Olympia, nunc senio confectus quiescit.

Senecæ :

Juveni parandum, seni utendum.

Portii Latronis, insignis oratoris : « Quære, adolescens, utere, senex. » Exstat hac de re emblema, in quo hinc pingitur adolescens expeditis lacertis, nudo capite, ligone terram proscindens, illinc senex toga pellita suffultus, in solio accumbens ad genialem mensam epulis scyphisque instructam.

Vers. 6. 6. QUAM SPECIOSUM CANITIEI JUDICIUM, ET PRESBYTERIS COGNOSCERE CONSILIUM! — Duo dicit, ait Jansenius, speciosa esse et decora canis et presbyteris, hoc est senibus, nempe et bene posse judicare, et sanum posse suggerere consilium; quorum utrumque et prudentiam et auctoritatem requirit. Quæ senibus maxime propria sunt, quibus experientia et anni prudentiam adferunt, canities auctoritatem. Vires enim sunt juvenilis ætatis; at prudentia, consilium, sententia et auctoritas senectutis. Itaque apud Lacedæmonios summum consilium, γερουσία, *conventus cœtusque senum* dicebatur; quemadmodum Romæ Senatus est appellatus, quod ex senibus constaret.

Per *judicium* ergo hic tam privatum et domesticum, quam publicum et civile accipe; judices enim solent deligi grandævi et senes, tum ob auctoritatem, tum ob prudentiam, tum ob sedatas animi passiones. Unde Tigurina vertit, *quanto est ornamento canitici jurisdictio, et cognitio consilii senibus!* Syrus, *quam decet senes judicium, et pro-*

Opera sunt juvenum, bella virorum, consilia senum.

vectos ætate intelligentia! Huc facit celebris illa sapiensque Græcorum gnome : ἔργα νέων, πόλεμοιτ' ἀνδρῶν, βουλαὶ δε γερόντων, id est, *opera sunt juvenum, bella virorum, at consilia sunt senum.*

Vers. 7.

7. QUAM SPECIOSA VETERANIS SAPIENTIA, ET GLORIOSIS INTELLECTUS ET CONSILIUM ! — « Veteranis, » Græce γερόντων, id est *senibus;* « gloriosis, » Græce δεδοξασμένοις, id est *honoratis.* Item pene dicit, quod dixit vers. præced. ut inculcet et urgeat juvenes ad comparandam, senes ad conservandam et promendam sapientiam. Illam enim nunc vocat *intellectum,* nunc *consilium,* nunc *judicium,* quia sapientia optime res intelligit, optimum in dubiis dat consilium, optime in re ancipiti judicat. Unde Syrus vertit, *quam decet magnates sapientia, et graves sensus et consilium!* Tigurina, *quam decora senibus est sapientia, et intelligentia consiliumque honoratis!* Pro *intellectus* Græce est διανόημα, quod alii vertunt *cogitatio.* Honoratorum enim et magnatum est multa cogitare, pauca loqui; hæc enim cogitatio matura et prævia, mater est parensque consilii et judicii. Unde homines cogitabundi et taciturni solent esse prudentes et sapientes.

Senum est sapientia.

Præclare S. Hieronymus, epist. 2 *Ad Nepotianum :* « Senectus, inquit, eorum qui adolescentiam suam honestis artibus instruxerunt, et in lege Domini meditati sunt die ac nocte, ætate fit doctior, usu tritior, processu temporis sapientior, et veterum studiorum dulcissimos fructus metit. Unde et sapiens ille vir Græciæ Themistocles, cum expletis centum et septem annis se mori cerneret, dixisse fertur se dolere quod tunc egrederetur e vita, quando sapere cœpisset. Plato, octogesimo primo anno scribens, mortuus est : Isocrates nonaginta novem annos in docendi scribendique labore complevit. » Cicero, lib. *De Senect.,* celebrat Solonem, qui solus restitit Pisistrato rempublicam per tyrannidem invadenti, cumque ille rogaret « qua re fretus hoc auderet, » respondit, « Senectute. » Alios senectus reddit formidolosiores, illi conciliavit audaciam, quod parum vitæ superesset, etiamsi nullus occideret. Hinc illud Homeri Odyssea β de heroe quodam Ægyptio, « qui jam senecta incurvus erat, et multa rerum experientia sapiens. » Causam dat Aristoteles in *Problem.* sect. 30, num. 4 : « Quia natura, inquit, duo instrumenta nobis inseruit, manum, inquam, corpori dedit, animo mentem. Uti ergo procedente ætate manus suum opus maxime efficere potest, ita etiam mens non protinus, sed in senectute maxime nobis contingit, atque tunc potissimum consummatur et absolvitur. » Consonat Plato in *Timæo :* Anima, inquit, ab initio amens fit; at, postquam nutritionis et augmenti rivus lenius minusque fluit, animæque circuitus tranquilliore motu iter suum peragunt, processuque temporis sedatiores fiunt, et in figuram naturæ suæ congruam restituuntur; tunc singulorum circulorum directæ conversiones ejusdem et alterius naturæ probe discernunt, hominemque sic institutum prudentem efficiunt. Hinc olim jussu Dei, septuaginta senes erant judices Israelis, ut patet *Num.* 11, 16. Vide et *Deut.* XXI, 6, et *Daniel.* XIII, 5. Sic et apud Romanos non nisi senex fiebat senator : unde Senatus dictus, quasi concilium senum. Ita Cicero *De Senect.;* Livius, lib. VII; Justinus, lib. XLIII. Audi Ovidium, lib. V *Fastorum :*

Cur?

Senatus a *senibus* dictus.

Nec nisi post annos patuit tunc curia seros,
Nomen et ætatis mite Senatus habet.
Jura dabat populo senior, finitaque certis
Legibus est ætas unde petatur honos.

Idem faciebant Spartani, teste Livio lib. IV *Belli Macedon. et Persæ,* teste Xenophonte in *Cyri Pædia.* In Traprobane insula non nisi senex tam annis quam moribus in regem eligebatur, teste Plinio, lib. VI, cap. XXII. Idem fiebat in Arabia, teste Diodoro, lib. II.

Vers. 8.

8. CORONA SENUM MULTA PERITIA, ET GLORIA ILLORUM TIMOR DEI. — Est hendyadis, « corona et gloria, » id est corona gloriosa, vel gloria coronata, *q. d.* πολυπειρίαι, id est, multarum rerum experientia et peritia, ornat senes instar coronæ; at hæc corona gloriosa efficitur, et nova miraque gloria decoratur, si ad πολυπειρίαν « accedat timor Dei, » qua occasione in sequentibus de more effundit se Siracides in laudes et præconia timoris Dei, eumque cæteris rebus omnibus, quæ hominem beare et felicem efficere videntur, præfert et anteponit. Verum melius *gloriam* hic accipias pro gloriatione; hanc enim significat Græcum καύχημα, *q. d.* Nulla est res de qua magis gloriari possint senes, quam timor Domini, si eo præditi sint. Unde Tigurina, *multiplex peritia corona senum est, et gloriatio eorumdem religio Domini;* Syrus, *honor senum est multitudo consilii, et timor Dei laus eorum.* Ubi enim consilio deest timor Dei, et adest impietas, ingens est malum et probrum : impietas enim, armata consilio, sæpe insuperabilis est. Tale fuit consilium impium, quod Achitophel dedit Absaloni rebellanti contra Davidem patrem, II *Reg.* XV. Tale quoque fuit consilium, quod Balaam debit Balac regi Moab ad perdendum Hebræos, *Numer.* XXIV.

Quocirca sapienter senes monet Nazianzenus in *Tetrastichis :*

Senes parent se ad exitum.

Semper saluti tu quidem stude tuæ,
Potissimum autem sub diem vitæ ultimum.
Venit senectus : exitum præco canit;
Paremur omnes : imminet judex Deus.

Denique Synesius, tract. *De Laude calvitii,* caput calvum vocat « prudentiæ domicilium, divinitatis templum. » Alludit ad *Proverb.* XVI, 31 : « Corona dignitatis senectus, » ubi senes septuplici corona donabo. Porro, cordate Seneca lib. I *De Tranquill. vitæ,* cap. III : « Nihil turpius, inquit, est quam grandis natu senex, qui nullum aliud habet argumentum quo se probet diu vixisse, præter ætatem; » cum alia multo clariora habere

debuisset, nempe experientiam et sapientiam, quæ seris ab annis colliguntur. Nam ut ait S. Hieronymus, epist. 2 *Ad Nepotianum* : « Omnes pene virtutes corporis mutantur in senibus; et crescente sola sapientia, decrescunt cæteræ virtutes. » Quo pertinet illud Socratis in *Symposio Platonis* : « Tunc, inquit, mentis oculus acute incipit cernere, cum primum corporis oculus deflorescit. » Quare Tullius in *Catone* : « Temeritas, inquit, est florescentis ætatis, prudentia senectutis. » Ob quam prudentiam Quintilianus, in quadam declamatione : «Militem, inquit, eligimus juvenem; imperatorem facimus senem.» In hujus rei typum David, postquam senuit, uxorem duxit Abisag Sunamitidem, III *Reg.* I, 3; quæ sapientiam senilis ætatis propriam repræsentat. Nam Abisag, interprete D. Hieronymo proxime citato, idem est quod *abundans*, et quod *rugitus*. « In senibus autem, inquit, abundantissimum et ultra humanam vocem divini sermonis tonitruum commoratur. » Plura hac de re dicam proxime *Proverb.* XX, 29, ad illud : « Dignitas senum canities. »

SECUNDA PARS CAPITIS

ENARRAT NOVEM BEATITUDINES, ET DECIMAM MAXIMAM, QUÆ EST TIMOR DEI.

Vers. 9. 9. NOVEM INSUSPICABILIA CORDIS MAGNIFICAVI, ET DECIMUM DICAM IN LINGUA HOMINIBUS.—Græca habent, ἐννέα ὑπονοήματα ἐμακάρισα ἐν καρδίᾳ μου, καὶ τὸ δέκατον ἐρῶ ἐν τῇ γλώσσῃ μου. Quod Complutenses vertunt, *novem suspiciones beatas dixi in corde meo, et decimum dicam in lingua;* alii, *novem conceptui corde prædico beata, et decimum dicam lingua.* Hoc novenario et denario beatitudinum Siracides imitatur ternarios et quaternarios Salomonis, *Proverb.* XXX, vers. 18 et seq.

Nota : ὑπονοήματα vocantur cogitata, suspicata et mente concepta : thema enim est ὑπονοέω, id est, cogito, mente concipio, suspicor. Unde *primo* videri posset pro *insuspicabilia*, in Latina Vulgata, legendum esse *suspicabilia;* aut certe interpretem minus Latinum, *insuspicari* accepisse pro *suspicari*, et *insuspicabilia* pro *suspicabilia*, quasi *insuspicabile* idem sit quod *in suspicionem veniens*, id est suspicabile, sicut *investigabile* est idem quod *in vestigio* perscrutabile, hoc est vestigabile; et *insuccare* idem est quod *succo imbuere*, hoc est *succare; insufflare* est *sufflare in aliquem; inebriare* est *ebrium efficere*. Verum *secundo* Jansenius opinatur, quod Interpres noster pro ὑπονοήματα, id est *suspicabilia*, legerit ἀνυπονόητα, id est *insuspicabilia* : « insuspicabilia » ergo « cordis » vocari ea, de quibus nemo male in corde suo suspicatur aut cogitat. Ita Rabanus, Glossa, Jansenius, Dionysius, Palacius, et Hugo : « Insuspicabilia, inquit, sunt quæ ab omni suspicione falsitatis sunt aliena. » *Tertio*, valde apposite *insuspicabilia* explices ea, de quibus nemo facile suspicetur, illa esse tanta tamque magna, ut ea adeo magnificanda sint, in eisque beatitudo constituenda, uti constituit hic Siracides, *q. d.* Hæ novem beatitudines sunt suspicabiles et probabiles animo meo, et aliis sunt insuspicabiles et parum probabiles : præsertim si novem hæc non sigillatim, sed collectim sumantur. Si quis enim roget, quæ sunt novem beatitudines? nemini in mente veniet id quod mihi; nemo hasce novem beatitudines animo concipiet quas ego concipio; nemo eas præcise assignabit quas ego assigno. Eadem ergo sunt suspicabilia et insuspicabilia. Siracidi enim erant suspicabilia, cæteris insuspicabilia; sic enim suspiciones et opiniones probabiles videntur, propriæque sunt certis personis, cum in cæterorum mentem non cadant, eisque sæpe sint improbabiles; unde vocat eas *insuspicabilia cordis*, quæ scilicet non facile cor cujuspiam alterius suspicetur esse tanta, ut hominem beatum efficiant, atque ea opponit decimo, quod se ait dicturum in lingua hominibus, *q. d.* Novem res in corde meo suspicatus sum, et æstimavi esse adeo magnas, ut beatum, id est civiliter felicem efficiant eum qui illorum est compos. Dico : Suspicatus sum ego, quia alii idem non facile suspicabuntur vel conjectabunt : at decimum (puta timor Dei) tale est, ut nemo non sit cogitaturus et concessurus, quin illud hominem beet : quare illud « dicam in lingua hominibus, » id est illud contenta voce palam omnibus enuntiabo, ac quantum potero commendabo et celebrabo.

Insuspicabilia quæ? Resp. primo.

Secundo.

Tertio.

Huic interpretationi favet Tigurina, dum vertit, *novem conjecturas animo meo beatas judico, linguaque mea pronuntiabo decimam;* et alii qui vertunt, *novem concepta corde prædico beata, et decimum dicam lingua mea.* Porro Syrus *insuspicabilia* accipit ipsi etiam Siracidi : sic enim vertit, *novem quæ non ingrediuntur cor meum* (quæ scilicet non satis capio, non satis intelligo) *laudavi, et decimum quod non locutus sum.* Unde et Hugo : « Insuspicabilia cordis, inquit, vocat quæ cor non potest suspicari : » hoc enim, non aliud, proprie hæ voces Latine significant. Favet et Græca vox; nam ὑπονόημα, vel ὑπόνοια significat propriam cujusque suspicionem et opinionem, quæ ab aliorum sententia sæpe dissidet et discrepat. Unde παρ' ὑπόνοιαν loqui quis dicitur, cum aliud loquitur, quam audiens expectabat; quod Noster hic recte vocat *insuspicabile*. Sic Demosthenes verbum acerbum, quod

recta ferebatur in Athenienses, ipse in adversarium detorsit : « Quis, inquit, non despuisset in caput tuum? Absit enim ut id in civitatem, vel in me, ominari mihi contingat. Hinc rursum ὑπόνοια vocatur sensus reconditus, de quo nemo facile suspicatur, uti ex Platone et Plutarcho probat Budæus in *Comment. linguæ Græcæ*, p. 913. Hoc sensu solerter Latinus noster Interpres accepit τὸ ὑπονόημα, ideoque vertit *insuspicabilia*, quia vidit addi τὸ *cordis*, *q. d.* Ego in corde meo suspicatus et opinatus sum hæc novem facere hominem beatum; at nolui hactenus illa lingua eloqui et asseverare, quia aliis forte aliter videbitur, qui suspicabuntur et opinabuntur alia novem, quæ hisce meis novem anteponent, quasi illa magis hominem beent.

Porro, novem hæc ὑπονοήματα sive insuspicabilia, quæ beant hominem, puta novem beatitudines recenset, subdens, *primum* : « Homo qui jucundatur in filiis; » *secundum* : « Vivens et videns subversionem inimicorum suorum; » *tertium* : « Beatus qui habitat cum muliere sensata; » *quartum* : « Qui lingua sua non est lapsus; » *quintum* : « Qui non servivit indignis se; » *sextum* : « Beatus qui invenit amicum verum; » *septimum* : « Qui enarrat justitiam auri audienti; » *octavum* : « Quam magnus est, qui invenit sapientiam! » *nonum* : « Et scientiam. » Verum pro *scientiam* Græca habent φρόνησιν, id est *prudentiam*. Et pro eo quod Noster habet : *Beatus qui invenit amicum verum*, Græca habent, *beatus qui invenit prudentiam*. Pro *et scientiam*, Syrus vertit, *beatus vir, quem non fregit paupertas, et non fregit eum inopia.* Hæc enim est magna scientia et prudentia, patienter et fortiter ferre paupertatem, quæ sæpe viris sapientibus et sanctis obvenit; et qui illam æquanimiter tolerant, magni et beati sunt. Ita hæc novem computat Rabanus, Palacius et Hugo : Per sapientiam, inquit, accepit cognitionem et contemplationem divinorum; per scientiam vero, cognitionem recte operandi, puta, prudentiam recte conversandi in hoc mundo, scilicet in medio nationis pravæ. Octavum ergo et nonum sunt sapientia contemplationis et scientia operationis : hæc Hugo. *Decimum* : « Timor Dei super omnia se superposuit : beatus homo, cui donatum est habere timorem Dei. »

Novem beatitudines hujus vitæ.

Mystice. Mystice Hugo : « Primum insuspicabile, inquit, est pietas, quæ facit lætanter operari bonum. » Opera enim bona sunt quasi proles pietatis et piæ voluntatis. Unde *Psalm.* CXI, dicitur : « Jucundus homo, qui miseretur et commodat. » *Secundum*, est zelus, quo fit victoria vitiorum. *Tertium*, est castigatio carnis, quæ pacem facit inter rationem et sensualitatem, quæ jugem habent discordiam. *Galat.* V : « Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem. » Sed debet caro castigari, ut subjiciatur spiritui, et fiat pax. Unde *Genes.* III, dicit Dominus mulieri : « Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui. » *Quartum*, est modestia sermonis. *Quintum*, est magnanimitas, qua quis magna facere vel pati audet, ut non serviat diabolo vel peccato. *Sextum*, est fidelis amicitia, quæ in solo amore consistit. *Septimum*, est prudentia, sive discretio doctrinæ, qua quis considerat et attendit, quid, et cui loquatur. *Octavum*, est sapientia contemplandi. *Nonum*, est scientia operandi. Hæc sunt novem insuspicabilia, id est, ab omni mala suspicione aliena. *Decimum* autem quod in lingua dicetur, est timor Dei, qui decimum dicitur, id est, perfectio aliorum. Novenarius enim imperfectus numerus est, donec ad denarium venerit; unde, sicut unitas addita novenario, perficit ipsum, ut fiat denarius, sic timor additus prædictis novem insuspicabilibus, perficit ipsa, et custodit, et promovet. Nunc sigillatim explicemus singula.

10. HOMO, QUI JUCUNDATUR IN FILIIS, VIVENS ET VIDENS SUBVERSIONEM INIMICORUM SUORUM. — E novem beatitudinibus et beatis duos hic assignat. *Primus* ergo magnus, et, ut Græce est, *felix et beatus est homo, qui jucundatur in filiis*, qui scilicet habet filios egregios, eosque probos et morigeros : hi enim patri ingens decus æque ac gaudium afferunt; sicut ex adverso filii improbi et immorigeri patri dedecus et tristitiam, adeoque morbum et mortem subinde conciliant. Unde Tigurina vertit, *beatus homo cui vivo liberi jucunditatem afferunt;* alii, *homo voluptatem capiens ex filiis*. Filii enim sunt quasi pars et caro parentum: quare de eorum bono vel malo, quasi de suo, gaudent vel dolent parentes, præsertim quia eos post se superstites relinquunt. Unde post mortem in filiis vivere videntur, in eisque esse felices et honorati, vel infelices et infames; unde Syrus vertit, *homo qui lætatur in novissimo suo*. Idem censuit David *Psalm.* CXXVII, 3, ubi inter alia præmia timentis Deum, ideoque beati, hoc primum recenset : « Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ : filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum; etc. Et videas filios filiorum tuorum, pacem super Israel. » Et *Ps.* CXXVI, 4 : « Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini, filii, merces, fructus ventris. Sicut sagittæ in manu potentis, ita filii excussorum, » id est juvenum validorum et fortium. Unde Aquila, Symmachus et Theodotion vertunt, *sicut filii juventutis*: juvenes enim Hebraice vocantur excussi, quia expediti ab omni impedimento, et accincti ad prælium, ait S. Hieronymus, epist. *Ad Marcellam;* unde de filiis hisce excussis, id est juvenibus validis, subdit Psaltes : « Beatus vir qui implevit desiderium suum ex ipsis. »

Vers. 10.

Secundus magnus et beatus est, « vivens et videns subversionem inimicorum suorum; » Tigurina, *qui videt casum inimicorum suorum.* Innatus est homini appetitus vindictæ, ut doleat de prosperitate, et gaudeat de adversitate inimicorum. Unde Aristoteles, lib. IV *Ethic.* cap. V, Philosophi censuerunt ingens homini esse bonum et gau-

dium, si justam iram et vindictam suam explere possit. Verum hic sensus est naturæ peccato corruptæ et vitiatæ, non sanæ et integræ, quem proinde correxit Christus, dum jubet inimicos æque ac amicos diligi, ac proinde iis malefacere prohibet, benefacere vero mandat, *Matth.* v, 44. Charitas enim Dei et Christi amplo suæ benevolentiæ sinu tam inimicos quam amicos complectitur. Judaicum ergo est et ethnicum, odisse inimicos, deque eorum clade gaudere. Judæis enim duris dictum erat : « Odio habebis inimicum tuum ; » quod corrigit Christus, *Matth.* v. Quare hic locus et similes accipi debent de inimicis, qui sunt infideles vel impii, ideoque hostes Dei, Ecclesiæ et fidelium, quales Judæis, tempore Siracidis, erant omnes fere gentes. De horum enim ruina gaudere licet, tum ex zelo justitiæ et justæ vindictæ, ut infidelitas et impietas eorum justa pœna puniatur; tum ex zelo charitatis, ut scilicet ipsi Deo, Ecclesiæ et fidelibus injurii esse, eosque persequi et vexare desinant. Qua ratione nunc fideles gaudent, cum audiunt victorias principum catholicorum, quas referunt de hostibus Ecclesiæ, cum ingenti hæreticorum et Turcarum strage ac ruina. Ita gavisi sunt Prophetæ in strage Babyloniorum, Philisthinorum, Moabitarum aliorumque Synagogæ hostium, ut Isaias, cap. XIV, 4; Jeremias, LI, 48; Ezechiel, cap. XXV, 17. Unde illud Davidis insultantis Babyloni exscindendæ : « Filia Babylonis misera : beatus qui tenebit et allidet parvulos tuos ad petram, » *Psalm.* CXXXVI, 9. Fidelis enim et justus neminem æstimat suum inimicum, nisi qui pariter inimicus sit Dei et Ecclesiæ : quicumque enim amicus est Dei et Ecclesiæ, hic pariter amicus est fidelis et justi, et ab eo ut amicus amatur. Posset tamen hæc beatitudo extendi ad privatam vindictam : fidelis enim et sanctus sancto gaudio gaudere potest de ruina hostium, qui eum a fide et sanctitate avertere, aut eam impedire et interturbare conantur, quatenus scilicet gaudet eos, ut sanctitatis suæ impedimenta, auferri et interire; non autem gaudet, eo quod eis ut hominibus privatis hostibusque suis hoc malum accidat. A quo tamen gaudio, ob periculum privatæ vindictæ, in quam natura corrupta propendet, abstinendum est, nisi quis plane mortificatos habeat affectus, sitque sanctus, qualis fuit Jeremias, qui proinde secure orat cap. XI, 20 : « Videam ultionem tuam ex eis, » scilicet inimicis.

Mystice. Mystice Rabanus et Hugo : Beatus est, inquiunt, *primo*, « qui jucundatur in filiis, » id est, in bonis operibus : hæc enim, uti supra dictum, sunt quasi proles quas parit bona voluntas, quasi mater per gratiam Dei, quasi per semen cœleste Patris æterni. Rursum, « in filiis, » id est in proximis, quos ad Deum convertimus : hi enim sunt filii spirituales, qui suos parentes lætificant. *Secundo* : « Qui videt subversionem inimicorum suorum, » puta dæmonum et vitiorum. Mire enim gaudet anima sancta, dum ruinam vitiorum in se æque ac in aliis conspicit. *Tertio* : « Qui habitat cum muliere sensata. » Hæc tertia beatitudo est castigatio carnis, quæ pacem efficit inter rationem et sensualitatem, inter quæ jugis est discordia, juxta illud *Galat.* cap. V : « Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem. » Debet ergo caro castigari, ut subjiciatur spiritui, ut hac ratione fiat sensata, ac pacem colat cum ratione, cui quasi marito subsit oportet, perinde ac Deus Evæ uxori Adæ dixit et sanxit, *Genes.* III : « Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui. »

Vers. 11. 11. BEATUS QUI HABITAT CUM MULIERE SENSATA, ET QUI LINGUA SUA NON EST LAPSUS, ET QUI NON SERVIVIT INDIGNIS SE. — Hic versus tres continet beatitudines. Igitur tertius beatus est, « qui habitat cum muliere sensata ; » Tigurina, *beatus qui habet uxorem cordatam ;* alii, *beatus qui degit cum uxore intelligente,* id est prudente; hoc enim significat Græcum συνετῇ : uxor enim prudens mariti malis omnibus medetur, vel ea sua providentia præveniens discutit et avertit, bonaque omnia accersit : quare Salomon asserit peculiare Dei donum esse uxorem prudentem, *Proverb.* XIX, 14, qualis Davidi fuit Abigail. Syrus, *beatus est vir uxoris bonæ, quia non arat in bove et in asino simul,* id est, non impar, sed æquale ducit jugum conjugii : vir enim bonus et uxor bona sunt quasi duo jugales pares, qui pari animo subeunt, facileque portant onus conjugii ; cum vero vir bonus est, sed uxor mala, aut uxor bona, sed vir malus, tunc jugales sunt impares; unde impariter trahunt currum conjugii, ejusque onus totum fere illi, qui bonus est, incumbit, qui plus æquo gravatur, sicut cum aratrum trahunt bos et asinus, impares sunt jugales, et plus æquo gravatur asinus, utpote qui viribus impar est bovi. Rursum asinus, utpote salax et luxuriosus, symbolum est libidinis et adulterii, a cujus suspicione immunis et liber est vir uxoris bonæ et castæ. Alludit symbolice ad legem *Deut.* XXII, 10 : « Non arabis in bove simul et asino. » Vide ibi dicta.

Quartus beatus est, « qui lingua sua non est lapsus » in peccatum, vel in aliquod periculum et damnum ; Syrus, *beatus est, quem lingua sua non pervertit.* Facilis enim, multiplex et periculosus est lapsus linguæ, qui multos infelices et miseros efficit, quemque pauci, nec nisi per singularem Dei opem et gratiam, evadunt. Unde S. Jacobus cap. III, vers. 2 : « Si quis, inquit, in verbo non offendit, hic perfectus est vir, » etc. Vide ibi dicta.

Quintus beatus est, « qui non servivit indignis se ; » Syrus, *qui non servit viliori se.* Magna enim indignitas, ideoque infelicitas est, cum quis honestus vel nobilis et princeps cogitur servire homini vili, v. g. suo subdito vel famulo, qui sæpe caret discretione et judicio, agiturque passione et improbitate, quique per potestatem superbe insolescens, imperiose, proterve et tyrannice dominatur suis heris, virisque ingenuis et honoratis;

juxta illud Salomonis *Proverb.* XXX, 21 : « Per tria movetur, » id est commovetur, conturbatur « terra, et quartum non potest sustinere : per servum, cum regnaverit : per stultum, cum saturatus fuerit cibo : per odiosam mulierem, cum in matrimonio fuerit assumpta : et per ancillam, cum fuerit hæres dominæ suæ. »

Quam servi exaltati regimen sit superbum et intolerabile, exemplo Eutropii ostendit Baronius anno Christi 399, initio. Eutropius enim conditione servus, sexu eunuchus, fide ethnicus, moribus perditus, tutor Arcadii imperatoris tanto potentiæ splendore eminuit, ut in eum potius quam in Arcadium conversi essent omnium simul cum oculis animi honorum cupidi. Idem potentiæ miscens sævitiam, totum plane orientale pessumdedit imperium. Unde Claudianus, de eo jam creato consule Romano indignans, ita exclamat lib. I *in Eutropium* :

> Omnia cesserunt eunucho consule monstra.
> Heu cœli terræque pudor! Trabeata per urbes
> Ostentatur anus, titulumque effeminat anni :

annus enim Christi 399 inscriptus est titulo consulatus Eutropii eunuchi. Et inferius ostendens impotens et insolens ejus regimen :

> Asperius nihil est humili cum surgit in altum ;
> Cuncta ferit, dum cuncta timet : desævit in omnes,
> Ut se posse putent, nec bellua tetrior ulla est,
> Quam servi rabies in libera colla furentis.

Quocirca Eutropius a Gaina et populo furente postulatus ad necem, confugere coactus ad ecclesiam, quasi ad asylum (quod ipse paulo ante lege lata sustulerat), ibi a furore populi defensus fuit aurea oratione S. Chrysostomi, cujus hoc est exordium æque ac titulus : *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas.*

Sic Maximianus imperator volens acriter punire SS. Sergium et Bacchum martyres primicerios suos, eos judicandos et puniendos misit ad Antiochum ducem Orientis, qui S. Sergii fuerat servus, ejusque intercessione hunc ducatum adeptus. Quæ sane ingens fuit ignominia, æque ac crudelitas. Antiochus enim homo crudelissimus et ingratissimus, in eos, licet heros suos, immanissime desæviit, uti habent eorum Acta apud Surium, die 7 octobris.

Hinc ad miserrimam servitutem damnatus censetur Cham, cum de illo dicitur a parente : « Servus servorum erit fratribus suis, *Genes.* IX, vers. 25. Ubi Rupertus, lib. IV *in Genes.* cap. XXXVII : « Non dixit, inquit, solum, *servus erit* (quo nomine interdum etiam bona vel voluntaria servitus solet significari), sed, *servus servorum* : quo additamento servitus extrema, imo servilis nequitia, solet exprimi, nisi cum per egregiam humilitatem seipsum profitetur quis servum servorum Dei. » Idem contigit Joseph de quo dicitur : « In servum venumdatus est Joseph, » *Psalm.* CIV, vers. 17. De qua re D. Ambrosius, serm. 12 *in Psalm.* CXVIII : « Quæ potuit, inquit, nobilis prosapiæ puero gravior esse tentatio, quam ut tanto familiæ splendore dejectus serviret apud Ægyptios? Est consolabilis servitus servire vel justis : æquitate domini levatur injuria servitutis. »

Mystice, miserrimum est servire peccato et diabolo, quia hic vilissimus æque ac crudelissimus est subditorum sibi tyrannus et carnifex. Ita Rabanus et Palacius. Hinc pariter miserrimum et periculosissimum est servire indignis, id est improbis : hi enim sibi similia improba, hoc est plane indigna et impia imperant ; aguntur enim a diabolo quasi ejus filii, imo mancipia.

Vers. 12

12. BEATUS QUI INVENIT AMICUM VERUM, — qui scilicet tam in adversis quam prosperis amico fideliter adsit et opituletur. Amicus enim fidelis est protectio fortis, ac medicamentum vitæ et immortalitatis, uti dixit cap. VI, 13 et seq. Vide ibi dicta. Hic sextus est beatus. Græca pro *amicum* habent φρόνησιν, id est *prudentiam*. Unde Tigurina, *beatus qui prudentiam assecutus est ;* Syrus, *beatus qui invenit misericordiam.* Potest etiam legi *amicum,* utrumque enim vox Syra רחמא significat. Si enim legas puncto *patach* רחמא *rachma,* significat misericordiam ; sin puncto *chateph-camets* רחמא *rochma,* significat amicum dilectum. Causa hujus beatitudinis est, quam dat Salomon *Proverb.* XVIII, 24 : « Vir amabilis, inquit, ad societatem, magis amicus erit quam frater. » Pietas ergo et amicitia fraternizant, quia fraterna quasi cognatione connexæ sunt. Unde S. Hieronymus, scribens ad S. Augustinum, ait : « Cum amico, quasi cum altero se esse loquendum. » Et S. Thomas disputans de ordine charitatis, II II, *Quæst.* XXVII, asserit conjunctos sanguine in his duntaxat quæ ipsam concernunt, amicis antepo-nendos, in cæteris postponendos. Idem, opusc. *De Dilect. Dei et proximi,* simpliciter asseverat, amicitiam consanguinitati præponderare. Idem censuere philosophi, ut Solon, teste Plutarcho in ejus Vita ; Cicero, lib. *De Amicit.,* ubi et causam affert : « Quia, inquit, ex propinquitate benevolentia tolli potest (nam, ut ait Poeta, « fratrum quoque gratia rara est »), ex amicitia non potest ; sublata enim benevolentia, amicitiæ nomen tollitur, propinquitatis remanet. » Et Valerius Maximus, lib. IV, cap. VII : « Contemplemur, inquit, nunc amicitiæ vinculum potens et prævalidum, neque ulla ex parte sanguinis viribus inferius : hoc etiam certius et exploratius, quia illud nascendi sors fortuitum opus, hoc unius cujusque solido judicio incoacta voluntas contrahit. Itaque celerius sine reprehensione propinquum aversere, quam amicum : quia altera diremptio iniquitatis, altera utique levitatis crimini subjecta est. Cum enim deserta sit futura vita hominis, nullius amicitiæ cincta præsidio, tam necessarium subsidium temere assumi non debet ; semel autem rectum apprehensum, sperni non convenit : sinceræ vero

Amicus præstat consanguineo.

fidei amici præcipue in adversis rebus cognoscuntur, in quibus quidquid præstatur, totum a constanti benevolentia proficiscitur. »

ET QUI ENARRAT JUSTITIAM AURI AUDIENTI, — id est docili, intelligenti et obedienti. Rabanus legit, « in aure audientis, » id est, inquit, « devote verbum Dei percipientis, recte intelligentis, et bene operantis. » Hic septimus est beatus, qui scilicet cum docet, dociles et obsequentes nanciscitur auditores et discipulos. Horum enim docilitas, obedientia, fructus et profectus magnam doctori affert voluptatem, consolationem et utilitatem : ex adverso valde affligitur magister, si docendi laborem subeat, eumque frustraneum, imo noxium sibi esse sentiat, eo quod discipuli eam negligant, spernant, obstrepant. Quocirca illustre fuit martyrium S. Cassiani, qui, ut habemus in Breviario Romano, die 13 augusti, vinctis post terga manibus, puerorum perversorum, quos erudiebat, ferreis stylis configendus excarnificandusque traditus, mundo probrosam et acerbam, sed Deo et Ecclesiæ gloriosam mortem oppetiit.

Porro, S. Hieronymus in *Ecclesiastæ* cap. X, sic legit : « Beatus ille est qui in aurem loquitur sapientium. » Nam, ut ibidem ait : « Præcipitatur vir sapiens quando in aurem loquitur imprudentis, et verba ejus in profundo (ut ita dicam) gurgite pereunt. » Idem in *Michææ* cap. VII : « Si, inquit, beatus est qui in aures loquitur audientis, et auris auditoris desiderium sapientis est, lætitiaque dicentis auditor intelligens : e contrario luctus doctoris est, malus discipulus : Jeremiæ quoque verbis huic querelæ congruentibus : Non profui, neque profuit mihi quisquam. Sunt qui ex persona Salvatoris hoc dici putent, causantis, quod in tanta credentium multitudine et in toto orbe generis humani, vix suo sanguine digna opera reperiat : qui et in 24 *Psalm.* ait : Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem ? »

Vers. 13. 13. QUAM MAGNUS, QUI INVENIT SAPIENTIAM, ET SCIENTIAM ! SED NON EST SUPER TIMENTEM DOMINUM. — Tres ultimi magni et beati hoc versu enarrantur. Octavus ergo magnus et beatus est, « qui invenit sapientiam ; » nonus, « qui invenit scientiam ; » decimus, omnes superans est, qui timet Dominum. Sapientiam enim hic a scientia distinguit ; ac *sapientiam* vocat insignem Dei rerumque divinarum cognitionem ; *scientiam* vero notitiam rerum naturalium, qualis est physica ; aut potius moralium, qualis est ethica. Unde Græca pro *scientiam*, vers. 12, habent φρόνησιν, id est *prudentiam*. Ita Palacius. Paulo aliter Rabanus : Sapientiæ, ait, est bonum facere, scientiæ vero malum cavere, juxta illud : « Ecce timor Domini, ipsa est sapientia : et recedere a malo, intelligentia, » *Job.* XXVIII. Simili modo Apostolus sapientiam a scientia distinguit, dicens : « Alii per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, » I *Cor.* XII, 8. Ubi varii varie hæc distinguunt. Ambrosiaster : « Sapientia, ait, significat cor prudens, ut discernat quæ vitanda sunt ; at scientia divinarum tantum rerum cognitionem importat. » S. Hieronymus : « Sapientia loqui, discere ac docere potest ; scientia legis mysteria explanat. » Anselmus : « Sapientia, inquit, ad vitam, scientia pertinet ad doctrinam. » D. Thomas, II II, *Quæst.* CLXXVII : « Sapientia docet et persuadet, scientia delectat et movet. » S. Augustinus, lib. XII *De Trinit.* cap. XIV : « Ad contemplationem sapientiam, ad actionem scientiam pertinere » asserit : at lib. XIII *De Trinit.* cap. XIX : « Sapientia, inquit, divinis, scientia humanis attributa est. » Eadem repetit lib. XIV, cap. I.

Sapientiæ et scientiæ varia discrimina.

Sensus est ergo, *q. d.* Magnus et suo modo beatus est, qui adeptus est sapientiam, qua Deum resque divinas ac S. Scripturam penetret et contempletur ; ut et alios eadem docere, eosque sapientes efficere queat. Magnus item, qui habet scientiam, id est prudentiam agendorum, ut tam se quam alios prudenter in rebus omnibus dirigere, ac in rebus perplexis arduisque prudens consilium dare valeat : at neuter superat timentem Dominum. Hic enim omnibus major et beatior est, tum quia per gratiam est Dei amicus et filius, tum quia certo exspectat gloriam a Deo amicis et filiis promissam. Unde in sequentibus Siracides de more in laudes, et præconia timoris Dei excurrit. Quocirca Syrus vertit, *beatus vir quem non fregit paupertas, et non fregit eum inopia* (hic enim est sapiens et sciens, id est prudens) : *timor Dei super hæc omnia exaltatus est.* Unde Rabanus : « Novem, inquit, speciebus virtutum superadditur timor Dei, quoniam sicut novenarius numerus imperfectus est, quousque denario suppleatur : ita omnis operatio virtutum mediocris est sine timoris Dei perfectione. Timor enim Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi, ipse est fidei fundamentum, ipse charitatis origo, per ipsum operamur bonum, per ipsum pervenitur ad præmium. » Timor Dei ergo est quasi aquila, cæteris donis quasi avibus altius volitans, ac vicinissime ad Deum accedens.

Vers. 14. 14. TIMOR DEI SUPER OMNIA SE SUPERPOSUIT. — Ita Romana, Latina et Græca : minus recte nonnulli delent τὸ *se* ; quod secutus Dionysius, Carthusianus sic exponit, *q. d.* Timor Dei super omnia superposuit hominem timentem Deum. Verum melius addas τὸ *se* : comparat enim timorem Dei cum novem rebus, quæ hominem magnum et felicem efficiunt, asseritque eum hæc omnia transcendere. Unde S. Hieronymus in cap. L *Isaiæ* legit, « timor Dei omnia superat. » Porro, « timor Dei » intelligitur non servilis, sed filialis, qui includit Dei amorem et cultum. Unde Complutentes pro *timor Dei* legunt ἀγάπησις δὲ Κυρίου, id est, *dilectio autem Domini super omnia supergressa est in claritatem, q. d.* Dilectio Dei cæteris donis omnibus clarior et gloriosior est. Tigurina,

religio Domini claritate superat omnia; Syrus, *timor Dei super omnia exaltatus est.* Hinc et mox sequitur : « Timor Dei initium dilectionis. »

Moraliter, « timor Dei » superponit se sapientiæ, scientiæ reliquisque novem beatitudinibus jam recensitis, adeoque omnibus virtutibus et donis Dei : quia illis insistens illa ipsa, quasi pondus quoddam grave deorsum cuncta premit, ne scilicet efferantur, intumescant et superbiant. Nihil enim est quod arrogantiam magis premat, quam timor. Unde Clemens Alexandrinus lib. II *Stromatum,* pro eo quod *Prov.* III, 7, legimus φοβοῦ τὸν Θεόν, id est *time Deum,* legit ἐπιφόβου, id est *supertime, q. d.* Super te timorem excipe, inquit noster Salazar ibidem : *primo*, tanquam equus sessorem. Unde S. Chrysostomus, hom. 5, *De Verbis Isaiæ* : « Talis, ait, est anima in superbiam elata : semel enim desperata salute, nequaquam desinit furere : verum habenas laxans, irrationabilibus cupiditatibus quovis rapitur, nec aliter quam equus ferociens, qui ubi frenum ore, sessorem tergo excussit, fertur quovis vento velocior, omnibus aliis intolerabilis, fugientibus cunctis, neque quoquam audente eum cohibere. Sic anima quæ Dei timorem ipsam refrenantem excussit, ad quævis malitiæ loca decurrit, donec ad exitii barathrum delata, præcipitat suam ipsius salutem. » Quid illustrius? *Secundo,* tanquam navis nauclerum, qui puppi assidens eam gubernat, et in portum regit. Idem Chrysostomus, homil. *De Fide Annæ,* expendens feminæ, vel potius heroinæ illius robur animique magnitudinem, quæ tanto tempore æmulæ proba conviciaque sustinuit, sic addit : « Siquidem Dei timor tanquam nauclerus gubernaculis assidens persuasit eam tempestatem æquo animo esse ferendam, nec prius destitit mentem illius gubernare, donec in tranquillum adduceret portum onere plenam, hoc est uterum pretioso thesauro onustum. » *Tertio,* sicut turris prælta excubitorem, vigilem atque custodem, qui prævidens mala antequam eveniant, omnes animi vires excitat ad repugnandum. Ita S. Augustinus, serm. 18 *De Verbis Apostoli,* timorem Dei animi excubiam, custodem et speculatorem appellat. Et quidem quemadmodum speculator eminus igne vel fumo significat hostes adesse, atque bellandi tempus instare : sic timor Dei, ignes seu ardores sempiternos, et caliginosos Averni fumos objiciens menti, animi vires omnes ad prælium comparat. Ergo *supertime Deum,* perinde est atque timorem Dei super te excipe, nimirum tanquam equus sessorem, tanquam navis nauclerum, tanquam specula excubitorem. « Et recede a malo, » id est, timor hic te ab omni malo recedere faciet, nimirum, sicut sessor equum a præcipitio avertens, sicut nauclerus navim a syrtibus vel scopulo in diversum agens, sicut speculator urbem ab omni hostili eruptione defendens.

Timor, Dei primo est quasi auriga animæ.

Secundo, quasi nauclerus.

Tertio, quasi speculator.

Id ipsum gentiles repræsentarunt per Chironem hippocentaurum, quem, teste Hyginio cæterisque mythologis, optimum filii, adeoque Achillis, pædagogum esse censuerunt. Hic autem pædagogus est timor Dei : Chironem enim pinxerunt terrificum et manu arcum tenentem, quia pueri timore, metu et minis a malo coercendi sunt. Rursum, Chironem dixere sibi commissos nutrire medullis leonum æque ac cervorum. Denique, Chironem dixere medicum, adeoque inventorem herbariæ et medicinæ : item astrologum, musicum, immortalem, translatum in cœlum, in zodiaco collocatum, dictumque Sagittarium. Ita Plinius, lib. XVII, cap. LVI; Hyginius, lib. *De Stellis;* Natalis Comes, lib. IV *Mythologiæ,* cap. XII. Porro Chironi dederunt figuram hippocentauri, ut scilicet inferne similis esset equo, superne homini : nam duplex forma equi et hominis, timoris illius qui superinducta charitate quæ biformis est, similitudinem refert : qua equus, timoris ignobilem affectum; qua homo, generosam charitatis formam adumbrat. Rursus timor, quasi pædagogus terrificus, medullis leonum nutrit, id est vim quamdem leonibus similem illis addit : et ut leonum illam ad audendum projectam confidentiam temperet, medullas quoque præbet cervorum, qui pavidi sunt atque pavoris symbolum : ut fortitudo adsit, metus non desit; ut audacia sit leonis, pavor cervi; hic erga Deum, illa vero ad evadenda omnia mala. Hæc noster Salazar, quæ valde hunc Siracidis locum elucidant.

Igitur timor Dei est gemma pretiosissima, quia ipse est decor et pulchritudo, æque ac cumen sapientiæ, scientiæ ac virtutum omnium. Hisce enim omnibus superponitur, sicut operculum vasi, sicut corona capiti, et sicut caput corpori, quasi omnium complementum, ornamentum, fulcimentum, imo omnium auriga, navarchus, director, rex et princeps, sine quo illas errare, desipere, et in vitia declinare necessum est.

Vers. 15. Beatus timens Deum, cur?

15. BEATUS HOMO, CUI DONATUM EST HABERE TIMOREM DEI. — Tigurina, *beatus homo, cui contigit religio Domini.* Causam dat S. Ambrosius vel potius S. Prosper, lib. II *De Vocatione gentium,* cap. X, scilicet quod ad conversionem, salutem et felicitatem requirantur duo, nimirum gratia quasi domina subjugans sibi voluntatem, et voluntas quasi famula gratiæ obsequens; gratiam autem incipere a timore. « Gratiam quidem Dei, inquit, in omnibus justificationibus principaliter præeminet, suadendo exhortationibus, monendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corque ipsum illuminando, et fidei affectionibus imbuendo. Sed etiam voluntas hominis subjungitur ei atque conjungitur, quæ ad hoc prædictis est excitata præsidiis, ut divino in se cooperetur operi, et incipiat exercere ad meritum, quod superno semine concepit ad studium : de sua habens mutabilitate, si deficit; de gratiæ opitulatione, si proficit. Quæ opitulatio per innumeros

modos, sive occultos sive manifestos, omnibus adhibetur. Et quod a multis refutatur, ipsorum est nequitiæ; quod autem a multis suscipitur, et gratiæ est divinæ et voluntatis humanæ. Nam virtus nolentium nulla est, nec potest asseri, vel fidem, vel spem, vel charitatem eis inesse, quorum ab his bonus consensus alienus est. » Deinde gratiam hunc consensum operari incutiendo timorem, ita docet : « Hunc autem consensum non solum cohortatio prædicantium, et incitamenta doctrinæ, sed et metus gignit, propter quod scriptum est : Principium sapientiæ timor Domini. Qui quantislibet terroribus inferatur, non aliud agit, quam ut quem fecerit timentem faciat et volentem, nec solum volentem, sed etiam sapientem. Unde et illud scriptum est : Beatus cui donatum est habere timorem Dei. Quid enim tam beatificum, quam hic timor, qui genitor eruditorque sapientiæ est? In cujus utique devotione devota est et voluntas, quæ auctore gratiæ eodem proficit timore quo cœpit. Cum ergo hic timor etiam per quamdam vim magni terroris immittitur, non ibi ratio exstinguitur, nec intellectus aufertur, sed illa potius, quæ mentem premebat, caligo discutitur, ut voluntas depravata prius atque captiva, recta efficiatur et libera. »

QUI TENET ILLUM (timorem Dei), CUI ASSIMILABITUR? — *q. d.* Timens Deum non tam homo terrestris, quam angelus quidam cœlestis, et e cœlo in terram lapsus videtur. Tigurina, *qui præditus est illa* (religione, id est reverentia, timore et cultu Domini), *cuinam comparari poterit?*

Vers. 16. 16. TIMOR DEI INITIUM DILECTIONIS EJUS : FIDEI AUTEM INITIUM AGGLUTINANDUM EST EI. — Ita Romana. Aliqui legunt, *agglutinatum est ei*. Græca Romana hunc versum delent; eum tamen legunt Complutensia, et Tigurina quæ sic vertit, *religio Domini amoris ipsius est initium; fides autem origo conjunctionis cum ipso;* alii, *timor Domini initium dilectionis ejus; fides autem principium adhæsionis ejus*; Syrus, *initium timoris Domini diligere eum; et initium fidei ire post eum. Apprehende eum, fili mi, et ne dimittas eum, quia non est sicut ipse.* Sensus est, *q. d.* A timore et cum timore Dei incipit dilectio Dei, augetur etiam et perficitur : quantum enim crescit timor filialis Dei, tantum crescit et Dei amor; adeoque perfectus timor Dei, perfectus est amor Dei. Eodem sensu dixit cap. I, vers. 16 : « Initium sapientiæ timor Domini. » Sapientiam enim practicam intelligit, quæ includit amorem Dei. Vide ibi dicta.

Timor causat amorem, et amor timorem.

Quærit Palacius quomodo timor causet amorem, cum amor causet timorem : amor enim est affectuum omnium primus? Ac respondet timorem causare amorem, ac vicissim ab eo causari et produci. « Sicut vapor, inquit, est causa pluviæ, et vicissim pluvia est causa vaporis : ita amor Dei causat timorem eum offendendi, ac vicissim timor et reverentia Dei causat ejusdem amorem. » Timor enim hic filialis intelligitur, qui parit amorem et vicissim ab eo paritur : hi enim duo affectus conjuncti sunt, quem enim amamus, eumdem offendere timemus et reveremur, ac vice versa. Unde Cajetanus in II II, *Quæst.* XXII, art. 2, asserit timorem filialem in se complecti amorem et reverentiam. Ipse ergo est « initium, » Hebr. ראשית *rescit*, id est summa comprehendens amorem. Vide dicta cap. I, vers. 16 et seq.

Secundo, Jansenius hunc locum explicat de dilectione non nostra, sed Dei, qua scilicet Deus timentes se diligit, *q. d.* Deus incipit eos quasi amicos suos diligere, quos videt se metuere, sibique fidere, juxta illud : « Si quis diligit me, sermonem meum servabit : et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus, *Joan.* XIV.

Porro, quod sequitur : « Fidei autem initium agglutinandum est ei, » sic intellige, fides, quasi initium, jungenda est timori, ut ipsi queat esse initium dilectionis, *q. d.* Primum donorum et bonorum omnium initium est fides : ex hac enim concipitur timor, qui est causa dilectionis : quia sine lumine fidei Deus cognosci, ac consequenter timeri et amari nequit uti debet. Unde Græca habent, *fides autem initium est agglutinationis ejus*, uti scilicet per timorem et amorem adhæreamus et arctissime agglutinemur Deo : « qui enim adhæret Domino, unus cum eo spiritus est, » I *Corinth.* VI, 17.

Huc facit illud Apostoli, *Hebr.* XI, 1 : « Fides est substantia rerum sperandarum (et timendarum), argumentum non apparentium, » *q. d.* Fides efficit, ut res absentes, quas speramus et timemus, menti quasi præsentes sistantur, eamque moveant ad sui timorem et amorem. Vide ibi dicta. Atque hac de causa Siracides hic mentionem injicit fidei, quia viva fides vivum elicit acuitque timorem et amorem Dei. Vis ergo timere et amare Deum in dies magis et magis, vivacius in dies considera per fidem, quanta sit Dei majestas, ira, misericordia, vindicta; quantæ pœnæ, quas impiis inferet; quanta gloria, quam timentibus et amantibus se præparavit; quam longa sit utrarumque æternitas : atque ingentes tibi stimulos ad Deum timendum et amandum addi senties. Ex adverso, quod multi non satis timeant, nec ament Deum, causa est fides languida, ac quasi sopita et mortua; quod non satis vivide apprehendant Dei justitiam et misericordiam, gehennam, paradisum, etc. Hisce orandum assidue cum Apostolis : « Domine, adauge nobis fidem, » *Lucæ* XVII, 5. Præclare S. Chrysostomus, homilia 72 *Ad Populum* : « Illum, ait, insopitum (Dei) oculum nihil, quod a nobis geratur, est quod lateat. Et hoc cogitantes oportet tanta vitam nostram dispensare diligentia, quasi paulo post verborum et actionum, ipsarum quoque cogitationum rationem reddituros. » Unde infert : « Virtus est humana omnia despicere, et per omnes horas futura cogitare, nulli inhærere præsentium;

sed scire, quod omnia humana umbra sunt et somnium : virtus, quasi mortuum ad hujus vitæ res efficit; ad spiritalia vero sola, vivere et operari. Sicut et Paulus dicebat : Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus. »

TERTIA PARS CAPITIS.

DE MALITIA MULIERUM IMPROBARUM.

Occasione tertiæ beatitudinis jam recensitæ vers. 11, qua dixit : « Beatus qui habitat cum muliere sensata, » ut eam illustret et demonstret a contrario, transit ad malitiam mulieris insensatæ, indeque colligendum relinquit, quam infelix sit maritus malæ et insensatæ, felix vero bonæ et sensatæ : quanquam non sit hic curiose quærenda sententiarum et materiarum connexio : transit enim Siracides ab una ad aliam pro libito, more veterum ethicorum et gnomologorum, uti dixi in procemio.

Vers. 17. 17. OMNIS PLAGA, TRISTITIA CORDIS EST : ET OMNIS MALITIA, NEQUITIA MULIERIS.—Hic versus jam deest in Græco; sed olim in eo exstitisse liquet ex sequentibus, atque ex Nostro, æque ac Syro, qui sic vertit, *omnis plaga non est sicut plaga cordis, et omnes malitiæ non sunt sicut malitia mulieris.* Τὸ *et* idem est quod *sic* : est enim nota comparationis, et combinat duo similia. Idem crebro facit in *Proverbiis*. « Omnis, » id est summa, maxima, acerbissima. Est enallage et catachresis : ponitur enim totum universale pro toto quanto, sive perfecto et superlativo : hic enim gradus, cum sit summus, reliquos comparationis gradus in se vel formaliter vel virtute continet. Sic summus dolor continet cæteros dolores minores, et summa malitia continet cæteras malitias minores. Sensus ergo est, *q. d.* Sicut summa plaga, summum vulnus, summus dolor est tristitia cordis : sic pariter summa malitia est nequitia mulieris. Vel, sicut omnem plagam feras facilius, quam tristitiam cordis : sic et omne malum potius feras, quam malitiam mulieris. Tristitia cordis est plaga et miseria universalis, claudens in se et superans omnem tristitiam : ita et malitia mulieris omnem et claudit et superat malitiam. Si enim semel se mulier et nequitiæ tradidit et prostravit, nullam non malitiam admittit; ut, verbi gratia, si adultera est, ab ea exspectato veneficia, furta, homicidia. Sic dicitur, *Proverb.* IV, 23 : « Omni custodia serva cor tuum : » « omni, » id est præcipua, exacta, summa; nam alioqui etiam oculis et sensibus sua adhibenda est custodia. Et I *Esdræ* V, 7 : « Dario regi pax omnis, » id est plena et plurima.

Hunc esse sensum patet ex sequentibus. Recte comparat malitiam mulieris cum tristitia, tum quia utraque summa est, tum quia malitia mulieris summam viro affert tristitiam et dolorem. Unde Tigurina clare vertit, *summa plaga est mœror animi : summaque malitia, malitia mulieris.* Ratio prioris est : *prima,* quod mœror immediate totus sit in animo, qui maxime est sensitivus : cæteri enim dolores, ut verbera, vulnera, adustiones, etc., sunt in corpore; et per corpus, quod in se vim sentiendi non habet, quasi refracti, retusi et imminuti, transeunt ad animum, ubi est sedes doloris et sensus. Quare animi cruciatus, qualis est tristitia et mœror, longe acerbior est omni cruciatu corporis, ut patet in damnatis et dæmonibus : horum enim pœna est acerbissima; illa autem est tristitia animi : cum enim corpore careant, corporeos dolores sentire nequeunt. *Secunda,* quod nobilissima pars hominis et animæ sit voluntas : hæc enim quasi regina cæteris potentiis, membris, sensibus præest et imperat. Tristitia autem voluntatem immediate affligit, exedit, cruciat, sibique subjugat, ac per voluntatem cæteras omnes hominis vires, utpote voluntati subjectas, affligit, sibique subjugat. Quare in corpus ipsum suam vim exerit, illudque cruciat, exedit et consumit, juxta illud : « Animus gaudens ætatem floridam facit : spiritus tristis exsiccat ossa, » *Proverb.* XVII, 22. Summa plaga est tristitia. Cur?

Posterioris ratio est, quod mulier minus habeat rationis et judicii quam vir, qui ratione quasi freno a scelere inhibetur; unde subinde tota agitur passione et concupiscentia, puta libidine, superbia, ira, impudentia, fraude, ut videatur esse furia infernalis. Loquor de muliere, quæ vel natura, vel suo arbitrio et nequitia corrupta est et perversa : nam quæ natura vel exercitio pia est et sancta, sæpe viros superat, tum ob teneriores affectus quos habet mulier quam vir, tum ob pronitatem in devotionem et pietatem; tum quod infirma mundi eligat Deus, ut confundat fortia. Qua de causa S. Agnes, S. Cæcilia, S. Catharina, cæteræque virgines viros superarunt, tum castitate, tum fortitudine, tum charitate, tum martyrio. Summa malitia mulieris. Cur?

Moraliter disce hic, quantum malum sit mala mulier, quamque viris cavenda. Tertullianus, lib. *De Habitu muliebri,* post principium, de muliere loquens : « Tu es, ait, diaboli janua, tu es arboris illius resignatrix, tu es divinæ legis desertrix, tu es quæ ei persuasisti, quem diabolus aggredi non valuit. » Origenes in ea homilia quam in evangelium Chananææ conscripsit : « Mulier, inquit, caput peccati, arma diaboli, expulsio paradisi, delicti mater, corruptio legis. » Idem, in tractatu 2 suorum *Commentariorum in Job,* dum Moraliter de malitia mulieris.

enarrat illud : « Plurimo autem tempore interposito, dixit ad eum uxor ejus, » etc.; et initio tertii tractatus venuste multa mulierum vitia describit, sicut etiam facit S. Cyprianus in lib. *De Singularitate Clericorum.* S. quoque Chrysostomus in *Matth.* cap. XIX, homil. 32, in enarratione illius loci : *Non expedit nubere* : « Quid, ait, aliud est mulier quam amicitiæ inimica, ineffugabilis pœna, necessarium malum, naturalis tentatio, desiderabilis calamitas, domesticum periculum, delectabile detrimentum (aut, ut alii legunt, *detestabile*), mali natura boni colore depicta? » Secundus item philosophus, interrogatus quid esset mulier, respondit : « Viri naufragium, domus tempestas, quietis impedimentum, vitæ captivitas, quotidianum damnum, voluntaria pugna, sumptuosum bellum, conviva fera, sollicitudo confidens, leæna complectens, exornata scylla, animal malitiosum, necessarium malum. »

Omitto, quasi falsum et erroneum, ideoque hoc loco indignum, Severianos Archonticosque hæreticos adeo mulieres exhorruisse, ut eas opus Satanæ esse dicerent, uti testatur S. Epiphanius, lib. I *Hæresium*, tomo III, sectione 45 in eorum hæresi. Vide S. Chrysostomum, hom. *in Decollatione S. Joannis Baptistæ*, ubi, occasione Herodiadis, mire feminas exagitat. Quocirca idem recte docet tribus modis uxorem male moratam castigandam esse : primum, docendo secundum Deum; si autem timorem Dei non sentit, improperando, vel ut homines erubescat; si nec pudorem sentit frequenter confusa, faciat quod præcipit Salomon, duram baculo percute. Ergo primum admone, quia multum proficit doctrina justitiæ; deinde confunde, quia frequenter pudor frenum est vitiorum; tertio, justum est ut castigetur quasi ancilla, quæ erubescere nescit ut libera.

Tiraquellus vero leg. 9 *Connub.* censet malas mulieres potius eastigandas esse a maritis, exemplo vitutis prudentiæ : sæpe enim « peccata mulierum virorum imperitia contrahuntur, » ait Sextus Pythagoricus, ac lenitate, cui misceatur severitas : sicut leones, quos cicurare volunt homines, nec verberibus sunt cædendi : nam verberibus recrudescunt; nec rursus blanditiis nimium leniendi, ne nimis superbi evadant, teste Philostrato lib. VII, sed blanditiæ minis permixtæ illas facilius ad optatos mores perducunt. Unde Antonius Monachus in *Melissa*, lib. II, cap. XXXIV, ex S. Chrysostomo ait : « Ferrum coquere facilius est, quam mulierem castigare. »

Mystice. Mystice, mulier bona est fides, mulier nequam est hæresis et infidelitas. Rursum, mulier bona est charitas, mulier nequam est concupiscentia, ac præsertim propria voluntas : hac enim nulla mulier est nequior; hæc enim est causa omnis peccati, ut ait S. Jacobus cap. I, 14, ideoque illa nihil est nequius. Unde sicut mulier nequam est superba, garrula, impudens, ebriosa, rixosa, lasciva, desidiosa, etc.; sic prorsus est et concupiscentia. Ita Rabanus : « Sicut major, ait, gratia alia non est, quam charitas vera in lætitia bonæ mentis : ita major plaga non est quam tristitia dolosi cordis in idololatria, seu errore hæreticæ pravitatis. In ejus enim nequitia omnis est malitia. » Quare quæcumque de muliere mala dicta sunt, et dicenda sunt usque ad finem capitis; hæc omnia, mutato tantum nomine, attribue hæresi, concupiscentiæ, ac præsertim propriæ voluntati, de qua mystice Esdras lib. I, cap. X, 2 : « Si est pœnitentia, ait, in Israel super hoc, percutiamus fœdus cum Domino Deo nostro, ut projiciamus universas uxores, et eos qui de his nati sunt, juxta voluntatem Domini. » Dominus enim sanxit ne faciamus voluntates nostras in die sancto Domini, id est, in tempore nobis ad sancte in hoc mundo vivendum concesso. Unusquisque igitur suam uxorem, id est propriam voluntatem, abjiciat, quam adversus legem faciens in conjugium admisit; et filios ex ea susceptos, id est vana et inutilia desideria relinquat, non ut solus aut sterilis maneat, sed ut divinæ copuletur voluntati, ex qua filios amabilissimos, nempe vitæ æternæ merita suscipiat. Ita noster Alvarez, lib. II *De Mortificatione hominis interioris*, part. 3, cap. VII.

Vers. 18, 19, 20 et 21. 18. ET OMNEM PLAGAM, ET NON PLAGAM VIDEBIT CORDIS : 19. ET OMNEM NEQUITIAM, ET NON NEQUITIAM MULIERIS : 20. ET OMNEM OBDUCTUM, ET NON OBDUCTUM ODIENTIUM : 21. ET OMNEM VINDICTAM, ET NON VINDICTAM INIMICORUM. — Comparat malitiam mulieris cum qualibet plaga. « Videbit, » id est, sentiet, tolerabit, patietur. Est catachresis : visus enim, quia nobilissimus, hinc pro quolibet sensu sumitur; *videre* ergo idem est quod sentire et tolerare. Pro *obductum* Græce est ἐπαγωγή, id est obductio, afflictio, calamitas, qua homo totus quasi obducitur, id est obvelatur, obtenebratur, obvolvitur, uti dixi cap. II, 2. Sensus ergo est, *q. d.* Quamvis plagam videbit et tolerabit homo; at plagam cordis, puta tristitiam, non videbit, id est minime tolerabit : ita pariter quamvis nequitiam, at non nequitiam mulierum; et quamvis afflictionem, at non afflictionem odientium; et quamvis vindictam, at non vindictam inimicorum. Nam reliquæ plagæ exteriores sunt, et cum ad cor non penetrent, ferri possunt; at nequitia uxoris, æque ac tristitia, et afflictio odientium, et vindicta inimicorum, interius malum est, et ad cor penetrat, ideoque videtur quasi exorbitans et intolerabilis. Quis ferat Claudii Imperatoris uxorem Messallinam? Certe Cæsar suam Pompeiam minime tulit, ait Palacius. Unde clare vertit Tigurina, *cedo quamvis plagam, modo non plagam animi : et quamvis malitiam, modo ne malitiam mulieris : cedo quemvis impetum, modo ne impetum odio flagrantium : et ultionem undecumque, modo ne ab inimicis;* et Syrus, *omnis plaga non est sicut plaga cordis, et omnes malitiæ non sunt sicut malitia mulieris, et omnes tribulationes non sunt sicut tribulatio odientis, et omnes vindictæ non sunt*

sicut vindicta inimici. Quia cum odientes et inimici sine miseratione affligant et vindicent, inquit Jansenius, nec modum aliquem ponant illati mali aut ultionis, intolerabilis est calamitas et ultio, quæ ab illis irrogatur, et omnibus modis deprecanda. Inter calamitatem autem vel obductionem odientium, et vindictam inimicorum hoc interest, quod illa infertur præter meritum, hæc supra meritum. Nam qui oderunt aliquem, etiam non læsi, nocere illi laborant : et qui inimici sunt, parum læsi, gravius quam oportet sese ulcisci student. Hæc ergo sententia continet malarum quarumdam rerum et incommodarum comparationem, ostenditque quid in quoque malorum genere sit extremum et maxime detestandum. Præcipue autem hæc omnia videntur dicta esse ad mulierum malitiam exaggerandam, ac significari illam cordis adferre tristitiam, ipsumque cor vulnerare dolore gravissimo, eamdem quoque et obductione odientium et vindicta hostium esse graviorem, aut cum eis comparandam, tanquam similiter intolerabilem.

Vers. 22 et 23.

22 et 23. NON EST CAPUT NEQUIUS SUPER CAPUT COLUBRI, ET NON EST IRA SUPER IRAM MULIERIS. — Quia sicut coluber sive serpens (hunc enim significat Græcum ὄφις) venenum gerit in capite, quod in hominem astute et virulenter evomens vel exspirans, eum lædit et interimit : sic mulier nequam capite gestat iram venenatam, quam data occasione in eum, cui irascitur, evomit, nec cessat donec eum lædat et interimat, idque astute per mille artes et fraudes. Græca pro *mulieris* habent ἐχθροῦ, id est *inimici*, quasi prosequatur id quod paulo ante dixit : « Omnem vindictam, et non vindictam inimicorum. » Unde Tigurina, *ut nullum caput est capite serpentis nocentius, ita non est ira ira inimici pestilentior.* Verum de nequitia mulieris hic agitur, non inimici; unde de ea et Syrus sic vertit, *non est caput venenosius capite serpentis, et non est inimicitia amarior ea quæ mulieris est.* Sic S. Chrysostomus loco mox citando. Palacius per colubrum intelligit serpentem qui Evam, et per eam Adamum decepit, eosque a paradiso ejecit; aut certe caput basilisci, qui videndo occidit. Hugo vero : « Coluber, inquit, est diabolus, quasi *colens umbras,* » id est peccatores. *Job* cap. XL : « Sub umbra dormit. » Caput colubri est prava suggestio dæmonis, *Genes.* III : « Ponam inimicitias inter te et mulierem; ipsa conteret caput tuum. » Mulier hic est sensualitas sive caro; ira mulieris, concupiscentia carnis. Nequam est suggestio dæmonis; sed nequior est concupiscentia carnis, quia corpus et animam polluit, I *Corinth.* VI : « Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est : qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. »

Coluber quasi *colens umbras* est diabolus.

Rursum per *iram* accipe iram non subitam, sed continuam mulieris, quæ se malitiæ dedit : talis fuit Athalia, Jezabel, Herodias. Nam hæc et sequentia, ut recte advertit Jansenius, non ob id a Siracide dicuntur, quod propositum ei sit sexum femineum exagitare, in eumque invectivam texere cum sexus ille a Deo institutus sit, ideoque bonus et laudandus, uti ostendit S. Hieronymus lib. I *Contra Jovin.* Sed perversarum mulierum pravam indolem, vitiaque acri oratione perstringere voluit, ut juvenes instrueret moneretque, *primo,* cum quanta discretione et judicio uxor sit diligenda; *secundo,* quanta prudentia agendum sit cum mulieribus, ne temere irritentur; *tertio,* cavendum esse ne illarum amori etiam in conjugio quisquam nimis indulgeat, easque perdite amet, ne ab eis perdatur, multo magis extra conjugium. Illustre est illud Simonidis carmen de vituperio mulierum, asserentis mulieres alias formatas ex vulpe, scilicet astutas et dolosas; alias ex cane, scilicet mordaces et rixosas, maritis oblatrantes; alias ex asina, otiosas et desides; alias ex equa, petulcas et lascivas; alias ex simia, philocosmas et fuci amantes; alias et optimas ex ape, industrias, sedulas, operosas, prudentes, hasque a Jove dari maritis ei placentibus.

Porro, apposite mulier mala comparatur colubro, ob magnam utriusque affinitatem in concinnandis dolis, mendaciis, litibus, rixis, cædibus; adeo ut mulier nequam videatur esse serpentina, imo serpens : unde Plinius lib VII, cap. III, scribit mulieres aliquando serpentes peperisse. Huc facit quod S. Epiphanius, lib III *Contra hæres.*, sub finem, in brevi Catholicæ fidei expositione, num. 10, docet Evam significare feminam, Hevam vero cum aspiratione significare serpentem. « Sunt, inquit, Dionysiaci, qui Caretum sacris et carnium divisioni initiare solent, coronati serpentibus, evantes, et eva eva vociferantes; hoc est, Evam illam quam serpens decepit, invocantes, sive aspirata voce serpentem Hebraica lingua ad fraudem et errorem vocantes. Nam *Eva,* si tenui spiritu pronuntietur, feminam significat : sin aspiretur, Hebræi hoc vocabulo *Heva* serpentem intelligunt. » Hoc intellige ex appropriatione et usu loquendi Hebræorum posteriorum, qui forte Hevam vocarunt serpentem, eo quod Heva a serpente seducta, ejusque halitu quasi afflata serpentinos mores (quos in multis Evis, id est feminis, hodie videmus) induerit. Hinc et Syri חוויא *chevia* vocant serpentem, forte a radice חוי *chavi,* id est ostendit, judicavit, eo quod serpens pomum vetitum ostenderit Evæ, Eva Adamo. Alioqui *Heva,* vel, ut Hebræi dicunt, *Chaffa,* ex primigenio etymo Hebræo idem est quod mater viventium, sive vivipara, uti ostendi Genes. III, 20. Idem tradit Eusebius lib. II *De Præpar. Evangel.* cap. V : « Quid dicam, inquit, de Dionysio, quem Menolem græce, id est latine totum furentem, appellant, cui Bacchæ orgia celebrant, et crudas carnes comedentes sacro furore initiantur, Evan, Evan conclamantes? Quæ vox aspirata secundum exquisitam Hebræorum linguam feminei sexus serpentem (puta serpentem feminam) sig-

nificat.» Ex Eusebio ergo id ipsum accepit et transcripsit Epiphanius. Hebræorum linguam intellige posteriorem, puta Syriacam : syriace enim serpens vocatur חויא *cheviia*, vel *chevia*, ob rationem paulo ante dictam; aut potius a radice חיה *chaia*, id est vixit, quod serpens agilis sit et vivax. Unde חיה *chaia* vocatur animal ferum, quale in primis est serpens. Ita Lexica Syriaca. Porro mulieris uti acerba est ira, sic et invidia serpentina ; unde illud : « Mulieris livor omnem incendit domum.» Et illud Homeri *Odyss.* XI : « Non gravius et canius aliud muliere ;» canis enim est symbolum et speculum iræ ac invidiæ.

Heva Syriace vocatur serpens.

S. Chrysostomus de malitia mulierum.

Audi S. Chrysostomum, homil. 15 *ex Variis in Matth. locis*, quæ est decollatione S. Joannis Baptistæ, et ex eo Damascenum, *Parall.* I, cap. LXXVI, hunc locum insigniter pertractantem : « Nulla, inquit, malitia æmulari potest mulierem malam. Attestatur huic verbo meo sapientissimus Salomon » (hic enim liber Siracidis a veteribus vocatur Salomonis, ob causas quas in procemio recensui) : « Quia non est caput super caput serpentis, et non est malitia super malitiam mulieris. O malum summum et acutissimum diaboli telum mulier! Per mulierem Adam in paradiso prostravit, et de paradiso exterminavit. Per mulierem mitissimum illum David, ut necem militis sui innocentis Uriæ Hethæi in epistola dolo mandaret, armavit. Per mulierem sapientissimum Salomonem in prævaricationis sacrilegium præcipitavit. Per mulierem fortissimum Samson rasum cæcavit : ut virtute crinili et decoris oculis spoliatus, ludibrio foret hostibus, quibus fuerat ante terrori : cum his captivis molit, quibus dominabatur invictus. Per mulierem castissimum Joseph vinculis alligatum detrusit in carcerem. Per mulierem illum totius mundi lucernam Joannem capite truncavit. Et quid dicam de hominibus? Per mulierem angelos e cœlo deposuit, id est, homines sanctos, qui ad cœlum pergebant : per mulierem cuncta omnino prosternit et jugulat, omnes interficit, omnes elidit, repletos ignominia et honore vacuatos. Mulier enim impudens nemini parcit, non Levitam honorat, non sacerdotem reveretur, non Prophetæ defert. » Quocirca mali magnitudinem admirans exclamat : « O malum omni malo pejus! mulier mala, sive illa pauper sit, sive dives, duplex malum est. Si habeat facultates malitiæ suæ cooperantes, duplex malum, intolerabilis vipera, immedicabile venenum : scio ego et aspides blandimentis incantantium mitigari, et leones, et tigres, et pardos domita feritate mansuescere. Mulier mala, etsi injuriam patitur, etsi honorem accipiat, extollitur : hæc si potentis alicujus uxor sit, non cessat die ac nocte virum suum callidis stimulare sermonibus, blanda nequiter, et importuna violenter, donec mentem extrudat, ut similem sibi faciat maritum; improbis male suadet consiliis, sicut Herodias fecit Herodi. » Et inferius citans Dalilam, quæ Samsonem maritum suum prodidit, et Philisthæis interimendum tradidit : « Dic, inquit, mihi quæ bestia contra masculum suum talia aliquando meditata est? Quæ dracæna vult masculum perdere? vel quæ leæna marem suum jugulandum tradidit? Vides ergo quia apte dixit Sapientia : Quoniam non est caput super caput serpentis, et non est malitia super malitiam mulieris. Et ideo quiquis habet mulierem malam, cognoscat quoniam iniquitatum suarum portat mercedem : non caret testimonio veritatis. Audi denuo Sapientiam dicentem : Mulieris malæ et iniquæ portio dabitur pro operibus malis. »

Eccli. XXV.

Ibid.

Vers. 23.

23. COMMORARI LEONI ET DRACONI PLACEBIT (supple, magis, vel potius mihi : hoc enim est εὐδοκῶ, id est approbo, velim, malim), QUAM HABITARE CUM MULIERE NEQUAM. — Tigurina, *apud leonem et draconem commorari præoptarim, potius quam habitare cum muliere improba;* Syrus, *præstat habitare apud leonem et apud draconem, quam habitare cum muliere mala in domo;* tum quia leo et draco arte cicurantur, ac humilitate et beneficiis deleniuntur, uti patet de leone Androclis, qui, ob exemptam ab eo e pede suo spinam, eum a morte liberavit, teste Gellio lib. V, cap. XIV. Item vincuntur innocentia et sanctitate; uti patet in S. Saba, cui leo ultro speluncam suam concessit, eaque cedens excessit; et de leone S. Hieronymi, aut potius Gerasimi, qui ei quasi asinus serviebat, ac morienti ex dolore commortuus est, uti refert Joannes Moschus in *Prato Spirit.* cap. CVII. Mulieris autem nequam nequitia est incurabilis, adeoque si te coram ea humilies, magis insolescet, et, si benevolus beneficusque in eam sis, magis exasperatur : tum quia leones et dracones caveis aut septis includi possunt, ut nocere nequeant; mulier autem nequam includi se non patitur : tum quia satius est subito a leone vel dracone occidi, quam lenta longaque morte per nequitiam perversæ uxoris cruciari et confici. Alludit ad *Proverb.* cap. XXI, 19 : « Melius est habitare in terra deserta, quam cum muliere rixosa et iracunda.» Audi S. Chrysostomum, homil. 15 *ex Variis in Matth. locis*, et ex eo Damascenum, *Parall.* I, cap. LXXVI : « Nulla, ait, in hoc mundo bestia similis est mulieri malæ; quid inter quadrupedia animalia leone sævius? sed nihil ad hanc; aut in serpentibus quid dracone atrocius? sed ne hoc quidem juxta mulierem malam et linguosam conferri potest; nam et leo et draco in malo inferiores sunt. Testificatur huic sermoni meo sapientissimus Salomon dicens : Cohabitare leoni et draconi melius est, quam cum muliere mala et linguosa. Et ne putes Prophetam in ironia hoc dixisse, ex ipsis rebus disce manifestius. Danielem leones in lacu reveriti sunt; justum vero illum Nabuthem Jezabel interfecit. Cetus Jonam in ventre custodivit : Dalila autem Samson circumventum illecebris, raso etiam capite defor-

matum, alienigenis tradidit. Dracones et aspides cornutæ Joannem Baptistam in deserto viventem subdita feritate tremuerunt : Herodias vero eidem caput abscidit, et tanti viri mortem in pretium saltationis accepit. Eliam corvi in morte paverunt, et Jezabel eum post illam redditæ per ipsum terris pluviæ gratiam persequebatur, ut pœnam mortis ei redderet, cujus orationibus depulsa generis humani famè et ipsa, licet indigna, vivebat. » Unde post multa concludit : « Mulier jumentum malum, vermis repens, atque in Momo domicilium habens, mendacii filia, Paradisi custodia, Adami expultrix, hostis perniciosa, pacis inimica. » Hæc omnia hoc versu et præced. ex S. Chrysostomo recitata pene ad verbum habet S. Ephrem, tract. *Adversus improbas mulieres*, tomo I. Ex hoc loco suum distichum sumpsit S. Gregorius Nazianzenus in *Sententiis* :

Mala res et dracones, malefica res et aspides :
Duplex malitia mulieris inter feras.

Et idem clarius in *Distichis* : « Horrendi sunt dracones, subdolæ aspides, utriusque feræ vim mulier complexa est; » et Græci suum illud : « Venenum naturaliter est aspidis mala mulier, feris omnibus immitior mulier mala. » Unde Diogenes conspicatus duas feminas clam inter se conferentes sermonem : « Sumit, inquit, venenum a vipera aspis mutuo, » uti refert Antonius Monachus in *Melissa*, lib. II, cap. XXXIV. Denique Hugo omnes mulieris noxas hoc disticho complectitur :

Femina corpus, opes, animam, vim, lumina, vocem,
Polluit, annihilat, necat, eripit, orbat, acerbat.

Idem mystice : Leo, inquit, est princeps crudelis, qui palam nocet; draco est hæreticus, qui occulte grassatur : utroque nocentior est, nequitia mulieris. In *Pirke Avoth*, id est, in *Capitulis* sive *Proverbiis Patrum Hebræorum*, cap. I, dicitur : « Sapientes pronuntiarunt hominem, quoties diutius cum muliere sermocinatur, *primo*, nocere sibimetipsi; *secundo*, a verbo legis discedere; *tertio*, inferni se carceribus ex tunc addicere. »

Vers. 24. 24. NEQUITIA MULIERIS IMMUTAT FACIEM EJUS : ET OBCÆCAT VULTUM SUUM TANQUAM URSUS : ET QUASI SACCUM OSTENDIT. — Græca Complutensia tantum habent, ὡς ἄρκτος, id est *tanquam ursus;* Romana tantum ὡς σάκκον, id est *quasi saccum*. Noster utrumque legit. Sensus est, *q. d.* Mala mulier sua malitia et nequitia mutat et obcæcat; Græce σκοτεῖ, id est, obscurat et infuscat vultum suum, alias hilarem et lucidum, ut scilicet instar torvi ursi, ac nigricantis et horridi sacci torva, tetrica, nigricans et horrida marito aliisque appareat, illumque contristet et percellat; ut videatur esse una Erynnys, vel Alecto. Unde Tigurina vertit, *mulieris malitia deformat vultum ipsius, et tanquam ursi faciem ejus infuscat;* ursi enim fusca et torva sunt facie. Alii pro πρόσωπον, id est vultum, legentes ὄρασιν, id est aspectum, vertunt, *nequitia mulieris immutat aspectum ejus, et obscurat vultum ejus, ut saccum ejus*, scilicet mulieris : Græce enim est femininum αὐτῆς; Syrus tamen hæc accipit de marito; unde videtur legisse masculine αὐτοῦ, vertit enim, *malitia mulieris malæ decolorabit ipsam faciem mariti sui, et nigram eam faciet, sicut color cilicii*. Utrumque verum : ira enim et tristitia vultus mulieris maritum pariter efficit iracundum aut melancholicum, ut vultu expallescat, iramque et tristitiam facie pallida, lurida et nigricante præferat.

Nota τὸ *obcæcat* : nam, ut ait Plinius lib. VIII, cap. XXXVI : « Oculi ursorum hebetantur crebro; qua maxime causa favos expetunt, ut convulneratum ab apibus os, levet sanguine gravedinem illam. » Causam subdit : « Invalidissimum urso caput, quod leoni fortissimum; ideo urgente vi, præcipitaturi se ex aliqua rupe, manibus eo operto jaciuntur : ac sæpe in arena colapho infracto exanimantur. » Addit Lyranus ursum, si laminam splendentem aspiciat, obcæcari. Ita invidia, cujus symbolum est mulier maligna, fulgore prosperitatis viri oculis dolet, hebetatur et excæcatur; inde invidia dicitur, *quasi non videns*, pingiturque cæca, quin et alios subinde excæcat, juxta illud vulgo tritum : « Da obolum Belisario, quem extulit virtus, cæcavit invidia. » Ursæ ergo occæcatio symbolice notat occæcationem invidi et invidiæ. Ursi obcæcantur. Unde?

Aliter Hugo, *q. d.* Ex nequitia mulier scit immutare faciem suam unguentis, fuco et cultu vano, ut videatur pulchra, cum sit turpissima. Unde Ovidius *De Remed. amoris* :

Auferimur cultu, gemmis auroque teguntur
Omnia, pars minima est ipsa puella sui.

Vers. 25. 25. IN MEDIO PROXIMORUM EJUS (id est, suorum : Hebræi enim idem pronomen habent absolutum et reciprocum, quod significat tam *ejus*, quam *suum*) INGEMUIT VIR EJUS, ET AUDIENS SUSPIRAVIT MODICUM, — *q. d.* Maritus audiens alios queri de uxoris suæ morositate et torva facie, verbisque et gestibus asperis, ingemiscit et suspirat, sed modicum et tacite : quia præ pudore et ignominia, quod tam malam habeat uxorem, multum gemere non audet, nec plene suum cordolium aperire, juxta illud :

Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem.

Unde pro μικρὰ, id est modicum, ut legit Noster, Græca jam legunt, πικρὰ, id est amare, acerbe. Hinc Tigurina vertit, *sedens inter vicinos suos vir ejus, propter ipsam invitus etiam ingemiscit graviter;* alii, *inter proximos suos discumbit* (Græce ἀναπέσεται, quod Complutenses vertunt *decidet;* Romana, *accidet*) *vir ejus, et audiens* (hæc) *ingemiscit acerbe;* Syrus, *in medio proximorum suorum sedet vir stultæ, et contra voluntatem suam ingemiscit.*

Vers. 26. 26. BREVIS OMNIS MALITIA SUPER MALITIAM MULIERIS, SORS PECCATORUM CADAT SUPER ILLAM. — « Brevis, »

Græce μικρὰ, id est parva. Sic cap. XI, 3, dixit : « Brevis, id est *parva*, in volatilibus apis, super malitiam, » Græce πρὸς κακίαν, id est *præ malitia, ad malitiam*. Unde Syrus, *multa est malitia, et non est sicut pravitas malitiæ mulieris.*

SORS PECCATORUM CADAT SUPER ILLAM. — *Primo*, Palacius et Jansenius hoc explicant, *q. d.* Obtingat hæc mala sors, puta mulier mala, homini peccatori, non sancto; peccatores pro sua sorte et punitione sortiantur eam, ipsi soli cogantur perferre malitiam uxoris nequam. Hoc enim conjugium est par, dum improbus cum improba conjugatur. Absit tam misera sors a justis, contingat illa peccatoribus: quia nihil eis pejus in vita contingere potest, quam mulier nequam et rixosa. Ita Carolus V dicebat nihil pejus hosti suo imprecari posse, quam uxorem imperiosam. Huc facit illud S. Chrysostomi apud Antonium in *Melissa*, lib. II, cap. XXXIV : « Qui habet uxorem malam, suorum se peccatorum mercedem accepisse intelligat. » *Secundo*, « sors peccatorum » est pœna et gehenna, *q. d.* Puniatur improba mulier pœna condigna vel hic, vel in gehenna. Unde Tigurina vertit, *sors scelerosorum eam opprimat;* et Syrus, *sors delictorum cadat super eam.*

Tertio et genuine, *q. d.* Mulier nequam sortiatur maritum, qui eam pro meritis castiget, affligat, contundat: hæc enim sors inducitur hic quasi pœna improbæ mulieris, ad malitiam ejus castigandam et edomandam, vel potius contundendam. Unde Græce est, *sors peccatoris* ἐπιπέσοι αὐτῇ, id est, *incidat illi*, incumbat in illam, opprimat illam, ut vertit Tigurina. Idem docet Salomon *Proverb.* cap. V, 4, et *Eccle.* VII, 27. Idem a Salomone et Siracide didicerunt Plato et Philosophi. Unde Menander : « Thesaurus, ait, malorum est mulier mala. Ignis, et mare, et femina sunt tria mala. Ubicumque mulieres sunt, ibi mala sunt omnia. » Homerus *Odyss.* XI :

Gnomæ de malitia mulieris.

Nihil femina gravius, nihil pejus.

Terentius in *Hecyra* :

In eodem omnes mihi videntur ludo doctæ ad malitiam.

Philemon apud Stobæum, *Serm.* 66 :

Immortale est malum necessarium, uxor.

Euripides, lib. I *Epigramm. Græcor.* :

Furore multo sævit iratum mare,
Pronique fluvii, et ignis acris impetus,
Inopia acerba, acerba alia quam plurima :
Sed nihil ita acerbum et noxium, ut mulier mala.

Antonius Monachus (non ille magnus S. Athanasii coævus, ut vult Trithemius *De Scriptor. Eccles.*; sed alius eo inferior et posterior : citat enim Chrysostomum, Basilium, Nyssenum, Photium, Nilum et Damascenum) in *Melissa*, lib. II, cap. XXXIII, citat Aristippum, qui mulierem parvam, sed formosam, conspicatus, dixit : μικρὸν μὲν καλόν, μέγα δὲ κακόν, id est, *parvum quidem pulchrum, sed magnum malum*. Et cap. XXXIV citat Protagoram, qui, rogatus cur inimico filiam nuptui dedisset, respondit : « Quia nihil ei poteram dare deterius. »

27. SICUT ASCENSUS ARENOSUS IN PEDIBUS VETERANI, SIC MULIER LINGUATA HOMINI QUIETO. — Tigurina, *sedato, q. d.* Sicut ascensus in arenæ, utpote fluidæ, instabilis et lapidosæ, inquit Rabanus, cumulum, vel in collem arenosum, molestus est pedibus senis debilibus et infirmis; sic pariter uxor loquax, garrula et dicax, molesta est homini tranquillo, silenti et pacifico: illi enim occlamat, obstrepit, obmurmurat, oggannit; itaque ejus quietem turbat, eumque ad jurgia, lites, rixas et pugnas provocat. Rursum sicut difficillime senex ascendet per clivum arenosum (quia enim senex est, in arena figere pedes nequit), ita vir quietus difficillime linguacem uxorem ferat: quomodo enim querelas tam multas audiet eorum quos uxoris lingua vulneravit? Syrus vertit, *sicut ascensus arenæ in pedibus senis, ita est mulier cujus lingua longa est adversus virum mansuetum.* De ascensu arenæ dixi cap. XVIII, 8. Huic facit illud Menandri : Vers. 27.

Tempestas in domibus est viris mulier.

Et illud Ovidii lib. II *De Arte amandi* :

Dos est uxoria, lites.

Et Juvenalis, *Satyr.* 6 :

Nulla fere causa est, in qua non femina litem
Moverit, etc.
Semper habet lites alternaque jurgia lectus,
In quo nupta jacet.

S. Hieronymus lib. I *Contra Jovin.*: « Qui non litigat, ait, cælebs est. » Xystus Pythagoræus in *Enchiridio* citatus a S. Hieronymo : « Nubere, ait, et filios procreare possum; scias utrumque. Si autem, tanquam prælium sciens, tamen pugnare vis, et uxorem duc, et filios procrea. » Denique Salomon : « Tecta perstillantia, inquit, mulier litigiosa, » *Proverb.* XIX, 13.

28. NE RESPICIAS (legit προσίδῃς, jam legunt προσπέσῃς, id est *incidas, impingas*) IN MULIERIS SPECIEM, ET NON CONCUPISCAS MULIEREM IN SPECIE, — id est, ob speciem, puta ob formam et pulchritudinem : « Propter speciem enim mulieris multi perierunt, » ut dixi cap. IX, 9. Vers. 28.

Primo, hæc sententia accipi potest de muliere extra conjugium, *q. d.* Noli aspicere mulierem pulchram, ne pulchritudine ejus illicitus, eam concupiscas, et cum ea forniceris : oculi enim sunt in amore duces. Unde Tigurina vertit, *ne offendas in pulchritudinem mulieris, nec mulierem libidinose concupiscas.*

Secundo, accipi potest de muliere, quæ quæritur ad conjugium, ut in uxorem ducatur, *q. d.* Cum quæris uxorem, noli primario respicere ad illius pulchritudinem, sed ad mores: quia pulchritudo cito defloreſcit; unde tunc erit tibi tæ-

dio et tormento : et quia pulchræ solent sua pulchritudine superbire, esseque imperiosæ, ac maritis dominari. Denique pulchræ a multis ambiuntur, ideoque adulterii vel crimen, vel suspicionem incurrunt, juxta illud :

Lis est cum forma magna pudicitiæ :

itaque maritis zelotypiæ, infamiæ, odiorum, et sæpe mortis sunt occasio : hinc Maximus, *serm.* 39. Solon, inquit, rogatus an expediret uxorem ducere, negavit : « Quia, inquit, si duxeris formosam, habebis κοινήν, id est communem; sin autem deformem, habebis ποινήν, » id est pœnam. Idem Aristippo tribuit Antonius in *Melissa*, lib. II, cap. XXXIV. Quocirca viri prudentes moderatæ potius formæ, quam eximiæ et excessivæ, sponsas quærunt. Hunc sensum sequitur Syrus, cujus verba mox recitabo.

Tertio, accipi potest de muliere, quæ jam facta est uxor, *q. d.* Si habes uxorem, noli continuo respicere ad ejus pulchritudinem, ut propterea immodice utaris ipsa ad explendam libidinem potius quam prolium causa ; hoc enim inordinatum, ideoque peccatum est. Unde Græca Complutensia habent : μὴ προσπέσῃς εἰς κάλλος γυναικός, καὶ γυναῖκα μὴ ἐπιποθήσῃς εἰς τρυφὴν, quod sic vertas, *ne impingas in pulchritudinem uxoris, et uxorem ne concupiscas ad delicias* : γυνή enim et uxorem et mulierem significat.

Pulchritudinis descriptio.

Moraliter, disce hic quam illecebrosa, vana et fallax, ideoque cavenda sit species mulierum. « Quid est pulchritudo ? » respondet Socrates : « Est modici temporis tyrannis; » Theophrastus : « Est tacita deceptio ; » Euripides in Helena : « Est res infelix ; » Petrarcha lib. I *De Remediis utriusque fortunæ* : « Est velum oculis, laqueus pedibus, viscus alis, ut non facile vera discernat, nec virtutem sequatur, nec in altum aerem evolet : est hostis domesticus, raptor quietis, materia laboris, tormentum libidinis; S. Hieronymus : « Est oblivio rationis; » Proclus, lib. *De Anima* : « Animæ, ait, deceptæ, propter veræ pulchritudinis ignorantiam, corporeas formas admirantur et depereunt; » S. Chrysostomus *Ad Theodorum lapsum* : « Est gypsum sepulcro inductum, est phlegma sanguine mixtum, pulchre per pellem pellucens; » detrahe pellem, vide quam putida caro, quale sterquilinium in ventre, quale phlegma per os et nares distillet. Quocirca senex ille apud Joannem Moschum in *Prato Spirit.* cap. CCXVII, dicebat : « Sal, cum ex aqua fiat, si aquam tangat, in aquam resolvitur; sic monachus, cum ex muliere sit genitus, si mulieri appropinquet, solvitur, atque in id desinit, ut jam monachus non sit. » Maximus vero *homil.* 39 : « Pythagoras, inquit, in ignem et in mulierem incidere, æquale esse dicebat. » Sicut enim ignis calore, sic mulier sua forma et colore virum adurit, juxta illud : « Uritque videndo femina. »

Præclarius S. Gregorius Nazianzenus, orat. *Adversus mulieres se ornantes* : « Pandoram, inquit, aiunt, cum ignis a Prometheo furtim sublatus fuisset, vindicandi hujus sceleris causa, mortalibus advexisse pro bono videlicet atque utili igne, ignem alium malum ac pestiferum: quoque ardentius hominum animos inflammaret, omni eum pulchritudinis genere a diis instructum et exornatum fuisse. Ita cum suum quisque illecebræ ac fraudis genus in unum contulisset, tum vero confertam et cumulatam imposturam hominibus invectam esse; versutam nempe mulierculam, impudentem, dicendi suavitate præditam, perniciosum oblectamentum, facem perpetuo ardentem. Pandoræ filiæ sunt procaces omnes mulierculæ, perfrictæque frontis. At tu, Christi imago, da operam ut pudicitia prudentiaque clareas. » Et inferius : « Ab eo tempore, o filia mea, tibi paterna lege cautum est ne pulchritudini tuæ umquam confidas. Omnem formæ elegantiam mihi breve ver affert, eamque hiemis asperitas protinus exstinguit. Aut enim eam præmature morbus frangit ac debilitat, aut ipsa certe senectus delet atque obliterat. Hoc vero magis adhuc ridiculum; videas enim mulierem in deformitatis suæ conscientia adeo insolentem, ut turpitudine sua glorietur, Danaenque præ se contemnat. » Pandoram hanc graphice depingit Salomon *Proverb.* VII. Et paulo post, quanta sit formæ et pulchritudini ad illicium vis, declarans : « Quidam olim, inquit, ut Poetæ fingunt, inanis et informis Echus amore captus, per montes ac scopulos oberrat. Alius formam suam deperiens, ad amplexandum pulchritudinis exitiosæ simulacrum in fontem insiliit. Alius rursus perdito quodam atque insano fluminis cujuspiam amore flagrabat, nec pedem unquam ab adamata ripa referebat, aquam lambebat, manibus hauriebat, spumam arripiebat, nec tamen undis ullis amoris ardor exstingui poterat. Tam cæca et præpostera res est amor! »

Gnomæ. Illecebræ oculorum.

S. Gregorio Nazianzeno de more adstipulatur S. Basilius, lib. *De Virginit.* : « Dux, inquit, prævius et pronubus oculorum jactus, est ejus, cujus manus ministræ sunt, tactus. » Hinc a S. Petro II *epist.* II, 14, oculi vocantur « pleni adulterii et incessabilis delicti; » et a S. Bernardo : « Occasio peccati, indicium commissæ culpæ, causa committendæ. » Quin et Seneca, lib. *De Remediis fortunæ* : « Oculi, ait, irritamenta sunt vitiorum ducesque scelerum, » maxime luxuriæ. Virgilius, *Eclog.* VIII :

Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error.

Et Propertius :

Si nescis, oculi sunt in amore duces.

Idem, lib. I, *eleg.* I :

Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis,
Contactum nullis ante cupidinibus.

Qui ergo animæ et castitati consultum vult, ocu-

los compescat avertatque a feminis, imo procul ab eis quasi basiliscis, qui visu necant, aufugiat, juxta illud Apostoli : « Fugite fornicationem. »

Vers. 29. 29. MULIERIS IRA, ET IRREVERENTIA, ET CONFUSIO MAGNA. — Varia hic lectio varium dat sensum :

Primo, Rabanus hæc jungit cum τῷ *in specie,* quod præcessit, *q. d.* « In specie, » id est, ex specie et forma, mulieris oritur ira, irreverentia et confusio magna.

Secundo, alii delent secundum *et,* sicque legunt et intelligunt : « Mulieris ira et irreverentia (est) confusio magna, » id est, magnam marito, sibique et suis affert ignominiam.

Tertio, alii, delentes primum *et,* sic explicant : « Mulieris ira (est) irreverentia et confusio magna. »

Quarto, Græca et Latina Romana utrumque *et* legunt : « Mulieris ira et irreverentia et confusio magna, » ut τὸ *magna* referatur ad tria, quæ præcedunt *q. d.* Mulieris ira æque ac irreverentia, id est, inverecundia et confusio, id est, ignominia quam marito sibique et suis affert, non est levis et exigua, sed magna et gravis. Si enim mulier sit iracunda et rixosa, irreverenter loquetur, agetque cum marito, eumque indigne tractabit, et magno pudore afficiet : maritum enim tractabit quasi famulum, cum sit ejus herus et dominus, juxta illud Dei mandatum datum Evæ et mulieribus : « Sub viri potestate eris, » *Genes.* cap. III. Quocirca Græca Complutensia et Romana hunc versum connectunt cum sequenti, uti mox ostendam. Syrus vero connectit cum præcedenti : sic enim habet, *ne commovearis erga speciem mulieris malæ, et etiamsi habuerit divitias, ne concupiscas eam : quia servitus gravis et ignominia prava mulier, quæ intumescit* (vel *rebellis* est) *adversus maritum suum.*

Porro, mulieris vitium est ira, indeque impatientia, præcipitatio et furor. Iracundia enim præcipites feruntur in jurgia, verba et verbera, et ferrum et necem, tam suam, quam suorum. Unde Juvenal, *Satyra* 6 :

> Quoties, *ait,* facit ira nocentem
> Hunc sexum, rabie jecur incendente, feruntur
> Præcipites, ut saxa jugis abrupta.

Unde et S. Chrysostomus, homil. *De Decollat. S. Joannis :* « Mulier, ait, cum injuria afficitur, insanit. » R. Moyses Ægyptius in lib. *Perplexorum* III, cap. XLIX, idem dicit, idque tribuit debilitati sensus muliebris. Idemque propemodum tradit Plutarchus in lib. Περὶ ἀοργησίας, id est *De cohibenda ira :* « Sicut, ait, tumor accidit ex magna plaga in carne, ita in mollissimis animis si quis se præbeat dolori, hoc ipso quod major est imbecillitas, majorem elicit iracundiam, hacque de causa mulieres iracundiores sunt viris, ægroti sanis, senes juvenibus, infelices felicibus. » Abdicatus item ille medicus apud Lucianum in Dialogo, cui et ipse titulum fecit, asserit facilius feminas, quam viros, in insaniam prolabi, difficiliusque hujus morbi curationem recipere ; ea potissimum ratione, quod multum habeant iracundiæ ac levitatis, facileque commoveantur, sintque illis vires corporis exiguæ. Seneca, lib. I *De Ira,* iram vocat « vitium muliebre. » Tritum est illud Telemachi lib. II *Epigramm. :*

> Omnis mulier ira : habet autem bonas horas duas,
> Unam in thalamo, unam in morte.

Menander : « Plus est, ait, periculi anum lacessere, quam canem. » Hebræorum sententia est nullam iram atrociorem esse ira muliebri : « irritabile enim et vindex mulierum genus ; » partim ob rationis inopiam, partim ob animi humilitatem. Nam veræ magnitudinis est injurias negligere, nec quosvis homines dignari ira sua, juxta illud : « Non est dignus Cæsaris ira. » Denique vere S. Clemens, lib. II *Constitut.* cap. XXXVII : « Ubi est ira, ait, ibi non est Dominus, sed amica Satanæ. »

Cur mulieres iracundæ?

Causam physicam iræ et furoris mulierum Lævinus Lemnius medicus, lib. IV *De Occultis naturæ miraculis,* cap. XIII, asserit esse earum menstrua. Ego, inquit, hujus rei nullam causam propriorem excogitari posse video, quam humorum virus ac colluviem, quam mulier singulis mensibus ex lunæ decursu congerit atque expurgat. Ubi enim illam irritari contingit, ut levissime assolet, tota illa humorum sentina agitata effumat, ac per corpus diffunditur, ita ut cor et cerebrum hujus fuligine ac favillis affici contingat, ac spiritus tum vitales, tum animales, qui iis partibus deserviunt, inflammari ; eoque fit ut mulieres iratæ, juniores præsertim (nam aniculæ effœtæ pacatiores sunt ob menses resides) rabiosæ latrent ac vociferentur, complosisque manibus indecoros gestus ac fremitus proferant ; et, cum ratio in iis minus vigeat, judicium debile sit et exile, mens invalida, acrius efferantur, nec prorsus impetus animi cohibere possint. Et quo quæque in eo sexu vilior est, eo magis tumultuatur, atque effervescit ira implacabili. Hinc plebeïis et prostitutis (nam patriciæ aliquando decoro inserviunt, tametsi plerumque corrugatis naribus obmutescant, nec viros responsione dignentur, *pzancken* Belgæ vocant), quoniam corpus fere obtinent vitiosis humoribus contaminatum, summa impudentia pari malitiæ conjuncta est, ita ut velut furiis agitatæ, nec consilio, ratione, pudore, monitis, blandimentis, quibus etiam feræ mitescunt, coerceri possint, quo minus fremant, atque ab insanis clamoribus desistant, adeo

> Neque jus, neque bonum, aut æquum sciunt,
> Melius, pejus ; prosit, obsit ; nihil vident,
> Nisi quod libido suggerit,

ait Terentius *Heautont.,* scen. I, act. IV. Sic sui oblitæ fidem, decus, pudorem, famam, probitatem, pudicitiam, existimationem vilem habent, ac periclitari patiuntur. Hæc Lemnius.

Vers. 30. 30. MULIER, SI PRIMATUM HABEAT, CONTRARIA EST VIRO SUO. — Syrus, *intumescit adversus maritum suum, et cor quod secum est* (vel *populi sui, vel gratiæ suæ*) *abscondit*. Sensus est, *q. d.* Si uxor ex opibus et nobilitate, quia scilicet viro ditior et nobilior, aut alia de causa primatum et dominium super virum usurpet et obtineat, non erit viro conformis, sed adversa et rebellis, eique contraria volet et imperabit, tum ut ostendat suam præcellentiam et primatum, quia superba est; tum quia appetitus viri et feminæ diversi et contrarii sunt, perinde ac appetitus animalis sæpe contrarius est rationali, juxta illud Comici : « Novi ingenium mulierum. Nolunt, ubi velis; ubi non velis, cupiunt ultro. » Mulier enim agitur passione, vir ratione et judicio; passio autem contraria est rationi et dictamini prudentiæ. Qui ergo sapit, quærat uxorem sibi opibus et nobilitate parem, vel inferiorem, non superiorem ; ne pro uxore dominam eamque imperiosam accipiat. Unde illud : « Si vis nubere, nube pari. » Græca hæc jungunt versui præcedenti, eumque cum præsenti in unum conflant, hoc modo, *ira et irreverentia et confusio magna mulier, si subministret viro suo;* hoc est, ut Tigurina, *iracunda, impudens, et perquam probrosa est mulier, quæ viro suo sumptum suppeditat;* Vatablus, *quæ viro suo præit*, vel *sibi vindicat imperium;* quod Noster vertit, *si primatum habeat;* utrumque enim significat Græcum ἐπιχορηγῇ: χορηγέω enim est, suppedito expensas, suggero, erogo, confero, præbeo, proprie choris sumptum præbeo, ludos publice exhibeo, ludos edo, ideoque in eis chorum duco, primus et princeps sum; unde χορηγὸς est choragus sive princeps choreæ, qui choreis præest, suppeditator expensarum et instrumenti ludicri; et χορηγοὶ sive choragi vocantur chororum societatumque duces, tenentesque primatum, de quibus Aristoteles lib. IV *Politic.* Huc facit illud Philonis apud Antonium in lib. II *Melissa*, cap. XXXIV : « Mulieri parere, contumelia est suprema; » qui enim feminæ se subdit, effeminatur, lunamque colit, et ab ea fit lunaticus. Unde Spartianus in *Caracalla* narrat olim in Carrhis (quæ in Scriptura vocatur *Haran*) urbe Mesopotamiæ, lunæ masculæ et feminæ unicum simulacrum exstitisse : qui Lunum coluissent, imperium in uxores impetrabant; qui vero Lunam adorassent, uxoribus se obnoxios volebant.

Mulier imperiosa viro contraria.

Luna et Lunus qui?

Ita olim imperabant feminæ apud Ægyptios Lyciosque, teste Herodoto : Sauromatæ in universum mulieribus parent. Divites feminæ principatum in domo sibi arrogant. Unde Satyricus :

> Intolerabilius nihil est quam femina dives.
> Malo Venusinam, quam te, Cornelia mater
> Gracchorum, si cum magnis virtutibus affers
> Grande supercilium, et numeras in dote triumphos.

Porro, cur indignum et contra naturam Deique ordinationem sit, ut mulier viro præsit, rationem dat Rabanus : « Quia, inquit, infirmior sexus fortiori sexui subjici debet, non præponi. Unde in initio mulieri peccanti, et virum seducenti, Dominus dixit : Multiplicabo ærumnas tuas et conceptus tuos; in dolore paries filios, et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui. Hinc et Apostolus ad Timotheum scribens ait : Mulier in silentio discat cum omni subjectione; docere autem mulierem non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio. Et cur hoc jusserit, mox causam reddidit, dicens : Adam enim primus formatus est, deinde Eva : et Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit. »

Genes. III, 16.

I *Timoth.* II, 14.

Jam occasio et stimulus ad primatum uxori est nobilitas et opes, si scilicet ipsa viro sit nobilior aut ditior. Pauper enim ducens divitem « dat seipsum, non illam ducit, » ait Menander. « Et non uxorem, sed dominam habet, cujus est famulus et servus, » ait Anaxandrites apud Stobæum *serm.* 66; unde Martialis, lib. VIII *ad Priscum* :

Opulentæ dominantur viris.

> Uxorem quare locupletem ducere nolim,
> Quæritis? uxori nubere nolo meæ.

Clare Aristoteles, lib. VIII *Ethic.* X : « Dominantur uxores, inquit, propter amplitudinem patrimonii. » Et Comicus : « Argentum dote accepi, imperium vendidi. » Unde Antoninus Imperator passus est adulteria Faustinæ uxoris : « Quia, inquit, si hanc dimitto, dos reddenda est; » pro dote enim acceperat imperium. Quare sapienter S. Ambrosius, lib. I *De Abraham*, cap. II : « Qui suavitatem quærit conjugii, inquit, non tam superiorem censu ambiat, non monilibus ornatam, sed moribus : offendit plerumque virum, si se uxor nobiliorem noverit. Hæc proxima superbiæ est. Sara non facultatibus ditior, non genere splendidior erat; ideo virum imparem non putabat, ideo quasi parem gratia diligebat, ideo non censu est retenta, non parentibus, non propinquis, sed virum proprium, quocumque pergeret, sequebatur : externa adiit, sororem se ejus asseruit. » Omnium ergo sapientum consilium est ducendam esse parem, non superiorem. Citat eos Tiraquellus, leg. V *Connubiali*, num. 16.

Vers. 31 31. COR HUMILE, ET FACIES TRISTIS, ET PLAGA CORDIS (perperam Jansenius et alii legunt *mortis*) MULIER NEQUAM, — *q. d.* Hæc tria mala irrogat viro suo mulier nequam, scilicet cor ejus facit humile, id est, dejicit, sternit, affligit; faciem ejus efficit tristem, ut dejecto et mœsto incedat vultu : quale enim est cor, talis est et facies, cor enim suos affectus per faciem prodit et enuntiat. Denique *plagam* et quasi vulnus lethale cordi ejus infligit, dum illud tanto dolore et tristitia sauciat, ut non raro viro mortis sit causa. Unde Tigurina, *cor afflictum et vultum tetricum crucemque animi creat mulier improba;* Syrus, *tenebræ et plaga cordis mulier.*

Vers. 32. 32. MANUS DEBILES ET GENUA DISSOLUTA MULIER, QUÆ NON BEATIFICAT VIRUM SUUM, — *q. d.* Mulier improba, quæ sua modestia et probitate non beat, sed sua insolentia et nequitia infelicem efficit virum, hæc vires viri enervat, omne virile robur uti cordis, ita et corporis ei eripit, ut nec manibus operari, nec genibus incedere ei libeat; sed animum despondens, chiragricus et podagricus, imo stupidus et quasi apoplecticus evadat: robur enim operandi est in manibus, ambulandi in genibus; unde ait Isaias cap. XXXV: « Confortate manus dissolutas, et genua debilia roborate; » et ex eo Paulus *Hebr.* XII: « Remissas manus et genua debilia roborate. » Vide utrobique dicta. Tigurina paulo aliter legit, *mulier improba creat manus remissas et genua resoluta, nec virum suum beabit.* Rursum, τὸ *beatificabit* exponi potest, honorabit, beatum prædicabit. Unde Syrus vertit, *dissolutio manuum et fractio genuum mulier, quæ non exhibet honorem et reverentiam marito suo.*

Denique pro οὐ *μακαρίει*, id est non beabit, vel beatificabit, nonnulli legunt, οὐ *παρακαλέσει τὸν ἄνδρα αὐτῆς ἐν στενώσει*, id est, *non consolabitur virum suum in angustia.*

Uxor virum suum cæteris anteferat.

Sapienter S. Chrysostomus, homil. 27 *ex Variis in S. Matth. locis*, et Auctor *Imperfecti*, homil. 22 *in Matth.*: « Uxor, inquiunt, neminem debet sapientiorem, fortiorem, formosiorem reputare quam virum suum; etsi sit alter sapientior, fortior, formosior, tamen coram oculis ejus talis apparere non debet. Perfectum enim odium, et perfectus amor judicium rerum non cognoscit; » sed quæ amat, judicat optima; quæ odit, pessima. « Sic et omnis anima christiana, quæ sponsa est Christi, ita diligere debet Deum, ut nihil sit in mundo, quod amplius amet, quam eum, aut in tantum. Pro quanta autem parte plus aliquid amaverit, pro tanta parte minus amat Deum. »

Mystice.

Mystice, uxor cujusque est ejus professio, religio, ars, status, officium. Quare cuique Religioso, sua religio præ cæteris omnibus, videri debet optima sibique congruentissima; grammatico sua grammatica, rhetori sua rhetorica, philsopho sua philosophia, fabro sua fabrilis, agricolæ sua agricultura, etc., videri debet optima, suæque indoli et moribus convenientissima, juxta illud cap. XL, 18: « Vita sibi sufficientis operarii condulcabitur, et in ea invenies thesaurum. » Et illud S. Pauli I *Corinth.* VII, 20: « Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. » Isocrates apud Maximum, *serm.* 13, rogatus « quis in hominibus esset dives? » respondit: « Qui sua sorte contentus est. » Nam, ut ait S. Chrysostomus apud Antonium in *Melissa*, part. I, serm. 36: « Qui se superiores respicit, nunquam videre potest quam dives sit. Verum oportet sua sorte contentum esse, et Deo gratias agere. » Sic Martha sua sorte contenta sit, et Magdalena sua.

Vers. 33. 33. A MULIERE INITIUM FACTUM EST PECCATI, ET PER ILLAM OMNES MORIMUR: — quia Eva, seducta a serpente, prima peccavit, deinde Adamum seduxit: itaque omnes posteros eodem peccato inquinavit, illudque, ac consequenter ejus pœnam, puta mortem præsentem et æternam, reipsa in posteros per propaginem et generationem transmisit. Siracides, ut ostendat quam antiquum et grande malum sit mulier, producit Evam matrem omnium, *q. d.* Olitanum et cum mundo natum est hoc mulieris malum: Evam enim matrem sequuntur ejus filiæ. Vide dicta *Genes.* III.

Secundo, q. d. Ex Evæ peccato, puta ex peccato originali et concupiscentia, cujus initium et causa fuit Eva, omnia reliqua peccata prognata sunt, prognascuntur et prognascentur usque ad finem mundi, imo omnia quæ per totam æternitatem committuntur a damnatis in gehenna. Ita Syrus, *a muliere*, inquit, *inceperunt peccata, et per eam omnes nos morimur*

Tertio, τὸ *per illam omnes morimur*, si formaliter et præcise, ut sonat, accipias, significat propter Evæ peccatum præcise, omnes posteros ejus contrahere peccatum originale, indeque mortis fieri reos. Quare probabiliter hinc colligunt nonnulli Theologi ex Eva sola peccante, etiamsi Adam non peccasset, omnes tamen posteros contracturos fuisse peccatum originale: licet alii contrarium sentiant cum S. Thoma, III, *Quæst.* LXXXI, art. 5. Vide ibidem Scholasticos. Quocirca S. Augustinus, lib. I *De Peccat. merit.* cap. XVI, et alii ex hoc loco contra Pelagianos probant traducem peccati originalis. « In *Ecclesiastico*, inquit, scriptum est: A muliere initium factum est peccati, et per illam omnes morimur. Sive autem a muliere, sive ab Adam dicatur, utrumque ad primum hominem pertinet: quoniam mulier ex viro est, et utriusque caro una est; unde scriptum est: Et erunt duo in carne una. Igitur jam non duo, inquit Dominus, sed una sunt caro, » *Matth.* XIX, vers. 5 et 6.

An Eva sola peccans filios infecisset peccato originali?

Moraliter hic docet Siracides quam cavendum sit a muliere, utpote quæ tot millionum hominum, totiusque generis humani ruina exstitit. Unde S. Cyprianus *De Singular. Cleric.*: « Separamini, ait, a contagione pestifera, etc. Aculeus peccati facta est forma feminea, et mortis conditio, non aliunde surrexit nisi de muliebri substantia. Quod Salomon ad nostram sollicitudinem memorat dicens: A muliere factum est initium peccati, et propter hanc omnes morimur. Inde mortales tenemur, nec teneri timemus. »

Vers. 34. 34. NON DES AQUÆ TUÆ EXITUM, NEC MODICUM, NEC MULIERI NEQUAM VENIAM PRODEUNDI. — Hæc sententia, et similes multæ in Proverbiis, proverbialiter per comparationem accipiendæ sunt, *q. d.* Sicut non expedit aquæ in vase conclusæ vel modicum dare aut permittere exitum per rimam aliquam: quia alioqui sensim tota effluit; sic pariter non expedit nequam mulieri, puta uxori, filiæ, ancillæ, etc., vel in modico indulgere, ut ei veniam

des prodeundi quo ei libuerit : sic enim sensim omne tuum maritale, vel paternum, aut herile jus et dominium excutiet, ut se in libertatem vindicet, ac deinceps se cohiberi et ad officium suum reduci non patietur. Nam nulla pene alia re magis gaudent mulieres quam libertate; et, ut ait Cato Censorius apud Livium, lib. XXXIV : « Omnium rerum libertatem, imo licentiam desiderant. » Quin et S. Chrysostomus, lib. III *De Sacerdotio*, asserit viduas tum paupertatis, tum ætatis, tum sexus nomine, immodicam sibi libertatem usurpare. Græca breviter et generaliter habent, *ne des aquæ exitum, nec mulieri potestatem;* Complutenses, μὴ δῷς διέξοδον ὕδατι, μὴ δὲ γυναικὶ πονηρᾷ παῤῥησίαν ἐξόδου, id est, *ne des transitum aquæ, neque mulieri malæ libertatem exitus.* Est proverbium cum sua explicatione. Unde Tigurina, *cave aquam vel minimum sinas erumpere, id est improbæ mulieri ne patefacias viam licentiæ;* Syrus, *ne des aquis exitum, neque mulieri faciem et dominium, vel potestatem et imperium* (*dare faciem*, Syris est corridere, hilarem et blandum se alicui ostendere); *sicut enim rimula aquæ quæ abit et multiplicatur, ita mulier mala incedit et peccat.*

Mulier vida libertatis.

Porro hanc sententiam Palacius præcedenti recte connectit, *q. d.* Si Eva fuit seminarium malorum in orbe omnium, quia non fuit a viro cohibita, erit pariter uxor tua in domo tua malorum omnium causa : tantum in malo mulier potest. Cohibe igitur et contine uxorem in officio : quod si nequam illa est, nulla ratione permittas eam domo exire. Ut enim cisterna aqua plena, si vel modicum ei foramen feceris, universa tibi prodit et perit : ita peribit tibi mulier nequam, si facultatem exeundi illi concesseris. Impudicarum enim est vagari et circumcursare, juxta illud de meretrice : « Garrula et vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis, » *Prov.* VII, 11. De pudica vero ait David *Psalm.* CXXVII, 3 : « Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. » Galenus, lib. XI *De Usu partium*, docet naturam pilos viro contra frigus addidisse, feminæ negasse, quod domi se continere debeat. Præclare S. Gregorius Nazianzenus in suo illo *Monitorio* mulierem alloquens :

Impudica est vaga.

Non multum extra vestibula mitte pedem, neque ad delectationem,
Nec ad popularem immodestam turbam : hæc enim pudorem
Aufert et prudentibus, oculos vero oculis miscet :
Pudor enim abiens, omnium genitor malorum est.

Et in Elegiis quas contra ornatas mulieres dictavit :

Mos est mulieribus (res pretiosa) domi manere
Plurimum, et divinis alloqui sermonibus.

Hoc idem mulieribus sancit S. Chrysostomus, homil. 60 *in Joann.* et homil. 10 *in Epist. S. Pauli ad Timoth.* et lib. *De Sacerdotio*, cap. III : « Virginem, inquit, oportet undecumque tanquam muro circumseptam esse, et toto anno perraro domo egredi, idque demum cum inexcusabiles ac necessariæ causæ urgebunt. »

35. SI NON AMBULAVERIT AD MANUM TUAM (id est, si ductum manus tuæ, id est, directionem, jussum et imperium tuum sequi nolit : *manus* enim significat potestatem, ducatum, auctoritatem), CONFUNDET TE IN CONSPECTU INIMICORUM — per suam obstreperam contumaciam, audaciam, rebellionem improbosque mores, quibus te faciet ludibrium hostibus et æmulis tuis; præsertim quando, te inscio, deflectet ad alios, cum iisque fornicabitur et adulterabitur : huc enim ducet eam libertas, mobilitas animi et curiositas. Nam, ut ait Plutarchus, lib. *De Curiositate* : « Adulterium est curiositas alienæ voluptatis. » Græci, hanc sententiam cum sequenti truncantes, in unam contrahunt hoc modo : *Si non procedit tibi ad manum, reseca eam a carnibus tuis.* Honestæ enim et morigeræ uxores solent cum viris ad manum collaterales procedere : quæ id non faciunt, superbæ, immorigeræ vel inhonestæ sunt. Complutenses addunt, *da et dimitte*, id est, da ei libellum repudii. Sic et Syrus, *nisi ipsa sit veniens post te, carnem tuam* (uxorem, quæ est caro tua) *abscinde, da et dimitte e domo tua.* Hinc et Rabanus, addens copulam *et*, hunc versum cum sequenti ita combinat : « Si non ambulaverit ad manum tuam, et confundet te in conspectu inimicorum, a carnibus tuis abscinde illam, » etc. Quæ lectio magis quam nostra placet Jansenio. Verum nostram confirmant cætera Biblia, et stabiliunt Romæ correcta. Vers. 35.

Præclare S. Ambrosius, lib. III, epist. 25 *Ad Eccles. Vercell.* : « Mulier, inquit, viro deferat, non serviat; regendam se præbeat, non coercendam. Indigna est conjugio, quæ digna est jurgio. Vir quoque uxorem tanquam gubernator dirigat, tanquam consortem vitæ honoret, participet ut cohæredi gratiæ. » Quin et Plutarchus in *Moral.* : « Ut philosophi, inquit, colentes principem, se reddunt nobiliores, non illum : sic uxores, subdentes se viro, laudem consequuntur; conantes autem imperare, deterius audiunt, quam quæ subjiciuntur. » Et rursum : « Ut geometræ negant moveri lineas et superficies sine corpore, sed una cum corporibus moveri; sic uxor et in seriis et ludicris, in fletu et risu, in lætis et tristibus, accommodet se marito. » Et Stobæus, *serm.* 70 : « Sicut, inquit, speculi ex auro gemmisque constructi nulla fuerit utilitas, nisi formam sibi objectam repræsentet; ita neque divitis uxoris fructus ullus est, nisi vitam exhibeat marito similem, et ingenium concors. »

Laus mulieris, viro obsequentis.

36. A CARNIBUS TUIS ABSCINDE ILLAM, NE SEMPER TE ABUTATUR, — *q. d.* Si uxor sit obstrepera, immorigera, vaga ad libitum, « a carnibus, » id est, a corpore tuo, scilicet a toro maritali, abjice eam, ne semper tuo affectu, modestia, licentia, patientia abutatur. Unde Complutenses et Syrus Vers. 36

habent : *Da, et dimitte illam, q. d.* Da illi libellum ut eam ableges. Tigurina et Vatablus : *Fac eam abscindas a corpore tuo; da* (libellum repudii), *et eam repudia.*

Libellus repudii solvebat matrimonium.

Nota: Olim apud Judæos licebat maritis dare libellum repudii uxoribus, aliamque ducere; per libellum enim repudii solvebatur vinculum matrimonii (unde Græca habent, διάλυσον, id est, dissolve), uti ostendi *Deuter.* XXIV, 1; libellum autem hunc dare poterant ob improbos mores uxoris, si scilicet esset rebellis, contumax, incorrigibilis : Christus autem hunc libellum sustulit, *Matth.* XIX, initio, tantumque viris permittit divortium tori (puta, uxores dimittere e domo), idque ob solam fornicationem, ut, ea dimissa, aliam ducere non liceat.

Porro, Siracidi contrarium consilium dedisse videtur Ben-Sira; rogatus enim de mala uxore dimittenda, respondit : « Os quod cecidit in sorte tua, rode; » quare alius est Ben-Sira a Siracide, uti in Prologo ostendi. Quanquam hac in re conciliari possint, ut non sint contrarii, nimirum : « Os sortis tuæ rode, » si illud rodere queas; sin autem, abjice illud : nimirum, si uxor corrigi aut tolerari possit, retine eam; sin autem incorrigibilis et intolerabilis evadat, dimitte illam.

FINIS TOMI IX.

COULOMMIERS. — TYPOGR. ALBERT PONSOT et P. BRODARD.

Les 20 premières pages de ce PDF donnent un aperçu de la qualité, *bonne ou mauvaise,* de l'édition papier. La qualité dépend du livre original dont nous nous sommes servi pour produire le fac-similé (*texte numérisé*).

Il est possible de commander l'édition papier à prix abordable en visitant le site :

canadienfrancais.org

Plusieurs autres livres sont également disponibles sur le même site, toujours à prix abordable.

Ô Marie conçue sans péché,
priez pour nous qui avons recours à vous!

Cet ouvrage est dans le domaine public.

Année 2020
canadienfrancais.org